. 6. 13

Sanctę Marię in Monticellis. Ex dono P. Petri Silvestri Glaudæ.

SANCTVS

OPTATVS

MILEVITANVS.

FACVNDVS

HERMIANENSIS.

G. ALBASPINÆI

EPISCOPI AVRELIANENSIS

OPERA.

SANCTI

OPTATI

MILEVITANI EPISCOPI

OPERA

CUM OBSERVATIONIBUS ET NOTIS INTEGRIS

G. ALBASPINÆI AURELIANENS. EPISCOPI

FRANCISCI BALDUINI J. C. GASP. BARTHII,

MERICI CASAUBONI, &c.

PHILIPPUS PRIORIUS Annotationes & Præfationem adjecit.

ACCEDUNT

FACUNDI

HERMIANENSIS EPISCOPI

PRO TRIBUS CAPITULIS CONCILII CALCHED. LIBRI XII.

CUM ANNOTATIONIBUS JACOBI SIRMONDI S. J.

Et alia ejuſdem FACUNDI *Opuſcula.*

Huic quoque Editioni adjectæ ſunt

GAB. ALBASPINÆI

Obſervationes Eccleſiaſticæ, cum aliis ejuſdem operibus, quorum

Elenchum poſt Præfationem pagina ſequens exhibebit.

PARISIIS,

Sumptibus ANTONII DEZALLIER, in Vico San-Iacobæo, ad Coronam auream.

M. DC. LXXIX.

Cum Privilegio Regis Chriſtianiſſimi.

ILLUSTRISSIMO NOBILISSIMOQUE VIRO D. D.

JACOBO NICOLAO COLBERT

ABBATI BECCENSI

PRIORI AC DOMINO CHARITATIS

AD LIGERIM, AMBERTÆ &c.

ETSI ea fuerunt adhuc celebritate nominis Optatus Milevitanus, & Facundus Hermianenſis: ut ad lucem hominum denuò ſubeundam nova commendatione uſquequaque non indigeant: At ipſis tamen famæ

acceſſionem factum iri non mediocrem exiſtimavi, ABBAS ILLVSTRISSIME, ſi clariſſimi Tui nominis auſpicio prodirent; & Africani Antiſtites duo, eruditione inſignes, dignitate ſpectabiles, eruditi viri, & excellenti quovis Eccleſiaſtico Munere digniſſimi patrocinio fruerentur. Neque verò mihi verendum fuit ne illorum cauſam cunctanter ſuſciperes, qui omnium Literatorum ſuſcipis etiam non rogatus. Eſt hoc nimirùm tuæ Genti proprium, ac peculiare, ut ſit ſatis ſuperque commendatus Vobis, qui Literas aut amat, aut profitetur. Hoc agit Tuus ille præſtantiſſimus Parens: atque inter plurimas, & graviſſimas curas, quas pro incolumitate Regni tuenda, & augenda Principis gloria, tanto animo, tantaque conſtantia ſuſtinet, in eam potiſſimùm intendit, quomodo liberalium Artium inſtaurationi proſpiciat, earumque Magiſtros propoſitis præmiis ad laborem invitet. Tu verò illum, ABBAS ILLVSTRISSIME, cùm in cæteris rebus, quæ ad laudem faciunt, imitari ſtudes: tum in hoc potisſimum vincere, ut Scientiarum omnium, ac præſertim ſacrarum ſtudioſos amplectaris, foveas, tuea-

ris. Idque eò minime mirum videri debet, quòd ad ſacram ipſe doctrinam tam inflammato ſtudio contendas, quàm diſciplinas ingenuas antea proſecutus es, imò etiam aſſecutus: ut locus dubitandi non ſit, quin eam de Te hominum expectationem cumulatiſſime impleas, quam primis tuis in doctrina Theologica tyrociniis concitaſti: ſi tamen ea tyrocinia dicenda ſunt, quibus palmarem famam eruditorum omnium judicio tuliſti: quo effectum eſt nempe, ut ſacram Theologiæ Facultatem tibi nuper, ſummo totius Ordinis conſenſu, irrogati privilegii non pœniteret, cùm ſtudiorum ſpatia beneficio ſingulari contracta maturitate ingenii, & doctrinæ abundantia pleniſſime compenſaris. Ad has publicas rationes hujus operis nomini Tuo nuncupandi, ABBAS ILLVSTRISSIME, acceſſerunt etiam privatæ beneficiorum erga me tuorum, quæ ſuſtinere mihi quoquomodo neceſſe fuit, ne obſcurum eſſe paterer quàm nihil prætermittis quo neminem, qui publice prodeſſe velit, quod ego pro viribus enitor, benevolentia tua non excites, non favoris tui aura benigniſſima provehas. Quantum hac

in re profecerim, tuum erit æſtimare; ABBAS ILLVSTRISSIME. Ego certe maximum laboris mei fructum cepiſſe arbitrabor, ſi hoc grati animi qualecumque teſtimonium æqui, bonique conſulueris. Vale, & perge beneficæ voluntatis affectu proſequi

ABBAS ILLVSTRISSIME,

Tibi addictiſſimum & obſequentiſſimum,

D********

PHILIPPUS PRIORIUS LECTORI.

CUM anno ſuperiori in urbem eſſem reverſus, & liberè ac familiariter cum amicis de Reipublicæ literariæ ſtatu colloquerer, Optati Milevitani ſtatim incidit mentio, cujus iam iam editionem adornabat Puteanus Bibliopola. Ac cum ſciſcitantibus an aliquid in hunc auctorem obſervaſſem, reſponderem; nonnulla quædam in ſchedis meis habere me, qui forſan neque inutilia, neque iniucunda viderentur; ii Puteano rem denuntiant, qui ſtatim enixè precatus eſt, pro veteri conſuetudine noſtrâ, ſi quid haberem ſecum communicarem. Tam iuſtæ & amicæ poſtulationi acquievi; ac quoniam urgebant operæ, annotationes meas digeſſi continuò, ne moram ullam interjicerem, ut editionem hanc cum aliorum lucubrationibus, ſi non ornarent, ſaltem comitarentur. Cæterorum quippe obſervationes & notæ

ita erant diſpoſitæ, antequam de ea re mihi quicquam eſſet compertum, ut nihil deeſſe videretur. Quid autem in hac editione præſtitum ſit, paucis accipe. Notas habes Albaſpinæi integras, integras quoque Merici Caſauboni Iſaaci filii; Franciſci Balduini Iuriſconſulti doctiſſimi inſuper obſervationes, cum criticis notis Gaſparis Barthii, & neſcio cuius Incerti, qui è Barthio in arculas ſuas multa conieciſſe videtur. Huius nomen, patriam, & opera ignoro: Qui verò illas notas adiecit, eo conſilio fecit, ut librum cum omnium ferè notis, & obſervationibus illuſtriorem redderet. His accedunt annotationes noſtræ quæ ſeorſim ab aliis ducta lineola repræſentantur. Ad Textum quod ſpectat, corruptiſſimus ſanè eſt multis in locis; ſed quid facias ubi melioris notæ codicum maxima penuria eſt? Correctior & purior quantum fieri potuit, editio adhibita eſt. Aliorum coniecturas neque probo omnes, neque prorſus reiitio; De meo illud aſſero, abſtinuiſſe me ab illa criticâ prurigine, quæ ſciolorum animis inſedit, qui nihil, præter mendoſam ſcripturam crepant, luxatum locum, deſperatum, depravatum clamitant, & à ſe feliciter reſtituum unius literulæ mutatione. Permulti ſane ſunt hiſce temporibus quorum intra has metas eruditio tota conſiſtit, & qui ſolidioris literaturæ ope deſtituti inminutiis eiuſmodi, & λεπτολογήμασι tempus omne, & ætatem miſerè impendunt. Hos bene valere iubeo, iis bonam mentem opto. Nobis non licet eò audaciæ perrumpere, ut veterum ſcripta tam

temerè corrumpamus. In eiuſmodi tricis immorari non licuit, ea tantum annotavimus, quæ ad eruendum verum ſenſum ac genuinum facerent, & ad Africanæ eccleſiæ hiſtoriam cognoſcendam, ac ſchiſma Donatiſtarum conducere videbantur. Quo verò illuſtrior eſſet editio, Puteano è re viſum eſt obſervationes varias Albaſpinæi addere. Atque ut eâ formâ editus Optatus, iuſtæ magnitudinis opus videretur, acceßere poſtea Facundi Hermianenſis libri variâ eruditione referti, qui diſtracta priori editione rariores erant, & à ſtudioſis anxiè conquirebantur. His omnibus fruere Lector, & Puteani manibus iam vitâ functi antequam in publicum opus prodiret benè precare.

ELENCHUS EORUM

QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

FRANCISCI BALDUINI J. C. Epiſtolæ duæ.

S. OPTATI Afri Milevitani Epiſcopi de ſchiſmate Donatiſtarum adverſus Parmenianum libri VII. cum Obſervationibus & Notis Philippi Priorii & aliorum.

FRANCISCI BALDUINI J. C. Præfatio ad Lectorem præfixa Editioni Optati.

Ejuſdem Annotationes ſeorſim editæ.

GABRIELIS ALBASPINÆI obſervationes in Optatum ſeparatim editæ.

- I. De erroribus & criminibus donatiſtarum.
- II. Quomodo congruerent aut differrent Novatiani & Donatiſtæ.
- III. Nonnulla quæ in hac hiſtoria ſunt obſcura.
- IV. An Melchiades datus fuerit judex à Conſtantino, in cauſa Donatiſtarum.
- V. De manus impoſitione quæ eſt in ſententia Melchiadis.
- VI. Io qua ex antiquæ diſciplinæ rationibus eadem explicatio confirmatur.
- VII. In qua objectiones quædam ſolvuntur.
- VIII. An quoſdam reordinarint Donatiſtæ.
- IX. Solvuntur quædam contra proximam obſervationem.
- X. De Concilio Arelatenſi.
- XI. De die & Conſulibus judicii Proconſularis quo Felix Apungitanus purgatus fuit.

GESTA Collationis Carthagini habitæ inter Catholicos & Donatiſtas.

HISTORIA Collationis Carthaginenſis, Auctore Franc. Balduino J. C.

FACUNDI EPISCOPI Hermianenſis pro defenſione trium Capitulorum Concilii Calchedonenſis Libri XII. JACOBI SIRMONDI S. J. curâ & ſtudio primùm in lucem editi Notiſque illuſtrati, ac denuo in meliorem ordinem redacti. Cum Præfatione Philippi Priorii in qua operis totius ratio explicatur.

Ejuſdem Liber contra Mocianum Scholaſticum.

Ejuſdem Epiſtola fidei Catholicę in Defenſione trium Capitulorum, ex Tomo 3. Spicilegii D. Lucæ Acherii, cum ejuſdem obſervatione.

INDEX rerum & verborum in Facundi opera.

INDEX Notarum Jacobi Sirmondi.

GABRIELIS ALBASPINÆI Aurelianenſis Epiſcopi Opera Varia.

ELOGIUM, ſive narratio felicis ad Deum obitus Gab. Albaſpinæi, Aurel. Epiſcopi, Auctore Carolo Paulino S. J.

OBSERVATIONUM Eccleſiaſticarum libri II.

Notæ in Concilium Eliberitanum, quoſdam alios antiquos Canones, & aliquot Tertulliani libros.

L'Ancienne Police de l'Egliſe ſur l'adminiſtration de l'Euchariſtie, & ſur les circonſtances de la Meſſe.

} horum indicem vide ſuo loco.

SVMMA PRIVILEGII REGIS CHRISTIANISSIMI.

LUDOVICUS XIV. Dei gratia Galliarum & Navarræ Rex Chriſtianiſſimus, ſingulari privilegio ſanxit, ne quis per univerſos Regnorum ſuorum fines, intra viginti annos à die perfectæ primæ Editionis computandos imprimat, aut alibi excuſos venales habeat libros qui inſcribuntur *Gabrielis Albaſpinæi Epiſcopi Aurelianenſis opera omnia, unà cum Variorum notis & commentariis in Optatum uno conſpectu diſpoſitis, quibus accedunt Facundi Hermianenſis opera, ſtudio Iacobi Sirmondi S. I. & Lucæ Dacherii Monachi Benedictini quondam edita*; præter Ioannem Du Puis Bibliopolam Pariſienſem: Qui ſecus fecerit, librorum confiſcatione, & pœnis quæ latiùs in diplomate Regio continentur, multabitur. Datum Pariſiis die 6. Junii 1675.

Signatum, DES VIEUX.

De Mandato Regis.

In publicas Bibliopolarum Pariſienſium Societatis Tabulas relatum 11. die menſis Junii. 1675.

Signatum THIERRY. *Synd.*

Hac prima Editio abſoluta fuit die 25. Ianuarii 1676. atque Exemplaria tradita.

FR. BALDUI

FR. BALDUINUS

REVERENDO VIRO

D. JOANNI LENTALLERIO

ANTISTITI AQVISCINCTENSI, S.

CUM hiſce diebus in hac urbe Irenæus, qualis ab Eraſmo primùm editus fuit, recuſus eſſet, dolui non præmonitum fuiſſe Librarium, ut bona illa Irenæi Græci pars, quæ in libris Epiphanii integra extat, ſimul ederetur. Sic enim multò melior antiquiſſimus hic Eccleſiæ Chriſtianæ ſcriptor in hominum manus veniſſet, tametſi reliqua pars ejuſdem generis etiamnum deſideraretur. Jam autem (ut hoc tempore ad lectionem atque recognitionem religioſæ antiquitatis Eccleſiaſticæ multorum ſtudia revocantur, ac, ſi ſaperent multi, plures revocarentur) cum ageretur de recudendo quoque Optato Afro, qui olim mendoſiſſimus in Germania editus fuit, etſi me Librarius appellarit, qui ſuſpicabatur me lubenter dare hiſce ſcriptoribus Eccleſiaſticis quantulumcunque temporis poſſum civilibus legum ſtudiis detrahere, tamen magis feſtinabat, quàm ut conquiri omnia auxilia poſſent, quæ Optatum in integrum reſtituerent. Itaque reſpondi, hunc ſcriptorem quidem digniſſimum eſſe, qui diligentius recognoſceretur, ſed me hoc tempore tantum conferre poſſe ſexcentorum in eo locorum emendationem: cujus quidem maximam partem repetii ex manuſcripto exemplari, quod mihi utendum aliquando dedit vir doctiſſ. Claudius Eſpencæus Theologus Pariſienſis. Etſi autem non neſcirem non multo pauciores ſupereſſe locos, qui magna mendi ſuſpicione laborant, ſed ſanari ſine auxilio veteris libri, vix ac ne vix quidem poſſent: & propterea Optatum optimùm maximum dare, ſicuti optabam, non poſſem: tamen interea non recuſavi multò meliorem, quàm hactenus fuit, edi, potius quam, qualis anteà planè inquinatus fuerat, idem recuderetur. Speraveram quidem certè acceſſurum alterum emendationis præſidium ex codice Joannis Tilii Epiſcopi Brioœnſis ut veterum librorum, ſic antiquitatum Eccleſiaſticarum ſtudioſiſſimi. Sed quod jam propter abſentiam doctiſſimi antiſtitis præſtari non potuit, altera fortè editio poſtea præſtabit.

Equidem diſſimulare nec poſſum nec volo ſingulari quadam obſervantia me affici erga Africanos veteris Eccleſiæ doctores, quos de ea tam præclarè meritos, & quidem, aliis veluti deficientibus ſcriptoribus Latinis, tam illi fideliter fortiterque ſuccenturiatos eſſe ſentio. Memini

cùm ante aliquot annos Minucium ederem, quem cum Tertulliano, Cypriano, Arnobio conferebam, laudaſſe me propterea, fecundam illam felicemque Africam, quæ ut ſemper (ſic enim eo tempore ſcripſi) aliquid novi proferre olim dicebatur, ſic etiam religionis noſtræ vindices & patronos doctiſſimos acerrimoſque protulit. Nam & ex ea prodibant hoſtes minimè ignavi. Quale Eccleſiæ bellum indixerit, quantumque incendium accenderit unus Donatus Numida, teſtes ſunt flammæ factionis Donatianę. Quid futurum erat, ſi ad eas extinguendas eadem regio non emiſiſſet vel Optatum noſtrum in Numidia Milevitanum Epiſcopum, vel ipſum paulo pòſt Auguſtinum: illa dico duo lumina Eccleſiæ, & adverſus hoſtes pietatis duo fulmina ſanctiſſimi belli? Magnum profectò religionis præſidium fuit Milevitanum Concilium, cui & Auguſtinus interfuit. Sed paulò antè Eccleſia Milevitana dederat Eccleſiæ Catholicæ magnum ſubſidium, cùm adverſus vim & inſidias Donatiſtarum ſuum Optatum dedit. Ac multos quidem iis temporibus in Africa fuiſſe Optatos legimus, valde alioqui diſſimiles. Nam & Auguſtinus in libris contra Parmenianum, ut meminit noſtri Optati, ſic & alterius cujuſdam, qui Donatum ſequebatur: utque in Bagaienſi conventu Donatiſtarum, inter eorum antiſtites nominatur quidam Optatus: ſic in Cirtenſi Synodo Catholicorum cum ipſo quoque Auguſtino celebratur alius Optatus bonarum partium patronus. Et verò Auguſtinus librum de unitate Trinitatis contra Felicianum Arianum ſcripſit ad Optatum, quem etiam vocat filium dilectiſſimum.

Alius ergo fuit noſter, & multo ſenior. Sed neque quicquam habuit commune cum illo Optato Gildoniano, cujus frequenter meminit Auguſtinus. Ac ne quidem eundem fuiſſe illum puto, quem Athanaſius laudat, & in Tyria Synodo defenſorem ſuum fuiſſe ſignificat. Nam Ægyptium Epiſcopum fuiſſe ait. Quo tempore noſter floruerit, liquet, cum Siricium Epiſcopum Rom. appellat ſuum ſocium. Hieronymus teſtis eſt hos eum libros ſcripſiſſe Imperantibus Valente & Valentiniano. Potuiſſet dicere, Theodoſio. Multum autem intereſt ſcire, quo quis tempore aliquid ſcripſerit, pręſertim ubi de controverſiis eccleſiaſticis queritur. Parmenianum, quem oppugnat Optatus, fuiſſe Donati ſucceſſorem, non illius Donati Caſenſis, qui Cæcilianum vexare cœpit, ſed alterius non minus inſani Donati Carthaginenſis, qui ſucceſſerat illi Majorino, quem prior Donatus, ut Cæcilianum percelleret, ordinaverat Epiſcopum Carthaginenſem, ex Auguſtino didicimus. Parmeniani autem Epiſtolam, cui reſpondet Optatus, ſcriptam fuiſſe ad Ticonium hominem eruditum & eloquentem, qui non ſatis alioqui Donatiſta eſſe videbatur, idem Auguſtinus ſignificat: qui & poſtea adverſus eam Parmeniani epiſtolam libros tres ſcripſit. Optatum verò noſtrum ſcripſiſſe libros ſex ait Hyeronimus. Scio circumferri quendam ſeptimum. Sed ipſe Optatus non obſcure profitetur non niſi ſex abs ſe eſſe ſcriptos: ubi & ſingulorum argumentum non ineleganter præmonſtrat. Pollicetur ſeſe adjecturum quędam acta. Sed hanc appendicem non invenio. Libri primi pręcipua quoque capita Auguſtinus perſtrinxit libro primo contra Parmen. Legant qui volunt (inquit) quę narrat, & quibus documentis quàm multa perſuadeat, venerabilis memorię Mileviranus Epiſcopus catholicę communionis Optatus ſive de Lucilla pecunioſiſſima tunc & factioſiſſima fœmina, quam pro Eccleſię diſciplina S. Cæcilianus adhuc Diaconus lęſerat: vel de cęteris factionis ejus conſortibus, ſive furibus Eccleſiaſtici argenti, ſive ad

Epiſcopatum ſe non perveniſſe dolentibus, & ſibi prælatum Cæcilianum inſidiis, quibus poterant, inſectantibus, ſive de Numidis Epiſcopis, quos iſta factio convocaverat ad perniciem Cæciliani, ut eo depoſito alter ordinaretur. Hæc ille. Quæ tanto lubentius nunc recitavi, quia in iis dicatur noſter Optatus communionis catholicæ. Ergo licet ad Cypriani & eorum, qui illi ſuffragati aliquando ſunt, ſententiam de baptiſmo hæreticorum videatur acceſſiſſe, quam poſtea Auguſtinus & damnavit, & damnandam eſſe oſtendit: tamen permanſit in Catholica, in qua & Cyprianus, Eccleſia. Non enim Veteres aut leviter aut facile (quod nunc nimis temere & moroſe, atque odioſe, ne dicam calumnioſe, plerunque fit) alicui aut inurebant, aut aſpergebant hæreſeos atram & gravem notam, ut aliquem ſtatim abdicarent Eccleſiæ communione.

Non dicam Optatum locos ſacræ ſcripturæ aut valde appoſite ſemper allegare, aut nunquam inflectêre vel detorquere. Fatebor potius iis perſæpe abuti imperitè. Vetus eſt illud, Bene dicit, ſed non bene probat. Sic ſententia vera manebit, tametſi ad eam confirmandam falſa interdum adhibeatur probatio. Nihil aut putidius aut ineptius dici potuit, quàm quod Parmenianus ad reprobandum Catholicorum baptiſmum allegabat illud Davidis, Oleum peccatoris non unget caput meum. Nihil erat facilius, quàm loco inſpecto & prolata interpretatione vera tam inſulſam indocti nugatoris fatuitatem irridendo refellere. Quaſi tamen ad rem aliquid dixiſſet, ſudat Optatus, & fruſtra ſe torquet, ut excudat aliquod reſponſum: idque dat, quod non minus abs Davide eſt alienum. Fuerit ſane illa infelicium temporum miſera caligo: & noſtræ ætati, ſi plus illi affulſerit lucis, gratulemur. Interea tamen, qui recti judicii ſunt, agnoſcere in hoc ſcriptore poſſunt; quod & in aliis Afris ſcriptoribus admiramur, vehemens, acre, denſum & nervoſum ſive dicendi ſive diſputandi genus, præſertim ſi in perſonam agendum ſit. Scriptorem quidem certe hunc oportet propter bonæ & ſinceræ in narrationibus fidei opinionem, magnæ auctoritatis ſtatim fuiſſe, cum etiam ipſi Donatiſtæ, quos alioqui acerrime inſectatur, viciſſe ſe putarent, ſi ejus teſtimonio uti aliquando poſſent. Sic enim quod fingebant atque fabulabantur de ſuo Donato abſoluto & Cæciliano damnato, conati ſunt (tametſi id facerent non minus impudenti, quàm perfidioſa calumnia) Optati noſtri verbis captioſe confirmare. Itaque (inquit Auguſtinus in breviculo collationum cum Donatiſtis) velut aliquid validiſſimum prolaturi, petierunt Optatum legi: quod & antea petierant: & lectus eſt locus Optati, quem Donatiſtæ prætexebant. De ejus ſententia quæſtio fuit. Catholici non tam admirantes, quàm irridentes inſaniam adverſariorum, rogarunt ut integer Optatus legeretur, qui unus Donatiſtarum mendacia apertiſſime refellere poterat. Sic hujus unius ſcriptoris teſtimonio definita lis illa fuit. Oportet (iterum dico) magnum & maximæ auctoritatis dignitatiſque teſtem fuiſſe, quem Donatiſtæ (qui nihil non alioqui audebant) non auſi ſunt recuſare, cum tamen ab eo jugulari ſe ſentirent: imo vero calumniæ & falſi damnari maluerunt, quàm ei fidem non habere videri. Equidem non inſtituo pluribus verbis exponere quantum utilitatis ex hiſce Optati libris ad Eccleſiam redire poſſit. Sed illud modo dico: tametſi ſola in iis hiſtoria ſurgentis atque invaleſcentis Donatianæ ſectæ factioniſque extaret, valde eos non modo olim fuiſſe, ſed etiamnum eſſe utiles Reipub. Chriſtianæ. Et verò ſi qua eſt hiſtoria, quam hac tempeſtate imprimis optare debeamus à mul-

tis legi atque cognoſci , hæc profectò una eſt, in qua & hujus temporis intemperiem prope depictam, & eorum certaminum, quibus orbis noſter concutitur , effigiem vivis coloribus expreſſam eſſe dixeris. Nolo nunc comparationem pertexere : quod non modo facere non poſſem ſine odioſa invidia, ſed ne quidem ſine acerbiſſimo dolore. Et fortaſſe intereſt nominis Chriſtiani , fœda illa opprobria, qualia hæc ætas videt, ſempiterna oblivione potius ſepeliri quàm ad poſteritatis memoriam tranſmitti. Sed illa licet nunc ſupprimantur, tamen neſcio quomodo & extare & legi videntur in Actis Donatiſtarum , totaque eorum terribili tragœdia : quæ abs ſcintilla vel fumo neſcio cujus ambitioſæ contentionis , in eas flammas exarſit , quæ non modo Africam univerſam pervaſerunt & funeſtiſſimo ſchiſmate permiſcuerunt , ſed & orbem Chriſtianum incendio longius graſſante implicuerunt annis pluſquam trecentis. Nam & temporibus Gregorii Pont. Rom. perdurаſſe cognoſcimus ex illius epiſtolis. Vix autem in Africa utcunque quieverat Donatiſtarum rabies: & ecce altera Vandalorum Arianorum inundavit , qualem deſcripſit Victor Uticenſis. Non fuero vates , ſi quæ noſtris temporibus impendeant, dixero. Jam enim & oculis cernuntur, & manibus tenentur. Sed quid ingratus orbis terrarum etiam mereatur, non ignoras. Itaque & te , cujus pios gemitus nuper audivi , in hac editione appellare volui : & ad te referre hoc teſtimonium meæ erga te obſervantiæ. Memini enim , nec unquam obliviſcar , cùm ſuperioribus diebus , auctore te , dixiſſem de jure civili in nova ſchola Belgica, converſum inter nos eſſe ſermonem ad recordationem veteris hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, deque hiſce literis ſtudiiſque idem tibi , quod mihi , viſum fuiſſe. Fecit hoc profectò non tam vel patria vel educatio vel amicitia communis , quàm ſimilis quædam cura Reipubl. Vale. Lutetiæ. Kal. Septemb.

al. Calvino.

JOANNI LUCANIO.

CUM hos Optati libros jam emiſſurus eſſet Librarius, admonuerunt me amici & familiares quidam mei non poſſe me ſine reprehenſione prætermittere quod obiter in ſecunda mea ad te reſponſione anno ſuperiori pollicitus eſſe videor , dicturum aliâs eſſe me , non poſſe ex hiſtoria judicii, quo Cæcilianus & Donatus conflictati ſunt , illud elici, quod tu (qui non optima fide rem tantam recitare videris) tanta confidentia colligis , & ego aliquando errantem ducem puerili quadam credulitate ſecutus in meos de Conſtantino commentarios retuli. Certè cùm error , qui latet , longiùs ſerpat & increſcat : nimium perfidioſa ſit diſſimulatio, quæ eum vel alii vel tegit, præſertim in quæſtionibus Eccleſiaſticis. Sic memini Petrum martyrem, hominem & doctum & diligentem , quia admonitus non fuit, eodem tuo errore impulſum, ex illa , de qua loquor, hiſtoria , dicere prætereà voluiſſe , principes eſſe religionis legitimos judices : quia (inquit) Conſtantinus abs ſe non rejecit provocationem Donatiſtarum à Miltiade Epiſcopo Ro. damnatorum : ſed negocium

Arelatenſi Epiſcopo commiſit. Eram Argentorati in ejus domo, cùm talia ſcriberet in librum Judicum. Sed non aderat Optatus, qui ſuo teſtimonio & auctoritate depelleret nebulas falſæ opinionis, illi hiſtoriæ veluti incubantes. Ac principio quidem ſcio mirari multos, quî fiat, ut cùm Optatus & Auguſtinus hanc hiſtoriam recitantes nihilominus attollant πρεσβεῖα veteris Eccleſiæ Ro. tamen hoc tempore te & tuos ex eadem hiſtoria velle illa deprimere, vel etiam evertere: & quidem te in illius recitatione, potuiſſe laudare epiſtolam Auguſtini centeſimam ſexageſimam ſecundam, quæ ut verè narrat, quod quærimus, ſic addit de Eccleſia Ro. quod negas. Oportet autem, magni cujuſdam (ut ita loquar) præjudicii fuiſſe illud judicium, de cujus actis eorumque veritate tam valde deinde litigatum eſt. In ea quidem certe aſſerenda atque adverſus Donatiſtarum calumnias defendenda potiſſimum elaborarunt Optatus & Auguſtinus: quo magis indigne ferendum eſſet nunc eam rurſùs depravari: tametſi in ea recitanda falli aliquem, minus mirabor, quia meminerim ipſius quoque Auguſtini, cùm ederet commentarios probationum & teſtimoniorum contra Donatiſtas, fuiſſe aliquod μνημονικὸν ἁμάρτημα, quod & in ſuis Retractationum libris confeſſus eſt. Dicam breviter, quod verius eſſe exiſtimo, non ut te doceam (qui enim poſſet ſus Minervam?) ſed ut ex Optato, ea in re aliquid didiciſſe me fatear, quod in tua ſchola [illegible] non potueram. Ac imprimis quidem liquere arbitror Cæcilianum in ſynodo quadam Carthaginenſi inique damnatum, cùm abſens eſſet, non tamen appellaſſe Conſtantinum. Imo verò Donatiſtas per Anulinum quendam, hominem impium, curaſſe, ut cauſa hæc ad Conſtantinum, qui paulò antè in Italia Maxentium oppreſſerat, referretur. Credo diffidentes judicio Epiſcoporum Afrorum, quod in abſentem potius quàm contumacem iniquè prolatum erat, voluiſſe Imperatoris ſententia quam non minus facile elicere ſe poſſe confidebant, illud confirmari. Sed cum odioſum & in cauſis Eccleſiaſticis inſolens hoc exemplum, quo Principibus talis juriſdictio deferebatur, eſſe ſentirent, impudenter cavillati ſunt factum eſſe ab ipſo Cæciliano, quod ipſi fecerant. Atque hæc una facti quæſtio eſt inter Optatum noſtrum & Parmenianum. Sed Donatiſtas commiſiſſe quod Cæciliano invidioſe adſcribebant, hoc eſt, abs Conſtantino petiiſſe judices, liquide probat Optatus, cum profert eorum libellum oblatum Conſtantino. Simul autem addit (quod ſecundo loco mecum, velim, obſerves) Conſtantini, quodam veluti pudore, ab hujus cauſæ cognitione abhorrentis, & eam, quantum poteſt, recuſantis, atque rejicientis reſponſum: *Petitis à me in ſeculo judicium, cum ego ipſe Chriſti judicium expectem.* Ergo optimus Imperator proteſtatur, non eſſe hanc cauſam aut ſui fori, aut ſuæ juriſdictionis: ſicuti rurſus fecit in ſynodo Nicæna, cum Epiſcopi inter ſe litigantes ſuos illi obtuliſſent libellos. Ergo cauſam Cæciliani & Donati rejicit id judicium Eccleſiaſticum, cui jure ſuo præeſſet Miltiades Epiſcopus Ro. quem tamen tu non niſi ex mandato principis, Iudicem fuiſſe narras. An igitur eum dicemus vice ſacra judicaſſe, ut leges eo tempore loquebantur? Addis, Judices abs Conſtantino datos non modo ex Italia & Gallia: ſed etiam ex Hiſpania. Cur addis, ex Hiſpania? Nam non memini, alios fuiſſe quàm Italiæ & Galliæ Epiſcopos. Etſi enim Auguſtinus referat, quod dicebat Parmenianus, per Oſium Hiſpanum, adjutorium (ut ait) præſtitum eſſe Cæciliano: tamen illum hujus judicem fuiſſe non dicit. Non dubitabatur de Miltiade

Epiſcopo Ro. Sed Donatiſtæ judices habere volebant ex Gallia. Optatus narrat datos eſſe tres ex Gallia, quindecim ex Italia præter Miltiadem, qui Afer erat, ſed erat Romanus antiſtes. Jam verò tertio loco diligenter nota, quod Optatus inter illos Gallos numerat Marinum Arelatenſem Epiſcopum: eumque ſignificat veniſſe Romam, ut Miltiadi adeſſet. Hoc enim illud potiſſimum eſt, quod te fefellit, Pace tua & bona gratia ita loquar, quia libere & familiariter tecum loqui ſolitus ſum. Contendis in hac cauſa Arelatenſem fuiſſe Romano ſuperiorem. Primum hoc inſolens & inauditum eſt. Certe Cyprianus Afer, quamvis minime blandiatur Stephano Epiſcopo Ro. tamen illius eſſe ait poteſtatem caſtigandi abdicandique Martiani Arelatenſis Epiſcopi. Nunc homo Gallus probare vult Arelatenſem eſſe judicem ipſius Romani. Sed probationem audiamus. Ais Donatum à Miltiade damnatum provocaſſe, Conſtantinumque hujus appellationis judicium demandaſſe Epiſcopo Arelatenſi, qui ſedeat judex, ut poſt Romanum Pont. quod viſum fuerit, pronunciet: Ita ne verò? Quid ſupereſt, quàm ut Arelatenſem colloces ſupra ſolium ipſius quoque Conſtantini, qui in antiquis inſcriptionibus appellatur etiam Pont. Max. Atqui ut te refellit Optatus, cum affirmat Arelatenſem Epiſcopum in priori judicio adfuiſſe atque aſſediſſe Miltiadi: ſic rurſus alterum figmentum evertit, cùm narrat, Conſtantinum appellatum iterum abs ſe rejeciſſe cognitionem hujus cauſæ: & quidem deteſtantem hoc genus furioſæ provocationis, exclamaſſe, *O rabida furoris audacia* &c. Sic enim & in manuſcripta epiſtola Conſtantini, in qua rurſus hæc hiſtoria narratur, ſcriptum eſt: & ad majorem deteſtationem adjicitur, abs cæleſti judicio ad terrenum appellationem hanc interpoſitam videri. Itaque & ex ea potiſſimum epiſtola reſtitui & caſtigavi hunc Optati locum, qui corruptus alioqui & mendoſus erat: cognovique repudiandam eſſe emendationem eruditi & ingenioſi Juriſconſulti, qui cum pro *O rabida*, in quibuſdam libris *orbita*, in aliis *arbita* legi animadvertiſſet, acute conjecit notas eſſe antiquæ formulæ, quæ ſignificarent, *à re bene iudicata temere appellaſti*. Sed ſi dicere non poſſumus tunc Conſtantinum de hac appellatione cognoviſſe atque judicaſſe: quorſum ei aſcriberemus formulam ſententiæ, qua pronunciaret injuſte eſſe appellatum? Certe cum poſtea tandem coactus eſt judicare, longe aliis eum verbis uſum eſſe Auguſtinus teſtis eſt. Optatus quidem non meminit aliorum judicum iterum datorum. Sed nihilominus exultas, quia (ut ais) Conſtantinus Arelatenſi Epiſcopo demandavit judicium hujus appellationis. Ita ne vero? Atqui hic Arelatenſis jam antea judex fuerat cum Miltiade? An ab eodem idem appellatur? an qui judicavit, iterum erit judex appellationis? Quid noſtras leges opponam? Ipſe ſenſus communis tale portentum refellit. At Auguſtinum teſtem citas. Accipio: Quid ille? In illa ipſa, quam laudas, epiſtola, tantum ait Conſtantinum curaſſe apud Arelatum eandem cauſam examinandam atque terminandam: & dediſſe (ſic enim loquitur) aliud judicium Arelatenſe, aliorum Epiſcoporum: non quia jam neceſſe erat, ſed Donatiſtarum perverſitatibus cedentem, & omnimodo cupientem tantam impudentiam cohibere. Ex his certe verbis Auguſtini intelligo Conſtantinum importunitati Donatiſtarum extra ordinem conceſſiſſe, quod juris ordinarii fuiſſe videri vis: & tamen cum aliorum Epiſcoporum judicium eſſe audis, illud non fuiſſe Epiſcopi Arelatenſis colligere debueras. Quid igitur? Convenerat Arelati Synodus complurium Epiſcoporum, ut de multis

cauſis Eccleſiaſticis judicaret. Inter quos pleriqueetiam erant, qui antea cum Miltiade Romæ judicarant de Donato. Conſtantinus hac occaſione uſus, ut nihil non faceret ad contundendam Donatiſtarum pervicaciam, non recuſavit eos iterum audiri in tali Synodo. Cur miraris Miltiadem hoc non nolle? Imo verò cur affirmas Epiſcopum Arelatenſem, qui jam de ea cauſa Romæ judicarat, eſſe judicem appellationis? Cur non potius agnoſcis talem cognitionem relictam aliis Epiſcopis fuiſſe, qui Romæ cum Miltiade antea non judicarant, ſicuti conſtat plurimos alios Arelatum conveniſſe ἐκ διαφόρων καὶ ἀμυθήτων τόπων, ut inquit ipſe Conſtantinus in ſua Epiſtola ad Chreſtum Epiſcopum Syracuſanum, qua eum ex Sicilia evocat ad hunc conventum. Mea quidem certe, ut ſcis, privatim nihil intereſt, Romanus Arelatenſi, an Arelatenſis Romano major ſit vel olim fuerit. Verum ne profanas quidem hiſtorias aſperſis mendaciis inquinari homo ingenuus æquo animo ferat. Saltem legiſſes, quæ nuper nactus ſum, Acta illius Synodi Arelatenſis. Nam in iis legiſſes Epiſcoporum epiſtolam ad Sylveſtrum Miltiadis interea defuncti ſucceſſorem: ex qua facile intellexiſſes, quàm illi ſeſe non efferrent ſupra antiſtitem urbis: Imo verò quàm nihil non illi deferrent: ſimul etiam quàm valde voluiſſent, ille ut iis Arelati præſidere potuiſſet, ſi Roma diſcedere eo tempore potuiſſet. Denique intellexiſſes illos conveniſſe non propter unum Donatum. Mirum autem, te non addidiſſe, etſi Cæcilianus ab iis rurſus abſolutus fuerit, non tamen quieviſſe Donatiſtas, qui non alium quàm Conſtantinum accipere judicem volebant: ita quidem, ut Conſtantinus, qui hactenus hoc judicium abs ſe rejecerat ad Epiſcopos, tandem id ſuſceperit. Sed extraordinarium hoc exemplum fuiſſe, quod (ut noſtri loquuntur) ad conſequentiam trahi non poſſit, negare non poſſes: neque ferendus ſit, qui propterea diceret Conſtantinum in cauſis Eccleſiaſticis ſuperiorem fuiſſe & Epiſcopis & Conciliis. Imo verò ipſe ingenue proteſtatus eſt, ſeſe in iis multo eſſe inferiorem, & hanc à principio deteſtatus eſt appellationem, & interea ſi cognitionem ſuſcipere tandem coactus eſt, ita ſuſcepit, ut poſtea à ſanctis antiſtitibus veniam petiturus, ſicuti Auguſtinus ait. Neque tamen novum fuiſſet, ſi non recuſaſſet cognoſcere de ea ſaltem quæſtione facti, quæ in ea quoque cauſa ſuberat. Nam & quam Æliano Proconſuli mandavit, jure ſuo poterat ſuſcipere. Quærebatur an Felix, qui ordinaverat Cæcilianum, vel ipſe quoque Cæcilianus, fuiſſet Traditor, ut tunc loquebatur: hoc eſt, an Diocletiani, qui edixerat abolendas eſſe ſacras literas Chriſtianorum, ſatellitibus atque inquiſitoribus tradidiſſet earum codices ſacroſanctos. Quicunque tandem ſit judex ejus quæſtionis, nihil detrahit juriſdictioni Eccleſiaſticæ.

Quia hiſtoriam non ſcribo, ſed breviter tantum illud indico, quod non ſatis videbaris obſervaſſe in hac hiſtoria, nune non immoror. Nam & de appellationibus Eccleſiaſticis, an quod Sardicenſis Synodus decrevit, decreverit antea quoque Nicæna (quod olim dubitatum in Africa fuit, & tu negas, Athanaſius verò affirmat) & quænam tranſmarinæ provocationes Milevitano Concilio inhibitæ ſint, quæremus aliàs, cùm voles. Sunt enim tales quæſtiones hiſtoricæ & non odioſæ; & abs jure civili non abhorrent, non ſecus atque ſi dicendum ſit, olim quidem ex Africa in cauſis civilibus appellatum Præfectum Prætorio Italiæ fuiſſe: noſtrum verò Juſtinianum Africam ab hac Præfectura Prætoriana Italiæ exemiſſe, eique propriam Præfecturam dediſſe, ſub cujus diſpoſitione fuit

etiam Numidia & Byzacium: Byzacium dico, quod & Plinius in Africæ regionibus numerat, & à Donatiſtis inquinatum fuiſſe indicat Auguſtinus, qui Donatiſtarum Byzacenorum meminit in lib. de Unit. Eccleſ. & Epiphanius: quanquam apud hunc vox illa corrupta ſit: ut & nuper Librarius quidam tuus ex iſto Byzacio effecit Byzantium.

Non inſtitueram plura, ne tam multa quidem, nunc ad te ſcribere vir doctiſſime. Sed tam es nuper de me meritus bene, ut non poſſim non aliquam gratiam referre: neque tamen aliam nunc poſſum, quàm ſi quid tales hiſtorias relegens prætetea forte obſervarim, quod non neſcite, tua interſit, id familiariter ad te referam. Nec longe abiero. Et ſi Nicæni Concilii magis quàm illius Arelatenſis acta legiſſe te ſciam: tamen miror tantò magis te ſcribere, idque in tua etiamnum Inſtitutione, Athanaſium in eo Concilio præſediſſe: teque proptetea etiam rurſus inſultare Epiſcopo Ro. Scis mea non intereſſe, verum ſit aut non ſit, quod narras. Sed Athanaſium tunc valdè adoleſcentem & tantum fuiſſe Diaconum omnes hiſtoriæ narrant. Quale verò tandem tu nobis Concilium componis, in quo ante omnes Epiſcopos, atque Archiepiſcopos ſedeat, cuique etiam præſideat adoleſcens Diaconus? Et cur eum præponis ſuo Epiſcopo Alexandrino? Non minus inſolens eſt, quod eodem loco narras, ejus quidem Concilii decreto, primum inter patriarchas locum Epiſcopo Ro. tributum eſſe, ſed ejus tamen legatos in conſeſſu eſſe rejectos in quartum locum. Sed & novum illud eſt, quod ipſa Synodus ait fuiſſe ἀρχαῖον ἔθος τῷ Συνόδῳ abs te dici, non niſi ab ea decretum eſſe. Prætereo quod non meliori fide narras decretum in ea fuiſſe ex ſententia Paphnutii de conjugio vel celibatu miniſtrorum. Sed diſſimulare non poſſum, quod tacere non debeo. Quid de Arrio jam olim ſcripſerim in meo Conſtantino, non ignoras, & tamen alienum libellum exagitans non erubuiſti mihi improbe aſcribere atque affingere neſcio quod patrocinium ejus impietatis. Ut autem ſentias te cæca quadam vertigine raptum tunc eſſe, relege, quod ſimul affingis dictum eſſe, Arrianos negaſſe τὸν λόγον apud Joannem ſignificare hypoſtaſim vel perſonam? Quis hoc umquam præter te dixit? Certe Epiſcopus Alexandrinus Nicææ, Arrianis objecit primum illud caput Joannis, cum quereretur non quidem quid λόγος ſignificaret, ſed quid ſibi vellent hæc verba ἐν ἀρχῇ. Ergo non erat hujus tuæ tam excellentis doctrinæ, imperite confundere dogma Pauli Samoſateni & Arrii. Sed quid, non cum vis, permiſces? Non dubitas in tua etiamnum Inſtitutione ſcribere, poſt Arrium ſutrexiſſe Sabellium. Adeo in hiſtoria, in qua princeps videri vis, hoſpes & peregrinus es. Dices indoctum eſſe noſtrum Optatum. At ille ſaltem docere te poſſet, Sabellium multò ante Arrium fuiſſe, & quod de Sabellio dixiſti, debuiſſe te potius dicere de Photino, quem ſui temporis hæreticum vocat. Age verò: ſunt hæc tantum Chronologica: quæ contemnere te dices occupatum theologicis. At noſtrum non eſt te aliis de rebus admonere. Non poſſum tamen omnia ſupprimere. Sæpe miratus ſum, cur Symbolum illud, proptet quod hactenus tam valde laudata eſt Nicæna Synodus, & quod propter illam tam valde quoque laudatum eſt, neges eſſe Nicænum. Meminiſti credo, cùm ſuperioribus annis miniſtro cuidam tuo & collegæ dictares honoris tui defenſionem adverſus Pettum Carolum, tuum quondam collegam, qui te Arrianiſmi inſimulabat, meminiſti (inquam) qualem volueris edi confeſſionem tuam. Nam non ſolum confitetis negaſſe te illam formulam abs Synodo

nodo Nicæna profectam eſſe, ſed & dixiſſe, videri potius battologicum carmen, quod ad cantillandum tantum ſit aptum. Duo profecto hîc ſunt magna peccata magnæ audaciæ, & periculoſi exempli. Eſſe Symbolum hoc Nicænum, tam certum eſt, quàm eſt certum fuiſſe aliquod Concilium Nicænum. Teſtes magni ſunt Athanaſius, Hilarius, Epiphanius, Nazanzenus, Baſilius, Theodoritus, Socrates, qui recitant hanc formulam ex illo Concilio: quibus cur non credas, neſcio. Dicere autem battologicam eſſe & ludicram cantilenam, quam religioſa illa antiquitas judicavit gravem & divinam eſſe formulam de tanto myſterio, an non ipſe, ſi de alio judicares, diceres eſſe blaſphemiam? Bene habet. Edita iſtic non ſine tuo (ut arbitror) privilegio jam ſæpius eſt neſcio quæ farrago de ſtatu Eccleſiæ, quam tuus Librarius mirifice prædicat, prope ut florem Eccleſiaſticæ hiſtoriæ. Etſi conſuta ſit alioqui ex putidis fabulis & nugis: tamen illud bona ſaltem fide facit, quod formulam, quam dixi, referat inter acta Nicæni Concilii. Verum talem alioqui admiſcet fecem mendaciorum ex neſcio quibus lacunis hauſtam, ut mirari ſatis non poſſim, tibi jampridem talem ſentinam male non olere. Si aliunde prodiret, minus fortaſſe mirarer, & noceret fortaſſe minus. Sed quod iſtinc prodiit, quia non niſi auctore te prodire creditur, & miror & doleo tam impuris næniis eſſe refertum. Quid? Perquirens ea quæ ad Optati de baptiſmo diſputationem pertinent, miratus etiam ſum audaciam illius farraginis, quæ confidenter pronuntiat manifeſtum eſſe errorem Concilii Nicæni decernentis Pauliamiſtas eſſe rebaptizandos. Atqui longè aliter Auguſtinus, qui alioqui unus acerrimè de unico baptiſmo dimicavit. In lib. de hæreſib. Paulianos (inquit) baptizandos eſſe in Eccleſia catholica Nicæno concilio conſtitutum eſt. Unde credendum eſt, eos regulam baptiſmatis non tenere, quam ſecum multi hæretici, cùm de catholica diſcederent, abſtulerunt & obſervant.

Ut Optatus noſter fecit, diligentius ut cogitarem de hiſtoria Donatiſtarum, ſic etiam neſcio quo modo nunc facit, ut tibi, vir optatiſſime, tuiſque criminationibus iterum reſpondeam, & multa, quamvis fortaſſe tibi moleſta, quia tamen occurrunt, non omnino negligam. De calumniatoribus commentarium ex legibus & noſtro jure civili breviter repetitum aliquando ad te repente dare, importuna quadam tuâ & contumelioſâ calumnia coactus fui. Quod in eo commentario non modo tui, ſed & Donatiſtarum mentionem fecerim, credo, agnoſcis non temere factum eſſe. Sed ſatisfactionis loco, reſpondiſti illud noſtrum reſponſum, frigidam eſſe rapſodiam. Fateor aſperius aliquid & vehementius dici potuiſſe. Sed videbam in ſimili cauſa tali moderatione contentos fuiſſe Optatum & Auguſtinum. Optatus, livore (inquit) interveniente facile eſt iratis jactare convitium: ſed ſemper dum intenditur crimen, neceſſaria eſt manifeſta probatio. Auguſtinus contra Petilianum. Sine teſte (inquit) & ſine ullo documento crimen objiciens, maledicus potius conviciator, quàm veridicus accuſatòr exiſtit. Et in alio contra eundem libro, Quid (inquit) antè clamas quàm probas? Tu in magna ſermonis latitudine uno breviſſimo verbo, quod dicitur *Proba*, in arctiſſimas coarctaris anguſtias. Equidem hanc ego brevem præſcriptionem ſatis eſſe puto, ut refellam quicquid calumnioſe adverſus me effutiiſti: & neſcio quî fiat, ut legens quod reſponſum olim Donatiſtis fuit, videar habere quod totidem verbis tibi reſpondeam. Sic commentarium illum meum, ſi voluiſſem, facile

ĕ

auxiſſem. Sed miſſa hæc faciamus, quæ facti ſunt, & quidem privati. Nam & parum Reip. intereſt, quid de me vel de te ſtatuatur. Sed neque aut me cum Cęciliano, aut te cum Donato comparo. Nimium eſſem ineptus, ſi vel hoc cogitarem, neo eſſem ferendus. Cæterum longe alia & multò major, ut olim acta eſt, ſic nunc agitur, cauſa: in qua & juris maxima quæſtio ſit. Sane Auguſtinus in Retractationibus ſcribit, in ſuis contra Parmenianum libris, quæſtionem magnam verſari & ſolvi, utrum in unitate & eorundem communione Sacramentorum, mali contaminent bonos. Sed & altera non minor fuit, an Sacramenta penderent ex dignitate miniſtri? & An baptiſmus ab indignis adminiſtratus eſſet nullus? &, An propter eorum indignitatem Eccleſia Chriſti eſſe defineret, quæ iis uteretur? &, An Donatiſtæ aliquo jure Eccleſiam ſuis demum ſchiſmaticis ſynagogis incluſam eſſe contenderent? quæ tamen leviſſima & prope nulla occaſione ſeſe abs reliquo corpore diſtraxerant: Lis ergo magna eſt: & de re omnium maxima. & neſcio an non difficilior ſit ſchiſmatis, quàm hæreſeos curatio. Scripſit contra Petilianum Auguſtinus de unitate Eccleſiæ: ſcripſerat & antea Cyprianus. Nam qui ejus tractatus vulgo inſcribitur *de ſimplicitate prælatorum*, ego, cùm Tridenti eſſem, didici eſſe inſcribendum *de unitate Eccleſiæ*: idque ex libro manuſcripto in Apulia reperto, Antonii Auguſtini Juriſconſulti & Epiſcopi. Sed ne talium quidem arbitrorum judicia conſiliave reſtituent nobis, quam optamus, [illegible], niſi ſi Deus ipſe animos hominum conciliet: in quibus potius quàm in rebus ipſis, eſt diſtractio. Habuit Africa ſuum Catholicum, hoc eſt, procuratorem Cęſaris ſive fiſci (ſic enim appellabatur.) Atque is quidem etiam aliquando Donatiſtas conciliare cum Eccleſia Catholica conatus eſt. Sed nihil egit. Quęritur etiamnum idoneus judex totius controverſiæ. Verum bene habet. Spero me tibi rem gratiſſimam facturum eſſe, cum in hiſce litibus laudo legem & formulam judicii, quod noſter Optatus dat, exemplo quodam juris civilis, ad cauſas Eccleſiaſticas elegantiſſime tranſlato. Quod igitur de teſtamento dicit libro v. tibi confirmo, mirifice mihi placere: tametſi locum, quem ex Evangelio Joannis recitat, alienum eſſe à propoſita quæſtione de baptiſmo, tibi concedam. Sed quod ad theſin attinet, tametſi ea ſola in Optati libris legeretur, digni propterea hi eſſent, qui hoc tempore in omnium manibus verſarentur. Neque dubito Auguſtinum hac juris noſtri tranſlatione delectatum, ad illum Optati locum alluſiſſe, cum adverſus Donatiſtas non agnoſcentes catholicam Eccleſiam per totum orbem terrarum diffuſam, non diſſimilia de teſtamento ſcriberet in Pſal. xxi. Sed rogo, an mihi etiam concédes, poſſe hîc dici quod aiunt leges de teſtamento militari, ſatis eſſe ſi quocunque modo conſtet de voluntate: neque nuncupationem ſine ſcriptura, ſi non deſint teſtes, rejicere poſſumus: & denique fidei commiſſorum ſuum eſſe jus ſcimus. Quorſum hæc? Quia cum de baptiſmo diſputat Auguſtinus contra Donatiſtas, contendit ex uſu & conſenſu & teſtimonio Eccleſiæ recte probari, quædam eſſe mandata, præcepta, inſtituta Apoſtolica, quæ tamen ab ipſis Apoſtolis ſcripta non ſint. Vide obſecro, mi vir, quid tantus antiſtes, cui & tu aliquando tantum tribuis, ſcribat lib. iiij. de baptiſmo contra Donatiſtas. cap. vi. & capite xxiiij. & libro v. capite xxiij. & libro primo contra Creſconium cap. xxxiij. Hic verò tu mihi nuper terribilem dicam ſcripſiſti, litemque intendiſti [illegible]. & quod de iis non ſcripſeram,

ſcripſerunt autem veteris Eccleſiæ optimi antiſtites, ſic exagitaſti, ut tamen iis præteritis, me unum petere videreris. Liceat hoc ſane tibi novo tuo jure. Sed altera rurſus injuria eſt, quod ita in ea quæſtione omnia miſceas, ut nobis jam dubitantibus quid velis, prope indicas ſilentium: quia & hoc tibi licere putas, ut modo aias, modo neges. Non eſt mihi tantum ocii, ut omnia tua volumina revolvam, quibus multa plauſtra onerare poſſes: neque ſi eſſet, tam eo abuti valde vellem. Sed ex iis, quæ aliquando delibavi, ſi me non fallit memoria, videris mihi primum ſcripſiſſe, non repugnare te hujus generis traditionibus, quæ demonſtrarentur ex certo & perpetuo orthodoxorum conſenſu. Id enim Pygio concedis, cum adverſus eum agis de libero arbitrio. Poſtea cum ſcripſiſti in Epiſtolam ad Corinth. ſcripſiſti non negare te quin aliquæ fuerint Apoſtolorum traditiones non ſcriptæ, ſed non concedere fuiſſe doctrinæ partes: tantum autem pertinuiſſe ad ordinem & politiam: quibus verbis, credo, ritus & ceremonias etiam complecteris. Poſtremo cum adverſus me declamaſti, viſus es nullas omnino agnoſcere velle traditiones.

Quo teneam vultus mutantem Prothea nodo?

Non tam fuerunt (utor lubenter tuo verbo) verſipelles Donatiſtæ, cum de crimine traditionis (ut vòcabant) agerent, quàm tu cum de traditionis longe alio genere litigas. In utraque lite eſt prima quęſtio facti. Quod verò Auguſtinus in Collatione (ut vocabatur) toties abs Donatiſtis poſtulavit, ut certus aliquis cauſæ ſtatus, certumque judicium eſſet; id imprimis & quidem jure meo, abs te peto: quod reliquum eſt, pręſtabo. Sed quandiu mutas, & varie loqueris, neque tibi conſtas: nihil dico. Sic cum de ſacris literis quæritur, modo earum (ut vocatur) canone uteris, modo eum ut incertum & varium repudias. Nihil dico quod non extet in libris tuis. Sic antiquos Eccleſiæ ſcriptores modo laudas, modo proculcas. Imo verò in tua contra me declamatione ſcripſiſti nullam ex iis poſſe elici certitudinē doctrinæ Chriſtianæ. Deus bone, quid audio, cum iſtud audio? & quid illi dicent, ſi hoc nunc dici audiant? Jam quid dicemus, quod cum laudamus primam illam Eccleſiam, quæ ab Apoſtolis relicta ſuperſtes eſt: non modo ab aliis irridetur ut anus delira & ſuperſtitioſa, vel fatua aliqua Fauna, vel larvata Lamia: ſed etiam accuſatur prope ut officina falſitatis, impoſturæ, & fraudis: cum tamen ea ipſa ſit, à qua literas ſacras acceperimus, & cujus eas teſtimonio conſignatas atque communitas defendimus. Ecquo jam recidimus, ſi liceat eam doli mali inſimulare? Imo tu quo ruis, ſi eam facis ream? & quî ſtabis, ſi talem habes adverſariam? Id cum audis, iterum fortaſſe exclamabis & repetes, quod in tua contra me declamatione ſcripſiſti, nos ſpectrum antiquitatis objicere, ex quo mox prodigioſa ſcaturiat errorum omnium congeries: Nam (ut ais) ſi roges, quænam ſit vetuſtas, de qua loquimur, nos jactaturos inſulſas nænias, quæ ſub Ignatii & ſimilium nomine circunferuntur. Bona verba, here. Etſi non habeamus ſalem, qui in te eſt: tamen ſcis nos valde abhorrere ab inſulſis ſive næniis ſive ineptiis. Scis nos ſępe deteſtatos eſſe ψευδεπίγραφα: neque ignoras quàm fabulas oderim, qui noſtros etiam commentarios de hiſtoriæ inſtitutione legeris. Sed ut breve faciam: quod olim Sadoleto reſpondiſti, qui te hoſtem antiquæ Eccleſiæ eſſe dicebat, totidem in ſimili cauſa verbis tibi modeſtiſſimè reſpondebo: Hic non requiram, ut verè ac candidè nobiſcum agas (quod tamen philoſopho, nedum Chriſtiano, ſponte præſtandum erat) ſed rogabo tantum, ne

ẽ i

ad illiberalem uſque calumniandi licentiam deſcendas, quæ exiſtimationem tuam apud bonos & graves viros, nobis quoque tacentibus, vehementer læſura eſt. Scis hoc, mi Joannes, &, ſi inficiari pergis, faciam, ut te ſciviſſe, & callidè vafréque diſſimulaſſe omnes intelligant: nos bona fide ex optimis & caſtiſſimis monumentis repetere memoriam religioſæ vetuſtatis, quam commendamus. Miror autem quid tibi in mentem venerit, ut contra tuam conſcientiam mihi adſcriberes quod ais de Ignatio. Certè quædam ejus fragmenta in libris Euſebii & Theodoriti agnoſco & veneror. An etiam ea repudiabis? Nuper cum homo doctiſſimus tibi ex iis quippiam objeciſſet, quod ad Euchariſtiæ cauſam pertinebat: quia id te premebat, exclamaſti eſſe repetitum ex nugatoriis, quæ circunferuntur, epiſtolis. Atqui falſus es ô magiſter. Illud in iis non extat. Extat autem & recitatur in optimis libris Theodoriti. Utinam verò quod Ignatium ſcripſiſſe de Apoſtolorum traditionibus, teſtatur Euſebius, etiam extaret. Magnum adverſus tuas inficiationes præſidium optimæ teſtationis haberemus. Sed utut multa hujus generis monumenta interciderint: reliquias non peſſundabis, quæ te urgent. Quid? Utar tuo conſilio, ut conficiam quod volo. Nunc enim mihi in mentem venit, quod in eadem, ex qua paulo ante aliquot verba repetii, epiſtola aliquando legi. Tu quidem nuper, ut meam ſtultitiam irrideres, ſcripſiſti me puerum memoriter epiſtolam illam totam recitare potuiſſe. Non memini tam me aliquando felicis memoriæ fuiſſe, tamque ea pueriliter abuti voluiſſe. Sed p r ætatem licet ſim factus obliviosus: bene habet, non omnia tamen excidiſſe. Ergo venit in mentem, cum in ea epiſtola jactares te nihil aliud conari, quàm ut inſtauretur aliquando vetuſta illa Eccleſiæ facies, hæc te adjeciſſe: Statue tibi quæſo, ob oculos veterem illam Eccleſiæ faciem, qualem Chryſoſtomi & Baſilii ætate apud Græcos: Cypriani, Ambroſii, Auguſtini ſeculo, apud Latinos extitiſſe, ipſorum monumenta fidem faciunt. Sic tu olim. Ego qui hæc abs te ſerio dici putabam, propterea ad illa monumenta reſpexi, quibus, ut vides, nunc etiam Optati libros addo. Cum in talibus ſpeculis faciem illam mihi utcunque videre viſus ſum: equidem cohorrui, cum eam poſtea fœdatam atque inquinatam conſpexi: & ut Appelles ſi Venerem ſuam, aut ſi Protogenes Ialyſum illum ſuum, cœno oblitum aſpiceret, magnum acciperet dolorem: non dubitavi, Eccleſiæ veteris illos, quos laudaſti, doctores, ſi viverent, videre ſine magno dolore non poſſe talem deformitatem. Neque non in mentem venit in quos dici poſſet, quod Scipio Africanus laudans veterem illum verſiculum,

Moribus antiquis res ſtat Romana, viriſque.

& deplorans ſuæ Reip. ruinam, olim dicebat: noſtra (inquit) ætas cum Rempub. ſicut picturam accepiſſet egregiam, ſed evaneſcentem vetuſtate: non modo eam coloribus iiſdem, quibus fuerat, renovare neglexit, ſed ne id quidem curavit, ut formam ſaltem ejus & extrema tanquam lineamenta ſervaret. Cujus tanti mali non modo reddenda ratio nobis, ſed etiam tanquam reis capitis quodammodo dicenda cauſa eſt. Noſtris enim vitiis, non caſu aliquo, Rempub. verbo retinemus, reipſa verò jampridem amiſimus. Sic ille Romanus. Eodem te animo puer putabam Eccleſiæ ſeneſcentis deformitatem, rugas, ſquallorem, ſitum deplorare: & ſimul penicillum, ut priorem formam renovares, potiuſquam ſpongiam, qua extrema quoque ejus lineamenta deleres, accepiſſe. Nam & in eadem

epiſtola, cum indignè ferres te ab adverſario accuſari ut contemptorem Eccleſiæ veteris, exclamaſti, Jamne hoſtem antiquitatis eſſe dices, qui antiquæ pietatis ac ſanctimoniæ ſtudio, pręſenti rerum corruptione non contentus, quæ ſunt in Eccleſia diſſipata ac depravata, corrigere in melius, ac reſtituere in priſtinum nitorem molietur? Cum iſtud puer audivi, exiliens, fateor, exclamavi, Euge.

Verre pavimentum, nitidas oſtende columnas,
Arida cum tota deſcendat aranea tela.

Jam verò cum tu rerum potius, tuam modo, tuam, mi Calve, formam novam oſtentas, & ut ſola ſpectetur, deles inducisque veterem, & nobis iraſceris, qui bonæ antiquitatis plane oblivisci non poſſumus, & ad illam Eccleſiæ faciem, quæ fuerat ætate Baſilii, Chryſoſtomi, Optati, Ambroſii, Auguſtini, te revocamus, ut ad eam tu nos aliquando: an miraris, ſi is, quem ſua de te melior opinio fefellerit, dolet ſe deceptum eſſe? quanquam tu mecum etiam magis agas mala fide. Nam perſuadere nihilominus vis, te eodem ſcilicet antiquitatis ſtudio, quod prius jactabas, teneri: me verò inane modo ſpectrum objicere. Mirabiles ſunt hæ præſtigiæ. ut diſcutiantur, inquiſitio legitima inſtituatur. Sed tu eam perturbas tumultuando atque conviciando.

Projicis ampullas & ſeſquipedalia verba.

Sic ſolo crepitu abigis adverſarium. Atqui licet pueros terreas, hoc (ut tuo verbo utar) ſpuere eſt, non loqui. Etſi nihil magis alienum à mea profeſſione eſt, quàm litigare tecum: tamen age: cum me laceſcis, permitte, ut æqua conditione judicium bonæ fidei detur. Etſi ad conteſtationem minime comparata ſit imbecillitas mea, tamen faxo, ut intelligant, qui volent, te abs religioſa antiquitate longiùs abeſſe: neque ſemper bona fide, quicquid de illa recitas, recitare, ſive negligentia, ſive dolo id facias. Faxo etiam ut intelligas, eum, quem aliud agere improbe fingis, & ſerio & ſtudioſe & religioſe quærere verum: neque ullò odio partium diſtrahi: neque cùm unius vitium accuſat, alterius excuſare: ſed neque ſonoris tuis crepitaculis terreri. Detur audientia, in cujus nunc ſpem aliquam vocor: faxo, ut vel invitus videas eum, etſi hominem nihili eſſe clamites, tamen & extrema, quæ vitioſa ſunt, refugere, & medium, quod quidem integrum & rectum ſit, requirere: & quod Nazanzenus in his contentionibus dixit rudes agricolas in arbore, quæ diſtorta erat, dirigenda non ſatis obſervavere, cavere velle: & nihilominus, quæ hęc ętas rectiſſime correxit, tueri. Nimis ingratus eſſet, ſi non agnoſceret, quantam hoc tempore lucem Deus accenderit, quamque de religione multi pręclare meriti ſint. Sed rurſus nimis cęcus eſſet, ſi non videret ecquò interea alii ruant. Vetus eſt illud, quod & olim tuo gentili objectum lepidè fuiſſe narrat Cicero, *Nam claudicat?* Id in tuis quoque progreſſibus, obſervare me, ne moleſte feras. Ut Caſſandrum, cujus magis erant hæ partes, paſſus ſum priorem de ea re dicere, de qua tu, ut me & illum vexares, impotentiſſime declamaſti, ſic jampridem expecto, ecquid illius reſponſo tandem reſponſurus ſis. Sed iterum tibi ſpondeo, non defuturum bonæ cauſæ patrocinium, ſi pergas calumniari. Saltem mihi concedes, ut civiliter tecum agam, ubi video eſſe quæſtionem facti potiuſquam juris: qualem eſſe ſentio in iis, de quibus mecum litigas. Sic in conjecturali ſtatu cauſæ tantum mihi agendum erit de probationibus, de teſtimoniis, de fide inſtrumentorum. Non utar niſi opti-

mis, & authenticis. Si tu falſi exceptionem opponas, vide ne eo teipſum crimine implices, ſive temere jactes falſum eſſe nomen optimorum teſtium, qui citantur, ſive dicas eos mentiri, & reos ψευδομαρτυρίας quos non convincis, peragere ſine ulla probatione velis. Vide etiam, an tibi liceat contra regulas juris noſtri, ſemel abs te approbatos poſtea reprobas, & rurſus probas improbatos. Liceat hoc ſane, ubi de variis eorum & privatis opinionibus agitur: de quibus nunc non agimus. Sed cum de teſtimonio facti alicujus publici quæritur: quod teſtimonium qui dicit, ſi ſciens fallat, vir bonus non fiet, neque errore ſed dolo peccabit: vide quid futurum ſit, ſi quoties voles, religioſæ Antiquitati fidem detrahere velis. Interea patere, ut quod contra Manichæos aliquando ſcripſit Auguſtinus, nunc tibi in memoriam revocem. Conſequetur (inquit) omnium literarum ſumma perverſio, & omnium, qui memoriæ mandati ſunt, librorum abolitio, ſi quod tanta populorum religione roboratum eſt, tanta hominum & temporum conſenſione firmatum, in hanc dubitationem adducitur, ut ne hiſtoriæ quidem vulgaris fidem poſſit gravitatemque obtinere.

Redeo ad cauſam Donatiſtarum. En quætitur, an baptizati ab hæreticis, iterum in Eccleſia baptizandi ſint? Reſpondebis, non eſſe. Cur ita? Locum quendam de unica lotione ex Evangelio Joannis proferunt Optatus & Auguſtinus. Dices ad rem non pertinere. Quem Donatiſtæ objiciebant locum ex Actis Apoſtolorum, non pateris explicari adhibita diſputatione inter baptiſma Chriſti & Joannis: qualem diſtinctionem adhibent Optatus & Auguſtinus: tu verò eam repudians, mavis ſingulariter & novè interpretari in illo Actorum loco baptiſmum non ſignificare baptiſmum. Tandem tamen redis ad Auguſtinum de unico baptiſmo: & approbas conſuetudinem veterem, quam ille, licet aliquando interruptam, approbat. Rectè. Sed quo argumento? An qua ſive conjectura ſive ratiocinatione antiquiſſimam illam conſuetudinem refert ad tempora Apoſtolorum? Jam tibi non eſt integrum reclamare, niſi tibi ipſi repugnes: præſertim cum improbes, quod illi Cyprianus objecit. Hic autem ſi concedis, quod Auguſtino non negas: tametſi eo exemplo non utar, niſi in re minus dubia: teneo quod volo: dimittantur judices in conſilium. Ubi de facto conſtat, cauſam peregi, & dixi. Ne præterea mihi ſis moleſtus. Nam deinde recipiam, quas voles, bonas cautiones: ne qui hoc exemplo abutantur: ne fraus & præjudicium fiat veritati: ne veritas rerum, erroribus geſtorum vitietur: & ut ſpectetur non ſolum quid Romæ factum ſit, ſed etiam quid fieri debeat: denique ne facti & juris diſcrimen temere confundatur. Sunt hæ cautiones in noſtris quoque libris legum, quarum me oblitum eſſe, nunquam, velim, credas.

Quia licet conſulere (quod vetus Juriſconſultorum verbum eſt) & antiquæ familiaritatis jure quodam poſſum tecum agere liberius, nihil diſſimulabo. De Eccleſia certamen eſt cum Donatiſtis. Tu quas ſoleas tradere notas Eccleſiæ dignoſcendæ, meminiſti. Obſecro, mi Cenſor, an eæ ſatis notant & expungunt Donatiſtarum ſynagogas? Cur longè aliàs allegant Optatus & Auguſtinus? Et verò de iis quid ſentis? Tu cum de corpore quæſtio eſt, ais inſpiciendum eſſe caput. Rectè. Atqui Auguſtinus ait, ſibi quæſtionem cum Donatiſtis eſſe non de capite, ſed de corpore. lib. de unit. Eccleſ. cap. iiij. Ergo de capite convenit; & tamen controverſia de corpore eſt. Quid, ut hoc ſibi aſſerant, præterea dixiſſe Opta-

tum & Auguſtinum putas? & de talibus vindiciis quid ſtatuis? Quid (inquam) judicas, cum eos audis probare velle ſuam eſſe poſſeſſionem Eccleſiæ, ex perpetua quadam ſucceſſione: & quidem ad eam probandam contentos eſſe Romanorum ſaltem antiſtitum, cum quibus communicabant, jam inde (ut aiunt) ab Apoſtolis deſcendentium conſenſione, continuaque ſucceſſione, cujus ſeriem ex catalogo enumerant? Quod & non diſſimili fiducia fecerant antea Irenæus, Tertullianus & alii: Nam quia non hereditario quodam jure ſanguinis nitebatur ea ſucceſſio, verum Eccleſiaſtica electione atque ordinatione, non dubitant talem ſucceſſionem tali conditione ſubnixam, idoneam eſſe teſtem doctinæ ſuæ Apoſtolicæ cum illa conjunctæ atque continuatæ. Locutus eſt, ut ſcis, Chriſtus de iis, qui ſedent in cathedra Moſis: Veteres Chriſtiani de iis, qui in Petri. Mitto, quæ de utriuſque ſive ſedis ſtatu, ſive cathedræ comparatione commode nunc dici poſſent & graviter, abs te preſertim ſi ſedate ageres. Sed quid tu de ea lege Theodoſiana, quam & primùm promulgari audivit Optatus, & quæ prima in libris noſtris eſt, ſimiliter ſtatuas, lubenter audiam. *Cunctos (inquit) populos, quos clementiæ noſtræ regit imperium, in tali volumus religione verſari, quam divinum Petrum Apoſtolum tradidiſſe Romanis, religio uſque adhuc ab ipſo inſinuata declarat, quamque Pontificem Damaſum ſequi claret, &c.*

Eandem hîc (credo) fateberis laudari ſucceſſionem: quamvis notum ſit & quid de Liberio, cui Damaſus ſucceſſit, prope aliquando ad Arianiſmum compulſo, traditum ſit, & quid Ammianus ſcribat de Damaſo ad hanc ſedem evecto non ſine ſudore & ſanguine, non ſine vi & armis, non ſine tumultu & cedibus. Nondum enim, puto, hic exclamabis, quod quidam ejus ordinis poſtea dixiſſe fertur, plures ſuccedere Romulo in paricidiis quàm Petro in paſcendis ovibus. Nam neque nunc agimus de hominum vitiis: ſed de religionis confeſſione, atque conſervatione doctrinæ. Age verò: quia Optati noſtri & Auguſtini, qui eſt eum ſecutus, acerrimus adverſus Donatiſtas aries eſt in illa, quam jactant, ſucceſſione: & res eſt magna: rogo, liceat tuam de ea ſententiam audire. Imò verò jam reſpondiſſe te, iracunde dices. Nam & in tua contra me declamatione, imperioſe juſſiſti, ut id repetatur ex duobus, quos laudaſti, libris tuis. Non enim eſſe tuæ gravitatis ſepius rem eandem dicere. Faciam, here, quod jubes.

In tua Inſtitutione diſputans adverſus Papiſtas (quos voeas, niſi jam malis Papanos, ut à Roma Romanos dicimus) qui obtendunt, quanti hanc ſucceſſionem fecerint Ireneus, Tertullianus, Origenes, Auguſtinus, & alii (Optatum quia nondum legeras, non nominas) præfaris facturum eſſe te, ut intelligant boni viri & veri ſtudioſi, quid iſtud ſit. Tum verò, ab adverſariis queris, cur non Africam citent & totam Aſiam? Sed quia ſcire te ais reſponſuros, illic Eccleſiam deſiiſſe: cur non ipſe potius id quæris vel ab Ireneo, qui in Aſia quoque vixit, vel ab Tertulliano, Optato, & Auguſtino, qui in Africa, quo tempore illic etiamnum florebant Eccleſiæ? Cur hi (inquam) potius Romanorum Epiſcoporum ſucceſſionem citant, & laudant, & in ea una herent? Reſponſum hîc ego tuum rurſus expectabo. Tandem poſt longam digreſſionem, reverſus ad id quod queritur, ſcribis ſanctos illos doctores, quum extra controverſiam eſſet, nihil à principio uſque ad illam ætatem mutatum fuiſſe in doctrina, vel Romæ vel aliis in urbibus (nam id addidiſti in Gallica tranſlatio-

ne tuæ Inſtitutionis) ſumpſiſſe, quod omnibus novis erroribus refellendis ſufficeret, ab adverſariis oppugnari doctrinam ab ipſis uſque Apoſtolis conſtanter & unanimi conſenſu retentam. Atqui, mi Doctor, adverſarii hoc ipſum negabant, conſtanter (inquam) eam eſſe retentam, & nihil in ea fuiſſe mutatum: eaque erat controverſia, quam movebant. Noſtri verò probationis loco allegant ſucceſſionem, quæ non modo includebat conditionem ejuſdem doctrinæ retinendæ atque continuandæ, ſed & eam conditionem impletam eſſe probabat. Sed obſecro: an ſerio loqueris, cum videris concedere, uſque ad ætatem Auguſtini, nihil, præſertim Romæ, fuiſſe mutatum in doctrina Apoſtolica? & illos, qui enumerantur ab Optato vel Auguſtino, Epiſcopos Romanos fuiſſe illius doctrinæ & conſtantes & fideles cuſtodes? Si ſerio hæc ſcripſiſti, neque ſententiam mutas, tranſactum eſt. Sed quàm vereor, ne non ſtes pactis conventis! ſcilicet tibi concedi vis, quod in duodecim ſcriptis ſolemus, ut calculum reducas, ſi te alicujus dati pœnitet: ſicuti eſt in Hortenſio Ciceronis. Dura eſt hæc conditio, ſi tecum agendum ſit. Sed quidvis tibi licere putas. Sic cùm nobis commendaſſes Romanorum Epiſcoporum (ſaltem uſque ad Auguſtini ætatem) & doctrinam & ſucceſſionem: alibi, cùm lubet, eoſdem & defectionis & depravatæ religionis accuſas. Sic ipſum nominatim Siricium, quem poſtremo laudat Optatus, miris contumeliis proſcindis, & atrociter jugulas, cum cœlibatum oppugnas? quanquam (ut hoc obiter dicam) quod narras eum de conjugio ſcripſiſſe ad Hiſpanos, vereor ne non illi aliquid temere affingas. Extat inter Ambroſii Epiſtolas, Siricii epiſtola, quæ nihil habet tale: neque tu, qui minimè alioqui credulus es, tam facile ex Gratiani farragine haurire debuiſti, quod illi ignominioſe aſcriberes. Sed age dum, ſerio & bona fide dicito, quouſque tandem putas duraſſe illam ſucceſſionem, de qua quærimus: & quando, vel per quem ſic fuiſſe interruptam; ut plane defierit. Legi vitas Pontificum & tragœdias. Sed vides, aliud eſſe quod abs te quæro, cuique non reſpondes. Nam & ſi quod Paulus ad Theſſalonicenſes ſcribit, prædicitque de defectione, quam Veteres intellexerant de Romano imperio, tu de apoſtaſia fidei interpreteris, & eam jampridem eveniſſe dicas, tamen non dicis quando evenerit. Id ubi dixeris, videro. Sed ne exiſtimes ſat eſſe ſi quidvis dicas: ſcito non eſſe tibi rem cum tuis fatuis pueris, famuliſve. Neque verò eſt cur te torqueas, quod facis, ut probes ſucceſſionem non eſſe veram ſine doctrina. Nam id ego & ultro & lubenter & prolixe fateor: & ubi conſtat aliam eſſe doctrinam, aliud eſſe jus, tecum ſentio. Sed neque dubito veriſſimum eſſe quod ais, verum Reipub. ſtatum dici non poſſe tyrannidem Caligulæ, Neronis, Heliogabali & ſimilium, quia Brutis, Scipionibus, & Camillis ſucceſſerint. Neque ſi addas ſcorpiones ſucceſſiſſe Scipionibus, reclamabo. Ac ſi tonare etiam & fulminare velis adverſus tales, non ſucceſſores, ſed prædones: non modo tibi ſuccinam, ſed & mea querimonia, quantum omni contentione vocis & laterum potero, juſtiſſimum clamorem augebo. Cæterum nihil agitur, ſi confuſus tantum clamor ſit: nulla verò definitio ejus, quod quæritur. Nihil autem definis, quamdiu non notas tempus, ex quo ſtatuis defeciſſe ſucceſſionem, de qua agitur. Soles in hac quæſtione nos revocare ad exemplum Eccleſiæ Judaïcæ. Sed ne in ea quidem definis, quid velis. Ais in ea fuiſſe gradus quoſdam defectionis. Rectè. Sed cum hiſtoriam delibare incepiſti, ita effugis, ut

nos

nos ſuſpenſos relinquas. Ais in Judęa varias fuiſſe mutationes, donec ipſi quoque ſacerdotes templum Dei profanis abominandiſque ritibus polluerunt. Sed quando id factum eſt, ut ſciamus ex quo tempore non licuerit iis communicari? Tu in eadem tua paulò pòſt Inſtitutione ſcribis, Prophetas, qui Hieroſolymis vel in Judæa fuerunt, quum res illic eſſent admodum corruptæ, tamen ſeparatos non habuiſſe ſuos cœtus: ſed conveniſſe cum aliis in templum, quia ad nullum ſuperſtitioſum cultum adigebantur, & agnoviſſe ſacerdotes Leviticos, quia utcunque indigni eo honore eſſent, tamen nec dum abdicati erant. Atqui eadem paulò pòſt pagina, narras, Prophetas clamaſſe profana illa eſſe conventicula, quibus non magis conſentire liceat, quàm Deum abnegare: & neceſſe habuiſſe ab eorum cœtuum conſenſione deſciſcere, quæ nihil aliud erat quàm impia adverſus Deum conſpiratio. Ignoſce meæ hebetudini, ſi nondum perſpicere poſſum, quomodo, quæ dicis, cohæreant atque conſentiant. Tantum abeſt, ut ſatis intelligam, quomodo ex iis definire velis, quod quæritur de Eccleſia Chriſtiana. Ac licet in tua rurſus contra me declamatione, eadem de re dicas: tamen quid dicas etiamnum dubito. Quod verò adjicis de regno Hieroboam, & apoſtaſia Iſraëlis: equidem fateor eſſe liquidum: neque fruſtra ſudare debebas, ut id pluribus verbis mihi exponeres. Sed nihil ad Eccleſiam Judaïcam. Neque illic, ubi vitioſa erat ipſa quoque origo, de ſucceſſione quæſtio fuit. Teſtor cœlum & terram, me tecum agere religioſe, ut ſi poſſis, explices & liberes quos tuis ſtrophis involvis. Nam hîc ludendi aut illudendi locus non eſt. Nunc quia altero rurſus loco de ſucceſſione, de qua quærimus, diſſeruiſti, quod nos audire jubes, rurſum te audiemus, ſi fortè & Optato rurſus aliquid lucis tua expoſitio adferre poſſit, & nos magna moleſtia liberare. Cum adverſus Auguſtanum librum Caroli v. Imp. ſcriberes, ſcripſiſti, Irenæum: qui ſucceſſionem allegat, quam dixi, merito ad refellendos nebulones nova quædam & impia dogmata ſpargentes, iis oppoſuiſſe teſtimonium & conſenſum Eccleſiarum, quæ ab Apoſtolis inſtitutæ fuerant, & propterea non temere credebantur cuſtodes eſſe doctrinæ Apoſtolicæ, cujus etiamnum recens erat memoria. Rectè. Sed cum id teneo, ne te aſtute ſubducas. Imò, ut tibi conſulas, vide, quid ſis reſponſurus, ubi tali teſtimonio & conſenſu aliquis te premet. Me quidem certe nimium iracundè vexaſti, cum amicus fortè meus multum tali teſtimonio tribuere viſus eſſet. Ut uno verbo dicam, ſcis, quid optem? Opto equidem, ut & tu & omnes ſtatuant, univerſam Eccleſiam veterem olim ab Apoſtolis inſtitutam, nunc tanquam capitis ream ſiſti coram tuo tribunali: & quæri quid de ea tota tandem judicandum ſit. Etſi quæ tua ſit audacia, non ignorem, tamen exiſtimo, ubi tale agmen in tali reatu conſpicies in tuo Conſiſtorio criminali, te quodam pudore fractum iri, ut ille olim Romæ ingratus adoleſcens, qui coram Tiberio patrem ſenem & canum, majeſtatis accuſabat: patris torvè eum intuentis conſpecta facie, & ejus compedum ſonitu audito, territus, ſtatim aufugit. Perge. Ais, Auguſtinum pugnaſſe adverſus Donatiſtas, iiſque Eccleſiæ catholicæ ſucceſſionem & teſtimonium non temere objeciſſe, cum ii non negarent eam, à qua tamen defecerant, retinuiſſe Apoſtolicam doctrinam. Sed quid dices, eodem eum pręſidio niti adverſus Manichęos? Certe de doctrina ii pugnabant. Mirum verò, tibi videri, de ea non pugnaſſe Auguſtinum contra Donatiſtas. Si Optatum diceres, qui eos magis habuiſſe videtur pro ſchiſmaticis quàm pro hæreticis: magis audi-

ri fortaſſe poſſes. Sed non ignoras Auguſtinum centies eos vocare hæreticos: quibus certe injuriam feciſſet, ſi ii confitebantur quod narras. Imo ſi hoc confitebantur, quomodo negabant aut legitimum eſſe baptiſmum, aut veram eſſe Eccleſiam Catholicorum? An ut ſe damnarent, confiteri volebant ſe eſſe Apoſtatas, cum ſuam demum Chriſtianam eſſe Eccleſiam & Apoſtolicam, reliquas eſſe Apoſtaticas clamitabant? Scio Creſconium Grammaticum, eorum patronum, aſtute contendiſſe, eos, etſi ſchiſmatici eſſe dicerentur, tamen hæreticos dici non poſſe, & Auguſtinum, qui eos hæreſeos accuſabat, odioſe propterea notaſſe. Sed quid huic nugatori reſponderit Auguſtinus, non ignoras. Prætereo quod Epiphanius & Theodoritus eos etiam Arrianæ impietatis reos peragunt. Certè Hieronymus in Catal. ait Donatum de Spiritu Sancto ſcripſiſſe librum congruentem Arriano dogmati. Et Auguſtinus in lib. de hæreſib. ſcribit Donatum Carthaginenſem non habuiſſe catholicam de Trinitate ſententiam: ſed quam non animadverterit multitudo Donatiſtarum. Et in epiſt. clxiij. ait ſe audiviſſe, Arrianos, cum à communione catholica diſcrepaſſent, tentaſſe ſibi ſociare Donatiſtas in Africa. Neque vero dubito, quin eorum plerique facile facturi dicturique eſſent, quidquid Catholicis doleret, cum etiam non recuſarent conſpirare cum Juliano apoſtata. Nunc nobis ſatis ſit, eorum de baptiſmo & de Eccleſia dogma impium & pernicioſum fuiſſe. Quid dicam unum eorum antiſtitem Gaudentium auſum eſſe palam dicere, Eccleſiam Catholicam eſſe humanum figmentum? Teſtis eſt Auguſtinus libro contra eum ſecundo. An qui non dubitabant talia vomere, fatebantur eam Eccleſiam eſſe cuſtodem Apoſtolicæ doctrinæ? Sed rurſus redeo ad ſucceſſionem, de qua quæritur. Sentio enim nihil dum actum eſſe, quia alibi ipſum principium negas, de quo nunquam dubitatum fuerat, & nova inficiatione Veteres falſi reos agis, ut falſam originem ementitos: quod quem illi auctorem ſucceſſionis laudant, neque fuiſſe neque eſſe potuiſſe, quia Romæ nullam ſedem habuerit aut cathedram, contendas. Quid iſtud tandem novæ rei eſt? Noſter Optatus ad Parmenianum, Negare (inquit) non potes, ſcire te in urbe Roma Petro primo cathedram Epiſcopalem eſſe collatam. Quid tu? In tua quidem Inſtitutione etſi neges Petrum illic Epiſcopum fuiſſe, aut ſaltem tamdiu ſediſſe, quandiu alii narrant, tamen ſcripſeras te propter veterum ſcriptorum conſenſum non pugnare, quin illic mortuus fuerit: poſtea verò in commentariis ad epiſtolas Petri, illud quoque pernegaſti. Imo (inquis) niſi maria & terras momento tranſvolaverit Petrus, procul ab Italia mortuum eſſe conſtat. Sed unde hoc conſtare probas adverſus teſtimonium totius antiquitatis? & ubi tandem mortuum potius eſſe putas: In Babylonia: quia ex Babylone dicatur ſcripta prior ejus epiſtola. Quid tum? Non placet (inquis) quod Romam eo loco notari Veteres exiſtimarunt: neque cur id exiſtimarint, cauſam video, niſi quia illo errore jam occupati erant, Petrum Romæ fuiſſe. Sed de hoc (ut vocas) errore, qui in tali tanquam publico facto eſſe non poſſet, alias viderimus. Nondum autem probaſti quod vis, in Babylonia illum eſſe mortuum. Imò verò (inquis) quia in ſecunda epiſtola inquit, ſe morti eſſe vicinum. Atqui ſecundam epiſtolam negas eſſe ab ipſo Petro ſcriptam: neque ullus unquam dixit ſcriptam eſſe in Babylonia. Sed neque qui morti vicinum eſſe ſe credit, propterea mortuus confeſtim dicendus eſt. Paulus ad Timotheum, Ego (inquit) jam immolor, & tempus meę reſolutionis inſtat. Atqui tunc mortuum eſſe, ne tu quidem affirmares. Certè ſi non liquere diceres,

quo anno vel Romam venerit vel Romæ mortuus ſit Petrus, & quamdiu illic vixerit: fortaſſe non reclamarem. Sed contempto univerſæ antiquitatis teſtimonio atque conſenſu, contra quem alioqui dixeras nolle te pugnare, nunc affirmare Petrum neque Romam unquam veniſſe, neque illic mortuum eſſe: profecto paradoxum eſt axioma, quod mihi non perſuaſeris, niſi ſi univerſam hiſtoriam Eccleſiaſticam eſſe putidam fabulam, & omnes Eccleſiæ ſcriptores antiquiſſimos & fideliſſimos, eſſe & nugatores & impoſtores perſuadeas. Quid? Julium Cæſarem Romæ mortuum eſſe, aut pluribus aut melioribus teſtimoniis proditum non eſt, quàm Petrum Romæ eſſe mortuum. Nunc ſi quis clamitet ne in orbe quidem Romano mortuum eſſe, fingar, licet, apud Antipodas eſſe ſepultum. Mira profectò eſt, audacia, dicam an impudentia, hominum ab aliis diſſentire volentium. Quid enim non dicent potiuſquam aliis non contradicant? Sed ſi negare ſufficiat quod certiſſimis ac fideliſſimis monumentis proditum eſt, quid tandem fier? Quid (inquam) fiet univerſæ Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, ſi ejus principia & tanquam fundamenta, iis teſtimoniis communita, quibus certiora eſſe vix poſſunt, vel fabuloſa ſunt vel ſolo alicujus inficiationis ſibilo everti poſſunt? Denique quid tandem non audebit, qui hoc audet? Equidem ſcio multas putidas fabulas tanquam maculas ipſis quoque principiis hiſtoriç Eccleſiaſticç aſperſas eſſe, quas & repudio & deleri cupio. Sed an propterea verum cum falſo temere expungi patiar? Scio incerta quędam eſſe, de quibus dubitari poſſit. Sed ait certum eſt, quod hîc negas, aut neſcio quid certum eſſe dicas: &, ut ille Romanus eſſe dicebat, aut hoc teſtium, quibus id probatur, ſatis eſt, aut neſcio quid ſit ſatis. Scribis quodam loco, Veteres quidem uno conſenſu tradere, Simonem Magum Romæ cum Petro diſputaſſe. Id ſuſpectum tibi eſſe ais: non tamen apertè audes dicere quod cogitas, Simonem illum nunquam veniſſe Romam. Nempe ipſa etiam inſcripta ſaxa Inſulæ Tiberinæ talem inficiationem tuam refellent. Cur alterum illud, quod reſtatum magis etiam eſt, magis audes inficiari? Judam non interfuiſſe cœnæ Dominicæ, neque cum Apoſtolis reliquis illi communicaſſe, etſi Auguſtinus contra Donatiſtas id habeat pro certo, & ſumat pro confeſſo, tui confidentiſſime pernegant. Quia quoſdam habent ex veteribus ſuffragantes, audiuntur. Sed quod de Petro negas, audaciæ eſt inauditæ. Quis non miretur, te, ubi ubi vis, tam facile interdum aſſentiri non modo dubiis, ſed etiam falſis conjecturis; aliàs verò ne certis quidem liquidiſque probationibus habere fidem? Neque tamen hoc dicerem, niſi ſi non modo de Optato actum ſit, ſi tuæ inficiationi concedam, ſed & per Optati latus confoderes admirabilem hac in re conſenſum veteris Eccleſiæ. quæ ſi hîc mentita eſt, neſcio qua in re fidem merebitur. Sanè quod Optatus addit Petrum appellatum eſſe Cepham, quia fuerit Apoſtolorum caput, tibi facile concedam ridiculum & puerilem eſſe errorem hominis vocem Græcam, quæ Syriaca eſt, eſſe exiſtimantis, & propterea ex petra vel ſaxo caput ineptius effingentis, quàm ſi allegaſſet, quod Feſtus ſcripſit Romam olim appellatam eſſe Cephalon. Tu alias verecunde feciſti, cum negares ſani aut ſobrii eſſe hominis, putare talem interpretationem, quam Gratianus in ſua rapſodia adſcribit Anacleto, eſſe Anacleti. Sed ignorantiâ linguæ Hebraicæ perſæpe Majores noſtros lapſos eſſe, verecunde confiteri, ingenuitatis quoque eſt. Scio, poteris etiam in Optato multos ſacræ Scripturæ locos notare, aut non recte citatos aut non commode explicatos. Idque ſane

per me, ut facias, licet. Nunquam enim defendam quod ſcio eſſe vitioſum. Atque ut mihi deinceps æquior ſis, equidem clara voce profiteor, quod & ſæpe alias feci, me non modo illi ſolœciſmo, quem dixi, non patrocinari, ſed etiam graviſſime eos deteſtari, qui graviores alios ejus generis ſolœciſmos orbi terrarum obtrudunt, digni non tam ferula, quàm flagro & ſcutica magiſtri fatuitatis: ſimulque execrari auctores multarum nefariarum fabularum, quæ confictæ atque ſparſæ ſunt, ut totam illius antiquitatis Eccleſiaſticæ bonam memoriam vel inquinarent vel obruerent: Denique eos refugere, qui bonæ & religioſæ vetuſtatis titulo, tanquam fuco, volunt abuti ad tegenda ſcelera degeneris poſteritatis. Sed cùm hoc prætextu præterea vis univerſam memoriam veterem delere: dico eos qui hiſce tuis inſidiis non occurrunt, aut turpis inſcitiæ, aut ſceleratæ perfidiæ, aut utriuſque reos eſſe. Ergo etiam opto talem eorum, qui tibi tam facile cedunt, [illegible] caſtigari: quibus nunc tamen tantum objiciam illud vetus,

Tradite ſigna viris, ignavi ſigna Quirites.

Atque ut concludam quod de ſucceſſione dixi, iterum dico & ſemper præ me feram, optare me, ut indigni ſucceſſores, qui & deſertores, & proditores, & (ut verbo veteri utar, neque dicam aliquid gravius) traditores ſunt, dent, quas meriti ſunt, pœnas. Sed non ignoras, quiſnam ille ſit, qui tales eſſe vult & optat, ut iis dejectis, vacantem locum ſtatim occupet, & novum ſibi regnum condat multo majori ſupercilio: quique propterea nollet alios eſſe, reſipiſcere, facere officium ſuum, detergere inquinatam faciem Eccleſiæ: ut cujus fœdus ſquallor, & horrida deformitas, mutumque cadaver multos populos abalienavit, quos tu ſuaviter cantillando facile in tuas partes pertraheres: ejus forma prior meliorque, nitor, decor, vox & oratio, eos ad ſe revocaret, atque in Unitate retineret. Ut ad Optatum revertar, ſuperſunt duæ quæſtiones, quæ tuam ſolutionem requirunt. Quæritur, quid ſentias de ſchiſmate Donatiſtarum, deque eorum actis, quæ quidem dixerunt eſſe religioſæ & Eccleſiaſticæ reformationis. Ne autem privata cauſa tua atque affectio impediat ingenuam confeſſionem, rogamus, ut cum de iis reſpondendum tibi erit, tui pauliſper obliviſcaris: neque de te agi cogites. Scis, qualis fuerit ſtatus Eccleſiæ, tempore Optati vel Auguſtini. Quæro, an nulla juſta ratione Donatiſtas ab ejus Eccleſiæ communione deſciviſſe putes? Credo, dices, nulla. Atqui quæ potiſſimum nunc accuſas & fugis & aboles, jam tum invaluerant. Non expectas, ut ſingula enumerem. Nam ſi vis, meminiſti. Non debuere Donatiſtæ alium ſibi ſuiſque baptiſmum privatim inſtituere? Jam non loquor de eorum anabaptiſmo. Quæro, an cum primum aliquem ſui gregis, qui nondum baptizatus fuerat, tingerent ſuo more, potiuſquam paterentur in Eccleſia catholica baptizari, recte facerent? Credo, negabis recte feciſſe. Atqui ex ipſo quoque Optato diſces jam tum in Eccleſia illa catholica & exorciſmum & chriſma baptiſmo adhibitum eſſe, quas res tam intolerabiles eſſe judicas, ut propterea inſtitueres alteram baptiſmi formam, & me, qui earum alioqui rerum auctor non ſum, neque de iis quicquam ſcripſi, earum odio immaniter exagitaveris. An dices, Donatiſtas recte & religioſe feciſſe, quod contumelioſe proculcarint illud chriſma, quod tu multo magis conſpuis? Atqui Optatus tibi narrabit divinum adverſus eos judicium etiam miraculo conſignatum fuiſſe. Si dicas eum mentiri: vide qua probatione pera-

ges falſi reum. Sed nihilominus in ea re ſemper te premit admirabilis conſenſus veteris Eccleſiæ. An confiteberis non debuiſſe Donatiſtas, quod tui faciunt, evertere altaria? Atqui quod Optatus objicit, corpus Chriſti in iis habitaſſe, tam indignum & infandum eſſe doces, ut illam ipſam juſtam cauſam eſſe clamites, cur omnes aræ evertantur. An tibi placet, quod dicuntur Donatiſtæ erexiſſe altare contra altare? Atqui ſummi criminis loco ſemper habitum id fuit: neque ſolum Optatus & Auguſtinus propterea Donatiſtas tanquam ex formula, conceptis verbis, accuſant, ſed & antea Cyprianus totidem verbis Novatianos accuſaverat. Scis, credo, altaris verbo ſignificaſſe, totum miniſterium Eccleſiæ· quod & baptiſmi voce interdum ſignificatur: adeo ut etiam in Ægypto ipſæ Eccleſiæ appellarentur *Labra*, ſi me non fallit quod hiſce primum diebus in Epiphanio obſervavi. An qui privatim atque ſeparatim hæc quæ non tam ſacramenta, quam execramenta vocat in Donatiſtis Auguſtinus, hęc (inquam) ſigna funeſtiſſimæ diſſenſionis attollebant, reformationis, potiuſquam deformitatis & confuſionis, fundamenta jaciebant? Quid verò dices, eos admirabili quodam fræno divinitus eſſe retentos, ut cum nihil alioqui auderent, & odio Catholicorum quidvis facerent, tamen neque ceremonias neque formulas in Eccleſia receptas, auderent (quod Optatus narrat) mutare: tametſi eas quoque adverſarias habere ſe ſentirent? An nunc religioſior eſt audacia, quæ major eſt? An eſt aſtutior, quæ delet omnia? Donatiſtæ, cum exemplo Novatianorum, Cathari videri vellent, aqua etiam expiabant; quicquid illi, à quibus defecerant, contigerant, quia pollutum eſſe clamabant. An hęc valde pura repurgatio fuit? Scimus & poſterioribus ſeculis Gręcos in ſchiſmate non minus protervè & contumelioſe egiſſe cum Latinis. Sed cum tales execrationes, quæ ex odiorum incendio erumpunt, hodie quoque audis, ecquid religioſæ tibi videntur? Age verò: cùm brevi tempore Africam prope totam, non modo non adjuvantibus, ſed potius reclamantibus principibus, in ſuas partes Donatus pertraxit, ut jam plures in ea prope numerarentur Epiſcopi Donatiſtæ, quàm Catholici: an tali ſucceſſu & victoria elatus, & gloria faſtuque tanquam fermento inflatus, criſtas propterea attollere debuit, quales eum ſuſtuliſſe narrat Optatus libro tertio? Minus fortaſſe id factum eſſe miraberis, qui non ignoras quale ſit humanæ ſuperbiæ ingenium, quantuſque tumor. Sed nihil magis tamen abs religione alienum & eſſe & videri, meminiſſe quoque debes. Quid dicam Donatum illum pſeudepiſcopum Carthaginenſem, nebulonem è cœno emerſum, repente factum eſſe non modo Regulum aliquem, qui auderet quod nunquam Hannibal vel Aſdrubal illic eſt auſus, ſed & tyrannum inſolentiſſimum, qui etiam non dubitaret Romanum Imperatorem contumelioſe contemnere? Imò verò viſus eſt ſibi tanquam Deus. Nam tale idolum deſcribit quoque Optatus, quod illa natio, vafra alioqui & acuta, bruto quodam ſtupore adorabat. Hîc multa ſunt, quæ te & alios mecum obſervare velim. Sed illud imprimis: qualis & quanta ſit vanitas hominis ventoſi, cæca ſui admiratione ebrii atque temulenti, qui tamen religionis & Eccleſiæ inſtaurator dici atque videri volebat. Non temere eſt, quod deſidero, te intueri in hanc effigiem humanæ non infirmitatis, ſed inſaniæ. Sed erit ſatis uno eam verbo, tanquam digito, indicaſſe. Audierat ille ſtultos principes voluiſſe jusjurandum concipi per ſuum genium atque majeſtatem. Hanc quoque divinitatis ſpeciem ſibi arrogavit, cum per ſuum

nomen, quaſi numen quoddam, non noluit ſuos jurare: quod & eodem tempore in Gallia Priſcillianus impurior hęreſiarcha volebat. Quid non ſibi arrogant impudentes hypocritæ, qui tantum ſibi ſumunt? Sed, obſecro, an minus hodie inſoleſcunt, qui omnes in ſua verba jurare volunt? Nihil nunc dicam de Donatiſtarum martyriis atque miraculis. Illa probant fuiſſe fanaticos homines, qui cæca vertigine raptati ſeſe dabant præcipites, ſibique mortem conſciſcebant, quadam (ut noſter Ulpianus ait) jactatione. Miracula verò, quæ jactabant, quid aliud ſignificabant, quàm pręſtigiatores quoque & impoſtores magnos fuiſſe, quos & mirabiliarios quodam loco vocat Auguſtinus, ubi eos indicat etiam jactaſſe, Donato oranti Deum de cœlo reſpondiſſe. Sed obſecro, nonne te quoque nunc miſeret faſcinatæ multitudinis, cui illuditur? Quid poſtremo loquar de Donatiſtarum latrociniis, ſacrilegiis, parricidiis? Hęc Circumcellionum acta immania plerique etiam Donatiſtæ damnare ſe dicebant, quibus tamen utebantur. Quid nunc fiat, non ignoras: ego honoris tui cauſâ taceo. Nam neque fortaſſis fas eſſet omnia in medium proferre, quæ novam & mirabilem unius anni darent hiſtoriam. Vetera nunc tantum legantur. Legeram multa de Judęorum zelotis Hieroſolymitanis. Sed eos longe ſuperarunt Donatianæ factionis ſatellites, qui ſe Sanctorum (ut ait Optatus) duces etiam appellabant, & interea non modo omnium barbarorum, omnium latronum, ſicariorum, piratarum feritatem, ſed & ipſius (ut ait Auguſtinus) diaboli, qui crudelitatum omnium magiſter eſt, truculentiam ſuperarunt. En quo ſtatim Africanæ illius reformationis tragœdia evaſit? Utinam noſtra ætas ſimilem epitaſin non videat aut cataſtrophen ſuæ fabulæ. Si tamen fatale malum eſt, quod impendet, fruſtra repugnamus. Nam & quid mereantur, qui nullam correctionem admittunt, ſcio, & juſtum agnoſco Dei judicium, eos veluti manu armata perſequentis, ut qui loquentem non audiunt, ſentiant ferientem. Sed vaticinia tibi relinquo. Verbum autem unum de Donatiſtis addam, cujus etiam te meminiſſe intereſt: eam (inquam) illorum fuiſſe impudentiam, ut quod crudeliter faciebant, indigne pati ſe clamitarent. Credo, ludibrii causâ, hoc eos adjeciſſe: qui cumulus eſt acerbæ inſultationis. Certè & legum, quibus caſtigabantur, lenitatem, & noſtrorum Antiſtitum, qui deprecatores potiuſquam accuſatores eorum erant, manſuetudinem irridebant, cum vel de illarum, vel de horum ſævitia quiritabantur. Quia autem neque leges noſtræ, neque Optati Auguſtinique reſponſa tibi ſatisfaciunt, qui pro tuo imperio contra edixiſti, hęreticos (quos quidem hæreſeos damnabis) capitali ſupplicio afficiendos eſſe: hic locus poſtularet, ut de legitima eorum coërcitione pluribus tecum agerem. Sed quia jam fortaſſe tibi ſatisfecerit altera ad te mea reſponſio, quæ ea de re te admonuit: non ero nunc diutius tibi moleſtus. Interea, ſi vir bonus es, moleſte non feres, hominem quondam tibi familiarem liberè & familiariter tecum agere. Facit hoc abs te provocatus: neque tamen, ut ſcis, cauſam agit ſuam. Quid enim ejus privatim intereſt, & ſi evertas quicquid oppugnas? Ergo tantò magis agnoſces eum liberaliter & ingenue agere. Sed neque, quia Juriſconſultus ſit, & ſtudia, quæ tractas, alioqui tractare non ſoleat, iniquo animo feres, cum tamen non eſſe alienum abs ſacris & Eccleſiaſticis literis: imo verò eſſe ſtudioſum utriuſque juris. Vale.

IMP. HONORIUS ET ARCAD.

AA. Juliano P. V. Afric.

DONATISTAS atque bæreticos, quos patientia clementiæ noſtræ nnnc uſque ſervavit, competenti conſticuimus auctoricate percelli: quatenus evidenti præceptioue ſe agnoſcant, & inteſtabiles, & nullam poteſtatem alicuius inenudi habere, ſed perpetua inuſtos infamia à cœtibus boneſtis, & à conventu publico ſegregandoc. Ea verò loca, in quibus dira ſnperſtitio nnnc uſque ſervata eſt, catholicæ venerabili eccleſiæ ſocientur: ita nt epiſcopi, preſbyteri, omneſque auciſtites eorum, & miniſtri ſpoliati omnibus facultatibus ad ſingulas quaſque inſulas atque provincias exulandi gratia dirigancnr. Quiſquis autem bos fugientes propoſicam nltionem, occultandi cauſa ſnſceperic, ſciat & patrimonium ſuum fiſci noſtri compendiic adgregandnm, & ſe pœnam, quæ bic propoſita eſt, ſubicurum. Damna quoque patrimonii, pœnaſque pecuniarias evidentèr imponimus viris, mulieribus, perſonis ſingulis, & dignitacibus, pro qualitate ſui, quæ debeant inrogari. Si igitur proconſulari, auc vicariano, vel comiciæ primi ordinis quiſque fuerit bonore ſuccinctus, niſi ad obſervantiam catbolicam mentem propoſicnmque converterit, ducentas argenti libras cogetnr exſolvere fiſci noſtri ntilitatibus adgregandas. Ac ne id ſolum pnteinr ad reſecandam intentionem poſſe ſufficere, quotienſcnmque ad communionem talem acceſſiſſe fuerit confutatus totienc multâ exigatur: & ſi quinquiec eundem conſtiterit nec damnis ab errore revocari, tnnc ad noſtram clementiam referatur, ut de ſolida eins ſubſtantia ac de ſtatu acerbiùs iudicemus. Huiuſmodi autem conditionibus eciam Honoratos reliquoc obligamus: ſcilicet, ut ſenator, qui nullo mnnitus extrinſecns privilegio dignitatis, inventns in grege Donatiſtarum, centum libras ſolvac argenci: ſacerdotales eandem ſummam cogantur exſolvere: decemprimi curiales quinquaginca libras argenti addicantur: reliqui decuriones decem ſolvanc libras argenti, qnicumque in bæreſi maluerint permanere. Conductorec autem domus noſtræ, ſi bæc in prædiis venerabilis ſubſtantiæ uti permiſerinc, tantam penſionem pœnæ nomine cogantur inferre, quantum in conductione penſitare conſuerunt. Eadem quoque emphytenticarios auctoritas ſacræ definitionis adſtringet. Conductores verò privatorum, ſi permiſerint in biſdem prædiis conventicula baberi, vel eorum patientia ſacrum myſterium fuerit inquinatnm, referetur per indicec ad ſcientiam dominorum, quorum intererit, ſi pœnam volunt ſacræ iuſſionis evadere, aut certantes corrigere, aut perſeverantes commutare: ac tales prædiis ſuis præbere rectorec, qni divina præcepta cuſtodiant. Quod ſi procurare neglexerint, bi quoque in penſiones, quas

accipere conſuerunt, prolatæ præceptionis auctoritate multentur: quod ad compendia eorum pervenire poterat ſacro iungatur ærario. Officiales autem diverſorum iudicum, ſi in hoc errore fuerint deprehenſi, ad triginta libras argenti inlatione pœnæ nomine teneantur: ita ut ſi quinquies condemnati abſtinere noluerint, cohercitiverberibus exilio mancipentur. Servos verò & colonos cohercitio ab huiuſmodi auſibus ſeveriſſima vindicabit. Ac ſi coloni verberibus coacti in propoſito perduraverint, tunc tertia peculii ſui parte multentur, adque omnia, quæ huiuſmodi generibus hominum lociſque colligi poterunt, ad largitiones ſacras illico dirigantur. Dat. XV. Kal. Iul. Ru. Conſtantio, & Conſtante. CONSS.

SANCTI OPTATI AFRI MILEVITANI EPISCOPI

DE SCHISMATE DONATISTARUM,

ADVERSUS PARMENIANUM.

LIBER PRIMUS.

CUNCTOS nos Chriſtianos, chariſſimi [a] fratres, omnipotenti Deo [b] fides una commendat. Cujus fidei pars eſt, credere Filium Dei, Deum, [c] judicem ſæculi eſſe venturum, eum qui jampridem venerat, & ſecundum hominem ſuum, per Mariam virginem natus eſt, paſſus, mortuus & [d] ſepultus, reſurrexit: Et antequam in cœlum aſcenderet, (unde deſcenderat) Chriſtianis nobis omnibus ſuam per Apoſtolos [e] pacem dereliquit. Quam ne videretur ſolis Apoſtolis dimiſiſſe, ideo ait, *Quod uni ex vobis dico, omnibus dico.* Marc. 13 Deinde ait, *Pacem meam do vobis: pacem meam relinquo vobis.* Sic Joan. 14 igitur pax Chriſtianis omnibus data eſt: quam rem Dei eſſe conſtat, cùm dicit, *meam:* Cùm autem dicit, *do vobis*, [f] non ſolùm ſuam voluit eſſe, ſed & univerſorum in ſe credentium.

Quæ pax, ſi, ut data erat, ſic integra inviolataque manſiſſet, [g] nec ab auctoribus ſchiſmatis turbaretur: inter nos & fratres noſtros hodie non

PHILIPPUS PRIORIUS.

1. OPTATI AFRI MILEVITANI. In Hiſtoria Eccleſiaſtica & apud S. Auguſtinum, multi variis in locis recenſentur Optati, inter quos nonnulli hæretici. Hic verò Orthodoxorum partibus addictus, Eccleſiæ Milevitanæ, magna cum laude præfuit, ac quamvis ab eo in quibuſdam diſſentire videretur Auguſtinus, eum tamen fuiſſe Catholicæ communionis affirmat lib. 1. adv Parmen. Qui autem Milevitanum de Melita inſula explicant, ſi non toto cœlo, certè toto mari errant. Quod licet abſurdum per ſe ſit, in Colonienſi tamen editione Conciliorum, monetur lector ab editore Concilium Milevitanum in inſula Melita fuiſſe congregatum. Nemo ſanus ignorantiam cujuſquam accuſaverit, toti alioquin humanitati injurius eſſet. At ignoſcendum non eſt facilè negligentiæ hominum, qui cùm optimè ſe inſtruere poſſint, neglectis omnibus ſubſidiis, vera, falſa, dubia, incerta perinde habent, & meras nugas pro vera doctrina effutiunt. Milevis urbs eſt Numidiæ de quâ S. Auguſtinus mentionem facit Epiſt. 168 & Milevitanum vocat Optatum lib. 1. c.4. contra Epiſtolam Parmeniani. In Concilio etiam Carthaginenſi de rebaptizandis hæreticis apud S. Cyprianum, Pollianus à Mileo ſententiam ſuam dicit cum aliis de anabaptiſmo, in quo pro *Mileo* reponendum cenſent omnes eruditi *Milevo* vel *Milevi*. Milevim igitur ſeu Milevum urbem eſſe Numidiæ tam certum eſt, quàm Africam in ſex Provincias tunc diviſam

fuiſſe, quæ hoc ordine recenſentur: Carthago proconſularis, Numidia conſularis, Byzacena, Tripolis, Mauritania Sitiphenſis ſive Tingitana, & Mauritania Cæſarienſis. Totidem in iis provinciis fuere Primates, quorum primus erat Carthaginenſis, unde forſan dicitur à Stephano Καρχηδὼν μητρόπολις Λιβύης διασημοτάτη πόλις hoc eſt, *Carthago metropolis Africæ, civitas celeberrima.* Aurelius quoque Epiſcopus Carthaginenſis qui in Concilio tanquam Primas ſedit, contra Donatiſtas multa, variiſque de rebus plurima præſtitit, quæ Primatis erant, & ut Sedis illius primatus firmaretur in Africâ, ſtatutum eſt can. 53. id proponente Aurelio, ut Paſchæ dies ab eodem Epiſcopo quotannis peteretur, quod etiam monuerant Honoratus & Urbanus Epiſcopi Mauritaniæ Sitiphenſis.

. 2. De Schismate Donatistarum. Non inutile erit ſtatim è limine rem ſummopere neceſſariam perſpicuè docere, quo faciliùs Optati interpretatio procedat, ſenſuſque aperiatur. Donatiſtarum Schiſma ortum eſſe conſtat in Africa circa Conſtantini M. & Maxentii initium, quo tempore in Ægypto aliud conflavit Meletius Lycopolitanus. Donatiſtæ verò dicti ſunt à Donato, ſed Donati duo extitere in hoc Schiſmate, [mitto enim Catholicos, mitto etiam Traditores, ut Donatum Maſculitanum, & Donatum Calamenſem] Nam Donatus à Caſis nigris, qui Majorinum ordinavit in Epiſcopum, præcipuus eſſe auctor creditur, ſed ab altero Donato qui Majorino ſucceſſit, nominari maluerunt. Illi verò Schiſmati occaſionem dedit Lucilla, factioſa quædam mulier Hiſpana ac pecunioſiſſima, tunc temporis degens Carthagine, quæ à Cæciliano Diacono meritò reprehenſa, quoniam os Martyris cujuſdam libaſſet, antequam Euchariſtiam ſumeret, incertum quin etiam, an is Martyr verè Martyr eſſet, nondum enim Eccleſiæ ſuffragio & miraculis conſtabat, ultionem undequaque, more fœminarum meditabatur. Menſurius tunc erat Epiſcopus Carthaginenſis, Luciano ſuffectus. Is à Maxentio tyranno Romam evocatus, ſenioribus quibuſdam Eccleſiæ vaſa commiſit, quorum indicem cuidam aniculæ dederat. Eo autem mortuo, in ejus locum promotus eſt Cæcilianus Diaconus; à Fœlice Aptungitano, intercedentibus miſcentibuſque omnia. Botro & Cœleſio, qui ad illum etiam Epiſcopatum provehi cupiebant. Ut verò vaſa illa & παρακαταθήκην ſeu depoſitum, repetere voluit à ſenioribus, repræſentato indice, ſtatim recuſarunt, ejuſque communionem averſati ſunt tanquam ordinati à Fœlice quem Traditorem palam prædicabant. Occaſionem nacta ulciſcendi ſeſe Lucilla, iis ſe adjunxit, & mirum, quas turbas dedit. Hæc eſt origo totius Schiſmatis.

Annotationes Variorum.

a FRATRES. De Chriſtianorum fraternitate diximus in Obſervationibus noſtris, atque ibi docuimus antiquos in ea multum myſterii & religionis poſuiſſe, quòd ſcilicet omne Chriſtianitatis commercium in ea affinitate & cognatione verſaretur: novum enim hominem, & novam naturam, quam in aquis Baptiſmi tanquam in utero Eccleſiæ induerant, & adepti eſſent, qua etiam cum Chriſto, & cum omnibus fidelibus vera & reali cognatione eſſent conjuncti, non poterant teſtari magis quàm in illa appellatione. Docet igitur illa nativitate, quæ communis eſſet Orthodoxis & ſchiſmaticis, eos natos, & factos eſſe Orthodoxorum fratres, ſed malos fratres, quòd matri Eccleſiæ quæ eos genuerat, minùs eſſent audientes. Cæterùm, conſequens eſt ex ea affinitate ſuſceptum apud Schiſmaticos Baptiſmum vim habere producendi Chriſtianos; quandoquidem ex eo affinitas illa contrahatur, quod negabant Donatiſtæ. Albasp.

b Fides una commendat. An id vult Optatus, concordi & unanimi ejuſdem fidei profeſſione, gratos & acceptos Deo nos eſſe? an fidem eſſe quæ nos *commendat Chriſtianos?* Chriſtiani nempe quotquot ſumus, & pro Chriſtianis à Deo agnoſcimur, id nos juris per fidem, quæ unica eſt, omnes aſſequi: *fidem unam* ita videtur Optatus ipſe explicare lib. 5. *una fides*, inquit; hoc loco ab hæreticorum erroribus, & ab eorum varia fide, fides unica ſeparatur. Nec aliter videtur aut certè non valde diſſimiliter accipiendum τὸ *commendare*, in multis veterum locis, cùm de Eccleſia Catholica loquuntur. Coll. Carth. edit. Commel. pag. 6. *Hanc auctoritatem magiſterii cœleſtis ſecuti Apoſtoli Eccleſiam commendant in toto mundo fructificantem atque creſcentem* &c. Ita & ejuſdem Coll. pag. 68. Auguſt. Brevic. coll. die 3. cap. 4. *Sic oſtendentes divina teſtimonia conſonare in & illa, quibus commendaretur Eccleſia cum malorum commixtione, &c. Et illa teſtimonia quibus commendaretur non habere commixtos malos &c.* Ubi *commendatur* pro agnoſcitur, aut deſcribitur. Idem Auguſt. & eodem loco. *Quoniam Donatiſtæ Scripturarum teſtimoniis unam eccleſiam commendaverant*, i. unicam eſſe probaverant, ſed in his tamen nullus dativus perſonæ, qui eſt in Optato. Quare nihil affirmo. Mericus Casaubonus.

c Judicium sæculi esse venturum. *Sæculum* talibus ſcriptoribus *mundum* valet & quicquid in hac vita vivitur. Sic infra hoc libro Conſtantini Imperatoris verba ſunt: *Petitis à me in ſeculo judicium cùm ergo Chriſti judicium expectem.* Barthius.

d Sepultus. Duo in hoc verbo ſunt intelligenda; Chriſti ſepultura, & ejus ad inferos deſcenſio, cujus mentionem non fecit, quòd breviter myſteria illa perſtringat: verùm in auctoribus illius ævi, & illius provinciæ ut in divo Auguſtino, & in Capreolo frequens eſt illius deſcenſionis mentio. Albasp.

e pacem. Hoc verbo ſæpius utitur, quare non erit abs re notare communionem Chriſtianam viſibilem, & inviſibilem, Eccleſiæque unitatem, & coagulationem cum Chriſto, & per Chriſtum cum Deo per pacem intelligi. Idem.

f Non solum suam. Pax Dei deberet eſſe inter omnes qui fratres ſunt, quia à Chriſto data eſt, & relicta, ut in omnibus qui cum eo conjungi volunt, obſervetur, & colatur. Idem.

g Nec ab auctoribus schismatis turbaretur. Non ſanè tum perturbabatur ab ipſis auctoribus ſchiſmatis, qui jampridem eſſe deſierant, nec ea mens Optati eſt. *Turbaretur* igitur hic accipe pro *turbata fuiſſet*, ut poſtea quoque *poſſet* pro *potuiſſet*, *haberetis*, pro *habuiſſetis*, &c. Contrà autem, *potuiſſent*, pro *poſſent*, *remanſiſſet* pro *remaneret*, & id genus alia ſexcenta. Et ſic quidem non unus loquitur Optatus: ſed Arnobius, Zeno Veron. Lucifer Calaritanus, & alii. Ex melioris etiam ævi ſcriptoribus, interdum Terentio, & Virgilius ipſeque adeo Cicero, ut obſervarunt Grammatici. Vix tamen quiſquam crebrius, quàm facit his

eſſet ulla diſſenſio; [h] Nec illi inconſolabiles Deo lachrymas facerent, quod Eſaias teſtatur: [i] nec falſorum vatum [k] nomen & actus incurrerent; Iſai. 32
nec [l] ruinoſum ac [m] dealbatum extruerent parietem: [n] nec minus aſtutas, [s] ſed ſimplices everterent mentes: [o] nec malè imponendo [p] omninibus capitibus manum, [q] everſionis [r] velamenta obtenderent, [s] nec ma-

Philippus Priorius.

s. Sed simplices everterent mentes. Scribendi cauſam aperit Optatus: ideo enim ad ſcribendum contra Parmenianum & alios Donatiſtas animum appoliſſe dicit, miſſis variis rationibus, Quòd Schiſmatis auctores turbatâ Eccleſiæ pace inſoleſcerent, & quamvis parum eſſent metuendi, ſua tamen loquacitate parum cautos decipere poſſent. Quod idem ait S. Auguſtinus lib. 1. ad Bonifacium contra 2. epp. Pelagianorum, *Quibus utique*, inquit, *eſſet reſpondendum, ne ſe vel ſuos in illo nefando errore firmarent, etiamſi non metueremus ne quemquam Catholicorum veriſimili ſermone deciperent.*

Annotationes Variorum.

noſtes, quod deinceps, ſemel à nobis monitus, lectoripſe obſervabit. Mer. Cas.

h Nec illi inconsolabiles Deo lacrymas facerent, quas Esaias testatur. Ea reſpicit Eſaiæ verba, quæ cap. 22. v. 4. *Miſſum me facite, amarè plorabo. Nemo me poterit conſolari in contritione filia generis mei.* Ita olim legebatur. Totum locum deſcribit, ac fusè proſequitur Optatus lib. 3. haud procul ab initio. Malè igitur hic ſecuti Pariſienſes priores editiones quæ ad 32. caput Eſaiæ lectorem remittunt. Idem.

i Falsorum vatum nomen et actus incurrerent. *falſorum fratrum*, non *vatum*, legendum monet eruditus & felicis ingenii adoleſcens Gaſpar Barthius, ex verbis D. Pauli ad Corinth. II. cap. XI. verſ. XXVII. *κινδύνοις ἐν θαλάσσῃ, κινδύνοις ἐν ψευδαδέλφοις*, quæ alluſit Optatus ſcilicet. Sed vide de falſis vatibus lib. 3. *Incurrendi* autem verbo cum accuſativè utitur etiam pag. ſeq. *merito ſuo iugum ſervitutis incurrit.* & lib. 6. Incert.

k Nomen, et actus. Veſtri Epiſcopi non eſſent falſi, neque fruſtra eorum nomen in altari nominaretur: per *Nomen* honorem & dignitatem Epiſcopalem; per *actus* verò, munia & functiones intelligendæ ſunt. Albasp.

l Dealbatum. Eccleſia comparatur ædificio, & Epiſcopi ædificare dicuntur, quò alluditur, aut ad illorum ſepulchra dealbata, qui tempore Macarii occiſi pro Martyribus à Donatiſtis celebrabantur. Idem.

m Nec ruinosum ac dealbatum extruerent parietem. Portenta ſunt & ſi quæ portentis magis portentoſa quæ Albaſp. hîc affert, ut locum per ſe planum, & clarum pervertat, & obſcuret. *Eccleſia*, inquit, *comparatur ædificio, & Epiſcopi ædificare dicuntur; quo alludit, aut ad illorum ſepulcra dealbata, qui tempore Macarii occiſi pro martyribus à Donatiſtis celebrabantur.* Sed jam multa ſunt hoc genus, quibus ejus notæ conſtant, ut hoc mirari nemo debeat. Cæterum de verbis ſi quis dubitat, alludit Optatus ad Ezech. 13. ubi contra *dealbatum parietem*, quemadmodum olim legebant, multa prædicuntur. Integrum locum profert, & fusè tractat Optatus ipſe lib. 3. medio fere libro. Mer. Cas.

n Nec minus astutas, sed tantum simplices everterent mentes. In his verbis ut idem Barthius putat, nec ſenſus eſt nec vita. Ego, inquit, correctione pulchrâ utrumque reſtituam, lege, *nec minus aſtutas, ſpe tantum ſimplices everterent mentes.* Quas aſtutas cum hodieque omnes agnoſcere habeant neceſſe neminem puto veritati non adſenſurum. Hæc ille. Sed cùm τὸ *tantùm* in ſecunda editione Franciſci Balduini non exſtet, videtur legendum; *nec minus aſtutas & ſimplices e. m.* Incert.

o Nec male imponendo omnibus captivis manum eversionis &c. Et ſi hoc leve eſt, movendum tamen, legendum eſſe *omnibus capitibus*, non ob eam rationem, quam Albaſp. affert, quod lib. 2. idem dixerit, *Extendiſtis enim manum, & ſuper omne caput mortifera velamina pratendiſtis, &c.* Quæ ratio ſi valeret, cùm captivorum & captivitatis eadem in re poſtcà quoque meminerit, nihil hîc mutandum eſſet; ſed cum certum ſit, eum ad ſequentia Prophetæ verba alludere, in quibus *ſuper omne caput*, haud dubium, hic quoque idem voluiſſe Optatum. Quæ verò *velamenta* intelligat, quæ hic & alibi non uno loco, *everſionis velamenta* vocat, ipſe docet lib. 2. *Væ facientibus velamen, hoc eſt, imponendo manum ſuper omnem ætatem, &c.* Ne quis ad cilicium trahat, quo publicè pœnitentium capita operiri præcipiuntur, in concil. Agath. diſt. 50. can. 63. de quo & in ſuperiori canone *Pœnitentes tempore quo pœnitentiam petunt, impoſitionem manuum, & cilicium ſuper caput à Sacerdote (ſicut utique conſtitutum eſt) conſequantur: &c.* Hieronymus etiam Epiſt. 30. *Fabiolam ſacco indutam ſtetiſſe in ordine pœnitentium, &c.* Teſtis; ut alios omittam. Quod ſequitur, *nec maledicerent Deo*, pluribus ipſe explicat lib. 4. quaſi medio, ſi fortè quis hic hæret. M. Cas.

p Omnibus Capitibus manum. Omnibus Capitibus legendum ni fallor, ut ex his ſecundi libri conſtat, *Extendiſtis manum ſuper omne caput*, quibus verbis docet Donatiſtas impoſuiſſe pœnitentiam Epiſcopis, Preſbyteris, cæteris Clericis, fidelibus, & pueris, & omnibus quos poterant circumvenire, & pervertere. Albasp.

q Eversionis. Qui innocenti pœnitentiam olim ſolemnem imponebat, eum evertebat, quia de fideli reum faciebat; præterea privabat eum communione Corporis Chriſti, qua qui privabantur, mortui cenſebantur & vera vitæ uſura carere. Id.

r Velamenta. Impoſitio manuum Pœnitentiæ eſt quædam veluti obumbratio; cùm enim Epiſcopi manum in pœnitentes porrigerent, eos veluti obumbrabant: quapropter vocat illam manus impoſitionem, *velamen*, Idem.

ſ Nec maledicerent Deo. Qui fidelem olim rebaptiſabat, aut qui fideli, & innocenti ma-

ledicerent Deo : nec rebaptizarent fideles : nec nos everſas aut occiſas innocentium animas doleremus : quas priùs doluit Deus, per Ezechic-
Ezech. 13. lem Prophetam, dicens : [t] *Væ facientibus velamen ſuper omne caput, & ſuper omnem ætatem, ad evertendas animas. Animæ everſæ, ſunt populi mei : & maledicebant mihi in populo meo, ut occiderent animas, quas non oportuit mori : dum adnunciant populo meo vanas ſeductiones.* Et tamen admiſſa ſunt hæc ab iis, qui noſtri ſunt fratres. Sed ne quis dicat, me inconſideratè eos fratres appellare, qui tales ſunt; ab Eſaiæ Prophetæ vocibus increpati exorbitare non poſſumus. Quamvis & illi non negent, & omnibus notum ſit, quòd nos odio habeant, & execrentur, & nolunt ſe dici Fratres noſtros : tamen nos recedere à timore Dei non poſſumus, quos hortatur Spiritus
Eſai. 66. ſanctus per Eſaiam Prophetam, dicens : *Vos qui timetis nomen Domini, audite nomen Domini : hi qui vos odio habent & execrantur, & nolunt ſe dici fratres noſtros, vos tamen dicite eis, fratres noſtri eſtis.* Sunt igitur ſine dubio fratres, quamvis non boni. Quare nemo miretur, eos me appellare fratres, [u] qui non poſſunt non eſſe fratres.

Eſt quidem nobis & illis una ſpiritualis nativitas, ſed [x] diverſi ſunt actus. Nam & Cham, qui patris ſui riſit impiè nuditatem, frater innocentium fuit : & pro merito ſuo jugum ſerviturìs incurrit, ut eſſet fratribus frater addictus. Ergo hoc nomen fraternitatis, nec interveniente peccato deponitur. Sed de iſtorum fratrum delictis dicam alio loco : Qui ſedentes adverſus fratrem, detrahunt, & contra nos ſcandala ponunt : & [y] cum illo fure concurrunt, qui Deo furtum faciunt. Et cum mœ-

ANNOTATIONES VARIORUM.

tus pœnitentiæ imponebat, Deo maledicebat, quia in utroque olim ſacramento fiebant exorciſmi; quibus objurgabatur ſatanas, & diſcedere, & locum vero Deo dare jubebatur : Donatiſtæ ergo in pœnitentia quam inſontibus imponebant, & in rebaptiſatione, Deo maledicebant, quia exorciſabant fidelem in quo Deus habitabat, & eum maledictis tanquam Satanam onerabant : quapropter in Auguſtino omnibus penè libris objicitur Donatiſtis, quod Deum, aut Chriſtum, aut Spiritum denique ſanctum exſufflarent, hoc eſt exorciſmis, exſufflationibus deterrerent, & fugarent : flatu enim & ſputo dæmones olim à Chriſtianis exſufflabantur, Tertullianus ad uxorem ſecundo, *aut aliquid immundum flatu expuis.* IDEM.

t VÆ FACIENTIBUS VELAMEN &c. Ita tum legebant, Ezeh. 13. 18. Hodiernam vulgatam ſi conſulas, multum differre intelliges. Quod non mirum : raró enim conſentiunt. Major, non hoc quidem loco, ſed tamen in pleriſque major cum Græcâ ſeniorum (ut ferè in ejuſdem aut majoris antiquitatis ſcriptis obſerves) convenientia. Exempli cauſâ mus profert Optatus ex Iſaiâ. *Vos qui timetis nomen Domini, audite nomen Domini. Hi qui vos odio habent, & execrantur, & nolunt ſe dici fratres noſtros, vos tamen eis dicite, fratres noſtri eſtis.* Malè ablegant editiones priores ad Iſaiæ 59. eſt enim Iſaiæ 66. 5. Ibi vulgata planè in aliam mentem. *Audite verbum Domini qui tremitis ad verbum eius. Dixerunt fratres veſtri odientes vos, & obijcientes propter nomen meum, glorificetur D & videbimus in lætitia veſtra* &c. Græci autem ἀκούσατε ῥήματα κυρίου οἱ τρέμοντες τὸν λόγον αὐτοῦ, εἴπατε ἀδελφοὶ ἡμῶν, τοῖς μισοῦσιν ὑμᾶς, καὶ βδελυσσομένοις &c. vides per omnia conſentire. Nam iſta in Optato, *& nolunt ſe dici fratres noſtros* ſunt ab Optato ipſo, qui prolatis ex ſcripturâ teſtimoniis ſolet aliqua quaſi ſupplens interſerere, ut dilucidiora ſint, quæ profert : ſæpe ut apta propoſito videantur, quæ parum alioquin appoſita. Inde eſt & illud *tamen*; *vos tamen &c.* Cætera verbatim ex Græca, niſi quod *audite nomen D.* pro *audite verbum D.* quod irrepſiſſe puto. Eodem hoc teſtimonio contra Donatiſtas utitur Auguſtinus poſt Coll. cap. poſtremo. Profert & Tertull. contra Marcion. lib. 4. cap. 16. ex eadem qua Optatus verſione. Vide & Coll. Carth. 1. pag. 64. unde quid Optatus de ſuo adjecerit liquidò conſtabit. Hoc exemplo poterit lector ſimilia alia loca, ſi operæ erit, expendere eademque ad Hebraicam quoque veritatem exigere, atque inde, (quod in multis ſuccedet) varietatis cauſas rimari. Hæc enim in hac tanta ac tam beata luce illarum literarum maluimus lectori relinquere, niſi ubi aliquid incidet, quod dignum vindice, quàm iis immorati, quæ plerique faſtidiant, quia cuivis obvia; & quia multa, has noſtras notulas inſtituto longiùs extruderent, ac diffunderent. M. CAS.

u QUI NON POSSUNT NON ESSE FRATRES. Quia non poſſunt non eſſe baptiſati, in cujus aquis tanquam in utero ſunt concepti. IDEM.

x DIVERSI ACTUS. In Cypriano, actus pro Epiſcopali functione, & pro ea diſciplina, quam obſervare facit in ſua Dioceſi accipitur, uti cùm ait unumquemque Epiſcopum de ſuo actu eſſe reſponſurum. ALBASP.

y CUM ILLO FURE CONCURRUNT QUI DEO &c. Ut verba conſtent, quæ nunc malè cohærent, ita diſtinguenda ſunt. *Ponunt, & cum illo fure concurrunt. Qui Deo furtum faciunt* (i. Deum deſerunt) *& cum mœchis, id eſt cum hæreticis partem ſuam ponunt,* &c. Pſalm. 49. 18. M. CAS.

chis, id eſt, cum hæreticis, partem ſuam ponunt: & peccata ſua laudant: & convicia contra nos Catholicos meditantur.

Omnes quidem per ſingula loca maledicis vocibus perſtrepunt: [a] ſed unum quidem vix invenimus, cum [b] quo per litteras, vel hoc modo loquamur, [1] Parmenianum ſcilicet, fratrem noſtrum: ſi tamen ſe à nobis vel hoc nomine nuncupari permittit. [2] [c] Et quia [d] collegium Epiſcopale nolunt nobiſcum habere commune, non ſint collegæ, ſi nolunt: tamen (ut ſuprà diximus) fratres ſunt. Frater meus igitur Parmenianus, [e] ne ventoſe ac nude, ut cæteri, loqueretur, quicquid ſentire potuit, non ſolùm dixit, ſed etiam in ſcriptura digeſſit. Cujus dictis, cùm reſpondere, veritate cogente, compellimur; erit inter nos abſentes quoquomodo collatio. Eodem modo & ſatisfiet deſideriis aliquorum. Nam à multis deſideratum eſt, ut ad eruendam veritatem, ab aliquibus defenſoribus partium conflictus haberetur: & fieri potuit. Sed quoniam & acceſſum prohibent, & aditus intercludunt, & conſeſſum vitant, & colloquium denegant: vel tecum mihi, frater Parmeniane, [3] ſit iſto modo collatio: ut quia tractatus tuos, quos in manibus, & in ore multorum eſſe voluiſti, non aſpernatus ſum, neque contempſi, ſed omnia à te dicta

PHILIPPUS PRIORIUS.

1. PARMENIANUM SCILICET FRATREM NOSTRUM. Parmenianus Epiſcopus erat Donatiſtarum, & Donato ſucceſſerat Carthaginenſi. Schiſmatici ambo fuere, ut & qui Parmeniano ſuffectus eſt Primianus, qui à ſuis ſymmyſtis egregiè defenſus fuit in concilio Bagaienſi, contra veritatem religionis. Frater autem hîc, & toto libro, & Donatiſtæ fratres dicuntur, quoniam eadem matre geniti, ex eadem nimirum Eccleſia: Ac quamvis Eccleſiæ unitatem ſcinderent, fraternitatis tamen vinculum diſrumpere non poterant.

2. ET QUIA COLLEGIUM EPISCOPALE NOLUNT &c. Non aſſentior facilè Albaſpinæo, qui contra ſenſum illud collegium explicat de commercio & fraternitate Epiſcoporum: Miror etiam Mericum Caſaubonum, qui alios reprehendendi tanta prurigine fertur, in eam abiiſſe ſententiam. Cuivis enim legenti patet de judicio Epiſcoporum locum hunc eſſe intelligendum: Non amplius itaque hîc hærendum.

3 SIT ISTO MODO COLLATIO. Refugiebant Donatiſtæ, collationes quaſlibet cum Orthodoxis, varios nihilominus libellos ſpargebant, ut ab iis conſultò nec temerè defeciſſe viderentur. Scriptor verò iſte, quoniam vivâ voce miſcere colloquia non poterat, Parmeniani libellos, & Donatiſtarum opuſcula in vulgus emiſſa, ſcripto hoc aggreſſus eſt.

ANNOTATIONES VARIORUM.

a SED UNUM VIX INVENIMUS CUM QUO PER LITERAS &c. Loquamur, hoc eſt, loqui poſſimus. Phraſis familiaris Jur. Conſultis l. 11. §. 4. l. 6. §. 11. D. de judic. ubi *domum revocant* pro revocare poſſunt. *fungitur* pro fungi poteſt, & talia quæ in LL. ſæpiſſime occurrunt. Iidem J. Cti. *poſſum facere* pro debeo uſurpant, quod huic affine eſt, & notavit amicus olim noſter C. Ritterhuſius ad 4. Pauli ſententiar. Plin. Valerian. lib. 4. cap. 6. de cucurbitâ. Ejus aridæ cortices efficaciter poſſunt combuſta ſanare. Idem cap. 36. poteſt cum melle canceratis mederi, lateris dolores hauſtum ex vino mitigare. cap. 40. Aliquando magis abſoluta. Idem cap. 48. ejus libri. Siliquæ recentes ſtomachum avertunt, alvum ſolvunt, eædem ſiccatæ in contrarium poſſunt. BARTH.

b QUO PER LITTERAS. De eadem re conqueritur D Auguſtinus, & cum Auguſtino de noſtris poſſumus conqueri; ſed hoc peculiare eſt hæreticis fugere Orthodoxorum colloquium. ALBASP.

c ET QUIA COLLEGIUM EPISCOPALE NOLUNT &c. Collegium Epiſcopale non aliud, quàm Epiſcoporum univerſus ordo, ac ſocietas quàm latè patet. Omnes enim toto orbe Epiſcopi *collegæ*, & ita olim viciſſim nuncupabant. Hinc aliquando *collegium* abſolutè, pro, *Epiſcopale collegium*: & *collega* pro *Epiſcopis*. Ita apud Sidonium Apoll. *turba collegii*, pro quantum eſt Epiſcoporum. Epiſt. 1. lib. 6. & qui *collegæ Provinciales*, Epiſt. 5. lib. 7. eos *Sacerdotes Provinciales* appellat. Epiſt. 25. lib 4. quicunque eſſent ejuſdem Provinciæ Epiſcopos, intelligens. M. CAS.

d COLLEGIUM EPISCOPALE. Societatem, communionem, conſortium, fraternitatem Eccleſiaſticam & Epiſcopalem: diſtinguit inter fraternitatem, & communionem, aitque Donatiſtas poſſe quidem jus communionis tollere, & dirimere, ſed non fraternitatis, quia hæc à nativitate conſequitur, illa verò in conſuetudine verſatur. ALBASP.

e CUM VENENOSE AC NUDE, UT CÆTERI, LOQUERETUR. Ita primùm correxit Fr. Balduinus, cum in Cochlei editione Germanica, omnium primâ, legeretur *Cum nequitioſè*. Verùm iteratâ editione Optati idem vir diligentiſſimus Fr. Balduinus ex meliori exemplari MS. emendavit, ac in contextum recepit, *Frater meus igitur Parmenianus, ne ventosè ac nudè, ut cæt. loquer.* INCERT.

patienter audivi: audias & [i] humilitatis* noſtræ reſponſa. Nam & ego intelligo, & tu non negas, & quivis ſapiens pervidet, te nulla alia ratione tam prolixè tractaſſe, niſi ut Eccleſiam Catholicam tuis tractatibus indignè pulſares. Sed, ut intelligi datur, aliud habet animus, aliud reſonat ſermo. Denique * omnia te video dixiſſe contra Catholicam: imo multa pro Catholica, cùm Catholicus non ſis, ut & nobis neceſſe non fuerit tractatibus tuis reſpondere: niſi, quòd dum malè inſtructus es, [f] ut quod non videris, ſed falſo audieris, loquereris, [g] cùm in Epiſtola Petri Apoſtoli legerimus: *Nolite per opinionem iudicare fratres veſtros*: [h] ut inter aliqua, quæ ad nos non pertinent (ſicuti probaturi ſumus) diceres, à nobis contra vos [i] militem eſſe poſtulatum. Cæterùm à te in aliis partibus tractatus tui, aliqua pro nobis dicta ſunt, [k] & contra vos: ut diluvii & circuncifionis comparatio. Quædam & [k] pro nobis, & pro vobis, ea, quæ in laude dixiſti baptiſmatis, præter illud quod [l] carnem Chriſti male tractaveris; ideo & pro vobis: quia quamvis foris ſitis, tamen ex nobis exiſtis. Nam & illud pro ambobus, quod demonſtraſti hæreticos [m] extraneos eſſe Catholicis Sacramentis: ſi tamen vos ipſos non eis adjungeres, quos eſſe ſchiſmaticos conſtat. Quædam pro nobis ſolis, ut cùm unius Eccleſiæ commemorationem faceres. Quædam contra vos per ignorantiam, (quia [n] peregrinus es) ut traditorum & ſchiſmaticorum accuſationem. Etiam illud eſt contra vos, quod dixiſti de oleo & ſacrificio peccatoris Ac per hoc nihil contra nos à te dictum eſt, niſi quod ignoranter dixiſti, à nobis militem poſtulatum. Quod calumnioſe à te dictum eſſe, probationibus veriſſimis demonſtrabimus. Tolle hanc calumniam, & eris noſter. Quid enim magis dici pro nobis & noſtrum eſſe poteſt, quàm quod dixiſti, [o] in comparationem Baptiſmatis ſemel factum eſſe diluvium? Et ſingularem circumciſionem ſalubriter profeciſſe popu-

al. non omnia

PHILIPPUS PRIORIUS.

1. HUMILITATIS NOSTRÆ RESPONSA. Modeſtè de ſe loquitur, quod antiquis omnibus ac probè ſentientibus familiare, qui nullo faſtu, & ambitione procul, animi ſui ſenſa proferebant. Non aliter S. Cyprianus epiſtola ad Magnum, *conſuluiſti me diocritatem noſtram*. Et Epiſt. ad Thibaritanos *& quantulacunque mediocritate exhortationis noſtræ præſens illic fraternitatem veſtram corroborare*. Et adhuc Epiſt. 51. *Catholica Eccleſia unitatem quantum potuit, expreſſit noſtra mediocritas*. Idemque locis aliis bene multis hoc loquendi methodo Græci omnes & Latini uti conſueverunt.

ANNOTATIONES VARIORUM.

f UT QUOD NON VIDISTI. Vel quia multò ante Parmenianum hæc evenerant, vel quia peregrinus erat, & ita ea non viderat. ALBASP.

g CUM IN EPISTOLA PETRI LEGERIMUS. NOLITE &c. Immo Jacobi, ni valdè fallor cap. 4. v. 11. Erroris ut conjicio, fuit hæc cauſa; quod in Jacobo, laudata ab Optato verba, quæ proximè præcedunt; eadem in Petri quoque epiſt. 1. c. 5. v. 6. M. CAS.

h UT INTER ALIQUA, &c. Non ſatis cohærent, niſi loco, *ut*, *&* vel *id* ſcribas. Ita tamen Optatum ſcripſiſſe non auſim aſſerere, cùm majora ſint in hoc genere, quæ peccat non uno loco. IDEM.

i MILITEM. Macarius manu armata & Imperatoris juſſu plebem Donatiſtarum ad Eccleſiam coëgerat, unitatemque fecerat, & quos ſchiſma diviſerat ſocietatem coïre compulerat, unde contra ſuam plebem militem, a Romanis poſtulatum conquerebantur Donatiſtæ. ALBASP.

k PRO VOBIS ET PRO NOBIS. Donatiſtarum baptiſmus ab Orthodoxis probabatur; quare quæcumque in laudem baptiſmi dicebantur pro utraque parte dicta videbantur. IDEM.

l CARNEM CHRISTI. Quia peccatricem eam eſſe dixerat. IDEM

m EXTRANEOS. Vel per Sacramenta cætera Religionis, excepto baptiſmo, intelligit myſteria, vel in Cypriani conſilii erat ſententia, quo hæreticis baptizandi poteſtas tollitur. IDEM.

n QUIA PEREGRINUS ES. Peregrinus is vocatur apud antiquos, qui natus erat in alia Diœceſi, qui quamvis multos annos in una moratus eſſet civitate, vel etiam quamvis ipſius civitatis factus eſſet Epiſcopus, peregrinus adhuc cenſebatur: uti alibi probabimus. Cæterum non licebat Preſbyterum aut Epiſcopum peregrinum ordinare, quò reſpiciens Optatus tacitè carpit Parmenianum quòd cùm alibi natus eſſet, contra Canonum mentem Carthaginis conſtitutus eſſet Epiſcopus peregrinus. ID.

o IN COMPARATIONEM BAPTISMI. Nihil magis oſtendit Baptiſmum non eſſe repetendum, quàm ejus cum diluvio comparatio. IDEM.

lo Judæorum, magis pro nobis, quaſi noſter locutus es: Hæc enim noſtra vox eſt; [p] qui [q] in Trinitate Baptiſmatis unionem defendimus: Non pro vobis qui Baptiſma, [r] in cujus imagine ſunt illa duo, audaciter, & quod contra leges eſt, iteratis: [ſ] quamvis & vos ipſi non negetis, quia non debet iterari, quod ſemel juſſum eſt fieri. Sed dum ſubtiliter laudaſti, quod omni laudis præconio dignum eſt: [t] callidè veſtram ſuppoſuiſti perſonam, ut quaſi, quia ſemel licet, vobis liceat, aliis denegetur. [u] Si Traditoribus non licet: vobis licere non debuit, [v] quorum [x] principes probamus fuiſſe Traditores. Si Schiſmaticis non licet: adæque vobis licere non debuit, apud quos [y] origo ſchiſmatis invenitur. Si peccatoribus non licet: etiam peccatores vos eſſe teſtimonio divino convincimus. Et tamen quia licet, non per electum hominem; ſed per quod ſemel licet: ideo poſt vos [z] non emendamus, quia & apud nos & apud vos, unum eſt [a] Sacramentum. Cujus Sacramenti ratio, tota quinto libro demonſtrabitur. A te quidem, frater Parmeniane, multa tractata ſunt. Sed video mihi non eo eſſe reſpondendum ordine, quo à te dicta ſunt ſingula. Tu enim primo loco dixiſti comparationes laudeſque Baptiſmatis, & præter carnem Chriſti à te malè tractatam, cætera bene dixiſti. Hoc enim magis pro nobis te dixiſſe, ſuo loco demonſtrabitur. Secundo autem loco, excluſis hæreticis, unam dixiſti eſſe Eccleſiam; ſed eam, ubi ſit, agnoſcere noluiſti. Tertio loco, traditores [b] nullis certis perſonis aut nominibus accuſaſti. Quarto à te [c] unitatis lacerati ſunt operarii. Quinto, ut minima prætermittam, dixiſti [d] de oleo & ſacrifi-

PHILIPPUS PRIORIUS.

1 QUORUM PRINCIPES PROBAMUS FUISSE TRADITORES. Traditores ſemen fuere Donatiſtarum, unde eos meritò vocat Principes ſchiſmatis. Erant autem traditores, Chriſtiani, tum clerici, tum etiam laici, qui ſæviente perſecutione, libros ſacros aut tradebant Gentilibus, ad comburendum, aut quibus in locis laterent, indicabant. Id explicat paulò poſt Optatus.

ANNOTATIONES VARIORUM.

p QUI IN TRINITATE BAPTISMATIS. Qui in baptiſmo facto in nomine Patris, Filii, & Spiritus ſancti dicimus generationis Sacramentum bene & utiliter collatum, quamvis apud hæreticos factum ſit. IDEM

q IN TRINITATE BAPTISMATIS. Ordo verborum, quæ alioquin ſubobſcura videantur, hic eſt, *Qui unionem baptiſm. in Trin def.* Id eſt, baptiſmatis in nomine Trinitatis adminiſtrati. Non immeritò tamen ſuſpicetur aliquis, Optatum hic per Trinitatem Baptim. trinas illas merſiones intelligere, quas Apoſtolorum uti vocant, can. 50. τρία βαπτίσματα nuncupat, & ſecundum baptiſma, aut intelligi aut reſtitui debere in hunc modum, *qui in Trinitate baptiſmatis*, *ejus*, ſive *baptiſmatis*, *uni: defend.* Priorem tamen interpretationem magis probo, quando & alii ita quoque loquuntur, *in Trinitate* baptizare ἀντὶ in nomine Trinitatis. Optatus ipſe lib. 5. *Baptiſma Chriſtianorum Trinitate confectum. &c.* eodem lib. *Nemo adhuc tinctus fuerat in Trinitate. &c.* ac deinceps ſæpius. M. CAS.

r IN CUJUS IMAGINE. Diluvium, & Circumciſio erant imagines Baptiſmi. ALBASP.

ſ QUAMVIS ET VOS IPSI. Donatiſtæ non docebant baptiſmum iterandum eſſe, ſed rebaptiſabant Orthodoxos, quod eorum aquis vim ad ſordes abluendas ineſſe negarent. IDEM

t CALLIDE VESTRAM PERSONAM. Senſus eſt: per ea quæ de Baptiſmi laudibus prædicatis cum Orthodoxis convenire videmini: verum longè aliter eſt: nam cùm unum tantum eſſe baptiſma, & illud ab illis duntaxat conferendum eſſe penes quos eſt Eccleſia, doceatis, tacitè, & callidè jus baptiſandi vobis ſolis adrogatis, & nobis qui ex veſtra ſententia, jus Eccleſiæ, traditionis crimine amiſimus, tollitis. ID.

u SI TRADITORIBUS. Cœcilianus, Cœcilianique ſucceſſores, & fideles qui cum eis communicarent, hoc eſt omnes Africæ fideles, traditionis crimine à Donatiſtis notabantur, atque ob hanc cauſam baptiſandi poteſtate carere ab iiſdem exiſtimabantur. IDEM

x PRINCIPES. Majores, & auctores à quibus deſcendiſti. IDEM

y ORIGO SCHISMATIS. Majorini ordinario. IDEM

z NON EMENDAMUS. Non rebaptiſamus, ALBASP.

a SACRAMENTUM. Unum Baptiſma. ID.

b NULLIS CERTIS PERSONIS. Nullis teſtibus aut actis: vel nullum ex Orthodoxis peculiari nomine, aut actione inſtituta, traditionis accuſatis; ſed eos omnes hoc crimine damnatis. ID.

c OPERARII UNITATIS. Paulus, & Macarius qui ex mandato Conſtantis Imperatoris unitatem in Africa fecerant, hoc eſt, qui Donatiſtas ad Eccleſiam Catholicam adducere volebant. IDEM

d DE OLEO, ET SACRIFICIO. In his duobus penè omnis Sacerdotii vis & operatio conſi-

cio peccatoris. Sed mihi videtur primo loco traditorum & ſchiſmaticorum [e] indicandas eſſe civitates, perſonas, & nomina: ut quæ à te de iis dicta ſunt, veros auctores & certos reos ſuos agnoſcant. Deinde mihi dicendum eſt, quæ, vel ubi ſit Eccleſia, quæ eſt una: quia præter unam altera non eſt. Tertio, à nobis militem non eſſe poſtulatum, & ad nos non pertinere, quod [f] ab operariis unitatis dicitur eſſe commiſſum. Quarto loco, qui ſit peccator, cujus ſacrificium repudiat Deus, vel cujus [g] oleum fugiendum ſit. Quinto, de Baptiſmate. [h] Sexto, de inconſideratis præſumptionibus & erroribus veſtris. Sed priuſquàm de rebus ſingulis aliquid dicam: quod carnem Chriſti male tractaveris, breviter oſtendam. Dixiſti enim, [i] carnem illam peccatricem, Iordanis demerſam diluvio, ab univerſis ſordibus eſſe mundatam. Meritò hoc diceres, ſi caro Chriſti pro omnibus baptizata ſufficeret, ut nemo pro ſe baptizaretur. Si ita eſſet, ibi eſſet totum genus hominum: Illic omne, quod corporaliter natum eſt: nihil eſſet inter fideles & unumquemque gentilem: quia in omnibus caro eſt. Et dum nemo non eſt qui non habeat carnem, [k] ſicut dixiſti, caro Chriſti diluvio Jordanis demerſa eſt, omnis caro hoc beneficium conſequeretur. Aliud eſt enim caro Chriſti in Chriſto, aliud uniuſcujuſque in ſe. Quid tibi viſum eſt, carnem Chriſti dicere peccatricem? utinam diceres, *Caro hominum in carne Chriſti*. Nec ſic probabiliter dixeris. Quia unuſquiſque credens, in nomine Chriſti baptizatur: non in carne Chriſti, quæ ſpecialiter illius erat. Addo, quod ejus caro de Spiritu ſancto concepta, inter alios [l] non potuit in remiſſam peccatorum tingi, [m] quæ nullum videbatur admiſiſſe peccatum. Addidiſti, & Iordanis diluvio demerſam: ſatis inconſideratè hoc uſus es verbo. Quod verbum ſoli Pharaoni, & ejus populo debebatur, qui pondere delictorum, tanquam plumbum,

ANNOTATIONES VARIORUM.

ſtit; per Oleum enim pœnè omnia ſacramenta intelliguntur, in quibus Oleum Sanctum adhibetur. Id.

[e] INDICANDAS ESSE CIVITATES Indicandum in qua Civitate tradiderint ſacros Codices, ut ex illius Civitatis actis publicis manifeſtum poſſet fieri, & legi, quinam Diocletiani, aut Maxentii tempore hoc crimine tenerentur. Id.

[f] AB OPERARIIS UNITATIS. De Paulo, & Macario ſemper conqueſti ſunt Donatiſtæ; ut licet videre apud divum Auguſtinum; verum Auguſtinus, & Optatus negabant ad Eccleſiam pertinere, ſi quid alienum à Chriſtiana charitate in illa expeditione factum eſſet. IDEM

[g] OLEUM FUGIENDUM Fugiendum, & contemnendum eſt oleum hæreticorum, aut peccatorum, quia ad illius unctionem gratiam ſuam Deus non infundit. ID.

[h] SEXTO DE INCONSIDERATIS. De his agitur libro ſexto. ID.

[i] CARNEM ILLAM PECCATRICEM. De propria Chriſti carne non de Corpore ejus myſtico hanc blaſphemiam dixerat Parmenianus. IDEM

[k] SICUT DIXISTI CARO CHRISTI. Pro *ſicut* lege *ſi ut*, duobus verbis; Ita enim ſententia requirit, quæ alioquin nulla poteſt elici ex vulgatâ lectione. Si, inquit, ut tu quidem vis, & interpretaris, Caro Chriſti, id eſt, omnis caro peccatrix, *&c.* Quod autem hic, *nemo non eſt* pro *nemo eſt* etſi durum, non auſim tamen emendare, quia haud diſſimile alibi obſervavi. M. CAS.

[l] NON POTUIT IN REMISSAM PECCATORUM TINGI *Remiſſam peccatorum* dicit pro *remiſſione* etiam alibi, quomodo & uſurpat Cyprianus De bono patientiæ: *Dominus*, inquit, *baptizatur à ſervo, & remiſſam peccatorum daturus, ipſe non dedignatur lavacro regenerationis corpore abluere.* Idem lib. 3. epiſt. 14. *Qui autem blaſphemaverit in Spiritum ſanctum, non habet remiſſam, ſed reus eſt æterni peccati.* Similia alia apud Auctores occurrunt. Nec aliter *offenſa* vulgo pro *offenſione* dicitur. INCERT.

[m] QUÆ NULLUM VIDEBATUR ADMISISSE PECC. Minus cautè, ne dicam piè locutus cuipiam videri poſſit Optatus, qui vim locutionis, non ignotæ quidem, ſed antiquis minus uſitatæ, non advertat. *Quæ nullum videb.* id eſt, quæ nullum admiſerat. Ita apud Lampridium in Alex. Sev. *Fures judicare juſſit in civitatibus nullis unquam videri.* Plura exempla ſi requiris, adi Caſaubonum, ad illa Capitolini, *ut octo pedes digito videretur egreſſus*: pag. 399. Quomodo & loquitur Apoſtolus, ut hîc obiter moneam 1. Cor. 11. 6. *Siquis autem videtur contentioſus eſſe.* Atque iterum proximo cap. *quæ videntur membra &c.* nec non & Chriſtus Lucæ 8. 18. *quod videtur habere &c.* Ac denique ſcriptor ad Hebr. 4. 1. *μήποτε δοκῇ τις ἐξ ὑμῶν &c.* Hujus autem locutionis apud hunc noſtrum exempla, cùm ſingulæ propè paginæ ſuppeditent, ſemel monuiſſe ſufficiat. At lib. 2. *Quid mendacem videre vultis Spiritum ſanctum. &c.* Etſi ferri poſſit in Optato, puto tamen eum ſcripſiſſe *videri*, M. CAS.

its

ita merſus ſit, ut ibi remanſerit. Chriſti autem caro, dum in Jordane deſcendit & aſcendit, demerſa à te dici non debuit. Cujus caro ipſo Jordane ſanctior invenitur, ut magis aquam ipſa deſcenſu ſuo mundaverit, quàm ipſa mundata ſit. Etiam illud præterire non poſſum: quod te ſubtiliter egiſſe conſidero, ut ad inducendos vel decipiendos animos audirorum, poſt circumciſionis & diluvii deſcriptionem, & poſt laudem Baptiſmatis, hæreticos cum erroribus ſuis mortuos, & oblivione jam ſepultos quodammodo reſuſcitare voluiſti, quorum per provincias Africanas, non ſolùm vitia, ſed etiam nomina videbantur ignota. Marcion, Praxeas, Sabellius, Valentinus, & cæteri, temporibus ſuis à [n] Victorino [o] Pictavienſi, & [p] Zepherino Urbico, & [q] Tertulliano Carthaginenſi, uſque ad Cataphrygas: & ab aliis adſertoribus Eccleſiæ Catholicæ ſuperati ſunt. [r] Ut quid bellum cum mortuis geris, quod ad negotium temporis noſtri non pertinet? Sed quia ſchiſmatis hodie aliquid, quod probare poſſis in Catholicos, non habes, ideo ad prolixitatem ſcripturæ tuæ augendam, tot hęreticos cum erroribus ſuis commemorare voluiſti. Nunc alia quæſtio eſt. Ut quid à te memorati ſunt illi, [ſ] apud quos non ſunt [t] Sacramenta, quæ nobis & vobis videntur eſſe communia? [u] Sanitas non flagitat medicinam. De ſe ſecura virtus, forinſecus non quærit auxilia. Veritas non deſiderat argumenta: ægroti eſt, remedia quærere: inertis & imbecillis eſt, auxilia comparare: Mendacis eſt, argumenta conquirere. Interea dixiſti, apud hæreticos [x] dotes Eccleſiæ eſſe non poſſe. Et rectè dixiſti: ſcimus enim hæreticorum Eccleſias ſingulorum proſtitutas, nullis [y] legalibus Sacramentis, & ſine [z] jure honeſti matrimonii eſſe:

ANNOTATIONES VARIORUM.

n VICTORINO EPISCOPO. Pictavienſi, qui ſub Diocletiano Martyrio coronatus eſt, quique multa ſcripſit teſte divo Hieronymo, quorum ne quidem paginam habemus. ALBASP.

o VICTORINO PICTAVIENSI, ET ZEPHERINO URBICO. Novum loquendi genus jam multis obſervatum. Ita Victor Uticen. de Perſecutione Vandal. lib. 1. *Cujus exitum ita urbici captivi planxerunt, ut tunc ſe putarent magis tradi manibus barbarorum, quando ille perrexit ad cœlum.* De Captivis cum Romanis agere diſcas è præcedentibus. Optatus infra, *poſtquam ordinatus in urbe purgatus*, id eſt Romæ, idemque alicubi, *urbica commoratio*, eâdem mente. M. CAS.

p ZEPHERINO URBICO. Romanæ urbis Pontifici, Urbicus enim in antiquis auctoribus pro Rom. accipitur, uti in Concilio Arel. primo. ALBASP.

q TERTULLIANO. Inter Catholicæ hiſtoriæ adſertores, & vindices Tertullianum adnumeravit, & non immerito, nam nemo unquam acrius in hæreticos vindictam exercuit, eoſque perſequutus eſt, quàm auctor iſte. IDEM.

r UT QUID BELLUM CUM MORTUIS GERIS? *Ut quid*, valet *quare*. ſic ſtatim infra ibid. *Ut quid à te memorati ſunt illi?* & lib. 2. *Ut quid tale infringitis promiſſum?* & lib. 3. *Ut quid hoc factum eſt vobis?* D. Hieronymus in vita Hilarionis: *Ut quid, reſpondit, intrarem in eum qui habebat collegam meum?* Et utitur hoc modo Martialis, auctor teriſſimus, lib. 7. epigr. 33. *Ut quid in Domini Deique noſtri. Præfers muneribus?* & alibi. INCERT.

ſ APUD QUOS NON SUNT SACRAMENTA. Ego ex hoc, & ex multis aliis locis quantum conjicio, Optatus non exiſtimabat hæreticos poſſe baptiſare, quidquid ſit, magnum inter Hæreticos, & ſchiſmaticos ponit diſcrimen. ALBASP.

t APUD QUOS NON SUNT SACRAMENTA &c. Ea erat Catholicorum etiam multorum à Cypriani uſque temporibus in Africâ ſententia, de qua non uno loco Balduinus, Baptizatos ab hæreticis, eſſe rebaptizandos. Quare quod poſteà hoc ipſo libro, *ab Eccleſiâ alienum eſſe, quod Donatus confeſſus eſt, ſe rebaptizaſſe*; monet Balduinus, non id in Africâ, ſed Romæ, ubi contraria ſententia ſemper obtinuit, eſſe pronuntiatum. Quod quidem verum eſt, cùm pars ſit ſententiæ à Melchiade Rom. in Donatum latæ. Cur tamen idem in Africâ quoque à Catholicis Afris pronuntiari non potuerit, nihil obſtat. Neque enim de rebaptizatione hæreticorum, ſed ſchiſmaticorum illis verbis agitur, quam non minus improbant Afri, quàm tranſmarini Catholici. Quod autem in rebaptizandis vel non rebaptizandis hæreticis diſcrimen à veteri Eccleſia obſervatum ſit, conſulendi ſunt antiqui canones, & Auguſtinus de Baptiſmo. M. CAS.

u SANITAS NON FLAGITAT. In Africa nullum eſt illarum ſectarum veſtigium: quare ergo contra illas declamaſti? ALBASP.

x DOTES. Per dotes intelligit Eccleſiæ proprietates, veluti poteſtatem, cathedram, annulum, fontem, & ſimilia, quæ illi à Chriſto tanquam dotalia aſſignata ſunt. IDEM.

y LEGALIBUS SACRAMENTIS. Cùm Eccleſia ſit Chriſti ſponſa, multa de ea per jura & leges matrimonii ab antiquis explicantur; quare hoc loco ait Optatus hæreticos non poſſe jure, & vi matrimonii uti ſacramentis, quemadmodum Orthodoxi utebantur, quia cum Chriſto non eſſent matrimonii dignitate conjuncti. IO.

z JURE HONESTI MATRIMONII. Jus

lum, quo legitur fons eſſe ſignatus: [f] nec aliquem illorum eſſe, ad quem [g] hortus ille pertineat, in quo Deus arbuſculas plantat. De quibus hæreticis, quamvis ad præſentem non pertineat cauſam, quod diu locutus es, & ſuſtecerat & abundabat. Sed miror, quid tibi viſum eſt, etiam vos ipſos eis adjungere, quos eſſe ſchiſmaticos conſtat, [h] dum Eccleſiæ dotes & hæreticis ipſis, & vobis ſchiſmaticis denegaſti. Dixiſti enim inter cætera, ſchiſmaticos [i] à vite, velut ſarmenta, eſſe conciſos: deſtinatos pœnis, tanquam ligna arida, gehennæ ignibus reſervari. Sed video te adhuc ignorare ſchiſma apud Carthaginem à veſtris principibus factum. Quære harum originem rerum, & invenies hanc te in vos dixiſſe ſententiam, cùm ſchiſmaticis hæreticos ſociaſti. Non enim [k] Cæcilianus [n] exivit à Majorino [l] avo tuo: ſed [m] Majorinus à Cæciliano. [o] Nec Cęcilianus receſſit [p] à

ANNOTATIONES VARIORUM.

ta nitatur: ideo autem obſcura, tum quod hic imperfecta, tum quod à nullo quod ſciam veterum, ut ab ipſo tradita ſit, à quo lucem minus perfectis & dilucidis Optati locis mutuari poſſimus. Eidem Bald. aſſentior, eum quaſdam quaſi notas, & inſignia quibus dignoſci poſſet Eccleſia, tradere voluiſſe. Eas autem notas quinque numero ſtatuit, quarum tres, *fons, annulus, angelus*, ad Baptiſmum pertinent. Fontis & annuli fundamentum ponit in Cantic. 4. 12. Angeli verò (de quo plura poſtea dicturi ſumus) in Angelo piſcinæ Bethſaidæ. Nam & Angelum aquis ſacri lavacri intervenire credebant, & illam piſcinam, Baptiſmi figuram fuiſſe, ut poſtea pluribus docebimus. Idem tamen Optatus lib. 2. has dotes ab ipſis Eccleſiæ membris & viſceribus, quæ vocat, diſtinguit, quæ in Sacramentis & nominibus, ſive perſonis Trinitatis, vera nempe Trinitatis agnitione, non in ornamentis, ſcribit ipſe conſiſtere. Diſtinguit igitur has dotes à Sacramentis; quarum tamen ad Baptiſmum pleræque pertinent. Porò ſi notas & indicia conſtituere voluit, quibus ornata dignoſceretur Eccleſia, quid attinuit Angeli meminiſſe, quàm ut peragentis ſalutaris aquæ myſteriis præſentem intereſſe concedamus, nemo tamen ita præſentem dixerit, ut videri poſſit? Hæc eò dico pluribus, ne quis in his ſubtilibus argutiis, quas tanto noſter hic conatu, fruſtra ſe torqueat, quaſi magna ea iis myſteria erutiurus: excuſſa enim, leviora quam ſubtiliora comperientur. Ut vel eo nomine graviores alios, & doctiores, abſtinuiſſe putem. M. CAS.

f NEC ALIQUEM ILLORUM ESSE. Nec aliquis illorum ſit, poſtularet recta latinitas. Optatus fortaſſe reſcripſerat *eſſet* pro *ſit*, ſolitâ enallage; unde poſtea mutato caſu τὸ *aliquis* factus eſt infinitivus. Aut ſi *aliquem* retinemus, tum ſcripſerit Optatus, *eſſe neceſſe*, quorum alterum propter affinitatem ſcripturæ ſit omiſſum: prono ſane lapſu, & in Manuſcr. paſſim obvio, ut poſtea quoque obſervabimus. Quid, quod compendia ejuſmodi ſive ſyllabarum, ſive etiam vocum integrarum veteres ſcribæ quæſiverunt, ut *nec'eſſet*, pro *neceſſe eſſet*? Quod & Typographos aliquando retinuiſſe obſervare memini. Ego tamen in eâ potius ſum ſententiâ, ab ipſo Optato eſſe, hoc quidquid eſt: neque abhoret ab illo ævo. Illud maxime me movet, quod ſimiles ſolœciſmi (ſive ἀσυνάρτητα mavis appellare) præcedente particula *ut* occurrunt, apud hunc noſtrum non uno loco. M. CAS.

g HORTUS. Eccleſia ni fallor. ALBASP.

h DUM ECCLESIÆ DOTES. Cum hæreticis ſchiſmaticos adjungas, dotes Eccleſiæ vobis denegaſtis, quos conſtat eſſe ſchiſmaticos. IDEM.

i A VITE. Non videtur his aſſentiri Optatus. IDEM.

k CÆCILIANUS. Succeſſit Menſurio, & ſub eo, & propter eum ortum eſt Schiſma IDEM

l AVO TUO Hæc pugnare videntur contra ea quæ diximus in tertia Obſervatione de Donato Caſenſi, cui nullus locus relinquitur in Sede Carthaginenſi, ſi pro avo Majorinum habuit Parmenianus: nam conſtat eum extincto magno Donato, Carthagine ordinatum fuiſſe: Cæterum Epiſcoporum ſucceſſiones, & ordinationes non aliter exponuntur ab antiquis, quàm mortalium generationes & affinitates; neque aliter de iis loquuntur, quàm ſi de aliqua familia, & domo loquerentur. Epiſcopus enim qui ordinabatur in ſedem defuncti, filius, & proles illius in cujus locum ſufficiebatur, vocabatur: ſeries ordinationum, hiſce cognationis verbis numerabatur. IDEM

m MAJORINUS. Domeſticus Lucillæ Hiſpanæ, qui erat lector ſub Cæciliano, & qui fuit ordinatus contra Cæcilianum, & altare contra altare erexit in Civitate Carthaginenſi. IDEM

n EXIVIT Cæcilianus legitima & ordinaria via fuit ordinatus poſt Menſurium, poſt cujus ordinationem factione illius mulieris fuit ordinatus Majorinus; quare Majorinus exivit, & ſeceſſit à Cæciliano; non autem Cæcilianus à Majorino: is enim exire cenſetur qui ſchiſma facit, & qui alio ſedente, locum & ſedem occupare nititur. ID.

o NEC CÆCILIANUS REC. A C. P. Scire velim L. multa hinc & ſimilibus aliis ex locis ad cauſam religionis trahere Albaſp. Paſſimque ex Baronio Perronioque Cardd. interſerere; quæ nos de induſtriâ miſſa facimus omnia. Fecimus autem, tum quia prolixioris erant operæ, & à propoſito noſtro alienæ; tum quia nihil ab eo novum videbamus afferri, quod non jam ad nauſeam uſque ultro citroque tortum ac retortum fuerit, ſitque hodie, ſcriptis ejus argumenti pluribus tritiſſimum, ac decantatiſſimum. M. CAS.

p A CATHEDRA PETRI. Una eſt tantùm Cathedra in Eccleſia quam Petrus accepit à Chriſto, quamque ſingulis Epiſcopis communicavit, & ſingulis etiam nunc diebus communicat per Pontifices qui cum eo cenſentur, & ſunt una eademque cato, & perſona. Hæc eſt antiquorum doctrina: meritò igitur vocat Cathedram Carthaginienſem, Cathedram Petri, quia Petrus eam genuit, ut loquitur Tertullianus. ALBASP.

Cathedra Petri [q] vel Cypriani, ſed Majorinus: [r] Cujus tu [s] Cathedram ſedes, quæ ante ipſum Majorinum [t] originem non habebat. Et cum hæc ita geſta eſſe maniſeſtiſſimè conſtet, & vos hæredes eſſe Traditorum & ſchiſmaticorum evidenter appareat: ſatis te miror, frater Parmeniane, cùm ſchiſmaticus ſis, ſchiſmaticos hæreticis adjungere voluiſſe: aut ſi ſic tibi videtur, & ita placet, [u] contra [x] illa quæ à te pauló antè ſunt dicta, (dixiſti enim fieri non poſſe, ut in falſo Baptiſmate inquinatus abluat, immundus emundet, ſupplantator erigat, perditus liberet, reus veniam tribuat, damnatus abſolvat) bene hæc omnia poterunt [y] ad ſolos hæreticos pertinere, quia falſaverunt Symbolum, alter dum dixerit duos Deos, cùm Deus unus ſit: alter patrem vult in perſona filii cognoſci, alter carnem ſubducens filio Dei, per quam Deo reconciliatus eſt mundus: Et cæteri hujuſmodi, qui [z] à Sacramentis Catholicis alieni eſſe noſcuntur. Quare pœniteat te talibus hominibus etiam ſchiſmaticos adjunxiſſe. In te enim convertiſti [a] ſententiæ gladium, dum æſtimas, quia alteros appetebas. Et non attendiſti inter ſchiſmaticos & hæreticos, quàm ſit magna diſtantia. Inde eſt, quod ignoras, & quę ſit ſancta Eccleſia: & ſic omnia miſcuiſti.

[b] Catholicam facit ſimplex & verus intellectus, intelligere ſingulare ac veriſſimum [c] Sacramentum, & [d] unitas animorum. [e] Schiſma verò, [f] ſparſo coagulo pacis, diſſipatis ſenſibus generatùr, livore nutritur, æ-

ANNOTATIONES VARIORUM.

q VEL CYPRIANI. Cypriani mentionem facit, quia nullus hanc Cathedram majori cum gloria, aut ſanctitatis fama occupaverat; vel etiam quia de ejus ſede & Cathedra non ambigebant Donatiſtæ. IDEM.

r CUJUS TU CATHEDRAM. Carthaginis erat Epiſcopus ſchiſmaticus. IDEM.

ſ CUJUS TU CATHEDRAM SEDES. Sedere pro Inſidere huic auctori familiare eſt, ut ſuadere uſurpat Vincentius. Verum hoc noſtri verbum eſt ſacerdotale. *Cypriani cujus tu cathedram ſedes.* BARTH.

t ORIGINEM. Cathedra Parmeniani originem non habebat, quia ſuccedebat Majorino, qui Majorinus nemini ſucceſſerat; nam Cæcilianus Menſurii locum, & ſedem habebat; & ita Majorini Cathedra nullam originem habebat: & erat adultera, falſa, nova ſine Patre, & per ſchiſma genita & introducta. ALBASP.

u CONTRA ILLA. Quædam deſiderari videntur in hac ſententia, ſed ſenſus eſt, ſi tibi placet ſchiſmaticos hæreticis adjungere, miror te aliquid contra hæreticos dixiſſe; quia de ſchiſmaticis idem dicendum eſt, & de Donatiſtis qui ſunt ſchiſmatici. IDEM

x CONTRA ILLA QUÆ A TE PAULO ANTE SUNT DICTA. Contra hic idem eſt, ac ſi dixiſſet, è diverſo, rurſus, ſive, *enim verò*; repetendo verbum *miror*, à principio. Cùm tamen poſteà ſequatur, *In te convertiſti ſententiæ gladium, dum æſtimas, quia alteros appetebas*: non male reſtituas *contra illa quæ ante paulò dicta ſunt, dixiſti*. Error ab eo fonte, quo multi paſſim: inde nempe quod alterum *dixiſti* proximè ſequatur. Quamquam nec illo *dixiſti* opus erit, ſi *ſunt* vel *fuerunt* intelligas. Sed hoc leve. Monendum tamen fuit, ne quis cum Albaſp. putet aliquid hìc deeſſe. M. CAS.

y AD SOLOS HÆRETICOS. Non vult dicere hæreticos non poſſe baptiſare, ſed eos duntaxat hæreticos, qui non tingebant in nomine Patris, Filii, & Spiritus ſancti, quique de tribus perſonis malè ſentiebant. ALBASP.

z A SACRAMENTIS CATHOLICIS. A Symbolo, & rebus fidei. IDEM

a SENTENTIÆ. Probaſti te non poſſe conferre Baptiſmum quia ſchiſmaticos cum hæreticis miſcuiſti, qui de Trinitate malè ſentiunt. IDEM

b CATHOLICAM FACIT SIMPLEX ET VERUS INTELLECTUS, INTELLIGERE. Ut aliquis ſit ſenſus, vel expungendum eſt illud *intelligere*, quod ſane melius abſit, aut conjungendum cum præcedenti, *facit*: *facit intelligere*, ideſt, declarat, indicat. Sæpe enim redundat illud *intelligere*, ut *intelligeris ignorare*, pro, ignoras, poſt pauca, & lib. 2. ſemel iterumque animadvertas ita uſurpari, ut ſententiæ nihil interſit, ſi tollatur. *Intellectus* autem & *intelligentia* pro *ſenſu* aut interpretatione, ut vulgo loquimur; apud Eccleſiaſticos Scriptores translatitium. Mox autem, quem offendet, indicativus *abſcedunt*, pro ſubjunctivo (quod erat legitimum) legat ille *& deſerta*, non ut hic, *ut des*. Aliter tamen ego ſentio. M. CAS.

c SACRAMENTUM. Unum ſymbolum; unam fidei regulam. ALBASP.

d UNITAS ANIMORUM. Communio interna animarum: idem ſenſus eadem voluntas. IO.

e SCHISMA, SPARSO COAGULO PACIS, GENERATUR. Elegantiſſimè *coagulum* pro *copula* poſuit Varro in Satyrarum fragmentis, de vino,

Hoc continet coagulum convivia.

Et Publius Syrus in Mimis.

Amicitiæ coagulum unicum eſt fides. INCERT.

f SPARSO COAGULO PACIS. Elegantiſſimè coagulum pro copula dixit Publius Mimus: *amicitiæ coagulum unicum eſt fides.* Varo de vino. *Hoc continet coagulum convivia.* Vide plura infra horum commenti. Copula perfidiæ apud Virgilium fine lib. 1. BARTH.

mulatione & litibus roboratur, [1] ut deſerta matre Catholica, impii filii dum foras exeunt, & ſe ſeparant (ut vos feciſtis) à radice matris Eccleſię, invidiæ falcibus amputati, errando rebelles abſcedunt. Nec poſſunt novum aliquid, aut aliud agere, niſi quod jamdudum [g] apud ſuam didicerunt matrem.

Hęretici verò, veritatis exules, ſani & veriſſimi [h] Symboli deſertores, de ſinu Eccleſię ſanctę impiis ſenſibus depravati contempto [i] quod bene fuerant geniti, ut ignorantes & rudes deciperent, [k] de ſe naſci voluerunt. [l] Et [m] qui jam dudum vitalibus paſti fuerant cibis, corruptela malę digeſtionis, [n] in [o] pernicie miſerorum, diſputationibus impiis venena mortifera vomuerunt. Vides ergo, frater Parmeniane, hęreticos [p] à domo veritatis extorres, ſolos habere [q] varia & falſa baptiſmata: Quibus inquinatus non poſſet abluere, immundus emundare, ſupplantator erigere, perditus liberare, reus veniam tribuere, damnatus abſolvere. Bene clauſiſti hortum hęreticis, bene revocaſti [r] claves ad Petrum, bene abſtuliſti [ſ] colendi poteſtatem, ne arbuſculas colerent ii, quos ab hortulo & paradiſo Dei conſtat alienos. [t] Bene ſubduxiſti annulum iis, quibus aperire non

PHILIPPUS PRIORIUS.

1. DESERTA MATRE CATHOLICA &c. Sanctus Auguſtinus lib. de fide & ſymbolo cap. 10. Hæretici, inquit, & ſchiſmatici congregationes ſuas, Eccleſias vocant: ſed hæretici de Deo falſe ſentiendo, ipſam fidem violant; ſchiſmatici autem diſciſſionibus iniquis à fraterna charitate diſſiliunt, quamvis ea credant, quæ credimus. Quapropter nec hæreticus pertinet ad Eccleſiam Catholicam, quæ diligit Deum, nec ſchiſmaticus, quoniam non diligit proximum. Neſcio an etiam conducat in hunc ſenſum adducere alluſionem S. Antiochi hom. 80. ἀλλ' ὁ Θεὸς συνεκέρασε τὸ σῶμα, τῷ ὑστεροῦντι περισσοτέραν δοὺς τιμὴν, ἵνα μὴ ᾖ σχίσμα ἐν τῷ σώματι, ἀλλὰ τὸ αὐτὸ ὑπὲρ ἀλλήλων τὰ μέλη μεριμνῶσι. Ideſt, Deus ſane ita corpus temperavit, debiliori largitus potiorem honorem, ne in corpore fieret diviſio, ſed idem erga invicem membra cogitarent.

ANNOTATIONES VARIORUM.

g APUD SUAM DIDICERUNT MATREM. Apud veram Eccleſiam à qua cùm receſſerint, non poſſunt aliter de fide ſentire, neque aliter ſacramenta celebrare quàm Mater Eccleſia. ALBASP.

h SYMBOLI DESERTORES. Regulam fidei evertentes & deſerentes, ut ait Tertullianus de præſcriptionibus. IDEM.

i QUOD BENE FUERANT GENITI. Fuerant geniti in Eccleſia. IDEM.

k DE SE NASCI VOLUERUNT. Novum caput, ut ait Joannes Jeroſolymitanus ad Epiphanium erexerunt, & novam conſtituerunt Eccleſiam, & Cathedram à nullo prognatam; & deſcendentem; hoc eſt de ſe naſci: ſive originem illam quam habebant reliquerunt, & novam Eccleſiam poſuerunt. IDEM

l ET QUI IAMDUDUM IN TALIBUS PASTI FUERANT CIBIS. Repone, *iamdudum vitalibus paſti f. c.* Sanè cum Barthio non auſim in me recipere legendum *iamdudum inſalubribus*. Atque ita quemadmodum ego reſtituendum monui, didici poſtea, inſpecto Fr. Balduino, extare in meliori exemplari ſcripto INCERT.

m ET QUI IAMDUDUM VITALIBUS. &c. Cum cibos quales fuerint antea non meminerit auſim in me recipere legendum *iamdudum inſalubribus* pro *in talibus*, *perniciem* verò reponendum, vel puer viderit. BARTH.

n IN PERNICIE MISERORUM. Perperam, & *perniciem* reponendum vel puer videat. INCERT.

o IN PERNICIE MISERORUM DISPUTATIONIBUS IMPIIS &c. *Perperam* inquiunt notæ L. & *perniciem* reponendum vel puer videat. Ita ſane poſtularet uſus; ſed aliter amant hi Scriptores, & nihil omnino corrigendum. Ita Salvianus alicubi *in uſu miſericordiæ collocare*. Noſter lib. 5. *videte quod in ſalute humani generis ſit pollicitus Chriſtus*. Idem mox. *Cum multos tingeret in pœnitentia ac remiſſâ peccatorum &c.* Talia multa reperias. Pariter dictum eſt à Victore Uticenſi. *Servire in eccleſiis & baſilicis*. &c. *Projicere in partibus maritimis* &c. *conjicere in vinculis* &c. *relegare in Eremi partibus* &c. *in longinquis & extremis regionibus detrudere &c.* Apud Luciferum Calarit. *mittere in camino ignis*. Sed in illo minus mirum, qui totus ubique σερβαρίζει. M. CAS.

p A DOMO VERITATIS SATIS EXTORRES. *Satis* valet *nimis*. Arnobius lib. 5. *Quid nefarium videbatur ſatis patrem cum filia cominus uxoriâ coniugatione miſceri*. Sic ſæpius D. Auguſtinus, Hieronymus, Rufinus, & alii. INCERT.

q VARIA, ET FALSA. Quia falſa de Trinitate ſentientes, ut ait ſuprà, ſymboli deſertores habebantur. ALBASP.

r CLAVES AD PETRUM. Hoc eſt unam eſſe Cathedram, & eam agnoſci per communionem cum ſummo Pontifice. IDEM

ſ COLENDI POTESTATEM. Fideles nutriendi in fide per ſacrificia & ſacramenta. IDEM

t BENE SUBDUXISTI ANNULUM IIS. Pro *licet ad*, erit fortaſſis cui arridebit, *licebat*. Temere noſter lib. 2. *Sigillum integrum non haben-*

licet ad fontem. Vobis verò ſchiſmaticis quamvis in Catholica non ſitis, hæc negari non poſſunt, quia nobiſcum vera & communia Sacramenta traxiſtis. Quare cùm hæc omnia hæreticis bene negentur: quid tibi viſum eſt, hæc & vobis negare voluiſſe, quos ſchiſmaticos eſſe manifeſtum eſt? Vos enim foras exiſtis, quantum in vobis eſt: [u] Volebam, ut ſoli damnarentur hæretici: quantum in te eſt, & jam vos ipſos, cum eis una ſententia ferire voluiſti. Sed jam, ut ad propoſitum ſingularum rerum ordinem redeamus: Primo loco audi, qui fuerint Traditores, & plenius auctores ſchiſmatis diſce. In Aphrica duo mala & peſſima admiſſa eſſe conſtat: [x] Unum in Traditione, alterum in ſchiſmate: ſed utraque mala, & uno tempore, & iiſdem auctoribus videntur eſſe commiſſa. Debes ergo, frater Parmeniane, diſcere, quod intelligeris ignorare. Nam ferme ante annos lx. & quod excurrit, per totam Aphricam perſecutionis eſt devagata [y] tempeſtas: [z] quæ alios fecerit martyres, alios confeſſores, nonnullos funeſta [a] proſtravit in morte, latentes dimiſit illæſos. Quid commemorem Laicos, qui tunc in Eccleſia nulla fuerant dignitate ſuffulti? [b] Quid

ANNOTATIONES VARIORUM.

tes, ad fontem verum aperire non poſſunt, Et ſciendum mirè uti hujuſmodi particulis Optatum. Quod tamen genus locutionis, quamvis ſic tepertum noſtro, ego æmulari nolim: cum magis Hebræis quàm Latinis noſtris vernaculum ſit. *Annulum* autem vide & pag. 10. v. 7.) intelligit, quo patres & matres familias, quæ farta & tecta volebant, conſignabant. De quo ritu Veterum Plautus, Cicero, Martialis, & alii. Vide inter alios Lipſium ad Taciti Annalem 11. Quibus adde locum, quem opportunè ſuggeſſit Barthius, ex medii ævi auctore Venantio Fortunato, lib. 11. de vita B. Martini:

Totum auctor redimens theſauro corporis orbem,
Cum gemma una fuit, qua cuncta in vaſa valeret. INCERT.

[u] VOLEBAM UT SOLI DAMNARENTUR HÆRETICI. Ea integriori exemplari. M S. reſtituit in altera editione Fr. Balduinus, *una ſententia ferire voluiſti*. Optimè. IOAN.

[x] UNUM IN TRADITIONE. Perſecutione Maxentii, multi in Africa codices ſacros tradiderant, inter quos Menſurius, Fœlix, Cæcilianus, à Donatiſtis falsò & immeritò accuſabantur. ALBASP.

[y] TEMPESTAS. Perſecutio quæ Martyres facit, & Confeſſores, ut ait Tertullianus. IO.

[a] PROSTRAVIT IN MORTE. Nonnulli tormentis ſuperati Chriſtum negarunt. ID.

[b] QUID MINISTROS PLURIMOS? QUID DIACONOS IN TERTIO? *&c.* Novum hoc atque inſolens eſt, ac noſtrâ in primis obſervatione dignum, quod Optatus hic etiam diaconos, ſacro ſacerdotio comprehendit. Sane ſacerdotis communem presbyteris & Epiſcopis apud veteres appellationem, & ſacerdotes pro Epiſcopis; ſacerdotium autem pro epiſcopatu, ab illis haud rarò dici, non poteſt ignorare, qui veteres ſcriptores, vel à primo, quod aiunt limine ſalutavit: unde Auguſtino concilium 70 ſacerdotum dictum alicubi: & apud Vict. Utic. de Perſecut. Vand. *concilium tantorum ſacerdotum*, in edicto Hunnerici lib. 3. In quo ſane vel uno Victore ſingulis penè paginis turpiter impingat, qui ſacerdotem pro epiſcopo, & ſacerdotium pro epiſcopatu ab illo dici non animadvertat. Contra autem Epiſcopus pro presbytero ab antiquis aliquando poſitum eſſe, quamquam id rarius, à doctis obſervatum eſt. Hinc ad diſcrimen vetus illa loquendi formola manavit, ut primi ordinis ſacerdos, pro epiſcopo dicatur aliquando; ſecundi autem ordinis ſive gradus, ſacerdos idem ſit, qui vulgo presbyter. De quâ loquendi formula multa doctiſſimus Savaro ad Sidonium Apoll. non uno loco. Sed mirum, cùm vir ille eruditiſſimus, hoc, inter alia. Optati teſtimonio ſuam ſententiam, de duplici ſacerdotio, confirmet, & ejus verba laudet, quod de tertio quoque ſacerdotii gradu, hic ibidem Optatus, illum tacere ac quaſi conſultò præterire, ne ſententiæ, quam volebat, incommodaret. Sed contra antiquos canones, qui exerte diaconos, ad miniſterium non ad ſacerdotium ordinari; nec plures quàm duos illos presbyteratus & Epiſcopatus, ſacerdotii ordines eſſe ſanciunt, uſumque loquendi à veteribus receptum; non eſt quod unus aut alter locus, qualis hic Optati eſt, ubi ſacerdotii latior acceptio, moleſtiam nobis faceſſant. At in jure canonico non tantum, ut ſacerdotii appellatio, ad omnes in ſacris (ut vulgo diſtinguunt) ordinibus conſtitutos extenditur, qua ratione etiam ſubdiaconos includit. Ita diſt. 31. can. 14. *Aliter ſe Orientalium traditio habet Eccleſiarum, aliter huius S. R. Eccleſia. Nam earum ſacerdotes, diaconi ac ſubdiaconi matrimonio copulantur, Iſtius autem Eccleſia vel Occidentalium, nullus ſacerdotum, à ſubdiacono uſque ad Epiſcopum, licentiam habet coniugium ſortiendi.* Vide & can. *Omnium ſacerdotum*, &c. &, *Erubeſcant impii &c.* Quin & omnes omnino clericos ea interdum appellatione comprehenſos reperias. Ita Victor Utic. lib. 3. *Si Collatio deſiderabatur, quare rapina rerum alienarum, non tantum ſacerdotum, verum etiam laicorum?* Sacerdotes laicis opponit, clericos intelligens. Sed longe aliter hic Optatus, qui cæteros omnium ordinum, quos omnes miniſtros appellat, à ſacerdotio diſertis verbis excludit: Nec minus exerte Diaconorum ordinem tanquam tertium ſacerdotii gradum conſtituit. Dico igitur ad dignitatem diaconorum pertinere, & eo referri debère, quod veteres plerique, Cyprianus, Auguſtinus, & alii, cùm ordines eccleſiaſticos recenſent, vel ſolos Epiſcopos, Preſ-

[c]miniſtros plurimos? [c] Quid [d] Diaconos in tertio? quid presbyteros [e] in ſecundo ſacerdotio conſtitutos? Ipſi apices & principes omnium, aliqui Epiſcopi illis temporibus, ut damno æternæ vitæ, iſtius incertæ lucis moras breviſſimas compararent, Inſtrumenta divinæ legis impiè tradideruut. [f] Ex quibus erant Donatus Maſculitanus, Victor Ruſiccadienſis, Marinus ab aquis Tibilitanis, Donatus Calamenſis, & [g] homicida Purpyrius Lima-

PHILIPPUS PRIORIUS.

1. QOID DIACONOS IN TERTIO. &c. Exiſtimandum non eſt eo veniſſe [illegible] Optatum, ut cum Epiſcopis & Presbyteris, Diaconos conferret, & in adminiſtrationem Eccleſiæ ac regimen eos adjungeret, non adeo à vero devius eſt, aut rerum adeo ignarus, ut præter Epiſcopos & presbyteros in Eccleſiæ regimine quemquam adhibitum ignoraret. Nemini iſtod in mentem veniat. Diaconi, ut vox ſonat, miniſtri ſunt tantum, & qoquo ſe vertant Diaconi, miniſtri tantum erunt, tum ex antiquorum canonum decretis, tum etiam ex uſu & praxi Eccleſiæ. Extiterunt equidem aliquando diaconi impotentes, qui functione ſuâ abuti conati ſunt, & leges ſui miniſterii tranſgredi. illorum ἀναίδεια repreſſa eſt plurimis conciliorum decretis. De hoc erit alius dicendi locus. Notandum hîc etiam tanquam miniſtros adduci ut verborum ſeries evincit. Apage igitur quæcunque Mericus Caſaubonus nullo delectu adducit; Quamvis enim pleraque vera ſint, quædam tamen parum firma, & extra locum poſita. Duriuſcula ſunt quæ Optatus addit; *ipſi apices & principes omnium*. Nam can. 39. eccl. Afr. prohibetur ne Epiſcopus princeps dicatur. Si quæ enim ejuſmodi voces in uſu aliquando extiterunt, eæ poſtmodum ab Africanis damnatæ ſunt, ne in Eccleſiam typhus inveheretur. Primares poſtea dicti ſunt primæ ſedis Epiſcopi, eoque nomine in Conciliis Africanis Metropolitani inſigniuntur.

ANNOTATIONES VARIORUM.

byt. & diaconos meminiſſe, cæteros omnino præterire; vel ut hic Optatus, cæteris, tanquam minorum gentium ordinibus, generali *miniſtrorum*, *miniſteriorum*, vel ὑπηρετῶν voce comprehenſis, ſolos illos nominare. Idem fortaſſe cæterorum quoque meminerunt interdum; non nego; omittunt tamen ſæpius, cùm Epiſcopos, presbyteros & diaconos nominant. Immo verò ita hos nominant, ac recenſent, Dionyſ. de Hier. eccl. cap. 5. Hieron. in Eſ. c. 19. ut alios non tam prætenre, quàm non agnoſcere videantur. Quibus ut reſpondeat magni vir nominis, in Controv. torqueatur ipſe magis, an eos torqueat incertum. Ac Dionyſium quidem, non ordines eccleſiaſticos, ſed hierarchias; Hieronymum autem nec ipſum Clericorum, ſed Chriſtianorum ordines prædicto loco recenſere, & propoſito ſuo, ea enumeratione inſervire, comminiſcitur. Sed ut de re ipſa nihil dicam, neque cum Thoma Aquinate, & Petro Lombardo, qui contrarium planè tuentur, eum committam; & Aquinas quidem, hoc ipſo Dionyſio fretus, ſupplem. quæſt. 37. ad 2. &c. præter Dionyſium & Hieronymum, ſic loquontur & alii, quibus reſponſio illa viri docti, aptari minime poteſt. Inter alios etiam noſter lib. 2. circa finem, *Cum ſint*, inquit, *in Eccleſia quatuor genera capitum: Epiſcoporum, presbyterorum, diaconorum & fidelium &c.* Interim tamen quod probat Bellarminus, commune cum Epiſcopis & Presbyteris, diaconis quoque regimen Eccleſiæ fuiſſe; eoſque ut præpoſitos in honore habitos, cum reliqui Clerici tantum miniſtrarent; vel inde perſpicias, quanto majoris olim dignitatis, & auctoritatis ordo fuerit, quàm poſtea fuit, neque abſque ratione factum eſſe, ut cum cæterorum nulla omnino ratio haberetur; aut generali miniſtrorum appellatione, ut jam diximus, concluderentur: ſoli Diaconi quaſi ejuſdem dignitatis participes, cum ſacerdotibus ſive epiſc. & presb. conjungerentur. Ad ea quæ Bellarm. affert, addo inſignem Euſebii, aut potius Conſtantini locum in epiſt ad Euſeb. vitæ lib. 2. ubi [illegible] & πρεσβυτέροις diaconos, ut eiuſdem ſortis ac conditionis adjonctos & annumeratos videas. Etiam Auguſt. ad Valerium epiſt. 148. de merito agens & præcellentia ſacerdotalis muneris, Epiſcopis & presbyteris, etiam diaconos tanquam ejuſdem, aut non diſſimilis conditionis adjungit & Hieronymus ubi eos Presbyteris ſacerdotio minores contendit, lucris tamen & dignitate, Romæ ſaltem majores, indignatur ille quidem, ſed agnoſcet tamen. Hinc etiam illud colligas, quod toties canonibus ac cenſuris contra illos opus fuerit, quæ ſuperbientes, ac ſupra presbyteros ſeſe efferentes, ipſis etiam Epiſcopis interdum contumelioſos & injurios, (ut de quodam Cyprianus) in ordinem cogerent, ac faſtum eorum reprimerent. Sed de his vereor ne nimis multa. Quæ tamen etſi prima fronte exigua videantur, obſervata, magni uſus eſſe in antiquorum lectione comperientur. Pudet dicere, quàm fœde labantur interdum viri maximi, harum vel minimarum rerum ignoratione: Hunc ipſum Optati locum nuper in admirandæ doctrinæ ſcripto incomparabili ita verſum, ut nihil ipſo indignius, & ab Optati mente magis alienum excogitari poſſit. M CAS.

c MINISTRI. Minores Clerici. ALBASP.

d DIACONOS IN TERTIO. Communionis Eccleſiaſticæ primum locum occupant Epiſcopi, ſecundum Presbyteri, tertium denique Diaconi. IO.

e IN SECUNDO SACERDOTIO. Sacerdotii duo tantum ſunt gradus, Epiſcopatus, & presbyterium, Diaconi enim ſacerdotii vim, & conſecrationem non conſequuntur, ut aiunt Patres Concilii Carthaginienſis, neque illis manus ab omnibus Clericis imponebatur in conſecratione, *Diaconus cùm ordinatur, ſolus Epiſcopus qui eum benedicit, manum ſuper caput eius ponit, quia non ad ſacerdotium, ſed ad miniſterium conſecratur.* IDEM.

f EX QUIBUS ERANT DONATUS MASCULITANUS. Hi omnes cum Primate Secundo ſchiſma fecerunt, & pecuniâ Lucillæ corrupti, Majorinum alio Epiſcopo ſedente ordinarunt. Lege Auguſtinum contra Creſconium libro tertio, capite vigeſimo ſeptimo. IDEM.

g HOMICIDA PURPURIUS LIMATENSIS.

tenſis : Qui interrogatus de filiis ſororis ſuę, quòd eos in carcere Milei necaſſe diceretur, confeſſus eſt, dicens : *Et occidi non eos ſolos, ſed & quicunque contra me fecerit.* Et [h] Menalus, qui ne [i] thurificaſſe à ſuis civibus probaretur, oculorum dolorem ſingens [k] ad conſeſſum ſuorum procedere trepidavit. Hi & cęteri, quos principes tuos fuiſſe paulò pòſt docebimus, poſt [l] perſecutionem apud [m] Cirtam civitatem, (quia [n] Baſilicę necdum fuerant reſtitutę) in domum Urbani Cariſi conſederunt die iij. Iduum Maiarum, ſicut ſcripta [o] Nundinarii tunc Diaconi teſtantur, & vetuſtas membranarum teſtimonium perhibet, quas dubitantibus proferre poterimus. Harum namque plenitudinem rerum, in noviſſima parte iſtorum libellorum, ad implendam fidem adjunximus. Hi Epiſcopi [p] interrogante Secundo Tigiſitano, tradidiſſe confeſſi ſunt. Et cùm ipſe Secundus à Purpurio increparetur, quod & ipſe diu [q] apud ſtationarios fuerit, & non fugerit, ſed dimiſſus ſit; non ſine cauſa dimiſſum fuiſſe, niſi quia tradiderat, [r] jam om-

ANNOTATIONES VARIORUM.

Balduini editio 2. *Limatenſis.* Rectè, nam *Limata* urbs Africæ D. Auguſtino, qui quoque Epiſcopi Limatenſis meminit. INCERT.

h MENALUS. Oculorum dolorem finxit Menalus cùm à Militibus à quibus interceptus fuerat rediret, ne in Eccleſia, & in conſeſſu ſuorum pudore ſuffunderetur, & ſe thurificaſſe, & Principis edicto ſatisfeciſſe fateretur. ALBASP.

i THURIFICARE. Eſt thure Deaſtros venerari. Et ſic lib. 2. *perſecutionis tempore* Epiſcopos *aliquos inertia à confeſſione nominis* Dei *delapſos, thurificaſſe.* BART.

k AD CONSENSUM SUORUM PROCEDERE TREPIDAVIT. Lege *conſeſſum* : quemadmodum diſertè Fr. Balduini editio. 2. INCERT.

l PERSECUTIONEM. Maxentii. ALBASP.

m APUD CIRTAM. Ut in illa Civitate Epiſcopum ordinarent.

n BASILICÆ. In Baſilicis Epiſcopi ordinabantur; ſed quia nondum erant reſtitutæ, in privatam domum convenerant : Auguſtinus in Breviculo poſt Collationem capite decimo ſeptimo. IDEM.

o NUNDINARII. De hoc nundinatio multa reperiuntur in geſtis purgationis Cæciliani & Fœlicis. IDEM.

p INTERROGANTE SECUNDO. Qui tunc temporis erat Numidiæ Primas, Auguſtinus ibidem, *Epiſcopum primæ Cathedræ*, & libro primo contra Parmenianum, capite tertio, *qui venientes cum primato ſuo tunc Secundo Tigiſitano.* Cæterùm notā primatum in Africa certis locis, aut perſonis non fuiſſe addictum, ſed in unaquaque provincia præterquam in Carthaginienſi ſeniores hanc occupaſſe dignitatem, ut patet ex capite decimo tertio Breviculi. IDEM.

q APUD STATIONARIOS. Apud milites in ſtatione poſitos. IDEM.

r JAM OMNES HÆRETICI CÆPERUNT MURMURARE. Quos hæreticos intelligit Optatus; Qua quidem ratione Donatiſtæ, vel ut Creſconio placebat, Donatiani, dici & appellari potuerint hæretici, multis diſputat Auguſtinus lib. 2. contra Creſcon. Idem in lib. de hæreſibus ſchiſma eus in hæreſim vertiſſe docet, & rarò aliter quàm hæreticos nuncupat. Olim quoque vulgum hæreticum pro ſchiſmatico promiſcuè uſurpaſſe perſuaſum habeo, hodieque in Epiſtolis Conſtantini, *hæretici* vel *ſchiſmatici*; quaſi perinde eſſet, de Donatiſtis leges: Jam ut & illud concedamus, eos qui ad hoc concilium convenerunt, nam hujus quidem occaſione concilii, ſed eoſdem tamen omnes, aut pleruſque ſaltem, in poſteriori quodam concilio congregatos ſchiſmatis auctores extitiſſe; quis tamen credat Optatum, dum narrat illa quæ ſchiſma præceſſerant, de ipſis tanquam jam notis ac convictis hæreticis locutum fuiſſe? Optatum, quid id modo diſputabat, & à Parmeniano factum vehementer improbabat, quod ſchiſmaticos hæreticis inconſultè miſcuiſſet; quos ipſe nimirum magno diſcrimine ſeparari invicem ſtatuit, nec ſtatuit tantum, ſed diſcrimen ipſe non perfunctoriè docet vel iſta expendantur : *Sed miror quod tibi viſum eſt : etiam vos ipſos hæreticis adjungere, quos eſſe ſchiſmaticos conſtat &c.* mox iterum. *Satis te miror Frater, Parmeniane, cùm ſchiſmaticus ſis, ſchiſmaticos hæreticis adiungere voluiſſe &c.* ac turſus. *Volebam ut ſoli damnarentur hæretici; quantum in te eſt. & vos ipſos cum eis una ſententia ferire voluiſti &c.* Ego non dubito Optatum ſcripſiſſe, *Iam omnes* hæretei, *cæperunt murmurare.* Ita mox eorum verba interſerit, ne quis hic factum miretur. Jam ut eis qui ita premuntur ſive verbis, ſive rebus ipſis, ut nequeant evadere, aut certè non facile ſe queant expedire; ut eis, inquam, aqua dicatur hærere vel iis notum, qui nondum ære lavantur. Dativum autem, ſi non exprimatur, ſubaudiendum tamen eſſe, euſque falli qui exponunt *in aqua hæret*, uno Ciceronis exemplo poteſt abunde confirmari; cujus ad Q. fratrem verba lib. 2. epiſt. 7. *Quod Idibus & poſtridie dictum fuerat, de agro Campano actum iri, non eſt actum.* In hac *cauſa mihi aqua hæret.* Cum autem breviter ſcripſiſſet Optatus, & fortaſſe tum ſolerent & loqui, *hæret ei*, quod plenius ante dicebant, *aqua ei hæret*; ex duobus illis vocibus *hæret ei*, ab imperito ſcriba, cui aqua hic hærebat, quod Optatum ipſis eorum verbis uti non intelligeret, & veteris verbi non veniebat in mentem, *hæretici* una voce factum eſt. Quod ſanè hic locum adeo non habet ut una hac vocula, ſuperior omnis diſputatio de hæreticis & ſchiſmaticis evertatur; quam qui expenderit, de neceſſitate hujus correctionis minimè dubitabit. M. CAS.

nes [s] hæretici cœperunt murmurare. Quorum ſpiritum Secundus metuens, conſilium accepit à filio fratris ſui Secundo minore, ut [t] talem cauſam Deo ſervaret. Conſulti ſunt, [u] qui remanſerunt, id eſt, Victor Garbienſis, Fœlix à Rotario & Nabor à Centurion. Ii dixerunt talem cauſam domino debere reſervari. [1] Et dixit Secundus, [x] [y] *Sedete omnes.* Tunc dictum eſt ab omnibus, *Deo gratias*, & ſederunt. Habes ergo, Parmeniane frater, qui manifeſtò fuerint Traditores. Deinde non poſt longum tempus, [z] iidem ipſi, tot & tales, ad Carthaginem profecti Traditores, conjurati homicidæ, Majorinum (cujus tu Cathedram ſedes) poſt ordinationem Cæciliani ordinaverunt, ſchiſma facientes. [2] Et quoniam Traditionis reos, principes veſtros fuiſſe monſtratum eſt: conſequens erit, eoſdem fuiſſe auctores ſchiſmatis. Quæ res, ut clara & manifeſta eſſe omnibus poſſit, oſtendendum eſt, ex qua radice ſeſe uſque in hodiernum, erroris protenderint rami, & ex quo fonte rivulus iſte maligni liquoris, occultè ſerpens, uſque in tempora noſtra manaverit. Dicendum eſt, unde & ubi & à quibus ortum conſtet hoc alterum malum: quæ convenerint cauſæ: quæ fuerint operatæ perſonæ: qui auctores hujus mali: qui nutritores: à quibus ſint inter partes ab Imperatore poſtulata judicia: qui ſederint judices: ubi ſit [a] actum Concilium: quæ ſint prolatæ ſententiæ. De diviſione agitur: & in Africa, ſicut & in cæteris provinciis, una erat Eccleſia, antequam divideretur ab ordinatoribus Majorini: [b] cujus tu hæredita-

PHILIPPUS PRIORIUS.

1. ET DIXIT SECUNDUS. Secundus iſte de quo latè mentio & qui primas obtinebat tunc temporis Numidiæ erat Primas, & Epiſcopus Tinſigitanus.

2. ET QUONIAM TRADITIONIS REOS PRINCIPES VESTROS &c. Nihil certius quàm traditores ſemen fuiſſe Donatiſtarum, unde in his vocibus explicandis nulla difficultas. Cùm enim probatum eſſet eorum anteſignanos fuiſſe traditores, inde ſchiſma fuiſſe, facile probaturum ſe in ſe recipit.

ANNOTATIONES VARIORUM.

[s] HÆRETICI. Vocat hos Epiſcopos hæreticos, qui paulò poſt ſchiſma fecerunt; eodem nomine ab Auguſtino vocantur, & in actis illius Concilii, *paratus ſchiſma facere. & quia dimittere te habent, & dare in te ſententiam, & remanebis ſolus hæreticus.* Contra Creſconium libro tertio, ſchiſmatici pro hæreticis habentur, & apud judices laicos hoc nomine compelluntur, *inſtructi ſunt advocati ad iſta judicia, & tanquam in hæreticos excitata*; vel eos vocat hæreticos, quia ex Parmeniani ſententia ſchiſmatici erant hæretici. ALBASP.

[t] TALEM CAUSAM DEO SERVARET. Cùm aliquam olim cauſam aut delictum nollent judicare, ad Deum rem deferebant, & remittebant: Cyprianus pluribus in locis, ubi agit de lapſorum pœnitentia. & Auguſtinus contra Creſconium libro tertio, capite vigeſimo octavo, *illa omnia divino judicio dimiſiſſe.* IDEM.

[u] QUI REMANSERUNT. Aderant in illo Concilio duodecim Epiſcopi, ut patet in Breviculo, capite decimo ſeptimo, quorum ſex accuſarentur. Cæteri conſulti ſunt, qui reſponderunt hanc cauſam pro bono pacis Deo reſervandam eſſe, eoſque qui accuſabantur, Deum judicem habituros, eique rationem reddituros. IDEM.

[x] SEDETE OMNES. Ex geſtis purgationis Cæciliani, & ex Breviculo, & contra Creſconium libro tertio, conſtat hos Epiſcopos interrogante Secundo adſurrexiſſe, & in aliam partem tranſiiſſe, moxque abſolutos, ad locum ſuum poſt hæc verba rediiſſe, quæ quidem verba aliquam abſolutionis vim & formam habere videntur cum his acceptis, & ſederunt, & reſponderunt, *Deo gratias.* IDEM.

[y] SEDETE OMNES. Ad ea quæ Balduinus hîc notat, addo locum ex collatione Carthagin. collat. 1. Cum enim *partes* ſeu *actores* ſedere vellet cognitor Marcellinus, ita inter alia reſpondent, ac excuſant Donatiſtæ. *Id autem nobis expedit, id neceſſe eſt, ut cùm cauſa peroratur, cùm prius incipitur, ut etiam perſonæ conſtent, ſtare ſingulos deceat, quibus ſubire contigit diſputationis examen.* M. CAS.

[z] IIDEM IPSI. Cum Sylvano qui fuerat ordinatus Epiſcopus Cirtenſis in illo Concilio. ALBASP.

[a] ACTUM CONCILIUM. Romanum ſub Melchiade. IDEM.

[b] CUJUS TU HÆREDITATEM. Epiſcopi non ſolùm ſunt hæredes deceſſorum ſuorum, ſed etiam filii; quare talem habitis Cathedram qualem deceſſores ejus habuerunt. IDEM.

riam Cathedram ſedes. Videndum eſt, quis [c] in radice cum toto orbe manſerit: quis foras exierit: quis Cathedram ſederit alteram quæ antè non fuerat: quis altare contra altare erexerit: quis ordinationem fecerit, ſalvo altero ordinato: quis jaceat ſub ſententia Joannis Apoſtoli, qui dixit multos Antichriſtos foras exituros: *quia non erant* (inquit) *noſtri: nam ſi noſtri eſſent, manſiſſent nobiſcum.* Ergo qui in uno cum fratribus manere noluit, hæreticos ſecutus, quaſi Antichriſtus foras exivit. Hoc apud Carthaginem poſt ordinationem Cæciliani factum eſſe, nemo eſt qui neſciat: per Lucillam ſcilicet, neſcio quam, fœminam factioſam, quæ ante concuſſam perſecutionis turbinibus pacem, dum adhuc in tranquillo eſſet Eccleſia, cùm [d] correptionem Archidiaconi Cæciliani ferre non poſſet, [e] quæ [f] ante ſpiritalem cibum & potum, os neſcio cujus martyris, ſi tamen martyris, [g] libare dicebatur, & cùm [h] præponeret calici ſalutari os [i] neſcio cujus hominis mortui, & ſi martyris, ſed [k] needum [l] vindicati, correpta, cum confuſione, irata diſceſſit. Iraſcenti & dolenti, [m] ne diſciplinæ ſuccumberet, occurrit ſubito perſecutionis enata tempeſtas. [n] Iiſdem temporibus Fœlix quidam Diaconus, qui propter famoſam, neſcio quam, de Tyranno Imperatore tunc factam Epiſtolam, appellatus eſt, periculum timens, apud Menſurium Epiſcopum [o] delituiſſe dicitur. Quem

ANNOTATIONES VARIORUM.

c IN RADICE. Videndum eſt quis in Cathedra manſit, cum qua cæteræ Cathedræ conſortium habeant, & quæ cum Romana quæ eſt radix communicat, per quam toto orbe pax, & unio Chriſtiana nutritur. ALBASP.

d CORREPTIONEM. Diaconi per Eccleſiam diſcurrebant, ut fideles in officio continerent & animadverterent, & corrigerent eos qui contra Eccleſiæ diſciplinam aliquid agerent. IDEM.

e QUÆ ANTE SPIRITALEM CIBUM ET POTUM, SI TAMEN MARTYRIS, LIBARE DICEBATUR. Hæc religio erat eum temporis. Paula & Euſtochium ad Marcellam, inter Epiſtolas Hieronymianas: *Et Martyrum ubique ſepulchra veneramur, & ſanctam favillam oculis apponentes, ſi liceat, etiam ore contingimus.* Martyrem hoc loco vocat Optatus qui declaratus ſit communi piorum ſententia, in eam ſummam dignitatem. BART.

f QUÆ ANTE SPIRITALEM CIBUM ET POTUM &c. Præter Balſamonem a Balduino citatum, vide & Damaſcenum. In Balſamone jure quis miretur, hujus offiſis ita illum meminiſſe, quaſi hoc præcipuum hujus ſectæ eſſet, & hoc potiſſimum ſuperſtitione conſtaret. Niſi tamen magis hoc mirum eſſet, Græcos pleroſque Donatiſtarum non omnino meminiſſe, quaſi ne fando quidem notos habuiſſent. De vindicato Martyre quod ſequitur, Baronio planè aſſentior, in martyrologio, *non recepto nec probato*, interpretanti, quod alii *ſanctitatis deſignatum*, neſcio quam benè. Neque enim omnes martyres, ſive mortē & tormenta pro fide paſſi, *ſanctitatis deſignati*, quando inter illos aliquando etiam qui facinoroſi, ſchiſmatici, & hæretici, (ut pluribus ibi Baronius) quos opinor pro *beatis*, ſive *ſanctitatis deſignatis* Eccleſia non habuit. Cæterum de martyre, quod hæret hic Optatus, & dubitat, non ſine cauſa factum; cùm jam olim reperti non pauci, quibus hoc ſtudium, & ars ea vivendi unica, ut martyrum etiam falſorum reliquias circumferrent, & ſimplicioribus venditarent. Teſtem appello Auguſtinum de opere monach. c. 28. *Alii membra martyrum, ſi tamen martyrum, venditant, alii fimbrias & phylacteria ſua magnificant, alii parentes vel conſanguineos ſuos, &c. & omnes petunt, omnes exigunt, aut ſumptus lucroſæ egeſtatis, aut ſimulatæ pretium ſanctitatis.* M. CAS.

g LIBARE DICEBATUR. Deoſculari dicebatur: pauló antequam Euchariſtiam ſumerent Chriſtiani, mutuis ſe ſe olim oſculis ad pacem faciendam ſalutabant, ſacerdoſque nomine totius Eccleſiæ Martyrum reliquias, ſi quæ laterent in altari deoſculabantur: quem ritum imitata mulier illa, cum privatis quibuſdam reliquiis quas geſtabat, pacem & communionem antequam ad Euchariſtiam accederet faciebat; ſed quia Martyr ille non eſſet vindicatus, & approbatus ab Eccleſia, correpta fuit à Cæciliano. ALBASP.

h PRÆPONERET. Libaret & tangeret ante Calicem. IDEM

i NESCIO CUJUS HOMINIS MORTUI. De cujus martyrio non conſtabat. IDEM

k NEDUM VINDICATI. Nondum ab Eccleſia in numerum Martyrum relati, nondum in Canon. & in dypticha tranſcripti. IDEM

l VINDICATUM MARTYREM vocat Optatus, qui declaratus ſit communi piorum ſententiâ in eam ſummam dignitatem, relatus inter cœli indigetes. INCERT.

m NEC DISCIPLINÆ SUCCUMBERET. Ne carperetur ab Epiſcopo, & caſtigaretur, quòd non ſolùm contra Eccleſiæ diſciplinam, communionem cum Martyre incerto, & ab Eccleſia nondum approbato, faceret, ſed quòd cæteros etiam fideles eadem inficeret communione: nam quemadmodum in ſacris nullos admitterent conſortium niſi ſancti & fideles; ita in iiſdem ſacris nolebant communicari cum reliquiis Martyrum, quos Eccleſia non agnoſcebat, ne illa communione fideles inficerentur. ALBASP.

n IISDEM TEMPORIBUS. Sub Maxentio. IDEM.

o DELITUISSE DICITUR. Ad Epiſcoporum domos tanquam ad aram confugiebant, quas violare ne quidem in perſecutionibus fas erat. IDEM.

cùm poſtulatum Menſurius publicè denegaret, relatio miſſa eſt: Reſcriptum venit, ut ſi Menſurius Fœlicem Diaconum non reddidiſſet, ad Palatium dirigeretur. [p] Conventus non leves patiebatur anguſtias. Erant enim Eccleſiæ ex auro & argento quam plurima ornamenta, quæ nec defodere terræ, nec ſecum portare poterat. [q] Quaſi fidelibus, [r] Senioribus commendavit [ſ] commemoratorio facto, quod cuidam anicule dediſſe dicitur: Ita ut ſi ipſe non rediret, reddita pace Chriſtianis, anicula illa illi daret, quem in Epiſcopali cathedra ſedentem inveniret. Profectus cauſam dixit. Juſſus eſt reverti Carthaginem; pervenire non potuit. Tempeſtas perſecutionis peracta, & definita eſt: Jubente Deo, indulgentiam mittente Maxentio, Chriſtianis libertas eſt reſtituta. Botrus & Celeſius, ut dicitur, apud Carthaginem ordinari cupientes, operam dederunt, [t] ut abſentibus Numidis, ſoli vicini Epiſcopi peterentur, qui ordinationem apud Carthaginem celebrarent. [1] Tunc ſuffragio [u] totius populi Cęcilianus eligitur. Et manus imponente Fœlice Aptungitano Epiſcopus ordinatur. Botrus & Celeſius de ſpe ſua dejecti ſunt. Brevis auri & argenti ſedenti Cęciliano, ſicut delegatum à Menſurio fuerat, traditur, adhibitis teſtibus. Couvocantur ſuprà memorati Seniores, qui faucibus avaritię commendatam ebiberant prędam. Cùm reddere cogerentur, [x] ſubduxerunt [y] communioni plebem. Non minus & ambitores, quibus & ordinari non contigit: nec non & Lucilla, quæ jam dudum [z] ferre non potuit diſciplinam, [a] cum omnibus ſuis potens & factioſa fœmina, com-

PHILIPPUS PRIORSUS.

1 TUNC SUFFRAGIO TOTIUS POPULI CÆCILIANUS ELIGITUR. Epiſcoporum & preſbyterorum electio conſenſu populi fieri olim conſueverat, hoc eſt *διὰ χειροτονίας*, juxta ritum ſcilicet, quem vetus obſervavit Eccleſia. Ille autem ritus eſt, qui à profanis in eligendis magiſtratibus adhibebatur, quique ad Chriſtianos tranſiit, unde Actorum 14. *χειροτονήσαντες πρεσβυτέρους*; eligentes preſbyteros. Et ſanctus ipſe Lucas dicitur creatus ab Eccleſiis, *χειροτονηθεὶς ὑπὸ τῶν ἐκκλησιῶν*. Theodorus Balſamo & Zonaras in can. Apoſt. ita interpretantur. Sed attendenda maximè in hac materia, verba Concilii Antiocheni.

ANNOTATIONES VARIORUM.

p CONVENTUS NON LEVES PATIEBATUR ANGUSTIAS. Convenerant Menſurium Milites, ut Fœlicem Diaconum ad Principem mitterent: Conventus hoc loco pro adjectivo ponitur, ut apud Auguſtinum pluribus locis, & in Canone duodecimo primi Concilii Carthaginienſis, & Canone vigeſimo octavo, tertii Concilii, *Modeſte conventus*, ut in Concilio Agrippinenſi: non autem pro ſubſtantivo, & pro *conventibus* Africæ ut quidam interpretantur. ALBASP.

q QUASI FIDELIBUS SENIORIBUS COMMENDAVIT. Erant olim ſeniores laici, puri puri ſæculares; erant & alii, laici quidem & ipſi, ſed qui tamen quadamtenus, Eccleſiaſtici quoque dici potuerunt: haud ſecus ac illi qui hodie apud nos *templorum*, vel *Eccleſiarum Gardiani*, vulgo vocitantur. Illi locorum, ſeu urbium ſeniores vulgo dicti; iſti Eccleſiæ vel Eccleſiaſtici. Sed de iſtis multa congeſſit vir doctiſſimus & de his literis adeò meritus Chriſtoph. Juſtellus, ad can. eccl. Africanæ, ut dignus ſit qui diligentiæ & eruditionis ſuæ fructum ferat ab omnibus. Illum igitur adeat, qui plura de iſtis cupit. M. CAS.

r SENIORIBUS COMMENDAVIT. Præter Eccleſiaſticos, & Clericos quidam ex plebe ſeniores, & probatæ vitæ res Eccleſiæ curabant, de quibus hic locus accipiendus eſt. In geſtis, *adhibete conclericos, & ſeniores plebis Eccleſiaſticos viros.* Item, *Clericis & ſenioribus Cirtenſium*, item *vos ſeniores clamabatis*. ALBASP.

ſ COMMEMORATORIUM. Vocat *Brevem* ut poſtea loquitur, cui inſcriptæ res omnes, quæ in bonis erant Eccleſiæ, quo ſcilicet teſtaretur Depoſitor, ſe in fidem ſuſcipientis res depoſuiſſe, hic autem ſe accepiſſe. BARTH.

t UT ABSENTIBUS NUMIDIS. Donatiſtæ objiciebant Cæciliano quòd cùm eſſet Primas, à Primate viciniori non eſſet ordinatus; quibus reſpondit Auguſtinus in Breviculo Romanæ Eccleſiæ, Epiſcopum non ordinari à quodam Metropolitano, ſed ab Oſtienſi Epiſcopo. ALBASP.

u TOTIUS POPULI. Electiones fiebant à populo, & à Clero, eorumque omnium conſenſus requirebatur, quod poſtea ſublatum fuit. IDEM.

x SUBDUXERUNT COMMUNIONI PLEBEM. A Cæciliani communione plebem ſubtraxerunt. IDEM.

y SUBDUXERUNT COMMUNIONI PLEBEM. Melius quod jam olim fuerat editum, *ſubduxerunt comm. pedem.* Idem mox aliis verbis repetit. *Non minus & ambitores &c. nec non & Lucilla communioni miſceri voluit.* M. CAS.

z FERRE NON POTUIT. Ne acrius ab eodem tum Epiſcopo corriperetur, timebat, quòd ab eo cùm eſſet Diaconus, correpta fuiſſet. ALB.

a CUM OMNIBUS SUIS. Ampla illi & magna domus erat, & familia, quam omnem cum amicis, clientibus, & ſervis à communione Cæciliani ſubduxit. IDEM.

munioni miſceri noluit. Sic tribus convenientibus cauſis & perſonis; factum eſt, ut malignitas haberet effectum. Schiſma igitur illo tempore confuſæ mulieris iracundia peperit, ambitus nutrivit, avaritia roboravit: ab iis tribus perſonis contra Cæcilianum cauſę confictę ſunt, ut vitioſa ejus ordinatio diceretur. [b] Ad Secundum Tigiſitanum miſſum eſt, ut Carthaginem veniretur: proficiſcuntur omnes [c] ſuprà memorati Traditores: [d] ſuſcepti hoſpitio ab avaris, ab ambitoribus, ab iratis, non à Catholicis, quorum petitione Cęcilianus fuerat ordinatus. Interea [e] ad Baſilicam, ubi cum Cæciliano tota civitas in frequentia fuerat, nullus de ſupradictis acceſſit. Tunc à Cęciliano mandatum eſt, *Si eſt quod in me probetur, exeat accuſator & probet.* Illo tempore à tot inimicis nihil in illum potuit confingi. Sed de [f] ordinatore ſuo, quod ab iis falsò Traditor diceretur, [g] meruit infamari. Iterum à Cęciliano mandatum eſt, ut ſi Fœlix in ſe, ſicut illi arbitrabantur, [h] nihil contuliſſet, ipſi tanquam adhuc Diaconum ordinarent Cęcilianum. Tunc Purpurius [i] ſolita malitia fretus, quaſi & Cęcilianus, filius ſororis ejus eſſet, ſic ait: [k] *Exeat huc* [l] *quaſi impo-*

ANNOTATIONES VARIORUM.

b AD SECUNDUM TIGISITANUM. Quia erat Primas Numidiæ, quæ provincia Carthaginienſi adjacet. ALBASP.

c SUPRA MEMORATI TRADITORES. Duodecim illi in Concilio Cirtenſi Sylvanum ordinarant. IDEM.

d SUSCEPTI HOSPITIO. Epiſcopi qui olim ad Epiſcopum in locum defuncti ordinandum vocabantur, hoſpitio Clericorum & ſeniorum Laicorum utebantur: ſed Secundus contra diſciplinam Eccleſiæ cum ſuis Numidis exceptus fuit hoſpitio, à Lucilla irata, Botro, & Celeſio, ambitioſis & ſenioribus avaris, qui depoſitum Eccleſiæ denegabant; quod notavit Optatus, ut Majorini Electionem, contra Eccleſiæ ordinem incœpiſſe oſtenderet. IDEM.

e AD BASILICAM. Electiones olim Epiſcoporum & ordinationes fiebant in Eccleſiis, ut ex his quæ ſuprà dixi de electione Sylvani Cirtenſis Epiſcopi licet colligere: ſed Majorini electio, quæ fiebat contra leges, non fuit facta in majori Baſilicâ. IDEM.

f ORDINATORE SUO. Fœlice Aptungitano. IDEM.

g MERUIT INFAMARI. Hoc eſt cùm in Cæcilianum nihil poſſent fingere, Fœlicem ordinatorem ejus traditionis & idololatriæ inſimularunt, ut hac ratione Cœciliani ordinationem reſcinderent tanquam ab idololatra factam; ſed huic argumento à Patribus Concilii Arelatenſis primi ſatisfactum eſt, Canone decimo tertio, his verbis: *Nam ſi iidem aliquos ordinaſſe fuerint deprehenſi, & ſi in his quos ordinaverunt ratio ſubſiſtit, illis ſubſiſtat ordinatio.* IDEM.

h NIHIL CONTULISSET. Per jocum & deriſum hæc dicta à Cæciliano docet Divus Auguſtinus in Breviculo; atque hanc hiſtoriam his verbis refert, *Si Traditores ſunt qui me ordinaverunt, ordinate me.* IDEM.

i SOLITA MALITIA. Quia ſororis filios necaverat. IDEM.

k EXEAT HOC. Cæciliano mortem minatur Purpurius violentaſque manus non in Epiſcopatum, ſed ad mortem impoſiturum, & allaturum. IDEM.

l QUASI IMPONATUR ILLI MANUS IN EPISCOPATU, *&c.* Quoniam Cæcilianus iterum ſe ordinandum obtulerat, ſive id ſeriò, ſive per ironiam, ut Auguſtinus intelligit; Purpurius ſolita militia fretus, & occultos animo verſans dolos, Age, inquit, accedat huc Cæcilianus, ut in Epiſcopatu, (id eſt, ad Epiſcopatum,) manus ipſi à nobis imponatur: revera autem, ut cùm Cæcilianus acceſſiſſet, ac ſe in eorum manus tradidiſſet, eum de pœnitentiâ quaſſarent, id eſt lapſorum pœnitentiam, ſive [illegible] ſubire cogerent; quâ ſemel peracta, qui clericus erat, ſtatim ſuo gradu, *ipſo facto*, ut loquuntur, & qui nondum erat, ejus in poſterum obtinendi ſpe omni & facultate per antiquos canones excidebat. Auguſtinus epiſt. 50. ad Boniſ. *ut conſtitueretur in Eccleſia ne quiſquam poſt alicujus criminis pœnitentiam, clericatum accipiat, vel ad clericatum redeat, vel in clericatu maneat, non deſperatione indulgentiæ, ſed rigore factum eſt diſciplina*, &c. Sed ne longius eamus, noſter hic exertè lib. 2. *Invenistis pueros, de pœnitentia ſauciaſtis, ne aliqui ordinari potuiſſent.* De pœnitentia autem ſauciare, aut quod eodem recidit, caput alicui quaſſare, uſitatâ ſibi, eâque eleganti [illegible], dicit Optatus, ut alibi, ſanctitatem de ſuperbiâ vendicare lib. 3. & de paupertate ſpiritus, pares erant condimenti lib. 7. & eod. lib. de diſſenſione inſatuatus. Omitto ſimiles alios locos, qui plurimi. Ita Sidon. Apoll. lib. 9. epiſt. 9. *affectare de veſtium diſcretione ſuperbiam.* Amat in primis Cyprianus, ut infinitis locis demonſtrari poſſit. Unico exemplo contenti erimus, de Idol. vanit. circa finem. *Itaque cum Chriſtus ſecundùm à Prophetis ante prædicta, verbo & vocis imperio, dæmonia de hominibus excuteret, paralyticos reſtringeret, leproſos purgaret*, &c. *Iudæi qui illum crediderunt hominem tantum de humilitate carnis & corporis, exiſtimabant Magum de licentia.* Peſſimè in editis nonnullis quibus uſus ſum, *diligentia* pro *de licentia*, *poteſtatis.* M. CAS.

natur illi manus in Epiſcopatu , *& 1.* [m] *quaſſetur illi caput* [n] *de pœnitentia.* His rebus compertis , [o] tota Eccleſia Cæcilianum retinuit , ne ſe [p] latronibus tradidiſſet. Illo tempore [q] aut reus debebat expelli , aut [r] communicari debuit innocenti. [ſ] Conferta erat Eccleſia populis : plena erat [t] Cathedra Epiſcopalis : erat [u] altare loco ſuo , in quo [x] pacifici Epiſcopi retro temporis obtulerunt , Cyprianus , Lucianus & cæteri. [y] Sic exitum eſt foras , & [z] altare contra altare erectum eſt , & ordinatio illicitè celebrata eſt : & Majorinus , [a] qui Lector [b] in diaconio Cæciliani fuerat , do-

PHILIPPUS PRIORIUS.

1. QUASSETUR ILLI CAPUT DE PŒNITENTIA. Quis legendo ea quæ ad has voces annotavit M. Caſaubonus non ſtatim credat , ὑπόπτωσιν , eſſe pœnitentiam ? Quicunque hæc ſeriò perpenderit , in memoriam ſtatim revocabit varios pœnitentiæ gradus, inter quos ὑποπίπτοντες , ſive οἱ ἐν ὑποπτώσει , hoc eſt procidentes. Verum equidem eſt procidentes eſſe pœnitentes ; ſed ubique verum non eſt pœnitentes eſſe procidentes. Reverà in errorem non levem impingit Caſaub. qui partem pœnitentiæ pœnitentiam vocat ὑπόπτωσιν gradus eſt ſive functio quædam pœnitentiæ ; quatuor autem eſſe gradus nemo vel mediocriter eruditus ignorat. Locus autem Optati facilis eſt , ſi animum advertas. Nam Purpurius Cæcilianum reum eſſe contendebat , adeoque ſubeundam illi pœnitentiam dicebat , antequam Epiſcopatu potiri poſſet , quod tamen falſum ; præ livore quippe quædam in Cæcilianum crimina torquebat , ut non legitimè ad Epiſcopatum vocatum oſtenderet , aut à Traditoribus creatum.

ANNOTATIONES VARIORUM.

m QUASSETUR ILLI CAPUT DE PŒNITENTIA. Traditionis reus habebatur Cæcilianus , & ob hanc cauſam debitor pœnitentiæ ; quapropter ait Purpurius , caput illi pro pœnitentia quaſſandum. ALBASP.

n DE PŒNITENTIA. Pro peccatis pro quibus agenda eſſet illi pœnitentia. IDEM.

o TOTA ECCLESIA. Tota civitas. IDEM.

p LATRONIBUS. Homicidis , *Omne latrocinium extra ſylvam homicidium eſt.* Tertullianus de pudicitia. IDEM.

q AUT REOS EXPELLI. Antequam alium ordinarent , Cæcilianum expellere debuerant : duo enim Epiſcopi in eodem loco non erant ordinandi. IDEM.

r COMMUNICARI. Nec reum eum , nec fratrem agnoverunt. IDEM.

ſ CONFERTA ERAT ECCLESIA Omnis multitudo erat in Baſilica cum Cæciliano. IDEM.

t CATHEDRA. Eccleſia, Cathedra, & altare , hæc tria legitimæ erant ordinationis argumenta ; qui enim Eccleſiam occupabat , in qua plebs ſolebat colligi , & in Cathedra ſedebat, in qua ejuſdem loci Epiſcopi olim ſederant, qui denique in altare offerebat in quo majores obtulerant , ritè ordinatus cenſebatur ; quare Optatus ut Majorinum non ritè ordinatum doceat , his eum omnibus caruiſſe refert. ALBASP.

u ALTARE SUO LOCO. In loco qui Deo & majoribus notus eſſet , hoc eſt in loco majorum , nam ex eo Deus multas oblationes ſuſceperat , & in eo populus multas obtulerat , & ideo mutari non debuerat ; dixit autem *ſuo* , quia Altare Epiſcopi debet eſſe in ea Baſilica , in qua eſt centrum communionis & in qua plebs cum Epiſcopo , & ab Epiſcopo colligitur ; nam locus olim ille erat locus Altaris , locus quem Deus reſpiciebat, quem populus agnoſcebat , & in quo oblationes, & preces nomine totius Eccleſiæ fiebant , cætera altaria ſunt quaſi permiſſa in ſubſidium Communionis ; cæterùm cùm aliquis olim ordinatus eſſet Epiſcopus , mox ad ſacra facienda , & ad pacem dandam ſe conferebat , in Cathedra Epiſcopali ſedebat , populum alloquebatur ; deinde in eodem altari in quo deceſſores ejus obtulerant , offerebat, & cum eis , & cum populo in altari ſub quo jacebant communionem faciebat : ad quem ritum reſpiciens Optatus dicit Majorinum præſente plebe, & acclamante, in majori caſa ordinatum fuiſſe, neque in Cathedra Epiſcopali ſediſſe , nec denique communionem feciſſe cum divo Cypriano , Luciano , & cæteris Epiſcopis , qui Eccleſiæ Carthaginienſi præfuerant , & qui adhuc erant ex communione Carthaginienſi ; quæ omnia ſi fuiſſet legitimè ordinatus , ab illo erant præſtanda. IDEM.

x PACIFICI EPISCOPI. De quorum pace , & communione non dubitant Donatiſtæ. IDEM.

y SIC EXITUM FORAS. Sic ſchiſma eſt factum à Majorino. IDEM.

z ALTARE CONTRA ALTARE. Aliud Corpus Chriſti actum eſt , & alia Communio conflata , quia non communicavit Majorinus cum Cypriano , cum quo totius plebis corpus , & Communio adhærebat. IDEM.

a QUI LECTOR IN DIACONIO CÆCILIANI FUERAT. Id eſt , cùm Cæcilianus adhuc erat Archidiaconus , durante ejus archidiaconatu. Nam alioquin Diaconium , ſive διακονικὸν de ſacratiſſimo Eccleſiæ loco dici non ignoramus , qui can. conc. Laodic. ὅτι οὐ δεῖ ὑπηρέτας ἔχειν χώραν ἐν τῷ διακονικῷ & miniſtris interdicitur ; ubi Balſamon ὑπηρέτας Hypodiaconos : concilium autem Agathenſe can. 66. in ſacratos miniſtros interpretatur. M. CAS.

b IN DIACONIO. Omnes minores Clerici ſub Diaconis , Diaconi ſub Preſbyteris , Preſbyteri ſub Epiſcopis , tanquam per claſſes diſponebantur : atque ut nullus preſbyter ſine Diacono, ita nullus Diaconus ſine minoribus Clericis inſtituebatur , quia eorum omnium munus , ſine alterius opera & functione ritè fieri nequibat : Cæterum Majorinum è Lectione ad Epiſcopatum adlectum notat Optatus , ut ejus ordinationem minùs jure & ordine factam oſtendat ; ordo enim poſtulabat , ut Preſbyteri, aut Diaconi ordinarentur ante Lectores, ſi qui idonei reperirentur. AL.

meſticus Lucillæ, [c] ipſa ſuffragante, Epiſcopus ordinatus eſt à Traditoribus, qui in concilio [d] Numidiç (ut ſuperiùs diximus) crimina ſua ſibi confeſſi ſunt, & [e] indulgentiam ſibi invicem tribuerunt. Manifeſtum eſt ergo, exiſſe de Eccleſia & [f] Ordinatores qui Tradiderunt, & Majorinum, qui ordinatus eſt. Interea de ſuorum criminum fonte, qui apud eos multorum flagitiorum venis exuberaverat, unum Traditionis convitium in Ordinatorem Cęciliani derivandum eſſe putaverunt: [g] providentes [h] quod fama duas res ſimiles uno tempore loqui non poſſet: ut crimina in ſilentium mitterent ſua, vitam infamare conati ſunt alienam. Et cùm poſſent ipſi ab innocentibus argui, innocentes arguere ſtuduerunt, mittentes ubique litteras [i] livore dictante conſcriptas: quas [k] inter cęteros actus habemus in poſterum. Adhuc Carthagine poſiti [l] pręceſſerunt ſe epiſtolis ſuis ut rumoribus falſis cunctorum auribus insererent mendacium, ſparſa fama per populos. [m] Et dum de uno celebrata ſunt falſa, ſupradictorum veriſſima crimina ſub ſilentio latuerunt. [n] Frequenter ſolet erubeſci de crimine, ſed illo tempore non fuit cui erubeſceretur: quia præter [o] paucos Catholicos, [p] peccaverant univerſi, [q] & quod imago fuerat innocentiæ inter multos nefas admiſſum. [r] Parvum erat Traditionis facinus, quod per Donatum Maſculitanum & cæteros ſupradictos conſtabat admiſſum, [ſ] etiam ingens flagitium ſchiſmatis traditioni junxerunt. Vides ergo Parmeniane hæc duo crimina tam mala tam gravia Traditionis & ſchiſmatis, ad tuos Principes pertinere. Agnoſce vel ſerò [t] incurriſſe te in tuos, dum inſectaris alienos. Et cùm priores tuos conſtet operatos eſſe hoc alterum nefas, & vos jam eos ſceleratis veſtigiis ſequi laboratis: ut quod illi priores [u] in titulo ſchiſmatis fecerant, & vos jam

ANNOTATIONES VARIORUM.

c IPSA SUFFRAGANTE. Quaſi ſuffragium dante: quia pecuniâ ſuffragia corruperat. ALBASP.

d NUMIDIÆ. Cirtenſi. IDEM.

e INDULGENTIAM. Secundus traditionis reus alios idololatras abſolvit, & ab aliis abſolutus eſt. IDEM.

f ORDINATORES. Qui ſalvo legitimo Epiſcopo alium ordinat, Eccleſiam non minùs ſcindit, quàm qui ordinatur. IDEM.

g PROVIDENTES QUOD FAMA. Neà Cœciliano traditionis accuſarentur, litteras ad omnes Epiſcopos & vicinos ſcripſerunt, quibus Fœlicem ejuſdem criminis reum faciebant: hoc nempe conſilio ne traditores haberentur, una enim eademque res de duobus eodem tempore non facile creditur: prioris rumoris aura ſemper prævalet. IDEM.

h PROVIDENTES QUOD FAMA DUAS RES SIMILES UNO. Scribe, *quod fama duas diverſas res ſimul & uno t. loqui non poſſet*, pro *diverſas*, exſcriptor per compendium, *dras*, ſcripſerat, quod poſtea ob ſimilitudinem cum præcedente *duas*, emiſſum, aut ex *dras* fecit *duas*; quo ſententia carere rectè poteſt. Haud abſimile illud, ad verba quod attinet lib. 7. *Non poteſt idem operarius duas res repugnantes & contrarias*, quod hic (duas diverſas res) *ſimul facere*. M. CAS.

i LIVORE. Livore infrà pleno livore. ALBA.

k INTER CÆTEROS ACTUS HABEMUS IN POSTERUM. Fortè melius *in poſteriori*. Supra hoc libro pag. 16. *Harum namque plenitudinem rerum, in noviſſimâ parte iſtorum libellorum ad implendam fidem adiunximus*, & infra. *De iis rebus habemus volumina actorum. Quod ſi quis voluerit, in noviſſimis partibus legat.* INCERT.

l PRÆCESSERUNT SE EPISTOLIS SUIS. Elegantiſſimè dixit, quaſi adventui ſuo eas præmittere, quomodo prævenire lauream, rumorem belli, & rumorem prævenire Imperatorem dicit Claudianus. BARTH.

m ET DUM DE UNO. De Cœciliano, aut Felice. ALBASP.

n FREQUENTER. Hæc periodus pertingit uſque ad illa, *Parvum erat*, & non clauditur niſi poſt hæc verba, *nefas admiſſum*. IDEM.

o PAUCOS CATHOLICOS. Præter paucos Laicos, qui huic ordinationi interfuerant. ID.

p PECCAVERANT. Traditores fuerant. ID.

q AUT QUOD IMAGO FUERAT. Aliquid aut deeſſe, aut redundare videtur: nam periodum neceſſe eſt hoc modo concipiæ, *nefas admiſſum inter multos imago erat innocentia*: qua vult dicere imaginem fuiſſe innocentiæ, quod nullus eorum Epiſcoporum accuſaretur, aut accuſari poſſet, quia omnes peccaverant. IDEM.

r PARVUM ERAT. Alia periodus. IDEM.

ſ ETIAM INGENS. Hac à ſuperioribus non ſunt diſtinguenda, ſed ad eorum ſenſum pertinent. IDEM.

t INCURRISSE. Hoc eſt cum dicis majores noſtros traditores fuiſſe, probatur tibi de tuis hoc eſſe intelligendum. IDEM.

u IN TITULO SCHISMATIS. In crimine ſchiſmatis, libro ſeptimo, *tamen in hoc titulo*, in hac cauſa: Auguſtinus lib. ſecundo contra Creſconium cap. decimo, *diſcordia non poſſidet ſub titulo pacis*. Item, *quid cauſa eſt ne titulus depo-*

dudum feciſſe & nunc facere videamini. Illi ruperunt ſuis temporibus pacem : vos [x] exterminatis unitatem. De parentibus veſtris & de vobis meritò dici poteſt, *Cæcus cæcum ſi duxerit, utrique in foveam cadunt.* [y] Oculos patrum veſtrorum furioſus excæcaverat livor, & æmulatio veſtros orbavit. Schiſma ſummum malum eſſe & vos negare minimè poteritis. Et tamen Dathan & Abiron & Chore, perditos magiſtros veſtros, ſine trepidatione eſtis imitati: nec ponere ante oculos voluiſtis, hoc malum & verbis Dei eſſe prohibitum, & admiſſum graviter vindicatum. Deinde eſſe diſtantiam delictorum, aut remiſſio teſtatur aut pœna. Denique inter cætera præcepta etiam hæc tria juſſio divina prohibuit, *Non occides*, *Non ibis poſt Deos alienos*: & [z] in [a] capitibus mandatorum, *Non facies ſchiſma.* [b] Videamus de iis tribus, quid oportuit puniri, & quid meruit relaxari. Parricidium principale delictum eſt: & tamen Caïn nec reus à Deo percutitur, ſed occiſus inſuper vindicatur. [c] In Ninive civitate hominum nume- *Gen. 4.* ro centum viginti millia ſacrilega, quæ Deos alienos ſequi videbantur: poſt iracundiam Dei, & nuncium Jonæ Prophetæ, Jejunium parvi tem- *Jonæ 3.* poris & oratio indulgentiam meruit. [d] Videamus ſi aliquid tale conſecuti ſunt ii, qui populos Dei primitus auſi ſunt ſcindere. Tot millibus virorum Iſraël, quorum à cervicibus divina providentia jugum ſervile dejece- *Num. 16.*

ANNOTATIONES VARIORUM.

natur, ut pax deponatur. ALBASP.

x EXTERMINATIS UNITATEM. Macarius unitatem voluerat facere, & plebem Donatiſtarum, armis, & principis auctoritate ad Eccleſiam Catholicam compellere, quam unionem impediebant Donatiſtæ. IDEM.

y OCULOS PATRUM VESTRORUM FURIOSUS EXCÆCAVERAT LIVOR, ET ÆMULATIO VESTROS ORBAVIT. Orbatio de oculis ut de liberis dicitur, iſti enim creberrimè illis æquantur. Auſonius Parentalibus.

> *Amiſſum fleſti poſt trina decennia natum*
> *Saucius, atque uno lumine caſſus eras.*

Ubi Quintiliani locum ex lib. 6. proœm. Lipſius produxit epiſt. quæſt. Euripides Andromachâ. ὡς παῖς ὅδ' ἡμῖν εἷς λοιπὸς ὀφθαλμὸς ἦν. Alcimus Hecdicius Avitus lib. 3. de filio perdito Lucæ 15.

> *Lætaque ſolemnis celebrat convivia cœtus,*
> *Quod rediviva ſuis, quodam quaſi funere proles*
> *Surgat, & orbato redeant nova lumina patri.*

Paulinus in obitum Celſi.

> *Celſo amor & deſiderium, lumenque ſuorum.*

Eadem ratione & Ruricius Epiſtolis. BARTH.

z IN CAPITIBUS MANDATORUM. Qui ſchiſma faciunt & Eccleſiam ſcindunt, plures Deos inducere videntur: & cùm à communione Eccleſiæ recedunt, à Deo eos recedere neceſſe eſt, cum quo Eccleſia unita eſt, & per Chriſtum compacta auctor ibidem, *Indixerant quodammodo Deo bellum, quaſi eſſet alter Deus qui alterum acciperet ſacrificium.* ALBASP.

a ET IN CAPITIBUS MANDATORUM NON FACIES SCHISMA. Non debebant hæc, *non facies ſchiſma*, aliis caracteribus ſcribi, quaſi ipſa Scripturæ verba eſſent ab Optato citata. Neque enim nunc extant, neque unquam in ulla vel Græca, vel Latina verſione extiterunt. Hoc ipſum ſubindicat Optatus, dum dicit *in capitibus mandatorum*; ad illa nimirum reſpiciens Apoſtoli Rom. 13. 9. τὸ γὰρ οὐ μοιχεύσεις &c. καὶ εἴ τις ἑτέρα ἐντολὴ, ἐν τούτῳ τῷ λόγῳ ἀνακεφαλαιοῦται, ἐν τῷ ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου ὡς ἑαυτόν. Quod hodie *inſtauratur*, olim legebatur, à quibuſdam ſaltem, *recapitulatur*; ut & Epheſ. 1. 10. quem locum citans Tertull. adv. Marc. lib. 5. cap. 17. *recapitulare* repræſentat, quamvis idem alibi reddat, *ad caput reciprocare*: atque iterum alio loco, *ad initium colligere.* Jam ſchiſma ad peccata quæ in proximum committuntur, proprie atque inter prima referri, notum eſt. *Inter peccata quæ ſunt in proximum, peccatum ſchiſmatis videtur eſſe maximum, quia eſt contra ſpirituale bonum multitudinis* Aquinas ſecunda ſecundæ quæſt. 39. art. 2. ad 3. &c. *In capitibus mandatorum* igitur, hic applicamus in ſumma, ſive recapitulatione mandatorum. Non diſplicet tamen Albaſpinæi interpretatio, qui refert ad primum mandatum, cùm paulo poſt Optatus, *Deus cui diſplicet ſchiſma hoc libenter videre non potuit. Indixerant quodammodo Deo bellum, quaſi eſſet alter Deus* &c. Utraque interpretatio vera fuerit, ſi dicamus Optatum ad verba Chriſti reſpexiſſe Matth. 22. 37. 38. M. CAS.

b VIDEAMUS DE IIS TRIBUS. Docet Deum gravius puniiſſe Schiſma, quàm homicidium aut idololatriam. ALBASP.

c IN NINIVE CIVITATE HOMINUM *&c.* Non hic error Optati proprius. Politiſſimus Eccleſiaſticorum Sulpicius ſacræ hiſt. lib. 1. *Id oppidum*, de Ninive loquitur, *olim ab Aſſur Sem filio conditum, caput regni Aſſyriorum fuit: Frequens tum incolarum multitudine alens virorum millia c. & xx. atque ut in magno populo, abundans vitiis.* Atqui non ait Scriptura tot omnino eſſe in orbe ſed tot eſſe qui dextram à ſiniſtra nequiverint diſcernere. Quod ſanè non poteſt, niſi de valde pueris intelligi; niſi ad allegoricas interpretationes confugias. Vide Hieron. & Gloſſas: vide & Druſium M. CAS.

d VIDEAMUS SI ALIQUID TALE CONSECUTI SUNT. *Si aliquid tale.* Val. Flaccus lib. 8.

> *Oculos longè tenet, aurea ſi jam*
> *Pellis, & oblatis clareſcant atria villis.*

INCERT.

rat , Aaron ſanctum unum præfecerat ſacerdotem : ſed cùm miniſtri ejus ſacerdotium non ſibi debitum concupiſcentes , ſeducta parte populi illicitè invaderent, ritum imitati ſacrorum, ducentos, & quod excurrit, miniſtros ſecum perituros, cum thuribulis in fronte ſeducti populi poſuerunt. Deus cui diſplicet ſchiſma , hoc libenter videre non potuit. Indixerant quodammodo Deo bellum, quaſi eſſet alter Deus , qui alterum acciperet ſacrificium. Igitur Deus pro neglectis mandatis iratus eſt ira magna. Et quod in ſacrilegos & parricidam non fecerat , in ſchiſmaticos fecit. Stabat miniſtrorum acies & multitudo ſacrilega , cum interdictis ſacrificiis ſuis illico peritura : negatum & ſubductum eſt pœnitentiæ tempus , quia non talis erat culpa quæ veniam mereretur. Mandata eſt terræ fames : ſtatim fauces ſuas in populi diviſores aperuit , & contemptores mandatorum Dei avido ore abſorbuit. [e] Intra momenti ſpatium , ad transglutiendos prædictos terra patuit , rapuit, clauſa eſt. Et ne beneficium de mortis compendio conſequi viderentur, dum non eſſent digni vivere, iis nec mori conceſſum eſt : tartareo carcere ſubitò clauſi , antè ſunt ſepulti quàm mortui. Et miramini vobis aliquid tale aſperè factum, qui ſchiſma aut facitis aut colitis , cùm videatis quid magiſtri primi ſchiſmatis pati meruerunt: [f] An quia ceſſat talis modò vindicta, ideo tibi cum tuis vindicas innocentiam ? Deus in ſingulis rebus exemplorum poſuit formam, [g] ut ſit quod imputet imitantibus prima peccata : ad exemplum præſens pœna compreſſit , ſecunda judicio reſervabit. Quid ad hæc dicturi eſtis, qui ſchiſma, uſurpato Eccleſiæ nomine, & occultè nutritis, & impudenter defenditis ? Sed quia audio aliquos de ſocietate tua , litigandi ſtudio [h] chartas habere neſcio quas: quærendum eſt, quibus ſit accommodanda fides : quæ cum ratione concordent , quæ [i] [k] cum veritate confabulen-

ANNOTATIONES VARIORUM.

e INFRA MOMENTI SPATIUM , AD TRANSG. &c. *Tranſglutire* dixit pro *deglutire*. Quomodo Cyprianus (an Tertullianus ?) in Geneſi poemate , v. 31. & 57. *Transvena* pro *advena* utitur. INCERT.

e INTRA MOMENTI SPATIUM &c. Eleganter hîc ab Optato ad exprimendam rei celeritatem oratio , quæ vocatur ἀσύνδετος adhibetur, quaſi imitatos eſſet illud Cæſaris, *veni , vidi , vici*. Et ſanè haud vulgarem ejus elegantiam, nec minus ingenium , præcipuè cùm quippiam narrat aut deſcribit multa teſtantur. Utinam par fuiſſet eruditio. Nam diſputante illo plerumque : ſed de ſancto viro nolo quicquam acerbius ; præcipuè , cum temporis , quam hominis infelicitas hæc fuerit. M. CAS.

f AN QUIA CESSAT. Tertullianus de Patientia, *ut ſua ſibi patientia detrahat , plures enim Dominum idcirco non credunt , quia ſeculo iratum tamdiu neſciunt.* ALBASP.

g UT SIT QUOD IMPUTET ET IMITANTIBUS PRIMA PECCATA. τὸ &, non eſt hîc otioſum , ſed magni & elegantis uſus. Ut ſit, inquit , quod meritò iis imputet , quoque ἀναπολογήτους eos reddat , quicunque peccatores primos tam exemplariter à Deo punitos , porro ſuſtinent imitari. Quod autem ſequitur in eadem ſententia : *Ad exemplum præſens pœna compreſſit, ſecunda judicio reſervabit* , cùm nulla commoda ſententia ex his effici poſſit , facilè mihi quemvis acceſſurum puto , per quem levi , ac nulla propè literarum mutatione corrigendum eſſe, *Ad exemplum præſens pœna cum præceſſit , ſecundam judicio reſervabit*, vel , *ſecunda judicio reſervabitur.* Cùm inquit , *pœna præſens* , id eſt in hoc ſeculo exacta publicè , & in omnium conſpectu , ad exemplum ; poſtquam hæc pœna jam præceſſit, non mirum eſt, ſi Deus ſimiles pœnas ob omnibus ſchiſmaticis non exigat , quum ſecundam & quæcunque poſtea debebuntur eo nomine peccatoribus pœnæ , omnes eas univerſali judicio reſervaverit. Poſſunt etiam hæc latiùs de quibuſvis peccatoribus intelligi. M. CAS.

h CHARTAS HABERE. Mandata principum , acta Conciliorum, Epiſtolas Menſurii , & ſimilia de quibus in Collatione facta eſt mentio. ALBASP.

i CUM VERITATE CONFABULENTUR. Confabulari, pro, conſentire, uſurpat. BARTH.

k QUÆ CUM VERITATE CONFABULENTUR. Non obſervatum mihi alibi verbum hac notione. Ego adulterinum cenſeo , ac loco illius reponendum , *confibulentur.* Tertullianus ſic uſurpat non ſemel, & quidem præcedente , ut hîc, *concordiæ*, vel *concordandi* verbo , lib. de Trin. (ſive ille Tertulliani factus eſt , ſive Novatiani :) de Chriſto loquens, *Quoniam ſi ad hominem veniebat, ut mediator Dei , & hominum eſſe deberet , oportuit illum cum eo eſſe , & verbum carnem fieri , ut in ſemetipſo concordiam confibularet , terrenorum pariter & cæleſtium , dum utriuſque partis in ſe connectens pignora* &c. Mox iterur

tur. Veſtrę, ſi ſunt aliquæ, mendaciis fortè videantur aſperſæ. [i] Noſtras chartas probant & conflictus cauſarum, & contentiones partium, & exitus judiciorum, & epiſtolę Conſtantini. Nam quod de nobis dicitis, *Quid Chriſtianis cum regibus? aut quid Epiſcopis* [l] *cum palatio?* [m] Si nota eſt noſſe reges, vos tota perfundit invidia. [n] Nam majores veſtri, Lucianus, Dignus, Naſſutius, Capito, Fidentius, & cęteri Imperatorem Conſtantinum, harum rerum adhuc ignarum, his precibus rogaverunt: quarum exemplum infrà ſcriptum eſt: *Rogamus te, ô Conſtantine optime Imperator, quoniam* [o] *de genere juſto es, cujus pater inter cæteros Imperatores perſecutionem non exercuit, &* [p] *ab hoc facinore immunis eſt Gallia. Nam in Africa inter nos & cæteros Epiſcopos contentiones ſunt. Petimus,* [q] *ut de Gallia nobis judices dari præcipiat pietas tua. Data à Luciano, Digno, Naſſutio, Capitone, Fidentio,* [r] *& cæteris Epiſcopis partis Donati.* [ſ] Quibus lectis, Conſtantinus pleno livore reſpondit. [t] In qua reſponſione & eorum [u] preces prodidit, dum ait: [x] *Petitis* [y] *à me in ſæculo* [z] *judicium,* [a] *cùm ego ipſe Chriſti*

PHILIPPUS PRIORIUS.

1. NOSTRAS CHARTAS PROBANT ET CONFLICTUS. Tota illa contentio ad Conſtantinum M. delata eſt, qui magnificè, ut Imperatorem Chriſtianum decet, ad Milnadem Pontificem Romanum ſcripſit, ut Cæcilianum audiret, convocatis cum eo decem Epiſcopis totidemque haberet, Cæcilianus, voluit, qui ſibi fidi eſſent, eaque ratione diſſenſio omnis ſopiretur. Ἔδοξέ μοι ἵν' αὐτὸς ὁ Καικιλιανὸς μετὰ δέκα ἐπισκόπων τῶν αὐτὸν εὐθύνειν δοκούντων, καὶ δέκα ἑτέρων, οὓς αὐτὸς τῇ ἑαυτοῦ δίκῃ ἀναγκαίους ὑπολάβοι, εἰς τὴν Ῥώμην πλῷ ἀπίοι. *Mihi rectè viſum eſt ut Cæcilianus cum decem Epiſcopis, qui eum accuſare videntur, & decem aliis, quos ſibi in ſuâ cauſâ utiles eſſe cognoverit, Romam tranſmiſſo mari veniat.* Extat Epiſtola apud Euſebium lib. 10. hiſt. eccl. Scripſit idem Imperator ad Chreſtum Syracuſanum eandem ob cauſam, addiditque cùm in animo haberet ejuſmodi contentionibus obviam ire, convocatos eſſe nonnullos Galliæ Epiſcopos, & evectos ex Africâ alios, in contrariam partem. Quod ad Cæcilianum ſpectat, omni humanitate evectus eſt per Tractoriam Epiſtolam, cujus copiam habet idem Euſebius; in quâ numerandos refert ter mille obolos, juſſu Conſtantini, eidem Cæciliano, in ſumptus itineris, ad quod cum aliis ſe accingebat. [illegible] γράμματα πρὸς Οὖρσον τὸν διασημότατον καθολικὸν τῆς Ἀφρικῆς, καὶ ἐδήλωσα αὐτῷ ὅπως τρισχιλίους φόλλεις τῇ σῇ στερρότητι ἀπαριθμῆσαι φροντίσῃ. Hoc eſt, *literas miſi ad Urſum clariſſimum Catholicum in Africâ, & illi ſignificavi quâ ratione ter mille obolos tua gravitati numerandos curet.* Liberaliter etiam monuit in eâdem Tractoriâ, ſi majore ſummâ indigeret ad id negotii, à procuratore ſuo Heraclidâ confeſtim peteret.

ANNOTATIONES VARIORUM.

rum, capite, quod proximè ſequitur, extremo, concordia & conſibulatio ſimul juncta. M. CAS.

l CUM PALATIO. His vocibus non utebantur initio ſchiſmatis, nam ubi Concilio Arelatenſi, atque ſummo Pontifici audientes non fuerunt, poſt illa omnia judicia à Palatio opem quæſierunt. ALBASP.

m SI NOTA EST. Si vitium. IDEM.

n NAM MAJORES VESTRI. Inter hos Epiſcopos Majorinus non recenſetur, quare ſuſpicarer eum tunc temporis fato functum eſſe. IDEM.

o DE GENERE JUSTO. Ejus Pater in Gallia, & in Anglia Chriſtianos non erat perſequutus. ALBASP.

p AB HOC FACINORE. A crudelitate quam cæteri Imperatores in Chriſtianos exercuerunt. IDEM.

q UT DE GALLIA. Et tamen ex decem, & novem judicibus, tres tantùm ex Gallia fuerunt; cæteri à Summo Pontifice, cui cauſæ cognitionem jure reliquerat Imperator, aſſumpti fuerunt. IDEM.

r ET CÆTERIS PARTIS DONATI. Ergo ſchiſma nomen à Donato Caſenſi acceperat; unde colligitur Donatum Carthaginienſem huic ſectæ nomen non dediſſe, cùm ejus ordinatio in annum trecenteſimum trigeſimum primum, ab Illuſtriſſimo Cardinale Baronio rejiciatur. IDEM.

ſ QUIBUS LECTIS. Epiſcopi illi libellum non obtulerant, ſed Annullino Africæ Proconſuli mittendum dederant. IDEM.

t PLENO LIVORE. Obſtupuerant, quòd ab Epiſcopis judices a Laicis peterentur. IDEM.

u PRECES PRODIDIT. Oſtendit ſuo reſponſo eos injuſta petiiſſe. IDEM.

x PETITIS A ME IN SÆCULO. Hoc reſponſum eſt notatu dignum, quo Imperator voluit oſtendere Epiſcoporum controverſias ab ipſis potius, quod Chriſti vicem gerant, dijudicandas eſſe, quàm à Laicis. IDEM.

y À ME IN SÆCULO. A me qui non ſum ex communione, & corpore Epiſcoporum. IDEM.

z JUDICIUM. Judices: nam non petierant ab Imperatore, ut de ſuis controverſiis cognoſceret, ſed ut judices daret. IDEM.

a CUM EGO IPSE. A vobis potiùs eſſem judicandus. IDEM.

D

judicium expectem. [b] Et [c] tamen dati ſunt Judices, Maternus ex Aggrippina civitate, Rheticius ab Auguſtoduno civitate, Marinus Arelatenſis. Ad urbem Romam ventum eſt ab iis tribus Gallis: [d] & ab aliis quindecim Italis. Convenerunt [e] in domum Fauſtę in Laterano, [f] Conſtantino iij. & Licinio iij. Coſſ. vj. Non. Octob. [g] die ſexta feria. Cùm conſediſſent Miltiades Epiſcopus urbis Romę, & [1] Rheticius & Maternus & Marinus Epiſcopi Gallicani; & [h] Merocles à Mediolano, Florianus à Cęſena, Zoticus à Quintiano, Stemnius ab Arimino, Fœlix à Florentia Tuſcorum, Gaudentius à Piſis, Conſtantius à Faventia, Proterius à Capua, Theophilus à Benevento, Savinus à Terracina, Secundus à Pręneſte, Fœlix à tribus tabernis, Maximus ab Oſtia, Evandrus ab Urſino, Donatianus à Foro Claudii. His decem & novem conſidentibus Epiſcopis, cauſa Donati & Cęciliani [i] in medium miſſa eſt [k] à ſingulis. [l] In Donatum

PHILIPPUS PRIORIUS.

1. RHETICIUS ET MATERNUS *&c.* Tres hi Epiſcopi Gallicani nominantur etiam in Epiſtola jam citata, ad Miltiadem Romanum. Tanto ſtudio & ardore rem ſuſceperat Conſtantinus, ut nulla in re defuerit ad componendas illas contentiones. Rheticius erat Epiſcopus Auguſtodunenſis, ut Optatus modo indicavit, & ſanctus Auguſtinus lib. 1. contra Julianum ait, Rheticium ab Auguſtoduno magnæ fuiſſe auctoritatis, contra Donatiſtas, coram Melchiade Rom. Meminit etiam Rheticii Auguſtodunenſis miſſi Romam à Conſtantino Aug. ſub Sylveſtro, S. Hieronymus epiſt. 133. Alii ſunt Maternus Agrippinenſis, & Marinus Arelatenſis, ut nos quoque docet Idem Optatus.

ANNOTATIONES VARIORUM.

b ET TAMEN DATI SUNT JUDICES. Tres ſcilicet ex Gallia, Maternus, Marinus, & Rheticius, nam quindecim alii à Melchiade delecti ſunt & adſumpti: cæterùm extat Conſtantini ad ad eundem Melchiadem de hac cauſa epiſtola, in cujus titulo hæc leguntur, *Melchiadi Epiſcopo Romano, & Marco ſalutem*, in quibus explicandis interpretes ſatis habent negotii: non enim facile eſt divinare quorſum Marcum illum cum Summo Pontifice poſuerit, aut quis, & qualis fuerit Marcus ille. Nihil hac in re magis probabile occurrit, quàm conjectura Illuſtriſſimi Cardinalis du Perron, qui ſuſpicatur legendum, ἢ ἱεράρχῃ, hoc eſt *Melchiadi Romano Hierarcha*: cætera quæ adferuntur, aut vana, aut futilia ſunt, quemadmodum quòd aiunt Imperatorem Marco Diacono cum Melchiade ſcripſiſſe, ne ſuperiora ſine inferioribus eminerent, & ut graduum Eccleſiaſticæ Communionis varietas appareret: ſcilicet cum ad Xyſtum Syracuſanum & ad alios Galliarum, Hiſpaniæ, & Africæ Epiſcopos litteras de eadem cauſa, & negotio dedit, Diaconorum meminit, ne graduum varietas inſalutata præteriretur: aut dicendum Xyſtum cum ſuo Diacono pœnas dediſſe, ne ſuperiores gradus, ſine inferioribus martyrio eminerent, Cæſareſque Chriſtiano nomini infenſos hanc graduum rationem in ſuppliciis, & tormentis ſervaſſe. Neque magis ad rem pertinent D. Cypriani verba ad Cornelium Papam, de Romano Clero, quia Epiſtola illa ex qua deſumuntur, erat Epiſtola ſalutatoria, & ex genere earum quæ pacificæ vocabantur, & communicatoriæ (quemadmodum ſunt divi Pauli Epiſtolæ) quorum ſubſidio Communio inter abſentes ac longè diſſitos fovebatur: quapropter nil mirum ſi omnium graduum in illis fiat mentio, & ſi divus Cyprianus, aut divus Paulus diaconorum meminerunt, cùm ad Eccleſias aut ad Epiſcopos communicatorias ſcripſerunt. IDEM.

c ET TAMEN DATI SUNT JUDICES. Importunè hîc digrediendi ſuper inſcriptione Epiſtolæ Conſtantini ad Melchiadem, occaſionem captavit Albaſp. Cùm enim novum ipſe nihil, veterem Baronii conjecturam, ἢ Μάρκῳ emendantis, ἱεράρχῳ, à doctis pridem exploſam, Cardinali du Perron falsò tribuit, quem adeò ejus puduit, (quod ex noviſſimo ejus ad regem Angliæ ſcripto liquet;) ut quidvis potius excogitandum putaret, quàm vel meminiſſe Baronianæ conjecturæ dignaretur. M. CAS.

d ET AB ALIIS QUINDECIM. Quos convocaraт Melchiades. ALBASP.

e IN DOMUM FAUSTÆ IN LATERANO. In epiſtola Conſtantini ad Ablavium habetur eos in quodam loco ſe clauſiſſe. IDEM.

f CONSTANTINO TERTIUM ET LICINIO TERTIUM CONSULIBUS. Ita legendum cenſent Baronius & Balduinus, ſed Auguſtinus notat Conſtantino tertio, à Licinio iterum Conſulibus. IDEM.

g DIE SEXTA FERIA. Dies olim, aut Hebdomadæ, per dies Jovis, Veneris, Solis non dividebantur, ſed per ferias: quæ quidem ſexta feria, erat dies Veneris, hoc eſt dies Chriſtianis luctus & ſtationis, quo à ſummo mane ad tertiam uſque ſtabant in Eccleſia: quare neſcio qua ratione potuerint hanc cauſam ſexta feria judicare. IDEM.

h MEROCLES. Ennodius vocat Mereclетem: fuit Epiſcopus Mediolanenſis ſucceſſor Anatholini. IDEM.

i IN MEDIUM MISSA. Agitata, & diſcuſſa. IDEM.

k A SINGULIS. Illis Epiſcopis qui convenerant in domum Fauſtæ; aut ab illis qui cum Cęciliano, aut Donato venerant. IDEM.

l IN DONATUM. Caſenſem. IDEM.

ſunt hę ſententię latę ; [n] *Quòd confeſſus ſit ſe* [o] *rebaptizaſſe* [p] *&* [q] *Epiſcopis lapſis* [r] *manum impoſuiſſe : quod ab Eccleſia alienum eſt.* [ſ] Teſtes inducti à Donato , confeſſi ſunt ſe non habere quòd in Cęcilianum dicerent. Cęcilianus [t] omnium ſuprà memoratorum ſententiis [u] innocens eſt pronunciatus ; [x] etiam Miltiadis ſententia , [y] qua judicium clauſum eſt his verbis. *Cùm conſtiterit , Cæcilianum , ab iis* [z] *qui cum Donato venerunt ,* [a] *juxta* [b] *profeſſionem ſuam non accuſari : nec à Donato convictum eſſe in aliqua parte conſtiterit :* [c] *ſuæ communioni Eccleſiaſticæ* [d] *integro ſtatu retinendum meritò eſſe cenſeo.* Sufficit ergo & Donatum tot ſententiis eſſe percuſſum , & Cęcilianum tanto judicio eſſe purgatum. Et tamen Donatus [e] appellandum

ANNOTATIONES VARIORUM.

m LATÆ SUNT NÆ SENTENTIÆ. In Conciliis , omnium Epiſcoporum ſententiæ non ſolùm numerabantur , ſed in acta ſingulæ , & ut erant dictæ referebantur , ut videre eſt in nonnullis Conciliis, atque in Concilio Carthagini ſub Divo Cypriano habito. Voluit igitur Optatus dicere ſingulis eorum Epiſcoporum ſententiis damnatum fuiſſe Donatum , nemineroque eorum fuiſſe qui hoc judicium , & iiſdem verbis in eum non conſtitueric. ALBASP.

n QUOD CONFESSUS SIT. Determinatione uſum fuiſſe Cæcilianum , Donatumque coram Melchiade accuſaſſe quod rebaptiſaret , veriſimile eſt. IDEM.

o REBAPTISASSE. Eos ſcilicet qui baptiſati eſſent ab Orthodoxis poſt ſchiſma , nam qui loti eſſent ante ſchiſma , non rebaptiſabantur à Donatiſtis. IDEM.

p EPISCOPIS LAPSIS. Qui aut codices ſacros exurendos tradiderant , aut thurificarant : lapſi enim antiquitus , non qui homicidium aut aliquod aliud peccatum quantumvis grave commiſiſſent , ſed qui duntaxat idolis ſacrificaſſent, aut aliquo modo deſervíſſent , lapſi dicebantur. IDEM.

q ET EPISCOPIS LAPSIS MANUM IMPOSUISSE &c. Multus eſt in obſervationibus Albaſp. & multos Optati locos , quaſi tot argumenta colligit, ut hanc *manuum impoſitionem*, de qua hoc loco Optatus non de *reordinatione Epiſcoporum* , qui ad Donatiſtas deficiebant , ut Balduinus & alii quidam docti explicabant , ſed de pœnitentium χειροθεσίαν accipiendam eſſe probet. Sanè pleriſque locis quibus Optatus *manus* à Donatiſtis *impoſita* meminit , eum de pœnitentibus intelligere , neminem puto negaturum , & ipſa verba ſatis evincunt. Cum tamen veriſimile ſit, (utrumque neget Albaſp.) aliquos ab iis jam tum reordinatos , nihil vetat , de ipſis hæc verba intelligi. Ut tamen de pœnitentium χειροθεσίαν potius accipiam, ſuadent maximè Leonis Papæ verba diſt. 50. can. 67. *Alienum eſt à conſtitutione eccleſiaſtica , ut qui in presbyterali honore , aut in diaconii gradu fuerint conſecrati , ii pro crimine aliquo ſuo per manuum impoſitionem remedium accipiant pœnitendi.* M. CAS.

r MANUM IMPOSUISSE. De pœnitentiæ manus impoſitione , non autem de reordinatione hæc verba explicanda eſſe docuimus in Obſervationibus. ALBASP.

ſ TESTES INDUCTI A DONATO. In litteris Conſtantini utrique licebat decem ex Africa teſtes liti ſuæ neceſſarios Romam tranſportare. IDEM.

t OMNIUM SENTENTIIS. Ex uniuſcujuſque Epiſcopi ſententia , & judicio abſolutus eſt Cæcilianus. IDEM.

u INNOCENS EST PRONUNCIATUS; Abſolutus à crimine traditionis , & idololatriæ , de quibus accuſabatur. IDEM.

x ETIAM MELCHIADIS. Quaſi diceret, etiam à Summo Pontifice abſolutus , poſt cujus judicium de Cæciliani innocentia non eſt dubitandum. IDEM.

y QUA JUDICIUM CLAUSUM EST. Præſidebat Melchiades ; ideo judicium clauſit , & poſtremo loco ſuam ſententiam dixit. IDEM.

z QUI CUM DONATO. Plures ſecum adduxerat Donatus , quibus quaſi certiſſimis , & locupletibus teſtibus uteretur in Cæcilianum ; qui tamen omnes ejus innocentiæ teſtes fuerunt. ID.

a JUXTA PROFESSIONEM. Hoc eſt Canones non tradidiſſe , neque conſcientiam ad idololatriam accommodaſſe , vel contra fidem quam profitetur nihil egiſſe perſecutionis tempore. IDEM.

b JUXTA PROFESSIONEM SUAM NON ACCUSARI. An id vult, eos , quod facturos profeſſi fuerant , ut Cæcil. accuſarent , non præſtitiſſe ; & accuſatorum partes , quas ſuſceperant , deſeruiſſe ? potius *juxta profeſſ. ſuam*, id eſt , quemadmodum & ipſi profeſſi ſunt ; nam antea, *Teſtes à Don. inducti , confeſſi ſunt ſe non habere , quod in Cæcilianum dicerent.* More ſuo novos ſcholiaſtes , juxta profeſſionem ſuam , *hoc eſt* , inquit , *Canones non tradidiſſe , neque conſcientiam ad Idololatriam accommodaſſe ; vel contra fidem quam profitetur , nihil egiſſe perſecutionis tempore.* M. CAS.

c SUÆ COMMUNIONI ECCLESIÆ. Unaquæque Communio Eccleſiaſtica per Epiſcopatus dividitur ; & in unoquoque Epiſcopatu eſt unum corpus Communionis Eccleſiaſticæ , cujus corporis caput eſt Epiſcopus: ideo Melchiades dixit, *ſuæ*, quia cùm eſſet Epiſcopus Carthaginienſis, illius communionis erat caput : non nego tamen hæc verba aliter explicari poſſe , & hæc *Cæcilianum integro ſtatu ſuæ Communioni retinendum eſſe cenſeo* , hunc ſenſum poſſe habere , Cæcilianum cum omnibus qui cum eo communicant retinendum eſſe in Communione Catholica. ALBASP.

d INTEGRO STATU. In ſtatu in quo erat conſtitutus , hoc eſt , in Epiſcopatu , poterat enim retineri in Communione Eccleſiaſtica Carthaginienſi in alio ſtatu, nempe in ſtatu Presbyteri , aut Diaconi : ſed Melchiadis judicium ejus ordinationem his verbis confirmavit. IDEM.

e APPELLANDUM AB EPISCOPIS. Noluit dicere à Melchiade ; ne auctoritatem Summi Pontificis læderet ; cæterum non eſt , quòd

eſſe ab Epiſcopis credidit. Ad quam appellationem Conſtantinus Imperator ſic reſpondit, [f] *O rabida furoris audacia; ſicut in cauſis gentilium fieri ſolet appellationem interpoſuerunt!*

Eodem [g] tempore idem Donatus petiit, [h] ut ei reverti ad Carthaginem contingeret. Tunc à Filumino, ſuffragatore ejus, Imperatori ſuggeſtum eſt, ut bono pacis Cæcilianus Brixiæ retineretur: & factum eſt. Tunc duo Epiſcopi ad Africam miſſi ſunt, [i] Eunomius & Olimpius, ut [k] remotis duobus unum ordinarent. [l] Venerunt apud Carthaginem: fuerunt per dies quadraginta, [m] ut pronunciarent ubi eſſet Catholica. Hoc ſeditioſa [n] pars Donati fieri paſſa non eſt. De ſtudio partium ſtrepitus quotidiani ſunt habiti: noviſſima ſententia eorum Epiſcoporum Eunomii & Olimpii talis legitur, ut dicerent illam eſſe Catholicam, quæ eſſet in toto orbe terrarum diffuſa: & ſententiam decem & novem Epiſcoporum, jam dudum datam, [o] diſſolvi non poſſe. Sic communicaverunt [p] clero Cæciliani, & reverſi ſunt. De iis rebus habemus volumina actorum. Quod ſi quis voluerit, in noviſſimis partibus legat. Cùm hæc fierent, Donatus [q] ultrò prior ad Carthaginem redit. Hoc audito, Cæcilianus ad ſuam plebem properavit. [r] Hoc modo iterum renovellatæ ſunt partes. Conſtat ta-

ANNOTATIONES VARIORUM.

hæretici ab hac hiſtoria quidquam in eandem Summi Pontificis deſumant, ut docuimus in obſervationibus. ALBASP.

f O RABIDA FURORIS AUDACIA. Hæc verba leguntur in Epiſtola Conſtantini ad Epiſcopos, qui Concilio Arelatenſi interfuerant, ut ad ſuas provincias reverterentur: quare dicta videntur, cùm ab illo Concilio, & non cùm à Melchiade ad Imperatorem appellaſſent Donatiſtæ. IDEM.

g EODEM TEMPORE IDEM DONATUS PETIIT, UT EI REVERTI. Hic ſequi debuiſſe cenſebat Balduinus Concilii Arelatenſis hiſtoriam & cognitionem, ſeu judicium Conſtantini Mediolanenſe. Ego verò Baronio potius aſſentior, qui locum his eſſe poſt purgationem Felicis, non ante, judicat; quod & novis, ſi ſit opus, argumentis confirmari poſſit. An tamen aliquid omnino deſit, & quidquid hujus in Optato deſideratur, an ab ipſo Optato prætermiſſum non ſit, puto non ſine cauſa à Balduino dubitatum eſſe. Nam ut id concedam, quod maximè urget Baronius, rem toto orbe celebrem, ab Optato ignorari non potuiſſe; puto tamen potuiſſe fieri, ut adeo explorata ipſi non eſſent, quæ omiſit atque cætera; utque illi non ſuppeterent Acta eorum, quæ proferret, quemadmodum & reliquorum, quæcunque præceſſerunt. Præterea, cùm quidquid ab Arelatenſi Concilio, vel Conſtantino, poſtea pronunciatum eſt, id totum ferè ex fide & veritate geſtorum purgationis Fælicis Cæciliani ordinatoris, coram Æliano Africæ Proconſule penderet; Non magni interfuit Afrorum cognoſcere quid ab illis tam longinquè compertum ac pronuntiatum eſſet, ſi de veritate rerum domi, ſive in Africâ geſtarum, ſemel eis conſtaret. Quam ad rem geſta Africana ſufficiebant. M. CAS.

h UT EI REVERTI AD CARTHAGINEM. Ex Epiſtola Conſtantini ad Ablavium conſtat Donat. Rom. à Melchiade detentum. ALB.

i EUNOMIUS, ET OLIMPIUS. Neceſſe eſt fateri hos duos Epiſcopos à Summo Pontifice miſſos fuiſſe; alioquin poteſtatem non habuiſſent alium in Africa ordinandi: ſed nota, quemadmodum ordinatio in aliis Provinciis & longè diſſitis poteſt celebrari à Summo Pontifice. IDEM.

k REMOTIS DUOBUS. Ergo eandem Sedem occupabant Donatus, & Cæcilianus. IDEM.

l VENERUNT APUD CARTHAGINEM. Venire apud aliquem, quod ſolœciſmi alligent Grammatici. Cledonius: *Non poſſumus dicere, apud amicum vado.* BART.

m UT PRONUNCIARENT. Ut populum docerent, & quam de duabus partibus ſequi deberent; nam Pontificis erat docere, quis eorum eſſet in communione Eccleſiæ, quod olim fiebat per litteras communicatorias, cùm aliquis ordinatus eſſet. ALBASP.

n PARS DONATI. Ergo Donatus erat Carthaginienſis, partemque plebis in illa Civitate, & Eccleſia ducebat. IDEM.

o DISSOLVI NON POSSE. Communicandum eſſe Cœciliano. IDEM.

p CLERO CŒCILIANI. Nam aberat Cœcilianus: ſed quamvis abſens eſſet, non minus ei communicarunt quàm ſi præſens fuiſſet; quia qui communicat Clero, cenſetur communicare Epiſcopo, qui eſt caput Cleri, ſons & centrum Communionis Eccleſiaſticæ in ſua Diœceſi. IDEM.

q ULTRO PRIOR. Non expectato illorum Epiſcoporum reditu. IDEM.

r HOC MODO ITERUM RENOVELLATÆ. *&c.* Significat contentionem recrudiuſſe, novis partium ſtudiis rurſus inflammatam. *Renovellare* pro *redintegrare*. à vitibus ductum ſic loquitur auctor lib. 7. ſub ipſum finem hujus Collationis ſuæ cum fratre Parmeniano Donatiſta, *Dum hominum eſſet renovellata nativitas*, *Novellare*, novum agrum colere, ſeu novas vites pangere. Suetonius in Domitiano cap. 7. *Edixit ne quis in Italia novellaret.* Hinc *Novelletum* Pro vinea ex novellis vitibus conſita, Alfeno & Paulo Iuriſconſultis Maximus Poëtarum Eclog. 3.

men Donatum tot ſententiis eſſe percuſſum, & Cæcilianum innocentem totidem ſententiis pronunciatum. Sed quia in ipſa cauſa, jam dudum in Catholica duorum videbantur laborare perſonæ, & Ordinati & Ordinatoris: poſtquam Ordinatus [f] in urbe purgatus eſt: purgandus adhuc remanſerat [t] Ordinator.

Tunc Conſtantinus ad Ælianum Proconſulem ſcripſit, ut remotis neceſſitatibus publicis, de vita Fœlicis [u] Autungitani publicè quæreretur. Inducti ſunt Claudius Saturianus, Curator Reipublicæ, qui fuit tempore perſecutionis in civitate Fœlicis, & Curator præſentis tunc temporis, quando cauſa flagitabatur, Callidius Gratianus, [x] & Magiſtratus Alfius Cæcilianus; ſed & Superſtationarius perductus, & [y] Ingentius Scriba publicus, [z] pependit ſub metu imminentium tormentorum. Reſponſis omnium nihil tale inventum eſt, quod [a] vitam Fœlicis Epiſcopi ſordidare potuiſſet. Habentur volumina actorum, in quibus continentur præſentium nomina, qui fuerant in cauſa, Claudii Saturiani curatoris, & Cæciliani Magiſtratus, & Superſtationarii, & Scribę Ingentii, & Solonis Officialis publici ipſius temporis: Poſt quorum reſponſa, à ſuprà memorato Proconſule hęc pars ſententię dicta eſt: [b] *Fœlicem autem religioſum Epiſcopum, liberum eſſe ab exuſtione inſtrumentorum deificorum manifeſtum eſt, cùm nemo in eum aliquid* [c] *probare potuerit,* [d] *quod religioſiſſimas ſcripturas, Tradiderit vel exuſſerit.* [e] *Omnium* [f] *enim interrogatio ſupra ſcripta manifeſta eſt, nullas ſcripturas deificas, vel inventas, vel corruptas, vel incenſas fuiſſe. Hoc actis continetur, quòd Fœlix Epiſcopus religioſus, illis temporibus, neque præſens fuerit, neque* [g] *conſcientiam accommodaverit, neque*

ANNOTATIONES VARIORUM.

Vites incidere falce novellas.
Quare non benè hìc *renovata* reſtitutum mallet Fr. Balduinus. INCERT.

f IN URBE. Mentionem non facit Concilii Arelatenſis, quia ad purgationem Cæciliani ſatis erat, quòd Miltiadis judicio abſolutus eſſet. ALBASP.

t ORDINATOR. Fœlix Aptungitanus, qui in actis ejus purgationis dicitur Epiſcopus. IDEM.

u AUTUMNIS. Alibi, *In municipio Autumnitanorum*, item, *Autumnitanus Epiſcopus, Fœlix.* IDEM.

x ET MAGISTRATUS, ALFIUS, CÆCILIANUS. Duoviratum geſſerat: ex Geſtis, *Ælianus Proconſul dixit cum Duoviratum egeris in patria tua. oportet fidem verbis tuis habere.* Hic ipſe Epiſtolam illam quæ Fœlici tribuebatur, ſcripſerat. IDEM.

y INGENTIUS. Qui erat Decurio Triquenſium, & qui fuerat Scriba Publicus ſub Duoviratu Alfii Cæciliani. IDEM.

z PEPENDIT SUB METU. Quæſtionem illi, & tormenta minatus eſt Proconſul in Geſtis. *Ælianus Proconſul dixit, ad officium apta illum,* item *Proconſul dixit, ſuſpendatur.* IDEM.

a VITAM FŒLICIS EPISCOPI SORDIDARE. Sordidare *ἀντὶ* ſordidum facere. Ut ſæpe Apollinaris Sidonius. Limpidare eſt apud Cœlium Aurelianum, & Plinium Valerianum, quod iſti contrarium. BARTH.

b FŒLICEM AUTEM RELIGIOSUM. Hæc ſententia in iiſdem geſtis reperitur. ALBASP.

c PROBARE POTERIT. *Potuerit.* INCERT.

d QUOD RELIGIOSISSIMAS SCRIPTURAS PRODIDERIT. OMNIUM ENIM, &c. Franciſci Balduini editio 1. *quod religioſiſſimas ſcripturas tradiderit vel exuſſerit. Omnium,* &c. IDEM.

e OMNIUM ENIM INTERROGANTIUM SUPRA SCRIPTORUM MANIFESTA EST, NULLAS SCRIPTURAS, &c. Hic quoque variat Franciſcus Balduinus, *Omnium enim interrogatio ſuprà manifeſta eſt, nullas ſcripturas.* Barthius corrigit. *Omnium enim interrogationum manus teſtata eſt.* Eſt autem, inquit, ſententia Proconſularis. Non Me-Hercules infeliciter ille. Sed poſſit etiam legendum videri, *Omnium enim interrogato. S. S. manifeſtum eſt.* Aut ſcripſit fortè Optatus. *Omnium enim interrogatorum S. S. teſtimonio manifeſtum eſt.* Vocem unam aut alteram excidiſſe oſcitantiâ librariorum, ſæpe in lectione Auctorum conquerimur. IDEM.

f OMNIUM ENIM INTERROGATIO &c. Interrogatio hoc loco pro tota actione quæ reſponſa ſcilicet includit, accipienda eſt. Non enim propriè & ſtrictè interrogatio judicis, ſive cognitoris, ſed reſponſa teſtium, aut reorum, rem faciant manifeſtam. Unde & hìc paulò antè hæc Proconſulis ſententia interrogatorum reſponſa ſubſecuta dicitur. Huc pertinet quod Tertullianus de reſurr. car. cap. 48. quod 1. Pet. 3. *ἐπερώτημα* interpretatus eſt, reſponſionem, his verbis, *Anima enim non lavatione, ſed reſponſione ſancitur*; ut jam olim à docto interp. animadverſum eſt. M. CAS.

g CONSCIENTIAM ACCOMMODAVERIT. Epiſtolam illam neque ſcribi juſſit, neque conſenſum attulit, ut de areis Martyrum codices ſumerentur. ALBASP.

aliquid tale fieri juſſerit. Unde pulſa atque exterſa infamia, cum ingenti laude illo judicio receſſit. Jam dudum opinionis incertę, & inter caligines, quas livor & invidia exhalaverat, latere veritas videbatur. [h] Sed etiam omnis ſcriptura memorata, & actorum voluminibus, & [i] epiſtolis commemoratis aut lectis revelata eſt. Vides frater Parmeniane, in Catholicos Traditorum nomine falſo objecto, [k] fruſtra eſſe inventum: mutans videlicet perſonas, & transferens merita: clauſiſti oculos, ne parentes tuos reos agnoſceres: aperuiſti eos, ut innocentes & indignos crimini copulares. Omnia pro tempore, nihil pro veritate: ut & de te dixerit beatiſſimus Apoſtolus Paulus: *Quidam autem converſi ſunt in vaniloquium, volentes ſe eſſe legis doctores, non intelligentes quę dicunt, neque de quibus adfirmant.* Paulò antè docuimus, veſtros patres fuiſſe ſchiſmaticos & Traditores: & tu ipſorum hęres, nec ſchiſmaticis, [l] nec [m] Traditoribus parêre voluiſti. Jam igitur documentis ſuprà memoratis omnia tela, quę falsò in alienos jactare voluiſti, veritatis clypeo repulſa in tuos parentes reciproco ictu vertuntur. Omnia igitur, quę à te in Traditores & ſchiſmaticos dici potuerunt, veſtra ſunt. Nam noſtra non ſunt, quia in radice manemus & in toto orbe terrarum cum omnibus ſumus.

ANNOTATIONES VARIORUM.

h SED ETIAM OMNIS SCRIPTURA MEMORATA &c. Quam non ſemper acquieſcendum ſit, aut ſcriptorum codicum, quibus fretus ſecundam hanc editionem adornavit Balduinus integritati, aut ipſius Balduini judicio, vel hinc conjecturam facies. Cum in principibus Optati editionibus, *revelata eſt*, antea legeretur, Balduinus primum ſe fuiſſe, qui *renovata* ex ſuo manuſcripto exemplari reſtitueret, ipſe ſibi gratulatur: adeò de veritate correctionis dubitaturum neminem putabat. Atqui per hanc correctionem, quam manca & imperfecta pendeat antecedens periodus; quam ægrè cuiquam ſani aut dilucidi ex hac ipſa poſſit erui, facilè animadvertet lector intelligens. Contra, ſi priorem lectionem retineas, & pro *etiam*, reſtituas, *es jam*; *ſed ea jam omnis ſcriptura memorata*. &c. (cujuſmodi erratis nihil in omni ſcriptura proclivius): omnia tunc optimè cohærebunt; ut nihil planius, aut liquidius eſſe poſſit. M. CAS.

i EPISTOLIS COMMEMORATIS AUT LECTIS REVELATA EST. Fr. Balduinus ex MS. *renovata*. INCERT.

k FRUSTRA ESSE INVENTUM. Inventum pro invectum hic eſſe, vix monendum putarem, niſi pariter in hoc eodem verbo errarent omnes quas vidi Editiones. Ut ſequentia autem latina ſint, & congrua, nova periodus inchoanda eſt ab illo, *mutans*; & quæ ſequuntur commodè connectenda, ut hîc ſunt. non ut in aliis editionibus, Quamquam ut *mutans* pro *mutantem*, hic ponatur, ſi id affirmarem, non adeo miraretur, qui ſolœciſmos id genus apud unum Lucif. Calaritanum, qui noſtro hoc antiquior. (ut alios taceam) non uno loco obſervaverit, Quo conceſſo, quàm melius à, *clauſiſti* ſententia ſequens inchoetur, nemo non videt. Victor etiam non multò melius lib. 2. *Strenuum atque doctiſſimum virum incendio concremavit, æſtimans tali exemplo timorem incutiens, reliquos eliſurum, &* Lib. 3. *juvenum, ſenum, puerorum, vel etiam puellarum agmine ſimul & funere, ubi potuerunt, quomodo potuerunt, quomodo poterant, paſſim diffundebantur, circumeantes oppida, vicos, vel ſingulas urbes.* M. CAS.

l NEC TRADITORIBUS PARERE VOLUISTI. Tu es hæres traditorum, unde magis miror quòd Catholicis, quos traditores dicis, nolis parere. ALBASP.

m NEC TRADITORIBUS PARERE VOLUISTI. Cùm pauca retrò verba, & mutatas perſonas, & tranſlata à Parmeniano crimina queratur Optatus, ad explendam ſententiam, pro duplici *nec*, duplex *nos*, puto legendum eſſe: *nos ſchiſmat. nos Tradit. &c.* Dixit autem *parere*, pro, *partos fingere*, vel pronuntiare, qualia apud Magnum Poëtam, in illis, iterum *quis humum florentibus herbis, ſpargeret* 1 *&c. ſpargeret* pro, *adſperſam caneret*, & in illis iterum: *Tum Phaetontiadas muſco circumdat amaræ Corticis, atque ſolo proceras erigit alnos.* &c. *ubi circumdat & erigit*, pro, *circumdatas & erectas canit*, ut à Servio obſervatum eſt. Ita Levit. 13. *immundabit & mundabit Sacerdos*, & Hierem. 1. 10. *Ecce conſtitui te hodiè ſuper gentes & ſuper regna, ut evellas ac deſtruas* &c. Sed & Hebr. 7. 3. ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος. Syrus interpr: רלא אבוהי ולא אמהאת כתבובשר בתא *cujus neque pater, neque mater ſcripti ſunt in progenie*, ſeu genealogia; quaſi illud ἀγενεαλόγητος ad præcedentium modo verborum explicationem additum eſſet. Ita apud Ariſtotelem ii. dicuntur γενητὸν τὸν οὐρανὸν, qui ſcribebant cœlum eſſe genitum ſive creatum ut ad Perſii, *ſi quibus aut Proceres* &c. à b. m. parente obſervatum eſt. Addi & illud poteſt, quo veriſimilior fiat conjectura, Parmenianum ut ex ſuperioribus ſatis liquet, Optati parentes accuſandos, non ſuos excuſandos ſuſcepiſſe; ut cui nimirum genuini partus, ne controverſia quidem hactenus mota fuerat, adeoque parentes ſuos hac defenſione non egere putabat, ut quæcunque contra Traditores in genere, *nullis certis perſonis, aut nominibus* debaccharetur, ea omnia ad Optat majores, aut anteceſſores pertinere præſumeret, ut teſtatur hîc noſter.] Sed vir doctus & acutus, qui me fortè pro noſtra neceſſitudine cùm hæc Londini excuderentur, Cantuariam inviſerat, pro *parere* legendum conjiciebat, *parcere*; ut nulla alia correctione ſit opus. Cui ut planè aſſentiri nondum poſſum, ita fateor ejus conjecturam mihi adeo placuiſſe, ut lectori nollem invidere. M. CAS.

SANCTI
OPTATI AFRI MILEVITANI EPISCOPI
DE SCHISMATE DONATISTARUM,
ADVERSUS PARMENIANUM.
LIBER SECUNDUS.

QUONIAM & qui fuerint Traditores oſtenſum eſt, & ſchiſmatis origo ita monſtrata eſt, ut penè oculis perſpecta videatur: etiam hereſis ab ſchiſmate quid diſtet oſtendimus. Illud demonſtrare jam proximum eſt (quod nos promiſimus ſecundo loco eſſe dicturos) quę ſit una Eccleſia, quam columbam & ſponſam ſuam Chriſtus appellat. [1] Ergo Eccleſia una eſt, [2] [a] cujus ſanctitas de ſacramentis colligitur: non de ſuperbia perſonarum ponderatur. Ergo [3] hanc unam columbam & dilectam ſponſam ſuam Chriſtus appellat. Hęc apud omnes hereticos & ſchiſmaticos

PHILIPPUS PRIORIUS.

1. ERGO ECCLESIA UNA EST. Nihil freqoentius apud S. Cyprianum, quàm Eccleſiam Catholicam onam eſſe: quam in Eccleſia nullius erroris pravitatem reperiri. Epiſt. 47. Illud ſtatuit his verbis, *Et Eccleſia Catholica una eſt, quæ nec ſcindi, nec dividi poſſe monſtrata eſt.* Epiſtolis quoque, ut puto, 40 & 41. in qua poſtrema, bis illud inculcatum, & 45. in qua duobus etiam in locis illud probat, ac ut mittamus ſexcentos ejuſdem Cypriani locos; Monemus tantum in epiſt 52. Eccleſiæ unitatem quater commendatam eſſe. Sed inprimis legendus libellus in hanc rem ex profeſſo conſcriptus de unitate Eccleſiæ.

2. CUJUS SANCTITAS DE SACRAMENTIS COLLIGITUR, &c. Perſtringit hîc ſuperbiam & faſtum Donati, Eccleſiæ indigni, quæ in ſuis myſteriis, nec tumore aut typho, ſanctam eſſe ſe profitetur. Fulgentius lib. de fide ad Petrum cap. 43. illud etiam confirmat. *Firmiſſimè tene & nullatenus dubites arcam Dei, eſſe catholicam Eccleſiam, & intra eam uſque in finem ſeculi frumento mixtas paleas contineri, id eſt, bonis malos ſacramentorum communione miſceri.* Vox autem *ſacramenti*, ibi legitur, quod ſemel monuiſſe ſatis ſit.

3. ERGO HANC UNAM ET DILECTAM SPONSAM. Propter ſanctitatem ſcilicet nullâ pravitatis, aut erroris admixtione fœdatam. Nicephorus lib. 4. cap. 7. Eccleſiam virginem dictam fuiſſe teſtatur, quod vanis & falſis doctrinis corrupta non eſt, Donec Thebules eam corrumpere, niteretur, propter repulſam, quam in Epiſcopatu ambiendo paſſus erat. Non malè igitur ob puritatem columba dicitur & virgo. Hegeſippus apud Euſebium lib. 4. cap. 22. illud apprimè teſtatur, & ex eo Nicephorus ſumpſiſſe videtur, quod modo diximus. διὰ τοῦτο ἐκάλουν τὴν ἐκκλησίαν παρθένον, οὔπω γὰρ ἔφθαρτο ἀκοαῖς ματαίαις, ἄρχεται δὲ ὁ Θεβούθις διὰ τὸ μὴ γενέσθαι αὐτὸν ἐπίσκοπον ὑποφθείρειν. Id eſt; *Adeoque Eccleſiam virginem dixerunt; nondum enim falſis doctrinis erat contaminata. Incepit autem Thebules eam corrumpere, quod Epiſcopatum non eſſet adeptus.*

ANNOTATIONES VARIORUM.

a CUJUS SANCTITAS DE SACRAMENTIS. Docebant Donatiſtæ ſacramenta vim ſuam à ſanctitate perſonarum à quibus conferebantur accipere; quod ſuperbum & arrogans videbatur Catholicis: eò alludit Optatus, cùm ait Eccleſiam ſanctam eſſe; non ex ſuperbia Epiſcoporum, ſed per ſacra-

eſſe non poteſt. Reſtat ut uno loco ſit. [b] Eam tu frater Parmeniane, apud vos ſolos eſſe dixiſti: niſi fortè quia vobis ſpecialem ſanctitatem de ſuperbia vindicare contenditis, ut ubi vultis, ibi ſit Eccleſia: & non ſit, ubi non vultis. Ergo ut in particula Africæ, in angulo parvæ regionis, apud vos eſſe poſſit: apud nos in alia parte Africæ non erit. In Hiſpaniis, in Italia, in Gallia, ubi vos non eſtis, non erit. Si apud vos tantummodo eſſe vultis, in tribus Pannoniis, in Dacia, Miſia, Thracia, Achaia, Macedonia, & in tota Græcia, ubi vos non eſtis, non erit. Ut apud vos eſſe poſſit, in Ponto, Galatia, Cappadocia, Pamphylia, Phrygia, Cilicia, & in tribus Syriis, & in duabus Armeniis, & in tota Ægypto, & in Meſopotamia, ubi vos non eſtis, non erit. Et per tot innumerabiles inſulas, & cæteras provincias, quæ numerari vix poſſunt, ubi vos non eſtis, non erit. [c] Ubi ergo proprietas Catholici nominis, [d] cùm inde dicta ſit Catholica, quòd

ANNOTATIONES VARIORUM.

menta, quæ ex ſeſe & ex opere operato, uti aiunt, ſanctos efficiunt fideles. ALBASP.

b EAM TU FRATER PARMENIANE APUD VOS SOLOS ESSE *&c.* Lego cum interrogatione *dixiſti?* i. ſuſtinuiſti dicere? Eo dementiæ deveniſti ut diceres? niſi forte illud ſit &c. Quæ ſequuntur etiam ab illis, *ergo ut*, continuata per aliquos periodos interrogatione ſuaviora multò ſunt & ἐμφαντικώτερα. Vehementiorem enim faciunt orationem, quam vehementer hic eſſe ratio poſtulat. Leges igitur; *Ergo ut in particula Africa, in angulo parva regionis? apud vos eſſe poſſit, apud nos in alia parte Africa non erit? In Hiſpaniis, in Gallia, in Italia, ubi vos non eſtis, non erit?* &c. Si quis malit per Sarcaſmum ſine interrogatione, non repugno; etſi illud magis probo. M. CAS.

c UBI ERGO PROPRIETAS CATHOLICI NOMINIS. Quomodo Eccleſia erit Catholica ſi eam ab omnibus illis provinciis expellas, & intra fines tam exiguos concludas? ALBASP.

d CUM INDE DICTA SIT CATHOLICA QUOD SIT RAT. &c. Nihil magis contra mentem Optati, ut de re ipſa nihil dicam, dici poterat, quàm quod à Balduino hîc affertur, Eccleſiam ideo dici ab Optato *rationabilem*, quod non tam oculis cernatur, quàm ratione, hoc eſt, mente & intellectu comprehendatur. Ubicumque tandem habeat, certè locum hîc habere non poteſt hæc interpretatio: ut illud taceam, quod aliud eſt, *rationabilis* & *rationalis* aliud quæ hac interpretatione temere confunduntur. Præterea quis non videt argumentum hîc ab Optato, ab ipſa vi vocis, & etymologia nominis Catholici duci? At per omnes Grammaticos, & linguarum peritos, quiſquam unquam fuit, qui catholicam inde dici putaret, *quod rationabilis eſſet, & ubique diffuſa? Rationabilis* illud quod attinet, non ignoro in veteri gloſſario καθολικοὺς verti *rationales*, & optimè verti, quod tamen nihil huc omnino facere fatebuntur, qui, qui *rationales* aut *Catholici* dicantur in jure, & apud veteres aliquot, uſumque appellationis utriuſque apud antiquos non ignorant. Utrum tamen Optato hæc errandi cauſa fuerit, haud facilè dixerim. Illum certè ita planè credidiſſe, *Catholicam*, dici, quaſi *rationabilem*, & *ubique diffuſam*, confidenter aſſero. Tanta erat & tam Catholica linguæ Græcæ imperitia, ut paſſim etiam, qui alioqui doctiſſimi, in ſimiles errores inciderent. Poſſemus nos certiſſimis hoc argumentis demonſtrare, ſi quemquam eſſe putaremus, qui quidem in antiquorum lectione verſatus ſit, qui de eo dubitaret. Ne longè igitur argumenta quæramus, quis non æque miretur iſtam Catholici nominis derivationem, *omnium obediens*, ſive, *ubique unum*? quod tamen à Paciano diſertis verbis affirmari, qui mihi non credit, ipſum audiat ad Sempronianum epiſt. 1. *Et ſi reddenda poſtremo Catholici vocabuli ratio eſt, & exprimenda de Græco, interpretatione Romana Catholicus, ubi unum, vel ut doctiores putant, obedientia omnium, nuncupatur, mandatorum ſcilicet Dei. Unde Apoſt.* Si in omnibus obedientes eſtis &c. mox, *ſed & ſi Catholicus, ubique unum eſt, ut ſuperiores putant* &c. Et tamen Pacianus is eſt, qui neque antiquitate, (aliquot etiam annis prior,) neque doctrina cedit Optato. Age, in coll. Carthag. cum omnes ferè conveniſſent Epiſcopi Africani, & ex omnibus, delecti eſſent doctiſſimi, qui cæterorū omnium nomine cauſam ſuſciperent, quid illi tandem de nomine *Catholica* definiunt? *Catholicum* eſſe à Catholon: Catholon autem dici quod *ſecundùm totum ſit*. Propius ad verba fateor, ſi per ſe ſingula ſpectentur; verum enim eſt, τὸ καθόλου à quo καθολικὸς, eſſe à κατὰ & ὅλον; ad vim autem & veram ſignificationem quam conjuncta habent, haud multo propius, quam quod ab Optato affertur. Idem tamen, etiam Auguſtinus ingerit, ac tuetur contra literas Petiliani lib. 2. c. 38. Neque dubium illud *rationale* ex veſtigiis quibuſdam, τοῦ κατὰ & λόγῳ, quæ in voce; καθολικὸς promanaſſe: an etiam in ultima ſyllaba aliquid à χέω, repetendum ſomniaverint, unde illud *diffuſa*, videtur ipſi. Mihi ſit magis veriſimile duas diverſas etymologias, aut diverſorum potius ſomnia, & hallucinationes, ne dicam deliria, hîc Optatum conjungere & confundere. Non mirum autem ſi Optato hæc ſomnia placuerint, & ſe facilè probaverint. Cùm enim Eccleſiæ Catholicæ contraria ſint hæreſis & ſchiſma, quorum illam error, hoc autem ſeparatio propriè facit, ut Hieron. & Auguſtinus pridem diſtinxere (quo & illa pertinent ſupra, *Catholicam facit ſimplex, & verus intellectus intelligere* &c. *heretici verò veritatis exules, impiis ſenſibus depravati*, &c. duplici hac *Catholici* nominis proprietate, & hæreſi & à ſchiſmate pariter aſſeritur. Ab hęreſis errore, quod ſit *rationabilis*, id eſt, rationi & veritati conſonans, quo ſenſu *rationabile* paſſim apud Eccleſiaſticos reperies. A ſchiſmatis autem *ſeparatione*, & ſuperba illa Eccl.

ſit [e] rationabilis & ubique diffuſa? Nam ſi ſic pro voluntate veſtra in anguſtum coarctatis Eccleſiam: ſi univerſas ſubducitis gentes, ubi erit illud, quod filius Dei meruit? ubi erit, quod libenter ei largitus eſt Pater, in ſecundo pſalmo dicens, *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Ut quid tale infringitis promiſſum, ut à vobis mittatur quaſi in quemdam carcerem latitudo regnorum? [f] Quid tantæ pietati obſtare contenditis? Quid contra Salvatoris merita militatis? Permittite filium poſſidere conceſſa. Permittite patri promiſſa complere. Cur ponitis metas? Cur figitis limites? Cùm à Deo patre Salvatori tota terra promiſſa ſit, non eſt quicquam in aliqua parte terrarum quod à poſſeſſione ejus videatur exceptum. Tota eſt donata terra cum gentibus totius orbis, Chriſto una poſſeſſio eſt. Hoc probat Deus, qui ait, *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Et in ſeptuageſimo primo Pſalmo, de ipſo Salvatore ſic ſcriptum eſt, *Dominabitur à mari uſque ad mare; & à fluminibus uſque ad terminos orbis terræ.*

Pater dum donat, nihil excipit: [1] vos ut concedatis unciam, totam libram auferre conamini. Et adhuc nitimini ſuadere hominibus, apud vos ſolos eſſe Eccleſiam, auferentes meritum Chriſto: negantes præſtitutum à Deo. O veſtra ingrata & ſtulta præſumptio! Chriſtus vos cum cæteris in ſocietatem regni cœleſtis invitat, & ut cohæredes ſitis, hortatur: & vos eum in hæreditate ſibi à patre conceſſa, fraudare laboratis, dum Africæ partem conceditis, & totum terrarum orbem, qui ei à Patre donatus eſt, denegatis.

[g] Quid mendacem videre vultis Spiritum ſanctum: qui in quadrageſimo nono Pſalmo, Omnipotentis Dei benevolentiam narrat, dum dicit: *Deus Deorum Dominus locutus eſt, & vocavit terram, ab ortu ſolis uſque ad occaſum:* [h] Vocata eſt ergo terra, ut caro fieret, & ſicut legitur, facta eſt, & debet laudes creatori ſuo.

PHILIPPOS PRIORIUS.

1. VOS UT CONCEDATIS UNCIAM, TOTAM LIBRAM &c. Adagium eſt & παροιμιακῶς, dictum. Delectatur Optatus ejuſmodi vocibus, & illo ſtylo; cujus etiam generis eſt, quod hoc libro infrà videbimus, non dico lapis in fontem, & adhuc, De via reverti.

ANNOTATIONES VARIORUM.

unum aliquem angulum (quod modo Donatiſtis objiciebat Optatus:) reſtrictione, quod *ubique ſit diffuſa.* Atque hæc nos eo pluribus, ne quis poſtea novis conjecturis ſit locus. Video enim viros doctos hunc Optati locum variè, quà correctionibus, quà interpretationibus ſollicitaſſe. Sanè & nobis aliquando *nationalis* probabatur; ſed merito id reſpuimus. Si quicquam mutandum, id multo prius eſſet, ut pro *rationabilis*, *& ubique* ſcriberemus *rationabiliter ubique*: quo verbo Optatus non modo poſtremo libro, ſed & Cyprianus, aut qui ſcripſit *de ſingularit. Cleric.* inter opera Cypriani, Auguſtinus, Salvianus, Victor Uticenſis, aliique ſunt uſi. Sed omnino nihil mutandum. M. CAS.

e RATIONABILIS. Quæ eandem fidei regulam ubique teneat & profiteatur: hæc hujuſce verbi *Rationabilis* videtur eſſe ſignificatio. ALBASP.

f QUID TANTÆ PIETATI OBSTARE CONTENDITIS. Ne quem in Deo Opt. Max. *pietatis* offendat vocabulum, ſecundum, pro *clementiâ* id multis Auctoribus uſurpatum. Claudianus.

Sis pius imprimis; nam cum vincamur in omni
Munere, ſola Deos æquat clementia nobis.

Dracontius,

Magna Dei pietas, ſemper qui temperat iram. BARTH.

g QUID MENDACEM VIDERE VULTIS SPIRITUM SANCTUM. Legendum quis conjectet *videri*, Sed hoc ex nefandiſſimo Donatiſtarum voto non mutandum. Pari phraſi Martialis, *Pendentem volo Zoilum videre.* BARTH.

h VOCATA EST ERGO. Vocare hic accipe, ut Matth. 9. 13. *Non veni vocare juſtos, ſed peccatores.* Nam & *terra*, & *caro*, ſunt hic metaphoricæ. Etiam *creationis* verbum mox uſurpatum, ad ſpiritualem regenerationem pertinet. Nam ut de prima illa hominis è limo terræ creatione, hic agat quod verba prima facie videntur innuere, præcedentibus verbis accommodari nullo modo poteſt. Ait igitur vocatos eſſe Gentiles, &c. Sicut legitur, id eſt quemadmodum dictum fuerat; vel, ut ex hiſtoria propagati per gentes Evangelii, quam ſacri N. T. ſcriptores contexuerunt, latius patet. M. CAS.

Denique commemoratur, Spiritu ſancto hortante, & dicente, in CXII. Pſalmo, dum dicit, *Laudandum nomen Domini ab ortu ſolis uſque ad occaſum.* Et iterum in XCV. Pſalmo: *Cantate Domino canticum novum.* Si hunc verſum ſolum diceret, poſſetis dicere, quia vos ſolos hortatus eſt Spiritus ſanctus. Sed ut oſtenderet, quia non ad vos ſolos dictum eſt: ſed & ad Eccleſiam, quæ ubique eſt, ſecutus eſt dicens: *Cantate Domino omnis terra: pronunciate in gentibus gloriam ipſius, in omnibus populis mirabilia eius. Pronunciate*, inquit, *in gentibus*: non dicit *in particula Africæ, ubi vos eſtis. Pronunciate*, inquit, *in omnibus populis*: Qui omnes populos dixit, neminem excepit. Et vos ſolos ab omnibus populis, de quibus hoc mandatum eſt, ſeparatos vos eſſe gratulamini. Et vultis vos ſolos eſſe totum, qui in omni toto non eſtis. *Laudandum*, inquit, *nomen Domini, à tota terra, & ab ortu ſolis uſque ad occaſum.* Nunquid Pagani [i] [k] extra legales poſſunt cantare Deo, aut laudare nomen Dei: & non ſola [l] Eccleſia, quæ in lege eſt: quam ſi apud vos tantummodo eſſe dicitis, fraudatis aures Dei. Si vos ſoli laudatis, totus tacebit orbis, qui eſt ab ortu ſolis uſque ad occaſum. Clauſiſtis ora omnium Chriſtianarum gentium: Indixiſtis ſilentium populis univerſis, Deum per momenta laudare cupientibus. Igitur ſi & Deus debitas ſibi laudes expectat, & ut ſonent Spiritus ſanctus hortatur, & totus orbis quod debet, paratus eſt reddere, ne fraudetur Deus: etiam vos ipſi laudate cum omnibus: aut quia noluiſtis eſſe cum omnibus, ſoli conticeſcite. Ergo quia probavimus eam eſſe Eccleſiam Catholicam, quæ ſit in toto terrarum orbe diffuſa, ejus jam commemoranda ſunt ornamenta: & videndum ubi ſint [m] quinque dotes, quas tu ſex eſſe dicis: inter quas [n] Cathedra eſt prima: ubi niſi ſederit Epiſcopus, [o] con-

PHILIPPUS PRIORIUS.

r. NUNQUID PAGANI. Hæc vox ſtrictè ſumenda non eſt, pro iis qui rure degebant; & à militia arcebantur, ut qui pagis addicti agriculturam exercebant: Gloſſaria & Grammaticos hîc non ſollicito. Paganus inter Chriſtianos pro ethnico ſive gentili accipiebatur, quod de Græcis potiſſimum dictum conſtat.

ANNOTATIONES VARIORUM.

i PAGANI EXTRA LEGALES. Nobis *ex leges*. INCERT.

k EXTRA LEGALES. Extra legem Chriſti. ALBASP.

l ECCLESIA QUÆ IN LEGE EST. *Lege*, id eſt, fœdere, & extra legales, qui fœdere excluſi ſunt. Unde & in Collat. Carthagin. 371. 373. *legalia* vocantur *documenta*, ſive teſtimonia, quæ tamen è N.T. proferuntur. Apud Cyprianum quoque *Evangelii legem* eſt alicubi. Hujus locutionis ignoratio, doctiſſimum Balduinum in magnum errorem induxit. Nam quod Optatus lib. 1. *Hæc enim noſtra vox eſt, qui in Trinitate baptiſmatis unionem defendimus: non pro vobis, qui baptiſma in cujus imagine ſunt illa duo, audaciter, & quod contra leges eſt, iteratis.* Id Balduinus de legibus Imperatorum accipiens, multum ſe torquet, ut inveniat, quas Imperatorum leges, Optatus intelligere potuerit. Atqui vel ſequentes lineæ, *quamvis & vos ipſi non negetis, quia non debet iterari, quod ſemel juſſum eſt fieri.* πολυθρύλητα, & decantatiſſima illa, *Qui ſemel lotus eſt, non habet neceſſitatem iterum lavandi*, quibus ſe potiſſimum illorum temporum Martyres armare conſueverant, contra vim & importunitatem hæreticorum, rebaptizare volentium, quæque ab ipſo Optato lib. 3. multis tractantur, revocare ipſi in memoriam debuerunt, ut ad illa Optatum reſpexiſſe, ac iſto *ſemel* alluſiſſe intelligeret. *Quod contra leges eſt*, igitur, id eſt, quod contra Scripturas, & Evangelica præcepta. *Semel* illud ita explicat & lib. 5. *De hoc lavacro dixit*, Qui ſemel lotus eſt, non habet iterum neceſſitatem lavandi. *Qui* Semel *dixit, prohibuit iterum fieri.* Sed & propriè ac peculiariter, *leges Baptiſmatis* ab Optato nuncupatas, eodem lib. 5. reperias, quæ & *præcepta* ab illo repetuntur. Vide, Lector, quantum ſit in verbis vel minimis, rectè expenſis & intellectis. Tantum certè ſani cujuſque judicio, ut qui hæc negligunt, & faſtidiunt, ut hodie multi, qui ſoli ſibi ſapere videntur, vel optimos quoſque veteres ſcriptores faſtidiant neceſſe ſit; vel ſi legant, tantum ex illorum lectione proficiant, quantum ſi nunquam vidiſſent. M. CAS.

m QUINQUE DOTES. Cathedra, Miſſio, Annulus, Sacerdotium, & ſimilia. ALBASP.

n CATHEDRA EST PRIMA. Poteſtas clavium; & Miſſio eſt prima. IDEM.

o CONIUNGI ALTERA DOS NON POTERIT, QUI EST ANNULUS. Meritò ſuſpicari hoc loci poſſumus *annuli* vocem in mendo decumbere: ita ut reponendum ſit *angelus*: Nam antè cum de ſecunda dote loquitur Optatus, ita ſcriptum exſtat, & quidem alluſione facta ad ſeptem angelos, de quibus D. Joannes Theologus Apocalyp. cap. 1.

jungi altera dos non poterit [p] qui eſt annulus : Videndum eſt, [q] qui & ubi prior cathedrâ ſederit : ſi ignoras diſce : ſi noſti erubeſce. Ignorantia tibi aſcribi non poteſt. Reſtat ergo ut noveris. Scientem errare peccatum eſt. Nam ignorantibus nonnunquam ſolet ignoſci. Igitur negare non potes, ſcire te [r] in urbe Roma [ſ] Petro primo [t] Cathedram Epiſcopalem eſſe collatam : [1] in qua ſederit [u] omnium [x] Apoſtolorum caput Petrus : [2] unde & Cephas appellatus eſt : [y] in qua una Cathedra, [z] unitas ab omnibus ſervaretur, ne cæteri Apoſtoli [a] ſingulas ſibi quiſque defenderent;

PHILIPPUS PRIORIUS.

1. IN QUA SEDERIT OMNIUM APOSTOLORUM, &c. Sanctum Petrum Romam appulliſſe, vix credit Calvinus. Quod ridiculum, quid enim credere poterit de rebus fidei intricatis ac perplexis, ſi de re planè hiſtoricâ dubitare ſe profiteatur? Patrum ferè omnium in eo conſpirant ſententiæ, adeo ut nemo niſi ſomnians aut delirus dubitare poſſit. SS. Hieronymum, Epiphanium, Chryſoſtomum, Theodoretum, Leonem &c. non adduco, quorum teſtimonia ubique obvia ſunt: Qui ſecus ſcripſerit is auſu Gygantæo bellum cœlo indiceret. Romæ martyrium paſſos eſſe Petrum & Paulum perſpicuè docet Gregorius Nazianzenus, ῥώμη δὲ παῦλος ϰ πέτρος σφαγεῖσιν, *Romaque Paulus & Petrus paſſi necem.* Non deſunt etiam profanorum teſtimonia, qui lucem illam tam claram obſcurare nequiverunt : faceſſat igitur cum ſuis dubiis Calvinus.

2. UNDE ET CEPHAS &c. Norunt omnes vel mediocriter eruditi, nomen Cephas, eſſe Syriacum, Optatus tamen à Græcis derivat, ἀπὸ τῆς κεφαλῆς, in quo à Baronio ad an. 31. ſummopere laudatur. Sed quis ei non ſuccenſeat, quis non rideat præpoſterum Baronii judicium? Quicunque è Patribus & ſcriptoribus antiquis, linguarum notitiam aliquam habuerunt, Syriacum eſſe omnes agnoverunt. Ludere equidem videtur Optatus in nomine, laudem vero mereri nullam puto, qualis ei affingitur. Addo etiam puerile eſſe & nullius judicii commentum, ac parum Chriſtianum. Chriſtus enim Jeſus Petrum vocavit Cephan, ut Petram eſſe demonſtraret, ὃ ἑρμηνεύεται πέτρος, *quod Petrum ſignificat.* Joan. 1. 43. Hic verò repudiatâ veritate falſis potius interpretationibus adhæret, & nugatoriis, quam verbis Chriſti Domini. Quod etiam affert eodem in loco, ut deliria ſua & ægri ſomnia intrudat, S. Gregorium Nazianz. paſcha derivare ἀπὸ τοῦ πάσχειν, ut & quod de Juſtino Martyre nugatur; quid aliud eſſe poteſt, quam errorem errore defendere?

ANNOTATIONES VARIORUM.

Ex quibus ſuſpicari aliquis poſſit, *angelus* legendum eſſe. Nos tamen nil temere mutari volumus. BART.

p QUI EST ANNULUS : Per annulum ni fallor intelligi poteſtatem dandi Spiritum ſanctum; vel ipſummet Spiritum ſanctum. Tertullianus de Pudicitia : *Recuperabit igitur & Apoſtata veſtem priorem, indumentum Spiritus ſancti, & annulum denuò ſignaculum lavacri, & rurſus illi mactabitur Chriſtus.* Item *annulum quoque accepit tum primum, quo fidei pactionem interrogatus obſignat atque ita exinde opimitate Dominici corporis veſcitur, Euchariſtia ſcilicet* : Annulus igitur inter utrumque Baptiſmi & Euchariſtiæ ſacramentum concedebatur: unde patet de Confirmatione poſſe explicari, qua ante Euchariſtiam Neophyti perficiebantur. Porro, non bene ſuſpicantur quidam pro *Annulo* legendum eſſe *Angelum* : nam annulus eſt Dos, non Angelus. ALBASP.

q QUI ET UBI PRIOR CATHEDRA. Videndum eſt cui primo poteſtas, Miſſio, & Sacerdotium conceſſum mandatumque ſit. IDEM.

r IN URBE ROMA. Romæ igitur ſedit, qui primus Cathedram obtinuit. IDEM.

ſ PETRO PRIMO. Docet Chriſtum D. Petro primam Cathedram, & primam miſſionem conceſſiſſe : hoc eſt, eum Eccleſiæ & omnibus ſacerdotiis præfeciſſe. IDEM.

t CATHEDRAM EPISCOPALEM. Primam Miſſionem : omnem poteſtatem à qua cæteræ deducerentur. IDEM.

u OMNIUM APOSTOLORUM CAPUT. Eſt caput Apoſtolorum, ex Optato, quia primam habuit Cathedram ſuam ex qua cæteri poteſtatem & Cathedram acceperunt. IDEM.

x APOSTOLORUM CAPUT PETRUS : UNDE ET CEPHAS APPELLATUS EST, Suſpicatur Fr. Balduinus hæc verba, *unde & Cephas appellatus eſt*, eſſe ineptæ alicujus gloſſæ ad marginem temerè adſcriptæ, & deinde abs librariis contextui inſertæ. Certè Optatus lib. 7. ſimpliciter ait Petrum fuiſſe caput Apoſtolorum, neque præterea quidquam adjicit. INCERT.

y IN QUA UNA CATHEDRA. Habet Pontifex Chriſti Cathedram; & ea Cathedra una, non multiplex; quapropter ut quis eam habeat, oportet ut eam a Pontifice, cui prima ea eſt tradita, accipiat; hæc eſt Optati doctrina. ALBASP.

z UNITAS AB OMNIBUS. Hoc eſt ut omnes adhærerent ſummo Pontifici; ſervare enim unitatem in prima illa Cathedra eſt ab illa Cathedra originem ducere & ſacerdotium accipere. Nota loquendi formulam, ſervare unitatem in Cathedra ſummi Pontificis, quibus ſatis liquet Optatum crediдiſſe & docuiſſe, primam Cathedram, poteſtatem, Miſſionem, quæ verba apud eum ſunt ſynonyma, Romanam eſſe, eamque ſummum Pontificem occupare; ab ea cæteras vim ſuam & poteſtatem accipere debere, in ea, & cum ea omnibus adhærendum eſſe, & qui cum ea non communicarent ſchiſmaticos eſſe : Nam Optatus ex his & ex conſequentibus miſſionis & poteſtatis ſuæ rationem reddit, eamque non alio argumento probat, niſi quod cum ſummo Pontifice conjunctus eſſet. IDEM.

a SINGULAS. Ergo cæterorum Apoſtolorum Cathedræ non erant primæ, neque ſingulæ, ſed erant Cathedræ à Cathedra illa una quam Romæ Chriſtus conſtituerat, propagatæ & genitæ. IDEM.

[b] ut jam ſchiſmaticus & peccator eſſet, qui contra [c] ſingularem Cathe- thedram, alteram collocaret. [d] Ergo Cathedrâ unicâ, quę eſt prima de dotibus, [e] ſedit prior Petrus: [f] Cui ſucceſſit Linus, Lino ſucceſſit Clemens, Clementi Anacletus, Anacleto Evariſtus, Evariſto Alexander, Alexandro Sixtus, Sixto Theleſphorus, Theleſphoro Iginus, Igino Anicetus, Aniceto Pius, Pio Soter, Soteri Eleutherius, Eleutherio Victor, Victori Zepherinus, Zepherino Calixtus, Calixto Urbanus, Urbano Pontianus, Pontiano Antherus, Anthero Fabianus, Fabiano Cornelius, Cornelio Lucius, Lucio Stephanus, Stephano Sixtus, Sixto Dionyſius, Dionyſio Fœlix, Fœlici Eutichianus, Eutichiano Caius, Caio Marcellinus, Marcellino Marcellus, Marcello Euſebius, Euſebio Miltiades, Miltiadi Sylveſter, Sylveſtro Marcus, Marco Julius, Julio Liberius, [g] Liberio Damaſus, [h] Damaſo [i] Siricius hodie, [k] qui noſter eſt ſocius, [1] Cum quo nobis [l] totus orbis [m] commercio

PHILIPPUS PRIORIUS.

1. CUM QUO NOBIS TOTUS ORBIS, &c. Locus hic in ore omnium verſatur, ubi de literis formatis, hoc eſt, canonicis fit mentio. Quænam autem ſint formatæ luculenter explicamus in Diſſertatione noſtra de literis Canonicis.

ANNOTATIONES VARIORUM.

b UT JAM SCHISMATICUS. Ut eſſet ſchiſmaticus qui ſuam Cathedram ab illa una & prima non accepiſſet, atque peccator qui ſine Pontificis miſſione Cathedram ſibi arrogaret. ALBASP.

c SINGULAREM CATHEDRAM. Nota, ſingularitatem Cathedræ; quam malè antiquis illis conveniret cum hæreticis noſtris, qui ſingularitatem non agnoſcunt. IDEM.

d ERGO CATHEDRA UNICA. Ex eo quòd cæteri Apoſtoli non haberent ſingulares Cathedras concludit unicam eſſe Cathedram, & eam Romæ eſſe. IDEM.

e SEDIT PRIOR PETRUS. Primus ex Pontificibus ſedit. IDEM.

f CUI SUCCESSIT LINUS. Probavit primò unitatem ac ſingularitatem Cathedræ Chriſti. Secundo, eam Romæ inſtitutam fuiſſe; Tertiò, D. Petrum primò eam occupaſſe: Quartò, Apoſtolorum Cathedras ab ea manaſſe. Quintò, illam Cathedram quæ Petro tradita eſſet ad Siricium & Damaſum uſque, per ſeriem Pontificum Maximorum perveniſſe. IDEM.

g LIBERIO FELIX, FELICI DAMASUS. Scias Lector, abſentem me fuiſſe, cùm hæc excuderentur, atque non ſolum imprudente & invito me, ſed & contra fidem exemplaris Typographo à me traditi & omnium Optati editionum, *felicis* nomen ab aliquo huc intruſum eſſe. Nam ut illud aliis diſputandum relinquam, an hic *Felix* legitimus unquam Papa fuerit; cùm Optatus non tam Rom. Paparum nomina quàm ſucceſſiones hic inſtituat. Quam ridiculum Liberio ſucceſſorem dare Felicem, qui non modo Felici ſupervixit, ſed & Pontificia ſede, illo mortuo, diu potitus eſt. Quare & Auguſt. epiſt. 165. ubi ſimili occaſione Romanos Pontifices commemorat, etſi non in omnibus cum Optato conveniat, hujus tamen Felicis, nec ipſe meminit. Ne tale quid in ſequentibus admitteretur, à viro doctiſſimo qui hanc provinciam, prorſus in me amore, rogatus haud illubenter ſuſcepit, diligenter cautum eſt. Quod ideo moneo, ne & alia quoque immeritò ſuſpecta habeas. M. CAS.

h DAMASO. (Rom. Epiſcopo,) *Succeſſit Siricius, hodie qui noſter eſt ſocius, cum quo nobis totus orbis commercio formatarum in una communionis ſocietate concordat.* Hic locus ſatis affectus eſt difficulter; Legendum ſuſpicamur, *cum quo nobis totius orbis commercia formata, uti in una communionis ſocietate ſ.* Videat Lector, ad quid extundi ſententiæ verbiſque Afri noſtri aptius omnino poſſit. BART.

i DAMASO SIRICIUS HODIE. Fr. Balduinus ſcribit ſibi hæc videri non Optati eſſe, ſed alicujus paulò poſt eum ſcriptoris. Nam conſtat Optatum ſcripſiſſe hos libros circa annum 370. Siricium verò illum non fuiſſe creatum Epiſcopum ante annum 385. &c. Vide ejus doctiſſimas Annotationes b. ubi & de Formatis quædam edecumata invenies. ALBASP.

k QUI NOSTER EST SOCIUS. Hoc nomen non eſt nomen dignitatis, ſed ſocietatis: quemadmodum enim Reges & Principes qui cum mercatoribus ineunt ſocietatem, ac mercaturas faciunt ratione illius ſocietatis dicuntur ſocii mercatorum; ita ratione ſocietatis & communionis Eccleſiaſticæ, quam Epiſcopi habent cum ſummo Pontifice, dicuntur ejus ſocii, quamvis dignitate & poteſtate longè ſint inferiores. IDEM.

l TOTUS ORBIS. Totius Eccleſiæ una debet eſſe communio: & quemadmodum Eccleſia quæ per totum orbem eſt diffuſa, unum conſtituit corpus; ita omnes illius corporis partes inter ſe ſemper communicare debent: hoc autem olim per Epiſcoporum communionem cum ſummo Pontifice fiebat: nam omnes olim fideles cum ſuis Paſtoribus in Miſſæ ſacrificio communicabant; Paſtores autem cum ſuis Epiſcopis, aut ratione Miſſionis, aut per Eulogias quæ ad eos mittebantur, aut per Archidiaconos, aut denique in Synodis communionem celebrabant. Epiſcopi denique per litteras communicatorias cum ſummo Pontifice habebant communionem. Et ita omnes fideles eadem communione fruebantur; hoc docet Optatus hoc loco. IDEM.

m COMMERCIO FORMATARUM. Abſentes per formatas communicabant: de quibus litteris ſcripſit Bernardinus Ferrarius: Igitur ut ſtaret communio, atque ut omnes corporis Chriſti partes inter ſe communicarent, omnes Epiſcopi ſingulis annis, aut etiam ſæpius litteras communicatorias ad

[n] formatarum, in una communionis ſocietate concordat. [o] Veſtrę cathedræ vos originem reddite, qui vobis vultis ſanctam Eccleſiam vindicare. [p] Sed & habere vos in urbe Roma partem aliquam dicitis. [q] Ramus eſt veſtri erroris, protentus de mendacio, non de radice veritatis. [1] Denique ſi [r] Macrobio dicatur, [ſ] ubi illic ſedeat, nunquid poteſt dicere [t] in Cathedra Petri? quam neſcio [u] ſi vel oculis novit & [x] ad cujus memoriam non accedit quaſi ſchiſmaticus, [y] contra Apoſtolum faciens, qui

PHILIPPUS PRIORIUS.

1. DENIQUE SI MACROBIO &c. Macrobius iſte fuit Epiſcopus ſchiſmaticus. Nonnulli hic numerantur, quorum ſeries hæc eſt, Victor Garbienſis, Bonifacius Ballitanus, Encolpius, Macrobius, Lucianus, Claudianus, qui omnes Donatiſtæ fuere.

ANNOTATIONES VARIORUM.

Pontificem mittebant, ut plebis ſibi creditæ cum Chriſto communionem foverent, D. Auguſt. contra Creſconium libro 3. capite 34. *Quod hinc maxime credibile eſt, quod ad Carthaginis Epiſcopum Romane prætermiſſo nunquam Orientalis Catholica ſcriberet, ubi ſaltem veſter ſcribi debuit caput ſoletis Romam paucis veſtris mittere ex Africa.* Illud litterarum commercium poterat frequentari inter cæteros Epiſcopos; nam Carthaginienſis Epiſcopus poterat formatam dirigere & ſcribere ad Cæſareæ Epiſcopum; ſed prætermiſſo Epiſcopo Romano non poterat: hoc eſt ab Epiſcopo Romano debuerat diſcere antequam ſcriberet, quis eſſet legitimus Cæſareæ Epiſcopus: & tum demum ad eum ſcribere; deinde non erat neceſſe, ut Epiſcopi mutuas ſibi litteras ſcriberent ut communio inter eos celebraretur, nam cùm omnes cum ſummo Pontifice communicarent, per illam communionem omnes etiam inter ſe communicabant. IDEM.

n COMMERCIO FORMATARUM. De formatis poſt tot viros doctos, qui hoc argumentum fuſè tractarunt, non eſt quod nos hic quicquam. Res nota eſt: neque nobis alios tranſcribere hic animus. M. CAS.

o VESTRÆ CATHEDRÆ. Suæ rationem & originem edidiſſe videtur Optatus, quando Parmenianum ad id faciendum invitet & compellat: hoc autem fecit Optatus docendo ſe cum ſummo Pontifice communionem habere & participare cum prima illa Cathedra quæ una eſt. Itaque ex ſummi Pontificis communione duo poſſunt deduci: Epiſcopum ſchiſmaticum non eſſe; unaque & legitima eum uti poteſtate & miſſione. ALBASP.

p SED ET HABERE VOS IN URBE ROMA. Quòd ſcirent Donatiſtæ ſine Pontificis Romani communione Eccleſiam ſe habere, & in ea eſſe non poſſe, atque ab ejus communione ut hæretici, ſeparati eſſent; ideo Epiſcopum ex ſuis Romam mittebant, ut poſſent dicere ſe Romæ habere Epiſcopum, & cum Epiſcopo Romano ſe communionem habere. Hoc patet ex hoc loco, & ex collatione Carthaginis in qua volebant Pſeudo-Epiſcopum ſuum Romanum intereſſe, quæ res vehementer deberet Hæreticos noſtros commovere, qui Pontificis auctoritatem minuere conantur: Cæterùm nota verbum illud *partem habere*, hoc eſt communionem habere: cùm enim in miſſione ordinamus dicimus *partem cum iis habituros*, pollicemur eos habituros communionem cum iis omnibus qui bene miniſtraverunt ab initio. IDEM.

q RAMUS EST VESTRI ERRORIS. Hoc eſt, ille pſeudo-Epiſcopus quem Romæ conſtituiſtis, eſt ramus productus ex trunco erroris veſtri, & ſchiſmatis, quod eſt in Africa: non eſt radix, ſed ramus. Atqui Epiſcopi Romani non ſunt miſſi ab aliquo, non ſunt rami, ſed ſunt radix: cæteri ab eo manant & originem ducunt, illi à nullo oriuntur. IDEM.

r MACROBIUS. Ille qui tunc pro Donatiſtis Romæ agebat. IDEM.

ſ UBI ILLIC SEDEAT. Quam auctoritatem habeat, & à quo accepit. IDEM.

t IN CATHEDRA PETRI. Cum Siricius in Petri Cathedra ſederet, neceſſe erat ut aliam occuparet Macrobius. IDEM.

u SI VEL OCULIS NOVIT. Neque oculis novit altare ubi Petrus obtulit; neque Eccleſiam ubi fidelibus præfuit & in qua Apoſtolatum exercuit. IDEM.

x AD CUJUS MEMORIAM. Ad Petri memoriam; hoc loco accipit memoriam pro reliquiis D. Petri ad quas non audebat accedere Macrobius, & cum iis communicare quia erat ſchiſmaticus: Omnes olim Epiſcopi cum Deceſſoribus ſuis communionem agebant, quia cum eis una eademque perſona & corpus cenſebantur; & quia etiam corpus Chriſti non ſolum conſtat ex membris quæ videntur, ſed ex iis etiam quæ in pace receſſerunt: quapropter ut perfecta eſſet communio, & ut concinnata a primo Epiſcopo qui in ea ſede ſederet, videretur, cum omnibus Epiſcopis mortuis communionem faciebant: hoc autem fiebat multis modis vel Miſſas ſuper eorum reliquias celebrando, vel eas deoſculando, vel eorum nomina inter ſacra è Diptychis efferendo. Ut ergo Optatus oſtendat Macrobium non eſſe legitimum Romanæ Eccleſiæ Epiſcopum atque adeo Petro non communicare, dicit eum ad ejus reliquias non acceſſiſſe. IDEM.

y CONTRA APOSTOLUM FACIENS, QUI AIT, MEMORIIS SANCTORUM &c. Rom. 12. 13. quo loco μνείαις pro χρείαις, ab antiquis nonnullis lectū. Balduinus ad hunc locum notavit, & plura Lucas Brugenſis, in notis ad N. T. Alb. ubicunque *Memorias* reperit, *reliquias* interpretandum putat; cùm tamen ex antiquiſſimis, qui lectionis illius meminerunt, quidam pro *recordatione* acceperint, ſed neque apud alios *memoria* idem quod *reliquiæ*. Erigebantur enim *memoriæ*, *reliquiæ* condebantur. Erigebantur autem vel templa, vel altaria, in quibus, ſi quas Sanctorum veras reliquias haberent, condere ſolebant & aſſervare. *Memoriæ* igitur ſunt templa ut plurimum: aliquando, tantum altaria, quæ ſeorſim, & ſingularia ſæpe extruebantur. Cæterum Albaſp. tanti facit hanc lectionem, ita à ſe expoſitam & enarratam, ut etſi vulgatæ verſiones ab omnibus receptam lectionem, *neceſſitatibus*

[l] lapis in fontem: quia nec valuit puritatem Catholicæ multitudinis perturbare,) ſed quia quibuſdam Afris [m] Urbica placuerat commemoratio: & hinc à vobis profecti videbantur, ipſi petierunt, ut aliquis hinc [n] qui illos colligeret, mitteretur. Miſſus eſt igitur Victor. Erat ibi [o] filius ſine patre, [p] tiro ſine principe, diſcipulus ſine magiſtro, [q] ſequens ſine antecedente, inquilinus ſine domo, [r] hoſpes ſine hoſpitio, Paſtor ſine grege, Epiſcopus ſine populo. Non enim grex aut populus appellandi fuerant pauci, qui inter [ſ] quadraginta, & quod excurrit, baſilicas, locum, [t] ubi colligerent, non habebant. [u] Sic ſpeluncam quandam foris à civitate, [x] gradibus ſepſerunt, [y] ubi ipſo tempore conventiculum habere potuiſſent;

ANNOTATIONES VARIORUM.

continua ſerie legas ad ſecundum illud *mitteretur*. Poſſit tamen ita accipere: Interea quod primus Victor Garbienſis hinc miſſus ſit, non dicam conſulto conſilio factum, ut tanquam *lapis in fontem*, quia revera nihil tale conſecutum eſt; ſed nimirum, *quia quibuſdam Afris* &c. ſublata nempe τῆ παρενθέσει puncto que poſt τὸ *perturbare* geminato. Utrumque tamen legas, non abhorret ab Optati ſtylo; neque operæ erit nos in his & ſimilibus immorari. M. CAS.

l LAPIS IN FONTEM. Eccleſia eſt fons, ejus puritas ab hæreticis turbatur. ALBASP.

m URBICA. Romana: Urbis Romæ. IDEM.

n QUI ILLOS COLLIGERET. Epiſcopum qui ſacra faceret, & qui eos per Synaxim cum Chriſto colligeret, & communicare faceret: colligere enim in antiquis ſignificat ſacrificare, & collecta ſacrificium. IDEM.

o FILIUS SINE PATRE. Sine ordinatione, ſine deceſſore, ex ſeipſo ibi natus: nemini ſuccedens, à nemine Romæ ordinatus: Cæterùm Epiſcopi parens, is cenſetur qui Epiſcopo manus imponit. IDEM.

p TIRO SINE PRINCIPE. Qui ordinantur Epiſcopi tirones & diſcipuli cenſentur eorum à quibus ordinantur; cùm autem Victor Romæ non ordinatus, ſed miſſus fuiſſet ex Africa, erat tiro & diſcipulus ſine magiſtro. IDEM.

q SEQUENS SINE ANTECEDENTE. D. Cypr. lib. Epiſtola 6. *Novatianus in Eccleſia non eſt, nec Epiſcopus computari poteſt, quia Evangelica & Apoſtolica traditione contempta, nemini ſuccedens, à ſe ipſo ordinatus eſt.* IDEM.

r HOSPES SINE HOSPITIO. Alludit ad illud: *jam non advena, ſed hoſpites*; docetque Victorem quamvis eſſet Chriſti hoſpes, hoſpitium tamen Romæ non habuiſſe. IDEM.

ſ QUADRAGINTA, ET QUOD EXCURRIT. Plures erant Romæ Baſilicæ in quibus populus colligebatur. IDEM.

t UBI COLLIGERENT. Ubi ſacrificarent, & Synaxim facerent. IDEM.

u SIC SPELUNCAM QUANDAM FORAS A CIVITATE &c. Quod eſt vel quale ipſum hoc tempus? Sodes judice me, Lector, utere & repone *ubi pro tempore*: *Poſſent* quidem *ævi* potuiſſent, uſus vulgaris Latinitatis poſcebat, ſed Optatus, qui, fortaſſe penitius norat, ſecutus eſt morem modumque loquendi uſitatum bonis ſcriptoribus, quem *mutationem temporum in verbis*, licet nobis indigitare, à Diomede Grammatices lib. 2. inter ſpecies Solœciſmi relatum. Sic Idem Optatus *potuiſſet* pro *potuerit* uſurpat; *facerent* pro *feciſſent*; *intraverat* pro *intraviſſet* &c. Hæccine Afrum ſapere, aut aſſe fugienda inſtar ſcopuli, ita enim loquuntur ſolentes grammaticaſtri illi parvuli, videntur, ille me judice recentium ob erratorum libros evolvat, habebit quo mutare velit ſententiam. Nominatim Laur. Vallam, lib. 3. elegantiar. cap. 48. Barrientum ſylvâ Annotationum cap. 10. Bernartium ad Papinium Majore conatu, quàm effectu illuſtrarum. Val. Acidalium ad Curtium lib. 5. C. Ritterſhuſium ad Ligurinum Gonteri lib. 1. c. 4. Albericum Gentilem ad lib. 1. Maccab. & alios quorum nos nomina nominare nolumus. BARTH.

x GRADIBUS SEPSERUNT &c. Gradibus ſepire, quid ſit, non ſatis capio, niſi quod de gradibus non alienum, quibus fortaſſe deſcenſus in ſpeloncam. At *muris* aut *cratibus* (quod aliquando reponendum ibi putavi.) *ſepire* propriè dicitur. Apponam locum Servii, qui non alienus ab hoc loco. Servius igitur ad illa Virgilii lib. 4. Æneidos *Centum aras poſuit* &c. *Alii* inquit, *templum dicunt, non ſolum quod poteſt claudi, verum etiam quod palis aut haſtis, aut aliqua tali re, & lineis aut loris, aut ſimili re ſeptum eſt, quod & fatum eſt.* Ita poſtrema verba emendat illuſtris & æternæ memoriæ heros Joſephus Scaliger ad Feſtum pag 88. cum antea legeretur *& factum eſt*. Quod ait Optatus *ipſo tempore*, nihil opus erat Barthiana emendatione, qui *pro tempore* legit, ipſo tempore, valet *eo*, vel *iſto*. Ita Optatus ipſe lib. 1. *Officialis publicus ipſius temporis*, id eſt, *ejuſdem*. Ita & Victor Utic. lib. 1. *quod ipſo geſtum eſt tempore.* Et poſt aliquot iterum paginas, *Qui paulatim deficientes nunc ſimul ipſi ſuperſtites ſunt tres.* Iſti, voluit dicere quos deinceps nominat. Dabit veniam æquus lector ſi hæc minima interdum proſequimur. Non enim quod tanti ſint ipſa; ſed quod aliorum in his minimis error, tanti ut eſſent fecerit. M. CAS.

y UBI IPSO TEMPORE CONVENTICULUM HABERE POTUISSENT. Quod eſt vel quale ipſum hoc tempus? percontatur Barthius, legitque *ubi pro tempore. Potuiſſent ævi* τῆ *poſſent* poſitum, quod quidem uſus linguæ Latinæ poſcebat, ſed Optatus ſecutus eſt modum loquendi, quem *mutationem temporum in verbis* licet appellare; à Diomede Grammatico inter ſpecies Solœciſmi relatum, lib. 2. *Et ne regredi ad meliora potuiſſent, ipſi ſibi Schiſmatis compedes poſuerunt.* Arnobius quoque lib. 2. *Ipſa denique loſcere ſi animantia muta potuiſſent, ſi in linguarum noſtrarum facilitatem ſolvi, imò ſi arbores, glebæ, ſaxa ſenſu animata vitali, vocis ſonitum quirent & verborum articulos integrare.* Qui locus à doctiſſimo Critico ſolicitandus non fuit, mutando *potuiſſent* in *potiſſent*. Sic *potuiſſent*, uſurpat Optatus, pro *potuerit*, pag. 73. *Facerent*, pro *feciſſent*, alibi. *Intraverat*, pro *intraviſſet*. Quæ omnia, ut & quod dicit pag. 53. *loquimur*, pro *locuti ſumus*, ejuſdem modi

[1] [z] unde Montenſes appellati ſunt. Igitur quia Claudianus Luciano, Lucianus Macrobio, Macrobius Encolpio, Encolpius Bonifacio, Bonifacius Victori ſucceſſiſſe videntur: ſi Victori diceretur, ubi ſederit, nec ante ſe aliquem illic fuiſſe monſtraret: [a] nec Cathedram aliquam, niſi peſtilentiæ oſtenderet. Peſtilentia enim morbis extinctos homines ad Inferos mittit. Qui inferi portas ſuas habere noſcuntur, contra quas portas, [a] claves ſalutares accepiſſe legimus Petrum, principem ſcilicet noſtrum: Cui à Chriſto dictum eſt, *Tibi dabo claves regni cælorum, & Portæ inferorum non vincent eas.* Unde eſt ergo, quod claves regni vobis uſurpare contenditis, qui [b] contra Cathedram Petri, veſtris præſumptionibus & audaciis, ſacrilegio militatis? Beatitudinem repudiantes, qua laudari meruit, *Qui non abiit in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, & in Cathedra peſtilentiæ non ſedit.* In Conſilio impietatis itum eſt à majoribus veſtris, ut dividerent Eccleſiam. Iverunt etiam peccatorum viam, dum Chriſtum partiri conati ſunt, [3] cujus Judæi nec veſtimenta ſcindere voluerunt: cùm Apoſtolus Paulus clamet & dicat, *Numquid diviſus eſt Chriſtus?* & utinam ſi jam malam viam intraverant, agnito peccato, [c] ſuper ſe reverterentur, id eſt emendarent, quod erraverant: revocarent, quam fugaverant pacem: hoc erat de via reverti. [d] In via enim ambulatur, non ſtatur: Sed quia parentes veſtri re-

1. Cor. 1.

PHILIPPUS PRIORIUS.

1. UNDE MONTENSES APPELLATI SUNT. Novatianos quoque Montenſes dictos eſſe à monte, in quem conſultum conveniebant, cenſent nonnulli, quod mihi tamen veriſimile non videtur. De Donatiſtis extra controverſiam eſt, Romæ Montenſes vocatos, ut fidem facit S. Auguſtinus de hæreſ. ad Quodvult Deum c. 69. Idem quoque ſentire videtur Prædeſtinatus lib. 1. c. 69. de hæreſ. Addes etiam his teſtimoniis Codicem Theodoſ. l. 43. de hæret. *Quæ in Donatiſtas, qui & Montenſes vocantur &c.* Nemo itaque hac voce teneatur.

2. NEC CATHEDRAM ALIQUAM NISI PESTILENTIÆ. Per Cathedram peſtilentiæ ſchiſma intelligit, ac proinde nefariam à veritate ſive Eccleſia diſceſſionem. Tertullianus lib. de ſpectac. cap. 3. habet cathedram peſtium, quamvis in lib. de pudicitia legat etiam, peſtilentiæ. In notis noſtris ad hunc locum, ubi in ſpectacula, verba illa contorquet, alium ex Clemente Alexandrino adduximus, non parum differunt inter ſe interpretes. Optatus verſioni adhæret, quam vulgatam vocant, Tertullianus Græcam ſequitur, Arabica verſio expreſſione differt, ſed ſenſu cum textu Hebraico convenit. Quiſquis plura voluerit Adeat Tertullianum.

3. *Cujus Judæi nec veſtimenta ſcindere voluerunt.* Illud forſan minùs exactum, & ad veritatis Evangelicæ limam politum. Quid enim ſibi vult, Judæos noluiſſe Chriſti veſtimenta ſcindere? S. Mathæus cap. 27. v. 35. contrarium narrat. *Poſtquam autem*, inquit, *crucifixerunt eum, diviſerunt veſtimenta ejus, ſortem mittentes, ut impleretur quod dictum eſt per Prophetam, dicentem, Diviſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem.* S. Lucas cap. 23. 34. pari loquendi formula idem narrat. Ac ne quis putet diviſas tantum eſſe, nec in partes diſciſſas, legat caput 19. v. 23 S. Joannis ubi quatuor partes ipſius veſtimentorum factæ dicuntur, præter tunicam, quam ſciſſam non fuiſſe, idem narrat Evangeliſta v. 24. ſortemque miſſam, quo pacto narrant SS. Matthæus & Lucas. Sors verò illa ludus erat militaris, in uſu tunc temporis, ob victoriam, aut rem bene geſtam, qui forſan ludus apud Italos, (nam Romani erant milites) ad hoc uſque tempus remanſit, dum apud inconditos homines & plebeios, milites aut ſcurræ, manuum ac digitorum elevatione ſimul ludunt. Nonnus quippe Panopolitanus in ſua paraphraſi habet, ſi quid memini, δακτυλα χειρὸς ἀείρας, *digitos manuum levantes*, & addit, ἀμφίβολα σήματα νίκης *ampla victoriæ ſigna.* Miror vehementer Abrahamum Scultetum, qui antiquorum ſenſus intimos penetraſſe, à ſciolis quidem vulgò creditur, hoc non obſervaſſe. Deus bone quos triumphos ageret, ſi ſaltem aliquid, de illo lapſu Optati ſubodoratus fuiſſet! Sed in rebus tantum levioribus ſtetit ejus impetus, neque ad res præſtantiores aſpirare potuit.

ANNOTATIONES VARIORUM.

habeti decet, nempè *mutati* nomine *temporis*. Vide & ſupra Notas ad lib. 1. INCERT.

z UNDE MONTENSES. D. Auguſt. de unitate Eccleſ. *in paucis Romæ Rupitanis, vel Montenſibus.* ALBASP.

a CLAVES SALUTARES. Tertia ex Eccleſiæ dotibus, de *Annulo* ſecunda dote nihil dixit. IDEM.

b CONTRA CATHEDRAM PETRI. Contra Cathedram Petri militabant Donatiſtæ, quia dicebant Eccleſiam nuſquam eſſe niſi penes Donatiſtas. IDEM

c SUPER SE REVERTERENTUR. Redirent ad Eccleſiam. IDEM.

d IN VIA ENIM AMBULATUR, NON STATUR. Optatus verba regii vatis ſic interpretatur & παραφράζει. *Beatus. &c. Et in via peccatorum non ſtetit.* Qui ſi quando ab impiis ſeductus & abductus, eandem cum illis viam inſtitit, non perſtitit tamen ſed ab incœpto curſu gradum ocyus revocavit, &

verti

verti noluerunt, ipſos conſtat in via peccatorum ſtetiſſe. Quorum greſſus impulerat furor, retentos ligavit pigra diſcordia: Et ne regredi ad meliora potuiſſent, ipſi ſibi ſchiſmatis compedes poſuerunt, ut in errore ſuo pertinaciter ſtarent, ne ad pacem, quam deſeruerant reverti potuiſſent. Nec audierunt Spiritum ſanctum, dicentem in Pſalmo triceſimo tertio: *Diverte à malo & fac bonum: inquire pacem, & ſequere eam:* Sed ſteterunt in via peccatorum ſuorum. Sederunt etiam in Cathedra peſtilentiæ, quæ (ut ſuprà diximus) ſeductos mittit ad mortem. Sed & dum vos parentum errorem colentes ſtudioſè defenditis, hæredes ſceleris eſſe voluiſtis, cùm filii pacis vel ſerò eſſe poſſetis: cùm in Ezechiele Propheta ſcriptum ſit, *Extolle* Ezech. 18 *vocem tuam ſuper filium peccatoris, ne veſtigia patris ſui ſequatur. Quoniam anima patris mea eſt, & anima filii mea eſt. Anima quæ peccat, ſola punitur.* Si diſpliceret vobis quod parentes veſtri peccaverunt, de admiſſu ſuo ſoli redderent rationem: hoc modo vel vos beati eſſe poſſetis, & laudem de ore Prophetæ percipere, qui ait in Pſalmo primo, *Beatus vir qui non abiit in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, & in Cathedra peſtilentiæ non ſedit: ſed in lege Domini fuit voluntas eius.*

Quid eſt aliud in lege habere voluntatem, niſi divina præcepta & religioſè diſcere, & cum timore complere? In qua lege ſcriptum eſt, *Pax ho-* Luc. 2
minibus in terra bonæ voluntatis. Et alio loco, *Ponam fundamenta pacis in Sion.* Esai. 62
Et alio loco. *Videamus quia loquatur dominus: Quoniam loquetur pacem in ple-* Psal. 84.
bem ſuam Et alio loco, *Venit filius Dei, & factus eſt in pace locus eius.* Et alio Psal. 71.
loco, *Suſcipiant montes pacem populo, & colles iuſtitiam.* Et in Evangelio, *Pa-* Ioan. 14.
cem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis. Et Paulus ait, *Qui pacem ſe-* 2. Cor. 9.
rit, pacem & metet. Et in omnibus Epiſtolis ſuis: *Pax vobis abundet in nomine Patris & Filii & Spiritus-ſancti.* Et alio loco, *Quære pacem & conſequaris* Psal. 33.
eam. Fugata receſſerat pax à patribus veſtris, vos eam ſicuti à Deo mandatum eſt, non quæritis, quam nec ultro voluiſtis quærere, non oblatam libenter accipere. Quis enim in tot provinciis, quibus nati eſtis, audivit? Et ſi aliquis audivit, quis non veſtrûm miretur errorem? quis non veſtrum facinus damnet? Igitur cum manifeſtum ſit & ipſa luce ſit clarius, nos cum tot innumerabilibus populis eſſe, & tot provincias nobiſcum: jam videtis vos in parte unius regionis poſitos, & ab Eccleſia veſtris erroribus ſeparatos, fruſtra vobis ſolis hoc nomen Eccleſiæ cum ſuis dotibus vindicare: quæ magis apud nos ſunt quàm apud vos: quas conſtat ita ſibi connexas & individuas eſſe, ut intelligatur una ab altera ſeparari non poſſe. Etenim numerantur in nomine, ſed uno intellectu ſuo junguntur in corpore: ut in manu digiti, quos intervallis ſingulos videmus eſſe diſtinctos. Unde, qui tenet unum, totos teneat neceſſe eſt, cùm unuſquiſque à paribus ſeparari non poſſit. Adde quod non unam ſolam, ſed omnes propriè poſſidemus. Igitur de dotibus ſuprà dictis Cathedra eſt (ut ſupra diximus) prima, [f] quam probavimus per Petrum

ANNOTATIONES VARIORUM.

ad ſanam mentem cito rediit &c. Cur autem ita interpretetur, hanc reddit rationem, quia, inquit, alioquin impropriè locutus eſſet Propheta, ſi illud *ſtetit*, de ipſo ſtandi, ſive conſiſtendi actu, non de continuato curſu acciperemus. *In via enim ambulatur, non ſtatur:* Mox pro *ne ad pacem ſcribe nec ad pacem.* M. CAS.

e NON OBLATAM LIBENTER ACCIPERE. Aliæ edit. melius hic *nec obl.* fortaſſe tamen non hic temerè *non* illud. Expende enim ſequentia, & agnoſces vix cohærere, niſi legas, *Quam nec ultro*, id eſt, non ultro, ut *nec opinus* pro, *non opinus* &c. *voluiſtis quærere nunc oblatam libenter accipite:* Mox *eſſe ſeparatos*, illud *eſſe* melius abeſſet; quod tamen Optati, an librariorum vitio hîc ſit, haud facilè dixerim. IDEM.

f QUAM PROBAVIMUS PER PETRUM NOSTRAM ESSE. Per communionem quam habemus

noſtram eſſe, [g] qui ducit ad ſe angelum. Niſi forte eum vobis vindicantes, [h] habetis in loculis clauſum: [i] Mittite illum ſi poteſtis, excludat ſeptem angelos, qui ſunt [k] apud ſocios noſtros in Aſia, ad quorum Eccleſias ſcribit Apoſtolus Ioannes; [l] cum quibus Eccleſiis nullum communionis probamini habere conſortium. Unde [m] vobis angelum, qui apud vos [n] poſſit fontem movere, aut inter cæteras dotes Eccleſiæ numerari? [o] Extra ſeptem Eccleſias, quicquid foris eſt, alienum eſt: [p] Aut ſi inde habetis aliquem unum, per unum communicatis & cæteris angelis, & per angelos memoratis Eccleſiis, & per ipſas Eccleſias nobis. [q] Si ita eſt, [r] litigium perdidiſtis. [f] Ecce jam apud vos dotes eſſe non poſſunt. Non enim ſpiritum Dei ſoli vobis vindicare poteſtis, aut includere, quod intelligitur & non videtur. Sic enim in Evangelio ſcriptum eſt, *Nam ſpiritus Deus eſt, & ubi vult aſpirat, & vocem eius audis, & neſcis unde veniat & quò eat.* Permittite Deum unde velit ire, & quò velit accedere: habeat libertatem, qui audiri poteſt, & videri non poteſt. Et tamen ſtudio criminandi libenter blaſphemare voluiſti, ut diceres, Nam in illa Eccleſia quis ſpiritus eſſe poteſt niſi qui pariat filios gehennæ? Vomuiſti de pectore tuo convitium, & putaſti adjungendum eſſe de Evangelio teſtimonium, ubi lectum eſt, *Væ vobis hypocritæ, qui circuitis maria & terras, ut faciatis unum proſelytum, & cùm inveneritis, facitis eum filium gehennæ dupliciter quàm vos eſtis,*

Apoc. 1.

Ioan. 3.

ANNOTATIONES VARIORUM.

cum ſummo Pontifice & per eum cum D. Petro probavimus Eccleſiam & Cathedram penes nos eſſe. ALBASP.

g QUI DUCIT AD SE ANGELUM. Qui habet Spiritum-ſanctum: qui habet poteſtatem Spiritum-ſanctum conferendi & manus imponendi: qui trahit ad ſe Spiritum-ſanctum ex vi Cathedræ quæ ei tradita eſt. Per Angelum enim intelligit Spiritum-ſanctum, ut patet ex his, *Non enim Spiritum Dei ſoli vobis vindicare poteſtis, aut includere*, ALB.

h HABETIS IN LOCULIS INCLUSUM. Habetis Spiritum-ſanctum, qui eſt ſecunda dos Eccleſiæ, in loculis clauſum. IDEM.

i MITTITE ILLUM SI POTESTIS. Si habetis verum Spiritum-ſanctum mittite illum in Aſiam, ad illas ſeptem Eccleſias quæ ex autoritate Apoſtoli cenſentur eum habere, ut excludat Spiritum qui illas Eccleſias gubernat; & ita concedemus nos habere Spiritum-ſanctum, & dandi poteſtatem, quæ eſt ſecunda Eccleſiæ dos: ſed ſi ſpiritus veſter non poteſt excludere ſpiritum illarum Eccleſiarum, non eſt verus ſpiritus, ſed pſeudo-ſpiritus. IDEM.

k APUD SOCIOS NOSTROS. Quia cum illis communicavimus. IDEM.

l CUM QUIBUS ECCLESIIS. Quia non probabant ad eos ſe poſſe ſcribere. IDEM.

m UNDE VOBIS ANGELUM. Unde conſtat vos non habere Spiritum-ſanctum, hoc eſt, vos non poſſe eum conferre. IDEM.

n POSSIT FONTEM MOVERE. Poſſit Eccleſiam veſtram animare: alludit ad octavum caput Apocalypſis, ni fallor: vel ſi mavis cum Tertulliano, exiſtimabat Angelos movere aquas baptiſmi & vim aliquam illis inſpirare: de baptiſmo. *Igitur medicatis quodammodo aquis per Angeli interventum, ſpiritus in aquis corporaliter diluitur.* Item, *Angelum aquis intervenire*: Item, *Tunc ille ſanctiſſimus Spiritus ſuper emundata & benedicta corpora libens à Patre deſcendit, ſuper baptiſmi aquas*: docet baptizatis Spiritum-ſanctum in iiſdem aquis infundi; idem hic docet Optatus. IDEM.

o EXTRA SEPTEM ECCLESIAS. Qui non communicant ſeptem illis Eccleſiis quæ probantur habere Spiritum-ſanctum, foris ſunt, hoc eſt qui non habent Spiritum-ſanctum, foris ſunt. IDEM.

p AUT SI INDE HABETIS ALIQUEM. Aut ſi ab illis Eccleſiis Spiritum-ſanctum accepiſtis, Spiritus ille qui vos regit, facit ut communicetis cum aliis Angelis à quibus eum accepiſtis, quia unus & idem ſpiritus eſt: quòd ſi aliis Angelis communicatis cum iiſdem Eccleſiis, & cum nobis ſocietatem habetis. IDEM.

q SI ITA EST, LITIGIUM &c. Ad ſuperiora referendum, non quæ proxime præcedunt. Si ita res habet, inquit, ut diximus, ut quæcunque unum habet angelum Eccleſia, cæteris quoque per illum communicet Angelis, & Eccleſiis; cùm vos conſtet aliis minimè communicare Eccleſiis, quid ſupereſt, quàm ut cauſa planè excideritis? *Ecce*; (Nam & illud quoque conſequitur:) *Jam apud vos* &c. M. CAS.

r LITIGIUM PERDIDISTIS. Cauſam perdidiſſent Donatiſtæ ſi cum Orthodoxis, vel cum Aſiaticis communionem aliquam habuiſſent: nam perperam rebaptizarent orthodoxos ſi eorum communionem approbaſſent. ALBASP.

f ECCE JAM APUD VOS. Tranſit ad dotes: & hæc verba à linea debent inſcribi, vultque dicere Donatiſtas non poſſe ſpiritum ſibi vindicare, & ita includere, ut non ſit apud Orthodoxos; quòd ſi eſt apud Orthodoxos apud eos non poteſt eſſe, quia nulla inter eos eſt communio. IDEM.

t Si hoc convitium faciendum erat, quod non licet: quamvis ſine cauſa fiat, u utinam aliquis ex veſtro numero hoc dixiſſet: & tamen te hoc dixiſſe ſatis admiror, id falsò in alterum dicere, ex quo, x ſi ordinationem tuam conſideres, poſſis & erubeſcere.

Commemoraſti enim lectum eſſe in Evangelio, *Væ vobis hypocritæ, qui* Mat. 23. *circuitis maria & terras, ut faciatis unum proſelytum*, hoc eſt, ut mutetis alicujus ſectam. Tu quidem cujus ſectæ fueris neſcio: Tamen importunè à te dictum eſſe æſtimo, quod te jam fortè hujus dicti pœniteat. Nunquid nos aliquas peragravimus terras? Nunquid nos aliqua circumivimus maria? Nunquid nos ad peregrinos acceſſimus portus? Nunquid nos aliquem adduximus Hiſpanum & Gallum? Aut nos ordinavimus y ignorantibus peregrinum? z Nam & fontem conſtat unam eſſe de dotibus, unde hæretici non poſſunt vel ipſi bibere, vel alios potare. Quia ſoli ſigillum integrum (id eſt Symbolum Catholicum) non habentes, ad fontem verum aperire non poſſunt. a Nam cùm in Canticis canticorum ſcriptum eſt, *Sit umbilicus tuus, ut crater tornatilis.* b Umbilicum altare affirmare conatus es. Cant. 7. Si umbilicus membrum eſt in corpore, inter dotes eſſe non poteſt, quod membrum eſt. Si ornamentum eſt, pars corporis non eſt.

Reſtat jam ut dotes quinque eſſe videantur. Quæ dotes, cùm ſint Eccleſiæ Catholicæ (quæ eſt in tot provinciis ſuprà memoratis) etiam apud nos hîc in Africa deeſſe non poſſunt. Intelligite vel ſero, vos eſſe filios impios, vos eſſe ramos fractos ab arbore, vos eſſe abſciſſos palmites à

ANNOTATIONES VARIORUM.

t SI HOC CONVITIUM FACIENDUM ERAT. &c. Totus hic locus fœdè corruptus: ſententia tamen non obſcura: ut de verbis minus laborandum ſit. Potuiſſe ſcripſerat Optatus: *Si hoc convitium faciendum erat, quamvis ſine cauſa fiat; utinam aliquis (ſ, alius quis) ex veſtro numero hoc dixiſſet, & tamen (vel, te tamen) eum fuiſſe ſatis admiror, qui falsò in alterum diceret, ex quo &c.* vel, *& tamen te hoc dixiſſe ſatis admiror. Id falſo tu alterum diceres*, vel, *dicere te ex quo, ſi ordin. tuam conſideres, poſſis & erubeſcere? Quod non licet* tanquam gloſſema τὸ *quamvis ſine cauſa fiat*, qualia vulgo ſolent è margine in ipſum contextum irrepere, penitus expungo. *Tamen* pro *autem* ſi quiſquam ſubtilius iſta diſtinguere voluerit, *non licet* &, *ſine cauſa fit*; per me licebit illi: ut mihi tamen integrum ſit illud quod probo magis ſequi. Ideo autem hoc dicit Optatus, quod Parmenianus eſſet peregrinus. Quod etiamſi non hic exertè, alibi tamen diſertis ipſis verbis objicit. Poſſis etiam, ſi retinemus illud *quamvis ſine cauſa fiat* ita interpretari. Quandoquidem tamen ita vobis ſedet, convitium utcumque illicitum, facere, utinam &c. M. CAS.

u UTINAM ALIQUIS EX VESTRO. Utinam alius hoc dixiſſet quam tu. ALBASP.

x SI ORDINATIONEM TUAM CONSIDERES. Rebaptiſatus fuerat Parmenianus & ſe rebaptiſari permiſerat ut ad ſedem Carthaginis eveheretur à Donatiſtis non aliter illa verba *facitis eum filium gehennæ dupliciter*, non potuiſſent convenire, neque ex iis erubeſcere: niſi vel illi erubeſcendum facere ex illis verbis: *circuitis maria & terras ut faciatis unum proſelytum*, quia cùm peregrinus eſſet, Donatiſtæ circuierant terras, ut eum ex Hiſpania in Africam transportarent, nam hæc verba, *nunquid nos aliquem adduximus Hiſpanum, & Gallum, aut nos ordinavimus ignorantibus peregrinum*, hanc explicationem confirmare videntur. IDEM.

y IGNORANTIBUS. Peregrinus & alibi natus non erat ordinandus Epiſcopus; quia ejus mores non erant ignorandi a plebe cui præficiebatur. IDEM.

z NAM ET FONTEM. Deeſſe hoc loco videtur aliquid; nam cum cæteris hæc verba non cohærent. IDEM.

a NAM CUM IN CANTICIS. Non cohærent cum præcedentibus. Tota hæc de dotibus tractatio, duabus potiſſimum conſtabat partibus. Prima parte 5. dotes à Parmeniano tractatas, Optatus agnoſcit quidem, ſed ita, ut veræ Catholicæ aſſerat, & quæ ſuper iis à Parmeniano malè, arguat ipſe, ac retexat. Poſtea confutabat ejus errorem ſuper earum numero, quod ſex ille numeraſſet, quas quinque duntaxat eſſe Optatus contendebat? Adhuc in priore parte verſabatur, & de *fonte* præcedente ſententia diſputabat, & ecce nova jam res hic agitur, novum affertur argumentum, ſine ulla concluſione præcedentium, aut aditu qui viam faciet ad novam diſputationem. Hic igitur aſteriſci, hiatus indices, erant ponendi: non mox, (quod vult Balduinus,) ante τὸ *reſtat*. Poſtquam enim oſtendit, ac vicit, *umbilicum* de ſexta dote non debere accipi, quod Parmenianus affirmaverat, rectè tum concludit (ſiquidem nulla erat alia de numero controverſia) *Reſtat jam ut dotes quinque eſſe videantur &c.* M. CAS

b UMBILICUM ALTARE. Parmenianus umbi-

vite, vos eſſe rivum conciſum à fonte. Non enim poteſt eſſe origo rivus, quia parvus eſt, & non de ſe naſcitur; aut arbor à ramo concidi, cùm arbor fundata ſuis radicibus gaudeat, & ramus ſi fuerit exectus areſcat. [a] Jam ne vides frater Parmeniane, jam ne ſentis, jam ne intelligis, te argumentis tuis contra te militaſſe? Cùm probatum eſt, nos eſſe in Eccleſia ſancta Catholica, apud quos & [c] Symbolum Trinitatis eſt: [d] & per Cathedram Petri, quæ noſtra eſt, & per ipſam cæteras dotes apud nos eſſe, etiam [e] ſacerdotium, quod in nobis annullare viſus es in excuſatione erroris & livoris veſtri, dum poſt nos rebaptizatis: & poſt ſocios veſtros in peccato detectos, hoc non facitis. Dixiſti enim, quòd ſi ſacerdos in peccato ſit, ſolæ poſſint dotes operari. Igitur, quia docuimus & quid ſit hæreſis, & quid ſchiſma, & quid ſit Eccleſia, & quid ſancta Eccleſia: & hujus ſanctæ Eccleſię eſt [f] conſtituta perſona, & hanc ſanctam eſſe Catholicam, quæ in toto ſit orbe terrarum diffuſa: Cujus membra & nos inter alios ſumus: Cujus dotes apud illam ubique ſunt; deinde in primo libro probavimus, ad nos non pertinere traditionis invidiam, & hoc crimen etiam à nobis eſſe damnatum: Jam illud mihi volo reſpondeas, Cur de ſolis Eccleſiæ dotibus loqui voluiſti, & de ſanctis ejus membris ac viſceribus tacuiſti: quę ſunt procul dubio in Sacramentis & [g] in nominibus Trinitatis. Cui concurrit fides credentium, & profeſſio, [h] quę apud acta conficitur Angelorum, ubi miſcentur cœleſtia & ſpiritalia ſemina, ut ſancto germine nova poſſit renaſcentium indoles procreari: ut dum Trinitas cum fide concordat, qui natus fuerat

PHILIPPUS PRIORIUS.

a. JAM-NE VIDES FRATER PARMENIANE, JAM NE SENTIS? &c. Diceres hoc in loco Tullium orat. contra Piſonem graviſſimâ illâ apoſtrophe inſurgere & exclamare. *Jam-ne vides bellua, jam-ne ſentis quæ ſit hominum querela frontis tuæ?* Ad eum locum reſpexiſſe hunc Epiſcopum non dubito,

ANNOTATIONES VARIORUM.

licum ſextam Eccleſiæ dotem faciebat. ALBASP.

c SYMBOLUM TRINITATIS. An *ſymbolum* vocat hîc myſterium, ut aliquando ſymbolica & myſtica confunduntur? an potius ſynecdochicè, aut κατ' ἐξοχὴν ita vocat ſymbolum Apoſtolorum; quia Trinitatis myſterium, præcipuum ejus argumentum? Malo tamen ſimpliciter accipere, pro fide ac profeſſione; ut ſymbolum Trinitatis, nihil aliud ſit, quàm quod Victor Utic. lib. 2. *Fides integra Trinitatis.* Ratio cuivis obvia, quia nimirum *ſymbolum*, fidei noſtræ ſumma. Unde & illa conjunguntur interdum, ut ſynonyma. *De fide & ſymbolo* presbyterum ſe diſputaſſe ſcribit Auguſtinus Retract. lib. 1. 17. & eo nomine liber eſt ab eo editus: quemadmodum & alii loquuntur. M. CAS.

d ET PER CATHEDRAM PETRI. Per communionem quam habebat cum D. Petro & cum Siricio probat apud ſe cæteras eſſe dotes: hoc eſt, qui cum ſummo Pontifice non communicat, nullam ſecundùm Optatum poteſt habere Eccleſiæ dotem. ALBASP.

e SACERDOTIUM QUOD IN NOBIS ANNULLARE VISUS ES. Qui *annullare* verbum uſurparet, antiquiorem Optato non vidi. Quæ phraſis nullius pretii eſt, licet Juriſconſulti forenſes pro delicato & tanquam feſtis diebus uti ament. INCERT.

f CONSTITUTA PERSONA. Hoc eſt in perſona S. Pontificis Eccleſia eſt conſtituta, tanquam in capite, atque illic eſt ubi & cum quibus communicat. ALBASP.

g ET IN NOMINIBUS TRINITATIS. &c. Nomina Trinitatis hîc ut apud Tertull. de Bapt. lib. 7. numerus nominum divinorum, i. perſonarum. Noſter infra lib. 3. nomina pietatis, pro perſonæ vinculo pietatis ſibi junctæ, & lib. 5. tria nomina, i. tres perſonæ. De fide ac profeſſione credentium, quæ ſequuntur, ut aliis decantata, ſciens prætereo. Cæterum Angelum aquis intervenire, multis probatum Tertulliano de bapt. cap. 5. 6. Sed non aquis tantum, ſed & Orationibus, de Orat. cap. 12. & matrimonii ſacris, ad uxorem lib. 2. c. ult. De Baptiſmo autem etiam Auguſt. de Symbolo ad Catechum. ubi poſt quædam de profeſſione. *Videte*, inquit, *dilectiſſimi quia hanc profeſſionem veſtram in Curiam profertis Angelorum, nomina profitentium in libro excipiuntur vitæ, non à quolibet homine, ſed à ſuperiore cœleſtis poteſtate, &c.* qui apud alios, & iſtiuſmodi innumera pro locis ipſis actorum, ſecretorum &c. Ita centies in collat. Carthag. *apud acta*, & *actis*, i, publicè, coram officio, ſive Notario publico &c. Mox *Trinitas*, i. perſonæ Trinitatis Pater, Filius, & Spiritus-ſanctus. Deo nempe cum ipſa fide & profeſſione baptizandorum concordante & concurrente &c. M. CAS.

h QUÆ APUD ACTA CONFICITUR ANGELORUM. Tertull. *obſignatum Angeli renuntiant, Pater rato habet*, de matrimonio libro 2. ad uxorem. ALBASP.

ſeculo, renaſcatur ſpiritualiter Deo. Sic fit hominum pater Deus, ſancta ſic fit mater Eccleſia. Hæc omnia intelligo à te ideo non eſſe nominata, ne in iis omnis ratio Baptiſmatis agnoſceretur. Ubi nihil ſibi operarius, qui homo eſt, vindicet: [i] quod vos facitis. Ideoque ad ſolas dotes te conferre voluiſti, quas velut manu apprehenſas, [k] aut aqua concluſas, Catholicis denegans, vobis ſolis eas fruſtra vindicare conatus es. Cùm agatur de regeneratione, cùm agatur de homine innovando, nulla à te credentium fides, nulla profeſſio nominata eſt. Dum vis de ſolis dotibus loqui, omnia hęc, ſine quibus ſpiritalis illa nativitas reparari non poteſt, in ſilentio remiſiſti. Et cùm dotes ad ſponſam, non ſponſa ad dotes pertineat: ſic ordinaſti dotes, quaſi ipſę videantur generare: [l] non viſcera, quæ intelliguntur plus poſita in Sacramentis, quam in ornamentis. Nec illud pretereo, quod ore tuo & ſenſu noſtro Eccleſiam Paradiſum eſſe dixiſti: quę res ſine dubio vera eſt. In quo horto Deus plantat arbuſculas. Et tamen Deo divitias ſuas denegatis, cujus hortum in anguſtias cogitis, dum vobis ſolis immeritò omnia vindicatis. Utique plantationes Dei ſunt diverſa ſemina per diverſa pręcepta. Juſti, continentes, miſericordes, & virgines, ſpiritalia ſunt ſemina: harum rerum arbuſculas [m] in Paradiſum Deus plantat. Concedite Deo, ut hortus ejus ſit longe lateque diffuſus. Quid illi negatis Orientis & Septentrionis, etiam Occidentis Provinciarum omnium, & innumerabilium Inſularum populos Chriſtianos? Contra quos, vos ſoli pauci, rebelles eſtis, & cum quibus nullum communionis conſortium poſſidetis. Jam & mendacium veſtrum hoc loco juſtè damnari poteſt, [n] quo quotidie à vobis ſacrificia condiuntur. Nam quis dubitet, vos illud legitimum in Sacramentorum myſterio præterire non poſſe? offerre vos Deo dicitis pro Eccleſia, quæ una eſt: hoc ipſum mendacii pars eſt, unam te vocare, de qua feceris duas. Et offerre vos dicitis pro una Eccleſia, quæ ſit in toto terrarum orbe diffuſa. Quid ſi unicuique veſtrûm dicat Deus, *Quid offeres pro tota, qui non es in tota?* Si nos vobis diſplicemus, quid vobis fecit [o] Antiochia civitas? quid Arabia provincia? [p] Unde probamus venientes, à vobis eſſe rebaptizatos. In uno tibi ſolo, Parmeniane frater, ingrati eſſe

ANNOTATIONES VARIORUM.

i QUOD VOS FACITIS. Dicebant ex opere operantis baptiſmum & ejus gratiam conferri. ALBAS.

k AUT AQUA CONCLUSAS. Neſcio quorſum hic aquæ mentio, niſi fortè ad eluendum quod latet hic mendum, idque tam fœdum, ut mirum ſit, tam diu fefelliſſe viros doctos. Nam pro *aqua* reſcribendum eſt cum Optato *arca*, quod olim ſcribebatur *arqua*, velut *arqus* pro *arcus* teſte Priſciano. Quæ tamen à Nonio Marcello diſtingui non neſcimus. Sed plura ſunt apud Priſcianum, alioſque, veteris iſtius ſcriptionis exempla, & in quibuſdam hodieque, ut, *cum*, *ſecum* &c. retinemus. Hoc qui non intellexerunt, quod Baptiſmi paulò antè mentio facta eſſet, in *aquam* mutarunt. Atqui jam ſuprà *Niſi forte eum vobis vendicantes, habetis in loculis clauſum*; Angelum intellige. Non ovum ovo ſimilius, quam ſunt hæ duæ *ſcenæ*, in loculis clauſum, & arca concluſum aliquid habere. M. CAS.

l NON VISCERA. In Baptiſterio tanquam in Utero, Patres aiunt, homines naſci & renaſci; quapropter rectè vocat ſacramenta viſcera Eccleſiæ. ALBASP.

m IN PARADISUM DEUS PLANTAT. In Paradiſum, hic & alibi ut apud Ciceronem *in poteſtatem*; apud Plautum, *in mentem*, apud alios *in controverſiam eſſe*, pro poteſtate, &c. Quod ideo moneo, non quod valdè novum ſit, aut inſolens, ſed ne quis tamen, qui minus advertat, ſuſpectum habeat. M. CAS.

n QUO QUOTIDIE A VOBIS SACRIFICIA ADDIUNTUR. Mentiebantur cùm rogarent Deum inter ſacra ut Eccleſiam ſuam adunaret, quia eam ipſam ſuo ſchiſmate dividebant: deinde mentiebantur cùm eam unam in orationibus ſacrificiis prædicabant, quia plures faciebant. ALBASP.

o ANTIOCHIA CIVITAS. Traditionis non accuſabant Arabes aut Syros, tamen non minùs eos rebaptizabant quàm Afros. IDEM.

p UNDE PROBAMUS. Probamus, ἀντὶ τοῦ, probare poſſumus, ut coll. Carth, II. cum interrogaret Notarii *quando poſſent in ſchidis geſta conſcribi, & edenda compleri*, reſpondiſſent, *hodie ſchidas complemus*, excipiens Tribunus, ita repetit, ut ſimul complicet, Quoniam ſuggeſſit officium, hodie ſe ſchidas poſſe complere, &c. mox, *meminis* pro *meminiſti*

non poſſumus, Quod Eccleſiam noſtram, id eſt Catholicam, quæ continetur toto orbe terrarum, quamvis ab ea ſis alienus, laudare voluiſti, numerando dotes: In quarum tamen numero ſatis erraſti, & in dicendo, quia ipſa eſt hortus concluſus, & fons ſignatus, & unica ſponſa. Hoc nos de noſtro dicimus. Nam tu de alieno locutus es. Quicquid de laudibus Eccleſiæ dicere potuiſti, nos priores eadem loquimur. Traditores vobiſcum & ipſi damnamus, eos videlicet, quos ſi meminis, in primo libro demonſtravimus; & cùm ſit nobis cum univerſo orbe communio, & ex univerſis provinciis nobiſcum: Sic jam dudum duas Eccleſias comparare voluiſti, q quaſi ſola habeat Africa Chriſtianos, in qua vitio veſtro duæ videntur partes effectæ. Et dum immemor factus es Chriſti, dicentis, *Unam eſſe ſponſam ſuam*: tu in Africa non dixiſti duas eſſe partes, ſed duas Eccleſias. Certè una eſt, quæ ex voce Chriſti meruit indicari, qui ait: *Una eſt columba, una eſt ſponſa mea*. Et tu hujus vocis oblitus, ad invidiam Catholicis faciendam, his locutus es verbis, *Neque enim Eccleſia dici poteſt quæ* r *cruentis morſibus paſcitur, & ſanctorum ſanguine & carnibus opimatur*. Certa membra ſua habet Eccleſia, Epiſcopos, Preſbyteros, Diaconos, miniſtros, & turbam fidelium. Dicite cui generi hominum in Eccleſia noſtra hoc poſſit adſcribi, quod objicere voluiſti? Specialiter nomina aliquem miniſtrum, oſtende aliquem Diaconum nomine ſuo. Indica hoc ab aliquo factum eſſe preſbytero. Proba hoc Epiſcopos admiſiſſe. Doce aliquem noſtrûm cuiquam inſidiatum eſſe. Quis noſtrûm quemquam perſecutus eſt? quem à nobis perſecutum eſſe, aut dicere poteris aut probare? ſ Sed quia tibi unitas diſplicet: Hoc ſi crimen putas, argue nos Theſſalonicenſibus, Corinthiis, Galatis, Septem Eccleſiis, quæ ſunt in Aſia, communicaſſe. Si nefas tibi videtur, aut ſi t reatum putas memoriis Apoſtolorum & ſanctorum omnium communicaſſe: hoc nos feciſſe, non ſolùm non negamus, ſed etiam gloriamur. Sed ut oſtendam, partem veſtram (ut dixiſti) cruentis morſibus paſtam, 1 Chriſtianorum ſanguine opimatam: à principio ſuo veſter rabidus commemorandus eſt furor: Jam veſtra retexenda impietas, jam ſtul-

PHILIPPUS PRIORIUS.

1. CHRISTIANORUM SANGUINE OPIMATAM. Vox eſt Africana, quâ etiam utitur Tertullianus lib. de anima, *opimitas ſapientiam impedit*, & lib. de pudicitia cap. 9. *atque ita exinde opimitate dominici corporis veſcitur*. Et aliis in locis, hic idem eſt ac Chriſtianorum Sanguine ſatiatam rabiem ſchiſmaticorum, ut furorem & immanitatem Donatiſtarum perſtringat, quam accuratius adhuc poſtea examinat.

ANNOTATIONES VARIORUM.

hactenus mihi non obſervatum, & fortaſſe (quamquam nihil non audent hi ſcriptores:) reſtituendum *meminiſti*, *meminens* autem multis uſurpatum. M. CAS.

q QUASI SOLA HABEAT AFRICA CHRISTIANOS, IN QUA. Quoties Catholici ex Catholici nominis proprietate Donatiſtis invidiam faciebant, illi ſe Chriſtianos eſſe regerebant, nec tam ſe de prioris tituli, quam de ſecundi poſſeſſione, quem ſibi proprium vendicabant, ſollicitos eſſe palam profitebantur; quamquam nec illum ſibi negari paterentur; ſed eatenus tamen aſſererent, quatenus *Chriſtiani*. Ait igitur Optatus, Parmenianum de duabus Eccleſiis ita diſſeruiſſe, ut dum ſuæ parti Chriſtianum nomen vendicat, etiam Chriſtianos Africâ concluderet, ut in quâ ſolâ, diviſâ nempe, per eos Eccleſiâ, vigerent, & aliquo loco, & numero eſſent Donatiſtæ. M. CAS.

r CRUENTIS MORSIBUS. De expeditione Macarii hæc accipienda ſunt. ALBASP.

ſ SED QUIA UNITAS TIBI DISPLICET. Unitatem fecerat Macarius, & nonnullos precibus & hortatione; alios vi ad Eccleſiam compulerat: quare dicebant Donatiſtæ non ſine ſanguine unitatem factam eſſe, & Eccleſiam quæ cum Macario communicaret, crudelem eſſe. IDEM.

t REATUM PUTAS MEMORIIS APOSTOLORUM. Non ita facile eſt dicere, quamobrem de reliquiis ſanctorum mentionem faciat hoc loco, cùm non agat de reliquiis, ſed de communione quæ eſt inter Eccleſias: etenim de reliquiis mentionem facit, quia communio non poteſt eſſe perfecta, quin fiat inter omnia ejus membra, hoc eſt inter vivos & mortuos. IDEM.

vitia demonſtranda. In quo prius eſt oſtendere, erubeſcendam lętitiam veſtram, & gaudia criminoſa, [u] quod vobis à priſtini erroris libertate rediſſe contigerit. Recenſete tempora, diſcutite rationes rerum, diſſimilia vota, & perſonas diverſas attendite. Redeat in memoriam Conſtantinus imp. Chriſtianus: quem famulatum exhibuerit Deo, quæ habuerit vota, ut remotis ſchiſmatibus, inter mortua omni diſſenſione, [x] ſub toto cœlo filios ſuos gaudens, in uno [y] videret ſancta mater Eccleſia. Reddiderat unam communionem, maritis uxores, parentibus filios, fratribus fratres. Quibus rebus Deus ſe lætari teſtatur, dum dicit, *Ecce quàm bonum & quàm iocundum, habitare fratres in unum.* Etenim cùm Africanos populos & Orientales, & cæteros tranſmarinos, pax una conjungeret, & ipſa unitas, repręſentatis omnibus membris corpus Eccleſię coagularet: dolebat hoc diabolus, qui ſemper de fratrum pace torquetur, Illo tempore ſub Imperatore Chriſtiano, deſertus in Idolis, tanquam incluſus, latebat in templis. Hoc eodem tempore duces & principes veſtros merita relegaverant ſua. In Eccleſia nulla fuerant ſchiſmata, nec Paganis licebat exercere ſacra ſacrilega: Pax Deo placita apud omnes Chriſtianos populos habitabat: diabolus mœrebat in templis, [z] vos in regionibus alienis.

Quod vobis ad priſtini erroris libertatem factam eſſe conſtitit.

relegaverant

[1] Deinde alter, ut omnibus notum eſt, ſecutus [a] Imperator, vobiſcum vota ſiniſtra concipiens, ex famulo Dei factus eſt miniſter inimici, Apoſtatam ſe edictis ſuis teſtatus eſt. Quem precibus rogaſtis, ut reverti poſſetis. Quas preces, ſi vos negatis miſiſſe, nos legimus. Nec difficultatem præbuit, quem rogaſtis; ire præcepit pro voto ſuo quos intellexerat ad diſturbandam pacem cum furore eſſe venturos. Erubeſcite ſi ullus eſt pudor. Eadem voce vobis libertas eſt reddita, qua voce Idolorum patefieri juſſa ſunt templa. Eiſdem pene momentis veſter furor in Africam revertitur, quibus diabolus de ſuis carceribus relaxatur. Et non erubeſcitis, qui uno tempore cum inimico [b] communia gaudia poſſidetis! Veniſtis rabidi, veniſtis irati, membra

PHILIPPUS PRIORIUS.

1 DEINDE ALTER UT OMNIBUS NOTUM EST, SECUTUS IMPERATOR. De Juliano Apoſtata hæc explicanda ſunt, quamvis non ſtatim ſucceſſerit Conſtantino, ſed poſt mortem tantum Conſtantis & Conſtantii, qui Conſtantino patri ſuffecti fuerant. Imperante porro illo apoſtata, Africana Eccleſia magnopere turbata fuit, ut & cæteræ. Conſtantinus ut ſupra docuimus, ſartam tectam ſemper voluit religionis cauſam, Donatiſtarum pervicaciam exoſus, quorum etiam plurimos exilio multavit. Julianus verò Donatiſtarum patrocinium ſuſcepit, & ſchiſma Conſtantini virtute penè ſopitum cæpit recrudeſcere, & annuente Imperatore totam Africam pervagavit. Legatos quippe ad eum miſerant Donatiſtæ, qui aſſentationibus & fœdiſſimis adulatorum technis, in ſuas eum partes traherent. Quod non infeliciter iis ſucceſſit. In adulationes illas invehitur Auguſtinus lib. 2. contra lit. Petiliani, & epiſt. 48. arteſque impias ſchiſmaticorum exagitat.

ANNOTATIONES VARIORUM.

u QUOD VOBIS A PRISTINI ERRORIS LIBERT. Planè hæc contra mentem Optati, contra temporum factique veritatem, ut ſequentia palam faciunt. Priores editiones, *quod vobis ad priſtini erroris libertatem* factam eſſe *conſtitit*, unde levi mutatione, *quod* vel *quando*, *v. ad priſtinos errores libert. f. eſſe conſtitit.* Quod ſi quis malit, *quod vobis ad priſtini erroris libertatem rediiſſe contigerit*, quod ad Balduinum propius, dum eadem ſit ſententia pili non intereſt, utro modo leges. Si quis præterea, qui *errorem*, pro, *exilio* ab Optato poſitum hic putet non valdè repugnarim, cum de revocatis ab exilio Donatiſtis hic agat. M. CAS.

x SUB TOTO COELO FILIOS SUOS GAUDENS IN UNO VIDERET SANCTA MATER ECCLESIA. Perperam mendi ſuſpectus hìc locus, ſic auctor non ſemel alibi. Tamen Barthius reponit, *gaudens in ſinu videret f. m. E.* fundamentum ponens de verbis lib. 7. *Quando vos Catholica pio ſinu ſuſcipere deberet Eccleſia.* Vide & lib. 1. INCERT.

y VIDERET SANCTA MATER ECCLESIA &c. Margini appictum eſt, legi alibi: *in unum.* Ex qua varietate ego ſuſpicor utrumque titubandum hinc eſſe, & ſcribendum, *in ſinu videret.* Fundamentum ponens de verbis lib. 7. *Quando vos Catholica pio ſinu ſuſcipere deberet Eccleſia.* BARTH.

z VOS IN REGIONIBUS ALIENIS. Quia Conſtantinus eos exilio multaverat. ALBASP.

a ALIUS IMPERATOR. Julianus qui Baſilicas Donatiſtis conceſſerat. IDEM.

b COMMUNIA GAUDIA. Unum membrum de alio debet lætari, aut contriſtari; itaque cum Dia-

laniantes Eccleſię: ſubtiles in ſeductionibus, in cædibus immanes, filios pacis ad bella provocantes. De ſedibus ſuis multos feciſtis extorres, cum conducta manu venientes, Baſilicas invaſiſtis; multi ex numero veſtro per loca plurima (quę ſub nominibus dicere longum eſt) [c][d] cruentas operati ſunt cędes, & tam atroces, ut de talibus factis, ab illius temporis judicibus [e] relatio mitteretur. Sed intervenit & occurrit judicium Dei, ut ille, qui vos jam dudum redire juſſerat, Imperator prophanus & ſacrilegus, moreretur, qui perſecutionem, vobis provocantibus, jam miſerat aut mittere diſponebat. Operata eſt apud loca ſupradicta in Catholicos trucidatio. Memoramini per loca ſingula, qui fuerint veſtri diſcurſus. Nonne de numero veſtro fuerunt Fœlix Djabenſis, [f][g][h] Januarius Flamen Piſtenſis, & cæteri, qui tota celeritate concurrerunt ad caſtellum Lemellenſe: ubi cùm contra importunitatem ſuam viderent Baſilicam clauſam, præſentes juſſerunt comites ſuos, ut aſcenderent culmina, nudarent tecta, jactarent tegulas: imperia eorum ſine mora completa ſunt: & cùm altare defenderent Diaconi Catholici tegulis plurimi cruentati ſunt, duo occiſi ſunt. Primus filius Januarii, & Donatus filius Nini, urgentibus & præſentibus Coëpiſcopis

ANNOTATIONES VARIORUM.

bolus gauderet, gaudebant Donatiſtę. ALBASP.

c CRUENTAS OPERATI SUNT CÆDES &c. Quid hoc novi eſt, an ergo omnia facinora uſque adeo execrabilibus modis atrocia, quæ judicibus referri ſolita! Nec ſufficit demonſtrare miſſam relationem judicibus, ut iu nobis prurigo aliqua mutandi demonſtraretur, quod putavit vir Doctiſſimus, qui pagellas notatum Optato non ita olim adjecit; Hanc enim neque nos ante ignorabamus. Sed dicat mihi velim, ſiquidem iſta mera prurigo eſt, an ideo atrocia crimina cædibus junxerit Optatus, quia judicibus hæ relatæ? Sane eſt aliqua prurigo in reprehendendis bene & circumſpecte doctis, quæ hæc ita credit, nec conſiderat aliud quid ſequi debere, cum ſimplices alioquin cædes, aut minora etiam facinora referantur judicibus, nec opus ſit inde inuſitatam eorum atrocitatem concludere. Quare ego etiamnum legendum arbitror: *relatio timeretur*. Judicibus nimirum talibus, qui de Epiſcopis Chriſtianum ſchema præferentibus, tam horrenda facinora ad Palatium, (ut loquitur in eadem re geſta Optatus noſter) nunciare metuebant, ne tota ſcilicet religio, calumniam pateretur, plurimis in aula imperatoria præpotentibus paganiſmo devotiſſimis. BART.

d CRUENTAS OPERATI SUNT CÆDES. Quid hoc novi eſt? an ergo omnia facinora uſque adeo execrabilibus modis atrocia, judicibus referri conſueta? Mendum feſellit in ultima voce, quod projectum in malam rem, clarere locum faciet univerſum. Legendum, *judicibus relatio timeretur*. Quod quin Optati genuinum ſit, nemo, arbitror, dubitare ſe putaverit. Hæc Barthius. Ego vero non ſine cauſa dubito, aioque controverſiam ſtatus huic loco minimè movendam, confirmante utique hunc altero ejuſdem auctoris loco, lib. 1. *Iiſdem temporibus Felix quidam Diaconus, qui per famoſam, neſcio quam, de Tyranno Imperatore tunc factam Epiſtolam appellatum eſt, periculum timens, apud Menſurium Epiſcopum delituiſſe dicitur. Quem cum poſtulatum e Menſurius publicè denegaret, relatio miſſa eſt: Reſcriptum venit, ut ſi Menſurius Felicem Diaconum non reddidiſſet, ad Palatium dirigeretur.* Quare abſtine emendandi pruriginem Lector, atque iſtinc lucem obſcuro tibi loco fœnerare. INCERT.

e RELATIO MITTERETUR. Elogia, Epiſtolæ, & relationes ad Imperatorem de illa cæde mitterentur: quidam reponunt *timeretur*, ſed nullo ſenſu. ALBASP.

f JANUARIUS FLAMEN PISTENSIS. Rectè quidam Januarius Epiſcopus Flamen Piſtenſis. IDEM.

g JANUARIUS FLAMEN PISTENSIS. Probabili conjecturâ nixus vir doctus in notis ad Optatum, pro *Flamen Piſtenſis*, aut *Flumen Piſtenſis*, quod alii repræſentant, ipſe *Flumen piſcenſis* ex collat. Carthag. reſtituendum cenſet. Ego non renitor, & in tanta locorum iſtorum (quæ in Carthag. collat. paginam utramque implent,) caligine, aliquid certo definire arduum puto. Mox, *cum contra importunitatem ſuam*, &c. moneo minus cautos, ne *τὸ importunitatem* volgari notione accipiant, ſed quomodo Virgilius, Cicero, Terentius, optimi Latinitatis auctores, accipiunt ſæpe: nempe pro immanitate ipſa, & ultima flagitiorum linea. Neque tamen puto, noſtrum tam hos imitari, quam ſcripturæ [illegible], quâ [illegible] *abſurdi* propriè pro ſceleſtis & impiis. Vide Luc. 23. 41. & II. Theſſ. 3. 2. ab vulg. *importunis & malis*, &c. *An & importuna peccata* lib. 7. ita quoque interpretabimur? Niſi tamen ibi *peccata* vocet *importuna*, quę non proprio, ſed alieno loco, & tempore ſeminata ſint. Loquitur enim de Zizaniis, quæ à Diabolo furtiva ſuperſeminatione per tenebras, bonis frugibus immiſcentur. M. CAS.

h JANUARIUS FLAMEN PISTENSIS. *Januarii luminis* mentio merito hoc loco offendit Barthium, ſed qui mutari in melius poſſit, profitetur candidè ſe neſcire. Balduini editio 2. *Iannarius Flamen Piſtenſis*. Unde legerim *Flumenpiſcenſis*. Flumenpiſcenſis loci ſic dicti in Africa meminit Collatio Carthaginenſis cum Donatiſtis à Papirio juris publici primùm facta, editionis Commelinianæ p. 195. ubi nominatur, *Reſtitutus Epiſcopus Flumenpiſcenſis*. Sic *Flumenzeritani* Epiſcopalem locum Africa habet Victor Uticenſis De perſecutione Vandalica. INCERT.

geſtris

veſtris ſupra memoratis: ut ſine dubio de vobis dictum ſit, *Veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem.* De qua re Primoſus, Epiſcopus Catholicus loci ſupra memorati, in concilio veſtro apud Theveſtinam civitatem queſtus eſt, & querelas ejus diſſimulanter audiſtis. Ecce à vobis factum eſt, quod dixiſti, Eccleſiam non eſſe, quæ cruentis morſibus paſcitur: & [i] aliud ſunt, milites miſſi, aliud Epiſcopi ordinati. Quod contra nos invidioſe loquimini, ab aliis factum eſt, non à nobis. Quod dicitis non debuiſſe fieri, vos feciſtis. Commemoraſtis & B. Apoſtolum Paulum dixiſſe, *Sine ruga & ſine ſorde Eccleſiam eſſe debere.* Epiſcopis veſtris jubentibus & præſentibus, ſuper altare Catholici diaconi occiſi ſunt; ſimiliter & apud Carpos: nonne tibi videntur inexpiabiles ſordes. In Mauritaniæ civitatibus, vobis inſtantibus, quaſſatio populi facta eſt, mortui ſunt in uteris matrum, qui fuerant naſcituri. Non tibi videtur ruga, quæ non poſſit ullis ſatisfactionibus tendi aut explanari? Quid tale à nobis admiſſum eſt? nos expectamus vindicem Deum. Et invidiam facitis Macario, qui ſi aliquid aſperè fecit pro unitate, leve videri poterit: dum vos pro diſſenſione tanta mala, acerba, cruenta & hoſtilia feceritis. Quid commemorem Thipaſam Cæſarienſis Mauritaniæ civitatem? Ad quam de Numidia Urbanus Formenſis, & Fœlix Idicrenſis, duæ faculæ incenſæ livoribus, cucurrerunt: [k] qui & eorum in pace poſitorum animos perturbantes: nonnullorum officialium & favore & furore juvante, & Athenio præſide præſente cum ſignis, Catholica frequentia exturbata & cruenta, de ſedibus ſuis expulſa eſt: lacerati ſunt viri, tractæ ſunt matronæ, infantes necati ſunt, abacti ſunt partus. Ecce veſtra Eccleſia, Epiſcopis ducibus, cruentis morſibus paſta eſt. Poſt hoc etiam aliud addidiſti, *Quantum vult conſumat edacitas vulturum, tamen maior eſt numerus columbarum.* Ubi eſt, quod vulgò dicitur, *Memoriam cuſtodem habere oportet mendacem*? Oblitus es, quod paulo ante dixiſti, Eccleſiam unam columbam Chriſti in Canticis canticorum dictam. Si una eſt apud vos Eccleſia, una eſt columba. Quid eſt, quod dicere voluiſti, *Numerus maior eſt columbarum*? Et quod vobis leve videtur, facinus immane commiſſum eſt. Ut omnia ſacroſancta ſupra memorati veſtri Epiſcopi violarent, [l] juſſerunt Euchariſtiam canibus fundi: non ſine ſigno divini judicii. Nam iidem canes accenſi rabie, ipſos dominos ſuos, quaſi latrones, ſancti corporis reos, dente vindice, tanquam ignotos & inimicos laniaverunt. Pſal. 13.

ANNOTATIONES VARIORUM.

i ALIUD SUNT MILITES MISSI. Multùm differunt quæ feciſtis & quæ nobis objicitis; nam etſi Macarius unitatem fecerit, & à nobis poſtulatus ſit ut eam faceret; tamen, ſi quid minùs humani in illa expeditione accidit, id neque juſſimus, neque fecimus: ſed Epiſcopi veſtri tempore Juliani multas cædes propria manu perpetrarunt. ALBASP.

k QUI ET EORUM IN PACE POSITORUM ANIMOS PERTURBANTES. Vel eſt *perturbantes* pro *perturbarunt* ut poſt aliquot paginas, *militantes & deſtruentes* pro *militaſtis & deſtruxiſtis*, vel eſt nominativus pro auferendi caſu; quales πτώσεις etiam pluſculas obſervabis in N. T. Vide eruditum interpretem ad Marci 12. 40. & 2. Cor. 4. 13. qui exemplo elegantiſſimorum ſcriptorum fieri nonnunquam docet. Aliquando retinuit & interpres vetus, ut Coloſſ. 3. 16. *Verbum Chriſti habitet in vobis abundanter, in omni ſapientia docentes; & commonentes voſmetipſos.* Concilii Carthag. an. 419. initio. *Aurelius Epiſc. dixit: Poſt diem præſtitutam concilii, ut recordamini, fratr. beatiſſ. multa flagitata ſunt expectantes fratres noſtros*, ἐν τῷ ἀναμένειν ἡμᾶς τοὺς ἀδελφοὺς ἡμῶν, ut rectè Græcus interpres: moxque iterum, *à deceſſoribus noſtris eandem ſynodum firmantes* ἀπὸ τῶν προγενομένων ἡμῶν τὴν αὐτὴν σύνοδον βεβαιούντων. M. CAS.

l JUSSERUNT EUCHARISTIAM. Negabant Donatiſtæ Euchariſtiam ritè ab Orthodoxis conſecrari. ALBASP.

[l] Ampullam quoque Chriſmatis per feneſtram, ut frangerent, jactaverunt. Et cùm caſum adjuvaret adjectio, non defuit manus angelica, quæ ampullam ſpiritali ſubvectione deduceret: projecta caſum ſentire non potuit. Deo muniente, illæſa inter ſaxa concedit. [m] Et poſſent iſta non
Mat. 7. fieri, ſi mandata Chriſti in memoria haberetis, qui ait, *Ne dederitis ſanctum canibus, neque miſeritis margaritas ante porcos, ne conculcent pedibus ſuis eas, & converſi elidant vos.* Quid tale ab operariis Unitatis fieri potuit? unde nobis Catholicis vanam invidiam facere laboratis. Inde revertentes Urbanus Formenſis & Fœlix Idicrenſis, [n] invenerunt matres, quas de caſtimonialibus fecerunt mulieres. Ecce quales, frater Parmeniane, Epiſcopos celas: & cùm pro tuis erubeſcere debueras, Catholicos innocentes accuſas. Interea ſuprà memoratus Fœlix inter crimina ſua, & facinora nefanda, ab eo comprehenſam puellam, cui [o] mitram ipſe im-

PHILIPPUS PRIORIUS.

l. AMPULLAM QUOQUE CHRISMATIS &c. Hoc de Chriſmate teſtimonium antiquum & magni momenti. Multa ejuſdemmodi apud Patres occurrunt, ad ſtabiliendos eccleſiæ ritus valde opportuna. Sed hujus non eſt loci illud excurere, & rationes, uſum, teſtimonia veteris chriſmatis adducere. Apud auctorem Eccleſiaſticæ Hierarchiæ qui antiquus eſt, cap. 4. μυστήριον τελετῆς μύρου dicitur. Hæc tamen omitto. Monebo ſolùm multos de hac re perverſè ac parum catholicè ſentire ac ſcribere, qui tamen vulgo teruntur, & ad cœlum uſque extolluntur. Baronius ſpuriam aot valde dubiam putat Epiſtolam Fabiani Pontificis ad Orientales, quæ inſtitutionem ritumque confirmationis indicare videtur. Bellarminus, quem in religione quaſi ludere dixeris, Confirmationem quidem ſtabilire conatur, ſed cum Baptiſmi diſpendio, ait enim confirmationem ob multas cauſas præſtare Baptiſmo. S. Thomas tertia parte; quæſt. 72. art. 9. ait, hoc ſacramentum perfectivum eſſe baptiſmi, quaſi abſque confirmatione imperfectum eſſet baptiſmo. Si quis verò parem ſibi loquendi libertatem tribueret, quis orbis angulus, aut quæ latebræ eum poſſent à nugatorum ac ſophiſtarum contumeliis defendere?

ANNOTATIONES VARIORUM.

[m] ET POSSENT ISTA NON FIERI. Obſervanda μίμησις pro, hæc autem minimè facta eſſent: fieri non potuiſſent: ut in cod. Theod. & apud Caſſiodorum, *non jubemus*, pro, *vetamus*. Vide ad Lamprid. p. 358. Ita conſtit. Apoſt. lib. 3. c. 20. *Nec presbyterum neque diaconum jubemus ordinare*: ἀντὶ vetamus quemquam vel preſbyt. vel &c. Græca non erant ad manum, cùm hæc ſcriberem: ſed interpretem opinor, hic quoque verbum verbo reddidiſſe. Sciendum tamen eſt, verbum *poſſe*, ſæpe redundare, ubi τῆς μιμήσεως locus non eſt. Sic hoc ipſo lib. circa finem, *mereri poſſunt* pro *merentur*: *mori potuerant*, pro, *mortui ſunt*: etiam *pati potuerunt*, pro, *paſſi ſunt*. item, *potuit geri*, pro, *geſtum eſt*. Operæ & chartæ parco, ne plura congeram: ſed multò plura ſimilis locutionis exempla, poterit in hoc uno ſcriptore ſedulus lector obſervare. Quo fortaſſe pertinet & illud S. Marci 6. 5. *ἠδύνατο & non poterat ibi virtutem ullam facere.* &c. ut & illud Geneſ. 19. 22. כי לא אוכל לעשות דבר quod vulg. ad verbum, *quia non potero facere quicquam*. M. CAS.

[n] INVENERUNT MATRES QUAS DE CASTIMON. Matres poſſumus Abbatiſſas interpretari. Quemadmodum enim Patres vocati qui monachis, ut docet Auguſtinus de moribus eccl. cath. cap. 31. ita quæ Monialibus præerant, matres olim vocatæ. Hieronym. ad Sabinianum diacon. lapſum. *Mos eſt Ægyptiis & Syriis monaſteriis, ut tam virgo quàm vidua, quæ domino ſe voverint, & ſæculo renuntiantes omnes delicias ſæculi conculcaverint, crinem monaſteriorum matribus offerant deſecandum, non intecto poſtea, ſecundum voluntatem Apoſtoli inceſſuræ capite, ſed ligato pariter ac velato.* Ita deſcripſi ex antiquo codice MS. quem nuper in hac orbe nactus ſum. Idem Hieronymus, & ex eodem codice adverſ. Vigilantium circa finem. *Matres vocamus, ſorores, & filias, & non erubeſcimus vitiis noſtris, nomina pietatis obtendere. Quid facit Monachus in cellulis feminarum* &c. Præterea ſolemne huic noſtro, verbum *invenire*, hac in re poſt aliquot paginas, *Inveniſtis pueros*, &c. *inveniſtis fideles antiquos*, &c. *Inveniſtis diaconos, presbyt.* &c. Cur tamen hîc potius, *Matrum* quæ ſingulæ præerant, quàm monialium ſub earum imperio, ac diſciplinæ viventium meminiſſet? Præterea, tot ibi tum fuiſſe credibile eſt, conſecraratum Deo virginum, ſive *monaſteria*, ſive *diverſoria* (Auguſtinus 33. cap. de Moribus Eccleſiæ:) ut hinc ſequeretur, ſi plures matres? Quare verius ego puto, ut *matrem* hîc communiter accipiamus: nempe pro puerpera: & acutior ſanè tum erit ſententia. *Fecerunt* autem, pro *fecerant*, niſi ipſum *fecerant*, reponendum. Quondam pro *matres* legebam *mitratas*: ſed non probo. Cæterum de mitris & mitrellis, veliſque Virginum ſanctarum, tum purgandi ritu, per cineres, & ſalſam aquam, & ſi quæ alia ad ritus antiquos, in hoc noſtro pertinentia, ut de Pœnitentia, paſſim multa obſervanda; hæc omnia à viris doctis pridem occupata, nos conſultò præterimus. Neque enim hoc agimus, ut chartas impleamus, aut aliorum plumis ſuperbi, qui multorum hodie mos eſt, nos oſtentemus; ſed ſi quæ adhuc in Optato obſcura, & aliis hactenus, quod quidem ſciamus, intacta, ea nos illuſtranda ſuſcepimus. M. CAS.

[o] MITRAM. Indumenti & tegminis genus

poſuerat, à qua paulo antè [p] pater vocabatur, nefariè inceſtare minimè dubitavit. Et quaſi de peccato ſanctior fieret, inde velociter properavit. [q] Sic Donatum annorum ſeptuaginta Epiſcopum hominem, innocentem ſpoliare auſus eſt Epiſcopali [r] nomine & officio & honore. Venit ſchiſmaticus ad Catholicum: ad innocentem reus, ad Dei ſacerdotem ſacrilegus, inceſtus ad caſtum, ad Epiſcopum jam non Epiſcopus: ſed de [ſ] placito & de conjuratione veſtra ſecurus, veſtris legibus & decretis armatus: [t] manus, quas paulò antè peccata gravaverant, capiti innocentis injecit: & de illa lingua auſus eſt ferre ſententiam, [u] quæ jam nec ad pœnitentiam agendam vel idonea videbatur. Ecce, quales, frater Parmeniane defendis: Ecce, [x] pro qualibus jam dudum dotes operari dixiſti. Etiam vos ipſi, qui ſancti & innocentes videri ab hominibus vultis, dicite, unde eſt iſta ſanctitas, quam vobis licentiùs uſurpatis? quam Joannes Apoſtolus profiteri non audet, qui ait, *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos decipimus, & veritas in nobis non eſt.* 1. Ioan. 1. Hoc qui dixit, ſapienter ſe ad Dei gratiam reſervavit. Eſt enim Chriſtiani hominis, quod bonum eſt, velle: [y] & in Deo, quod bene voluerit, currere: ſed homini non eſt datum, perficere, ut poſt ſpacia, quæ debet homo implere, reſtet aliquid Deo, ubi deficienti ſuccurrat: quia ipſe Rom. 9. ſolus eſt perfectio, & perfectus ſolus Dei filius Chriſtus. Cæteri omnes ſemi-perfecti ſumus. Quia noſtrum eſt velle, noſtrum eſt currere: Dei perficere. Unde Beatus Apoſtolus Paulus ait: *Neque volentis neque currentis, ſed ad Dei gratiam pertinentis.* Nam & à Chriſto ſalvatore noſtro, perfecta ſanctitas non eſt data, ſed promiſſa. Denique ſic ait, *Sancti eritis, quia & ego ſanctus ſum.* Solus eſt ſanctus & perfectus. Denique non dixit, *ſancti eſtis*: ſed *ſancti eritis*, dixit. Unde eſt ergo, quod vobis perfectam ſanctitatem de ſuperbia vindicatis? niſi ut appareat, quia vos ipſos In Ioannis ſchola. decipitis, & veritas in vobis non eſt: Joannis ſocii eſſe noluiſtis. Cùm enim ſeducitis aliquos, promittitis, vos indulgentiam peccatorum eſſe daturos: & cùm vultis donare peccata, veſtram profitemini innocentiam: & remiſſionem peccatorum ſic datis, quaſi nullum habeatis ipſi peccatum. Non eſt iſta præſumptio, ſed deceptio: nec veritas, ſed mendacium. Etenim

ANNOTATIONES VARIORUM.

quo, quæ Deo dicata eſſent, orebantur. ALBASP.

p PATER VOCABATUR. Quia eam, cùm caſtimonialis fieret, quaſi Deo pepererat. IDEM.

q SIC DONATUM. Quendam Epiſcopum ex Orthodoxis. IDEM.

r NOMINE. Nomen, officium, & honor: tria hæc in Epiſcopo diſtinguebantur: nam quidam officio privabantur, quibus neque honor, neque nomen Epiſcopale detrahebantur: rurſus quidam & honore & officio ſpoliabantur, quibus nomen Epiſcopi relinquebatur: Denique cùm ad laicos reſcriberentur & deponerentur, horum trium privatione puniebantur. IDEM.

ſ PLACITO. Meliùs *de Palatio*. IDEM.

t MANUS, QUAS PAULÒ ANTE PECCATA CRASSAVERANT. Idem Fr. Balduinus, *gravaverant*. Barthius, craſſare inculcatum verbum, inquit, eſt ævi ſequioris, quo & Sidonius Apollinaris uſus, & Agroëtius Orthographiæ commentarium ſuum fecit ornatiorem. Ubi ait, *Craſſari corporis eſt & ſagina: Graſſari autem animi & crudelitatis.* Vide & Zenonem Veronenſem Antiſtitem. INCERT.

u QUÆ JAM VEL AD PŒNITENTIAM. Hæc lingua auſa eſt damnare Donatum Epiſcopum annorum ſeptuaginta, quæ poſt tanta crimina digna non erat quæ ad pœnitentiam admitteretur, ſed in perpetuum ab Eccleſia debebat excludi. ALBASP.

x PRO QUALIBUS. Ecce quorum opera & ex opere operantis ſacramenta, & gratiam ſacramentorum vultis conferri. IDEM.

y ET IN DEO QUOD BENE. *Et in eo*, non autem *Deo* ſcribendum eſſe vel cæcus videat: mox enim, *Quia noſtrum eſt velle, noſtrum eſt currere: Dei autem perficere.* Ad ea nempe Apoſtoli reſpexit. *Igitur neque volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.* Quibus in verbis, qui verborum Hebraicorum רוץ vim & רצה vim non advertunt, ſuaviſſimæ & elegantiſſ. [illegible], quam in animo tum habebat Apoſtolus, quæque his verbis occaſionem dedit, jacturam faciunt. Sed & in רחם prima ſyllaba, ut pars τῆς [illegible] attendenda. Commodè autem ſunt hæc Optati, & ex mente Apoſtoli accipienda, ne eidem Apoſtolo contradicere videatur, ad Philipp. 2. 13. *Deus eſt enim*

inter vicina momenta, dum [z] manus imponitis & delicta donatis, [a] mox ad altare converſi, [b] dominicam orationem prætermittere non poteſtis. Et utique dicitis, *Pater noſter, qui es in cælis, dimitte nobis debita & peccata noſtra.* Quid vocaris, dum peccata confiteris tua. Si ſanctus es, cùm dimittis aliena? hoc modo & vos ipſos decipitis, & veritas in vobis non eſt. Sed ut appareat, hoc vobis dictat nutrix veſtra ſuperbia: quam Chriſtus in Evangelio teſtificatur: qui etſi nomina veſtra non dixit, per ſimilitudinem tamen veſtros mores oſtendit. Sic enim ſcriptum eſt: *Dicebat Ieſus hanc ſimilitudinem, propter eos qui ſe ſanctos putant, & contemnunt cæteros.* Hoc de vobis dictum eſſe, ipſa res evidenter oſtendit: dum vos quaſi ſanctos extollitis, & nos manifeſte apertéque contemnitis. *Duo* (inquit) *aſcenderunt in templum adorare, unus Phariſæus, & alter Publicanus.* Phariſæus tumidus, ſuperbus, inflatus, talis, quales & vos videmus. Non humiliato corpore, non inclinata cervice: ſed erecta facie, & tumenti pectore, *Gratias tibi* (inquit) *Deus, quia nihil peccavi* Hoc eſt dicere Deo, *non habeo quod ignoſcas.* O inſanus furor, ô punienda & damnanda ſuperbia. Deus paratus eſt ignoſcere, & reus feſtinat indulgentiam recuſare. Publicanus humilis, hominem ſe eſſe cognoſcens, ſic rogavit, dicens. *Propitius eſto mihi peccatori*: Sic juſtificari meruit. Sic ſuperbia in Phariſæo, magiſtro veſtro, de templo, damnata deſcendit. Meliora inventa ſunt peccata cum humilitate, quàm innocentia cum ſuperbia. Deinde cum vobis traditionis & ſchiſmatis gravia peccata non deſint, inſuper & ſuperbos eſſe gratulamini. Nunc quoniam erubeſcenda gaudia veſtra probavimus, & furor veſter tot locis oſtenſus eſt: reſtat de profunda impietate veſtra aliquid dicere. Nam omnia, quæ à vobis aut facta ſunt, aut dicta, quis poterit explicare? Sic cuncta malignitate quadam ordinaſſe vos conſtat, ut in una ſpecie operis, ſpecies alias impleretis: ut dum presbyter aut [c] Epiſcopus dejicitur, ſic populus caperetur. Quomodo poſſet turba hominum ſtare quę rectorem ſuum eliſum eſſe conſpiceret? Non aliter quàm quocumque caſu, paſtore occiſo, lupi graſſantur. Exorcizaſtis, & laviſtis ſine cauſa parietes: ut hoc nequitię genere ſubrueretis ſimpliciſſimorum hominum mentes. Talibus conſiliis veſtris, nonnullorum animi jugulati ſunt. Et ſub nube ſimplicitatis, obcæcato lumine, ut miſeros ſterneretis, ſagittas de pharetra pectoris veſtri, ſeductionibus præmiſiſtis: ut de vobis Spiritus ſanctus per David Prophetam in Pſal. x. prædixerit, *Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum: paraverunt ſagittas in pharetra, ad ſagittandos in obſcuro rectos corde.* Quid à vobis minus factum eſt? Veſtris conſiliis ſagittati ſunt innocentes, exarmati fideles, honore nominis ſui ſpoliati ſunt Sacerdotes. O impietas inaudita, [d] quem jugulaveris [e] inter pœnitentiam & tormenta ſervare. In comparatione operis veſtri,

ANNOTATIONES VARIORUM.

&c. Sed hac de re tota adi ſi lubet, virum præſtantiſſimum, & quod non in minima felicitatis parte ponimus; amiciſſimum, in opere laudatiſſimo, lib. 4. parte ſecunda. M. CAS.

z MANUS IMPONITIS. Publicè & in Miſſa pœnitentes olim abſolvebantur: Tertull. de Pudicitia, *proſternens in medium*: Item, *cæteras etiam metu complens.* ALBASP.

a MOX AD ALTARE CONVERSI. Abſolutis pœnitentibus ad altare revertebantur Epiſcopi. IDEM.

b DOMINICAM ORATIONEM. Ergo abſolutio fiebat ante orationem Dominicam, & ante communionem. IDEM.

c DUM EPISCOPUS DEJICITUR. Loco removetur Tertull. de Exhort. e *Memini digamos loco dejectos*: Epiſcopos è ſuis ſedibus deturbabant, laïcos faciebant; pœnitentiæ manus eis imponebant, hæc omnia ut fidelium animos ab Eccleſia averterent. IDEM.

d QUEM JUGULAVERIS INTER PŒNIT. Aliæ editiones hæc ita legunt. *O impietas inaudita, quæ jugulas inter pœnitentiæ tormenta ſecurè. In compar.* & Quod præcedentibus quidem non malè convenit, ſed quæ ſequuntur, illud potius exigere videntur, quod in hac editione. M. CAS.

e INTER PŒNITENTIAM ET TORMENTA SPE-

latronum levior videtur immunitas. [f] Vos, [g] vivum facitis homicidium: latro jugulans dat de morte compendium. Paupertate ſenſus ſui circumventi ſunt, quos decipere potuiſtis. Perfecti enim fuerant illi, opere ſcilicet Dei, qui in ejus nomine fuerant ordinati. Et vos contra opus Dei hoſtiliter militatis, divinum opus malitiæ vectibus deſtruentes. Apparet ergo de vobis dictum eſſe in x. Pſalmo. *Quoniam quæ tu perfeciſti, ipſi deſtruxerunt.* Fecit vos ſuperbos impietas veſtra: ſed accuſat vos proſpiciens de cœlo juſtitia. Et iniqua vos gerentes error hominum laudat, ut de vobis in ix. Pſalmo dixerit Spiritus ſanctus, *Quoniam laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ: & qui iniqua egerit, benedicetur.* Quid iniquius, quàm exorcizare Spiritum ſanctum? altaria frangere? Euchariſtiam animalibus projicere? [h] Et ut in errorem vos veſter populus mittat, laudando fœlices appellat: & [i] bene nominant, [k] & per vos jurant, & perſonas veſtras jam pro Deo habere noſcuntur. Solet Deus ad probandam fidem in juratione ab hominibus nominari. Sed cùm per vos juratur, jam apud veſtros de Deo & Chriſto ſilentium eſt. Si ad vos divina migravit de cœlo religio, quia per vos juratur, nemo veſtrûm aut veſtrorum langueat: nolite mori: imperate nubibus: pluite, ſi poteſtis: ut per vos plenius juretur, & de Deo ſileatur. Nam & prioribus ſæculis, ut templa fabricarentur, & Idola fierent, quid veſtro populo diabolus potuit amplius facere? Nihil aliud, niſi ut de Deo taceretur, dum per errorem homines de ſolo diabolo loquebantur. O ſacrilegium impietati commixtum, dum homines per vos jurantes libenter auditis, & vocem Dei auribus non admittitis veſtris. Qui in ciiij. Pſalmo ſic ait, *Ne tetigeritis unctos meos neque in Prophetas meos manum miſeritis.* Unctos autem eſſe & reges & ſacerdotes, &

ANNOTATIONES VARIORUM.

RARE. Epiſcopos quos depoſuerant, & privatione Epiſcopatus occiderant, eos demum inter pœnitentes reſcribebant: hoc erat jugulata ſervare inter tormenta pœnitentiæ. ALBASP.

f VOS VIVUM FACITIS HOMICIDIUM. Sinitis Epiſcopos qoos occidiſtis, & quos dignitate ſpoliaſtis, inter pœnitentes miſeram vitam trahere: hoc eſt vivum homicidium facere. IDEM.

g VOS AUTEM VIVUM HOMICIDIUM FACITIS. Pro eo dixit quodeſt, vos deturbatos bonis & dignitatibus, ſummates viros vivere in pœnam, velut ipſis ſibi ſuperſtites facitis. Manil. libro quinto.

Virginis & viva rapitur ſine funere funus.

Bona atque dignitates, altera hominibus vita alter ſunt ſanguis, ut Juriſconſultos barbaræ vocis, minimè verò mentis, Accurſius dixit. Cujus generis, alia videre te volumus apud Ioban. Meurſium, optimum, eruditiſſimum, nobiſque amiciſſimum virum, In animadverſionibus Miſcellis. Ejuſdem ſententiæ eſt Ulyſſis ad Penelopen verſus apud Ovidium.

Viſcera noſtra, tuæ dilacerantur opes.
BART.

h ET UT IN ERRORIM VOS VESTER POPULOS MITTAT, LAUDANOO FELICES APPELLANT, ET BENE NOMINANT &c. *Benè nominant.* i. e. loco omnis boni veſtra nomina proferunt. Tibullus l. ii. eleg. 1.

Sed benè Meſſallam ſua quiſque ad pocula dicat.
Nomen & abſentis ſingula verba ſonent.
IDEM.

i ET BENE NOMINANT. Id eſt, *loco ominis boni veſtra nomina proferunt*; vir doctus ad hunc locum, qui etiam profert locum Tibulli, *ſed bene Meſſalam ſua quiſque ad pocula dicat, Nomen & abſentis, ſingula verba ſonent.* Illud fortaſſe verum; ſed hoc parum appoſitè, ni fallor. Aliud enim eſt amicorum ſive præſentium, ſive abſentium inter bibendum meminiſſe, & illis bene precari Plautina illa formula, *Bene me, bene te, bene nos, bene vos, bene etiam noſtram Stephanium*, aliud, *nomen alicuius, ominis boni cauſa proferre*; quod qui facit, ſibi potius bene precator. Non me latet, Deos quoque Deaſqoe appellari ſolitos à bibentibus, quos probabilius boni ominis causâ nominatos putes, ſed illud neque ad hunc Optati, neque illum Tibulli locum pertinet. Poſſis etiam interpretari, *bene nominant*, quoties nominant, *benedictos* appellant; Quomodo Tertullianus, *benedictos & benedictas* propriè deſignatos martyres, ipaucis ad *Martyres* capitibus ſæpius. Solitos autem Donatiſtas *de perſecutione Catholicorum*, paſſim queri, & ſe ſuoſque *veritatis martyres* nuncupare, pluribos docet Auguſtinus. M. CAS.

k PER VOS JURANT. Hæc ad Donatum Carthaginienſem referenda ſunt, qui patiebatur ut per ſe homines jurarent. ALBASP.

k PER VOS JURANT, ET PERSONAS VESTRAS PRO DEO HABERE NOSCUNTUR. Vide & lib. 3. Horatius Carminum lib. 4. od. 5. ad Auguſtinum.

Hinc ad vina redit lætus & alteris.
Te menſis adhibet Deum. Item.
Iurandaſque tuum per nomen ponimus aras.
INCERT.

libri Regnorum indicant; Et David in Pſalmo cxxxij. ſic air, ***Sicut unguentum quod deſcendit in barbam Aaron.*** [l] Et tamen vos contrà iiſdem viribus conati eſtis præcepta contemnere, quibus, qui Dominum timenr, mandata conantur implere. Docete, ubi vobis mandatum eſt [m] radere capita ſacerdotum, cùm e contrario ſint tot exempla propoſita, fieri non debere. (1. Reg. 15.) Saul antequam peccaret, ungi meruir: poſt unctionem non leviter offendit. Hoc Deus eùm videret, propter oleum non tangendum, volens exemplum proponere, pœnitentiam ſuam profeſſus eſt. Sic enim legitur dixiſſe Dominum, ***Pœnitet me unxiſſe Saul in Regem.*** Et utique potuit Deus oleum quod dederat auferre. Sed cùm voluit docere non debere contingi oleum etiam in peccatore, ipſe qui dederat, pœnitentiam geſſit. Igitur Deus, ſi, ut te doceret, quod dedit auferre non potuit, per quod noluit: tu quis es, qui aufetas quod non dediſti? & qui parare debebas aures ad audiendum, paraſti novaculam ad delinquendum. Er eùm poſſetis eſſe filii Dei, filii hominum eſſe voluiſtis: & ad infigendum morſum honoribus alienis, dentes veſtros in ſagittas & arma vertiſtis: linguas acuiſtis in gladios: Impleſtis quod de vobis in Pſalmo lvj. ſcriptum eſt, ***Filii hominum, dentes eorum*** arma & ſagittæ, ***& lingua eorum gladius acutus.*** Ergo linguas veſtras acuiſtis in gladios, quas moviſtis [n] in mortes, non corporum, ſed honorum. [o] Jugulaſtis [p] non membra, (Honores occiſi ſunt.) [q] ſed nomina. Quid prodeſt, quia vivunt homines, & [r] occiſi ſunt honores à vobis? valenr quidem membris, ſed ereptæ portant funera dignitatis. [ſ] Extendiſtis enim manum, & ſuper omne caput [t] mortifera velamina prætendiſtis: ut [$] cum ſint (ſicut ſupra dixi) [u] quatuor genera capitum in Eccleſia, Epiſcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, & fidelium: [x] nec uni parcere voluiſtis: [y] [z] evertiſtis animas hominum. Hos actus veſtros dolet Deus, in

PHILIPPUS PRIORIUS.

[$] 1. CUM SINT, UT SUPRA DIXI, QUATUOR GENERA CAPITUM. Poſt exagitatam rabiem & impietatem Donatiſtarum, in S. Euchariſtiam, in S. Chriſma, poſt Urbani Formenſis, & Felicis Idiacrenſis cœcum furorem, cæteraque ſcelera turpiſſima, probat denique in omnes Chriſtianos, qui quadruplicis ſunt generis ſævuiſſe, & furorem ſuum exercuiſſe.

ANNOTATIONES VARIORUM.

[l] ET TAMEN VOS CONTRA EASDEM VIRES. Miror unde hæc in meliorem hanc editionem irrepſerint, cùm melius anteà legeretur: *Et tamen vos contra, iiſdem viribus con.* &c. M. CAS.

[m] RADERE CAPITA SACERDOTUM. Pœnitentium capita radebantur, & cinere aſpergebantur, itaque cùm ſacerdotibus pœnitentiam imponerent Donatiſtæ, eis capita radebant. ALBASP.

[n] IN MORTES NON CORPORUM, SED HONORUM. Quia Epiſcopos honore & officio ſpoliarent. ALBASP.

[o] JUGULASTIS NOMINA. Dignitatem detraxiſtis. IDEM.

[p] JUGULASTIS NON MEMBRA, SED NOMINA. *Nomina* pro *dignitatibus* & *honoribus* poſuit. Ibidem ſubjungit ecce, *ereptæ portant funera dignitatis*. & p. 60. *gutturi veſtro honorum funera minime ſufficiunt.* Item p. 60. *Dei Epiſcopos lingua gladio jugulaſtis, fundentes ſanguinem non corporis, ſed honoris.* &c. INCERT.

[q] SED NOMINA. Nomina, pro dignitatibus poſita notabamus. *Jugulaſtis non membra ſed nomina.* Cùm ſtatim dicat, *erepta funera dignitatis* Ovidius

Vive tibi & longe nomina magna cole. BARTH.

[r] OCCISI SUNT HONORES. Nihil turpius olim, neque indignum magis, quam videre Epiſcopum inter pœnitentes: ideo ait occiſos fuiſſe Epiſcopos quos pœnitentes fecerant. ALBASP.

[ſ] EXTENDISTIS ENIM MANUM. Impoſuiſtis pœnitentiam omnibus, & omnes ordines, Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos, & laïcos verè feciſtis. IDEM.

[t] MORTIFERA. Summum erat ſcelus iis qui nihil commeruerant pœnitentiam imponere: nam erat innocentem reum facere & peccatum illi tribuere. IDEM.

[u] QUATUOR GENERA CAPITUM. Si credamus iis qui ſacrificandi poteſtatem ſacerdotibus & laïcis juxta concedunt, unum tantùm erit capitum genus. IDEM.

[x] NEC UNI PARCERE VOLUISTIS, EVERTISTIS ANIMAS HOMINUM. Tolle mendum nimis quàm manifeſtatium, legendo *animas omnium.* INCERT.

[y] EVERTISTIS. Qui fidelem ex lege Chriſti & ex ejus corpore reſcindit, is ſtatum fidelium evertit. ALBASP.

[z] EVERTISTIS ANIMAS HOMINUM. Corrige cum viro docto *animas omnium*, quale eſt quod & legebatur, *Si unum eſt quod ab hominibus admiſ-*

Ezechiele propheta cùm dicit, *Væ facientibus velamen*, hoc eſt, imponentibus manum *ſuper omnem ætatem ad evertendas animas.* [a] Inveniſtis pueros: de pœnitentia ſauciaſtis, ne aliqui ordinari potuiſſent. Agnoſcite vos animas evertiſſe. Inveniſtis [b] fideles antiquos, feciſtis pœnitentes. Agnoſcite vos animas evertiſſe. Inveniſtis Diaconos, Presbyteros, Epiſcopos: [c] feciſtis Laïcos. Agnoſcite vos animas evertiſſe. [d] Socius & comes veſter jam dudum fuerat, cui nunc manus inferre conati eſtis: pariter currebatis, fac illum peccaſſe, cùm peccatum non eſſe conſtet. Jacebat ut æſtimas: ſi Apoſtolum legiſti, tu vide cui ſtes, & ille cui jaceat: Si ſervus es, dominum recognoſce, & intellige, quia non tibi jacebat, qui tecum paulò ante currebat. Quid in poteſtatem alienam irruis? Quid temerarius Dei tribunal aſcendis? Et cùm ipſe ſis reus, in alterum audes ferre ſententiam? Et legiſti, Qui ſtat, domino ſtat ſuo: Et qui jacet, domino ſuo jacet. Potens eſt autem dominus ejus, ſuſcitare eum. Tu quis es, [1] qui de ſervo alieno judices? Oleum ſacerdoti à Deo collatum, non debuiſſe vos tangere, à puero Dei David diſcere debuiſtis, qui ſic per Samuel ungitur, ut Sauli quod jam dudum datum fuerat, minime tolleretur. Denique vel cùm Deo jubente vel eventu procurante, una eos ſpelunca concluderet: venerat in poteſtatem pueri David Saul, qui peccaverat. [e] Videtur non videns, ideo quod à majori lumine (ut fieri aſſolet) [f] [g] in caligine clauſi aëris, alterum juxta ſe videre non potuit. Innumerabiles antiquum Regem ſequebantur exercitus: ſed ipſe rex in poteſtatem venerat alienam. Occaſionem victoriæ David habebat in manibus: incautum & ſecurum adverſarium, ſine labore poterat jugulare: & ſine ſanguine & conflictu multorum, poterat bellum mutare in cædem. Et pueri ejus & occaſio ſuadebant: Ad victoriam opportunitas hortabatur. Stringere jam cœperat ferrum: ire jam cœperat armata manus hoſtiles in jugulos. Sed obſtabat plena divinorum memoria mandatorum: hortantibus ſe pueris & occaſionibus contradicit, tanquam & hoc diceret: *Sine cauſa me victoria provocas: fruſtra me occaſio in triumphos invitas.* Volebam hoſtem vincere: ſed prius eſt divina præcepta ſervare. *Non*, inquit, *mittam manus in unctum do-*

Ez. 13. 1. Reg. 16. 1. Reg. 24.

PHILIPPUS PRIORIUS.

1. QUI DE SERVO ALIENO JUDICES. S. Hieronymus cùm graviſſimis occuſationibus, iiſque falſis premeretur, ad Aſellam nobilem matronam ſcripſit, quam hiſce calumniis in ſanctũ virum minimè moveri didicerat, cõgratulaturq; quod de ſervo alieno non malè judicaverit Apoſtoli verba uſurpans.

ANNOTATIONES VARIORUM.

titur &c., ubi correximus, *omnibus*. M. CAS.

a INVENISTIS PUEROS. Extremum erat malitiæ genus pueros ac propterea innocentes, & omni lumine vacuos ad pœnitentiam cogere; nam poſt publicam illam pœnitentiam in Clerum adlegi non poterant ampliùs: uti ait, *ne qui ordinari potuiſſent*. ALBASP.

b FIDELES ANTIQUOS. Seniores laïcos, pœnitentiam quamvis nihil peccaſſent, ſubire coëgerant. IDEM.

c EPISCOPOS FECISTIS LAICOS. Epiſcopos Orthodoxos deponebant; hos poſtmodum inter pœnitentes relegabant, & acta pœnitentia laicos faciebant; quod meritò exprobrat Donatiſtis Optatus: nam Epiſcopus olim poterat fieri laicus, ut legimus de Trophimo, ſed hoc non fiebat niſi ob aliquod grave crimen: deinde pœnitentia illi nunquam imponebatur. IDEM.

d SOCIUS ET COMES. Hoc eſt illi Epiſcopi quos pœnitentia ſauciaſtis, erant ſocii & fratres veſtri, qui ſi quid fecerant, erant deponendi, non pœnitentia puniendi, non hoc dedecore afficiendi: oleum enim Dei non eſt violandum. IDEM.

e VIDETUR NON VIDENS &c. Lege disjuncta voce *clauſi oris*. Os autem totam denotat faciem Germanicus de Adraſtæa.

Seraque ab Eccleſiis deſcendens montibus, ore Velato. BARTH.

f IN CALIGINE CLAUSIERIS. Manifeſtum itidem mendum Legit voce disjuncta Fr. Balduinus, *clauſideris*, ſed Barthius emendat *clauſi oris*. Os totam faciem denot. Germanicus Cæſar in ſigno Aſtrææ.

Seraque ab excelſis deſcendens montibus, ore Velato. INCERT.

g IN CALIGINE CLAUSI AERIS &c. Ideo ait Saulem viſum à Davide videre tamen ipſum non potuiſſe, cùm utique in eadem eſſent ſpelunca, quod Sauli à majore lumine oculi adhuc caligarent. Vulgo experimur, ut qui ex apertis in clauſa, &

2. Reg. 1. *mini.* Repreſſit cum gladio manum: & dum timuit oleum, ſervavit inimicum. Et cum compleret obſervantiam, vindicavit occiſum. Vos nec
* forte, cote. Deum timetis, nec fratres agnoſcitis: in corde livoris acuiſtis* novaculas linguæ: & divina præcepta calcantes, miſerorum properaſtis in capita: [h] ut in captivitatem cæcos & imperitos populos, jugulatis ducibus, traheretis. Eſuritis honores innocentium ſacerdotum. Unde furori veſtro tanta fames innata eſt, ut guttura veſtra ſepulchra patentia feceritis. Unicuique ſepulchro ſufficit unum funus, & clauditur: gutturi veſtro honorum funera minime ſufficiunt, & adhuc patent, dum aliquos quæritis devorare. Ut meritò de vobis dictum ſit:
Pſal. 5. *Sepulchrum patens eſt guttur eorum.* Nam & de male-
Rom. 12. dictione præſumitis, cùm ſcriptum ſit, *Benedicite & nolite maledicere.* Quiſquis contra veſtram voluntatem aliquid fecerit, intentatis terrores, maledicta prætenditis. Et quia aliqui homines, plus mali mereri poſſunt, quàm boni, [i] quicquid [k] judicium Dei aut peccati meritum fecerit, amaris veſtris
Pſal. 13. maledictionibus vindicatis: merito, quia de vobis dictum eſt, *Os eorum maledictione, & amaritudine plenum eſt.* Gloriamini quod vobis maledicentibus, aliqui homines mori potuerunt. Certe non licet occidere. An ideo vos putatis innocentes, quia ferro uſi non eſtis? [l] Innocentem ſe & [m] venenarius judicet, ſi in ſolo ferro eſt homicidium. Non ſibi videatur reus, qui alterum ſubducto cibo necaverit. Innocentem ſe judicet, qui ſperandi prohibita facultate, ſuffocaverit vivere cupientem. Necis multa ſunt genera, ſed unum nomen eſt mortis. Maledictionibus tuis cum fiducia hominem mortuum proteſtaris. Quid intereſt an gladio ferias, an lingua percutias? indubitanter homicida es, ſi per te mortuus fuerit qui vivebat. Quiſquis talis ex vobis eſt,
* al. ignorat. fruſtra ſe Chriſtianum aut ſacerdotem Dei profitetur, qui lenitarem Dei* non
Sap. 1. curat, cùm ſcriptum ſit, Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione, juſtorum. Credo vos obliviſci non poſſe, quid per loca aliqua feceritis,

ANNOTATIONES VARIORUM.

tenebricoſa, ſubita migratione deveniunt, claramque lucem obſcuriore aliquo loco repente mutant, illi aliquandiu nihil omnino videant, ut & illis contrà, qui ex denſis tenebris in apertam lucem ſubitò prodeuntes, totum ſimul admittunt Solem, repentino fulgore oculos ad aliquod tempus præſtringi. Ad verba quod attinet, aut ſubaudiendum eſt *veniens*, à majori *veritas* lumine; aut *à maiori lumine*, id eſt, propter majus lumen, præ majori lumine; quod ſcilicet antè paulo oculos ejus implebat, &c. *Clauſi aeris*, ut hic eſt, ferri poteſt, pro quo tamen ſi quis *clauſi antri*, vel *clauſura*, vel tale quid malit, dummodo eadem recidat ego non contenderim. Barthius, inquit vir doctus, emendat, *clauſi oris*. Hoc quoque ferri poteſt, non illud item, quod mox ſubjicit: *Os aliquando totam faciem denotare.* Quorſum enim illud hic? Sane ſi *oris* admittamus, de *ore ſpelunca*: ut in volg. occurrit interdum, non hominis intelligendum eſſe, dubitaturum credo neminem. Sed nec principis editionis contemnenda ſcriptura eſt, *in caligine clauſus*, mox, *potuerat bellum mutare in cadem*, aliæ edit. plenius *pot. b. per compendium mutare in c.* Paulo poſt, *in corde livoris acuiſtis novaculas*: pro quo prima facie, *in corde livoris*, non dubitabam reponendum, ſed jam mihi videtur illud & elegantius & acutius, Mox *in captivitatem trahere*, cum tam clarum ſit, quàm ſi ſolis radio ſcriptum eſſet, quid dicemus illos, niſi nodum in ſcirpo quæſiviſſe, qui *in captivitatem cæcos*, id eſt, prorſus excæcatos, & oculis orbatos ſeu captos, ex Apuleio maluerunt interpretari. M. CAS.

h UT IN CAPTIVITATEM CÆCOS AUT IMPARITOS POPULOS. Vocat *in captivitatem cæcos*, prorſus excæcatos & oculis orbatos ſeu captos. Sic Apuleius, *Defletio ad captivitatem oculis.* INCERT.

i JUDICIUM DEI. Quid ſit vindicare maledictionibus quidquid judicium Dei fecerit, non ſatis intellign. Niſi velit dicere quidquid Deus fieri permiſit contra eorum voluntatem. ALBASP.

k QUIDQUID JUDICIUM DEI &c. Quia, inquit, ita ſolet uſu venire, ut non omnes ſint felices, quidquid è noſtris alicui contingit adverſi, id vos protinus veſtris maledictionibus vendicatis, & aſſeritis, quaſi eorum vi ac virtute contigiſſet. Fecit Albaſp. ut interpretandum putarem, ne valde reconditum quis putaret & obſcurum, quod ipſe profitetur, ſe non intelligere. M CAS.

l INNOCENTEM SE ET VENENARIUS JUDICET &c. *Venenarium* vocat hominem veneficum & pharmacopæum κακῶν τῶν φαρμάκων. quod nomen notandum. Uſitatum non huic ſoli, verùm etiam aliis non de plebe ſcriptoribus, Tertulliano, Julio Firmico, ipſi denique Suetonio. INCERT.

m VENENARIUS. Hominem dicit veneficum κακῶν φαρμάκων conditorem. Venenatores eloquentiſſimus ævi ultimi ſcriptor Saxo Grammaticus dixit, ut à nobis infrà his libellis docebitur. BART.

cùm

cùm eos, qui legem Dei prædicabant, id eſt, Prophetas, velletis occidere contra juſſionem Dei dicentis, *Et in Prophetas meos manum ne miſeritis.* Deuterium, Partenium, Donatum, & Getulicum, Dei Epiſcopos, linguæ gladio jugulaſtis, fundentes ſanguinem non corporis, ſed honoris. Vixerunt poſtea homines, ſed à vobis occiſi ſunt in honoribus Dei ſacerdotes. Multis notum eſt & probatum, perſecutionis tempore Epiſcopos aliquos, [n] inertia à confeſſione Dei delapſos thurificaſſe, & tamen nullus eorum qui [o] evaſerunt, [p] aut manum lapſis impoſuit, [q] aut ut genua figerent, imperavit. Et facitis vos hodie [r] poſt unitatem, quod à nullo factum eſt poſt thurificationem: quia ſcriptum eſt, *Ne tetigeritis unctos meos, neque in Prophetas meos manum miſeritis.* Oleum ſuum defendit Deus, quia ſi peccatum eſt hominis, unctio eſt tamen divinitatis. *Ne tetigeritis* (inquit) *unctos meos*: Ideo, ne dum peccatum hominis percutitur, & [ſ] oleum, quod Dei eſt, feriatur, Judicio ſuo Deus ſervavit rem ſuam, & tamen vos paſſim irruiſtis in alienam, corrumpentes omnium fœlicitatem. [t] Nam quæ major infœlicitas, quàm Dei ſacerdotes vivere, nec, eſſe quod fuerant? matronæ, pueri ſimul & virgines, à vobis coactæ, nullo interveniente peccato, ſalva innocentia & pudicitia, vobis docentibus pœnitentiam gerere didicerunt. Nunquid minor eſt infœlicitas? [u] contritas ſexu vexaſtis ætates? Vere de vobis dictum eſt, *Contritio & infœlicitas in viis eorum, & viam pacis non cognoverunt: Non*

Psalm. 104.

* forte, unctionem.

ANNOTATIONES VARIORUM.

n INERTIA. Inter tormenta Chriſtum negaſſe. AL.

n INERTIA A CONFESSIONE DEI DELAP. &c. Verbum hoc *inertia* non pro atrocitate criminis, quo vix nullum majus, ſi ut vulgo, accipias. Sed *inertiam* hîc vocat Optatus, metum mortis, & amorem mundi, & temporalis tranquillitatis; quæ ſanè verè, *inertis* & ignavi propria: unde & in N. T. *δειλοὶ* meticuloſi, timidi, & *ἄπιστοι* infideles conjunguntur, & ab hæreditate cœleſti cum cætera peccatorum colluvie excluduntur: Apocal 21. 8. Magni enim & generoſi animi eſt, eſſe Chriſtianum. Quo fortaſſe & illud pertinet, quod Hebræi dicunt אין בור *Nullus nebulo*, עם הארץ חסיד ירא חטא ולא (fatuus ſtolidus) *timet peccatum: nec idiota* (hebr. populus terræ) *quiſquam pius*: ex פ א quæ vulgo *capitula patrum*. Sed & Hebr. 6. 11. & 12. ſines & inertes eis opponuntur, qui in fide ad finem uſque perſeverant, neque dubitavit beatus Chryſoſtomus infaudam Judæ proditionem ipſius inertiæ *καὶ ῥᾳθυμίας* uni adſcribere, *τοσοῦτον ἡ ῥᾳθυμία κακόν*, ut eleganter ibi concludit tom. 5. pag. 36. Idem Beatus pater, *ὅτι ἐκ ῥᾳθυμίας ἡ κακία, καὶ ἀπὸ σπουδῆς ἡ ἀρετὴ*, fusè tuetur ac diſputat tom. 6. 844. &c. ſupra lib. 1. eadem de re, *ut damno æternæ vitæ iſtius incertæ lucis, moras breviſſimas compararent* &c. Quod igitur priùs amori, ſtudioque præſentis hujus vitæ, hic inertiæ imputat, ut etiam Q. Curtius, *Pigros*, &, *Qui diuturnam vitam unicum bonum æſtimant*, conjunxit. *Quanquam ne pigri quidem ſibi fata diſponunt, ſed unicum bonum diuturnam vitam æſtimantes, ſæpe acerba mors occupat.* de geſt. Alex. lib. 9. mox *qui evaſerunt*, i. qui tentationi ſeu perſecutioni non ſuccubuerunt, qui *ſteterunt*. Ita enim ſolet ſanctus Cyprianus, *ſtantes* lapſis opponere. M. CAS.

o EVASERUNT. Ii qui Chriſtum non negarunt. ALBASP.

p AUT MANUM LAPSIS. Pœnitentiam lapſis non impoſuiſſent: nuſquam enim reperies neque in Ancyrano, neque in Eliberino pœnitentiam Epiſcopis impoſitam, immo contrarium legitur de Trophimo & de Marcellino. IDEM.

q AUT UT GENUA FIGERENT. Aut ut publicè errorem ſuum deteſtarentur: pœnitentes enim coram omnibus genua figebant, & in porticus Eccleſiæ tranſeuntes genibus flexis orabant, ut Deum & Eccleſiam pro ſe exorarent. Tertullianus *Caris Dei adgeniculari, Presbyteris advolvi*: Quò reſpexit Optatus. IDEM.

r POST UNITATEM. Poſt unitatem à Macario factam: poſtquam crudelem in Epiſcopos vindictam exercebant Donatiſtæ tanquam in eos quorum impulſu ea facta eſſet. Ait igitur Donatiſtas graviùs puniiſſe Epiſcopos qui unitatem procurarunt, quàm olim Eccleſia in lapſos animadverterat & in eos qui fidem pejeraſſent. IDEM.

ſ OLEUM QUOD DEI EST FERIATUR. Oleum feriebatur, quia dignitas ſacerdotalis ludibrio habebatur. ALBASP.

t NAM QUÆ MAJOR INFELICITAS. Ita legendum, *Neque major infelicitas*. Cum vulgò peſſimè coaluerint voces etiam *nec eſſe*. Id quod videre, cuivis pronum. BARTH.

u CONTRITAS SEXU VEXASTIS ARTES. Aut cum aliis editionibus legendum, *Nunquid minor eſt infelicitas, contritas* (lege *cum contritas*, ut ſuprà *compreſſit* pro, *cum preceſſit*:) *ſexu vexaſtis artes? verè* &c. Aut ſi illud, *Nunquid min. eſt inf.* ad ſuperiora pertinet, ſcribendum hic; *contritas ſexu vexaſtis ætates, verè* &c. Sed quid hoc, contritas ſexu ætates an ſubaudiendum aut reſtituendum, *utriuſque*, & leg. *contritas utriuſque ſexus v. æt.* Ætates ſive ſeorſim capias, ſive cum *contritas* conjunges, eleganter ponitur pro ſenibus, ſeu perſonis ſenio confectis: ut, ædium ſenectutem, & ædium ætatem, promiſcuè uſurpata reperias. Atqui jam virginum & matronarum, in ſuperiori periodo meminerat, an igitur hic iterum *ſexus utriuſque?* an potiùs *ſenum: contritas ſenum u.* ut ante aliquot pag. *Inveniſtis fideles antiquos* &c.

SANCTI OPTATI AFRI, MILEVITANI EPISCOPI, DE SCHISMATE DONATISTARUM, *ADVERSUS PARMENIANUM,*

LIBER TERTIUS.

SATIS [a] ut arbitror, in ſecundo libello de Eccleſia quæ ſponſa eſt Chriſti, & de ejus dotibus, & de hęreditate diximus Salvatoris: conſequens eſt, primò ſchiſmaticorum errores oſtendere. Deinde, quę fuerit cauſa, ut [b] unitas fieret. Tertiò, quę fuerit, ut miles mitteretur armatus. [c] Ab [d] operariis unitatis multa quidem aſperè geſta ſunt, ſed ea ad quid im-

ANNOTATIONES VARIORUM.

a SATIS UT ARBITROR IN SECUNDO LIB. In aliis editionibus ita incipit hic liber; *Ex iis quibus putant aliqui unitati faciendum eſſe convitium, ſatis ut arbitror* &c. quæ cùm nullo modo cohæreant, quin ſpuria ſint, & irreptitia, & à Balduino meritò expuncta, nullus dubito. Quare non erat quod hujuſmodi laciniis hinc inde corraſis Balduinianam contaminarent editionem nuperi editores: unde & impurum illud gloſſema in fine præcedentis libri, *cervicalia id eſt membra cervicis*, quod invito Balduino in textum Optati quaſi poſtliminio reduxerunt. Sed quo res ſit extra controverſiam & ut contentioſis os obſtruamus, etiam depravationis origo nobis indicanda eſt. In Editione Germanica Cochleana, cuique libro (primo excepto) præfixa ſunt argumenta, quæ parum abeſt quin Optati ipſius eſſe credam: antiqua certè ſunt. Hujus autem tertii libri argumentum ita conceptum eſt, *Hic tertius liber continet quatuor cauſas, quibus effectum eſt ut non ſine aſperitate unitas fieret. Primam quòd Baſilicas ſchiſmatici non neceſſariò fecerint. Secundam, quòd Donatus Carthaginenſis provocavit, ut unitas fieret. Tertiam, quod Donatus Bagaienſis Circumcelliones coegit, ut unitatis operarios impediret. Quartam ſine voluntate Dei nihil eſſe factum*, ſequi debebat *ex iis quibus putant aliqui unitati faciendum eſſe convitium*. Sed id ſequentis initio libri malè aſſutum eſt. Quod factum ne quis miretur, etiam quinto libro in eadem editione ſimile contigit. Ut enim hic pars argumenti cum ſequentis libri initio malè coaluit, ita & illic ex initio libri plures lineæ argumento acceſſere, quæ ſuo loco deſiderantur; ab his enim liber incipit, *In qua re qua nunc agitur Quæſtio* &c. Cætera quæcunque præcedunt, ab argumento libri repetenda ſunt. Sed & illud non prætermittam Fulgentium Afrum, & Optati, quod ex ipſo liquet, valdè ſtudioſum, iiſdem planè quibus hinc orditur Optatus, ſecundum ad Monimum librum verbis auſpicari; *Satis, ut arbitror, Monime Chariſſime* &c. M. CAS.

b UNITAS. Ut plebs Donatiſtarum ad Eccleſiam adduceretur, Concilium Cartha. 1. *Ut in ejus gremium erigeret univerſa membra diſperſa: qui imperavit Reli. Conſtant. Imperatori ut votum gereret unitatis operarii unitatis*: Macarius Paulus Tauſinus, & Lentius in eodem Concilio, *& mitteret miniſtros ſancti operis famulos Dei Paulum & Macarium*. ALBASP.

c AB OPERARIIS UNITATIS MULTA QUIDEM ASPERA FACTA SUNT. Nos hodie *operariorum* vocabulo mechanicarum artium diſcipulos appellamus, qui in quâque experimenta ſua facere neceſſe habent & per annos certos exercere, priuſquam ad titulos artificum venire poſſunt. At Optatus *operarios* vocat *adminiſtros unitatis*, cujus vocis exempla vide ſupra & nos ex auctore ipſo auctorem interpretari. ALBASP.

d AB OPERARIIS INIQUITATIS. Operarios vocat adminiſtros unitatis, cujus vocis exempla in ſequentibus videbis, & nos ex auctore ipſo auctorem interpretari. *Operarii templi*, qui ædificando adſunt: Apud Angelomum in 3. Regum c. 5 Ope-

putatis [a] Lentio, Maçario, vel Taurino? imputate majoribus veſtris: qui (ſicut in Propheta ſcriptum eſt) ut vobis ſtupeſcerent dentes, ipſi uvas acidas comederunt. Illis primò, qui populum Dei diviſerunt, & [e] Baſilicas fecerunt non neceſſarias. Deinde Donato Carthaginis, qui provocavit, ut unitas proximo tempore fieri tentaretur. Tertio Donato Bagaienſi, qui inſanam collegerat multitudinem, à qua ne Macarius violentiam pateretur, qui ad ſe, & ad ea, quæ ferebat tutanda, armati militis poſtulavit auxilium. Venerunt tunc cum pharetris armigeri, repleta eſt unaquæque civitas vociferantium: nunciata unitate, fugiſtis omnes. Nulli dictum eſt, *Nega Deum* [f] Nulli dictum eſt, incende teſtamentum. Nulli dictum eſt, *aut thus pone*, aut *Baſilicas dirue*. Iſtæ enim res ſolent Martyria generare. Renunciata eſt unitas, ſola fuerant hortamenta, ut Deus & Chriſtus ejus, à populo in unum conveniente, pariter rogaretur. [g] Nullus erat primitus terror. Nemo viderat virgam: nemo cuſtodiam: ſola (ut ſuprà diximus) fuerant hortamenta. Timuiſtis omnes, fugiſtis, trepidaſtis: ut pro certo de vobis dictum ſit, quod in Pſalmo ſcriptum eſt, *Trepidaverunt ubi non erat timor*. Fugerunt igitur omnes Epiſcopi cum Clericis ſuis, aliqui ſunt mortui. Qui fortiores fuerunt, capti longe [h] relegati ſunt. Et tamen horum omnium nihil actum eſt [i] cum voto noſtro: nihil cum conſilio, nihil cum conſcientia, nihil cum opere. Sed geſta ſunt omnia in dolore Dei, amarè plorantis, & [k] in ultionem aquæ, [l] quam contra interdictum iterum moviſtis: traducentes ad

PHILIPPUS PRIORIUS.

1. LENTIO, MACARIO, VEL TAURINO? Conqueſti ſunt Donatiſtæ, quòd armatis militibus eorum uterentur adverſarii, hoc eſt Catholici: Quoniam qui præfecti, ſeu legati mittebantur, conſpecta eorumdem pervicacia, ad arma recurrebant, unde Eccleſiam Catholicam, Macarianam à Macario legato vocabant, & Macariana tempora tanquam crudelia & odioſa, objiciebant: falſam verò eorum eſſe criminationem ex eo probatur, quòd ſi Præfecti capitali animadverſione uſi ſunt aliquando, tribuendum non ſit crudelitati, ſed eorum contumaciæ & factionibus: Id enim præſtare Macarius coactus eſt, ne ſibi vis inferretur a Donato Bagaienſi. Nota eſt etiam Donati Carthaginenſis protervia in in eumdem Macarium, unde à Comite, ut vim vi repelleret, milites poſtulavit.

ANNOTATIONES VARIORUM.

ratot. Hiſtoria Damaſceni. Olera enim fuerunt cruda, quorum ſenex ipſe operator, & cultor fuit. Operari eſt opus facere. Garioponius lib. ii. c. 13: Iis verò contingit qui Metallica operantur, aut ex pulvere, aut ex fœtido odore &c. Operatrix apud Prudentium Trecenſem. Licet eo vocabulo, nobis hodie appellare, Mechanicarum artium diſcipulus, qui in quàque experimenta ſua facere coguntur, priuſquam ad titulos vel nomen aliquod in iiſdem veniant, ad alios erudiendos. BARTH.

e BASILICAS FECERUNT NON NECESSARIAS. Non neceſſe erat colligere populum in aliis Baſilicis: nam Orthodoxorum Baſilicæ ad id ſufficiebant. ALBASP.

f NULLI DICTUM EST. Macarii expeditionem & unitatem quam fecerat, perſecutionem; eoſque qui in illo tumultu interierant Macarios vocabant Donatiſtæ, quod ut refellat, ait Optatus nulli Macarium dixiſſe ut thus adoleret, quod in perſecutionibus Chriſtianis imperabatur. IDEM.

g NULLUS ERAT PRIMITUS TERROR. Non venerat Macarius ut terrorem incuteret, ſed ut dona ferret: plebem non armis, ſed hortamentis & precibus ad unitatem cogebat. IDEM.

h RELEGATI. Donatiſtarum Epiſcopi. IDEM.

i CUM VOTO NOSTRO. De Concilio noſtro ea acta non fuerunt. IDEM.

k IN ULTIONEM AQUÆ. Deus volebat ulciſci per Macarium quæ contra ejus baptiſmum facitis. IDEM.

l QUAM CONTRA INTERDICTUM ITERUM MOVISTIS. Ad plura S. Scripturæ loca ſimul alludit his verbis Optatus. Ad S. Evangeliſtæ narrationem haud dubiè, & principaliter Joan. c. 5. Sed etiam ad illa Prophetæ Eſaiæ, quæ poſt pauca profert, ubi de antiqua piſcina, quod huc tranſtulit. Quod ait *contra interdictum*, idem valet atque illud quod antea dixerat, *contra leges* lib. 1 ad illa reſpiciens, *Qui ſemel lotus eſt, non habet neceſſitatem iterum lavandi*, ut ibi docuimus. Niſi fortaſſe de piſcina eadem hoc quoque, quaſi nefas ab Angelo pluſquam ſemel eam moveri, aut ab eo ſemel motam, ſi non nefas, ſtultum tamen & inane à quoquam iterum moveri. Cæterum illam piſcinam Bethſaidæ figuram fuiſſe baptiſmatis, etiam aliorum fuit opinio. Vide Tertull. de Baptiſmo c. 5. & 6. Quod hinc autem de piſce colligit Optatus, inde profectum videtur, quod *piſcinam* priſca ſignificatione acceperit, pro piſcium vivario, ut loquitur Plinius, non pro mera κολυμβήθρα, quamquam & illud quoque pro ἰχθυοτροφεῖον uſurpetur: ſeu aquarum ad uſum, ſeu alium quem, ſeu natationis inductarum invectarumque loco, quæ poſtea frequens, & uſitata verbi notio fuit. M. CAS.

vos aquam antiquæ piſcinæ: ſed neſcio an cum illo [m] piſce, qui Chriſtus intelligitur: [n] qui in lectione Patriarchę legitur in Tigride flumine prehenſus, cujus fel & jecur tulit Tobias, ad tutelam fœminę Sarrę, & ad illuminationem Tobię non videntis: Ejuſdem piſcis viſceribus Haſmodęus dęmon à Sara puella fugatus eſt (quę intelligitur Eccleſia) & cęcitas à Tobia excluſa eſt. [o] Hic eſt piſcis, qui in baptiſmate per invocationem fontalibus undis inſeritur, ut quæ aqua fuerat, à piſce etiam piſcina vocitetur. Cujus piſcis nomen ſecundùm appellationem Gręcam, in uno nomine per ſingulas literas turbam ſanctorum nominum continet, [s] ΙΧΘΥΣ quod eſt Latinè, JESUS CHRISTUS DEI FILIUS SALVATOR. Hanc vos piſcinam, quę in omni catholica per totum orbem terrarum, ad vitam generis humani, ſalutaribus undis exuberat: traduxiſtis ad voluntatem veſtram, & ſolviſtis ſingulare Baptiſma, ex quo Baptiſmate homines muri facti ſunt ad tutelam: & feciſtis quaſi [p] alteros muros, nullum novum ædificium facientes non potuiſtis conſtruere, niſi diruerctis. Et quale poteſt eſſe ædificium, quod [q] de ruina conſtruitur? Hanc rem per Eſaiam Prophetam Deus dolet & flet cùm dicit filiam ſui generis eſſe contritam: [r] genus Dei eſt, non ha-

PHILIPPUS PRIORIUS.

I ἰχθὺς QUOD EST LATINE &c. Acroſtichium iſtud è Sibyllinis eſt oraculis, Solitas enim eſſe vaticinationes ſuas per acroſticha edere, Teſtatur Tullius 2. de divinatione. Per ἰχθὺν verò ſignificari Chriſtum Dominum quomodo explicat Optatus, docet S. Auguſtinus de civ. Dei lib. 18. cap. 23. S. Proſper quod ea de re ſcribit ab eodem Auguſtino hauſerat, qui ſæpe Chriſtum vocat piſcem. Neque etiam dubito, quin ad hoc reſpexerit Clemens Alex. ſtrom. 1. ſcribens ἐν πολλοῖς γὰρ τοῖς μαργαρίταις τοῖς μικροῖς, ὁ εἷς, ἐν δὲ πολλῇ τῇ τῶν ἰχθύων ἄγρᾳ, ὁ καλλίχθυς. hoc eſt, *In multis enim gemmis & parvis una eſt, in captura autem piſcium unus eſt, ſacer piſcis*. Is quippe piſcis teſte Athenæo, lib. 7. cap. 5. Callionymus dicebatur. Porro quod latinè hic habet, grecè eſt Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ υἱὸς σωτήρ. ut fiat ἰχθὺς per acroſtichium.

ANNOTATIONES VARIORUM.

m PISCE. Cum Chriſto: hoc eſt, neſcio an quos baptiſatis, renaſcantur Chriſtiani. Tertull. *Sed nos piſciculi ſecundum ἰχθὺν, noſtrum Ieſum Chriſtum in aquis naſcimur*: cæterùm legendum *invocationem* non *intinctionem*, Tertull. ALBASP.

n QUI IN LECTIONE PATRIARCHÆ LEGITUR. Aliæ Editiones pro *Patriarcha* exhibent *Patriarcharum*: hoc uno differunt. Quid autem per lectionem *Patriarcha*, aut *Patriarcharum* velit Optatus, haud facile divinare. Tale aliquod ſcriptum, neque olim extitiſſe puto, neque hodie, quod ſciam, uſpiam eſt. Commentitium & pſeudepigraphum quoddam ſub 12. patriarcharum nomine Teſtamentum, in Bibliotheca Patrum vidiſſe aliquando memini. Non enim dignum videbatur, quod legeretur; Etſi non ignorem tale quid jam olim extitiſſe. Sed quum totum hoc quod hîc narrat Optatus, ſit in Tobia, cur teſtes aliunde conquireret? Non alium igitur quam ipſum Tobiam hîc laudari, planè perſuaſum habeo. Quàm recens ſit inventum, Sacræ Scripturæ in capita & verſiculos, ſive lectiunculas tributio, qua nunc omnes utimur, nemo opinor tam parum verſatus in veterum ſcriptorum libris, qui non animadverterit. Cùm igitur illi, non per numeros, ut nos ſolemus; aut ſectiones ipſius Script. præterquam in Pſalmis, ſed alius aliter, multi autem per ipſas materias, aliquot ſubinde ex ipſo contextu ſacro verba proferentes, locum quem vellent, indicarent; puto etiam fuiſſe qui quaſi capitula quædam, ex præcipuis verbis, & memoratu digniſſimis, quæ hinc illinc commodè excerpebant, conficerent, atque eo pacto libros in partes diſtinguerent. Quod igitur hujus Tobiæ partis, quam nos hodieque capite ſecernimus, maximè ſingulare videretur illud, quod Patriarcharum ſit in ea mentio, etiam Patriarchæ nomen, ſive Patriarcharum, integræ ſectioni, ſive capiti adhæſit. Non igitur aliud hoc loco, ſive Optatus, ſive Optati Lector, (qui in ora fortaſſe libri ſui notaverat, quod poſtea in ipſum contextum receptum eſt) vult, opinor quam illum Tobiæ titulum, ſeu ſectionem indicare, qua narratio illa piſcis in Tigride flumine prehenſi continetur, quod nos hodie diceremus, *Tobiæ ſexto cap.* Quod ſequitur *Ejuſdem piſcis viſceribus* &c. Illud *ejuſdem*. non eſt cum ſuperioribus connectendum, quaſi novum quid de *eodem* piſce hoc poſteriore membro narraretur; cùm enim eadem prorſus quæ antea repetat, manifeſtam tautologiam commiſiſſet; Sed *ejuſdem* valet *unius ac ejuſdem*. Repetit autem paulum immutatis verbis, ut in rei admirandæ meditatione, lectorem moretur aliquamdiu, ac detineat, Quare placet, ut hinc quoque nova periodus, ſcripto poſt *videntis* pleno puncto, incipias. M. CAS.

o HIC PISCIS, QUI IN BAPTISMATE PER INVOCATIONEM &c. Fr. Balduini editio 2. *per invocationem*. Sed Barthium cur non audiamus? Emendantem *per intinctionem* ex lib. 5. INCERT.

p ALTEROS MUROS. Chriſtiani ſunt templa Dei; vos facitis alia templa. ALBASP.

q DE RUINA CONSTRUITUR. Tertull. *Quoniam & ipſum opus eorum non de ſuo proprio ædificio venit, ſed de veritatis diſtinctione noſtra ſuffodiunt ut ſuos ædificent*. IOAN.

r GENUS DEI EST NON HABERE GENUS. Elegantiſſimi acuminis eſt, quod acutius dictum,

bere genus, qui ex ſe eſt, & manet in ęternitate. ſ Similis eſt & aqua, quam legimus, in cujus aquę injuria, indicat Deus lachrymas ſuas quas vos feciſtis: quas teſtatur nulla poſſe conſolatione ſiccari, cùm ad vos loquitur, dicens, *Miſſum me facite, amarè plorabo: Nemo poterit conſolari in contritione filiæ generis mei.* Hoc loco defenditur innocentia noſtra, cùm Deus cum dolore iracundiam vobis indicat ſuam: dum & cauſas prodit, & rationes

ANNOTATIONES VARIORUM.

quodque cum re ipſa tam ſit conveniens toto Optato nullum reperiri arbitror. BARTH.

ſ SIMILIS EST ET AQUA QUAM LEGIMUS. Optato propoſitum hic eſt, ut Eſaiæ Prophetæ verba de Deo ſuper *contritione filiæ ſui generis* conquerente, (poſtea integrum locum prolixè citat:) ad quam pertinere, perſuadeat. Quod ut aſſequatur, ex ipſis Prophetæ verbis, (cum Optato loquor, nam Hebræa quomodo habeant, aut hic aut alibi, non monendus eſt nobis lector,) hoc ducit argumentum. Propheta inducit Deum ſuper *filia ſui generis* conquerentem. Dei autem genus eſt, non habere genus. Conſequens erat ut idem hoc & *aquæ* convenire probaret. Quod ſanè ab Optato non prætermiſſum eſt, neque omnino potuit. Quali tamen argumento uſus fuerit, vix ac ne vix quidem ex hac editione ſubolfacias. Balduinus enim (ſi tamen Balduinus:) malos chirurgos hic imitatus, cùm locum peſſimè affectum ſanare non poſſet, cutem tamen ita induxit, ut leviter inſpectantibus, nulla de interno vulnere ſuſpicio oriretur. Priores autem editiones ita repræſentant: *Similis eſt & aqua, quam non legimus in cujus aqua injuria*, &c. ex quibus facilè eſt reſtituere, quod & requirit ſententia. & ab Optato ſcriptum fuiſſe, res ipſa clamat. *Similis aqua, cujus non legimus genus. In cujus aqua incuria*, &c. Affinitas τοῦ genus cum ultimis præcedentis vocis ſyllabis, cauſa, ut ſolet, ejus omittendi fuit; quo ſemel omiſſo, ut aliqua tamen ſententia, aut ſi non ſententia ſaltem lœnitas exprimeretur, pro *cujus* factum, *quam*, poſtea cùm illud *non* ſententiæ obeſſe videretur, & qualiſcunque ſententia, quam nulla placeret, etiam & illud de ſede ſua deturbatum & expulſum eſt. Ad rem ipſam quod attinet, neſcio an ſit alicujus momenti dicere, aquam ἀρχὴν τῶν πάντων apud Diogenem Laert. à Thalete Philoſopho conſtitui, aut Plutarchum de Iſide, & Oſyride commemorari, etiam Homerum ita crediſſe, & utrumque affirmare ex Ægyptiorum Philoſophia hauſiſſe. De Thalete teſtatur etiam Ambroſius, ad ridiculum illud *aquam à quo omnia*, ut videtur alludens initio Hexam. *Qui cùm ex aqua nomen acceperit, non putavit tamen dicendum, quod ex aqua conſtarent omnia, ut Thales dixit.* Illud noſtra magis refert, & Optati, fuiſſe olim, qui tale quidquale videtur Optatus hic innuere, ex creationis hiſtoria colligerent; aquas nempe, quod earum creationis Scripturæ diſertis, ut illis colligebant, verbis, non meminiſſent, *ante omnia*; imo æternas, *Deo coæternas fuiſſe.* De primo vetus auctor, qui Junilii nomine circumfertur, in Geneſim Pariſienſis edit. 1556. fol. 41. *Neque enim aquas ad omnia* (lege ante omnia) *factas credere fas eſt. Quod etſi hic ſcriptura palam non dicit*, creatas ſcilicet aquas, eſſe, cũ & cætera creata ſunt; unde contra ſentientibus os obturari poſſit: *palam tamen ſignificat, cum has à Deo illuſtratas atque ad uſum eius ordinatas inſinuat. Sicut & Pſalmus dicit apertè*, &c. Idem videtur Optatus dicere lib. 6. *O aqua quæ dulcis à Deo creata es ſuper quam ante ipſius natalem mundi ſanctus Spiritus ferebatur*, &c. Sed fortaſſe non aliud eo loco voluit Optatus, quàm quod Tertullian. de Baptiſmo lib. 3. ubi inter cætera, quæ in laudes aquarum comminiſcitur, etiam inde celebrat, quod in *Chaos* illius unde mundi *digeſtus* poſtea, pars illæ fuerint, nec pars tantum, ſed præſtantiſſima pars, & ſola conſummata & perfecta: terram enim & cœlum, & reliqua adhuc omnia informia, & inculta fuiſſe; aquis autem nihil defuiſſe, quo magis ornarentur, aut perficerentur, ſed in primo creationis ſtatu permanſiſſe. Ita intelligo Optatum cùm ait aquas *ante ipſius natalem mundi* extitiſſe, ut *mundus* hic propriè κόσμος ſit, ſive mundus digeſtus & ornatus, quod Tertullianus *mundi ſuggeſtum* appellat. Ante hunc mundi ſuggeſtum, neque mundus neque κόσμος propriè: ſed merum chaos, rudis, indigeſtaque moles, ut Poeta loquitur. Aquæ igitur ante mundum; nec tamen increatæ. Aliquanto plus difficultatis, in hoc altero Optati loco, quòd cùm comparationem Dei & aquæ, ad genus quidem quod attinet, ſubtiliter inſtituit, *æternitatis Dei* dum meminit, æternam quoque ſive *coæternam* aquam ab eo conſtitui, propoſitæ comparationis ratio requirere videatur. Nam & illud ex ipſa Moſis hiſtoria quondam fuiſſe qui colligerent, ſatis innuit Auguſtinus; cujus verba quod noſtram correctionem maximè confirment, ſubjiciam. Confeſſ. lib. 12. c. 22. *Unde ſi aliquid Geneſis tacuit Deum feciſſe, quod tamen Deum feciſſe, nec ſana fides nec certus ambigit intellectus; nec ideo ulla ſobria doctrina dicere audebit, iſtas aquas coæternas Deo, quia in lib. Geneſeos commemoratas quidem audivimus, ubi autem factæ ſunt non invenimus: Cur non informem quoque illam materiam* &c. Hoc idem Eucherius Lugdunenſis Epiſcopus (fidem ſequor antiquiſſ. ac omnium primæ editionis,) difficill. quæſt. in Geneſim q. 3. ſed verbis tam expreſſis & appoſitis, ut clariorem aliunde lucem huic Optati loco fœnerari minimè neceſſe ſit. Ita igitur ille, antiquiſſ. illius edit. f. 25. *Aquas ubi legimus* τὸ *legimus*, ut & proximum *lectionis* diligenter obſervari velim, *à Deo factas? Etſi factas eas in exordio creaturarum non evidenter divinæ lectionis textus expreſſit, à Deo tamen facta ſunt* &c. Quid ſi igitur & Optatus ſcripſerit, [quod tamen eò planè redibit] *quam non legimus à Deo factam?* Haud dubium autem poſtrema Optati verba, quæcunque fuerint, quod humilior eorum ſententia videretur, ab aliquo eraſa & expuncta eſſe. Quod ſæpe in veterum ſcriptis accidit. Sed quum hanc rem non hîc ex propoſito tractet Optatus, condonandum ipſi eſt, ſi φιλονείκως ἀσκέπτως, minus cautè locutus ſit; quemadmodum & multa alia, vel in optimis ſcriptoribus, haud ferenda tamen alioquin, interdum toleramus, & excuſamus. Nam rectè ipſum ſentiſſe, cum nemo eo nomine heterodoxias illi dicam impegerit, notatis tamen illis, & in ſenſum hæreticorum ab Auguſtino de hæreſib. c. 75. & aliis relatis, qui hoc idem aquas nempe à *Deo non eſſe creatas*, ſed *ipſi Deo coæternas*

oſtendit. [l] Denique non ait, in Sion, ſed in una ejus valle ſunt celebrata: Non in illo monte Sion; quem in Syria Paleſtina à muris Hieruſalem parvus diſterminat rivus. [i] In cujus vertice, eſt non magna planities, in quâ fuerant ſeptem Synagogæ, ubi Judæorum populus conveniens, legem, per Moyſen datam, diſcere potuiſſet: ubi nulla lis audita eſt, nec ab aliquo celebratum judicium, nec aliqua eſt illic ab ullo judice lata ſententia: quia locus erat doctrinæ, non controverſiæ. Poſt doctrinam, ſi quid agendum erat, intra muros Hieruſalem agebatur. Inde ſcriptum eſt in Eſaia Propheta, *Ex Sion prodiet lex, & verbum domini de Hieruſalem.* Non ergo in illo monte Sion Eſaias aſpicit vallem, ſed in monte ſancto, qui eſt Eccleſia: qui [n] per omnem orbem Romanum, caput tulit ſub toto cœlo. In quo monte à

PHILIPPUS PRIORIUS.

1. IN CUJUS VERTICE EST NON MAGNA PLANITIES. De monte Sion hic loquitur, & ſynagogis de quibus S. Epiphanius, lib. de ponderibus & menſ. ubi Ælii Adriani conſilium refert, de inſtauranda Hieroſolyma, quam de ſuo nomine Æliam vocavit. Exiguum admodum ibi fuiſſe Chriſtianorum templum memorat, in quadam Sionis parte vicina extructum, quod excidio & direptioni ſuperfuerat, cum ſeptem ſynagogis, quæ quaſi cellulæ erant ac tuguriola, quarum etiam una ad uſque tempora Conſtantini Magni, & Maximonæ Epiſcopi duravit. καὶ ἑπτὰ συναγωγαὶ αἳ ἐν τῇ Σιὼν μόναι ἑστήκεσαν, ὡς καλύβαι, ἐξ ὧν μία περιελείφθη ἕως χρόνου Μαξιμωνᾶ τοῦ ἐπισκόπου καὶ Κωνσταντίνου τοῦ βασιλέως.

ANNOTATIONES VARIORUM.

eſſe, aſſerebant, quis omnino poteſt dubitare? ſed neque omnia in his comparationibus nimis moroſè ſunt exigenda. Et ſi enim cùm *Deus genus non habere* dicitur, æternus intelligitur; ſatis tamen ad inſtitutam comparationem, ſi aquas quocunque modo *genus non habere* probet Optatus, quod vel ita poteſt intelligi, ut quemadmodum Melchiſedec Chriſti typus fuiſſe à multis creditur, non quod revera ἀπάτωρ & ἀμήτωρ fuerit, ut antea dicebamus; ſed quod ejus progenies non enarrata ſit, ita & aquæ ideo *genus non habere* dicantur, quod earum creationis exertè & nominatim Scriptura non meminerit: vel ita ut ideo *genus non habere* dicantur, quod primæ illius materiæ ex nihilo creatæ, ex qua cetera quæcunque formata ſunt, pars fuerint; ut modo ex Tertulliano, & altero Optati loco diſſerebamus, quæcunque autem ex nihilo creata ſunt, *genus non habere*, rectè dici poſſunt. Etiam illud monebo Lectorem, elegantiarum latini ſermonis non incurioſum, quod Optatus proximis verbis *aqua* repetat, cùm pronomen ſufficere potuerit (quæ Hieronymum alicubi, ſed immerito Ruffinum inceſſendi materia fuit:) id Optatum more ſuo facere, & habere ſui moris auctorem, & aſſertorem locupletiſſimum, eloquentiæ, & omnis humanioris literaturæ, inter Latinos facilè principem M. T. Ciceronem. Ita pauló antè: *Solviſtis ſingulare baptiſma, ex quo baptiſmate* &c. lib. 2. *Quem precibus rogaſtis ut reverti poſſetis: quas preces* &c. & eodem lib. *Peſtilentia enim morbis extinctos homines ad inferos mittit. Qui inferi portas ſuas habere noſcantur. contra quas portas* &c. Quomodo ita ſæpe loquitur, ut potius affectaſſe, quam imitatus eſſe videri poſſit. Atque hoc ut hic monerem eo libentius à me factum, quód cùm hoc ipſo loco aliquid ſupplere, neceſſarium fuerit; minimum tamen eſſe, quod deerat, ex ipſa verborum ſerie & proprietate locutionis, quam amat Optatus, lector intelligeret; atque ex illo quoque conjecturæ noſtræ aliquod pondus accederet. Sed nec illud diſſimulabo, in primâ omnium editione Cochleana, hunc locum ita ſcribi, *ſimilis eſt & aqua, quam modo legimus* &c. quod erunt fortaſſe qui maline retinere, ut nempe τὸ *legimus*, non ad creationis hiſtoriam, ſed ad Prophetæ verba modò citata pertineat. Utcunque leges idem tamen erit ſenſus. Sed mihi dotius hic videtur, ut Optatus ἁπλῶς & abſolutè, Deo æterno & ingenito, aquas comparaverit. M. CAS.

l DENIQUE, NON AIT IN SION. Prolixum Eſaiæ Prophetæ locum contra Donatiſtas prolaturus Optatus, ne nihil dicere videretur, probato primum *per filiam ſui generis*, aquam à Deo intelligi, pergit porrò & oſtendit illum Sion, qui ut ſubjectum proponitur huic prophetiæ, non de corporali, (ut loquitur ipſe) monte, peculiari illâ Sion, quæ fuerat: ſed de ſpiritali, quæ tunc erat Sion, tota nimirum, atque univerſali Eccleſia accipiendam eſſe. Verſio qua uſus eſt Optatus, ex Græcis expreſſa erat, qui quod in Hebr. *Vallis viſionis* reddiderunt, τὸ ὅραμα τῆς φάραγγος Σιών. *Viſio vallis Sionis.* Cæterum *celebrata* ſubaudi *iſta vel judicia ut mox, ubi nulla lis audita eſt. nec ab aliquo celebratum judicium* &c. atque iterum lib 7. *nullum judicium celebratum eſt, ſed ſententia operatus eſt affectus.* Niſi fortaſſe pro *ſunt* ſcripſerat Optatus *ſententia*: quod cùm primùm compendioſa Scriptura contractum eſſet, poſtea mutatum eſt in *ſunt*. Nam etiam infra hoc ipſo libro *actionem celebrare*, ne de ſolo *judicio* dici putes. M. CAS.

n PER OMNEM ORBEM ROMANUM CAPUT TULIT. Per omnem orbem Romanum, quid hic Optatus intelligit, tum proxima *ſub toto cælo*, & quæ poſt pauca ſequuntur, *qua eſt in toto terrarum orbe*, ſatis indicant. Orbem igitur Romanum dicit, quem nos univerſum ut apud Lampridium, in Alex. Sev. cùm conſulti vates reſpondiſſent, *te manet imperium cæli, terræque mariſque*, Imperium Romanum inde ipſi portendi intellexerunt; & quem ibi Lamprid. ipſe Romani imperii *principem*, mox vocat *Principem humani generis*. Neque tamen inde quis colligat ad omnes omnino nationes jam tum Evangelium penetraſſe aut id Optatum affirmare de ſua ætate, quod aliquando poſterior Auguſtinus præciſè negat de ſua, epiſt. 80. qua de

Deo patre filius Dei regem ſe conſtitutum eſſe [x] gratulatur in Pſalmo ſecundo, dicens, *Quoniam regem conſtituit me ſuper Sion montem ſanctum ſuum*; utique ſuper Eccleſiam, cujus rex & ſponſus & caput eſt. Non in illo monte, ubi non illæ ſunt portæ, quas diligit Deus, ſed in monte Eccleſiæ, qui Sion ſpiritaliter appellatur. Cujus Eccleſiæ portas introeunt innocentes, juſti, miſericordes, continentes, & virgines. Quas portas commemorat Spiritus ſanctus in Pſalm. lxxxv. dum dicit, *Fundamenta eius in montibus ſanctis diligit dominus portas Sion*: non illius corporalis montis, ubi jam nullæ ſunt portæ: & poſt victorias Veſpaſiani Imp. vix antiquarum reſtant indicia ruinarum. Eſt ergo ſpiritalis Sion Eccleſia, in qua à Deo patre rex conſtitutus eſt Chriſtus: quę eſt in toto orbe terrarum: In quo eſt una Eccleſia Catholica. Nam Sion Eccleſiam eſſe & alio loco ſanctiſſimus David Propheta teſtatur, dicens: *Lauda Deum tuum Sion, qui confortavit ſeras portarum tuarum benedixit filiis tuis in te.* [y] Per ſingulas provincias totius orbis

ANNOTATIONES VARIORUM.

ſupremo mundi die egregiè diſputat; non magis quàm ex illis Apoſtoli ἐν παντὶ τῷ κόσμῳ ad Coloſſ. 1. 6. & 23. τοῦ κηρυχθέντος ἐν πάσῃ τῇ κτίσει, τῇ ὑπὸ τὸν οὐρανόν, aliiſque ſimilibus locis, jam tum Evangelium ſive per ipſos (quod nonnullos credidiſſe teſtis eſt Auguſtinus) Apoſtolos, ſive per alios, per totum terrarum orbem, prædicatum fuiſſe. Nam neque Romanos, ſi præcisè loquendum, orbis ne tum quidem noti, totius dominos fuiſſe, nemo neſcit. Vide vel Tertullianum adv. Jud. cap. 7. Alibi autem, *orbis Romanus* non eſt ut hic, univerſus orbis, ſed qui propriè Barbariæ opponitur, ut docet ὁ μακαρίτης ad Lamprid. pag. 386: Ita noſter poſt unam aut alteram paginam, *inventa de Libano, id eſt, de Imperio Romano: ubi & ſacerdotia ſunt & pudicitia, & virginitas quæ barbaris gentibus non ſunt: & ſi eſſent, tota eſſe non poſſent.* Planum eſt Imper. Rom. & barbaras gentes, ſive Barbariam hìc opponi & his duobus membris totum orbem comprehendi. At illud non æquè planum, quo vel accipi, vel excuſari ſenſu poſſit, Quod Optatus his verbis Eccleſiam Catholicam, ſui parum memor, ſi ita capimus, orbe Romano, barbaris excluſis, includat. Nam ſane fuiſſe, qui promiſſiones illas propagandi per gentes Evangelii, ad orbem Romanum reſtringerent, vel ex iſtis confutantis Auguſtini verbis ſatis conſtet; *Interiores autem*, de barbaris Afris loquitur, *qui ſub nulla ſunt poteſtate Romana, prorſus nec religione Chriſtiana in ſuorum aliquibus detinentur. Neque ullo modo certè dici poteſt, iſtos ad promiſſionem Dei non pertinere. Non enim Romanas ſed omnes gentes Dominus ſemini Abrahæ, media quoque juratione promiſit. Ex qua promiſſione* &c. Quæ ſi fuit Optati quoque ſententia, quoties *totum terrarum orbem* nominat, Romanum dumtaxat eum intelligere, non viciſſim, dicendum erit. Ita tamen eum ſenſiſſe haud facilè admiſerim, quidquid de uno aut altero ejus loco ſtatuatur. Deinde quod addit Optatus, *Sacerdotia apud barbaros, eſſe nulla*, neque *pudicitiam*, aut *virginitatem*, quomodo illud accipiendum eſt? Nam de omnibus univerſim barbaris eſſe falſum, tam certum, quàm quod certiſſimum. Qui enim Brachmanes, Gymnoſophiſtæ, Druides, aliique antiquis memorati quam barbararum gentium qualeſcunque Sacerdotes? ut de pudicitia & virginitate nihil dicam, quod pari facilitate convinci poteſt. Inferiores Optato Scriptores Afri, cùm Barbaros nominant, Vandalos plerique intelligunt, qui per illa tempora in Africam irruperunt, atque omnia crudeliſſima vaſtatione miſcuerunt. Queruntur que adeo paſſim illius hiſtoriæ ſcriptores, nullam eos ſive rerum ſive perſonarum rationem habuiſſe: *Virgines ſacras, & quoſque continentes ubique diſſipatos*, ab iis Poſſidon. in vita Auguſt. cap. 28. mulieres autem ac virgines *contra iura naturæ* proſtitutas, ac nudatas Victor Utic. de perſec. Vand. Sed neque illorum meminiſſe potuit Optatus, tot annis prior, & illi utcunque in Africa fortaſſe victorum licentia, contra Afros impotenter, & flagitiosè abuſi ſunt, eos tamen alioquin, pudicitiam non minus, immo verò multò melius, quàm Romanos legibus ſuis conſuluiſſe, prolixè docet Salvianus de Gubern. Dei lib. 7. qui toto illo libro inſignem eorum caſtitatem ac pudicitiam mirè prædicat, & *pudicos Barbaros* appellat. Supereſt igitur, ut *gentes barbaras* non nomine dumtaxat tales Romanis oppoſitas, ſed reverà ac planè barbaras ac feras gentes, ad inſtar pecudum potius quàm hominum, nullo aut jure, aut republica viventes, intelligamus, quales vulgo *Sauvagios* vocamus. Quas fortaſſe & Auguſtinus intelligit Epiſt. jam ſuprà laudata, *ſunt enim apud nos*, hoc eſt in Africa, barbaræ innumerabiles gentes, *in quibus nondum eſt prædicatum Evangelium, ex his dicuntur inde captivi* &c. M. CAS.

x GRATULATOR IN PSAL. SECUNDO &c. In prioribus edit. non *ſecundo* ſed *primo*, & valde vereor ne illa pſalmorum tributio, qua hodie utimur, doctiſſ. Balduino fraudi fuerit, ut mutandum putaret: Atqui olim pſalmus primus & ſecundus unus idemque pſalmus apud multos. Apud illos nimirum, qui Act. 13. 33. non ut hodie *pſal. ſecundo*, ſed ut olim, teſtibus Hieron. & Hilario, & aliis antiquis extabat, *pſal. primo*, vel ἐν ψαλμῷ ſimpliciter, legebant. Vide Eraſmum in acta, & Genebr. in pſal. *Gratulari* autem, ut alicubi Ambroſ. *David ſe dici filium, ipſe Dominus gratulabatur.* Inde & *gratulatio* pro *gratia lib. 5. ut pro humanitate exhibita gratulatio eis referatur.* Cæterum, haud dubium quin alii quoque numerorum errores in indicandis Scripturæ locis irrepſerint. Sed nos ſatis habuimus, ſi lectorem ubi aliquid difficultatis erat, moneremus, & Balduinianam editionem bonâ fide repræſentaremus. M. CAS.

y PER SINGULAS PROVINCIAS &c. Singulas provincias totius orbis, per valles ſingulas intelligimus montes, voluit Optatus proculdubio, & ſcrip-

valles

valles ſingulas intelligimus montis: & dum non in toto monte videt Eſaias, ſed in una valle, hoc eſt, in ſola Africa; In qua ſola cum ſufficerent templa Dei quę fuerant, alia facere voluerunt principes veſtri, in qua ſola ² dejecti ſunt muri ut fierent muri: & aqua ſanctę piſcinę tranſverſa eſt, & novitas contra antiquitatem à vobis inſtituta eſt. Hoc totum Deus in vallem montis Sion, & interrogat & increpat, dicens. *Vt quid hoc factum eſt vobis? ideo, quoniam aſcendiſtis in tecta ſupervacanea. Vnaqueque civitas repleta eſt vociferantium. Vulnerati in te non vulnerati gladio: & mortui in te, non mortui in bello: in errore ſunt à minimo uſque ad maximum. Errantes in montibus omnes principes tui, in fugam converſi ſunt: Et qui capti ſunt, graviter alligati, & fortiores tui longè fugati ſunt. Miſſum me facite, amarè plorabo. Nemo me poterit conſolari in contritione filiæ generis mei. Et aſcendunt Elamitæ cum pharetris:* [a] Elamitę latina lingua dicuntur chori caſtrorum, & ſecutus eſt dicens, *Penetralia veſtra deferentur ad publicum, & ſecreta domus Iſraël nudabuntur.* Hoc in Africa factum eſt, & totum hoc quare factum eſt, indicavit Deus, dum vobis imputat dicens, *quoniam convertiſtis aquam antiquæ piſcinæ ad civitatem veſtram, & deieciſtis muros Hieruſalem, ut faceretis alteram munitionem, & conſtituiſtis aquam inter duas munitiones: & ad piſcinam antiquam attendere noluiſtis, nec ad eum, qui ab initio creavit illam.* Jam vides frater Parmeniane, ad vos redundare omnia, à quorum principibus harum rerum omnium ſeminata eſt cauſa. Deinde ad Donatum Carthaginenſem, [b] [c] cujus veneficio videtur unitatis negotium eſſe commotum. In quo oſtendam operarios ejus non pro voluntate noſtra, nec ſua malitia aliquid feciſſe, ſed provocantibus atque impellentibus cauſis, quas Donatus Carthaginis levitate ſua conſtituit, dum magnum ſe videri contendit. Quem enim latet præter te, [d] quia peregrinus es, & potuerunt tibi falſa narrari? aut quis negare poteſt, rem, cui tota Carthago principaliter teſtis eſt, [e] Imperatorem Conſtantem, Paulum & Macarium primitus non ad faciendam unitatem miſiſ-

ANNOTATIONES VARIORUM.

ſerat fortaſſe, niſi pro, *per*, malit aliquis *prâterea* reponere. Pergit enim in explicatione, aut applicatione potius verborum prophetæ, quæ mox deſcripturus eſt, & ad Donatiſtas pertinere contendit. IDEM.

2. DEJECTI MURI UT FIERENT MURI. Dejecti fideles & rebaptiſati ut fideles fierent: ut fierent Chriſtiani, facti ſunt non Chriſtiani. ALBASP.

a ELAMITÆ LINGUA LATINA &c. Fruſtra ſe quiſquam torqueat, *ut choros caſtrorum*, vel aliquid affine ex *elamita* extundat & eliciat. Minori opera auſim dicere, aquam ex pumice. Quid autem illud fuerit, quod eos deceperit, qui primi ita ſunt interpretati, ſi nobis ariolari fas eſt, ego, ſed tanquam divinus ita cenſeo. Cantico cantic. c. 7. v. 1. ita legitur, *quid videtis in Sunamite niſi choros caſtrorum*? in margine notata eſt, diverſa lectio *Sulamite*, quæ græcorum, & verior ſcriptura eſt, ut quæ ex prototypo ſit expreſſa cum igitur iſta verba *choros caſtrorum*, peregrinæ, quæ immediate præcedebat, vocis interpretationem eſſe putaſſet Optatus, (niſi quis Optato æquior, gloſſema malit eſſe) poſtea memoria propter affinitatem vocum lapſus, quod de voce *ſulamite* legerat, aut legiſſe ſe falſo putabat, *choros caſtrorum* nempe ſignificare, id ad *Elamitam* majori errore tranſtulit. Ita ego conjicio; paratus amplecti, ſi quis quod magis certum ſit, aliquid adferat. M. CAS.

b CUJUS VENEFICIO. Cujus audacia & impudentia Macarius impulſus eſt, ad unitatem faciendam. ALBASP.

c CUJUS VENEFICIO VIDETUR UNITATIS NEGOTIUM &c. Fortè veneficium pro beneficio à obiter vir doctus in Notis, quod quomodo hic accommodari poſſit utinam adjeciſſet. An beneficium τ͂ μέσων erit, quod tam in malam, quàm bonam partem accipiatur, ut aſſiuna *meritum* & *mereri* paſſim? an ἐπαινοῦς aut ἐυεργέτας pro maleficio? An ideo quod ſequitur, *dum magnum ſe videri contendit*, quaſi dicat, dum ſibi placet, & ambitioni ſuæ ſervit, & velificatur Donatus? Si nihil horum placet, ſupereſt (quantum ego quidem video) ut *veneficio* retineamus, & veneficium hic poſitum ſit, pro maledicentia, ac impotenti procacitate. Nam & nos vulgo *virus* linguæ dicimus, & in Scriptura ſacra *venenum labiorum*, paſſivum eſt. Donati autem maledicentiæ, imputandum eſſe hoc unitatis negotium, hinc incipit, ac multis deinceps proſequitur Optatus. Quamvis & *veneficium* ἁπλῶς pro *ſcelere*, ab Optato dici potuerit, quemadmodum veneficus & φαρμακός haud raro pro ſceleſto & ſacro. M. CAS.

d QUIA PEREGRINUS ES. Quia non es natus Carthagini, cui præes. ALBASP.

e IMPERATOREM CONSTANTEM. Concilium Carthaginenſe primum hoc non ſub Conſtante, ſed ſub Conſtantino factum narrat. *Qui imperavit Religioſiſſimo Conſtantino Imperatori ut votum gereret*

ſe, ſed cum eleemoſynis: quibus ſublevata per Eccleſias ſingulas poſſit reſpirare, veſtiri, paſci, gaudere paupertas? Qui cùm ad Donatum, [f] patrem tuum, venirent, & quare venerant, indicarent: ille ſolito furore ſuccenſus, in hęc verba prorupit: [g] *Quid eſt Imperatori cum Eccleſia?* & de fonte levitatis ſuæ, multa maledicta effudit: non minus quàm in Gregorium aliquando, ad quem ſic ſcribere minime dubitavit; *Gregori macula Senatus, dedecus Præfectorum*, & cætera talia; cui Donato Præfectus patientia Epiſcopali reſcripſit Harum epiſtolarum exemplaria multorum ore ubique cantantur. Jam tunc meditabatur, contra præcepta Apoſtoli Pauli, Poteſtatibus & Regibus injuriam facere, pro quibus, ſi Apoſtolum audiret, quotidie rogare debuerat. Sic enim docet B. Apoſtolus Paulus *Rogate pro Regibus & poteſtatibus, ut quietam & tranquillam vitam cum ipſis agamus.* [h] Non enim Reſpublica eſt in Eccleſia, ſed Eccleſia in Rep. eſt, id eſt, in Imperio Romano. Cant. 4. Quod Libanum appellat Chriſtus in Canticis Canticorum, cùm dicit, Veni ſponſa mea, veni, à Libano, id eſt, de Imperio Romano, ubi & [i] ſacerdotia ſancta ſunt, & pudicitia, & virginitas, quæ barbaris Gentibus non ſunt: [k] & ſi eſſent, *tuta eſſe non poſſent. Meritò Paulus docet, orandum eſſe pro Regibus & Poteſtatibus: etiam ſi talis eſſet Imperator, qui gentiliter viveret. Quantò quod Chriſtianus, quantò quod Deum timens, quantò quod religioſus, quantò quod miſericors, ut ipſa res probat? Miſerat enim ornamenta domibus Dei, miſerat pauperibus eleemoſynam, nihil Donato. Cur ergo inſanivit? cur iratus eſt? cur quod miſſum fuerat, repudiavit? Et cum illi qui miſſi fuerant, dicerent, ſe ire per provincias ſingulas, & volentibus accipere, ſe daturos: ille dixit, ubique ſe literas præmiſiſſe, ne id quod allatum fuerat, pauperibus alicubi diſpenſaretur. [l] O, conſulere miſeris! O, providere fuerat pauperibus! O peccatoribus ſubvenire! Clamat Deus, dicens: *Ego ſum qui feci pauperem & divitem:* Non quia non potuit & pauperi dare: Sed ſi ambobus daret: peccator, quà ſibi ſuccurreret, invenire non Eccl. 3. poſſet. Denique ſic ſcriptum eſt; *Quemadmodum aqua extinguit ignem, ſic elee-*

* tota.

ANNOTATIONES VARIORUM.

unitatis, & mitteret miniſtros ſancti operis famulos Dei, Paulum & Macarium. ALBASP.

f PATREM TUUM. Qui te in illa Cathedra generavit: cui ſucceſſiſti: omnes Epiſcopi dicuntur filii eorum quibus ſuccedunt, aut à quibus ordinantur. IDEM.

g QUID EST IMPERATORI CUM ECCLESIA. À Donatiſtis primùm provocatum eſt ad Conſtantinum, quem cum ſuis rebus minùs favere deprehendiſſent, his & ſimilibus utebantur. IDEM.

h NON ENIM RESPUBLICA EST IN ECCLESIA. Hanc ſententiam mirificè extollunt homines illi qui rebus ſtudent novis: putantque hujus ſententiæ ſenſum eſſe Imperatores non Eccleſiæ, ſed Eccleſiam eis ſubditam eſſe, aut ſine Eccleſia Rempublicam eſſe; Eccleſiam verò ſine Republica eſſe non poſſe. Et tamen ſi quis animum ad hunc locum advertat longè aliter eum explicabit. Optatus enim voluit dicere Imperatoribus Romanis non eſſe maledicendum, ſed pro eis orandum ſecundùm Apoſtolum, quia quietam magis vitam Chriſtiani cum eis agerent quàm cum aliis nationibus, apud quas, quod eſſent barbaræ, non licebat Chriſtianos tam quietè vivere: Igitur *Reſpublica non eſt in Eccleſia*, eſt Eccleſiam non facere bella, non leges figere, non populos ſub legibus coercere, non res civiles exercere, & ſimilia: *Eccleſiam autem eſſe in Republica*, Chriſtianos ſub legibus Imperatorum vivere, protegi, quietam vitam ſub eis & ex eorum protectione ducere, & ſimilia. ALBASP.

i SACERDOTIA. Ambiguum an de Chriſtianorum aut Gentilium ſacerdotiis loquatur, ad illorum ego referendum cenſeo, nam in nonnullis Codicibus ita legitur, *Sacerdotia ſancta*; ſenſus igitur eſt, ſub imperatoribus Romanis tutiùs quàm apud barbaras gentes ſacerdotia Chriſtianorum exerceri, apud quas virginitas & pudicitia Chriſtianarum virginum nunquam eſt ſatis tuta, ſed apud Romanos eſt tuta quamvis non ſint Chriſtiani, quia eorum leges ad innocentiam perducebant. IDEM.

k ET SI ESSENT, TOTA ESSE NON POSSENT. Rectiùs fortaſſis. *tuta eſſe n. p.* INCERT.

l O CONSULARE MISERIS! O PROVIDERE &c. Si abeſſet illud *fuerat*, nihil mutarem. Sed ut nunc habent verba, potius quam quicquam eliminetur, reſtituerim: *hoc conſulere miſeris! hoc pro* &c. *Ho*, pro *o* ſæpè ſcriptum ſcimus, etiam alicubi hic excuſſum niſi fallor, unde facile potuit accidere, ut *ho* pro *hoc* ſcriberetur, ac tandem omiſſa aſpiratione fieret *o* pro *hoc*. Mox *apud Deum*, non de beatorum ſedibus dixit, quaſi & illæ ſchiſmaticos, quales Donatus ille, reciperent, ſed de

moſyna extinguit peccatum. Certè jam apud Deum ſunt ambo, & qui dare voluit, & qui obſtitit, ne daretur. Quid ſi jam dicat Deus Donato; Epiſcope, *Quid vis fuiſſe Conſtantem? Si innocentem, quare ab innocente accipere noluiſti? Si peccatorem, quare non permiſiſti dare, propter quem feci pauperem?* Sub hac interrogatione qualis futurus eſt? quid de levitate & furore laboravit tantis pauperibus impedire? Carthaginis principatum ſe tenuiſſe crediderat, & cùm ſuper Imperatorem non ſit niſi ſolus Deus, qui fecit Imperatorem, dum ſe Donatus ſuper Imperatorem extollit, jam quaſi hominum exceſſerat metas, ut ſe, ut Deum, non hominem æſtimaret, non verendo eum, qui poſt Deum ab hominibus timebatur. Denique eum per Ezechielem increpat Spiritus-ſanctus[l] dum ad Principem Tyri, id eſt, Principem Carthaginis per Prophetam his loquitur verbis: *Fili hominis, dic adverſus Principem Tyri, hæc dicit Dominus Deus, quia exaltatum eſt cor tuum, & dixiſti, Ego ſum Deus.* Tyrum Carthaginem eſſe, primò Eſaias probat, in quo legitur
viſio ſuper Tyrum. Et ſequitur. *Ululate naves Carthaginis.* Deinde Tyrum Ezech. 28.
Carthaginem ipſam eſſe etiam mundanę literę proteſtantur: & ſi ſit alia ci- Iſai. 23.
vitas, quę hoc nomine nuncupetur, nihil in alia videtur factum, quod apud Carthaginem conſtat admiſſum. *Loquere* (inquit Deus) *adverſus Principem*
Tyri. Dum Deus ad Principem Tyri loquitur, non adverſus ſecularem ali- Ezech. 28.
quem regem dicit eſſe loquendum, nec ad multos, ſed ad unum, hoc eſt, ad Donatum Epiſcopum. Neque enim fas erat Prophetam Ezechielem, quem proximè nominavi,[m] niſi Epiſcopo eum comparare, qui ſibi (ut diximus) principatum Carthaginis vindicabat: qui exaltavit cor ſuum, & ab hominibus ſibi ſuperior videbatur:[n] & ſub ſe omnes etiam ſocios ſuos, habere voluiſſet:[o] de[p] quorum oblationibus nunquam eſt dignatus accipe-

PHILIPPUS PRIORIUS.

1 AD PRINCIPEM TYRI. Carthaginem ſcilicet in rebus tum civilibus, tum Eccleſiaſticis primas tenuiſſe in Africa nuſquam controverſum. Quamvis aliquando Primatum Utica ambiverit. Hoc in loco Carthaginem Tyri nomine deſignari nullus dubito. Nec ignoro ex verbis Tertulliani cap. 1. de Pallio, *& ſicubi alibi in Africa Tyros*, De Adrumeto quoſdam explicare, tanquam Tyriorum colonia. Sed optimè congruunt hæc verba Tertulliani, cum his vocibus Optati, *& ſi ſit alia civitas.*

ANNOTATIONES VARIORUM.

altero mundo ſeu ſeculo, q. d. uterque jam deceſſit, & vita functus eſt, paulo poſt, puto ſcribi *qualis futurus eſt, qui de levitate & furore laboravit tantis,* (id eſt *tot*, ut paſſim: ſed fort. *damnis*:) *pauperibus impedire.* M. CAS.

m NISI EPISCOPO EUM COMPARARE &c. Corrigo, niſi principi Epiſcopum, (*vel* cum) comparare &c. M. CAS.

n ET SUB SE OMNES SOCIOS HABERE. Omnes Epiſcopos ſibi ſubditos. ALBASP.

o DE QUORUM OBLATIONIBUS. Oblationes eulogiarum celebrabant in domibus pietatis, ut communionem aliquam facerent: de hac igitur communione & oblatione nolebat cum aliis Epiſcopis participare Donatus, ſed neſcio quid ſecretò faciebat. IDEM.

p DE QUORUM OBLATIONIBUS &c. Totum hunc locum & obſcurum nonnihil, & palam corruptum, ſic lego, ac diſtinguo, *de qu. obl. n. eſt dig. accipere, in qua re media eſt fides & Deus Chriſtus, Hinc* (vel inde) *& querelæ multo*: &c. *In qua re* pertinet ad ſuperiora, quod hic cum ſequentibus peſſimè connexum eſt, Ita loquitur & lib. 5. *Iam de baptiſmate hoc loco dicendum eſt, in qua re*, &c. Ita & lib. 1. *Sic igitur Pax Chriſtianis omnibus data eſt, quam rem Dei eſſe conſtat* &c. Etiam lib. 6. *manus veſtras, quibus ante nos eoſdem calices tractabatis. Eam rem tamen paſſim vendi juſſiſtis* &c. *Oblationes* autem intelligo eulogias, ſive panes fermentatos (quos & oblationes nuncupatunt,) unitatis gratia, ut Paulinus ad Alypium, inter epiſt. Auguſt. vel & idem Paulinus ad Auguſtinum ipſum, unanimitatis indicio, ab amicis invicem mitti ſolitos, de quo quidem more, quæ in ſuis Annalibus anno 313. doctiſſimus Cardinalis fusè, ac multis capitibus inſeruit non tam ingrati, aut illiberales ſumus, ut compilare ſuſtineamus. Conſulat eum Lector, cui hoc adhoc novum, ot de illo fermento accipiam, non modo res ipſa ſuadet, ſed & modus loquendi obſervatus, ac quaſi ſolennis. Ut hic, *dignatus accipere.* Ita Pau. ad Sev. epiſt. 1. *dignare accip.* & apud Auguſt. idem, *dignatio ſumendi*, & Auguſtinus ipſe, *dilectio accipientis*: quibus tanquam propriis ac uſitatis verbis munus ſuum proſequuntur. Quod addit Optatus, *hac in re media eſſe fidem ac Deum Chriſtum*, ad exaggerandum Donati ſuperbum faſtidium pertinet, qui, oblationem in nomine Chriſti conſecratam & *in nomine Dei accipi* ſolitam, quo nomine etiam Paulinus ad

re. q In qua re media eſt fides, & Deus Chriſtus ejus, & querelæ multorum, quibus in ipſa ſocietate hanc injuriam faciebat: ut r ſolus ſecretò neſcio quid ageret, & poſtea cæteris perfunctoriè miſceretur. Hoc modo exaltatum eſt cor ejus: ut ſibi jam non homo, ſed Deus fuiſſe videretur. Denique & in ore populi ſ raro eſt appellatus Epiſcopus, ſed Donatus Carthaginis dicebatur. Et meritò princeps Tyri, id eſt, Carthaginis, appellari & increpari meruit, quia primus Epiſcoporum, quaſi plus eſſet ipſe quàm cæteri: & dum nihil humanum voluit habere, exaltavit cor ſuum: non ſicut hominis, ſed ſicut cor Dei: dum à cæteris hominibus aliquid plus eſſe cupiebat. Ad quem Deus ſequitur dicens: *Dixiſti, ego ſum Deus.* Ideo, quamvis non ſit uſus hac voce, tamen aut fecit aut paſſus eſt, quod defectum hujus vocis impleret. Extulit cor ſuum, ut nullum hominem ſibi comparandum arbitraretur: & de tumore mentis ſuæ altior ſibi viſus eſt eſſe: quia quicquid eſt ſupra homines, jam quaſi Deus eſt. Deinde cùm t Epiſcopi Deo debeant famulari, tantum ſibi de Epiſcopis exigit, ut eum non minori metu omnes venerarentur, quàm Deum. Hoc eſt, quod ſibi Deus viſus eſt. Et cùm per ſolum Deum ſoleant homines jurare, paſſus eſt homines per ſe ſic jurare, tanquam per Deum. In quo ſi unuſquiſque hominum erraverat, ipſe prohibere debuerat: cùm non prohibuit, Deus ſibi viſus eſt. Deinde cum ante ipſius ſuperbiam, omnes, qui in Chriſto crediderant, Chriſtiani vocarentur, auſus eſt populum cum Deo dividere: ut qui illum ſecuti ſunt, jam non Chriſtiani vocarentur, ſed Donatiſtæ: u & ſi quando ad eum aliqui ex aliqua Africana provincia veniebant, non quærebat illud, quod humana ſemper exigit conſuetudo, de pluviis, de pace, de proventu anni aliquid interrogare: Sed illico ad ſingulos quoſque venientes hæc erant verba: *Quid apud vos agitur de parte mea?* Quaſi jam verè populum cum Deo diviſerat, ut intrepidè ſuam diceret partem. Nam à temporibus ejus, & uſque in hodiernum, ſi quando de rebus Eccleſiaſticis in judiciis publicis aliqua celebrata eſt actio: Interrogati ſinguli, ſic apud acta locuti ſunt, ut dicerent ſe de parte eſſe Donati: de Chriſto tacuerunt. Et quid de Clericis dicam, cùm legantur preces (quarum in primo libro fecimus mentionem) jam dudum ad Conſtantinum miſſæ & ſubſcriptæ, quæ Epiſcoporum nomina continebant, ſic, *datæ à Capitone &*

ANNOTATIONES VARIORUM.

Severum, commendat; In qua præterea *Trinitatis ſoliditas continebatur*, ut loquitur ideo Paulinus; dum ſuperbè reſpuebat eadem opera, & fidei renonciare videbatur. Quod autem pro, *eius*, reſcribo, *Hinc*, vel, *inde*: non dubito quin, *Ieſus*, ſiquidem (*Chriſtum Ieſum* non minus quàm *Ieſum Chriſtum*, docent nos ſacra Scriptura dicere:) aliquibus magis arrideret, quod id propius ad, *eius* accedat. Sed nos ſequentium rationem habuimus, quæ id requirunt. M. Cas.

q In qua re media est fides. Deus & lex Chriſtiana jubent aliter vivere, & pluris facere Epiſcoporum oblationes. Albasp.

r Solus secreto. Communionem cum aliis non faciebat. Idem.

ſ Raro est appellatus Episcopus, sed Donatus &c. Non id criminatur Optatus, quod Carthaginenſis Epiſcopus Donatus, *Donatus Carthaginenſis* ſit dictus, neque enim aliter Optatus ipſe loquitur, quoties Epiſcopos nominat; ſed quod Epiſcopus, quaſi quiddam majus eſſet ipſe, non libenter audiret; Mox, *ideo quamvis non ſit uſus* &c. aliæ edit. plenius *Ideo quia quamvis &c.* M. Cas.

t Episcopi Deo debeant famulari. Maxima olim erat Epiſcopalis dignitas. Albasp.

u Et si quando ad eum aliqui ex aliqua Africana provincia veniebant. Vindicaverit Macarius si nihil offenderant, cur occisi esse dicuntur. Omnino, inquit, Barthius, lege: *At ſi quando a. e. A. p. v. Vindicaverit Macarius; ſi nihil off. cur occiſi eſſe dicuntur?* Planiſſimè ſi cui inſpecta auctoris ſententia. Hæc ille. Sed nihil dicit. Nam hæc nullo modo cohærent, ingenſque in hac editione hiatus eſt, puta duodecim hujuſmodi paginarum. Vide omnino editionem 2. Fr. Balduini, unde hæc lacuna ſupplenda eſt. Sed & hæc ipſe infra quoque circa finem hujus libri alieniore loco leguntur, poſtliminiò ſuo ordini reſtituenda, à pag. 75. v. 5. *Non quærebat illud*, &c. 76. uſque v. 25. *Vindicavit Phinees.* Omnia illa intermedia ſubjicienda ſunt iſtis pag. hac 68. v. 23. *Et ſi quando ad eum aliqui ex Aliqua Africana provincia veniebant*, non

Naſucio, Digno, & ceteris Epiſcopis [x] *partis Donati.* Et poſtulabant utique contra Epiſcopos, qui dum non erant in parte Donati, in Chriſti Catholica habitabant. Et dum Epiſcopus inter coëpiſcopos ſuos non fuit, nec homo inter homines eſſe voluit, conſtat quòd extulit cor ſuum, & Deus ſibi fuiſſe videbatur. [y] Nam cum & ordinatores tui, quorum nomina frater Parmeniane, bene noſti, & ubi fuerint non ignoras, & quid vel à quo petiverint, & qualem rogaverint ut redirent, & tecum venire potuiſſent, & nos didicimus cùm caſdem preces quas dederunt, apud Africanos judices allegarent: in quibus infra ſcriptum eſt, *Data ab Epiſcopis partis Donati.* Hic jam quid reſponſuri ſunt in illo imminenti divino judicio, qui in hoc ſeculo alio modo confeſſi ſunt, non ſe eſſe de Eccleſia Chriſti? qui libenter profeſſi ſunt de parte fuiſſe ſe Donati: cùm in Evangelio ſcriptum eſt, Chriſto dicente: Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, *Confitebor eum coram Patre meo*: Iſti Donatum confeſſi ſunt, non Chriſtum. Et ne parva ſit iſta probatio quam ad ipſius perſonam pertinere manifeſtum eſt, accedit ad illud teſtimonium, quo ſuprà memorata increpatio clauſa eſt, *Quod dixit illum Deus non in terra moriturum.* Et ita factum eſſe omnibus notum eſt. Habitat in domo Dei, & erat in corde maris. Ubique mare, ſeculum legimus, cùm eſſet ipſe non tantum in amore aliquorum Chriſtianorum, [1] ſed propter ſcientiam mundanarum literarum, erat etiam in corde maris, id eſt, in amore ſeculi. Sed & de ſcientia ſua ſapiens ſibi viſus eſt. Sed hanc ſapientiam ejus evacuavit Deus, dum dicit, *Nunquid ſapientior tu quàm Daniel?* Meritò & bene Ezech. 28.
ejus ſapientia humiliata eſt, qua putavit, ſe Daniele eſſe ſapientiorem, in repudiandis muneribus Regis, dum accipere noluit, quod ab Impera-

PHILIPPUS PRIORIUS.

1. SED PROPTER SCIENTIAM MUNDANARUM LITERARUM. Mundanæ literæ ſunt ſecularia ſtudia, ac velut mentium decipulæ, unde S. Paulus fideles monet ne ſe decipi patiantur inanibus ſapientiæ humanæ verbis, ſive gentilium philoſophorum ridiculis præſtigiis, quæ animum inflant, & non inſtruunt. De hac ſcientia chimærica erit aliud nobis dicendi locus.

ANNOTATIONES VARIORUM.

quærebat illud, quod humana ſemper exigit conſuetudo, de pluviis, de pace, de proventu anni aliquid interrogare, ſed illius ad ſingulos quoſque venientes hæc erant verba. Quid apud vos agitur de parte mea? &c. *Numquam ſequitur vindicta, niſi ejus anteceſſerit cauſa. Vindicavit (ut diximus) Moyſes, vindicavit Helias, vindicavit Phinees, vindicavit Macarius; ſi nihil offenderant, cui occiſi eſſe dicuntur, ſit Macarius reus in eo quod ſolus, &c.* Sic perturbatiſſimus & diſtortiſſimus locus neceſſariò interpolandus. Vide infrà notas INCERT.

x PARTIS DONATI. Cùm olim interrogarentur Epiſcopi, & coram judicibus ſtarent ſe Chriſti & Eccleſiæ Epiſcopos eſſe profitebantur: in vita D. Cypriani, *Tu es quem Chriſtiani Papam ſuum nominant? Sanctus Dei reſpondit, ego*: At Donatiſtæ Donati, non Chriſti Epiſcopos ſe eſſe reſpondebant: quod illis ab Optato crimini datur. ALBASP.

y NAM CUM ET ORDINATORES TUI. &c. Tota hæc periodus, ad, *hic jam quid reſp.* &c. manifeſtè ἀνακολουθίᾳ laborat; quæ tamen ab ipſo fortaſſe Optato. Res quidem ipſa & ſententia optimè ſic habet; ac proinde nec verba temerè ſollicitanda. *Preces* apud hos ſcriptores, *libellum* valere, ſive *libellum ſupplicem*, ut vulgò vocamus, non eſt quòd moneamus, *allegare* autem *preces apud Iudices*, quid ſit, Juriſconſulti, quos hic libenter ſi præſto eſſent, conſulerem, melius docebunt. Interim ſic exiſtimo: Preces illas ſuas, non ipſi per ſe, vel ſuos, & ut vulgò loquimur, immediatè deferebant, ſed Judicibus provinciæ commendabant apud acta primum ſubſcriptas, ac ſignatas coram Actuario, per quem in publica acta referebantur. Hoc *allegatio* niſi me ratio fugit; hinc & *geſta allegationis*, ſuper hac ipſa re, tum Auguſtino contra Petilianum, tum Honorio in edicto quodam contra Donatiſtas memorata. Quod in aliis editionibus reperimus, poſt *allegarent, addendum Epiſcoporum actis, de quibus infrà ſcriptum eſt. Data* &c. ab eorum errore manaſſe puto, qui Optatum in his verbis, *quibus*, aut quemadmodum ipſi legerunt, *de quibus infrà ſcriptum eſt*, Lectorem ſuum ad *acta* his libris quondam annexa (quod ſæpe facit Optatus) rejicere putabant, ſed hoc ipſi viderint. Mox pro *alio modo*, ſcribo, *aliquo modo*. Ait eos dum ſe libenter profeſſi ſunt de parte Donati, etſi non exertè, aliquo ſaltem modo, de Eccleſia Chriſti non eſſe, confeſſos. Non diſplicebit etiam, ſi quis ita accipiat, *quid reſpondebunt in illo imminenti judicio divino*, qui

tore Chriſtiano miſſum eſſe videbatur. Et viſus eſt ſibi aut Daniel novus, * aut ſapientior Daniele : quia & ipſe Daniel aliquando à Baltaſſar Rege, cùm cogeretur accipere munera, id eſt, anulum, torquem & cætera, dixiſſe legitur, *Dona tua tecum ſint Rex.* Et ſapienter reſpondit, & convitia Regi non fecit, & quod offerebatur non damnavit, ſed diſtulit: Non quo modo Donatus, qui & convitia Conſtanti, quanta potuit, dixit, & [1] quod ab eo pauperibus miſſum fuerat, repudiavit. Sed Daniel ſanctus ſapiens inventus eſt, ut munera oblata illa die non acciperet. Illud enim quod ab eo petebatur, adhuc in cœlo erat: & inſipientis eſſet, hujus rei quaſi mercedem accipere, quam nondum habuit in poteſtate. Idcirco munera oblata, illa die ad tempus accipere noluit. Denique cùm ei Deus oſtenderet, quod Regi ſuprà dicto indicaret Baltaſſari retulit. Et quod jam dudum repudiaſſe viſus eſt, poſtea libenter accepit. Meritò increpat Deus Principem Tyri, Donatum, cùm dicit: *Nunquid tu ſapientior quàm Daniel?* Sed ô quàm longè eſt præſumptio Donati à perſona Danielis? Quod enim Baltaſſar dabat, Danieli dabat, non pauperibus: quod Conſtans Chriſtianus Imperator tunc miſerat, pauperibus tranſmiſerat, non Donato. Denique ait, *Sapientes ſe non docuerunt ſapientiam ſuam*, quia illud à Salomone diſcere noluiſti, quod ait, *Abſconde panem in corde pauperis, & ipſe pro te rogabit.* Quia etiam illud ab ipſo Daniele diſcere noluit quod dedit Nabugodonoſor conſilium, quomodo ſatisfaceret qui offenderat Deum. *Et tu* (inquit) *audi Rex conſilium meum, & placeat tibi. Peccata tua eleemoſynis redime & iniuſtitias tuas in miſeratione pauperum.* Daniel Regi peccatori & ſacrilego faciendas eleemoſynas ſuadet: Donatus, qui increpari meruit Conſtanti Imperatori Chriſtiano, ne miſericors eſſet, obſtitit. Ideo increpatur, quòd eum ſapientes non docuerunt ſapientiam ſuam. Quicquid à Rege miſſum fuerat, per ſe dari paſſus non eſt. Unde conſtat, Donatum omnium malarum fontem fuiſſe cauſarum. Quicquid itaque in unitate facienda aſperè potuit geri, vides frater Parmeniane, cui debeat imputari. A nobis Catholicis petitum militem eſſe dicitis. Si ita eſt, quare in [z] provincia Proconſulari tunc nullus armatum militem vidit? [a] veniebant Paulus & Macarius, [1] [b] qui pauperes ubique

Marginal notes: * Aut ſapientiâ Danieli prælatus. — Eccl. 29. — Daniel. 4.

PHILIPPUS PRIORIUS.

1. QUOD AB EO PAUPERIB. &c. Largitionem innuit, & eleemoſynas quas ab Imperatoribus afferebant Præfecti, de quibus jam aliquid attigerat, quas tamen Donatus arrogantia tumidus, & factionis princeps omnino repudiaverat.

1 QUI PAUPERES UBIQUE DISPUNGERENT. Largitio illa Imperatoris in pauperes & erogatio pecuniarum ideo fiebat, ut diſpungerentur ſeu ſolverentur eorum debita. Nam diſpungere & expungere apud Africanos ſcriptores Tertullianum, Cyprianum &c. pro eodem uſurpantur. Cyprianus quidem id præſtat epiſt. 58. ad Caldonium, *u. expungeretis neceſſitates fratrum.* & aliis in locis. Tertullianus verò paſſim, ac potiſſimum ut debiti ſolutionem perfici oſtendat. Ignatius epiſt. ad Philadelph. *πάντα ἐν τῷ εὐαγγελίῳ πεπλήρωται*, ubi per *πεπλήρωται* perfecta & expuncta intelligit.

ANNOTATIONES VARIORUM.

in hoc ſæculo, alio modo confeſſi ſunt! &c. M. CAS.

z PROVINCIA PROCONSULARI. In provincia Carthaginenſi. ALBASP.

a VENIEBANT PAULUS ET MACARIUS, QUI PAUPERES UBIQUE DISPUNGERENT. τὸ *diſpungerent*, tantumdem eſt ac *conſolarentur*: quæ mira phraſis. INCERT.

b QUI PAUPERES UBIQUE DISPUNGERENT. Diſpungerent tantumdē eſt ac *conſolarentur* inquit hic vir doctus, & addit eſſe miram phraſin, ſed mira eſt ejus interpretatio. Quia nimirum *pungere*, non rarò pro *urere*, aut angere, ideo *diſpungere* ſit conſolari. Sed vitū doctum ratio fugit, dum non intellexit, aut non cogitavit ſaltem, à rationibus eſſe hoc verbum, quo frequenter eadem aut ſimili, quâ hic Optatus, ſignificatione Tertullianus utitur, ut cum *honore & officio*, vel *vita diſpunctum* dicit. Quid mirum autem ſi dicantur diſpuncti pauperes, quibus antea dixit eleemoſynas à Conſtantino miſſas, quibus ſublevati poſſunt reſpirare, veſtiri, paſci, gaudere? Neque enim neceſſe, ut de ipſorum ære alieno in-

[c] diſpungerent, & ad unitatem ſingulos hortarentur. Et cum Bagaienſem [d] civitatem proximarent, tunc alter Donatus (ſicut ſupra diximus) ejuſdem civitatis Epiſcopus, impedimentum unitati & obicem venientibus ſupra memoratis opponere cupiens, præcones per vicina loca & [e] per omnes nundinas [1] miſit [f] Circumcelliones, Agonſticos nuncupans, ad prædictum locum ut concurrerent, invitavit: Et eorum illo tempore concurſus eſt flagitatus, quorum [g] dementia paulo ante ab ipſis Epiſcopis impie videbatur eſſe ſuccenſa. Nam cum hujuſmodi hominum genus ante unitatem per loca ſingula vagarentur: Cum Maxido & Faſir, ab ipſis inſanientibus *ſanctorum duces* appellarentur: nulli licuit ſecurum eſſe in poſſeſſionibus ſuis: debitorum chirographa amiſerant vires: nullus creditor illo tempore exigendi habuit libertatem. Terrebantur omnes literis eorum, qui ſe ſanctorum duces fuiſſe jactabant: Et ſi in obtemperando eorum juſſionibus tardaretur, advolabat ſubito multitudo inſana, & præcedente terrore, creditores periculis vallabantur. Et qui pro præſtitis ſuis rogari meruerant, metu mortis humiles impellerentur in preces [h]. Feſtinabat unuſquiſque debita etiam maxima perdere: Et lucrum computabatur, evaſiſſe ab eorum injuriis. Etiam itinera non poterant eſſe tutiſſima. Quot domini de vehiculis ſuis excuſſi ante mancipia ſua dominorum locis ſedentia, ſerviliter cucurrerunt? Illorum judicio & imperio inter dominos & ſervos conditio mutabatur. Unde cum veſtræ partis Epiſcopis tunc invidia fieret, Taurino tunc Comiti ſcripſiſſe dicuntur, hujuſmodi homines corrigi in Eccleſia non poſſe: mandaverunt, ut à ſupradicto Comite acciperent diſciplinam. Tunc Taurinus ad eorum literas, ire militem juſſit armatum per nundinas, ubi Circumcellionum furor vagari conſueverat. In loco Octavenſi occiſi ſunt plurimi, detruncati ſunt multi: Quorum corpora uſque in hodiernum, [i] per

PHILIPPUS PRIORIUS.

1 MISIT CIRCUMCELLIONAS. Circumcelliones ſive Circelliones, ut docet S. Auguſtinus in Pſalm. 132. Sic dicti quod circum cellas vagarentur. Hos Agoniſticos vocatos à Donato, teſtatur Optatus, eorumque præfectos dictos duces ſanctorum. Erant autem ſectæ Donatiſtarum acerrimi defenſores, ſive potius graſſatores, qui per vicos, villas, domos, vagabantur, nullâ Præfectorum reverentia, ſervos manumittebant, ære alieno oppreſſos liberabant à creditoribus; atque ubi propter immania ſcelera mortem meruiſſe ſibi videbantur, inſano furore occiſi dabant ſeipſos præcipites, vel ferro, igne, aut aquâ. ſibi mortem conſciſcebant; ac peſſima illa vita functos, cæteri Donatiſtæ maximis honoribus proſequebantur, ac Martyrum loco habebant. Hos Donatus Bagaienſis concitavit contra legatos Imperatoris, ſed infeliciter, multi enim ſunt occiſi, inter quos Donatus ipſe. Vide Apud Auguſtinum qui rem propius inſpexerat, quàm Optatus, & ſchiſmaticos monet dum Macariana tempora objiciunt, objecturum ſe Circumcellionum ſcelera ac furores.

ANNOTATIONES VARIORUM.

telligamus; quamquam & illud fortaſſe verum: ſed elegantius, ut ipſa paupertas, quæ graviſſimum, vel ſola onus, diſpuncta dicitur. M. CAS.

c DISPUNGERENT. De corona militis, ubi de Imperatorum donativo agitur: *expungebantur milites laureati*: recenſebantur, notabantur. ALBASP.

d CIVITATEM PROXIMARENT. Afra itidem locutio. INEART.

e PER OMNES NUNDINAS MISIT CIRCUMCELLIONES. Locus ita diſtinguendus eſt, *præcones per vicina loca, & per omnes nundinas miſit, Circumcelliones Agoniſticos nominans, ad prædictum*, &c. ut in Cochleana. M. CAS.

f CIRCUMCELLIONES. De iſtis frequens eſt mentio in hoc ſchiſmate. ALBASP.

g DEMENTIA. Quia immania multa & inaudita perpetrarunt iſti circumcelliones, multique eorum ſeſe præcipitaverunt ut martyrii gloriam aſſequerentur. M. CAS.

h ET QUI PRO PRÆSTITIS SUIS ROGARI, &c. Vel pro *Et qui*, ſcribendum *ut qui*; vel mox *impellerentur* poſitum, pro *impellebantur*. M. CAS.

i PER DEALBATAS ARAS. Per dealbatos tumulos in aræ formam conſtructos: ſuper Martyrum monumentis & memoriis ſacra olim fiebant, quæ ut commodè poſſent fieri, monumenta in altaris formam erigebantur: Donatiſtæ igitur illis circumcellionibus qui & in illa Macarii expeditione interierant, aras poſuerunt & monumenta ex quibus corpora occiſorum poterant numerari. Concil. Carthag. I. Canone ſecundo. *Aut inſania præcipitatos, martyrum nomine appellet.* Concilium quintum, *Item placuit ut altaria quæ paſſim per agros aut vias tanquam memoriæ Martyrum conſtituuntur.* Auguſtinus lib. 3. in fine contra Parmenia-

[k] dealbatas aras aut menſas poterunt numerari. Ex quorum numero cum aliqui [l] in Baſilicis ſepelire cœpiſſent, Clarius Preſbyter in loco Subbulenſi, ab Epiſcopo ſuo coactus eſt, ut [m] inſepultam faceret ſepulturam. [n] [o] Unde proditum eſt, mandatum fuiſſe fieri, quod factum eſt quando nec ſepultura in domo Dei exhiberi conceſſa eſt. [p] Eorum poſtea convaluerat multitudo. Sic invenit Donatus Bagaienſis, unde contra Macarium furioſam conduceret turbam. Ex ipſo genere fuerunt qui ſibi percuſſores ſub cupiditate falſi martyrii in ſuam perniciem conducebant. Inde etiam illi, qui ex altorum montium cacuminibus viles animas projicientes, ſe præcipites dabant. Ecce ex quali numero ſibi Epiſcopus

ANNOTATIONES VARIORUM.

num; *temporalia ſupplicia Schiſmatis ſui conferre audent paſſionibus Martyrum, ut eis pœnarum ſuarum natalia celebrentur magno conventu hominum furioſorum.* ALBASP.

k PER DEALBATAS ARAS, AUT MENSAS &c. Seneca epiſt. 86 *In ipſa Scipionis Africani villa jacens; hæc tibi ſcribo, adoratis manibus eius, & ara: quam ſepulcrum tanti eſſe viri ſuſpicor.* Et De *menſa*, Cicero de legibus lib. 2. circa finem. *Sepulcris autem novis finivit modum. Nam ſuper terræ tumulum noluit quid ſtatui, niſi columellam tribus digitis non altiorem, aut menſam, aut labellum,* &c. Huc etiam pertinet quod locus ubi Cyprianus paſſus eſt, dictus eſt volgo *menſa Cypriani.* Etſi enim alio loco paſſum eſſe, alio autem ſepultum beatum illum Martyrem, & utrobique coltam ejus memoriam à Victore Uticenſi de Perſecut. lib 1. diſcimus: Priorem tamen illum locum ab ara, ſeu menſa, quæ aræ inſtar eſſet, ibi extructa, ita indigitatum eſſe docet Auguſt. de div. ſerm. 113. Quod *dealbatas* illas *aras* & *menſas* hic Optatus, ſi verè & propriè *dealbatas* ex religione colentium tanquam Martyres, profectum puto. Album enim colorem mortuis, item puris atque innocentibus defunctorum animis optimè convenire etiam Plutarchus docet in ῥωμαϊκοῖς κτλ. διὰ τί λευκὰ φοροῦσι. &c. tomo 10. pag. 482. 483. Quod ſi *dealbatas* pro albis aut candidis accipiemus, tum fuerit illis color proprius ejus terræ, ſive loci, ubi ſepulti ſunt. Nam etiam trecentos illos martyres, quorum memoria 24. Auguſti colitur, à fornace calcaria, in qua paſſi & conſumpti ſunt, *Maſſam Candidam* dictos eſſe, ſciunt omnes. Etiam illos innumerabiles martyres, qui ſub Deciano Hiſpaniarum Præſide paſſi ſunt, quorumque memoria 3. Novembris in Kalend. Rom. celebratur, non ab alia cauſa, quàm loci terræve, ſive calcaria, ſive alia quavis propria albedine, & ipſos *Maſſam Candidam* eſſe nuncupatos crediderim, quamvis aliam ab aliis ejus appellationis rationem reddi non ignorem. M. CAS

l IN BASILICIS. Loquitur de circumcellionibus à Taurino occiſis, non à Macario: quos ut oſtendat furioſos fuiſſe & inſanos, ait Sabulenſis loci Epiſcopum Donatiſtam ſepulturam eis in Eccleſia denegaſſe. ALBASP.

m INSEPULTAM FACERET SEPULTURAM. Ut ab Eccleſia ſepulturas illas ejiceret. IDEM.

n UNDE PRODITUM. Unde proditum Donatiſtas vel ſuis ſepulturam in domo Dei denegaſſe. IDEM.

o UNDE PRODITUM EST MANDATUM FUISSE &c. Hanc inquit, occaſionem Catholicos traducendi arripuerunt Donatiſtæ, quaſi cædis illius ac ſtragis Circumcellionum fuiſſent impulſores, & auctores, quia cæſos in Baſilicis, ſepeliri poſtea non permiſerunt, quaſi idem eſſet, ſepulturam in Eccleſia negare, & vita privare. Obſervare nos hic jubet Balduinus, vetitam tum in templo, vel Eccleſia ſepulturam. Sed ſi ea mens Optati eſt, quod hic negatum eſt, id publica lege ac more negatum eſſe; non video qui hinc argumentum, vel leviſſimum, mandatæ à Catholicis ſtragis Donatiſtæ ducere potuerint, quod tamen innuere, cauſamque hanc ſuſpicionis, & calumniæ, reddere videtur Optatus. Scio extare aliquos Canones qui vetant, fortaſſe & aliquot Imperatorum leges. Id tamen in Africanis Eccleſiis, non ultra obtinuiſſe ſuſpicor, quàm ut ſine permiſſione Epiſcopi non liceret. Quod tum hic Optatus, tum Auguſtinus *de Cura pro mortuis*, non obſcurè, meo quidem judicio, ſubindicant. Armogaſes apud Vict. Utic. lib. 1. cum Felicem rogaret moriturus, ut ſe ſub ſiliquæ arbore ſepelire dignaretur, reſpondit Felix, *abſit à vobis Confeſſor venerabilis, ſed ſepeliam te in una baſilicarum, cum triumpho & gratia quam mereris.* In urbe autem intra muros, nefas fuiſſe, præter paucos, quos nexu communis legis ſpeciale privilegium exemerat, quamquam ſepelire per Romanas leges, vel quæ extant hodie abundè fidem faciunt. Quod etſi ſtatim poſt Conſtantini tempora cœpit exoleſcere, tandemque penitus legibus Imperialibus abrogatum eſt, diutius tamen multo aliis in locis, ut in Galliæ civitatibus, etiam & Angliæ ſervatum eſt. Sed hæc obiter. Quod autem Baronius an. Ch. 309. 4. ex lib. de Rom. Pontificib. elicet, Eccleſiæ Rom. à Maxentio, Maximiani Filio, jam tum conceſſum fuiſſe, ut corpora Chriſtianorum Martyrum intra orbem ſepelire ipſis liceret, donec aliunde confirmetur, probabile mihi non videtur; tam recente adhuc Diocletiani, & Maximiani lege, quæ tam aliis omnibus quàm hæreticis interdicebatur. M. CAS.

p EORUM POSTEA: Ex his inſanis quibus ſepulturam denegaſtis Donatus Bagaienſis turbam & milites ſibi conduxit adverſus Macarium. ALB.

cohortes

[1] alter Donatus, cohortes effecerat. Hoc metu deterriti illi, qui prope theſauros ferrent, quos pauperibus erogarent: invenerunt in tanta neceſſitate conſilium, ut à Sylveſtro Comite armatum militem poſtularent: non per quem alicui vim facerent, ſed ut vim, à Donato ſuprà memorato Epiſcopo diſpoſitam, prohiberent. Hac ratione factum eſt, ut miles videretur armatus. Jam quicquid ſubſecutum eſt, videte, cui debeat ac poſſit aſcribi. Furebant illic vocatorum infinita millia populorum: pro quibus & annonam competentem conſtat fuiſſe præparatam: de Baſilica quaſi publica fecerunt horrea: expectantes ut venirent, in quos furorem ſuum exercere potuiſſent: & facerent quicquid illis dementia ſua dictaſſet, niſi præſentia armati militis obſtitiſſet. Nam cum ante venturos milites, [2] [q] metatores (ut fieri ſolet) mitterentur, contra Apoſtoli præcepta competenter ſuſcepti non ſunt: *Qui ait, Cui honorem, honorem: Cui vectigal, vectigal: Cui tributum tributum. Nemini quicquam debueritis.* Rom. 13.

[r] Qui miſſi fuerant, cum equis ſuis præoccupati ſunt ab iis, quorum nomina flabello invidiæ ventilaſti. Ipſi magiſtri fuerant injuriæ ſuæ, & quid pati poſſent, ipſi prærogatis injuriis docuerunt. Reverſi ſunt vexati milites ad numeros ſuos, & quod duo vel tres paſſi fuerant, univerſi doluerunt. Commoti ſunt omnes: iratos milites retinere nec eorum præpoſiti valuerunt. Sic admiſſum eſt, quod invidiam unitati factam eſſe memoraſti. Hæc & cætera geſta & ſuas cauſas habent, & quas oſtendi perſonas obnoxias. Hoc nos nec vidimus quidem, ſed vobiſcum audivimus. Si auditus facit reos, tenemus vos ſocios, quia ſimiliter audivimus. Si à facto auditus immunis eſt; quod ab aliis, vobis provocantibus, factum eſt, nobis non de- Contuſ.

PHILIPPUS PRIORIUS.

1 ALTER DONATUS &c. Nimirum Carthaginenſis Epiſcopus qui eo furore cæcus & amentia fuit, ut altare contra altare erigere voluerit, ſibique Deum locutum fuiſſe dixerit. Fuitque Ariana labe infamis, ut ex S. Hieronymo de ſcriptoribus Eccleſiaſticis liquet, *Extant ejus multa*, inquit, *ad ſuam Eccleſiam pertinentia, & de Spiritu ſancto liber, Ariano dogmati congruens*. S. Auguſtinus lib. de hæreſib. errorem illum de Trinitate Donato peculiarem fuiſſe teſtatur, ad ſectarios tamen ejus non perveniſſe; aut ſaltem nihil ejuſmodi inter Donatiſtarum & Circumcellionum errores auditum fuiſſe. Quis verò, (ut obiter moneam de Ario loquens) Calvini oſcitantiam non arguat, qui Sabellium Ario poſteriorem facit in Inſtitutione ſua? Hic lapſus in re facili, quamvis ad religionis dogma non pertineat, notandus videtur, ut inde pateat, quâ audaciâ quidam res Eccleſiaſticas attingunt.

2. METATORES FIERI SOLET &c. Metatores pro iis accipiuntur hîc, qui præmittuntur; ut hoſpitia & domos venturis militibus aut magiſtratibus deſignent. Nam Metator Suidæ eſt ἀγγελιαφόρος ... τοῖς ἄρχουσι.

ANNOTATIONES VARIORUM.

q METATORES. Caſtrorum. IDEM.

r QUI MISSI FUERANT CUM EQUIS SUIS ET. Aliæ editiones, *Qui miſſi f. c. equis ſuis contuſi ſunt ab iis quorum* &c. Præoccupatos ait, quod ſeorſim tractati ſunt eo modo pauci illi, qui præmiſſi fuerant, priuſquam reliqui, qui non ita longo intervallo ſequebantur, pervenire poſſent, qui eos periculo eriperent. Quos hic *contuſos*, mox *vexatos*, quod tantumdem. Non mediocris enim ſeu contumeliæ, ſeu injuriæ verbum hoc eſſe *vexare*, ſed gravi & atroci rei conveniens, à viris doctiſſimis A. Gellio, & Macrobio pridem obſervatum eſt: quæ ipſorum obſervatio in legendis ſcriptoribus Eccleſiaſticis præcipui uſus eſt. Jam quod ſequitur, *quorum nomina flabello invidiæ*, &c de quibus jam quo ſenſu ſit accipiendum, docet Optatus ipſe alio loco. *Videamus quare Moyſes tria millia hominum juſſit occidi* &c. *Quare Macarius duos quorum nomina quotidie, ut ſupra dixi, flabello invidiæ ventilatis*. Non igitur ad nominum ipſorum odium aut injuriam, ſed ad faciendum aliis ex iſtis nominibus invidiam, eorum nomina, qui Metatores præmiſſos, occupato cæterorum adventu, malè multaverunt, & ab iratis militibus poſtea occiſi ſont, tanquam innocentium, ac martyrum uſque, jactabant, atque *invidiæ* ut ait Optatus, *flabello ventilabant*. Atqui ut benè excipit, ac ſubjicit mox Optatus: *Ipſi magiſtri fuerant invidiæ ſuæ: & quid pati poſſent, ipſi prærogati injuriis docuerunt. Injuriam prærogare*, inuſitatum eſt. Apud Zenon. Veron. aliquoties *prærogare*, *pro erogare* & *prærogatio* pro *dono*, ſeu *beneficio*, ſed planè eo ſenſu quo noſter Collat. Carthag. p. 394. *Quare nobis non rependitur, quod prærogavimus?* proxima autem ſententia *ad numeros ſuos* dixit, ordines, aut commilitones intelligens, ut Tertull. Apolog. cap. 37. *Si enim & hoſtes exertos, non tantum vindices occultos agere vel-*

bet imputari. [t] Querelam per ordinem depoſitis ſub Leontio, ſub Urſatio, injuriatos eſſe quàm plurimos ſub Paulo & Macario: aliquos necatos à ſequentibus eorum: neſcio quos ad tempus eſſe proſcriptos. Quid hoc ad nos? quid ad Eccleſiam Catholicam pertinet? Quicquid objeciſtis, vos feciſtis. A Deo commendatam noluiſtis libenter excipere unitatem, chariorem æſtimantes hæreditatem ſchiſmatis, quàm præcepta præpoſiti ſalvatoris. Arguiſtis operarios unitatis: ipſam unitatem improbare ſi poteſtis. Nam æſtimo vos non negare, unitatem ſummum bonum eſſe. Quid noſtra, quales fuerint operarii; dummodo quod operatum eſt, bonum eſſe conſtet? Nam & vinum à peccatoribus operariis & calcatur & premitur, Et ſic inde Deo ſacrificium offertur. Oleum quoque à ſordidis, & nonnullis male viventibus, & immunda loquentibus conficitur: [u] Et tamen in ſapore, in lumine, etiam in ſancto Chriſmate ſimpliciter erogatur. Operarios unitatis malos fuiſſe dicitis: Fortè cum voluntate Dei, cui nonnunquam placet etiam quod ab ipſo potuit prohiberi. Nam quędam mala malè fiunt: Quædam mala bene fiunt. Malum male latro facit: malum bene judex facit, dum vindicat quod latro peccavit. Nam hæc Dei vox eſt, Exod. 20. Deut. 22. *Non occides.* Et ipſius vox eſt: *Si inventus fuerit homo, dormiens cum muliere habente maritum, occidetis utroſque.* [x] In primo lib. Regn. unus Deus, & duæ diverſæ voces. Denique dum Phinees, filius ſacerdotis adulterum cū adultera inveniret, levavit cum gladio manum, & inter duas voces Dei dubius ſtetit: Hinc ad illum ſonabat, *Non occides*: Inde ſonabat, *occidetis utroſque.* Si feriret, peccaret: Si non feriret, delinqueret. Elegit melius peccatum, ut percuteret. Et fortè non defuerant, qui hujus rei vindicem quaſi homicidam notare voluiſſent. Sed ut oſtenderet Deus, aliqua mala bene fieri, Num. 25. locutus eſt dicens, *Phinees mitigavit iram meam*, & placuit Deo homicidium, quia vindicatum eſt adulterium. Quid ſi & modo Deo placuit, quod paſſos vos eſſe dicitis, qui unitatem cum toto orbe terrarum,

ANNOTATIONES VARIORUM.

lemus, deeſſet nobis vis numerorum & copiarum. Ita & alij, ſed hoc tritum eſt. M. Cas.

ſ Querelam. Hæc ita ſunt diſtinguenda, ſub Leontio & Urſatio injuriatos eſſe quamplurimos: ſub Paulo & Macario aliquos necatos: à ſequentibus neſcio quos ad tempus proſcriptos. Albasp.

t Querelam per ordinem depositis sub Leontio. *Depoſitis* aut *diſpoſitis* legamus, haud magni refert. Sed tamen verba ut aliter diſtinguantur, haud parum intereſt. lege igitur, ut jam ab aliis eſt monitum. *Querelam per ordinem depoſitis; ſub Leontio, ſub Urſatio injuriatos eſſe quamplurimos: ſub P. & Macario aliquos necatos: e ſequentibus eorum neſcio quos* &c. M. Cas.

u Et tamen in Sapore in lumine &c. Priores editiones, *Et tamen liquor in lumine. etiam in ſancto* &c. Cum ſine ſenſus diſpendio, utrumque poſſit ferri, conjungi verò & variari non uno modo verba poſſint, ſine ope ſcripti Mano exēplaris, difficile puto de vera lectione ſtatuere, nec minus ineptum valde laborare. Sed cum de vino prius, Optatus ſactum dumtaxat ejus uſum, quem habet in ſpirituali Euchariſtiæ ſacrificio commemorant, non puto eum olei uſum extra ſacra, ullum attingere voluiſſe. Quis autem olei ſit ſacer, *ſapor*, ignoro. Nam ut ſapor ſit hic μεταφορικὸν quaſi εἰς ὀσμὴν εὐωδίας, vel tale quid vellet, ne id quidem facilè conceſſerim. In *lumine* autem & *Chriſmate*, qui olim & quam multiplex uſus olei, ſatis notum eſt. Sed non eadem ſemper in omnibus eccleſiis conſuetudo fuit. In Africa autem Victor Uticenſis lib. 2. *lampades & cereos*, ut ſolitum Eccleſiarum ornatum inter alia meminit, ſi quis ſubtilior eſſe velit. per *lumen* baptiſmum quem οὕτω rectè dici docet ſanctus P. Greg. Nazianz. εἰς τὸ ἅγιον βάπτισμα poſſit intelligere. Ejus varios ritus, Dionyſ. Areop. Cyrillus Hieroſolym. præter alios explicant. Aliter tamen ego cenſeo. Sed neque τὸ Chriſma quod hic propriè de unctione, quæ κατ' ἐξοχὴν χρῖσμα, de qua Cyrillus in myſtagogicis ſingulari capite, ſeu κατηχήσει, ſed in genere de quavis unctione ſacra, quæ olim à vetere Eccleſia uſurpata eſt. M. Cas.

x In primo lib. regnorum unus Deus &c. Non poſſum ſatis admirari doctorum virorum patientiam, qui ineptiſſimam ſi quid ego video, lectionem, & quovis amandari dignam tamdio retinere ſuſtinuerunt. Quem enim ex his ſenſum eruamus? quam vel ſubodoremur, ut nunc habent? Quod ſi ineptiſſimum illud gloſſema, *in primo libro regnorum* objiciamus, nulla in verbis obſcuritas, nulla ſuſpicio remanſerit. Quæ tamen fateor abjicere facilius, & injuſta ſede deturbare, quàm divinare, unde aut qua primùm occaſione irrepſerint. Mihi ſaltem hoc occurrebat, quia Phinees mox fit mentio, quod etiam nomen primo Regum non ſemel occurrit, oſcitantem lectorem Phineem Eliæ cum altero illo Eleazari filio confudiſſe, &

y & cum memoriis Apoſtolorum quæ Deo placita eſt, habere noluiſtis. Invitus cogor hoc loco etiam illorum, quorum nolo, hominum facere mentionem, quos vos inter martyres ponitis: per quos, tanquam z per unicam religionem, veſtræ communionis homines jurant, quos quidem vellem in ſilentio prȩterire, ſed ratio veritatis ſe ſileri non patitur: Et ex ipſis a nominibus contra unitatem inconſideratè latrat invidia, & b aſpernantes aliqui accuſandam aut fugiendam ȩſtimant unitatem, quod Marculus & Donatus dicantur occiſi & mortui. Quaſi omnino in vindictam Dei nullus mereatur occidi. c Nemo erat lȩdendus ab operariis unitatis, ſed nec ab Epiſcopis mandata divina contemni debuerant: Quibus prȩceptum eſt, *Quære pacem, & conſequeris eam.* Et iterum, *Quàm bonum & quàm iocundum habitare fratres in unum.* Et iterum, *Fœlices pacifici, quia ipſi filii Dei vocabuntur.* Hoc qui nec libenter volebant audire, nec devotè facere voluerunt, quicquid potuerunt pati, ſi occidi malum eſt, mali ſui ipſi ſunt cauſa. Sed arguendus (ut dicitis) vobis videtur eſſe Macarius, quod ſine voluntate Dei ȩſtimatis eum hoc facere non potuiſſe. Habetis hujuſmodi reos antiquos: Accuſate primò Moyſen, ipſum legiſlatorem: Qui cùm de Sina monte deſcenderet, propè, nec dum propoſitis tabulis legis, in quibus ſcriptum erat, *Non occides*; tria millia hominum uno momento juſſit occidi. Macarium differte pauliſper, Phineem filium ſacerdotis, quem paulò Num. 25. antè memoravi, d in judicium provocate: ſi tamen inveneritis prȩter Deum aliquem judicem. Nam quod accuſatis in perſona ipſius, à Deo laudatum eſt quod in zelo Dei factum eſt. e Supprimite interim voces, quibus in Macarium dictar invidia. Recurrite primò ad Heliam prophetam, qui in rivo Ciſon, cum pareret voluntati Dei, quinquaginta & quadringentos occidit. Sed fortè dicitis, illos meritò occiſos: iſtos indignè. Nunquam ſequitur vindicta, niſi ejus anteceſſerit cauſa. Vindicavit (ut diximus) Moyſes, vindicavit Helias, vindicavit Phinees. Vindicavit Macarius. Si nihil offenderant, qui occiſi eſſe dicuntur, ſit Macarius reus, in eo quod ſolus nobis neſcientibus, & vobis provocantibus fecit. Quare nobis ſit invidia, cùm aliena ſint facta? Et in vobis eſt cauſa, quia propter vos, qui foris fuiſtis, quamquam & nunc foris eſſe videamini, veniſſe dicitur: non propter nos, qui intus habitamus, & numquam de radice receſſimus. Sed quia ſuprà memoratas perſonas per ordinem diximus, vi-

ANNOTATIONES VARIORUM.

cum *Numeros* debuiſſet, *Regum*, ſive *regnorum* (ut olim loquebantur) primum in margine poſuiſſe. M. CAS.

y ET CUM MEMORIIS APOSTOLORUM. Nota modum illum loquendi *cum toto orbe terrarum & cum memoriis Apoſtolorum.* Communio ab antiquis perfecta non habebatur, quamvis eam cum toto orbe haberes, niſi cum memoriis Apoſtolorum, hoc eſt cum Beato Petro communicares; perfectio communionis Chriſtianæ pendet ex communione quam habemus cum D. Petro & cum ejus ſucceſſoribus; alioquin Deo non poteſt eſſe grata. ALBASP.

z PER UNICAM RELIGIONEM. Quaſi aliis in rebus nulla eſſet religio, neque credendum eſſet, & jusjurandum interponendum, niſi per ejuſmodi Martyres. IDEM.

a NOMINIBUS. Quia eorum nomina, tanquam præcipuorum Martyrum à Donatiſtis inter ſacra & ex Diptychis recitabantur. ALBASP.

b ASPERNANTES. Si qui à Macario ſunt occiſi ut Marculus & Donatus, unitas eſt fugienda quæ Martyres facit. IDEM.

c NEMO ERAT. Macarius neminem debebat lædere, ſed neque à veſtris unitas erat impedienda. IDEM.

d IN JUDICIUM PROVOCATE: SI TAMEN INVENERIS &c. Conciunius editio 2. Fr. Balduini, *inveneritis.* Quamquam hæc tempora à Theologis ejus ævi, maximè Afris, tam accuratè non obſerventur. Teſtes præcipuè Tertullianus & Arnobius. Noſter lib. 1. *Quia quamvis foris ſitis, tamen ex nobis exiſtis.* INCERT.

e SUPPRIMITE INTERIM VOCES QUIBUS IN MACARIUM &c. Editiones aliæ, *quibus in Mac. dicta invidia recurrit, & primò ad alium proph.* &c. fortaſſe *quibus in M. dicta invidia recurrit. Recurrite primo* &c. vel ſi mavis, *quas in Mac. dictat invidia.* Recurrite &c. Cȩterum τὸ *primo* pro *prius*, nam ter repetitur. *Recurrite* autem quia

Exod. 32. Num. 25. 3 Reg. 18. Exod. 20.

deamus quare Moyſes tria millia hominum juſſit occidi : quare Phinees duos, & quare Elias quadringentos & quinquaginta; quare Macarius duos, quorum nomina quotidie (ut ſuprà dixi) flabello invidiæ ventilatis. Omnes conſtat in eos vindicaſſe, à quibus juſſio divina contempta eſt. Nam, *Non tibi facies ſculptile*, Dei vox eſt; Et, *Non facies adulterium*, ejuſdem Dei vox eſt; *Non ſacrificabis Idolis*, Idem locutus eſt. *Et non facies ſchiſma*; *& quære pacem, & conſequaris eam*; ejuſdem præceptum eſt. Temporibus Moyſi populus Iſraël caput vituli coluit, quod illis ſacrilega flamma conflavit; ideo tria millia hominum occidi meruerunt, quia Dei vox videbatur eſſe contempta. Phinees adulteros uno ictu percuſſit; laudari à Deo meruit; quoniam divinorum præceptorum contemptores occidit. Et quadringenti & quinquaginta, quos Elias occidiſſe legitur, ideo occiſi ſunt quia contra juſſionem Dei, per quod falſi vates erant, Dei præcepta contempſerant.

Et illi, quorum nominibus Macarium criminatis, nec à falſis vatibus longè ſunt. Quia vos Deus dixit futuros eſſe falſos vates, quod proximo loco probaturi ſumus : & dum pacem noluerunt recipere, nec in uno cum fratribus habitare, contra præcepta & voluntatem Dei pertinaciter obſtiterunt. Ergo videtis à Moyſe, & Phinee, & Elia, & Macario, ſimilia eſſe facta, quia ab omnibus unius Dei præcepta ſunt vindicata. Sed video vos hoc loco tempora ſeparare, ut alia fuerint ante Evangelium, alia poſt Evangelium : In quo poteſtis dicere, quia ſcriptum eſt, ut à Petro jam gladius conderetur, quo auriculam ſervi Sacerdotis abſtulerat, quo ſervum poterat quaſi devotus Petrus occidere : [f] ſed Chriſtus pati venerat, non defendi. [g] Et ſi cogitatum ſuum Petrus impleret in paſſione Chriſti, videtur ſervus vindicari, non populus liberari. Nam & Macarius, gladium à Petro vagina conditum non eduxit. Hoc probat

Ezech. 32. Deus, dum ad vallem Sion loquitur dicens, *Vulnerati in te, non vulnerati gladio.* Aut probate aliquem illo tempore gladio eſſe percuſſum. Deinde ait : *mortui in te, non mortui in bello.* Quare debetis attendere, ne temerarium ſit, eos martyres appellare, qui [h] Chriſtianorum nullum ſenſerunt bellum. Non enim tale aliquid factum aut dictum eſt, quod in bello Chriſtianorum dici aut fieri ſolitum eſt. Quod bellum perſecutio dicitur, quæ operata eſt ſub duabus beſtiis ex illis quatuor, quas Daniel de mari aſcendentes aſpexit. Prima fuit ut Leo. Hæc erat perſecutio ſub Decio & Valeriano. Secunda ut Urſus, alia perſecutio, quæ fuit ſub Diocletiano, & Maximiano. Quo tempore fuerunt & impii judices, bellum Chriſtiano nomini inferentes. Ex quibus in provincia Proconſulari (ante annos lx. & quod excurrit) fuerat Annulinus, in Numidia Florus. Omnibus notum eſt, quid eorum operata ſit artificioſa crudelitas. Sæviebat bellum Chriſtianis indictum : in templis dæmoniorum

ANNOTATIONES VARIORUM.

mox ad Macarium redituris, feſtinato opus erat. Prius enim dixerat, *Macarium differte pauliſper* &c. M. CAS.

f SED CHRISTUS VENERAT PATI. Reſpondebant Donatiſtæ, diſtinguenda eſſe tempora, & poſt adventum Chriſti neminem lædendum eſſe : gladiumque Petri exemplo recondendum eſſe : quibus rurſus reſpondet Optatus, gladium quidem Petrum recondidiſſe, quia oportebat Chriſtum pati, non defendi; ſed illum exemplum ultra Chriſti paſſionem non eſſe producendum. ALBASP.

g ET SI COGITATUM SUUM PETRUS &c. Scribe, *& ſi cogit. S. Petrus impleret, in paſſione Chriſti videretur ſervus vindicari non populus liberari*, ſi inquit Petrus executus eſſet, quod ſitus ei zelus dictabat, ut ſervum illum ſcil. occideret, potuit videri Chriſtus paſſus tanquam reus cædis, & homicidii à diſcipulo commiſſi potius, quàm innocens pro ſontibus. M. CAS.

h CHRISTIANORUM BELLUM. Imperatorum perſecutionem. IDEM.

diabolus triumphabat : [i] immundis fumabant aræ nidoribus , [j] [k] & quia ad ſacra ſacrilega venire non poterant , ubicunque thus ponere cogebantur. Omnis locus [l m] templum erat ad ſcelus , inquinabantur prope morientes ſenes : ignorans polluebatur infantia : à matribus parvi liberi portabantur ad nefas : parentes incruenta parricidia facere cogebantur. Alii urgebantur templa Dei vivi ſubvertere , alii Chriſtum negare , alii leges divinas incendere , alii thura ponere. Horum aliquid à Macario factum eſſe , nec vos ipſi confingere poteritis. Sub perſecutore Floro , Chriſtiani Idolorum cogebantur ad templa ; ſub Macario pigri compellebantur ad Baſilicam. Sub Floro dicebatur , ut negaretur Chriſtus & Idola rogarentur. [o] Contra ſub Macario commonebantur omnes ut Deus unus pariter in Eccleſia ab omnibus rogaretur. Si ſuprà memoratos videri martyres vultis , probate illos amaſſe pacem , in qua prima ſunt fundamenta martyrii : aut dilexiſſe Deo placitam unitatem , aut habuiſſe cum fratribus charitatem. Nam omnes Chriſtianos, fratres eſſe & in primo libello probavimus , & in quarto procul dubio probaturi ſumus. Quos dicitis debere appellari martyres , quia noluerunt fratres agnoſcere , nullam habuerunt charitatem. Nec dicatur ad excuſationem , quia Traditoribus communicare noluerunt : cùm manifeſtiſſime probatum ſit eoſdem ipſos filios fuiſſe traditorum. Nulla igitur eſt excuſatio , quia charitatem illos non habuiſſe manifeſtiſſime conſtat , ſine qua nullum vel nominari poteſt , vel eſſe martyrium : ſine qua maxima & imperioſa virtus caret effectu : ſine qua nihil valet omnium ſcientia linguarum : ſine qua nihil poteſt etiam [p] ſocietas angelorum , Apoſtolo Paulo dicente , *Si habeam in me poteſtatem imperandi montibus , ut transferant ſe de locis in loca , & loquar omnium gentium linguis , etiam , angelorum, & corpus meum flammis tradam , & charitatem in me non habeam , nihil ſum ; ſed ero æramentum tinniens in deſerto* , ut pereat vocis opus , ubi nullus occurrit auditus. Si tanta res , ſi B. Paulus , ſi vas electionis , quamvis cum imperioſa virtute & angelorum ſocietate , pronunciat ſe nihil eſſe , niſi charitatem habuerit: videte, an non dicantur martyres, ſed aliquid aliud 1. Cor. 13.

PHILIPPUS PRIORIUS.

1. IMMUNDIS FUMABANT ARÆ NID. &c. Poëtico ſtilo exprimit Gentilium ſuperſtitionem , apud quos ſacrificulidus ſuis cibos præparabant : Quod deridet more ſuo Lucianus, dum ait Deos , ore hianti ſuper fumum ſanguinem haurire aris infuſum, quaſi muſcæ eſſent.

ANNOTATIONES VARIORUM.

j ET QUIA. Et qui : meliùs. ALBASP.

k ET QUIA AD SACRA SACRILEGA &c. Scribo , *& qui ad Sacra ſacrilega venire non poterat, ubique thus ponere* , (id eſt , adolere , thus offerre , & inde *thurificati* in illius temporis hiſtoria decantatiſſimi:) cogebatur. Morbo vel ætate confectos & κλινικοὺς intelligit ; quos ſontica cauſa domi retinebat. Unde eleganter infert Optatus : *Omnis locus templum erat ad ſcelus*. Quare miror quemquam adeò invenuſtum fuiſſe , qui veterem lectionem , *templum erat aut ſcelus* , præferret. M. CAS.

l TEMPLUM ERAT AD SCELUS. Aut ſcelus : meliùs. ALBASP.

m TEMPLUM ERAT AD SCELUS. *Templum* Optato eſt *fanum gentis Idolatriæ* , Supra lib. 1. *Nam prioribus ut templa fabricarentur , & Idola fierent*. Item lib. eod. & lib. 6. INCERT.

n NEGARETUR CHRISTUS , ET IDOLA ROGARENTUR. *Rogare* eſt *adorare*. Infrà hoc libro. *Teſtamentum divinum legimus pariter , unum Deum rogamus*. Item. *Paganum vocaverunt , qui Deum per filium ejus ante aram rogaverit*. IDEM.

o SUB MACARIO PIGRI COMPELLEBANTUR &c. Non hic *pigros* intelligit , qui negligentius Eccleſias , & cœtus Eccleſiaſticos frequentabant , ſed ſchiſmaticos, alioſque qui non negligentia peccabant , ſed conſulto conſilio, aut certo potius furore , cœtus Catholicorum , quaſi impuros & inquinatos , vitabant & averſabantur , in eoque non minimam partem ponebant. Ita Donatiſtæ Catholicos , *pigros* & ipſi vocabant. Noſter lib. 6. *& reſidentes in ſinu matris Eccleſia quaſi pigros & tardos accuſant* , &c. vide & ſupra ad iſta lib. 2. *inertia à confeſſione Dei dilapſos thurificaſſe* &c. M. CAS.

p SOCIETAS ANGELORUM. Videtur explicare

appellari mereantur, qui charitatis deſertores pro eadem deſertione pati aliquid potuerunt. Gaudet totus orbis de unitate Catholica, prer̨er partem Africæ, in qua incendium de ſcintilla conflatum eſt. Ab operariis Unitaris querimini neſcio quæ eſſe commiſſa. Hoc non queritur Italia, non Gallia, non Hiſpania, non Pannonia, non Galaria, non Gręcia, non cum rot provinciis ſuis Aſia. Quia nihil illic fuerar emendandum, nullus illuc miſſus eſt emendator: quia nihil illis fuerat ſciſſum, nullus illuc miſſus eſt (ut ita dixerim) ſartor. & hic in Africa jam dudum populo in unitare manente, veſtis fuerat ſana: æmula manu inimici diſciſſa eſt. Pendebant quodammodo panni de una veſtis origine, & de una radice venienres. [q] Ut quid ſe pars parti anteponit? aut quid ſupra alterum pannum alter pannus extollit, cùm meliorem ſe probare non poterit? Quid enim, ſi dicat contemptus pannus, *Quid te tantum extollis?* [r] *In* [s] *ove pares crevimus: In manibus conficientium ſimul fuimus? apud lotorem pariter mundati ſumus? Inimicus nos voluit ab invicem ſcindere. Adverſarius pulchritudinem noſtram voluit deformare. In parte veſtis adhuc unum ſumus, ſed in diverſa pendemus.* [t] Quod enim ſciſſum eſt, ex parte diviſum eſt, non ex toto conciſum. Et meritò, quia nobis & vobis Eccleſiaſtica una eſt [u] converſatio: & ſi hominum litigant mentes, non litigant Sacramenra. Denique poſſumus & nos dicere, *pares credimus, & uno ſigillo ſignati ſumus: Nec aliter baptizati quàm vos. Nec aliter ordinati quàm vos.* [x] *Teſtamentum divinum legimus pariter; unum Deum rogamus.* [y] *Oratio dominica apud nos & apud vos una eſt, ſed ſciſſura (ut ſuprà diximus) facta partibus hinc atque inde pendentibus, ſartura fuerat neceſſaria.* Et tamen hujùs rei artifex aur operarius, dum vult veſtem in antiquam faciem revocare, vicina fila compungit. Diſplicet tibi ſartor, qui ſciſſuram, dum ſanat, vulnerat. Ille tibi magis diſpliceat, qui fecit, ut ſartor peccare potuiſſet. Et, Quæ in vos ab operariis unitatis dicitis eſſe commiſſa: aur ad parentes veſtros pertinent, quorum cauſa facta ſunt: aut ex voluntate Dei deſcendunt. Nos tamen inde alieni ſumus. Quid ſi quamvis aſpera, tamen (ut dixi) cum voluntate Dei videntur eſſe commiſſa? Legimus enim in Ezechiele Propheta parietem dealbatum, [z] cui Deus comminatus eſt tempe-

ANNOTATIONES VARIORVM.

hæc Apoſtoli verba: *etiam Angelorum*, de aliqua cum eis ſocietate & communione: *& loqui omnium gentium linguis*, eſſe Epiſtolas communicatorias ab omnibus gentibus accipere, & cum eis communicare. ALBASP.

q UT QUID PARS PARTI SE ANTEPONIT. Orthodoxi volebant communicare cum Donatiſtis; Donatiſtæ autem reluctabantur, & eorum communicationem fugiebant quapropter ſeſe anteponebant. IDEM.

r IN OVE. Meliùs quàm *nonne*. IDEM.

ſ NONNE PARS CREVIMUS. Puer hæc legens animadvertat legendum *pares*, non *pars*. Fr. Balduini editio 2. habet, *In ove pares crevimus*. INCERT.

t QUOD ENIM SCISSUM EST, EX PARTE DIVISUM EST &c. Subtiliter diſtinguit inter iſta, *ſcindere*, & *abſcindere*; quod tamen diſcrimen, à quoquam obſervatum vix alibi reperies. Interim res ipſa digniſſima, quæ diligenter animadvertatur. M. CAS.

u CONVERSATIO. Una diſciplina. ALBASP.

x TESTAMENTUM DIVINUM LEGIMUS &c. Notandum eſt huic ſcriptori, *rogare* eſſe, adorare, *negare* verò, eſſe renegare, quod verbum hodie in Hiſpaniſmo Latinitatis retinentiſſimo integrum remanſit. BARTH.

y ORATIO DOMINICA. Per orationem intelligit Miſſæ Sacrificium. ALBASP.

z QUI COMMINATUS EST TEMPESTATEM &c. *Accuſationis*, quod hic ſæpe repetit Optatus, tanquam ex propheta, neque in iis quæ ex eo profert hic, neque in toto illo, ut nunc legitur Ezechielis capite, ullum veſtigium. Græci tamen, quod Hebr. ונפדת וכליהם בתוכה tranſtulerunt (ſaltem hodiè ita legitur) κ̀ ποιήσω κ̀ συντελέσω μετ᾽ ἐλέγχων, unde fortaſſe Optatus, aut interpres potius, quem ſecutus eſt. Cætera etiam ex eodem capite, etſi magna varietas, fient tamen illuſtriora, ſi cum Græcis contendantur. Sed hoc jam aliquoties monuimus, neque ſemper inculcandum eſt. Jam etiam illud monuimus, Optatum interdum verba aliqua ſua interſerere ſcripturæ verbis, ut mox, *non ſunt quæ dico*, *de luto aut pariete*, quod ipſe quaſi ſupplet. Quod autem ſequitur *hoc verbo*, ſeducunt, *videte cui parti competat*, ita intelligendum eſt: vel hoc uno verbo conjicite, cui reliquus totus locus competat, alioquin, *hoc verbum* dicendum fuiſſet. Etiam paulò antè, quod hic, *ſed fundamentis ſuis ſe iterum reparavit*,

ſtatem, pluviam & [a] lapides petrobolos, & accuſationes. *Erunt* (inquit) *vates qui ædificent ruinoſum parietem, dicentes, pax pax: Et ubi pax?* Recordamini, quo modo à vobis jam dudum matris [b] [c] Eccleſiæ membra ab invicem diſtracta ſunt. Non enim unquamque domum ſemel ſeducere potuiſtis. Sed aut ivit uxor, & reſedit maritus: aut parentes ſeducti ſunt, & filii ſequi noluerunt: aut ſtetit frater, ſorore migrante: perſuaſionibus veſtris diviſa ſunt corpora & nomina pietatis. Et non potuiſtis prætermittere, [d] quod legitimum eſt. Utique dixiſtis, *pax vobiſcum*; Cum Deus contra, *pax, & ubi pax?* hoc eſt dicere, *quid ſalutas, de quo non habes? quid nominas? Quod exterminaſti, ſalutas de pace qui non amas, Hi* (inquit) *ædificant ruinoſum parietem*, Domus Dei una eſt. Qui foras exeuntes, partem facere voluerunt, parietem fecerunt, non domum; quia non eſt alter Deus, qui alteram domum inhabitet. Ideo parietem feciſſe dicuntur falſi vates, in quo ſi janua fuerit collocata, [e] quicumque intraverit, foris eſt. Nec lapidem habere angularem unus paries poteſt, qui lapis eſt Chriſtus, duos in ſe ſuſcipiens populos; unum de gentibus, alterum de Judæis; qui nodo pacis jungit utrumque parietem. Nam quot commoda habet domus, tot incommoda paries. [f] Domus incluſa cuſtodit, tempeſtatem retundit, pluviam diffundit, latronem aut furem aut beſtiam non admittit; Sic & Eccleſia Catholica omnes filios pacis gremio & ſinu ſuo complectitur. Contrà paries, qui eſt ædificatus ruinoſus, nec lapidem angularem ſuſtinet, & januam ſine cauſa habet, nec incluſa cuſtodit: pluvia udatur, tempeſtatibus cæditur: nec poteſt arcere latronem, nec venientem prohibet furem. Paries enim res de domo eſt, ſed domus non eſt. Et pars veſtra quaſi Eccleſia eſt, ſed catholica non eſt. *Et dealbant* (inquit) *eum*, hoc eſt, quod vos ſolos ſanctos æſtimatis. Querimini vos ſine nobis aliqua eſſe paſſos. Ergo conſtat vos ſolos aliqua paſſos. Quia aliud eſt tempus pacis, aliud perſecutionis. Si perſecutionem putatis: dicite, quid vobiſcum paſſę ſunt univerſæ provinciæ, in quibus eſt Eccleſia Catholica conſtituta? Sed quia

Epheſ. 2.

ANNOTATIONES VARIORUM.

mallem cum aliis edit. *Sed de fundamentis ſuis* &c. M. CAS.

a LAPIDES. PETROVOLOS. Id eſt, *Petrobolos.* Sic alibi & in hac voce & aliis *v.* vice *b.* poſita eſt. *Savinus* pro *Sabinus Theveſtina* civitas pro *Thebeſtina*, & fortè ſupra *veneficium* pro *beneficio* INCERT.

b ECCLESIÆ MEMBRA AB INVICEM DESTRVCTA. Lege *diſtracta*. quomodo in editione 2. Fr. Balduini. IDEM.

c ECCLESIÆ MEMBRA AB INVICEM DESTRUCTA SUNT. Concinniùs legatur *ab invicem diſtracta*, quam phraſin infra his libris illuſtrabimus. Acutum eſt ad quod de falſis ovilibus, poſtea, *quicunque intraverit foras eſt*, & adhuc, *Domus incluſa cuſtodit*, &c. Domus commoda hæc ſunt, cuſtodire incluſa, pluviam corporibus arcere, latrones, beſtias, fures, ne irrumpant munitis parietibus diſtinere. Qui poſtremi apud Ariſtophanem ac Plautum *parietum* perfoſſores velut ſolenni convicio appellantur. Quare vera prorſus eſt conjectura noſtra, verbo *defendere* non *diffundere* hic opus habere ſententiam. Adfuit deinde Eruditiſſ. vir, qui Notas noſtras ad Editionem ſecundam Balduini exactas in gratiam Typographi edidit cum Optato, nos verò, mœrentes ſcilicet, aceto nonnunquam perfudit caſtigatorio; qui cum apud Martialem legiſſet *tegularum* quoddam eſſe genos, quod effundere pluviam diceretur, ex eo Poetæ loco, caſtigandam noſtram conjecturam credidit. Sane extra rem. Nam Optatus de fine ipſo domus tegendæ loquitur generali, Martialis de certa quadam ſpecie, ut dixi, tegularum, quæ in id comparata erat, ut pluviam conceptam certo loco effunderet. Verba Martialis lib. 5.

Cum pluvias madidumque Iovem perferrè negaret.
Et rudis hibernis villa nataret aquis.
Plurima quæ poſſet ſubitos effundere nimbos,
Muneribus venit tegula miſſa tuis.

Defendere autem, *arcere* eſt. Vide Commentatorem Horatii lib 1. Carm. 17. Nonium cap. 4. & quæ nos non uno loco notamus ad Claudianum. BARTH.

d QVOD LEGITIMVM EST. Cum per domos diſcurrerent Donatiſtæ ut ſimplices corrumperent, uſurpatam & ſolitam ſalutandi formam, quæ apud Chriſtianos frequentabatur, non prætermittebant, dicebantque, *Pax huic domui*, quare prophetæ locus ad eos pertinebat. ALBASP.

e QVICVNQVE INTRAVERIT, FORIS EST. Acutè & eleganter dictum de falſis ovilibus. INCERT.

f DOMVS INCLVSA CVSTODIT, PLVVIAM DIFFVNDIT. Minus neceſſaria eſt hic correctio Barthiana, *pluviam defendit*: ut ſit *defendere* pro

vindicta fuit, non perſecutio, ſolus paries paſſus eſt. Cui Deus intermi-natus eſt tempeſtatem, pluviam, & lapides petrobolos & accuſationes. Sic enim locutus eſt, *Quid ædificaſtis ruinam? quid dealbaſtis? quid laviſtis? Hoc contra voluntatem meam eſt, dicit dominus.* Diſplicent vobis tempora neſcio cujus Leontii, Urſatii, Macarii, & cęterorum. Emendate voluntatem Dei, ſi poteſtis: Qui dixit, *contra parietem exurgam cum ira mea, & immittam tempeſtatem nimiam, & pluviam diluentem, & lapides, petrobolos, & percutiam parietem ruinoſum, & diſſolventur compagines eius.* Sed ne quis veſtrûm dicat, ſi unitas bonum eſt, quare totiens facta durare non potuit? quia ſic res ipſa à Deo eſt ordinata, qui comminatus eſt tempeſtatem, pluviam, lapides & accuſationem. Et iſtę quatuor res non poterant uno tempore fieri. Fuit primò tempeſtas, [g] agitatus eſt paries, ſed non cecidit, [h] ut haberet pluvia, ubi operaretur. Secuta eſt pluvia, udatus eſt paries, ſed non maduit, ut haberent lapides, ubi operarentur. Poſt pluviam ſecuti ſunt lapides, diſperſus eſt: ſed fundamentis ſuis ſe iterum reparavit. Jam tria peracta ſunt: debentur vobis accuſationes. Sed quomodo & quando, novit ille, cui placuit de vobis iſta nunciare. Et ne aliquis de hoc intellectu dubitaret, Deus
Luc. 3. addidit, dicens, *Non ſunt quæ dico de luto aut de pariete, ſed de falſis Prophetis, qui ſeducunt populum meum.* Hoc verbo, *ſeducunt*, [i] videte cui parti competat. Nobiſcum erant omnes, nobis abſentibus irruiſtis: & ut haberetis quos habere deſideraſtis, non potuiſtis niſi ſeducere. Et quæ ſint verba ſeductio-
Gen. 19. nis veſtrę, omnibus notum eſt. Veſtrum eſt dicere: *Attendite poſt vos:* veſtrum eſt dicere, *redimite animas veſtras*: veſtrum eſt dicere hominibus fidelibus & [k] Clericis, *eſtote Chriſtiani.* Sed cum dicitis, *Attendite poſt vos*, contra Evangelium facitis, ubi dictum eſt, *Nemo tenens manicam aratri, poſt ſe attendens, intrabit regna cœlorum.* Et vultis ſcire quid meruit, qui poſt ſe attendit, & qui ante ſe? Recordamini Sodomorum fugitivos, Loth & uxorem ejus, quę poſt ſe attendit, in ſtatuam ſalis mutata eſt; Qui ante ſe proſpexit, evaſit. Quid eſt ergo quod dicitis, *Attendite poſt vos?* Nam & cum dicitis, *Redimite animas veſtras*; unde illas emiſtis, ut vendatis? [l] Quis eſt neſcio quis angelus, qui [m] nundinas facit animarum? Cum dicitis, *Redimite, animas veſtras* redemptori renunciatis cùm ſolus Chriſtus ſit redemptor animarum quas ante ejus adventum diabolus poſſidebat? has ſanguine ſuo
1. Cor. 7. Chriſtus ſalvator noſter redemit, Apoſtolo dicente, *Empti eſtis precio ma-*

ANNOTATIONES VARIORUM.

arcere. Sed ante Optatum ſic ſimiliter locutus Martialis,

Plurima quæ poſſet ſubitos effundere, nimbos,
Muneribus venit tegula miſſa tuis.

IDEM.

g AGITATUS EST PARIES, SED NON CECIDIT, UT HABERET PLUVIA, UBI OPERARETUR. Ita lege cum editione 2. Fr. Balduini. INCERT.

h UT HABET PLUVIA UT OPERATUR. Legendum conjeceram, *ut haberet pluvia ubi operaretur*, cum eamdem Scripturam confirmavit editio 2. Fr. Balduini. BARTH.

i VIDETE CUI PARTI COMPETAT. Sic eadem legendum, nam perperam *videre* excuſſum eſt. INCERT.

k CLERICIS ESTOTE CHRISTIANI. Orthodoxorum baptiſmum reſpuebant. ALBASP.

l QUIS EST NESCIO QUIS ANGELUS &c. Malus utique, id eſt, diabolus, qui animas nondum redemptas à Chriſto, poſſediſſe mox dicitur. An eo reſpexit, quod Chriſtus qui nos redemit, *Angelus fœderis*, Malach. 3. fuiſſe etiam hæreticos qui *Angelos creatores eſſe animarum* aſſererent, docet Auguſtinus, ubi de Seleucianis, ſeu Hermianis hæreticis, ſed illud huc pertinere non puto. M. CAS.

m NUNDINAS FACIT ANIMARUM. Eleganter venditionem dixit, ut [illegible] legere memini apud Nazianzenum. BARTH.

gno:

gno. Conſtat enim ¹ ſanguine Chriſti omnes redemptos. Chriſtus non vendidit quos redemit. Animæ emptæ à Chriſto non potuerunt vendi, ut poſſint, ſicut vultis, à vobis iterum redimi. Aut quomodo poteſt una anima duos dominos habere? At nunquid eſt alter redemptor? Qui Prophetæ nunciaverunt alterum eſſe venturum? Quis Gabriel iterum ad alteram Mariam locutus eſt? Quæ virgo iterum peperit? Quis virtutes novas aut alteras fecit? Si nullus eſt præter unum qui redimit animas omnium credentium, quid eſt quod dicitis, *Redimite animas veſtras*? Jam illud quale eſt, quod hominibus Chriſtianis etiam Clericis dicitis, *Eſtote Chriſtiani*? n o Et eum admiraculo quodam unicuique dicere. Cai Sei aut Caia Seia, adhuc paganus es aut pagana? Eum, qui ad Deum, ſe converſum eſſe profeſſus eſt, paganum voeas? Eum qui à nobis vel à vobis non in nomine noſtro vel veſtro, ſed in nomine Chriſti tinctus eſt, paganum voeas? p Sunt enim qui & à vobis baptizati ſunt, & ad noſtram communionem poſtea tranſierunt. Paganum vocas eum, q qui Deum patrem per filium ejus ante aram rogaverit? Quicumque enim crediderit, in nomine Patris, & Filii, & Spiritusſancti credidit. Et tu eum Paganum vocas poſt profeſſionem fidei? Si aliquid Chriſtianus (quod abſit) unuſquiſque deliquerit, r peccator dici poteſt. Paganus iterum eſſe non poteſt. Sed hæc omnia vultis nullius eſſe momenti. At ſi tibi conſenſerit, quem ſeducis: unus conſenſus & ſ manus tuæ porrectio, & t pauca verba, jam tibi Chriſtianum faciunt u de Chriſtiano: & ille vobis videbitur Chriſtianus, qui quod vultis fecerit, non quem fides adduxerit. Et ſi ſeductioni veſtræ paulo tardius fuerit accommodatus adſen-

PHILIPPUS PRIORIUS.

1. SANGUINE CHRISTI OMNES REDEMPTOS. Facit hic locus contra Socinum, qui Chriſti mortem redemptionem nobis acquiſiviſſe negat. Quamvis mille locis ſcripturæ id manifeſtum ſiat. *Traditus eſt*, inquit S. Paulus Rom. 4. 25. *propter peccata noſtra*, & Hebr. 10. 12 *Chriſtus obtulit ſacrificium pro peccatis*. Hilarius Pictavienſis ad cap. 14. Matth. *Dominus ſolus paſſurus pro omnibus, omnium peccata ſolvebat*. Elegantiſſimè iſtud exprimit Cyrillus Hieroſol. Catech. 13. ἄλλοι δὲ μόνως τοὺς ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας κατεχομένους, καὶ κόσμον ὅλον ἀνθρώπων ἐλύτρωσεν, καὶ μὴ θαυμάσῃς εἰ κόσμον ὅλον ἐλυτρώσατο· οὐ γὰρ ἦν ἄνθρωπος ψιλὸς, ἀλλὰ υἱὸς Θεοῦ μονογενὴς ὁ ὑπὲρ ἀποθνῄσκων. Sed hæc obvia ſunt paſſim apud ſcriptores omnes; unde mirari ſubit Socinum; qui cùm Eccleſiæ doctrinam ſibi deſerendam proponeret, illam potiſſimum partem, quæ eſt de ſatisfactione Chriſti, ſive propitiatione pro peccatis noſtris audacter impugnavit.

ANNOTATIONES VARIORUM.

n NOTA *admiraculum* unâ voce, quod nobis eſt *miraculum*. INCERT.

o ET CUM ADMIRACULO QUODAM UNICUIQUE DICERE, CAI SEI. Fr. Balduinus edidit plenius, *Cai Sei, aut Caia Seia, adhuc paganus es, aut pagana*. IDEM.

Ibidem, *Non quærebat illud, quod humana ſemper exigit conſuetudo de pluviis, de pace*, &c. quæ continuis duodecim ſequentibus paginis leguntur, deſinentia in hæc verba: *vindicavit Helias, vindicavit Phinees*; alieniore loco leguntur, & referenda ſunt ad paginam 68. v. 22. quemadmodum ibi monuimus. His ita in ſuum locum tranſpoſitis, continuandus deinde ſermo ad hunc modum: *Et cum admiraculo quodam unicuique dicere, Cai Sei, aut Caia Seia, adhuc paganus es, aut pagana? Eumque ad Deum ſe converſum eſſe profeſſus eſt, paganum vocas?* &c. IDEM.

p SUNT ENIM QUI A VOBIS. Vocabant paganos non ſolùm eos qui eſſent baptiſati ab Orthodoxis, ſed etiam eos qui poſt baptiſmum à Donatiſtis acceptum ad communionem Orthodoxorum tranſierant. ALBASP.

q QUI DEUM ANTE ARAM. Catechumeni ante aram non orabant neque Deum Patrem vocabant: hoc fidelibus duntaxat licitum erat. IDEM.

r PECCATOR DICI. Poſt baptiſmum quicumque peccat poteſt dici peccator, non autem Paganos. IDEM.

ſ MANUS TUÆ PORRECTIO. De abſolutione hæc accipienda eſſe videntur, eumque loqui de iis qui eſſent baptizati apud Donatiſtas: niſi dicas & hæc verba, *At ſi tibi conſenſeris*, ad eos referenda qui eſſent tincti apud Orthodoxos. IDEM.

t PAUCA VERBA. Oratio manus impoſitionem ſequebatur. IDEM.

u DE CHRISTIANO. Antiqui non pluris faciebant peccatorem antequam pœnitentia donatus eſſet, quàm Ethnicum, eumque pro non Chriſtiano habebant. Tertull. de pudicitia, *ſecunda te pœnitentia excipiet, eris iterum de mœcho Chriſtianus*: Quapropter hæc verba poſſunt & ad pœnitentes & ad rebaptiſatos referri. IDEM.

ſus, etiam illa vobis argumenta non deſunt: quibus facile etiam nolentibus, quod vultis, ſuadere poſſitis: dum dicitis, auditum eſſe ex ore eorum, qui jam dudum in veſtro collegio fuerant, *Quod qui guſtaret aut acciperet* [x] *de ſacrificio adventantis unitatis*, [y] *de ſacro guſtare videretur.* Non negamus ab aliquibus eſſe hæc dicta, quos conſtat poſtea tota ſecuritate [z] feciſſe, unde paulò antè populos deterrebant: ſed [a] alia ratio exegit has voces, alia invitavit in factum. Nam ut hæc dicerent qui feruntur iſta dixiſſe, opinio falſa eorum aures & omnium populorum oppleverat. Dicebatur enim illo tempore venturos eſſe Paulum & Macarium, qui intereſſent ſacrificio, ut cùm altaria [b] ſolenniter aptarentur, [c] proferrent illi imaginem, [d] quam primo in altari ponerent: ſic ſacrificium offerretur. Hoc cùm acciperent aures, perculſi ſunt & animi, & uniuſcujuſque lingua in hæc verba commota eſt, ut omnis qui hoc audierat, diceret, [e] *Qui inde guſtat, de ſacro guſtat.* Et rectè dictum erat, ſi talem famam ſimilis veritas ſequeretur. At ubi ventum eſt à ſupradictis, nihil tale viſum eſt, ex eo quod fuerat paulo antè mentita fama: nihil viderunt oculi Chriſtiani quod horrerent. Nihil probavit aſpectus ex iis quibus perturbatus erat auditus; Viſa eſt puritas, & [f] ritu ſolito ſolemnis conſuetudo perſpecta eſt. Cùm viderent divinis ſacrificiis, nec mutatum quicquam, nec additum, nec ablatum, [g] Pax à Deo commendata, [h] volentibus placuit. Quare nullus eorum debet argui, qui de collegio veſtro ad pacem tranſitum fecit. Qui fuerant ſiniſtra opinione turbati, ſimplici ac pura veritate firmati ſunt. Nec dicantur de amaro feciſſe dulce, aut de dulci amarum. Amaritudo, quæ de falſitate videbatur fuiſſe nunciata, in ſinu opinionis reſedit ac remanſit: veritas perſpecta oculis, dulcedinem ſuam in ſe habens, à falſæ opinionis limitibus ſeparata eſt. Ergo nec de amaro factum eſt dulce, nec de dulci amarum: [i] quia & aliud & extra eſt, quod eſt viſum: & longè fuerat, quod videbatur auditum.

ANNOTATIONES VARIORUM.

x DE SACRIFICIO ADVENTANTIS UNITATIS. De Sacrificio Euchariſtiæ quod celebraretur à preſbyteris Macarii. ALBASP.

y DE SACRO. De cibis immolatis in Sacrificiis Deorum. IDEM.

z FECISSE. Interfuiſſe Miſſæ, & de Euchariſtia ſumpſiſſe. IDEM.

a ALIA RATIO. Quam poſtea exponit, nempe de imagine. IDEM.

b SOLEMNITER APTARENTUR. Vide quemadmodum altaria ſolemniter præpararentur quando ſacrificium celebrandum erat. IDEM.

c PROFERRENT ILLIC IMAGINEM &c. Hunc locum de *labratis* Imperatorum interpretatur quoque Baronius in Annal. nihil ille tamen aliud adfert, quàm quod Balduinus in notis. Cæterum, qui plura de iſtis, ſeu ritu, ſeu voce cupiet, eaque certè, ſi quæ alia ſcitu digniſſima, ſingulare hujus ætatis decus Claud. Salmaſium in Auguſtæ Hiſt. Scriptores adeat. De iis extat & integrum caput in lib. Caroli M. contra imagines lib. 3. c. 15. cujus argumentum eſt, *Contra eos qui dicunt, ſi enim imperiales* &c. M. CAS.

d QUAM PRIMO IN ALTARI PONERENT. Alii Dei imaginem. ALBASP.

e QUI INDE GUSTAT. Qui guſtaret de Euchariſtia oblata ſuper altare, in quo poſita eſſet illa imago. IDEM.

f RITU SOLITO. Ritu Chriſtianorum. IDEM.

g PAX A DEO COMMENDATA, &c. Alludit ad iſta Evangelii quæ jam ſuprà protulit, *pax hominibus in terra bonæ voluntatis*, Optatus (quod eſt magis Latinum) *volentes* ſeu *volentibus* (neque enim Hebraiſmi illi veniebat in mentem) expreſſit. Malè igitur qui aliter explicant. Cæterum hanc veterum & Vulgatæ hodieque lectionem non immeritò doctus Interpres, non modo laudat, ſed & amplecti ſe paratum profitetur in commentariis. M. CAS.

h VOLENTIBUS PLACUIT. Amantibus: deſiderantibus, volens in antiquis ponitur pro amico, pro deſideranti, pro benevolo; Virgilius, *populo dare jura volenti*, hoc eſt obtemperanti. Salluſtius *pariter volentes*, pariter amici. ALBASP.

i QUIA ET ALIUD ET EXTRA EST, QUOD EST VISUM, &c. Non opinor aliud vult Optatus his verbis, quàm quod planius, & communius dicere potuit, aliud longè viſum eſſe, eſt, quàm quod auditum fuerat. Quod ſi quis tamen ultra magis acutum quicquam, ex illo *extra eſt* eruiturus eſt, quia prius, *veritatem dulcedinem ſuam in ſe habere* dixit, minimè prohibeo. Illud multò majoris eſt momenti, quod cùm in his verbis finis libri tertii ab omnibus hactenus conſtitutus ſit, ego multa porro deeſſe comparatis editionibus, quod nec Albaſpinæus omiſit, comperi. Et deſunt quidem omnino, in ſecunda hac & meliori Balduini editione; quod an conſulto conſilio ab eo factum ſit, an

Sed ut ad paulò ante dicta redeamus, jam ad illum locum invidia veſtra dilabitur, ut dicatis Macarium poſt illa facta communioni non debuiſſe miſceri: ſed magis à Cath. Epiſcopis abſtineri. Primò communionis unum eſt nomen, ſed diverſi ſunt actus. Aliud eſt communicare Epiſcopum cum Epiſc. & aliud communicare laïcum cum Epiſcopo. Tunc erat grave ſi Macarius quod feciſſe dicitur, ſua voluntate feciſſet; quod qui faciunt, factum judiciis publicis & Romanis legibus vindicatur. Ille eſt enim homicida, qui nulla neceſſitate cogente, nulla juſſione, nulla poteſtate, ſed furore adactus, de voluntate ſua fecerit quod prohibent leges. Cæterùm, Macarius quod feciſſe dicitur, vobis provocantibus fecit: nec Epiſcopus fuit, nec in officio Epiſcopali verſatus eſt, nec manum alicui impoſuit, nec ſacrificium obtulit. Unde cùm eum conſtet alienum fuiſſe ab Epiſcoporum actibus, nullus Epiſcopus ab eo qui cum Epiſcopis non obtulit, videtur eſſe pollutus. Reſtat ut dicatis eum cum populo communicaſſe. Et locutum eum eſſe aliquid in populo conſtat, ſed inſinuandi alicujus rei cauſa, [k] non tamen tractandi, quod eſt Epiſcoporum. Ille enim nudè

ANNOTATIONES VARIORUM.

caſu acciderit, ex ejus verbis haud ſatis intelligas. Ait ille quidem, quod ex lib. 3. temerè de cauſa Macarii lib. 7. repetitum erat, deleviſſe. Quod ſanè ab illo meritò factum eſſet, ſi modo tantum deleviſſet, quantum temerè repetitum fuerat, jamque ſuo loco extabat, tranſtuliſſet autem, quod alieno loco redundabat, proprio autem deſiderabatur. Cui autem quicquam omnino deleret, ut jam nullibi, neque tertio, neque ſeptimo libro, pars eorum non pœnitenda, quæ c. 3. in 7. malè traducta fuerant, conſpiceretur, cauſa nulla fuit, vixque puto (quocumque caſu acciderit) ab illo volente, ac prudente factum eſſe. Nam ſi ut adulterina rejeciſſet, hoc ſaltem monitum fuiſſe lectorem oportuit, ac tam rigidi judicii cauſas adferret, cur adulterina ſuſpicaretur. Nullas omnino, quod ſciam. Cur totus liber ſeptimus aliquando ſuſpectus eſſet, hæc cauſa fuit, quod Hieronymus in Catal. ſex dumtaxat Optati libros commemorat. Optatus ipſe præterea lib. 1. ubi ſingulorum librorum argumenta proponit, non amplius ſex meminit. Atqui idem Optatus, cur plura quàm initio ſtatuerat, ſcribere coactus ſit, docet ipſe principio lib. 7. ut nullius omnino momenti ſit argumentum. Quod Hieronymus autem ſex tantum meminit, ego quoque plures non fuiſſe, perſuaſum habeo; & quem ſeptimum nunc vocamus appendicem dumtaxat ſexti & ultimi fuiſſe libri. Nam *pauca fore* quæ additurus erat, prædicit ipſe ſtatim initio. Cùm tamen hæc appendix, ſeu additamentum, in eam molem excreviſſet, quæ ex prioribus libris nonnullos æquaret, immo ſuperat, hinc puto factum, quod & ipſum libri nomen obtinuerit. Sed ne hoc quidem magni momenti, ſive librum, ſive appendicem libri vocemus, modò conſtet eſſe Optati: de quo neminem qui Optatum ſedulò legerit, & utrumque diligenter contulerit, dubitaturum exiſtimo. Præcipuè cùm cauſas, cur quis fingeret, & falſo, non dico nomine (quod facile potuit accidere) ſed ſtylo, & imitanda tanta curâ & ſolertia oratione mentiretur, ac falleret (quod non æquè fuit facilè) nulla fuerit. Nam Donatiſtas, quos unos ſuſpicari non immeritò poſſemus, cùm quod hinc accipere, quoque ſuam cauſam juvare poſſent, nihil omnino ſit: cum toto libro nihil tale, quod ab iis proficiſci potuerit; quis ſanus illos ſuſpicetur? Si autem non illos, multò minùs alios, quorum multò minùs interfuit. Cùm igitur ſeptimum librum Optato etiam Balduinus aſſeruerit, hoc tertii libri [illegible] ſeptimo libro temerè aſſutum, non fuit cur eo nomine repudiares. Omnino igitur non debuit prætermitti. Quia tamen Balduini editionem exhibituros nos promiſimus, maluimus quod in illa malè prætermiſſum eſt. Notis noſtris inſerere. M. CAS.

K NON TAMEN TRACTANDI QUOD EST EPISCOPORUM. Quid ergo Preſbyteri, non & illi concionari ſoliti? Ita video hodie à multis credi, ſolos enim Epiſcopos docendi jus habuiſſe; ſed magno, ni fallor, errore. In Africanis Eccleſiis diu obtinuiſſe, ne preſbyteri, *præſente*, ut Hieron. ad Nepotianum, Epiſcopo loquerentur, velut Poſſid. in vita Auguſt. *coram Epiſcopo prædicarent*, ſive *tractarent*, non negamus. Quod tamen colligunt inde viri docti, inter alios Baronius, non licuiſſe preſbyteris prædicare in Africa, non video cur neceſſariò ſequatur. Immo verba Poſſid. planè inſpecta contrarium videntur innuere, ut & Hieronymi; cum neuter [illegible] & planè dicat, non ſolitos, ſed præſente Epiſcopo non ſolitos. Auguſt. etiam ep. 7[illegible]. ubi Aurelio abrogatæ hujus conſuetudinis nomine, gratias agit, ac lætatur, non ita loquitur, quaſi preſbyteris tum primum *ſermonum* facultas eſſet conceſſa, ſed quod *ipſo præſente* jam liceret eis; quod jam ipſe *Dominum per eos loquentem non dedignaretur audire*. Jam quæcumque fuerit hæc Africanarum Eccleſ. conſuetudo, quæ vivente adhuc Auguſtino abrogata eſt, univerſalem eam Eccleſiæ Catholicæ conſuetudinem minimè fuiſſe, vel ex Hieronymo conſtat, qui ait in *quibuſdam dumtaxat Eccleſiis* id fieri; & Poſſid. qui aliam Orientalium Eccleſiarum conſuetudinem fuiſſe, & illarum imitatione ſublatum ab Africanis Eccleſiis illum morem teſtis eſt locupletiſſimus. Antiquos canones, qui tale quid expreſſè ſtatuant, nullos reperio. Nam illorum interpretes nihil moror, qui ſibi ſatis conſtare ſuper hac re non mihi videntur: Balſamon ſanè ad cap. 2. Synodi Conſtantinop. [illegible]. & ad 19. Synodi in Trullo [illegible] apertè definit. Idem autem in canones qui vocantur Apoſtolorum, ad can. 58

locutus eſt, ſi quid loqui potuit. Contra Epiſcopalis tractatus l probatur ab omnibus ſanctitate, veſtitus, ſalutatione ſcilicet geminata. Non enim aliquid incipit Epiſcopus ad populum dicere, niſi primò in nomine Dei populum ſalutaverit. Similes ſunt exitus initiis. Omnis tractatus in Eccleſia à nomine Dei incipitur, & ejuſdem Dei nomine terminatur. Quis veſtrûm audet dicere Epiſcoporum more Macarium populum ſalutare? Igitur cùm nec ſalutaverit antequam aliquid loqueretur, nec ſalutare auſus ſit, poſtquam locutus ſit, nec manum impoſuerit, nec ſacrificium Deo ritu Epiſcopali obtulerit: quid eſt quod dicitis pollui potuiſſe Epiſcopale collegium; cùm ab omni Epiſcoporum officio Macarium videatis alienum? Veſtigia veritatis hoc loco calcata; iterum veſtra caput levare videtur invidia. Dicitis enim nec inter laïcos eum communicare debuiſſe. Equidem conſtat eum ut Paulus Apoſtolus probat,

ANNOTATIONES VARIORUM.

Synodi in Trullo (ubi tamen Græca deſunt) planè contrarium ſancit. Sed nonne & Ancyranæ Synodi can. 1. *τὸ ὁμιλεῖν*, quod Balſamon *διδάσκειν* interpretatur, ut ſimiles alios omittam, inter propria presbyterorum munera? Quod ſi aliquibus in locis interdum factum eſt, ut Epiſcopi aut *ſtimulante invidia*. (ut Hieron. alicubi) aut legitima aliqua cauſa impellente, pro ſua Epiſcopali auctoritate & poteſtate, ſive uni alicui, ſive pluribus ſemel presbyteris ſilentium imponerent, non rectè tamen inde concludas, olim presbyteris non licuiſſe concionari. Quid enim presbytero licitum, non permittente, aut prohibente Epiſcopo? Pari jure concludas, neque ſolitos baptizare, aut Euchariſtiam adminiſtrare. Quando enim non obtinuit illud Ignatii ad Smyrnenſes *μηδεὶς χωρὶς ἐπισκόπου* &c. *In Eccl. cuiquam ſine venia Epiſcopi nihil licere.* Qui etiam hoc addit *οὐκ ἐξὸν ἐστι χωρὶς τοῦ ἐπισκόπου οὔτε βαπτίζειν, οὔτε προσφέρειν, οὔτε θυσίαν προσκομίζειν, οὔτε δοχὴν ἐπιτελεῖν*. &c. Vide & Apoſt. qui dicuntur canones; can. 39. Nam Balſamonis interpretationem, planè contra mentem canonis eſſe, vel Ignatio fretus auſim aſſerere. Tertullianus quoque jus baptizandi ſoli Epiſcopo propriè competere, & quibus ab Epiſcopo permiſſum ſit, ſciſcit, de bapt. cap. 17. Quod autem etiam & Diaconis tractandi ſeu prædicandi munus incubuiſſe, viri quidam docti credidere, inter alios Bellarminus de Cler. lib. 1. c. 13. vereor ne non ſatis firmo fundamento nitatur illorum opinio. Nam ſi exemplis res agenda eſt, non deſunt in veteri hiſtoria, & illorum exempla, qui longè infra diaconos, nullis omnino ſacris ordinibus initiati, populum in morem concionantium allocuti ſunt. At Gregorii verba quæ proferunt, an rectè ab illis intellecta ſint, non ſine cauſa dubitemus. Ait Gregorius illo loco qui eſt epiſt. lib. 4. edit. Rom. ep. 44. *Iniquum eſſe ut in Diaconatus ordine conſtituti, modulationi vocis inſerviant, quos ad prædicationis officium eleemoſynarumque ſtudium vacare congruebat.* Ibi per *prædicationis officium*, putant à Gregorio tractandi ſeu concionandi munus indicari. Sanè Hieron. diſt. 93. cap. 23. Diaconos prædicare ſolitos, & ipſe confirmat, & iiſdem in priſcis canonib. *τὸ κηρύσσειν* interdum tribuitur. Sed ibi docent interpretes aliam vim ejus vocis cùm Diaconis, aliam cùm Sacerdotibus tribuitur, quibus & nos aſſentimur, & Hieronymi, ut & Gregorii de eadem aut ſimili, non ſacerdotali prædicatione accipienda contendimus, Ipſe Gregor. quod *prædicationis officium* dixerat, idem mox *Evangelicæ lectionis officium* indigitat. Nam alioquin etiam & Lectores *prædicaſſe* pari jure concludemus, cùm & illos Iſidorus diſt. 21. can. 1. *populis quid ſequantur, prædicare* perhibeat. Qua ratione etiam *Paſtores* eos nuncupari poſſe cenſet Ambroſius in Epiſt. ad Eph. cap. 4. quod ut ait ille *lectionibus populum audientem ſaginent*. Quis enim neget niſi fanaticus & novitatis œſtro percitus verbum Dei non minus prædicari, cùm purum putum legitur in Eccleſia, quàm cùm ex ambone pro captu ſacerdotis enarratur? At Cyprianus [quod longè majoris apud me ponderis eſt] etſi non ille Diaconos uſpiam ſolitos eſſe prædicare, dum tamen eos ait eo functos eſſe munere, *ut ad carceres commeantes martyrum deſideria conſiliis ſuis, & ſacrarum ſcripturarum præceptis regerent atque gubernarent, ac circa Evangelii legem pleniſſime eos inſtruerent.* Tales mihi videtur deſcribere, qui non indigni, quorum prudentiæ, ac ſapientiæ maximi rei momenti crederentur. Verùm de his plus ſatis hoc loco. Quid igitur hic Optatus Epiſcoporum eſſe *tractare*; quod à Cypriano & aliis *tractantes* nuncupantur *Epiſcopi*, non aliud inde colligi poſſe puto, quàm Epiſcopis, ut ſummis ſacerdotibus, ac ſupremis Eccleſiarum moderatoribus [de Eccleſiaſticis hic loquimur] nec minus doctrina plerumque ac meritus, quàm dignitate ac poteſtate cæteris ante ſtantibus, id munus, ut omnium graviſſimum, & vere ut poëta alicubi de Athlantis onere *ἄχθος ἐν ἐυαγγέλιον* præcipuè incubuiſſe, & aliquando nefas fuiſſe presbyteris, Epiſcopis verò inglorium ac probroſum, ut ipſis præſentibus inferioris gradus ſacerdotes populum adorarent, ac docerent: non ut presbyteros, etiam abſentibus iis, concionari præter fas aut mores fuerit; aut id muneris extra aut ſupra ipſorum limites officii, crediderint antiqui. M. CAS.

l PROBATUR AB OMNIBUS &c. Veſtitum cave hic pro veſtimento accipias. Non enim de veſtitu epiſcopali hic agit, ſed ait, omnes ſive quoſvis aſtantes tractatum epiſcopalem ſanctitate veſtitum ex duplici ſalutatione cognoſcere & intelligere. Ideo autem uſus eſt hac Metaphora, quod antea de laico dixerat, *unde locutus eſt*. Cæterum ab hac ſolemni ſalutandi conſuetudine fluxiſſe videtur, quod, ut ad Propertii 4. obſervavit Illuſtriſſ. Scaliger, locus ipſe unde olim populum alloquebantur Epiſcopis Latinis *ſalutatorium*, & Græcis *ἀσπαστικὸν* dictus ſit. M. CAS.

miniſtrum fuiſſe voluntatis Dei. Et quid mirum [m] ſi ſint & judices pagani? miniſtri voluntatis Dei æſtimari meruerunt, Apoſtolo dicente: non ſine cauſa judex gladium portat. Eſt enim miniſter voluntatis Dei. Nam & Macarius in ſuo judex fuiſſe videbatur. Quod ſi non erat judex in eo quod fecit, ſecundum leges Romanas à judicibus in eum debuit vindicari. *In [illegible] de Phinees & [illegible]* Aut ſi dicitis nec ſic eum communicare debuiſſe: nos tamen non videmus quia debuit abſtineri, qui id tale fecit quod factum eſt à Moyſe, quem poſt viginti tria millia hominum occiſa, Deus non contemnendo abſtinuit: ſed ut ſecum loqueretur iterum invitavit. Nos non videmus abſtinendum fuiſſe eum qui fecit quod Phinees quem paulò antè memoravi, qui ab ipſo Deo pro homicidio laudari meruit, Non videtur magis nobis abſtinendus fuiſſe is à quo id factum eſt quod ab Helia Propheta qui tot falſos Prophetas occidit: Nam & illos falſos vates fuiſſe jam ſuprà probavimus. Sed ut hæc exempla ſileantur, dicamus & nos quod dicitis reum fuiſſe Macarium: quod ſi fuit, accuſatore ſilente, à nobis non licuit abſtineri. Scriptum eſt enim ante cognitam cauſam neminem eſſe damnandum. Dicite, quis eum accuſavit, & auditus non eſt? Dicite Macarium confeſſum eſſe culpam, & noſtram ſiluiſſe ſententiam? [n] Sumus enim qualeſcunque judices in Eccleſia, quod & ipſi non negatis. [o] Quod nos judices eſſe veros debere fuiſſe contenditis. Non enim poſſumus facere quod non fecit Deus, qui in judicio ſuo perſonas ſeparare dignatus eſt: nec eundem voluit eſſe accuſatorem judicem. Non enim poteſt quis in una cauſa, eodem momento duas portare perſonas, ut in eodem judicio, & accuſator eſſe poſſit & judex. Quod Deus nec per omnipotentiam fecit ut nobis judicandi formam oſtenderet, docuit, reum ſine accuſatore non debere damnari; aut accuſatorem eum eſſe, qui judex in ea cauſa futurus eſt. [p] Denique inter ipſa principia ſæculorum dum hominum eſſet renovellata nativitas; dum à Cain frater Abel eſſet occiſus, lectum eſt; Et vocavit Deus Cain, & interrogavit eum ubi eſſet frater ejus: Ille peccatum duplicans, quaſi ignorantem faceret Deum,

ANNOTATIONES VARIORUM.

[m] SI SINT JUDICES PAGANI? &c. Scribe *ſi licet Iudices pagani miniſtri voluntatis Dei*, &c. Sed Lectorem monemus, plura paucis hiſce paginis fuiſſe errata id genus, quæ in ipſo textu corrigenda curavimus. Mox, nam *& Macarius in ſuo*, mallet aliquis fortaſſe *Mac. in facto ſuo*, vel *Mac. in ſæculo*: Nam poſtea ſequitur, *judices in Eccleſia*, ſed ego nulla mutatione opus eſſe cenſeo. M. CAS.

[n] SUMUS ENIM QUALESCUNQUE JUDICES &c. Quia ſuperioribus verbis de Macario tanquam ſententiæ Epiſcoporum obnoxio locutus erat, ne nimium Epiſcopis in legatum Imperatoris juris tribuere videretur, quod abſolutè dixerat, reſtringit jam ad ſententias & cenſuras eccleſiaſticas, quarum vis & vigor ad omnes Chriſtianos extendit. Dixit autem *qualeſcunque judices*, quia *Iudicis*, vox ipſa, non minus apud illos propria magiſtratibus ſæcularibus, quàm *Epiſcopi* ſpiritualibus: utcunque vim vocis utriuſque utriſque in ſuo genere competere nemo negaverit. Cæterum Juriſdictio Epiſcopi in laïcos, & cauſarum cognitio ab Eccleſia, quàm nota & uſitata res in Africa fuerit, vide vel Auguſt. de Op. Monach. c. 29. M. CAS.

[o] QUOD NOS JUDICES ESSE VEROS DEBERE FUISSE CONTENDITIS. Turpe mendum eſt, tu feliciter ſana: *quod nos judices ſeveriores debere f. c.* INCERT.

[p] DENIQUE INTER IPSA PRINCIPIA SÆCULORUM &c. Notæ Lugd. ſive Barthianæ ſunt dicendæ, ad iſta primi lib. *Hoc modo iterum renovellata ſunt*, *partes renovellare* loquiunt, pro *redintegrare*, à viribus doctum. Sic loquitur auctor lib. 7. *Dum hom. eſſet renovellata nativitas*. Sed quo quæſo ſenſu, prima generis humani creatio, ejus *redintegratio* potuit ab Optato dici? fefellit virum doctum præpoſitio *re*, quam hic vacare, ut & in multis aliis, quibus iſta ætas majorem in modum delectata eſt, non animadvertit. Inde *repromittere* pro ſimplici *promitt.* & *terram repromiſſ.* vulgo appellabant, quam nos *promiſſionis*. Ita *remittere*, *reddere*, & innumera alia quorum etiam apud meliores ſcriptores non deſunt exempla. Ut cauſa non fuerit, cur S. Pater, ac vir longè doctiſſ. Hieronymus, tam acriter ac ſevere in Ruffino æmulo ſuggillaret, quod ille *refeſtinare* pro ſimplici *feſtinare* poſuiſſet; *Sordidiſſima* ut Hieron. judicat, *elocutionis* [illegible]. Eſt igitur *renovellare* non aliud quàm *novellare*, id eſt, [illegible] ut in antiquo Gloſſ. legimus, & *novelletum* [illegible], quod hic niſi valde fallor, convenit multo melius, quàm τῷ *redintegrare* ſignificatio. M. CAS.

neſcire ſe dixit. Et quando poſſet neſcire aliquid Dominus, ſub cujus oculis & vultu ſunt omnia quæ geruntur? Et tamen Deus ſine accuſatore non judicat: & interrogat utique quod noverat. Et vos vultis ut abſtineremus quem non vidimus aliquid mali facientem, & qui nullum habuerit accuſatorem. Video hoc loco quod invidia ſubmurmuret veſtra. Dicitis enim non nos latuiſſe quod factum eſt. Fatemur nos audiſſe: ſed peccatum erat damnare eum quem nemo eſt auſus arguere. Sed ſi dixeritis quia non nos latuit factum, dicite Deo quare interrogavit, qui viderat parricidium. Nec illud à nobis fieri oportuit, quod Deus facere noluit qui ſententiam noluit dicere niſi reo: redde accuſatorem. Alioquin non poſſet juſta eſſe ſententia, niſi ipſe qui judicaturus erat, accuſaret. Ideo ait: Ecce ſanguis fratris tui clamat ad me de terra. Quare & vos cùm minimè probare poſſitis ab aliquo apud nos accuſatum eſſe Macarium, noſtrum non poteſtis damnare judicium. Quare vides, te ſine cauſa feciſſe convitium: & fingens pro arbitrio tuo quod voluiſti ut Taurinum & Macarium lacerares; perdidiſti quod ſapiens videris, dum ſenſus tuos invidia depravavit & intelligendi tibi aditus clauſit.

SANCTI
OPTATI AFRI, MILEVITANI EPISCOPI,
DE SCHISMATE DONATISTARUM,
ADVERSUS PARMENIANUM,
LIBER QUARTUS.

A TE nobis, frater Parmeniane, [1] de petito [a] milite fruſtra calumniam factam eſſe, aperte dilucideque monſtratum eſt. Etiam illud diſce quod dixiſti de oleo & ſacrificio peccatorum, ad vos potius pertinere. Non enim ille debet eſſe peccator, quem vos volueritis. Nam & nos veſtram [b] præſumptionem poſſumus imitari, & dicere, vos eſſe peccatores. Sed facite, ut ex utraque parte nullus noſtrûm humano judicio alterum damnet. [c] Dei eſt, noſſe reum, illius ferre ſententiam. Taceamus omnes homines. Solus Deus judicet peccatorem: cujus ſacrificium ſit [d] Canina victima, & cujus oleum ungi deſideranti [e] ingerat metum. Hujus rei apertiſſimam veritatem, Parmeniane frater, agnoſce: ſi tamen hoc nomen fraternitatis, frequenter à me dictum, libenter audire dignaris: fac, ut tibi ſit faſtidioſum, tamen nobis eſt neceſſarium ne forte juxta tot probationes hujus nominis, tacendo rei eſſe videamur. Si enim tu non vis eſſe frater, ego eſſe incipio impius, ſi de nomine iſto tacuero. Eſtis enim fratres noſtri, & nos veſtri, Propheta dicente, *Nonne vos*

PHILIPPUS PRIORIUS.

1. DE PETITO MILITE FRUSTRA CALUMNIAM FACTAM. Egregiè dilui lib. 3. calumniam illam Parmeniani: Ideo enim à Comite miles in ſubſidium vocatus eſt, ut impii & rebelles Donatiſtarum conatus frangerentur, qui Legato etiam vim inferre, Circumcellionum ſive Agoniſticorum ope, & furore tumidi nitebantur; eorumque audacia niſi repreſſa fuiſſet, incertum quò erupiſſet. Petiit igitur milites Macarius, qui acriter offenſi Donatiſtas aggreſſi ſunt, ac quoſdam interemerunt. Chriſtianæ Eccleſiæ ſtatim crudelitatem objecerunt, quod ſcilicet eorum conatus parum feliciter ſucceſſiſſent, in rabiem agebantur, & injuriam quam tulerant in alios amoliri contendebant.

ANNOTATIONES VARIORUM.

a DE MILITE. In tertio libro egit de unitate facta per Macarium. ALBASP.

b PRÆSUMPTIONEM. Se ſanctos jactabant Donatiſtæ, atque ex ſua ſanctitate ſacramentorum effectum pendere. IDEM.

c DEUM EST NOSSE REUM ILLIUS FERRE SENTENTIAM. Mendum Typographicum ejice, & lege cum editione Fr. Balduini, *noſſe rerum.* INCERT.

d CANINA VICTIMA. Pauló pôſt quaſi victimet canem. ALBASP.

e INGERAT METUM. Peccatorum oleum metum

Mal. 2. *unus Deus creavit, & unus pater genuit?* Non enim poteſtis non eſſe fratres, cùm omnibus dictum ſit, *Dei eſtis, & filij altiſſimi omnes.* Et vos & nos ſumus qui præceptum accepimus, in quo dictum eſt, *Ne vocetis vobis quemquam patrem in terris, quia unus eſt pater veſter in cœlis, ſalvator noſter Chriſtus.* Solus natus eſt filius Dei: ſed & nos & vos filii uno modo facti ſumus, Sicut in Evangelio ſcriptum eſt, *Venit filius Dei, quoquot eum receperunt, dedit eis poteſtatem ut filii Dei fierent.* Nos & [f] facti ſumus & dicimur: vos & facti eſtis & non dicimini, quia pacifici eſſe non vultis, nec audire ipſum filium Dei dicentem, *Fœlices pacifici, quia ipſi filii Dei vocabuntur.* Chriſtus veniens, Deum & hominem revocavit in pacem, & fecit ambos unum: tollens medium ſepem parietis. Vos nobiſcum, id eſt, cum fratribus veſtris, pacem habere non vultis. Non enim poteſtis non eſſe fratres, quos iiſdem Sacramentorum viſceribus una mater Eccleſia genuit: quos eodem modo adoptivos filios Deus Pater excepit. Unde hujus temporis præſcius Chriſtus, quia futurum erat, ut à nobis hodie diſcordaretis, talia dedit orandi mandata, [g] ut vel in oratione unitas remaneret, [h] ut preces jungerent, quos diſcrepaturæ fuerant partes. Oramus pro vobis, quia volumus, & vos pro nobis, & cùm non vultis: aut dicat unuſquiſque veſtrûm, *pater meus, qui in cœlis es: & panem meum quotidianum da mihi hodie: Et dimitte mihi peccata, quomodo & ego debitori meo.* Igitur ſi quę mandata ſunt mutari non poſſunt: Videtis nos non in totum ab invicem eſſe ſeparatos, dum & nos pro vobis oramus, volentes: & vos pro nobis oretis, etſi nolentes. Vides, frater Parmeniane, [a] ſancta germanitatis vincula inter nos & vos, in totum rumpi non poſſe. Jam peccator quęrendus eſt, cujus potuit [i] vel oleum timeri, vel ſacrificium repudiari. Ceſſet humana ſuſpicio: utrinſque partis pręſumptio ſileat: quis ſit peccator, ſolus judicet Deus. Legimus [k] quadrageſimo nono Pſalmo ſub ſecundo diapſalmate, Spiritum ſanctum dixiſſe, *Peccatori autem dixit Deus.* Hoc loco advertenda eſt tota mentis intentio, & videndum, quis ſit peccator. [l] Si enim poſtquam lectum eſt, *Peccatori autem dixit Deus:* verba hujuſmodi ſequerentur, ut diceret, *Tuliſti ar-*

Pſal. 81. Mat. 23. Ioan. 1. Epheſ. 2.

PHILIPPUS PRIORIUS.

a. SANCTA GERMANITATIS VINCULA. Vincula illa ſunt Eccleſiæ ſacramenta, quæ fidelibus omnibus impertiuntur, unde fratres dicuntur, ſicut ad lib. 1. monuimus, quos eadem genuit mater, aliique, quos idem Pater Deus ſibi adoptavit. Germanitas veró verbum ex uſu Africano, qua ratione Tertullianus de Pallio dixit, *Si tamen Ninus regnavit primus, ut aiunt superiorum profanitas.*

ANNOTATIONES VARIORUM.

incurrit; Dei autem exultationem. ALBASP.

f FACTI SUMUS ET DICIMUR. Schiſmatici facti ſunt, ſed non dicuntur fratres, quia à matris uberibus avulſi ſunt. IDEM.

g UT VEL IN ORATIONE. Unitas remanet in oratione Dominica, quia cùm dicimus *Pater noſter*, mentionem facimus de omnibus his qui eumdem habent patrem, & cum iis communicamus, ideo unitas & fraternitas remanſit in illa oratione. Deinde oramus pro vobis, quia quando dicimus *dimitte nobis*, eos omnes intelligimus qui ab eodem patre originem duxerunt & Chriſtiani facti ſunt. IDEM.

h UT PRECES JUNGERENT, QUOS DISCREPATURÆ FUERANT PARTES. *Diſcrepare* in activa poteſtate uſurpavit. INCERT.

i VEL OLEUM TIMERI. Quia dicit ſcriptura, *peccatoris oleum non intinguet caput meum.* ALBASP.

k QUADRAGESIMO NONO PSALMO &c. Quod in Hebr. *Selach* Græci plerumque διάψαλμα. Id autem alterius quaſi ſenſus exordium, multi credidere, teſte Hieronymo. Quod & Auguſt. in Pſalm. 4. aliique teſtantur. Inde aliquando pro parte pſalmi, quamvis in toto nullum *Selah* aut diapſalma. Hic tamen hodieque in quibuſdam exemplaribus diapſalma reperiri teſtantur viri docti. alterum autem cùm jam verſu 6. (non enim ſequendi qui tollunt, cùm ſit & in Hebr.) præceſſerit, ideo fortaſſe dictum ab Optato, hic eſt, *ſub*, *ſec.* & M. CAS.

l SI ENIM POST LECTUM EST. Pro *lectum* mavult Barthius *delectum*. Intereſt enim *militem deligi* atque *eligi* dicas. Cùm *delectus* ei rei ſit

ma,

ma, proceſſiſti de caſtris, ſtetiſti contra hoſtes in acie: timendum erat militi, quia potuit ipſe videri peccator. Aut ſi diceret, *comparaſti merces, peregrinatus es, egiſti nundinas, lucri causâ quod emeras, vendidiſti*: timendum erat negociatori, quia potuit ipſe videri peccator. Aut ſi diceret, *fabricaſti navem, inſtruxiſti funibus, ornaſti velis, opportunos, ut navigares, captaſti ventos*: [l] timendum erat nautę, quia potuit ipſe videri peccator. Aut poſtquam lectum eſt. *Peccatori autem dixit Deus*: ſi ſequerentur hęc verba, diſſenſio & ſchiſma tibi diſplicuit. Concordaſti cum fratre tuo, & [1] cum una Eccleſia quę eſt in toto orbe terrarum. [m] Communicaſti ſeptem Eccleſiis & [n] memoriis Apoſtolorum: amplexus es unitatem. Si hęc ſubſequens lectio contineret, nobis timendum erat, nos eſſe potius peccatores. Cùm autem dicit Deus, *Ad quid exponis iuſtitias* Pſal. 49. *meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? Tu autem contempſiſti diſciplinam, & abiieciſti ſermones meos retro: Sedens adverſum fratrem tuum denotabas, & adverſus filium matris tuę ponebas ſcandalum. Videbas furem, & currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas.* Hęc ad vos dicta ſunt omnia. Excuſate vos ab his omnibus, ſi poteſtis. A vobis enim contempta eſt diſciplina, ut quid recitas teſtamentum, qui teſtamentum non ſervas, in quo deſcripta eſt diſciplina, quam ſervare non vultis? Non enim poteſtis dicere, vos eam ſervare, contra quam militatis. Deus dicit, *Quære pacem, & conſequaris eam.* [o] Tu repudiaſti pacem: Non eſt Pſal. 33. contemnere diſciplinam? [p] In Evangelio legitur: *Pax hominibus in terra bonæ voluntatis*: Tu nec voluntatem bonam vis habere nec pacem: Non eſt contemnere diſciplinam? Item in Pſalmo cxxxii. legitur, *Ecce quàm bonum eſt & iocundum, habitare fratres in unum.* In unum habitare cum fratribus non vis, Non eſt contemnere diſciplinam? Chriſtus dicit in Evangelio, *Qui ſemel lotus eſt, non habet iterum neceſſitatem lavandi.* Tu rebap- Ioan. 13. tizando iterum lavas: Non eſt contemnere diſciplinam? Deus dicit, *Ne tetigeritis Chriſtos meos, neque in Prophetas meos manum miſeritis*: vos tot ſacerdotes Dei [q] honoribus expoliaſtis. Non eſt contemnere diſciplinam? Chriſtus dicit, *inde ſcio quia diſcipuli mei eſtis, ſi vos invicem diligatis.* Vos odio nos habetis, fratres utique veſtros. Nec Apoſtolos imitari voluiſtis, à quibus etiam negator dilectus eſt Petrus. Non eſt contemnere diſciplinam? Exponis juſtificationes Dei, & aſſumis teſtamentum per os tuum. Quomodo diſputas, Quære pacem, cùm tu non habeas pacem? Teſtamentum recitas, & teſtamentum non ſervas.

PHILIPPUS PRIORIUS.

1. CUM UNA ECCLESIA QUÆ EST IN TOTO ORBE. Unitatem Eccleſiæ probavit in ſuperioribus, univerſalem quoque demonſtravit; hic uno verbo duas res veriſſimas & maximè neceſſarias complectitur. Univerſalem verò è nomine hic innuit, hoc eſt, [illegible] ſive [illegible].

ANNOTATIONES VARIORUM.

familiare verbum: Illud alterum temerè de militibus non reperiat. Fr. Balduinus edidit. *Si enim poſtquam lectum eſt.* INCERT.

l TIMENDUM ERAT NATURÆ. Lege exigente ſenſu & fide jubente eodem libro, *nautæ*. Si quidem *natura* hic prodigiosè editum. IDEM.

m COMMUNICASTI SEPTEM ECCLESIIS. Chriſtianis Aſiæ. ALBASP.

n ET MEMORIIS APOSTOLORUM. Et reliquiis B. Petri & Pauli: quæ communio neceſſaria eſt ut quis ſit in unitate Chriſtiana. IDEM.

o TU REPUDIASTI PACEM &c. Auctiores hic priores edit. integra periodo. *In Evangelio legitur pax hominibus in terra bonæ voluntatis. Tu nec voluntatem bonam vis habere, nec pacem: non eſt contemnere diſciplinam? Item in Pſalm.* &c. Haud dubium quin ſit Optati, neque difficile eſt conjicere, quæ cauſa fuerit omittendi. M. CAS.

p IN EVANGELIO LEGITUR. Hæc ex editione Germanica addimus; & bene, ni fallor. ALBASP.

q HONORIBUS EXPOLIASTIS. Sine cauſa & abſque crimine Epiſcopos deponitis: quod non

[e] Electi eſtis, qui ſedentes populum doceatis, & detrahitis nobis, utique fratribus veſtris: quoniam (ſicut ſuprà dixi) una nos mater Eccleſia genuit, unus nos Deus pater excepit. Et tamen ſcandala contra nos ponitis, mandando ſingulis [t] ne nos ſalutent, ne à nobis [u] dignationem accipiant. Conſiderate verba ſuperbiæ veſtræ. Conſiderate [x] tractatus, conſiderate mandata, actus quoque veſtros revolvite. Invenietis oleum veſtrum timuiſſe, qui rogabat. [y] Nullus veſtrûm eſt, qui non convitia noſtra ſuis tractatibus miſceat, [z] Qui non aliud [a] initiet, aut aliud explicet. [b] Lectiones dominicas incipitis, & tractatus veſtros ad noſtras injurias explicatis. [c] Profertis Evangelium, & facitis abſenti fratri convitium. [d] Auditorum animis infunditis odia, inimicitias

Annotationes Variorum.

minus crimen erat, quàm innocentem ad pœnitentiam cogere utrique enim tollitur; gradus & pars quem habebat in corpore Chriſti. Adde ex D. Cypriano Epiſcopatum divinum honorem eſſe. Epiſt. 5. lib. 4. *Divini honoris ſocietate conjunctas.* Alb.

r Electi estis qui sedentes &c. Scribe *lecti eſtis*: quod valet, ſcriptum porro eſt de vobis, aut aliquid ſimile: *lectum* enim pro *ſcriptum* cum de ſacris ſcriptoribus loca proferuntur, & lectio κατ' ἐξοχὴν, pro quavis ſacræ S. περιοχῆ, ſive ἀναγνώσμα (*capitulum* vocat Tertull. & alii) tam frequens eſt in his, & ſimilibus libris, ut nihil frequentius eſſe poſſit. Notum ac tritum eſt, quid Heb. 8. 8. non pauci *mikra* exponant, vel quid ea voce Hebræi doctores vulgo deſignent. Eadem ratione & Alcoranum dici multi autumarunt. Sed Thomas Erpenius, in cujus excellentiſſimi viri immatura morte, tantam fecerunt jacturam literæ Orientales, quam ullæ unquam in unius hominis morte literæ, doctiſſimos quoſque Arabes diſſentire, & ab alia, quamvis ejuſdem radicis ſignificatione derivare, notavit in Notis ad hiſt. Joſephi Patriarch. Hanc ſententiam doctiſſimus Salmaſius in admirando Plinianarum exercitationum opere, non laudat modo, ſed & Græcorum teſtimoniis ita confirmat, ut res jam minimè controverti debeat. Sed quia admirandi illius operis mentionem me contigit hic facere, ingratus ſim niſi hoc ipſo loco ejus auctori, viro humaniſſimo, & de tota republica literaria meritiſſimo, gratiſſimas agam gratias, cujus munere tanti theſauri compos ſum factus. Sed ut ad Opt. redeamus, & hic *electi* pro *lecti*, etiam in hac optima: ita in prioribus editionibus, eodem errore *electum* pro *lectum* legebatur. Ubi enim ante unam aut alteram paginam. *Si enim poſtquam lectum eſt*, priores ultima Balduiniana exhibebant, *ſi enim poſt electum eſt*. Et quia de militibus neſcio quid ſequitur, pro *electum delectum* corrigi eo loco voluerunt nonnulli, & mira neſcio quæ de *delectu militum* comminiſcuntur: quorum ineptiis optimè carere potuimus, ſi per N. L. & typographos Pariſienſes liceret. Quod autem ait Optatus, *lecti eſtis qui ſed. p. d.* non ita intelligendum, quaſi hoc ipſum de iis ac totidem verbis eſſet ſcriptum. More enim ſuo quaſi ſupplet & interpolat verba ſcript. ut propoſito ſuo accommodet, q. d. Lecti eſtis, qui *ſedentes* (quando nempe populum docetis, concionamini, quod ſedentes utique pro more tractantium facitis) detrahitis nobis &c. M. Cas.

ſ Ne nos salutent. Chriſtiani olim & domi, & per vicos, & in Eccleſia oſculo ſeſe ſalutabant. Albasp.

t Ne nos salutent ne a nobis dignationem &c. *Dignatio* quid olim fuerit non opus eſt dicere; à poſterioris ævi, & cum ævo declinantis Latinitatis ſcriptoribus, pro *humanitate* ſeu *facilitate* ſolet accipi. Unde quod à veteris & germanæ eloquentiæ principe dictum eſt, *Qui dignitate principibus excellit, facilitate par infimis videtur.* A Sidonio Apoll. ita expreſſum eſt, *dignitate clarus, dignatione communis* lib. 10. epiſt. 9. & 3. lib. 7. ad Fontelum Papam, ſive Epiſcopum: *Cum ſitis opinione magni, gradu maximi, non tamen eſtis vos amplius dignitate, quàm dignatione laudandi.* Hinc & de quovis officio, quod teſtandæ humanitatis invicem præſtamus, & exhibemus. Symm. lib. 9. epiſt. 63. *Sed licet me officii ordine & dignatione præverteris, in poſterum tamen, nequaquam reſidem indicabis* &c. S. Auguſt. confeſſ. lib. 6. c. 2. de Matre. *Sed illa cum attuliſſet caniſtrum cum ſolennibus epulis prægustandis atque largiendis, plus etiam quàm unum pocillum pro ſuo palato ſatis ſobrio temperatum, unde dignationem ſumeret, non ponebat.* alii ediderunt *indignationem*, quod verius eſſe puto, ſi disjunctim legatur, *in dignationem*. Noſter hoc loco ni fallor, pro *oſculo*, ut ipſe videtur poſt aliquot lineas exponere, ubi hæc item pluribus verbis. M. Cas.

u Dignationem accipiant. Dignatio apud antiquos pro gratia accipitur. Cyp. lib. 1. Epiſt. 6. Cùm igitur aliquem oſcularentur, vocabant hoc gratiam & communionem facere, quam cùm Orthodoxi habere nollent cum Donatiſtis, oſculi officium repudiabant. Albasp.

x Tractatus. Epiſcoporum in Eccleſia ſermones & Evangelii explicationes. Cypr. Epiſt. 46. lib. 4. *Nec tractantes Epiſcopos audiat.* Idem.

y Nullus vestrum est, qui non convicia nostra suis tractatibus misceat. *Convicia noſtra*, pro iis dixit quæ in nos jactata debebat proferre. Incert.

z Qui non aut aliud initiet, aut aliud explicet. *Initiare* eſt *incipere*. Sic infrà *Miniſteria initianda & ordinanda.* Idem.

a Initiet. Incipiat. Albasp.

b Lectiones Dominicas. Per Evangelii lectionem incipitis, ſed mox ea omiſſa ad convicia tranſitis. Idem.

c Profertis Evangelium. Senſus, Evangelium pacis profertis, & odia ſeminatis. Idem.

d Auditorum animis infligitis odia &c. Putavi aliquando legendum, *Inimicitias ſuadendo docetis.* Barthius excidiſſe vocem *docetis* cenſet, quæ neceſſariò ſit reponenda hoc modo, *inimicitias ſuadendo docetis, docendo ſuadetis*,

[e] docendo ſuadetis. Hæc omnia dicendo, contra nos ſcandala ponitis. Ergo unicuique veſtrûm dictum eſt, *Sedens adverſus fratrem tuum denotabas, & adverſus filium matris tuæ ponebas ſcandalum.* Psal. 49. Dum peccatorem arguit, & ſedentem increpat Deus, ſpecialiter ad vos dictum eſſe conſtat; [f] non ad populum, qui in Eccleſia non habet [g] ſedendi licentiam. Vides ergo proculdubio vobis imputari debere, cùm dicit Deus: *Sedens adverſus filium matris tuæ, ponebas ſcandala.* [h] Unam matrem nos habere jam toties comprobavi. Nec vos negare poteſtis, qui contra nos ſcandala ponitis, dum aliqui veſtrûm & [i] non intellectas proferunt lectiones: ut auferant etiam illud, quod inter omnes homines ſolet eſſe commune, ſalutationis videlicet officium. Nam & vos ipſi aliqui [k] in perfunctoria ſalutatione oſcula ſolita denegatis. Et docentur multi, [l] ne *Ave* dicant cuiquam noſtrûm. Et videntur ſibi hoc de lectione, ſed non intellecta mandare: Ignorantes, de quibus Apoſtolus hoc dixerit, *Cum his nec cibum capere, Ave illi ne dixeritis. Serpit enim eorum ſermo velut Cancer.* 1. Cor. 5. 2. Tim. 2. [1] Dixit hoc de hæreticis quorum cœperat illis temporibus vitioſa eſſe doctrina: Qui ſubtili ſeductione verborum, morbis obſcurè ſerpentibus corrumperent fidei ſanitatem. Ut Marcion, qui ex Epiſcopo Apoſtata factus, inducebat duos Deos, & [m] duos Chriſtos. Ut Hebion, qui argumentabatur Patrem paſſum eſſe, non Filium. Ut Valentinus, qui conabatur carnem Chriſto ſubducere. Horum eſt ſermo, qui habuit Cancrum ad fidei membra vexanda. [n] Talis ſermo eſt &

PHILIPPUS PRIORIUS.

1. DIXIT HOC DE HÆRETICIS. &c. Maxima aliquando ſeveritate fuit prohibitum, communicare cum hæreticis, cibum ſumere, atque etiam eoſdem ſalutare, quod ex Apoſtolo quem citat, liquet optimè. Sed de iis dumtaxat hæreticis id accipiendum, qui prima religionis fundamenta convellebant, quales ii de quibus loquitur, Marcion, Ebion, Valentinus, Arius, Photinus & alii.

ANNOTATIONES VARIORUM.

Fr. Balduinus edidit, *Auditorum a. i. odia. inimicitias docendo ſuadetis.* INCERT.

e DOCENDO. Prædicationes fiebant ut populus doceretur. ALBASP.

f NON AD POPULUM QUI IN ECCLESIA &c. Aliquando fateor torſit me hic locus. Nam ſi quis hinc ἀπλῶς iret concluſum, populo olim, ſive laicis in Eccleſia non licuiſſe ſedere, multa in mentem veniebant, quæ poſſent opponi. Tandem commodè occurrit Auguſtini locus, qui ut mihi, ita ſpero Lectori abunde ſatisfaciet, & omnes ex Optato tenebras diſpellet. Auguſtinus igitur de Catech. rud. c. 13. ubi *oblata ſeſſione tædio audientis ſuccurrendum* ſuaſit, addit mox, *Quanquam ſine dubitatione melius fiat, ubi decenter fieri poteſt, ut à principio ſedens audiat. Longeque conſultius in quibuſdam Eccleſiis tranſmarinis, non ſolum antiſtites ſedentes loquuntur ad populum, ſed ipſi etiam populo ſedilia ſubjacent* &c. Tam claræ luci non eſt quod addam. Illud modo ne quis hæreat, *tranſmarinas eccleſias* appellari ab Auguſtino Afro, quæcunque tum erant Occidentis Eccleſiæ. Optatus lib. 2. univerſi orbis populos, in Africanos, Orientales, ac tranſmarinos dividit. Plura de hujus vocis uſu ingerit eruditiſſimus Juſtellus ad Can. Eccl. Afric. M. CAS.

g SEDENDI LICENTIAM. Epiſcopi & Presbyteri jus ſedendi in Eccleſia habebant, non autem plebs quæ ſtando, aut genibus flexis orabat: unde apud antiquos ſacerdotium vocatur, *Honor conſeſſus.* ALBASP.

h UNAM MATREM NOS HABERE JAM TOTIES COMPROBAVI. &c. Scribe *Unam m. n. h. jam t. compr.* niſi tamen melius, *Unam m. nos habere i. t. comprobavi, nec vos negare poteſtis quin contra nos ſc*: &c. M. CAS.

i NON INTELLECTAS. Loca ſcripturæ quæ perperàm explicant. ALBASP.

k IN PERFUNCTORIA. In civili ſalutatione: non ſolùm Chriſtianam ſalutem, ſed etiam civilem nobis denegatis. IDEM.

l NE AVE. Oſculum & bona verba dabant. IDEM.

m DUOS CHRISTOS. Hunc locum reſtituit Balduinus: quomodo autem duos Chriſtos & duos Deos ponerent Marcionitæ, lege I. C. Perronium ad D. Auguſtini locum ad Adimantum. ALBASP.

n TALIS SERMO EST, ET CORPIANI HÆRETICI &c. Qui fuerint hæretici qui martyria negabant, præter alios docet Tertullianus, qui adverſus Gnoſticos eo nomine infames librum conſcripſit de bono martyrii. Sed illi hæretici cur Optato *Corpiani*, non æque in promptu eſt. In codice manuſcr. *Scorpiani* non *Corpiani* ſe repeiſſe teſtatur Balduinus. Quòd ſi hæreticos ſimul plures ita vocaret Optatus, vel *Scorpiaci* eum ſcripſiſſe putarem, (Scorpiacum enim librum ſuum vocat Tertullianus, quem contra Gnoſticos ſcorpiis, ut interpretatur ipſe ſimiles ſcripſit) vel *Copriani* à κόπρος aut κοπρία formaſſe, cum qui Gnoſtici, eoſdem Borboritas, ob obſcænitatem tam morum quàm doctrinæ nuncupatos conſtet; vel denique Coddiani, quod fuit & illotum nomen, ut antiqui tradidere. Sed cum *Corpiani* hæretici, ut unius ac certi cujuſdam, cujus hoc proprium no-

[o] Corpiani hæretici, qui negabat debere eſſe martyria: ſed venena ſua ſibi ſerpant, ne eorum relatio auditum intellectus ſimplices vel leviter vexet. Hujus igitur ſermo eſt, qui vitandus eſt, ne ſerpat ſicut cancer. Dictum eſt hoc & de Atio, qui conabatur docere filium Dei ex nullis ſubſtantiis factum eſſe, non ex Deo natum: cujus doctrina, niſi Nicæno Concilio à trecentis decem & octo Epiſcopis diſſipatetur, pectora multorum ſicut Cancer intraverat. Dictum eſt hoc & de Photino præſentis temporis hæretico, qui filium Dei auſus eſt dicere, tantummodo hominem fuiſſe, non Deum. Potuit hoc & de vobis dici, quia veſter ſermo animis & auribus aliquotum non levem intulit Cancrum. Veſter enim ſermo eſt, quem ad pacis filios habetis: dum dicitis, periiſtis: *attendite poſt vos*, perit anima veſtra quamdiu [p] vos tenetis; Sic feciſtis de fidelibus pœnitentes: Sic mortificaſtis in Sacerdotibus honorés. Ecce & veſter ſermo eſt, qui ſerpit velut Cancer hodie, ut ſalutationes & convictus prohibeatis. Noſter ſermo quid tale facere potuit? qui ſimplici doctrina filios pacis retinemus: non alienos ſeducimus, nec quemquam exterminamus. Manifeſtum eſt igitur, vos contra nos quotidie ſcandala ponere: & longum eſt, percurrere omnes modos, quibus nobis detrahitis, & omnia genera quibus ſcandala ponitis. Nam & eum dicit, *Videbas furem, & currebas cum eo*: de qua re hoc putatis dictum eſſe? Nunquid de ſubducto veſtimento, aut de involato gremio, aut de aliquibus rebus, quæ ablatæ vel lucta vel damna inter homines faciunt? Equidem ſunt & iſta prohibita: ſed in hac lectione illa furta increpat Deus, quę ſibi ſunt facta. Quæritis quæ furta ſint Deo facta? apud vos inveniuntur. Poſſeſſio Dei, eſt turba fidelium, ex qua quotidie fur diabolus cupit aliquid involare: In quovis Chriſtiano aut Chriſtiana vult vel mores ex aliqua parte corrumpere, & ſi non totum hominem, ſed quodcunque de homine rapere. Talem furem cùm videatis contra nos vim facere, veſtris operibus adjuviſtis. Nam neminem fugit, quod omnis homo qui naſcitur, quamvis de parentibus Chriſtianis naſcatur, [q] ſine ſpiritu mundi eſſe non poſſit, quem neceſſe ſit ante ſalutare lavacrum, [r] ab homine excludi & ſeparari. [1] [ſ] Hoc exorciſmus operatur, per quem ſpiritus immundus depellitur, & [t] in loca deſerta fugatur. [u] Fit domus vacua

al. ſerpens

PHILIPPVS PRIORIVS.

1. HOC EXORCISMVS OPERATVR. Pro exorciſmi antiquitate non leve argumentum eſt hic locus, quoniam, exorciſmi in baptiſmo fit mentio in vetuſtiſſimo ſcriptore. Scultetus hunc locum miſerè declinare conatur, & Ægidium Hunnium de hac re mutaſſe ſententiam gloriatur. Vide Concilium Conſtantinopol.

ANNOTATIONES VARIORVM.

men fuerit, Optatus meminerit, haud temerè quicquam aſſeverem; niſi ſit fortaſſe ſingularis pro plurali; aut ipſe Optatus in nomine minus noto impegerit. Ait autem Auguſtinus Gnoſticos, quoſdam à Nicolaitis, quoſdam verò à Carpocrate hæretico derivare. Verum hoc nihil ad *Corpianum* de quo quærimus, cuique proprium hoc dogma adſcribit Optatus noſter, quod *martyria* negaret. Mox *de Ario qui conabatur docere filium Dei ex nullis ſubſtantiis factum eſſe*, id eſt ἐκ τῶν ἐκ ὄντων. Unde & Exoucontii dicti. M. CAS.

o CÆPIANI. Ex Tiliano Codice legendum Scæpiani: qui à Tertulliano vocantur Gnoſtici, quód martyrium ſubeundum eſſe negarent. ALBASP.

p VOS TENETIS. Quandiu apud Orthodoxos manetis. IDEM.

q SINE SPIRITV MVNDI. Sine ſpiritu immundo. IDEM.

r AB HOMINE EXCLVDI. De exorciſmo loquitur. IDEM.

ſ HOC EXORCISMVS OPERATVR. D. Auguſti ad Sixtum Presb. Epiſtola 105. *Quid ad hoc reſpondeant, quod exorciſantur & exſufflantur infantes? hoc enim procul dubio fallaciter fit ſi diabolus eis non dominatur.* IDEM.

t IN LOCA DESERTA. Alludit ad Tobiæ hiſtoriam: IDEM.

u FIT DOMVS VACUA. Baptiſmo domus purgabatur: Confirmatione ornabatur. Chriſtus de-

in pectore credentis, fit domus munda: intrat Deus & habitat, Apoſto-
lo dicente, *Vos eſtis templum Dei, & in vobis Deus habitat.* Et cum Deo
unuſquiſque plenus ſit, de quo fur diabolus aliquid involare contendit: 1. Cor. 3.
vos rebaptizando exorcizatis hominem fidelem, & dicitis Deo habitanti,
Maledicte exi foras: ut compleatur quod à Deo dictum eſt, per Prophe-
tam Ezechielem, *Et maledicebant mihi in populo meo, propter plenam manum*
hordei & buccellam panis, ut occiderent animas, quas non oportuit mori. Au- Ezech. 13.
dit ergo Deus injurias non ſibi debitas, & hujuſmodi habitaculum de-
ſerit; Et homo, qui Deo plenus in Eccleſiam intraverat, egreditur [x] vas
inane. Diabolus qui volebat quaſi fur aliquid involare, adjutus operibus
veſtris, videt [y] totum ſuum factum eſſe, unde volebat paululum aliquid
tollere. Ergo de vobis dixit Deus, *Videbas furem & currebas cum eo.* De- Pſal. 49.
nique in Evangelio ſic ſcriptum eſt, *Cum autem Deus deſeruerit hominem,* Mat. 12.
remanet vas inane: ſpiritus autem immundus errans per loca deſerta, ieiunus
dicet, Domus mea vacua eſt: hoc eſt dicere, qui me excluſerat, excluſus eſt.
Revertar illuc & habitabo. Et adducit ſecum alios ſeptem ſaviores, & ha-
bitabit illic, & erunt hominis illius peiora noviſſima, quàm quæ fuerunt prima;
[z] Hoc eſt, *videbas furem, & concurrebas cum eo, Et cum mœchis particu-*
lam tuam ponebas. Hæreticos dicit mœchos, & mœchas Eccleſias illorum:
quas aſpernatur & repudiat Chriſtus in Canticis canticorum, quaſi dicat,
[a] *Quid mihi colligitis non neceſſarias? una eſt dilecta mea, una eſt ſponſa mea,*
una eſt colomba mea, id eſt Catholica: In qua & vos cùm eſſe poſſetis, re-
baptizando inter mœchos particulam habere voluiſtis. Et quoniam vos
eſſe peccatores, divino teſtimonio manifeſtiſſime comprobatum eſt: etiam
illud oſtenſum eſt, tua auxilia contra te militaſſe. In auxilium enim addu-
xeras Prophetam, in quo lectum eſt, *Sacrificium peccatoris, quaſi qui victi-* Pſal. 66.
met canem. Jam peccatores vos eſſe, ſi pudor eſt ullus, cum dolore co- Pſalm. 140.
gnoſce. Etiam illud diſce, cujus vox ſit, *Oleum peccatoris non unget caput*
meum. Tu enim non intellexiſti, cujus hęc vox ſit, utique Chriſti, qui
necdum unctus fuerat, cùm rogaret, ut oleum peccatoris non impin- Inquinaret.
guaret caput ejus. Hæc tu non intelligens, dixiſti, [b] Quia Propheta ti- 1. Reg. 16.
muit oleum peccatoris, à Samuele jam dudum puer unctus fuerat. Qui
cantabat, non fuit ratio ut iterum ungeretur: Ergo vox eſt Chriſti dicen-
tis, *Oleum peccatoris non unget caput meum.* Preces ſunt, non juſſiones: De-
ſideria ſunt, non præcepta. Nam ſi juſſio eſſet, diceret, Oleum peccato-
ris non ungat caput meum. Vox eſt ergo filii Dei jam tunc metuentis
oleum peccatoris incurrere, id eſt, cujuſque hominis quia nemo non eſt
peccator, niſi ſolus Deus. Ideo filius ejus timuit oleum hominis, quia

ANNOTATIONES VARIORUM.

mum in Euchariſtia in eam intrabat & habitabat: Origenes, *ſed non ſtatim domus hac habitatorem habere Chriſtum meretur, niſi ſit vita ejus & converſatio ita ſancta, ita pura.* ALBASP.

x VAS INANE. Habebat Chriſtum quando eum rebaptiſaſtis: quem quidem per exorciſmos fugaſtis; ideo qui rebaptiſatur egreditur vacuus ex aquis; non enim amplius habet Chriſtum, neque Spiritum ſanctum. IDEM.

y TOTUM SUUM. In antiquum ſuam poſſeſſionem reſtituitor. IDEM.

z HOC EST VIDEBAS FUREM &c. Scribe *hoc eſt, videbas furem & concurrebas cum eo*; & aliquantulo ſpatio interpoſito, *& cum mœchis*, &c. Ita enim ſæpe ſolet Optatus teſtimoniorum ſive ut ipſe appellat, lectionum ſingula verba percurrere, ac perſequi, ſolo ſpatio ad indicium tranſitus, ac novæ quaſi materiæ interjecto. Horum intervallorum omiſſio, & neglecta obſervatio in Optati editionibus multum caliginis multis locis effudit. Dixiſſet alioquin Optatus, *ſequitur & cum mœchis* &c. M. CAS.

a QUID MIHI COLLIGITIS. Quid mihi facitis Eccleſiam. ALBASP.

b QUI PROPHETA TIMUIT OLEUM PECCATORIS &c. Diſtingue, *Hæc tu non int. dixiſti, quia proph. tim. & peccatoris. A Samuele jamdudum puer unctus fuerat, qui cantabat* (id eſt ψάλμῳδός) *Non fuit ratio ut iterum ungeretur. ergo,* &c. M. CAS.

fœdum erat, [c] ut Deus ab homine ungeretur. Ideo deprecatur patrem, ut non ungatur ab homine, ſed ab ipſo Deo patre. Petit ergo filius: videamus an conceſſerit pater. Hoc Spiritus ſanctus indicat & manifeſtat in Pſalmo xliiii. ubi ait ad ipſum filium, *Unget te Dominus Deus tuus oleo exultationis aliter à conſortibus tuis.* Conſortes fuerant Judæorum Sacerdotes & Reges, quos ſingulos unctos ab hominibus, conſtat. Sed quia filius à patre, Deus à Deo, erat ungendus, ſecundum quod filius petiit, & Spiritus promiſſa nunciavit, complevit Pater in Jordane. Quò, cùm veniſſet filius Dei, ſalvator noſter, à Joanne oſtenſus eſt his verbis, *Ecce agnus Dei. Hic eſt, qui tollit peccata mundi.* Deſcendit in aquam, non quia erat quod in Deo mundaretur, ſed venturum oleum [d] aqua debuit antecedere, ad myſteria initianda & ordinanda & implenda baptiſmatis: lotus cùm in Joannis manibus haberetur, ſecutus eſt ordo myſteriis, & complevit Pater, quod rogaverat Filius, & quod nunciaverat Spiritus ſanctus, apertum eſt cœlum Deo patre ungente, ſpirituale [e] oleum ſtatim in imagine columbæ deſcendit, & inſedit capiti ejus, & perfudit eum, [f] unde cœpit dici Chriſtus, quando unctus eſt à Deo Patre: cui ne [g] manus impoſitio defuiſſe videretur, vox audita eſt Dei de nube dicentis, *Hic eſt filius meus, de quo bene ſenſi, hunc audite.* Hoc eſt igitur quod lectum eſt, *Oleum peccatoris non unget caput meum.* [h] Rationem veritatis, frater Parmeniane, vel ſero addiſce, quoniam nunc tempus inveniſti diſcendi. [i] Et illud quod in Salomone Propheta lectum eſſe dixiſti: *Filios adulterorum inconſummatos*, & ſpuria [k] vitulamina altas radices dare non poſſe. Hoc & ſimpliciter dictum eſſe intelligi poteſt. Unde ſi figuram facias, veros adulteros excuſaſti. Sed fac, ut figuraliter dictum ſit, hoc de hæreticis dictum eſt, apud quos ſunt Sacramentorum [l] falſa connubia: & in quorum thoris iniquitas invenitur: ubi in [m] exterminium fidei corrupta ſunt ſemina. Dum Valentinus filium Dei in phantaſmate, non in carne fuiſſe contendit, fidem ſuam ſuorumque corrupit. Nativitatis eorum ſemen exterminatum eſt, qui non crediderunt filium Dei in carne natum de Virgine Maria, & paſſum in carne. Nam

ANNOTATIONES VARIORUM.

c UT DEUS AB HOMINE. Unctio eſt ſpecies communionis, ut habetur apud Dionyſium cap. ult. Hier. Eccleſ. qui autem communionem alicui impertit, is ſuperior eſſe videtur; unde nemo olim Epiſcopo ſacramentum impertiri poterat. Ait igitur. Optatus indignum fuiſſe ut Chriſtus per hominem perficeretur. ALBASP.

d AQUA DEBUIT. Baptiſmos ante Confirmationem conſerebatur. ALBASP.

e OLEUM STATIM. Confirmabantur ubi erant baptiſati. IOAN.

f UNDE COEPIT CHRISTUS. Baptiſmus faciebat filios: Confirmatio Chriſtianos, Eccleſia fideles. IDEM.

g MANUS IMPOSITIO. Et ne deeſſet oratio qua Confirmatio illa perficeretur; non ſolùm manus extentio vocabatur manus impoſitio, ſed etiam orationes, quæ cùm manum admoverent, pronuntiabantur. IOAN.

h RATIONEM VERITATIS FRATER PARMENIANE &c. Aliæ editiones, *quoniam nunc tempus eſt invenire diſcendi.* Ego ſcribo, *quoniam non eſt tempus*, vel, *nunc non tempus eſt juvenile diſcendi.* Prius enim, *vel ſerò*: quaſi diceret, præſtat ſerò, quàm nunquam. M. CAS.

i ET ILLUD QUOD IN SALOMONE PROPHETA LECTUM ESSE DIXISTI; FILIOS ADULTERORUM CONSUMMATOS. Inſignis locus, & animadverſione ſi quis alius in Optato digniſſimus. Vox *conſummatos* planè contra mentem auctoris pugnat; & Sapient. cap. 3. hæc ſunt verba *Τέκνα δὲ μοιχῶν ἀτέλεστα ἔσται, καὶ ἐκ παρανόμου κοίτης σπέρμα ἀφανισθήσεται.* Ex quorum poſtremo perpenſo non dubitant quidam corrigere, *filios adulterorum cum ſomno natos.* Quas tres voces inſcitia librarii turpiſſimè in unam redegit ſcilicet. Sed hæc correctio aliis fortaſſe ceu ſomno nata videbitur. Diu eſt cùm legendum ſuſpicabar, *filios adulterorum inconſummatos.* Nam ſic vulgata Latina editio libri Sapientiæ ſonat. *Filii adulterorum in conſummatione* (aliàs *non initiati*, vel *imperfecti*) *erunt, & ab iniquo thoro ſemen exterminabitur.* INCERT.

k VITULAMINA. Vocat ſtolones & ſuboles arborum. IDEM.

l FALSA CONNUBIA. Per omnia ſacramenta fit ſynaxis cum Chriſto Dion. de Hier. Eccleſiaſt. quare eleganter vocat ſacramenta Hæreticorum falſa connubia, quia non uniunt hæreticos cum Chriſto. ALBASP.

m EXTERMINIUM FIDEI. Dixit, ut infra *ſeparationem ſine exterminio fieri non poſſe.* INCERT.

& illud quod in Hieremia Propheta te legiſſe commemoraſti, exhorruiſſe cœlum quod duo maligna populus Dei fecerit, ut derelinquerent fontem aquæ vitæ, & foderent ſibi lacus detritos, qui non poſſent aquam continere. Legiſti quidem, ſed ut ſe res habet, intelligere noluiſti: ſtudio criminandi ad convitium Catholicorum cuncta componens, multum ad arbitrium tuum declinare conatus es. [n] Si enim putas per Prophetas ſic dicta eſſe omnia, ut ad tempora noſtra pertineant: excuſa tu Judæos, de quibus hęc dicta eſſe conſtat, qui dimiſerunt Deum vivum, Deum verum, Deum qui illis beneficia præſtitit: [o] & fecerunt ſibi Idola, hoc eſt, lacus detritos, qui non poſſunt aquam continere. [p] [q] Ideo perennis majeſtas exundat, ſicut in fontem, aqua largiter defluentibus venis exuberat. Idola verò ſi non fiant, non ſunt: & lacus niſi fodiatur, ſinus capaces habere non poteſt: Lacus ſine arte & ferramentis cavari non poteſt: nec Idolum ſine artifice fieri poteſt: [r] In Idolis virtus naturalis nulla eſt, ſed hominum errore adjungitur & applicatur, eſtimatur in Idolo virtus, quę illic nata non eſt, lacus eſt arte detritus, cujus fabrica vitiata eſt; ut aquam nec habeat & acceptam continere non poſſit: ſic Idolum nec de ſe eſt aliquid & dum colitur nihil eſt. Hoc eſt quod dicit Deus, Duo mala feciſſe populum ſuum, quia ſe reliquerat fontem aquę vivę, & effoſſos & detritos ſibi fecerat lacus. Etenim Judęorum populus deſeruerat veram aquam: non noverat majeſtatem Dei, & Idolorum inquinatam ſecutus fuerat religionem. Hoc eſt quod dolet Deus. Hoc eſt quod dicit cœlum exhorruiſſe. Nam & per Eſaiam idem Dei dolor eſt, dum in hoc duo Eſai. 1.
teſtatur Elementa, dum ait, *Audi cœlum & percipe auribus terra. Filios generavi, & exaltavi; ipſi autem me dereliquerunt.* Quare non de hac lectione

ANNOTATIONES VARIORUM.

[n] SI ENIM PUTAS PER PROPHETAS &c. Hoc quidem verè, & graviter Optatus; quod utinam ſibi dictum putaſſet. M. CAS.

[o] ET FECERUNT SIBI IDOLA, HOC EST &c. Inſignis quidem locus, ſed obſcuriſſimis verbis vitio librariorum conceptus. Alludit Optatus ad locum Hieremiæ Prophetæ cap. 2. ubi Deus Sabaoth conqueritur de populo Judæorum, illum ſe, ut fontem verum, reliquiſſe, Idola genitum, ut lacus detritos, coluiſſe. Quare ſanè feliciter legendum conjicit Barthius, *In Deo perennes mare deſeſtantes, exultant perennes* pro fontibus dixit, *mare* pro oorum lacubus obſcœnis. Iſta ſententia cum ſequentibus aptiſſimè convenit. Sed 2. Fe, Balduini editio, *Ideo perennis majeſtas exundat*; INCERT.

[p] IDEO PERENNIS. Multa hoc loco ex editione Germanica correximus. ALBASP.

[q] IDEO PERENNIS MAJESTAS EXUNDAT. &c. Adſerunt & hanc hujus editionis ſcripturam, laudant tamen N. L. Barthii conjecturam, qui emendat, *in Deo per aures mare deſeſtantes exulsnnes* cùm legeretur antea, *Ideo perennis male deteſtans exultans.* Sed ego longè præferendum puto, quod hic eſt, & è melioribus mſſ. depromptum minimè dubito; modo tamen ut pro *Ideo* corrigas *in Deo*, & ita diſtinguas, *In Deo perennis majeſtas exundat, ſicut in f. aqua larg. deſl. venis exuberat. Majeſtatem* iterum poſt pauca: & rectè meo judicio & *ἐμφατικῶς* verbum magnitudinis & amplitudinis (quale eſt illud *majeſtas*) idolorum vanitati & inanitati oppoſuit. M. CAS.

[r] IN IDOLIS VIRTUS NULLA &c. Corruptiſſimus eſt hic locus; immo uſque ad finem libri hujus. Balduini optima editio, non eſt optima, ſed prioribus magis depravata, ac manca. Deſcribemus igitur totum hunc locum ex prioribus editum, quid nobis videatur, exponemus. *Ita igitur illa. In Idolis virtus naturalis nulla eſt ſed hominum errore adjunguntur, & applicantur, æſtimentur Idola virtus. Vox quæ illic nata non eſt, locus eſt ante detritus cujus fabrica vitiata eſt, aquam nec habeat, & acceptam continere non poſſis. Sic & Idolum, nec de ſe eſt aliquid, & dum colitur, nihil eſt. Hoc eſt quod dixit Deus* &c. Optati ſcopus hic eſt, ut verba prophetæ de lacubus effoſſis & detritis, de Idolis interpretanda eſſe vincat. Hoc ut aſſequatur, ſingula prophetæ verba, more ſuo percurrit & expendit. Oſtenſo igitur Deum eſſe *aquam vivam*, de qua Hieremias hoc loco; pergit porro & diſputat qua ratione *Idola* inquit ille, *ſi non fiant, non ſunt; & locus niſi fodiatur, ſinus capaces habere non poteſt. Lacus ſine arte & ferramentis cavari non poteſt; nec Idolum ſine arte fieri poteſt. In idolis virtus naturalis nulla eſt, ſed hominum errore adjungitur, & applicatur. Æſtimatur in illo virtus aquæ, quæ illic nata non eſt.* Hactenus comparatio Idoli, & lacus, abſolutè. Comparat jam Idolum cum *lacu detrito defoſſo* (ſumptis ex Propheta verbis) *qui non poſſit aquam continere* lacus, inquit, *eſt ante detritus* (*detritus* hic idem quod *effoſſus*:) mox conjungit, *effoſſos ac detritos ſibi fecerunt lacus*) *cujus ſi fabrica vitiata eſt, aquam nec habeat, & acceptam continere non poſſis. Sic & Idolum, nec de ſe eſt aliquid, & dum colitur, nihil eſt.* Poſſis etiam ita legere, quod cum ἀπόδοσιν multò melius

aliquid, frater Parmeniane, dixiſti? An quia hîc non eſt aqua nominata? [f] Intelligeris enim ſtudio criminandi ſic pulſaſſe legem, ut ubicunque aquam ſcriptam legeris, præſtigiis quibuſdam ad invidiam colligeres, [t] & everriculo quodam malitiæ argumentorum intexto, ad te omnia quæ ſunt bona traxiſti. Nam qualis eſt tuus intellectus in hoc capitulo Hieremiæ, cùm clamaret Deus ſe deſertum eſſe, & ſic effoſſos lacus? pro ſe iraſcitur, non pro re ſua. [u] Aqua enim Baptiſmatis res Dei eſt, non Deus. Etſi putatis vos deſertos eſſe, quando apud vos fuerunt qui apud nos baptiſati ſunt, ut meritò veſtri deſertores ad nos venire viderentur? Probatum eſt ergo, te non contra nos, ſed contra vos dixiſſe, quod ante dictum eſt de oleo & ſacrificio peccatoris.

ANNOTATIONES VARIORUM.

congruit: *lacus eſt iſte detritus cuius fabrica vitiata eſt, ut aquam nec habeat*, (cui reſpondet, *Idolum nec de ſe eſt aliquid*) *& acceptam continere non poſſet*: de Idolo pariter, *& dum colitur nihil eſt*. Atque ita corruptum ac detritum de detrito lacu locum, non planè infeliciter, ſpero, reparavimus. M. CAS.

f INTELLIGERIS ENIM STUDIO CRIMINANDI &c. Locus mihi ſuſpectus. Niſi tamen ideo dicit eum *palpaſſe legem*, quod ſuis Parmenianus præſtigiis & argumentorum calliditate effecerit, ut lex iniquior Catholicis, & eorum cauſæ; ipſi autem plus æquo favere videretur: dum nimirum, ſola promit ex illa, quæ ſaltem in ſpecie ipſi commodabant; quæ ipſum autem planè jugulabant, & adverſarios apertè juvabant, omnia malitiosè ac ſubdole reticet. IDEM.

t ET CURRICULO QUODAM MALITIÆ ARGUMENTORUM INTEXTO, AD TE OMNIA QUÆ SUNT BONA TRAXISTI. Tò *curriculo* mendi ſuſpectum meritò, Barthius corrigit, *& ceu riticulo*. Quæ ei ipſa eſt veritas. Sed fallitur: & legendum omnino *& everriculo*. A piſcatione trahit ſimilitudinem. Non herclè magis veram.

Pythia quæ tripodo ex Phœbi lauruque profatur. INCERT.

u AQUA ENIM BAPTISMATIS RES DEI EST, NON DEUS. Etiam hîc integra periodo pleniores veteres editiones, quam cur Optatus pro genuina non agnoſcet, aut cur nos agnitam, & liberali aſſertam manu illi non reſtituamus, cauſam non video. Ita igitur ille: *Aqua enim baptiſmatis res Dei eſt, non Deus. Et ſi putatis deſertos eſſe, quando* (lego *deſertos vos eſſe: quando &c.*) *apud vos fuerunt, qui apud nos baptiſati ſunt, ut merito veſtri deſertores, ad nos venire viderentur*. Atque hîc debuit deſinere Liber quartus. Quæ ſequuntur periodi, altera ad finem libri tertii, ut rectè in nupera Pariſienſi reſtitutum eſt; altera ad ſequentis libri initium pertinet, ut mox à nobis probabitur. M. CAS.

LIBER

SANCTI OPTATI AFRI, MILEVITANI EPISCOPI, DE SCHISMATE DONATISTARVM, *ADVERSVS PARMENIANVM,*

LIBER QUINTUS.

QUI fuerint Traditores & auctores ſchiſmatis, in primo libro manifeſtiſſimis documentis oſtendimus. & apud nos eſſe unam & veram Eccleſiam Catholicam ſecundo monſtravimus. Tertio verò probavimus, quę aſperè facta eſſe dicuntur, ad nos minimè pertinere, & vos magis peccatores eſſe, indicio divino docuimus. Jam de baptiſmate hoc loco dicendum eſt: in qua re, quæ nunc agitur quæſtio, tota conſiſtit, quod baptiſma veſtra violavit audacia, [1] dum id voluiſtis iterare, quod ſemel mandavit Chriſtus. Quod nec tu

PHILIPPVS PRIORIVS.

1. DVM ID VOLVISTIS ITERARA QVOD SEMEL MANDAVIT CHRISTVS. Tertullianus cap. 15. de bapt. adv. Quintillam. *Semel ergo lavacrum inimus, ſemel delicta diluuntur, quia ea iterari non oportet.* Perpetuam eſſe Eccleſiæ legem, unum baptiſmum ſemel adminiſtrare, notum omnes. Illud poſt Chriſti legem ferè omnes docent, ac præcipuè S. Auguſtinus contra epiſt. Parmeniani, cap. 23. Huic addo S. Cyprianum epiſt. 2. *Baptiſmum repeti Eccleſiaſtica prohibent regula, & ſemel ſanctificatis nulla deinceps manus iterum conſecrans præſumet accedere. Nemo ſacros ordines ſemel datos iterum renovat. Nemo ſacro oleo iterum linit, aut conſecrat.* Cyprianum eo lubentius adduxi, quód anabaptiſmi defenſor olim fuiſſe creditur, & perverſam illam tamen opinionem ejuraſſe ſuſpicatur S. Auguſtinus, lib. 2. de Bapt. contra Donatiſtas, illudque etiam putat S. Hieronymus epiſt. 48. & Dialogo contra Luciferianos. Veriſſimum equidem eſt, eos qui formæ defectu, ut vocant, vel rei ad naturam baptiſmi pertinentis, uncti fuerant, iterum fuiſſe baptizatos. Unde S. Auguſtinus de fide ad Petrum cap. 3. *Quiſquis in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti, baptiſmi Sacramentum acceperit, integrum Sacramentum accipit: ſed ſalutem quæ virtus eſt ſacramenti non habebit, ſi extra Catholicam Eccleſiam ipſum habuerit. Ergo debet ad Eccleſiam redire non ut Sacramentum baptiſmi iterum accipiat, quod nemo debet in quolibet homine baptiſato repetere, ſed ut in Societate Catholica vitam æternam accipiat.* Hæc ratio tranſverſum egit Cyprianum & Firmilianum, qui hæreticos & ſchiſmaticos omnes cenſuerunt rebaptizandos. In eum ſenſum interpretandus can. 19. Concilii Nicæni de Paulianiſtis.

ANNOTATIONES VARIORVM.

a QVI FVERINT TRADITORES ET AVCTORES SCHISMATIS &c. Aliæ editiones ſic incipiunt. *Jam & qui fuerint Traditores* &c. Quod verum eſſe, & ſine cauſa expunctas illas voculas quovis pignore contenderim. Expungendi autem hæc cauſa fuit, quod ridiculum videretur librum ab iis incipere. Sed non viderunt viri docti, verba illa lib. 4. *& intelligendi tibi aditus clauſit*; vel potiùs illa, *veſtri deſertores ad nos venire viderentur*, poſtrema libri verba eſſe, eumque claudere. Initium libri quinti fecerat Optatus in iſtis. *Probatum eſt ergo te non contra nos* &c. Nam alioquin inanea eſſet quæ mox ſequitur, ſuperiorum librorum recenſio & ἀνακεφαλαίωσις, qua cùm *primi, ſecundi,*

negas, frater Parmeniane, quia in principio tractatus tui, multa contra vos pro nobis, quę ſunt noſtra, dixiſti. Commemoraſti enim in comparatione baptiſmatis, ſemel factum eſſe diluvium. Et unam Circumciſionem fuiſſe apud populum Judæorum.

Et cùm hæc initio dictionis tuæ latè tractaveris: in proceſſu tractatus tui tamen horum immemor factus es, inducendo duas aquas, & de aqua vera & falſa dicturus, [b] principium ſermonis tui inſipienter * perſtruens ordinaſti: Infirmando, confirmas ſancti Baptiſmat. unionem. De Circumciſione Judaïca, quaſi fundamenta jactare voluiſti, quod baptiſma Chriſtian. in Hebræorum Circumciſione fuerat adumbratum. [c] Defendiſti Catholicā dum impugnas. [d] Etenim in progreſſu tractatus tui, alterum te inanire profeſſus es, ut alterum replere videreris. Extra hæreticorum baptiſmata, dum dicis alterum & alterum, licet diverſa oſtendere conatus ſis, non poſſis negare; quia duo ſunt, ex quibus dum conaris auferre alterum, laboraſti ut de ſecundo quaſi primum facere videreris. Circumciſio ante adventum baptiſmatis in figura præmiſſa eſt, & à te tractatum eſt, apud Chriſtianos duas eſſe aquas. Ergo & apud Judæos duas Circumciſiones oſtende, alteram meliorem, pejorem alteram. Hoc ſi quæras, non poteris invenire. Abrahæ proſapia, qua Judæi cenſentur, [1] hoc ſigillo ſe inſigniri gloriatur. Ergo talis debet veritas ſequi, qualis ejus imago præmiſſa eſt. Nam & Deus, qui voluit oſtendere [e] rem ſingularem poſtea eſſe debere in ſequenti veritate non de auricula, non de digito voluit aliquid tolli, ſed ea pars corporis electa eſt deperire, ut ſemel ablatum, ſalutare in illis faciat ſignum, quod non poteſt iterum fieri. [f] Semel enim factum ſervat ſalutem: Si iterum fiat, poteſt afferre perniciem. Sic & Baptiſma Chriſtianorum, Trinitate confectum, confert gratiam: Si repetatur, facit vitæ jacturam. Quid igitur tibi placuit, frater Parmeniane, rem ſingularem proponere, & contra hanc,

* Perſtringens.

PHILIPPUS PRIORIUS.

1. HOC SIGILLO SE INSIGNIRI GLORIANTUR. Judæis nihil antiquius, quàm fœdus ſuum, ſive ſignum Electionis ſuæ extollere, quo ex Abrahami proſapia ortos ſe gloriantur. Cùm enim Chriſtianos quos antea non norant, ipſi alloquuntur, ab ipſis poſtulant an habeant ברית hoc eſt fœdus, ſive ſignum fœderis, Circumciſionem ſuam magnifico hoc vocabulo exprimentes.

ANNOTATIONES VARIORUM.

tertiique libri meminerit, nullam facit quarti mentionem, niſi his verbis, quæ quinto vendicamus. Sed & confer ſingulorum librorum initia, ut tertii, *Satis ut arbitror in ſecundo libello de Eccleſia* &c. Ita & reliquorum; in quibus, ut hoc quinto à proximè præcedentis argumento ſumit initium. Erroris, ſi quæris, hæc ni fallor cauſa fuit. Scripſerat Optatus. *Probatum eſt ergo* &c. *de oleo & ſacrificio peccatoris libro quarto*. Pro, *libro quinto*, male deſcripſerat aliquis *libro quinto*, aut lib. V. pro IV. quod poſtea pro ſequentis libri titulo, qui, ut ſæpe in Mſſ. omiſſus fortaſſe fuerat, acceptum eſt. Ita igitur debet hoc initium reſtitui. *Liber Quintus. Probatum eſt ergo, te non contra nos dixiſſe quod antè dictum eſt*. an potius, *à te*, ut ſuprà non ſemel: niſi hoc nimis putidum, *te dixiſſe quod à te dictum eſt, de oleo & ſacrificio peccatoris lib. quarto. Jam & qui fuerint Traditores, & auctores ſchiſmatis, in lib. primo, manifeſtis documentis* &c. M. CAS.

b PRINCIPIUM SERMONIS TUI INSIPIENTER &c. Alii *inſipienter præſtringens ord.* Scio defendi poſſe quod hîc eſt. Puto tamen Optatum ſcripſiſſe *inſipienter præſtruens ord.* Cum duas, inquit, aquas in proceſſu tractatus tui inducturus eſſes, propoſito tuo infeliciter præſtruxiſti, dum unicæ circumciſionis fundamentum jactas, &c. M. CAS.

c DEFENDISTI CATHOLICAM DUM IMPUGNAS. Dum apud nos baptiſmum quamvis falſum, dicas eſſe: probas eum eſſe verum & legitimum, quia apud Judæos una tantùm erat Circumciſio. ALB.

d ETENIM IN PROGRESSU TRACTATUS TUI &c. Aliquot hîc lineas mendo laborare, res ipſa clamat. Ego ita ſcribenda hæc, ac diſtinguenda puto: *Etenim in progreſſu tract. tui, alterum te inanire profeſſus es, ut alterum replere videreris, extra hæreticorum baptiſmata, dum dicis alterum; & alterum, licet diverſa oſtendere conatus ſis, non poſſes negare, quia duo ſunt: ex quibus dum conaris auferre alterum, laboras ut de ſecundo, quaſi primum facere videreris. Circumciſio* &c. M. CAS.

e REM SINGULAREM. Figuram eſſe rei quæ eſt ſingularis, & quæ repeti non poteſt. ALBASP.

f SEMEL ENIM FACTUM SERVAT SALUTEM. Salutare eſt? ſenſus requirit, ſed verba non ferunt. An ſalutarem vim retinet. Sed quid hoc? Puto le-

licet diverſa, duo baptiſmata comparare: Vnum verum, alterum falſum? Sic enim poſtea diſputaſti: duas aquas eſſe, cùm vobis unam vindicans veram, nobis mendacem aſcribere voluiſti.

[1] Poſt hoc & Cataclyſmi feciſti mentionem. Erat quidem imago baptiſmatis, ut inquinatus totus orbis, demerſis peccatoribus, lavacro interveniente, in faciem priſtinam mundaretur. Sed qui poſtea dicturus eras, extra hæreticorum morbidos fontes eſſe, etiam aliam aquam, id eſt, mendacem, contra veram: ut quid Cataclyſmum (quod ſemel fuit) commemorare voluiſti? Si ita eſt, oſtende prius duas Arcas non ſimiles, & duas Columbas diſpares, diverſos ramos ore ſuo portantes, ſi [g] aquam veram & falſam probaturus es. Aqua igitur ſola & vera illa eſt, quæ non de loco, [h] non de perſona, ſed de Trinitate condita eſt. Et quia dixiſti, & aquam eſſe mendacem, etiam hoc diſce, ubi eam poteris invenire. [i] Apud Praxeam Patripaſſianum, qui ex toto Filium negat, & Patrem paſſum eſſe contendit: cùm ſit filius Dei Veritas, ſicut ipſe teſtatur dicens, *Ego ſum ianua & via, & veritas.* Ergo ſi filius Dei eſt veritas, ubi ipſe non eſt, mendacium eſt. Cum apud Patripaſſianos non eſt Filius, non eſt nec veritas: Et ubi veritas non eſt, ibi eſt aqua mendax. Quare vel ſero deſine confingere crimina, & quod in Patripaſſianos dictum eſt, in Catholicos noli transferre. Nunc quoniam manifeſtè monſtratum eſt, à nobis & pro nobis dici potuiſſe, quod de diluvio & Circumciſione locutus es: Conſequens eſt oſtendere, quomodo laudem baptiſmatis ita dixeris, ut in ea multa pro nobis & pro vobis, aliquid tamen & contra vos. [k] Pro utriſque illud eſt, quod & nobis commune eſt: [l] ideo & vobis, quia ex nobis exiſtis: Denique & apud vos & apud nos una eſt Eccleſiaſtica [m] converſatio, [n] communes lectiones: eadem fides: [o] ipſa fidei Sacramenta: [p] eadem myſteria. Bene igitur laudaſti baptiſma. Quis enim fidelium neſciat, ſingulare baptiſma, [q] virtutum eſſe vitam, criminum mortem, nativitatem immortalem, cœleſtis regni comparationem, innocentiæ portum, peccatorum (ut & tu dixiſti) naufragium. Has res unicuique, non ejuſdem rei [r] operarius, ſed credentis fides & Trinitas præſtat. Deinde quæris, quid in laude baptiſmatis contra vos dixeris? Audi ſed prius eſt fatearis,

Ioan. 14.

PHILIPPVS PRIORIVS.

1. POST HOC ET CATACLYSMI FECISTI MENTIONEM. Diluvium nempe Noacicum de quo hic mentio, Tertulliano dicitur de habitu mulieb. c. 3. *Omnium rerum abolitor Cataclyſmus*, & in apolog. clariùs adhuc exprimit his verbis, *totum orbem Cataclyſmus abolevit.*

ANNOTATIONES VARIORVM.

gendum, *Servis ad ſalutem.* M. CAS.

g AQVAM VERAM, ET FALSAM. Duos baptiſmos, unum falſum, alterum verum. ALBASP.

h NON DE PERSONA. Non de ſanctitate perſonæ, ſed ex vi ſacramenti. IDEM.

i APVD PRAXEAM. Falſam apud Praxeam poſſes invenire aquam, quia filio non credit. IDEM.

k PRO UTRISQVE ILLVD EST, QVOD ET NOBIS COMMVNE EST, &c. Poſſis legere, *quod & nobis commune eſt, ideo & vobis, quia ex nobis.* Ego tamen Optatum puto ſcripſiſſe, *Pro utriſque, illud eſt, quod & nobis commune eſt & vobis. Ideo & vobis, quia ex nobis exiſtis.* Supra lib. 1. *Vt quid à te memorati ſunt iſti, apud quos non ſunt Sacramenta, quæ nobis & vobis videntur eſſe communia?* Nuſquam autem ſæpius a ſcribis peccatum eſſe, quàm ubi eædem voces proximè repetitæ ſunt, aut geminatæ, jam aliquoties monuimus. M. CAS.

l IDEO ET VOBIS. Quia à vobis ea accepiſtis. ALBASP.

m CONVERSATIO. Una Eccleſiaſtica diſciplina. IDEM.

n COMMVNES LECTIONES. Eodem modo ſcripturas explicamus. IDEM.

o IPSA FIDEI SACRAMENTA. Regulam fidei. IDEM.

p EADEM MYSTERIA. D. Auguſtinus diſtinguit inter myſteria, & ſacramenta: myſterium eſt id quod confertur, aut ſignificatur: ſacramentum res viſibilis per quam res ſpiritualis datur. IDEM.

q VIRTVTVM VITAM. Quia virtutes ſine gratia non poſſunt perfici. IDEM.

r OPERANTIS. Perſona operantis nihil confert. IDEM.

quod omnes negare minimè poteritis. Dicitis enim [ſ]Trinitatem pro nihilo haberi, ubi non interfuerit veſtra præſentia. [t] Si nobis derogatis, vel Deum reveremini, qui in Trinitate prior eſt: Qui cum filio ſuo & Spiritu-ſancto omnia operatur & complet, etiam & illic ubi non fuerit humana perſona. Tu verò, frater Parmeniane, [u] in laude aquæ de Geneſiorum lectione dixiſti, [x] aquas primum vivas animas edidiſſe: nunquid ſua ſponte eas generare potuerunt? nunquid non & illic fuerat tota Trinitas? utique & illic fuerat Deus pater, qui jubere dignatus eſt, qui dixit, *Educant aquæ natantia & volatilia, &c.* Quòd ſi ſine operante fieret quod factum eſt, diceret Deus, *Educite aquæ.* Ibi erat ergo filius Dei qui operabatur. Ibi erat Spiritus ſanctus, ſicuti lectum eſt, *Et ſpiritus Dei ſuperferebatur ſuper aquas.* [y] Nihil illic video quartum, nihil minus à tribus, & tamen natum eſt quod Trinitas operata eſt: Et non ibi fuiſtis: aut ſi ſine vobis nihil debet licere Trinitati, revocate piſces in originem: jam volantes aves fluctibus mergite, ſi vobis abſentibus nihil debet Trinitas operari. Cùm ergo dixeris & unum fuiſſe diluvium, & Circumciſionem repeti non poſſe: Et nos docuimus cœleſte munus unicuique credenti à Trinitate conferri, non ab homine: Et quid vobis viſum eſt, non poſt nos, ſed poſt Trinitatem, Baptiſma geminare? Cujus de Sacramento non leve certamen innatum eſt, & dubitatur, An poſt Trinitatem in eadem Trinitate hoc iterum liceat facere. Vos dicitis, *licet*: Nos dicimus, *non licet.* Inter *licet* veſtrum, & *non licet* noſtrum, nutant & remigant animæ populorum. Nemo vobis credat, nemo nobis: omnes contentioſi homines ſumus.

Quærendi ſunt judices: ſi Chriſtiani, de utraque parte dari non poſſunt: quia ſtudiis veritas impeditur. De foris quærendus eſt judex: Si paganus, [z] non poteſt noſſe Chriſtiana ſecreta. Si Judæus, inimicus eſt Chriſtiani baptiſmatis: Ergo in terris de hac re nullum poterit reperiri judicium, de cœlo quærendus eſt judex. Sed ut quid pulſamus ad cœlum, [s] cum habeamus hic in Evangelio teſtamentum? Quia hoc loco rectè poſſunt terrena cœleſtibus comparari: tale eſt, quod quivis hominum habens numeroſos filios. His, quamdiu pater præſens eſt, ipſe imperat ſingulis: non eſt adhuc neceſſarium teſtamentum. Sic & Chriſtus, quamdiu præſens in terris fuit (quamvis nec modo deſit) pro tempore quicquid neceſſarium erat, Apoſtolis imperavit. Sed quo modo terrenus pater, cùm ſe in confinio

PHILIPPUS PRIORIUS.

s. CUM HABEAMUS HIC IN EVANGELIO TESTAMENTUM. Judices quærendos modò dicebat, ut ad verum judicem & incorruptum deveniret, ſacros videlicet codices Evangelii, à quibus petenda eſt religionis veritas. Neque enim aliter olim quidquam in conciliis decernebatur quam, προτεθέντων τῶν ἁγίων εὐαγγελίων, ut in actione 1. concilii 8. œcumenici factum eſt. S. Auguſtinus lib. de grada & lib. arb. cap. 18. *Sedeat inter nos Apoſtolus Ioannes*, & lib. 2. de nuptiis & concup. c. 33. cùm Apoſtoli locum vellet adducere. *Iudicet cum Chriſto Apoſtolus, quia & in Apoſtolo ipſe loquitur Chriſtus.* His adde Clementem Alexandr. ſtrom. 7. alios omitto.

ANNOTATIONES VARIORUM.

ſ TRINITATEM PRO NIHILO. Trinitatem nihil conferre in baptiſmo. ALBASP.

t SI NOBIS DEROGATIS. Cur dicitis perſonas noſtras impedire quò minùs rectè quis baptiſetur apud nos; cùm Deus in baptiſmo invocetur, qui omnia perficere poteſt. IDEM.

u IN LAUDE AQUÆ DE GENESIORUM &c. Victor Utic. lib. 2. *Superferebatur ſpirit. Dei ſuper aquas, ut pote creator virtute potentiæ ſua continens creaturam, ut ex his viva omnia producturus ipſe rudibus elementis ignis propria fomenta præſtaret, & jam tunc myſterio emicante baptiſmatis virtutem ſanctificationis liquoris natura perciperet, primaque ad vitam corpora animata produceret.* M. CAS.

x AQUAS VIVAS. Tertullianus de Baptiſmo: *Primus liquor quod viveret edidit: nec mirum ſit in baptiſmo, ſi aqua animare noverunt.* ALBASP.

y NON VIDEO QUARTUM. Non video perſonam humanam aliquid illic conferre: tres ſufficiunt. IDEM.

z NON POTEST NOSSE CHRISTIANA SECRETA;

ſenſerit mortis, timens ne poſt mortem ſuam, rupta pace, litigent fratres, adhibitis teſtibus, voluntatem ſuam de pectore morituro transfert in tabulas diu duraturas. Et ſi fuerit inter fratres contentio nata, non itur ad tumulum, ſed quæritur teſtamentum: [a] Et [b] qui in tumulo quieſcit, tacitus de tabulis loquitur: vivus, is, cujus eſt teſtamentum, in cœlo eſt. Ergo voluntas ejus, velut in teſtamento, ſic in Evangelio inquiratur. Etenim præſentia, quæ modo facitis, jam futura conſpexerat Chriſtus. Denique cum lavaret pedes diſcipulis ſuis, ſic ait Petro Filius Dei, *Quod ego facio, tu neſcis, Scies autem poſtea.* Dicendo, *Scies poſtea*, hęc tempora deſignabat. Ergo inter cęteros teſtamenti titulos, hunc titulum de aqua conſtituit. Cum lavaret pedes diſcipulis ſuis tacentibus cęteris, ſi taceret & Petrus ſolam fecerat [c] formam humilitatis nihil pronunciaverat de Sacramento baptiſmatis. Sed cum Petrus recuſat, nec pedes ſibi lavari permittit, negat illi Chriſtus regnum, niſi accepiſſet obſequium. Sed cum cœleſtis regni mentio fieret, à quo pars corporis petebatur ad obſequium, totum corpus obtulit ad lavacrum. Nunc adeſtote omnes turbę, & ſinguli Chriſtiani populi, Quid liceat, diſcite: cum provocat Petrus, Chriſtus docet: Qui dubitat, diſcat. [d] Chriſti enim vox eſt, *Qui ſemel lotus eſt, non habet iterum neceſſitatem lavandi: Quia eſt mundus totus*, & de eo lavacro pronunciavit, quod de Trinitate celebrandum eſſe mandaverat: non de Judęorum aut hæreticorum, qui dum lavant, ſordidant: ſed de aqua ſancta, quę de trium nominum fontibus inundat. Sic enim ipſe dominus Chriſtus præcepit dicendo, *Ite, baptizate omnes Gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* De hoc lavacro dixit, *Qui ſemel lotus eſt, non habet iterum neceſſitatem lavandi.* Qui ſemel dixit, prohibuit iterum fieri. Et de re locutus eſt [e] non de perſona. [f] Nam ſi eſſet diſtantia, diceret, *Qui ſemel bene lotus fuerit.* Sed dum non addidit verbum, *bene*, indicat quia quicquid in Trinitate factum fuerit, bene eſt. Inde eſt, quod ſimpliciter à vobis venientes excipimus, cùm dicit *Non habet neceſſitatem iterum lavandi.* Hæc ſententia generalis eſt, non ſpecialis. Nam ſi Petro hęc dicerentur, diceret Chriſtus: *qui ſemel bene lotus eſt non habet neceſſitatem iterum lavandi.* Ideo quotiens à vobis baptizatus aliquis, ad nos tranſitum voluerit facere, venientem hoc magiſtri exemplo [g] tota ſimplicitate ſuſcipimus. Abſit enim, ut jam lotum revocemus ad fontem: Abſit, ut [h] in Spiritum ſanctum peccemus: cui facinori & præſenti &

ANNOTATIONES VARIORUM.

Myſteria: Tertullianus, *ſequitur ut extranei: at unde, extraneis notitia?* IDEM.

a ET QUI IN TUMULO QUIESCIT &c. Priores editiones, *& qui tumulo quieſcit tacitus de tabulis loquitur; & vivus cujus* &c. ſcribe, *& qui tumulo quieſcit tacitus, de tabulis loquitur vivus. Is cujus* &c. Totum hunc locum quomodo S. Auguſtinus imitatus ſit, videbis in Balduini Notis, qui locum profert. Quod hic autem Optatus, *Qui tumulo quieſcit tacitus*, Auguſtinus, ille ſine ſenſu jacet in monumento &c. M. CAS.

b QUI TUMULO QUIESCIT, TACITUS DE TABULIS LOQUITUR. Elegantiſſimè, de ſepulto cujus teſtamentum aut codicilli, oborta è re nata contentione, inſpiciuntur. INCERT.

c FORMAM HUMILITATIS. Si Petrus loquutus non fuiſſet, & non recuſaſſet lavari, Chriſtus de baptiſmo nihil dixiſſet. ALBASP.

d CHRISTI ENIM VOX EST, QUI SEMEL LOTUS &c. Non primus Optatus, dubium in re magis an verbis falſus, hoc loco ita abuſus eſt. Jampridem Tertullianus de Bapt. cap. 12. planè ſimiliter uſu fuerat, niſi quod Tertullian. (quod tamen eodem redit) ita vertit. *Qui ſemel lavit, non habet neceſſe rurſum.* In aliis edit. integer locus affertur. *Qui ſemel lotus eſt, non habet iterum neceſſitatem lavandi, quia eſt mundus totus*: ut & Victor Utic. citat extremo lib. niſi quod ille *lavari*, quod hic *lavandi*. M. CAS.

e NON DE PERSONA. Dixit aquam lavare, non perſonam conferentem aquam. ALBASP.

f NAM SI ESSET DISTANTIA. Si eſſet differentia inter perſona quæ baptizant. IDEM.

g TOTA SIMPLICITATE. Pro omni dixit, ut aliàs, *totam importunitatem*, aliàs *totam ſanctitatem*, ac, *totam ſecuritatem.* Quomodo & Hieronymus & Vopiſcus, notante Iſaaco Caſaubono excellentiſſimo Critico. INCERT.

h IN SPIRITUM SANCTUM. Exorciſmis eum fugando. ALBASP.

futuro ſæculo indulgentia denegatur; Abſit, ut iteremus, quod ſemel eſt, aut duplicemus quod unum eſt. Sic enim ſcriptum eſt, Apoſtolo dicente, *Unus Deus, unus Chriſtus, una fides, una tinctio.* Epheſ. 4.

Denique vos, qui baptiſma quaſi libenter duplicare contenditis, ſi datis alterum baptiſma, date alteram fidem; Si datis alteram fidem date & alterum Chriſtum. Si datis alterum Chriſtum, date alterum Deum. Unum Deum eſſe negare non poteſtis, ne in Marcionis foveas incidatis. Ergo Deus unus eſt: de uno Deo unus eſt Chriſtus. Qui rebaptizatur, jam Chriſtianus fuerat; Quomodo dici poteſt [i] iterum Chriſtianus? [k] [l] Una fides hoc loco, ab hæreticorum erroribus & ab eorum varia fide, fides unica ſeparatur. [m] Et jam vobis præſcribitur, qui poſt ſemel, iterum facitis, [n] totum ponendo in dotibus, nihil in Sacramentis; cùm hoc [o] nomen fidei pertineat ad credentem, non ad operantem; Quocunque enim interrogante, qui credidit, Deo credidit: Et poſt illius unum *credo*, tu exigis [p] alterum *credo*. Deinde ſequitur unum baptiſma, ut quia quod unum eſt, ſanctum eſt, per quod unum eſt: [q] non ſolum ab hæreticorum prophanis & ſacrilegis baptiſmatibus ſeparetur, ſed ne duplicetur quod unum eſt, aut iteretur quod ſemel eſt. In hoc Sacramento baptiſmatis celebrando, [r] tres eſſe ſpecies conſtat, quas & vos, nec augere, nec minuere, nec prætermittere poteritis. [ſ] Prima ſpecies eſt in Trinitate, Secunda in credente, Tertia in operante. Sed non pari libramine ponderandæ ſunt ſingulæ. Duas enim video neceſſarias, & unam quaſi neceſſariam. Principalem locum Trinitas poſſidet, ſine qua res ipſa non poteſt geri: hanc ſequitur fides credentis. Jam perſona operantis vicina eſt, quæ ſimili auctoritate eſſe non poteſt. Duæ priores permanent ſemper immutabiles & immotæ: Trinitas enim ſemper ipſa eſt: fides in ſingulis una eſt: vim ſuam ſemper retinent ambæ. Perſona verò operantis, intelligitur duabus prioribus ſpeciebus par eſſe non poſſe, ideo quod ſola eſſe [t] videatur mutabilis. Inter nos & vos vultis [u] ejuſdem perſonæ eſſe diſtantiam: & ſanctiores vos æſtimantes, [x] ſuperbiam veſtram non dubitatis anteponere Trinitati: cùm perſona operantis mutari poſſit, Trinitas mutari non poſſit.

ANNOTATIONES VARIORUM.

i ITERUM CHRISTIANUS. Quomodo poteſt renaſci qui natus eſt: per primum baptiſmum novam aſſecutus eſt naturam, quomodo poteſt eam amittere per ſecundum baptiſmum & eandem rurſus aſſequi? ALBASP.

k UNA FIDES HOC LOCO AB HÆRETICORUM &c. Scribe *una fides. Hoc loco ab hæreticorum erroribus, & ab eorum varia fide, fides unica ſeparatur*, proximè citati loci ſingula percutrit. Jam de *uno Deo: uno Chriſto*: ſequitur *una fides*. De hac quoque poſtquam egit, addit, *Deinde ſequitur, unum baptiſma; ut quia quod unum eſt* &c. M. CAS.

l UNA FIDES HOC LOCO. Senſus eſt, cùm ſit una duntaxat fides, Hæretici qui veram & rectam de Trinitate fidem non habent, non poſſunt baptiſare, quia fides ab eorum vana fide ſeparatur ALBASP.

m ET JAM VOBIS PRÆSCRIBITUR. Et hoc etiam contra vos pugnat, quia cùm ſit una fides, non poteſtis, neque debetis aliam dare in rebaptiſatione. IDEM.

n TOTUM PONENDO IN DOTIBUS. Omnem vim ſacramentorum ponendo in ſanctitate conferentis. IDEM.

o NOMEN FIDEI. Qui baptiſatur, debet credere: debet habere fidem; quod ſi habeat, & habere debeat, non requiretur fides baptiſantis; ſed baptiſandi. IDEM.

p ALTERUM CREDO. Interrogabantur in baptiſmo, profitebanturque ſe in Chriſtum & in Deum credere, quare cùm ita eſſet, non debebant aliud *credo* exigere, quia unum eſt tantùm *Credo*, non duo. IDEM.

q NON SOLUM AB HÆRETICORUM. Illa fidei unitas non ſolùm hæreticorum baptiſma, quod in illa fide & in Trinitate datum non eſt, excludit; ſed etiam vetat ne ipſa duplicetur fides, & aliam à rebaptiſatis extorqueatis, aut inferatis. IDEM.

r TRES ESSE SPECIES. Tria concurrunt. IDEM.

ſ PRIMA IN TRINITATE. Neceſſe eſt ut baptiſmus fiat in nomine Patris, Filii, & Spiritus ſancti. IDEM.

t VIDEATUR MUTABILIS. Perſona baptiſantis non facit ut gratia ſacramenti remaneat, ſed fides baptiſati. IDEM.

u EJUSDEM PERSONÆ ESSE DISTANTIAM. Vultis ut magna ſit differentia inter Donatiſtam & Orthodoxum baptiſantes. IDEM.

x SUPERBIAM VESTRAM ANTEPONERE TRINITATI. Quia vultis ſanctitatem & effectum baptiſmi naſci ex ſanctitate conferentis, non ex fide. IDEM.

[y] Et cum ab accipientibus [z] baptiſma deſiderari debeat, vos deſiderandos eſſe proponitis. Cùm operantes inter alios ſitis, oſtendite qualem in eodem myſterio locum habeatis, & an ex eodem corpore eſſe poſſitis. Baptiſmatis unicum nomen eſt: cui ſubeſt [a] proprium corpus: cui corpori [b] certa ſunt membra; quibus nec addi nec auferri aliquid poteſt. Inter quę membra ſi & eligendus operarius invenitur, totum corpus ad operantem pertinet. Hęc omnia hujus corporis membra, & ſemper & ſemel ſecum ſunt, & mutari non poſſunt. Operarii verò quotidie mutantur & locis, & temporibus & perſonis; [c] Neque enim unus homo eſt, qui ſemper aut ubique baptizat in hoc opere. Jam dudum alii fuerunt, Modo alii, Poſtea alii futuri ſunt: Operarii mutari poſſunt, Sacramenta mutari non poſſunt.

Cùm ergo videatis, omnes qui baptizant, operarios eſſe, non dominos, & ſacramenta per ſe eſſe ſancta, non per homines; quid eſt quod vobis tantum vindicatis? Quid eſt quod apud vos ſolos munus principale eſſe dicitis? Quid eſt, quod Deum muneribus ſuis excludere contenditis? Concedite Deo præſtare quæ ſua ſunt. Non enim poteſt munus ab homine dari, quod divinum eſt. Si ſic putatis, & Prophetarum voces, & Dei promiſſa inanire contenditis, quibus probatur quia Deus lavat, non homo. Adeſt contra vos David Proph. qui ait in Pſ. 50. *Lavabis me & ſuper nivem dealbabor.* Item in eodẽ Pſ. *Deus lava me ab iniuſtitia mea, & à delicto meo munda me. Lava me*, dixit: non dixit *elige per quem laver.* Et Eſaias Proph. ſic dixit, *Quoniam abluet dominus ſordes filiorum & Filiarum Sion.* Non dixit, *lavabunt me qui ſe ſanctos putant.* Dignamini ut vel Proph. vos vincant, vel ſic agnoſcite quia non lavat homo, ſed Deus. Quamdiu dicitis, [d] qui non habet quod det, quomodo dat? Videte Deum, eſſe datorem, Videte Deum unumquemque mundare. Sordes enim & maculas mentis lavare non poteſt, niſi qui ejuſdem fabricator eſt mentis. Aut ſi putatis, quia lavacrum veſtrum eſt, dicite, qualis eſt ipſa mens, quæ per corpus lavatur: aut quam habet formam: aut quo loco in homine habitet. Hoc homini ſcire negatum eſt. Ergo quomodo putas, quia lavas qui neſcis quale ſit quod lavas? Dei eſt mundare, non hominis: ipſe per Prophetam Eſaiam promiſit ſe loturum, dum ait, *Etſi fuerint peccata veſtra velut coccum, ut nivem inalbabo. Inalbabo* dixit, non dixit, *faciam inalbari.* Si hoc Deus promiſit, quare vos vultis reddere, quod vobis nec promittere licet, nec reddere, nec habere? Ecce in Eſaia ſe promiſit Deus inalbare peccatis affectos, non per hominem. Revertimini ad Evangelium: Videte, quid in ſalute generis humani ſit pollicitus Chriſtus. Cui cùm mulier Samaritana aquam negaret, tunc à filio Dei dictum eſt, quod pręſcribat pręſumptionibus veſtris, *Aquam* (inquit) *quam ego do, qui biberit, non ſitiet in æternum.* Ioan. 4.

ANNOTATIONES VARIORUM.

y ET CUM AB ACCIPIENTIBUS BAPTISMA &c. Baptiſma eſt quod ab accipientib. deſiderari debere dicit, non Trinitas aut fides; ut quidam hic ineptiſſimè; non advertentes, illud *deſiderare* proprium Sacramentis noſtris, Baptiſmo & Euchariſtiæ, verbum olim fuiſſe: de quo multa ὁ μακαρίτης pater in exercitat. ad Baron. exercit. 16. ſection. 45. MER. CAS.

z BAPTISMA DESIDERARI DEBEAT. Baptiſandi ſumma ope debent eniti ut perfectè credant; vos autem vultis ut magis deſiderent baptiſari à non peccatoribus, & plus ſperent à ſanctitate baptiſantis, quàm & à fide & à Trinitate. ALBASP.

a PROPRIUM CORPUS. Baptiſmus conſtat ſua forma & materia ut aiunt, inter quæ perſona baptiſantis non numeratur: cur ergo vobis vindicatis totam ejus rationem & eſſentiam, & eam in veſtra perſona ponitis? IDEM.

b CERTA SUNT MEMBRA. Certæ ſunt partes, IDEM.

c NEQUE ENIM UNUS HOMO EST, QUI SEMPER &c. Lege *neque enim u. homo eſt, qui ſ. aut u. baptiſat. In hoc opere jamdudum alii fuerunt, modo alii, poſtea alii futuri ſunt, Operarii mutari poſſunt, Sacramenta* &c. M. CAS.

d QUI NON HABET QUOD DET, QUOMODO DAT? Hoc argumentum in Concilio D. Cypriani habetur. ALBASP.

Aquam quam ego do, inquit, non dixit, quam dederint qui ſe ſanctos putant, ſicut vos vobis videmini: ſed ſe dixit daturum. Ipſe eſt ergo qui dat? ipſius eſt, quod datur: Quid eſt quod vobis tota importunitate vindicare contenditis?

Cùm hanc rem cumulet Joannes Baptiſta, qui præcurſor venerat Salvatoris, cùm multos tingeret in pœnitentia & remiſſa peccatorum, nunciavit fi-
Joan. 1. lium Dei eſſe venturum. Cujus verba hæc ſunt, *Ecce venit qui vos baptizat.* Et tamen non legimus poſt Joannem Chriſtum aliquem baptizaſſe. Quod ergo dixit, *Qui vos baptizat*, & veniens Chriſtus illo tempore poſt Joannem neminem tinxit: promiſſum erat temporibus noſtris, ut ipſe daret, quod
Joan. 4. hodie datur: ſecundum quod ait, *Aquam quam ego do qui biberit, non ſitiet in æternum.* Nam & diſcipuli Joannis, cum dicerent magiſtro ſuo, Ecce quem baptizaſti, baptizat? Baptizabat quidem, ſed per manus Apoſtolorum, qui-
Joan. 4. bus leges baptiſmatis dederat. Denique lectum eſt alio loco, *Nam ipſe neminem baptizavit, ſed diſcipuli ejus.* In hac re omnes diſcipuli ejus ſumus, ut nos operemur, ut ille det qui ſe daturum eſſe promiſit. Et tamen cum Joannes infinita millia hominum baptizaret, [e] jam Chriſto præſente operabatur ſervus, & vocabat dominus, antequam baptizandi daret formam. Peractum eſt non modicum tempus, millia hominum in pœnitentia & remiſſione tincta ſunt peccatorum. Sed nemo tinctus fuerat in Trinitate: nemo adhuc noverat Chriſtum: Nemo audierat eſſe Spiritum ſanctum. At ubi venit tempus plenitudinis, certo tempore dedit leges baptiſmatis Filius Dei. Et dedit
Mat. 28. viam qua iretur ad regna cœlorum, dum præcepit dicens, *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eas in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* Ex ea die oportuit fieri quod mandatum eſt. Ante tempus noluit emendare quod operatum eſt, ne licentiam rebaptizandi daret. quamvis alterum fuerit baptiſma Joannis, & alterum ſit Chriſti: baptiſma Joannis ante leges plenum voluit eſſe, quod non erat plenum. Et tamen ſuprà memorata millia hominum, quia in Deo crediderant, quamvis ignorarent Filium Dei & Spiritum ſanctum, regnum cœlorum eis denegari non potuit. Inde eſt vox Filii Dei dicentis, *A diebus Ioannis uſque in hodiernum, regnum Dei vim patitur. Et qui vim faciunt, diripiunt illud:* Ideo dixit, vim patitur, quia adhuc baptizabat Joannes. Denique quia alterum tempus erat ante præcepta, alterum poſt præcepta. Qui poſt præcepta in nomine Salvatoris baptizati ſunt, [f] in regnum legibus intraverunt: Qui ante præcepta, ſine lege vim fecerunt, ſed excluſi non ſunt. Ergo ante præcepta, baptiſma Joannis, cum eſſet imperfectum, pro perfecto judicatum eſt ab eo, cui nemo judicat. Et quia quaſi limes quidam fixus eſſet juſſionis inter tempora antecedentia & ſequentia: Cum apud Epheſum baptizarentur aliqui in baptiſmate Joannis poſt præcepta, hos videns Beatiſſimus Paulus interrogavit, An accepiſſent Spiritum ſanctum: Dixerunt ſe illi neſcire, an eſſet Spiritus ſanctus. Et dixit illis, ut poſt baptiſma Joannis acciperent Spiritum ſanctum. Sic enim baptizati erant, quemadmodum multi à Joanne fuerant baptizati. Sed qui ante leges baptizati ſunt, ad

ANNOTATIONES VARIORUM.

[e] JAM CHRISTO PRÆSENTE &c. Pro *vocabat* putet aliquis fortaſſe, *vacabat*, eſſe reponendum, quod & hic non male convenire videatur, & poſtea ſæpius ingerat, opponit etiam *τῷ operari*, quod hic; *& ut oſtenderet filius Dei ſe vacaſſe, fidem tantummodo operatam eſſe* &c. Poteſt tamen retineri quod hic eſt, cùm illud quoque ſententiæ, locoque benè congruat, idemque alio loco repetere videatur aliis verbis, *Cui creditur ipſe dat, quod creditur, non per quem creditur*: etiam operandi verbo uſurpato in ſequentibus, *Operantibus cunctis humana ſunt opera, ſed Dei ſunt munera.* M. CAS.

[f] IN REGNUM LEGIBUS. Ex forma baptiſmi præſcripta. ALBASP.

indul-

indulgentiam pertinuerunt, quia præſens fuerat, qui indulgentiam daret: & non erant ex toto rei, qui legibus non fuerant occupati. Hi verò, qui apud Epheſum poſt leges, Joannis baptiſmate baptizati fuiſſe leguntur, poſt leges in Sacramento erraverant: quia jam introductum fuerat baptiſma Domini, & excluſum fuerat ſervi. Et ideo, quia poſt mandata divina, legibus debuerant ire in regnum, non per violentiam (jam enim terminum temporis fixerat Chriſtus, dicendo, *A diebus Joannis uſque in hodiernum*) Poſt hodiernum jam non licebat quod heri licuerat. Quare nolite vobis blandiri de dicto Apoſtoli Pauli, [g] qui non poſt perſonam operarii interrogavit, ſed poſt rem: cui res non perſona diſplicuit: Denique baptiſma Salvatoris juſſit, ut diſcerent, qui non noverant, quia non ipſum ſed aliud acceperant. Vos verò quid imitamini? ſi res potuiſtis mutare, rectè feceritis: ſi tamen de lege aliquid faceretis. Paulus dixit, *in quo baptiſmate baptizati eſtis?* Et dixerunt, *Ioannis*: perſuaſit eis, ut baptiſma Chriſti acciperent. Vos non dicitis, quid accepiſtis, ſed à quo accepiſtis, Et inſectamini in perſonas hominum, & vultis iterare quod ſemel eſt. Qui baptizati erant apud Epheſum [h] crediderant in pœnitentia & remiſſione peccatorum: Rectè illis dictum eſt, ut baptizarentur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Vos verò quid mutatis in hominibus, qui jam dixerunt ſe crediſſe in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti: Sive ipſum interrogatis, ſive aliud, convincamini neceſſe eſt peccare vos: Sive aliud interrogetis quod juſſum non eſt, ſive hoc velitis facere, quod jam factum eſt. Redeo nunc ad illud veſtrum quod dicitis, Qui non habet quod det, quomodo dat? Unde hæc vox eſt? De qua lectione recitari poteſt? Vox eſt de vico, non de libro collecta. Qui non habet quod det, quomodo dat? Hæc verba ſcripta in lege non ſunt. Nam ſi (ut vultis) homo dat, Deus vacat. [i] Et ſi Deus vacat, & apud vos eſt omne quod dandum eſt, [k] ad vos ſit converſio: quos baptizatis, in nomine veſtro tingantur. Erubeſcite, Beato Paulo clamante, & ſuam gratulationem profitente: *Nunquid in nomine meo baptizati eſtis?* Ille gaudet quod duos ſolos & unam domum baptizaverit. Et vos populos rebaptizare contenditis, & peccaſſe & vos peccare gaudetis, dicentes, *Quid dat, qui non habet quod det?* cui creditur ipſe dat quod creditur non per quem creditur. Denique ſub Joanne infinita multitudo ho-

Leges. Leges. Immutatio. 1. Cor. 1.

ANNOTATIONES VARIORUM.

g QVI NON POST PERSONAM OPERARII INTERROGABAT. Nota phraſim, *interrogare poſt aliquem*, & ſimiliter eadem hac pag. *inſectari in aliquem*, Sic particulis abundantibus nonnunquam utitur Optatus, ut hoc lib. 5 *de foris*, pro *foris*, & alibi, *pulſare ad cœlum*. Et huc pertinent quæ ſuprà annotavimus *aperire ad fontem*. INCERT.

h CREDIDERANT IN REMISSIONE. Non crediderant in Patre, Filio, & Spiritu ſancto. ALB.

i ET SI DEVS VACAT, ET APVD VOS EST OMNE QVOD DANDVM EST &c. Quæſo te, Lector, Ecquid ab Optato clarius dici potuit? non res ipſa clamat, ut propriè de converſione ad Deum locutus ſit? ſunt tamen qui ad neſcio quam baptizandorum *converſionem*, quam neque probant (nam quod fidem profeſſuri ad Orientem converterentur, non magis ad baptiſandos pertinet, quã ad alios quoſcunque) & ſi probarent, tamen huc pertinere minimè concederem. Breviter moneo te, lector, triplicem ejus vocis uſum apud veteres ſcriptores frequenter occurrere. Cum de converſione Gentilium, ſeu hæreticorum *ad verum Dei cultum*, ſeu *veram religionem*; cum de ſceleſtis & impiis Chriſtianis ad veram pietatem converſis loquuntur, ut hodieque vulgo: Cum denique de maritis continentibus, qui olim non minus vulgatis ejus uſus ſunt. Loca multa congeſſit eruditiſſ. Fileſacus in Selectis: ſed addi multa poſſunt. Inſignis hic Salviani de gubern. lib. 5. *Sicut etiam illi de converſione ac Deo aliquid cogitaſſe, qui à conjugibus propriis abſtinentes, à rerum alienarum pervaſione non abſtinent &c.* Novum prorſus converſionis genus, *licita non faciunt, & illicita committunt. Temperant à concubitu, & non temperant à rapina*, &c. *præpoſterum eſt quod agitis, non eſt hoc converſio, ſed averſio* &c. M. CAS.

k AD VOS SIT CONVERSIO. Alludit ad illum baptiſmi ritum & cerimoniam; exſufflato & abjurato Satana verſus Occidentem, ad Orientem mox ſeſe convertebant baptiſandi, & in Deum ſeſe credere ſolemniter profitebantur: unde dicit Optatus, dum baptiſatis ad vos ſe convertere debent baptiſandi, non ad Deum; quia ex perſona baptiſantis vultis baptiſmum operari, non autem ex

minum baptizata eſt, [l] probate Joannem aut accepiſſe aut habuiſſe quod daret. [m] Illo autem operante dabat Deus, qui dando non deficit. Et nunc operantibus cunctis humana ſunt opera, ſed Dei ſunt munera. Jam illud quàm ridiculum eſt, quod quaſi ad gloriam veſtram à vobis ſemper auditur, *Hoc munus baptiſmatis, eſt dantis, non accipientis*: Et utinam hoc de Deo diceretis, qui hujus rei dator eſt. Sed quod ſtultum eſt, vos dicitis eſſe datores. Si ita eſt, & nos & vos teneamus ſingulos Gentiles: vos, qui vos ſanctos dicitis, interrogate eum quem tenetis, an renuntiet diabolo & credat Domino: Et ille dicat, *Nolo*. Contra, nos peccatores (ut vultis) interrogemus alterum Gentilem an renunciet diabolo & credat Deo, &c. Et dicat, *renuncio & credo*. Cùm vos tingatis nolentem, nos volentem; dicatur, quis eorum poſſit ad Dei gratiam pertinere. Utique ſine dubio ille conſequitur qui credit, non ille, pro cujus voluntate (ut dicitis) ſanctitas veſtra ſuccedit. Operarios vos vel ſero cognoſcite. Aut ſi in operario eſt res ipſa, & non in ſe, hoc ſibi vindicent & aliqui homines [n] in artibus ſuis, ut quia ſic provocatis ad res divinas, etiam artes comparemus humanas. [o] Cum precioſus inficitur color, natura ſæpe convertitur. [p q] Dum convectione vellus candidum purpuraſcit, [r] Sic alba lana regalem tranſit in purpuram. [1 ſ] Quomodo Catechumenus in fidelem? Utique dum incipit eſſe quod non erat, deſinit eſſe quod fuerat; Lana & colorem mutat & nomen. Et homo & [t] vocabulum mutat [u] & mentem. Conſiderata ſunt effecta, retractanda ſunt efficientia. Dicis à te datum eſſe, quod homo fidelis effectus eſt. Si hoc totum meum eſt, dicat & operarius purpuræ, quod precioſum colorem in ſuis manibus habeat: non procuret precioſa [x] pigmenta ex Oceano multis ignota, quibus tincta vellera, per colorem promoveantur in admirabilem dignitatem: non admixto ſanguine

PHILIPPUS PRIORIUS.

1. QUOMODO CATHECUMENUS IN FIDELEM? Cathecumeni olim dicebantur, qui nondum accepto Baptiſmo, ſeu antequam Religionis myſteriis initiarentur, de iis inſtruebantur; Ideo autem Catechumeni, quod viva voce (ſcripto enim fieri non erat ſolitum) religionis dogmata, ritus & leges excipiebant. S Chryſoſtomus hom. 21. ad populum. διὰ τοῦτο δὲ κατήχουμενοι λέγεται, ἵνα καὶ ἀπόντων ὑμῶν λόγῳ ἠχοῦντι τοχεῖ τοῖς διανοίαις. Orationes vero cum fidelibus faciebant donec ad ſacramenti Euchariſtiæ conſecrationem ventum eſſet. Tunc enim Catechumeni & pœnitentes foras mittebantur. Rem ſatis ex ſe notam non urgebo.

ANNOTATIONES VARIORUM.

fide quam quis profitetur. ALBASP.

l PROBATE JOANNEM HABUISSE. Probate Joannem habuiſſe remiſſionem peccatorum. IDEM.

m ILLO OPERANTE DABAT DEUS, QUI DANDO DEFICIT. Impia plànè hæc eſt ſententia niſi interpretatione ſubvenias. *Deficere* ergo *dando* eſt, *ceſſare dare*. Sic *ceſſare dando* dicit. Non quod defectum potentiæ, ſed voluntatis in auctore agnoſcat. INCERT.

n IN ARTIBUS SUIS. Colores non homines mutant lanas: ita aqua, non perſona baptiſantis mutat baptiſatum. ALBASP.

o CUM PRETIOSUS INFICITUR COLOR &c. Pro *convectione* legendum eſſe *confectione* jam-pridem monuit Radulphus Fornierius, rerum quotidianar. lib. 2. c. 6. Quod etſi improprium ſit, *infici* enim lana propriè dicitur, non *confici*, quod aliud eſt: Optati tamen eſſe certiſſimum eſt, cùm poſtea quoque paucis interjectis repetatur. Totum autem hoc locum ita puto diſtinguendum: *Cum precioſus inficitur color, natura ſæpe convertitur, dum confectione vellus candidum purpuraſcit. Sic alba lana regalem tranſit in purpuram, quomodo Catechumenus in fidelē. Utique dum incipit* &c. M. CAS.

p DUM CONVERSIONE. Neſcio an legendum commixtione. IDEM.

q DUM CONVECTIONE VELLUS CANDIDUM PURPURASCIT. Peſſimè *ullus* ἀντὶ τοῦ *vellus* circumfertur; quod vel cæco appareat. Quare *contin-ctione* legit Barthius. *Contingere* Lucretianum eſt: Forte *confectione*. INCERT.

r SIC ALBA LANA REGALEM TRANSIT IN PURPURAM. Boëtius: Reges purpura monſtrat. IDEM.

ſ QUOMODO CATECHUMENUS. Elegans comparatio. ALBASP.

t VOCABULUM. Ex Pagano fit Chriſtianus. IDEM.

u ET MENTEM. Quia renaſcitur, & ejus mens & natura mutantur in aquis. IDEM.

x PIGMENTA EX OCEANO. Piſcis ſanguinem qui in Oceano capitur. IDEM.

piſcis, purpuram ſolo tactu conficiat. Igitur ut operarius iſte per tactum ſolum dare colorem non poteſt, ſic nec operarius baptiſmatis, ex ſe ſine Trinitate dare aliquid poteſt. Tale eſt hoc, unde modo certamen eſt. Nam in quo baptizarentur gentes, à Salvatore mandatum eſt: per quem baptizentur, nulla exceptione, diſcretum eſt. Non dixit Apoſtolis, *vos facite alii non faciant.* Quiſquis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti baptizaverit, Apoſtolorum opus implevit. Denique lectum eſt in Evangelio, Joanne dicente, *Magiſter, vidimus quemdam in nomine tuo expellentem dæmonia, & probibuimus eum, quia non ſequitur nobiſcum.* Sic Chriſtus ait, *Nolite prohibere, qui enim non eſt contra vos, pro vobis eſt.* Nam ſic ipſis mandatum eſt ut opus eſſet illorum, ſanctificatio Trinitatis, nec in nomine ſuo tingerent, ſed in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Ergo nomen eſt quod ſanctificat, non opus. Intelligite vos vel ſerò operarios eſſe, non dominos. Et ſi Eccleſia vinea eſt & vites ſunt homines & ordinati cultores: Quid in dominium patrisfamilias irruiſtis? Quid vobis, quod Dei eſt, vindicatis? Quid vultis veſtrum eſſe totum, ubi nec partem poteritis habere? Nam propter tumorem veſtrum, quo in nos intumeſcitis, increpat Corinthios Beatiſſimus Paulus: in ſe & Apollo actus noſtri temporis conformat, *Ne alter in alterum* (inquit) *intumeſcat.* Ut oſtenderet, quia hoc totum Sacramentum Baptiſmatis Dei eſt, ut illic ſibi nihil vindicet operarius, ſic ait: Ego plantavi, Apollo rigavit. Id eſt, [y] de Pagano catechumenum feci, ille catechumenum baptizavit? Sed ut creſceret quod plantatum aut irrigatum eſt, Deus fecit. Nam & quivis hodie volens vineam paſtinare, operarium placita mercede conducit: qui curvato dorſo & deſudatis lateribus, ſinus terræ faciat, ubi deponat electa plantaria, & aquam calcatis ſcrobibus ſuperducat: Scrobem fodere & plantaria ponere poteſt: [z] aquam inducere poteſt, imperare, ut teneat non poteſt. Eſt enim hoc ſolius Dei, de medullis palmitum producere radices coaleſcentes in terram, & gemmantes oculos, incrementa frondium provocare. Denique Beatus Apoſtolus Paulus, ut veſtram præſumptionem tumoremque compeſceret, ne ſe æſtimet operarius baptiſmatis, aut habere dominium, aut de tanto iſto munere particulam ſibi aliquam vindicare, indicans, quia totum Dei eſt, ſic ait: Neque qui plantat, neque qui rigat, eſt aliquid, ſed ſolus Deus, qui ad incrementa perducit. [a] Operarii inter alios eſtis intrante ſole, hoc eſt, finito ſæculo poteſtis, in die retributionis, nobiſcum de mercede contendere. Nolite

ANNOTATIONES VARIORUM.

y DE PAGANO CATECHV. Docui illum. ALB.

z AQVAM INDVCERE POTEST; IMPERARE VT &c. Quid iſta verba ſibi velint, *imperare ut teneat*, aut quo ſenſu ad vineam, de qua hic agitur, pertineant, non ſatis intelligo. Optatus quid velit, ſatis liquet. In cultore vineæ non eſſe ut illa matureſcat, ſeu *tenereſcat*, ut de arboribus in genere Tertull. fructumque edat; ſed totum hoc à Deo pendere. Ego ſic ſentio, verba illa *ut teneat*, gloſſema inepti alicujus eſſe, qui elegantiam ac proprietatem vocis *imperare* non aſſequebatur; & quod *aquæ* proximè mentio facta eſſet, ita hunc locum ſupplendum putavit. Nam & Optatus antea haud abſimilibus verbis uſus eſt, cùm *eum detritum eſſe lacum*, dixit, *qui aquam nec habeat, & acceptam continere non poſſit.* Cæterum, *imperare arvis*, dictum Virgilio Georgic. lib. 1. & Senecæ de Tranquill. animi cap. ult. Sed Senecæ locum in tironum gratiam proferam, qui vim verbi non omnibus noti egregiè explicat, *ut fertilibus*, inquit ille, *agris non imperandum: cito enim e haurien illos unnquam intermiſſa fœcunditas; ita animorum impetus aſſiduus labor frangit.* Ad vites & vineas propriè Plinius lib. 17. c. 22. *Temerarium eſt, ante craſſitudinem pollicarem viti imperare.* Columella quoque de re ruſtica lib. 4. c. 24. *Poſt largos fructus parcendum eſt vitibus, & ideo anguſtè putandum; poſt exiguos imperandum.* Poſſis etiam legere *imperare vinea non poteſt.* M. CAS.

a OPERARII INTER ALIOS ESTIS INTRANTE SOLE &c. Scribo *Operarii inter alios eſtis. Intrante ſole hoc eſt, finito ſæculo* &c. Matth. 20. cap. 8. ὀψίας δὲ γενομένης &c. quo hæc pertinent, ex hebr. idiotiſmo fluxiſſe videtur qui ſuum *baona* venire, ingredi, de occidente ſole uſurpant, ut & *Iatſah* exire, de Oriente. M. CAS.

quæ [c] de ſecreto cauſæ fœminarum cùm per annos duodecim laboraret, & omnem ſubſtantiam ſuam in medicos erogaſſet: cum videret à filio Dei tantas celebrari virtutes, proceſſit in turbam, videt medicum, videt & populum: cogebat illam dolor, ut medicinam peteret: pudor impediebat ne cauſam ſuam coram maſculis indicaret. Invenit conſilium tacita fides: *Mittam* Marc. 5.
(inquit) *manum meam, & tangam fimbriam veſtimenti eius, & ſana fiam.* Nomine Luc. 8.
vidente inter turbas, manum miſit, tetigit & ſanata eſt. Nec auſa eſt indicare, quod auſa non fuerat petere. Sed ne fructus fidei apud ignorantes latere videretur, ſic Salvator ait, *Quis me tetigit?* Mirati ſunt diſcipuli ejus, dicentes, *Turbæ te comprimunt: & dicis quis me tetigit?* Et Chriſtus, *Quis me* (inquam) *tetigit? ſenſi enim à me exiſſe virtutem.* Sic mulier confeſſa eſt, ſe tetigiſſe, & ſanatam eſſe. Jam dudum pro filia mater petiit, pro puero Centurio poſtulavit: Hoc loco nec mulier petiit, nec Chriſtus promiſit, ſed fides tantum quantum præſumpſit, exegit. Certè dantis eſt, non accipientis. Nam quod ad amplificandos tractatus tuos, frater Parmeniane, Naaman Syrum, quaſi immaturam quandam duriſſimorum naſcentium vulnerum maſſam, diu deſcribere voluiſti, quid hoc ad præſentem pertinet cauſam? Bene hoc diceres, & longa oratione rectè uti potuiſſes; ſi invenires aliquem catechumenum [d] ſcabroſiſſimis moribus, qui gereret duriſſimam mentem; qui leniſſimam gratiam aquæ ſalutaris accipere detractaret, bene hominis [e] innovationem verbis à te dictis oſtenderes. Bene veternoſam naturalem duritiam in infantilem carnem immutari ac molliri poſſe monſtrares. In hoc verò negocio, quod inter partes, tempore præſente tractatur, ut quid à te talis commemorata eſt lectio? [f] In qua non legitur aliquis illum leproſum Syrum vel juſſione Heliſæi laviſſe, ut merito denuo melius lavaretur. Quod & ſi fieret, nec ſic vobis occurreret, quod rectè imitari poſſetis. Non enim legitur ille prius laviſſe in fluminibus Syriæ, aut ab aliquo lotus eſſe, & nihil profeciſſe. Nam & ſi hoc legeretur, non ad Hæliſæi laudem, qui non lavit, ſed conſilium dedit, ſed ad Jordanis gloriam pertineret, illi homini in eo flumine primitivam gratiam perveniſſe, in quo poſtea ſub Joanne per confeſſionem in pœnitentia populorum peccara fuerant moritura. Poſtremò, qualis eſt illa pars tractatus tui de cœleſtibus nuptiis, ubi ſpem amputans futurorum, totum in præſenti tempore poſuiſti dicendo, à ſocietate veſtra projectum eſſe eum, qui janitores & miniſtros fefellerit veſtros, ut à communione fidelium foras cum injuria mitteretur. Si ita eſt,

ANNOTATIONES VARIORUM.

etſi verè dici poſſe non negamus, cùm tamen Optatus exertè, *Deum vacaſſe, fidem tantummodo operatam eſſe nihil de virtute ſua promiſiſſe, ſed poſt fidem alienam interrogaſſe*; eam eſſe Optati mentem non puto. An igitur hoc *certè*, quaſi ironicè concedentis eſt? *certè, dantis eſt* &c. an *certè?* q.d. ait tu? *dantis eſt, non accipientis?* M. CAS.

c DE SECRETO. Secreta matrimonii, Tertullianus: res obſcænas ita explicabant *ſi invenires aliquem Catechum.* Hoc exemplum poteſt convenire in Catechumenum qui fidem detrectaret; ſed inde non efficies perſonam baptiſantis plus conferre quàm ſacramentum. ALBASP.

d *Scabroſiſſimos mores* dicit. INCERT.

e INNOVATIONEM. Regenerationem. ALBASP.

f IN QUA NON LEGITUR ALIQUIS LEPROSUM ILLUM SYRUM &c. Aliæ edit. *In qua non l. al. illum lep. Syrum ante dictum vel juſſione Heliſai* &c. ſcribo, *in qua non l. al. lep. ſy. ante dictum. vel juſſionem Heliſai*, &c. Videtur idem mox iterum dicere. Poſſumus tamen à tautologiæ vitio defendere, ſi, ut ſuadent ejus verba diligentius expenſa, ita diſtinguamus; Non omnino legitur aliquis illum laviſſe, unde colligamus ideo iterum illum lavatum, ut melius lavaretur. Sed neque hujus collectionis ea neceſſitas eſt, ut ſufficiat vobis, ſi prius illud legeretur, niſi & illud quoque expreſſum eſſet, ideo iterum lotum eum eſſe, quod prima lotio nihil profeciſſet. Quod tamen & ipſum ſi legeretur, ne ſic quidem cauſam obtineretis, cùm ſi contigiſſet, ideo contigiſſet, non ut perſonarum, ſed ut aquarum diſcrimen fieret, idque ad fidem futuræ aliquando Jordanis fluvii, præ cæteris excellentiæ. M. CAS.

nihil eſt quod ſperet fides, nihil quod [g] reſurrectio repræſentet, nihil quod in cœlis amplius expectetur: Nihil quod rex ille & paterfamilias Deus, in ſuo convivio agnoſcat: cum præſentia multorum gaudeat, & de aliquorum abſentia contriſtetur, & multos dicat vocatos, & paucos electos. Nihil erit, quod iraſcatur veſtem nuptialem non habenti, [h] cum Filius Dei ipſe Chriſtus ſit ſponſus, & veſtis & tunica natans in aqua, quæ multos veſtiat, & infinitos expectet, nec veſtiendo deficiat. Sed ne quis dicat, temerè à me filium Dei veſtem eſſe dictum, legat Apoſtolum dicentem: *Quotquot in nomine Chriſti baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.* O tunica ſemper una & [i] innumerabilis, quæ decenter veſtiat, & omnes ætates & formas, nec in infantibus [k] rugatur, nec in juvenibus tenditur, nec [l] in fœminis immutatur. Aderit profecto ille dies, ut cœleſtes nuptiæ incipiant celebrari. Illic qui baptiſma ſingulare ſervaverint, ſecuri diſcumbent. Quicunque à vobis ſe rebaptizari conſenſerit, hujuſmodi homini non denegatur reſurrectio, quia credidit in reſurrectione carnis: reſurget quidem, ſed nudus. Sed quia nuptiali veſte à vobis ſe exſpoliari permiſit, hanc patrisfamilias auditurus eſt vocem, [m] *Amice*, Hoc eſt dicere, cognoſce te, cum aliquando renunciaveras diabolo, & ad me converſus fueras, Et dederam tibi veſtem nuptialem ut quid ſic veniſti non habens veſtem nuptialem? Hoc eſt dicere, quare non habes, quod tibi dedi? Nemo enim poteſt iraſci non habenti rem, quæ data non ſit: Veſtem nuptialem inter iſtos acceperas, & ſolus non habes: Quare nudus & lugubris veniſti? Quis tibi detraxit ſpolia? quas fraudulentas adiſti fauces? Quot incurriſti latrones? Quotquot tales venturi ſunt, locum in illo convivio non habebunt.

ANNOTATIONES VARIORUM.

g RESURRECTIO REPRÆSENTET. Reſurrectio repræſentat regnum Dei, & beatitudinem. AL.

h CUM FILIUS DEI IPSE CHRISTUS SIT SPONSUS. &c. Cave tibi imponat illud, cum quaſi cauſæ præiret. non enim cauſſam reddit ſuperiorum Optatus, ſed idem proſequitur addita obiter, veſtis illius deſcriptione, & myſtica deſignatione, quæ nimirum Chriſtus ipſe, &c. Ita autem puto legendum, *Nihil erat quod iraſcatur veſtem nuptialem non habens: cum filius Dei ipſe ſit ſponſus, & veſtis, & tunica, natos in aqua* (i, *baptizatos* ut mox interpretatur: quos & *natos* alibi quoque noo ſemel:) *quæ multos veſtiat & inf.* &c. Ita præter alios loquitur & victor Uticenſ. de perſ. Vand. lib. 3. de Elpidoforo quodam apoſtata, *His enim dudum,* (inquit ille,) *fuerat apud nos in Eccl. Fauſti baptizatus, quem venerabilis M. diac. de alveo fontis ſuſceperat generatum.* Cujus eo libentius memini, quod vellem ejus verba cum Optato conferri, cum non gemina ſolum, ac amplior parabolæ illius de veſte nuptiali, quæ mox in Optato ſequitur, explicatio, apud illum extet; ſed & ſabanorum, ſive linteaminum, quibus recens baptizatos cingere, & tegere mos olim, mentionem faciat, quæ & ad ejuſdem parabolæ interpretationem pertinere videntur. M. CAS.

i INNUMERABILEM. Eleganter unam Chriſti tunicam dicit. INCERT.

k RUGATUR. Nimis laxa. ALBASP.

l IN FŒMINIS IMMUTATUR. Convenit & aptari poteſt mulieribus & viris. IDEM.

m AMICE, HOC EST DICERE, COGNOSCO TE. &c. Nihil confuſius aliquot hiſce lineis ut hic editæ ſunt, & vulgò eduntur. Sed & mendo noo carent. Scribe igitur, me ſpondente, *amice: hoc eſt dicere cognoſco te* (ideo & amicum compello, ſcilicet) *cum aliq. ren. Diab. & ad me converſus fueras, & dederam tibi veſtem nuptialem, ut quid ſic veniſti non habens veſtem nuptialem: hoc eſt dicere, quare non habes quod tibi dedi? Nemo enim iraſci poteſt non habenti rem, quæ data non ſit. Veſtem Nuptialem* &c.

SANCTI

OPTATI AFRI, MILEVITANI EPISCOPI,

DE SCHISMATE DONATISTARVM, *ADVERSVS PARMENIANVM,*

LIBER SEXTUS.

INdubitanter & liquidò demonſtratum eſt, in divinis Sacramentis quid nefariè feceritis. Jam illa oſtendenda ſunt, quæ crudeliter ac ſtultè vos feciſſe, negare minimè poteritis. Quid enim eſt tam ſacrilegum, [1] quàm altaria Dei (in quibus & vos aliquando obſtuliſtis) frangere, radere, removere? In quibus [a] vota populi, & [b] membra Chriſti portata ſunt: Quo Deus omnipotens invocatus ſit: quo poſtulatus deſcendit Spiritus ſanctus: unde à multis [c] pignus ſalutis æternæ, & tutela fidei, & [d] ſpes reſurrectionis accepta eſt. Altaria, inquam, [e] in quibus fraternitatis munera non juſſit Salvator poni, niſi quæ eſſent de pace condita. *Depone*, inquit, *munus tuum ante altare, & prius concorda cum fratre tuo, ut poſſit pro te ſacerdos offerre.* Matth. 5. Quid eſt enim altare, [f] niſi ſedes & corporis & ſanguinis Chriſti? Hęc omnia furor veſter aut raſit, aut fre-

PHILIPPVS PRIORIVS.

1. QVAM ALTARIA DEI. Donatiſtarum furor in altaria ipſa graſſatus fuerat, quod hoc in loco mirum in modum agitatur: Dum altaria dicuntur onde à multis pignus ſalutis æternæ, & tutela fidei & ſpes reſurrectionis accepta eſt, hoc eſt ſanctiſſima Euchariſtia. Fuiſſe autem lignea vel ex hoc libro ſeu hoc initio conſtare poteſt.

ANNOTATIONES VARIORVM.

a VOTA POPVLI. Ab Epiſcopo vota populi, & altare offerebantur. ALBASP.

b MEMBRA CHRISTI. Præter Corpus Chriſti quod in altari offertur: fideles etiam qui cum eodem corpore uniti & adunati ſunt, offeruntur. IOEM.

c PIGNVS SALVTIS ÆTERNÆ. Ex Divo Paolo: *Vivificabit & mortalia corpora veſtra propter inhabitantem Spiritum in vobis.* IOEM.

d SPES RESVRRECTIONIS. Spiritus Dei conſervatur in nobis cujus vi corpora noſtra reſurgent. Ad Epheſios: *In quo credentes ſignati eſtis Spiritu promiſsionis ſancto, qui eſt pignus hereditatis noſtra.* Nota modum loquendi *unde à multis*: Hoc eſt preces factas in altari tanquam in ſolemniori loco, & ubi Deus vult exorari, multi acceperunt Spiritum ſanctum. IOEM.

e IN QVIBVS FRATERNITATIS MVNERA. De oblationibus fidelium quæ in altari conſecrarentur hic locus accipiendus; ex quo liquet omnes olim fideles oblationes obtuliſſe, & eas in altari conſecratas fuiſſe. IOEM.

f NISI SEDES CORPORIS. Quia ex illis oblationibus corpus Chriſti conficiebatur. ALBASP.

git, aut removit. Hoc igitur [1] inexpiabile nefas, ſi de aliqua ratione deſcendit, uno modo fieri debuit. Sed, ut æſtimo, alio loco copia lignorum frangi juſſit, alio ut altaria raderent lignorum inopia imperavit, ut removerentur, ex parte [g] verecundia juſſit: ubique tamen nefas eſt, dum [h] tantæ rei manus ſacrilegas & impias intuliſtis. Quid perditorum conductam referam multitudinem, & vinum in mercedem ſceleris datum? [i] Quod ut immundo ore ſacrilegis hauſtibus biberetur, [k] calida de fragmentis altarium facta eſt. Si livoris judicio nos vobis ſordidi videbamur, quid vobis fecerat Deus, qui illuc invocari conſueverat? Quid vos offenderat Chriſtus, cujus illic [l] per certa momenta corpus & ſanguis habitabat? [m] Quid vos offendiſtis etiam vos ipſi, ut illa altaria frangeretis, in quibus ante nos per longa temporum ſpacia, ſancte (ut arbitramini) obtuliſtis? Dum impie perſequimini [n] manus noſtras illic, ubi corpus Chriſti habitabat, feriſtis & veſtras. Hoc modo Judæos eſtis imitati. Illi injecerunt manus Chriſto [o] in cruce: à vobis percuſſus eſt in altari. Si Catholicos illic inſectari voluiſtis, vel veſtris illic [p] antiquis oblationibus parceretis. Ibi modo [q] ſuperbus inventus es, ubi jam dudum humilis offerebas? Ibi libenter peccas, ubi pro multorum peccatis orare conſueveras. Hoc faciendo in numerum ſacrilegorum Sacerdotum libenter intraſtis, ſociati ſceleribus prophanorum. De quibus ad Dominum Helias propheta querelam deponit. His enim locutus eſt verbis, quibus & vos inter alios ab ipſo accu-
3. Reg. 19. ſari meruiſtis. *Domine* (inquit) *altaria tua confregerunt*. Dum dicit *tua*, indicat quia res eſt Dei, ubi Deo aliquid à quocunque oblatum eſt. Sufficeret inſaniæ veſtræ, quod membra laniaſtis Eccleſiæ, quod Dei populos jam dudum in unitate poſitos, veſtris ſeductionibus diviſiſtis. Inter hæc omnia vel altaribus parceretis. [r] [ſ] Cur vota & [t] deſideria hominum cum

PHILIPPVS PRIORIVS.

1 INEXPIABILE NEFAS. Scelus inexpiabile occurrit etiam apud Petronium: Qua voce uſus quoque eſt Tullius, non ſemel.

ANNOTATIONES VARIORVM.

g VERECVNDIA. Ne ſcilicet viderentur cum Orthodoxis communicare: & hoc duplici de cauſa: prima, quia Orthodoxorum conſecrationem approbaſſent ſi in altari ab illis conſecrato obtuliſſent: ſecunda, qui offert in altari in quo Epiſcopi obtulerunt cum eis communicare videntur, quia altare eſt ſedes oblationum & locus in quo fieri debet, & ad quem Deus magis reſpicit. ALBASP.

h TANTÆ REI. Altaribus. IDEM.

i QVOD VT IMMVNDO OPERE &c. Scribe *immundo ore*, ex fide iteratæ ab Fr. Balduino editionis. INCERT.

k CALIDA DE FRAGMENTIS ALTARIVM FACTA EST. De uſu calidæ apud antiquos, tam mixtæ quam puræ, jam multi multis. Quia tamen non deſunt viri doctiſſimi, qui *calidam* aliter interpretentur, & aquam aut non omnino, aut non niſi in ægrotorum aut infirmiorum gratiam, calefieri ſolitam ab antiquis aſſerant, dignus hic locus qui obſervetur à lectore; qui vel unus refellendæ iſti opinioni ſufficiet. M. CAS.

l PER CERTA MOMENTA. Ubi aliquando corpus Chriſti ſervabitur. ALBASP.

m QVID NOS OFFENDISTIS. Baſilicas, quas à Juliano acceperant, poſtea reddiderunt Donatiſtæ: de earum altaribus loquitur. IDEM.

n MANVS NOSTRAS. Sacrificia noſtra, & veſtra. IDEM.

o IN CRVCE. Crux eſt altare ſacrificii cruenti, altaria autem noſtra ſunt incruenti: quare rectè à cruce ad altaria argumentatur. IDEM.

p ANTIQVIS OBLATIONIBVS. Oblationes quæ in illis altaribus factæ eſſent tempore D. Cypriani, ad Donatiſtas non minùs pertinebant quàm ad Orthodoxos: ad eas videtur reſpexiſſe cùm ait, *antiquis*. IDEM.

q SVPERBVS. A ſuperbia Donati cæteri ſuperbi vocari poterant: ſed ni fallor, eos vocat hoc loco ſuperbos, quòd ſe puros jactarent; & cùm omnes Presbyteri inter ſacra ſeſe peccatores, & tanti ſacrificii indignos ſacerdotes ſeſe dicerent, ii ſe Catharos profiterentur. IDEM.

r CVR VOTA. Nota inſignes altarium laudes & nomina: ſedes corporis Chriſti: ſcala orationum: via precum: aſcenſus ſupplicationum: Habitatio Corporis Chriſti: Locus invocationis: Ara Chriſti: Crux Chriſti: Munerum locus: portitor membrorum Chriſti: Deſcenſus & porta Spiritus ſancti. IDEM.

ſ CVR VOTA AT DESIDERIA HOMINVM &c. Fr. Balduini. INCERT.

t DESIDERIA. Vide an huc faciat vetus Gloſſa-

ipſis

ipſis altaribus evertiſtis? Illac ad aures Dei aſcendere populi ſolebat oratio. Cur concidiſtis precibus viam? & ne ad Deum ſupplicatio de more ſolito aſcenſum haberet, impia manu quodammodo ſcalas ſubducere laboraſtis? Et tamen cùm omnium veſtrûm una ſit [u] conjuratio, in hoc titulo ſimili errore diſſimiliter deliquiſtis. [x] Si ſuffecerat removere, non licuit frangere: Si oportuit frangere, [y] raſiſſe peccatum eſt. [z] Si enim non licuit, ſicut inter vos placuit, rectè videtur fregiſſe, qui fregerit: jam reus eſt, qui majorem partem radendo ſervavit. Quę eſt iſta nova & ſtulta ſapientia, novitatem quærere [a] [b] in viſceribus * majeſtatis? & remota quaſi quadam corporis cute, in latente corpore cutem quaſi alteram quærere: [c] quod ad ſe pertinet & in ſe totum eſt, quod unum eſt. Unde cum aliquid fuerit ablatum, minui poteſt, mutari non poteſt. Raſiſti equidem quod tibi viſum eſt: ſed adhuc ibi eſt quod odiſti. Quid, quod ſi ſic conjuraſtis, ut quæ à nobis in nomine Dei [d] in ipſo * myſterio tacta ſunt, immunda viderentur? Quis fidelium neſcit, in peragendis myſteriis ipſa ligna [e] linteamine cooperiri? Inter ipſa Sacramenta velamen potuit tangi, non lignum. Aut ſi tactu poſſit penetrari velamen, ergo penetrantur & ligna. Si penetrari poſſunt ligna, penetratur & terra. Si à vobis lignum raditur, & terra, quæ ſubter eſt, fodiatur. [f] Altam facite ſcrobem, dum pro veſtro arbitrio quæritis puritatem. Sed obſervate ne veniatis ad inferos, & illic inveniatis [1] Core, Dathan & Abiron ſchiſmaticos, magiſtros ſcilicet veſtros. Ergo & fregiſſe vos & raſiſſe conſtat altaria. Quid eſt, quod in hac re ſubito veſter quaſi languere viſus eſt furor? Videmus enim vos poſtea mutaſſe conſilium, & altaria à vobis jam non frangi, ſed radi tantummodo aut removeri Si hoc ſufficiebat, illa quæ prius facta ſunt judicatis, quia fieri minime debuerunt à vobis. Hoc tamen immane facinus geminatum eſt, dum fregiſtis etiam calices, Chriſti

* al. Vetuſtatis.

* al. Miniſterio.

PHILIPPUS PRIORIUS.

1. CORE, DATHAN ET ABIRON SCHISMATICOS &c. Quoniam profanum altare erigere voluerant, dejectis, abraſis, fractis, crematiſque altaribus Eccleſiæ Chriſtianæ, meritò illos comparat cum Core, Dathan & Abiron, quorum ut notum eſt ſcelus, ita & nota punitio.

ANNOTATIONES VARIORUM.

rium, *Deſiderata κοινωνία*, ταυτά INCERT.

u CONIURATIO. Cùm in hac materia omnium eadem ſit ſententia, cur tam diversè de altaribus ſtatuiſtis. ALBASP.

x *Sic* (l. *ſi*) *ſuffecerat removere, non licuit frangere. Si oportuit frangere, tranſiſſe peccatum eſt. raſiſſe peccatum eſt.* ex Fr. Balduini editione 2. INCERT.

y RASISSE PECCATUM. Quia major remanet, & ſi ea radatis; in quo cùm offeratis nobiſcum, communicatis; & ita peccatis. ALBASP.

z SI ENIM NON LICUIT, &c. Scribe, *Si enim non licuit; ſi ut inter vos placuit rectè videtur* &c. Hic quoque videtur ab Optato quædam ταυτολογία admiſſa, quam parva mutatione tollere perquam facile. Sed quædam tolerare, interdum ſatius, quam in alienis ſcriptis nimis acutos eſſe. In proxima periodo miror quomodo *maieſtatis*, pro *vetuſtatis* quod antea erat, irrepſerit in hanc editionem. Nam Balduinum apage ut credamus tam obeſæ naris fuiſſe, ut non perceperit ab hac una voce haud vulgaris acuminis ſententiam totam pendere. Etſi autem quod vulgo dicimus, *Maiores noſtri*, ab aliquibus, ut Varrone in Satyra, quæ περὶ φωνῆς inſcribitur, *antiquì noſtri*, dictum ſit; haud puto tamen unquam fuiſſe, qui *Maieſtatem*, pro *antiquitate aut vetuſtate*, dixerit; aut id illis in mentem veniſſe, per quos factum ut *maieſtas* hoc loco, pro *vetuſtate* legeretur. M. CAS.

a IN VISCERIBUS MAJESTATIS. In editione Germanica, *vetuſtatis*: ſed Majeſtatis verbum retineri poteſt: ſenſuſque eſt: Altare res eſt divina, cujus cum primam cutem raſiſtis, ea quæ renaſcitur eſt etiam divina, quia totum caput eſt divinum: ideo novitatem quæritis in viſceribus rei divinæ, ſed eam non invenietis, quia tota eſt, & viſcera etiam ſunt divina. ALBASP.

b IN VISCERIBUS VETUSTATIS. Eadem Editio Bald. *maieſtatis*. INCERT.

c DONEC AD SE PERTINET, ET IN SE TOTUM EST, QUOD UNUM EST. Hæc omnia non agnoſcit eadem editio. IDEM.

d IN IPSO MINISTERIO. Eadem, *myſterio*. IN.

e LINTEAMINE. Linteis conſecratis & ſanctificatis altaria olim tegebantur & ornabantur. ALBASP.

f ALTAM FACITE SCROBEM. Sic etiam fœminino genere ſcrobem extulit Lucanus, lib. 8.

Exigua trepidus poſuit ſcrobe nobile corpus.

Aliis ferè maſculini generis eſt, INCERT.

P

Portitores. ſanguinis * portatores: Quorum g ſpecies revocaſtis in maſſas, h mercem nefariis nundinis procurantes, ad quam nec emptores i eligere voluiſtis ſacrilegi, dum inconſiderate vendidiſtis. k Paſſi eſtis etiam l comburi manus veſtras, quibus ante nos, eoſdem calices tractabitis. Eam rem tamen paſſim vendi juſſiſtis. Emerunt forſitan in uſus ſuos ſordidæ mulieres. Emerunt Pagani, facturi vaſa, in quibus incenderent Idolis ſuis. O ſcelus nefarium! ô facinus inauditum! auferre Deo quod Idolis præſtes. Subducere Chriſto, quod proficiat ſacrilegio. Sed video vos hoc loco invidiam nobis falſo conflantes, ad Aggæum Prophetam velle confugere, ubi ſcriptum eſt, *Quæ tetigeris pollutus, polluta ſunt.* Livore interveniente facile eſt iratis jactare convitium. Sed ſemper dum intenditur crimen, neceſſaria eſt manifeſta probatio. Quis enim noſtrûm intravit templa? Quis vidit ſacra ſacrilega? m pollui homines poſſunt fumis ſacrilegis, nidoribus, ſacrificiis, ſanguine. Sed in hac cauſa quis ingreſſus eſt templum? Quis incendit idolis? Quis immundis nidoribus maculatus eſt? Quis ſanguinem vel pecudis immundæ vel hominis, fundi aſpexit? Quem probatis ad aliquod facinus commodaſſe conſilium? In ſocietate alicujus ſceleris vel unum Epiſcopum convincite, ſi poteſtis, ſicut ſuprà diximus. In hac cauſa quicquid aſpere fieri potuit, dum illa res n in origine vocatur, ad principes veſtros pertinere monſtravimus. Unde eſt quod Catholicos quaſi pollutos appellas? An quia voluntatem & juſſionem Dei ſecuti ſumus, amando pacem, communicando toto orbi terrarum, o ſociati Orientalibus; Ubi ſecundum hominem ſuum natus eſt Chriſtus, ubi ejus ſancta ſunt impreſſa veſtigia, ubi ambulaverunt adorandi pedes, ubi ab ipſo factæ ſunt tot & tantæ virtutes: ubi eum ſunt tot Apoſtoli comitati: ubi eſt ſeptiformis Eccleſia: à qua vos conciſos eſſe, non ſolùm non doletis, ſed quodammodo gratulamini? p Quia unitatem Deo placitam amavimus pollutos vocas, quia Corinthiis, Galatis, Theſſalonicenſibus q aſſenſum accommodavimus, communionemque conjunximus. Pollutos vocas: quia r furtivas vobiſcum non legimus lectiones, aut negate vos.

Habemus.

ANNOTATIONES VARIORUM.

g SPECIES. Partes. ALBASP.

h MERCEDEM NEFARIIS NUNDINIS PROVOCANTES. Fr. Balduini editio 2. *mercem n. n. procurantes.* INCERT.

i ELIGERE. Debueratis eos vendere Chriſtianis ne in ſordidos uſus à Paganis emerentur. ALBASP.

k PASSI ESTIS ETIAM COMBURI MANUS VESTRAS, QUIBUS. &c. Conjiciebam. *Paſſi eſſetis etiam*, eodem ſcilicet igne, quo ſancta vaſa ſunt conflata, veſtras quoque manus expiari, &c. Sed cum jam antea dixerit: *Dum impie perſequimini manus noſtras. illic ubi c. Chriſti habitabat feciſtis* (feciſtis? an feciſtis, per craſin pro feciſtis?) *veſtras*: Infra quoque, *Altaria, & vaſa ſuprà memorata, & in manibus veſtris iamdudum fuerant, & in noſtris. Si infamatis manus noſtras, quare illic damnatis & veſtras?* Etiam hic fortaſſe idem voluit, τὸ *inconſiderate* quod pauló antè, idem quod *paſſim*, quod mox ſequitur; ſive ut idem Optatus, *nam electo emptore*, nullo emptorum, piorum aut impiorum, paganorum an Chriſtianorum, diſcrimine habito. M. CAS.

l COMBURI MANUS VESTRAS. Liquefieri calices in quibus obtuliſtis, & confeciſtis ſanguinem Chriſti. ALBASP.

m POLLUI HOMINES POSSUNT FUMIS SACRILEGIS &c. Priores *pollui hom. poſſunt fumi nidoribus ſacrilego ſanguine.* Puto Optatum ſcripſiſſe *pollui hom. poſſ. fumi ſacrilegis*, vel, *ſacrilegis nidoribus*, *ſacrilego ſacrificii ſanguine* &c. M. CAS.

n IN ORIGINE. De unitate facta per Macarium loquitur quæ ad Donatum tanquam ad Auctorem eſt referenda. ALBASP.

o SOCIATI ORIENTALIBUS. Suſpectos habebant Afros, Hiſpanos, Gallos, Italos, quia Donatum damnaverant & cum Cæciliano communicaverant: ſed in Orientales nihil quidquam fingere poterant; quare Optatus ſæpiſſime eis objicit quòd non communicarent cum Orientalibus: in quos nihil habebant quod dicerent. IDEM.

p QUIA UNITATEM DEO PLACITAM HABEMUS. Eadem, *amavimus.* INCERT.

q ASSENSUM ACCOMMODAVIMUS. Quia communicavimus cum eis: nulla enim major communicatio quàm per aſſenſum, uti ait D. Auguſtinus contra Donatiſtas. ALBASP.

r FURTIVAS. Correptas ſcripturæ lectiones; vel vocat furtivas, quia cùm non communicarent Eccleſiis quibus ſcriptæ eſſent D. Pauli Epiſtolæ, eas quaſi furari viderentur. IDEM.

[f]alienas lectiones, legere, ſi poteſtis.[t] Ut quid audetis Epiſtolas, ad Corinthios ſcriptas, legere, qui Corinthiis communicare noluiſtis? Ut quid ad Galatas, ad Theſſalonicenſes ſcripta recitatis, in quorum communione non eſtis? Cum hæc omnia ita eſſe conſtet, intelligite vos ab Eccleſia ſancta eſſe conciſos, & nos non eſſe pollutos. Ubi eſt ergo quod tibi putas Aggæum Prophetam poſſe ſuccurrere? [u] Igitur altaria & vaſa ſuprà memorata, & in manibus veſtris jamdudum fuerant & in noſtris. Si infamatis manus noſtras, quare illic damnatis & veſtras? Sed dicitis lectum eſſe, *Quod tetigerit pollutus, pollutum eſt.* Fac aliquem pollutum eſſe, ut poſſint ab eo tacta videri [x] polluta: eſto, ſolus tactus ſit, & non interveniat invocatio nominis Dei, *Quæ tetigerit pollutus, polluta ſunt*, inquinari poſſunt, ſi de Deo taceatur. Nam ſi ſit invocatio nominis Dei, ipſa invocatio ſanctificat & quod pollutum eſſe videbatur. Denique cum ducenta & quinquaginta thuribula, quæ ſacrilegorum & peccatorum manibus portabantur, cùm eoſdem peccatores abſorberet terra, remanſerunt de manibus eorum excuſſa thuribula. Et dum dubitaret Aaron ſanctus ſacerdos, quidnam de his faceret, audivit vocem Dei dicentis, *Tolle Aaron hæc vaſa, & fac inde laminas, & pone in angulis arcæ teſtamenti. Quoniam licet illi peccaverint qui ea ferebant, tamen vaſa illa ſancta ſunt: quia nomen meum illic invocatum eſt, dicit Deus. Et utique plus eſt portare, quàm tangere.*

Ergo jam liquidò apparet, ex invocatione nominis Dei poſſe aliquid ſanctificari, etiam [y] ſi peccator invocet Deum. Non enim tantam vim poteſt habere [z] tactus, quantam habet divini nominis invocatio. Nam & vos, qui vobis de veſtra ſanctitate præſumitis, dicite, ſi tactus ſanctificat aut invocatio? utique invocatio, non tactus. Aut ſi de ſolo tactu præſumitis, tangite [a] tabulam, lapidem, veſtem: videamus an ſancta eſſe poſſint, ſi de Deo taceatur. Jam illud quàm ſtultum, quàm vanum, quod ad voluntatem, & quaſi ad dignitatem veſtram revocare voluiſtis, [b] ut virgines Dei agerent pœnitentiam, [c] diſcentes [d] ut jam dudum profeſſæ, ſigna voluntatis capiti-

ANNOTATIONES VARIORUM.

f ALIENAS. Si furtivas non legitis: probate vos non alienas legere lectiones, cùm de Epiſtolis ſacris legitis: hoc autem non poteſtis probare, quia non communicatis cum Eccleſiis quibus illæ Epiſtolæ ſcriptæ ſunt. ALBASP.

t UT QUID AUDETIS. D. Aug. eodem utitur argumento Epiſt. 165. *Quid autem perverſius & inſanius quàm lectoribus eaſdem Epiſtolas legentibus dicere, Pax tecum, & ab earum Eccleſiarum pace ſeparari quibus ipſæ Epiſtolæ ſcriptæ ſunt?* Cujus vim non facile eſt reperire, nam poterant Epiſtolas legere, etſi non communicarent iis quibus ſcriptæ eſſent: niſi dicas D. Paulum communicaſſe cum Galatis, & Donatiſtas communicare cum D. Paulo, & tamen non communicare cum Galatis: quod abſurdum videbatur. IDEM.

u IGITUR ALTARIA TUA SUPRA MEMORATA. Emenda ex integriore Fr. Balduini libro 1. *altaria & vaſa ſupra m.* Quæ continuò ſequuntur mutila ſunt, reſtitue ex eodem codice: *Igitur altaria & vaſa ſupra memorata & in manibus veſtris jamdudum fuerant, & in noſtris. Si infamatis manus noſtras, quare illic damnatis & veſtras?* INCERT.

x POLLUTA SI SOLUS TACTUS. Idem liber, *polluta: eſto, ſolus tactus ſit.* IDEM.

y SI PECCATOR. Si is qui ſacramenta celebrat ſit peccator, ALBASP.

z TACTUS. Actio celebrantis. IDEM.

a TABULAM. Aras conſecrabant & veſtes. IDEM.

b UT VIRGINES. Loquitur de virginibus, quæ eſſent baptiſatæ ante ſchiſma, aut de iis quæ poſt rebaptiſationem ad Catholicos tranſierant, quibus pœnitentiam imponebant Donatiſtæ, quòd cum Catholicis communicaſſent. IDEM.

c τὸ *diſcentes*, ejecit Fr. Balduini editio 2. INCERT.

d UT JAMDUDUM PROFESSÆ, SIGNA VOLUNTATIS CAPITIB. &c. Fallor an Optatus ſcripſit, *ut jamdudum profeſſa, ſigna voluntatis capitibus impoſita vobis iubent. immutarent.* Nam *profiteri*, & *profeſſa* ἀπλῶς vulgare eſt, ſed *capite profiteri ſigna voluntatis*, mihi non obſervatum quemquam ita loqui. *Capiti* autem *imponere*, de his ipſis mitellis iterum Optatus poſt unam aut alteram paginam. Sequitur in hac editione Balduiniana, *ut mitellas alias proiicerent, alia* &c. quod antea legebatur, *ut mitellas aureas proiicerent, alias*, &c. quod & nuperis editoribus magis arriſit. Sanè purpureas fuiſſe mitellas illas, Optatus ipſe docet in ſequentibus. Sed *aureas* quoque fuiſſe, vix ipſi Optato crediderim. Quod hîc autem *mitellas*, in aliis magis latinè *mitellas*; quamvis & *mitrulas* à Julio Solino formatum non ignoramus. M. CAS.

bus, poſtea vobis jubentibus immutarent: [e] ut mitrellas aureas projicerent, alias acciperent. Primo dicite ubi vobis aliquid de mitrella mandatum eſt? virginitas enim voluntatis res eſt, non neceſſitatis. Denique Stabularius ille Paulus Apoſtolus, cui confoſſus peccatorum vulneribus populus commendatus, duos denarios, quos erogaret, acceperat, duo ſcilicet teſtamenta: hæc per doctrinam quaſi [f] ſumptus impendit: docuit quomodo conjugales Chriſtiani debeant vivere: A quo cùm quæreretur quid de virginibus præciperet? Reſpondit ſibi de virginibus nihil eſſe mandatum. confeſſus eſt, ſe duo teſtamenta, hoc eſt, [g] duos denarios erogaſſe, explicati erant quodammodo ſumptus. [h] Sed quia qui ſaucium commendaverat, promiſerat ſe redditurum, quicquid in curam amplius erogaſſet poſt impenſos duos denarios: non præcepta, ſed conſilium erogat Paulus ad virginitatem. Nec impedimento eſt voluntati, nec nolentes impellit aut cogit. *Qui dederit* (inquit) *virginem ſuam, benefacit: & qui non dederit, melius facit.* Hæc ſunt verba conſilii: Nec ulla ſunt præcepta conjuncta, vel de qua lana mitrella fieret, aut de qua purpura tingeretur. Non enim panno hoc poteſt virginitas adjuvari: [i] Non enim inde compeſcuntur æſtus animi, quos interdum ætas accendit: Non inde ſublevatur mens, quæ nonnunquam deſideriorum ponderibus premitur. Nam ſi ita eſſet, non una, ſed plurimæ virginis capiti imponerentur: ut quotieſcunque animum carnis deſideria pungerent, contra impugnationem mentis mitrellarum numerus dimicaret. Res inventa eſt ad ſignum capitis, non ad remedium caſtitatis. Denique [k] talis pannus & deturbari, & rodi, & perire poteſt: Et tamen virginitas, ſi inlæſa ſit, ſine mitrella tuta eſſe poteſt. Spiritale nubendi hoc genus eſt: [l] in nuptias ſponſi jam venerant voluntate & profeſſione ſua, & ut ſæcularibus nuptiis ſe renunciaſſe monſtrarent, [m] ſpiritali ſponſo ſolverant crinem, jam cæleſtes celebraverant nuptias. Quid eſt quod eas iterum crines ſolvere coëgiſtis? Quid (inquam) quod ab ipſis per vos exacta eſt [o] profeſſio ſecunda? Quis eſt alter ſpiritalis ſponſus, cui iterum nuberent? [p] Quando mortuus eſt, cui nupſerant, ut iterum nubant? Nudaſtis denuo capita jam velata: de quibus profeſſionis de-

ANNOTATIONES VARIORUM.

e UT MITELLAS AUREAS PROJICERENT. Eadem. *Ut mitrellas alias proiicerent*, Virgilius in Catalectis,

Cepa Syriſca caput Gratâ redimita mitellâ.

Cicero pro Rabii. Poſthu. *Deliciarum cauſa & voluptatis, non modò cives Romanos, & nobiles adoleſcentes, & quoſdam etiam Senatores ſummo loco natos, non in hortis & ſuburbiis ſuis, ſed Neapoli in celeberrimo oppido cum mitella ſæpe videmus.* Ubi alia exemplaria habent, *mitrella*. Cornelio Celſo ſummæ elegantiæ medico, lib. 8. c. 10. *mitella* eſt linteum in quo brachium fractum læſumve ſuſpenditur ad collum. Optatus Nonnarum ſive ſacratum virginum vitras ſive vela (unde Belgis noſtris *Vviele*, *Vviedoeck*, & *Vviile*. *Mitrellas* vocat, quaſi parvas mitras dicas. *Mitra* verbum eſſe Syriacum (Græci dicunt διάδημα Latini vitam) monuerunt jamdudum viri docti, & propriè ſignificat vinculum aut redimiculum. Poëta,

Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.

Vide ibi Servium. INCERT.

f QUASI SUMPTUS. Quomodo virginitate, aut matrimonio uti debeamus. ALBASP.

g DUOS DENARIOS EROGASSE. Voluntatem Chriſti explicaſſe. ALBASP.

h SED QUIA QUI SANCIUNT. Ait Paulum nihil aliud de conjugio ſtatuiſſe, neque à Deo accepiſſe, qui poſt impenſam Teſtamentorum doctrinam debebat aliquid ſuggerere, quam benefacere eum qui virginem ſuam dederit; & melius qui non dederit. IDEM.

i NON INDE COMPESCUNTUR ÆSTUS ANIMI, QUOS INTERDUM ÆSTAS ACCENDIT. Corrige, *ætas accendit*. INCERT.

k TALIS PANNUS DETURBARI POTEST. Fortè ſcripſit Optatus, *deturpari*. IDEM.

l IN NUPTIAS SPONSI. Vovebant Chriſto virginitatem. ALBASP.

m SPIRITALI SPONSO SOLVERANT CRINEM. *Crimea* cudi oportuit. Sed hoc mendum & ſexcenta talia, adeo manifeſta ſunt. ut primo ſtatim aſpectu deprehendantur. Sic eadem p. peſſimè *dious* pro *diutias* editur. INCERT.

n SOLVERENT CRINEM. Sed & hodie in virginibus conſecrandis hic ritus obſervatur. ALBASP.

o PROFESSIO SECUNDA. Nota profeſſionem virginum. ALBASP.

p QUANDO MORTUUS EST. Quia renuntiabant omnibus iis quæ fecerant, aut profeſſæ fuerant, cùm eſſent apud Orthodoxus: vel ſi mavis: Chriſtus cui nupſerant, eſt-ne mortuus, quòd eas

traxiſtis indicia: [q] quæ contra raptores aut petitores videntur inventa. [r] In mitrella indicium eſt voluntatis, non caſtitatis auxilium; ut rem jam Deo devotam; ne qui ſponſabat, perſeveret petere, aut ne raptor audeat violare: ſignum eſt ergo, non Sacramentum. Inveniſtis igitur hujuſmodi virgines, quæ jam ſpiritaliter nupſerant; quaſi ſecundas coëgiſtis ad nuptias, [r] ut crines iterum ſolverent, imperaſtis. Hoc nec mulieres patiuntur, quę carnaliter nubunt: Ex quibus ſi alicui maritum mutare contigerit, [ſ] non repetitur illa [t] temporalis feſtivitas: Non in [u] altum tollitur: Non populi frequentia procuratur. Detraxiſtis igitur non capitis ornamenta, ſed (ut ſuprà diximus) bonę voluntatis [x] indicia. [y] Jam conſecratas Deo aſperſiſtis [z] immundis cineribus: crines juſſiſtis, etiam ſalſa aqua perfundi.

Et utinam vel id quod tuliſtis, velociter revocare velletis. Interpoſuiſtis moras, ut retractę in priſtino habitu, aliquę diutius remanerent, retractis

PHILIPPUS PRIORIUS.

[r] IN MITRELLA INDICIUM EST VOLUNTATIS. Mitrella parva mitra eſt, hoc eſt purpureum ornamentum capitis, è lana contextum, quo velabantur virgines, ſeu veſtales, in ſignum pudoris, ex uſu Eccleſiæ Africanæ: Duplex autem erat mitra; nam mulieres mitram quoque geſtare ſolebant, ſed longè diſcrepantem à Mitrella virginum Africanarum ſeu velamine. Exiguum ſanè & breve fuit illud velamen, & redimiculis ſive tæniis quibuſdam ligabatur, Propertius Eleg. 29. lib. 2.

Quæ cum Sidoniæ nocturna ligamina mitræ

Achilles Tatius lib. 3. [illegible] *Indutam ornante: mitris & faſciis.* Pollux etiam lib. 7. c. 14. [illegible] conjungit. Tegumentum illud pretioſius non fuit, ſed ad modeſtiam comparatum. Subtile quoque fuiſſe indicat Catullus de Ariadnâ loquens.

Non flavo retinens ſubtilem vertice mitram.

Ac quoniam caput ambiebat mitra, [illegible] vocat Herodotus, [illegible], Pariter Moſcus de Helena, [illegible]. De mitra quoque Tertullianus more ſuo cap. 11. de velandis virginibus.

ANNOTATIONES VARIORUM.

ad ſecundas nuptias convolare cogitis? IDEM.

[q] QUÆ CONTRA RAPTORES &c. Codex can. eccl. Afric. De virginibus etiam minoribus velandis. *Item placuit, ut quicunque Epiſcoporum, neceſſitate periclitantis pudicitia virginalis, cum vel petitor potens, vel raptor aliquis formidatur.* M. CAS.

[r] UT CRINES ITERUM Annotandus ritus nuptialis præter illum de crinibus ſolvendis: hoc inſigni loco. *Hoc* (nudari ſibi nempe capita velata) *nec mulieres patiuntur quæ carnaliter nubunt: Ex quibus ſi alicui maritum mutare contigerit, non repetitur illa temporalis feſtivitas: Non in altum tollitur: Non populi frequentia procuratur.* Hæc ille. Exemplum Latiæ gentis, ne quis potius ex more Africano dictum falſo inpoſterum exiſtimet, ecce luculentum in Lucano, ubi de Martia Hortenſii viduâ dum Catoni ſecundo nuberet lib. 2.

Feſta coronato non pendent limine ſerta,
Infulave in geminos diſcurrit candida poſtes,
Legitimæve faces; gradibuſve acclinis eburnis
Stat torus, & picto veſtes diſcriminat auro,
Turritave premens frontem matrona corona
Tralata vitat contingere limina planta.
Non timidum nupta leviter tectura pudorem
Lutea demiſſos velarunt flammea vultus. INC.

[ſ] NON REPETITUR ILLA TEMPORALIS FESTIVITAS &c. Proprios Africanorum ritus in nuptiarum ſive *feſtivitatibus*, ut hic Optatus, & Sidonius Apoll. lib. 1. epiſt. 5. ſive, *feſtis*, ut Aurelius Victor, idem Sidon. Apoll. Symmachus, aliique ab Optato hic tangi cum Balduino cenſes. Quamvis enim etiam in Romanorum ritibus aliquid ſimile, illud tamen huc referri minimè debere rectè mea ſententia judicavit vir eruditiſſ. Pet. Pithoeus adverſar. lib. 11. c. 6. Etſi autem eadem aut ſimilis *in altum levatio* Gothis quoque & Longobardis in uſu fuerit, ut docet idem vir doctiſſimus, nec inde tamen, quod ille velle videtur, rectè concludas Gothicum hunc, & Longobardicum morem fuiſſe, de quo loquitur hic Optatus. Nam & illud quod paulò ante, *Virgines quaſi ſecundas coegiſtis ad nuptias; ut crines iterum ſolverent imperaſtis* non alienum videtur ab eorum moribus, cum in eorum legibus, *in capillo puella*, de virgine, ſeu quæ nupta non ſit, uſitata ſit locutio; ſed quid Afris tum, cùm hæc Optatus, cum Gothorum aut Longobardorum inſtitutis, quorum neſcio ſi vel notum tum nomen in Africa vel auditum. Cæterum quæ ſeorſim Optatus hic *feſtivitas & frequentia* conjungens. Arnob. lib. 4. dixit *feſtas frequentias*. *Et quid de ipſis conjunctionibus loquimur*, inquit, *quando & quoſdam nuptias celebraſſe & feſtas habuiſſe frequentias* &c. M. CAS.

[t] TEMPORALIS FESTIVITAS. In ſecundis nuptiis nulla olim feſtivitas obſervabatur. ALBASP.

[u] IN ALTUM. Capitis ornamentis non utitur. IDEM.

[x] INDICIA. Mitellas. IDEM.

[y] JAM CONSECRATAS DEO ASPERSISTIS, ETIAM SALSA AQUA PERFUDISTIS Locus mutilus, inſtaurandus ex Fr. Balduini editione 2. *Iam c. D. aſperſiſtis immundis cineribus: crines etiam juſſiſtis ſalſa aqua perfundi* INCERT.

[z] IMMUNDIS CINERIBUS. Cineribus pœnitentiæ, quos immundos appellat, quia virgines illæ pœnitentiam non debebant facere. ALBASP.

ſignis, quibus ſe jam dudum contra [a] petitores & raptores muniverant. Qui eum viderent, [b] præſcriptionem ſibi jam dudum oppoſitam, à vobis eſſe ſublatam, de ſponſis raptores effecti ſunt. Nec viſus eſt ſibi unuſquiſque peccaſſe, dum talem rapuit, qualem viderat, quando ut uxorem acciperet poſtulabat.

In hoc genere tanta damna feciſtis Deo, quanta lucra diabolo procuraſtis. Conflaſtis impie calices, crudeliter fregiſtis, & inconſultè raſiſtis altaria: Puellas miſeras non ſine opprobrio, [c] ut ſecundam mitellam acciperent, coëgiſtis. Et illud prętermittere nequeo, quod nec Deo eſt placitum, nec à veſtris cultoribus excuſari, nec ab aliquo homine defendi poteſt. [d] Per judicia ſęcularia & leges publicas, divinę legis inſtrumenta, [e] executione officiorum à plurimis eripienda eſſe dixiſtis, volentes ſoli habere, quod pax [f] in communione poſſederat. Non vereor Chriſtianus dicere, quod vobis poſtulantibus, [g] Gentilis * executio non potuit ignorare: velamina & inſtrumenta Dominica extorſiſtis, quę jam dudum fuerant in communione poſſeſſa. Extorſiſtis eum codicibus pallas: judicio ſuperbię veſtrę utraque arbitrati eſtis eſſe polluta. Niſi fallor, hęc purificare properaſtis: laviſtis proculdubio pallas: Indicate [h] quid de codicibus feceritis: in omnibus judicium providentię veſtrę debet eſſe ęquale. Aut utrumque lava, aut utrumque dimitte. [i] Quod ſi aliter facias, corrupiſti: diligentiâ tuâ pallam lavas, codicem non lavas: Si in una parte bonum, in altera malum eſt: non potes negare offendere in una, ſi in altera promereris. Et ſi gaudes, quod in una videaris religioſus, debes & plangere, quia teneris in altera parte ſacrilegus. Jam illud quale eſt, quod in multis locis [k] etiam parietes lavare voluiſtis,

* Excuſatio.

ANNOTATIONES VARIORUM.

a RAPTORES AUT PETITORES. Non poterant in matrimonium rogari, quòd Deo conſecratæ eſſent. ALBASP.

b PROSCRIPTIONEM. Mitellam, qua cum eſſent ornatæ non poterant nubere. IDEM.

c UT SECUNDUM MITELLAM ACCIPERENT &c. Legebatur antea, *ut ſec. m. acc. coegiſtis cum de prima lectione recitari non poſſit. Et illud* &c. Quæ valdè vereor ne Balduinus expunxerit, quod quo pertinerent, non intelligeret. Atqui jam illud Optatus antea diſputarat, *de mitella nihil eſſe mandatum*, & *voluntatis rem eſſe non neceſſitatis*. Hoc idem fortaſſe repetebat his verbis, *cum de prima lectione* ita enim corrigendum eſt, recitari non poſſit. *Lectio pro ſcriptura*, ſeu certo aliquo ſacræ ſcript. loco, jam antea monuimus. M. CAS.

d PER JUDICIA SECULARIA. Hæc ad Juliani tempora referenda ſunt: qui & Baſilicas, & ſacros codices Donatiſtis juſſit reddi. ALBASP.

e EXECUTIONE OFFICIORUM A PLURIBUS &c. Quid ad rem quid dixerint, eum re ipſa, quod multo gravius extorſerunt, ut docet Optatus? An *dixiſtis*? Non aptum hoc neque verbis, neque ſententiæ, ſcribo *eripienda duxiſtis*, id eſt, *eripuiſtis*, ſæpe enim redundat hoc verbum, ut & ſynonyma *puto* & *credo* in his ſcriptoribus. *Officia* autem pro *officialibus*, ut *miniſteria* pro *miniſtris*, & ſexcenta hujus generis. Quod mox ſequitur, *velamina & inſtrumenta dominica extorſiſtis*, puto eum Cochlæo pro *velamina* ſcribendum eſſe *velumina*, Quanquam *aulæis & velis*, ſive *velan*. decorari & ornari ſolitas Eccleſias non ignorem. Qui putant horum aulæorum uſum proprium Baptiſmi ſolennibus, & ideo *alba*, quod is color baptizandorum puritati maximè conveniret, quæ doctiſſimi Vicecomitis videtur eſſe ſententia, vel his Paulini Victoriſque teſtimoniis convinci poſſint. Paulinus enim disertè in Natali Martyris. *Aurea nunc Niveis ornantur limina velis.* Victor autem, *ſolitum* ut ait ipſe, *eccleſia ornatum* deſcribens (ubi tamen *ſolitum*, non quotidianum, ſed ſolennioribus quibuſvis occaſionibus, & temporibus duntaxat uſitatum, interpretor:) etſi non exertè cujus coloris velamina fuerint, indicat, dum tamen *candorem fulgoris*, tam velaminibus, quàm cereis & lampadibus tribuit, ſatis colorem eorum mihi videtur invenire. *Pallas* quod mox ſequitur, ſuſpicor irrepſiſſe, pro *pallia*, *Pallas* enim eo ſenſu, quod ego meminerim, vix reperias apud antiquorum aliquem, qui certæ ſit & indubitatæ antiquitatis: Nam quæ à Decretorum collectoribus laudantur Clementis epiſtolæ, in quibus pallæ non ſemel fit mentio, cujus ſint illæ apud doctos auctoritatis, nemo neſcit. *Pallia* autem pro quovis operimento ſacro, non rarum apud veteres. Inter alios Victor Uticen. *Velaminum pallia* lib 2. & *pallia altaris* exertè lib. 1. de perſecut. Vandal. M. CAS.

f IN COMMUNIONE POSSESSA. Non nova, ſed ea quæ ante ſchiſma erat in Eccleſia. ALBASP.

g GENTILIS EXCUSATIO. Caſtigat eadem editio, *executio*. INCERT.

h QUID DE CODICIBUS. An laverint Codices quemadmodum pallas. ALBASP.

i QUOD SI ALITER FACIES, CONCUPISTI. Lege, *corrupiſti*. INCERT.

k ETIAM PARIETES LAVARE VOLUISTIS &c.

[l] & ſine cauſa [m] incluſa ſpacia ſalſa aqua ſpargi præcepiſtis. O aqua, quæ dulcis à Deo creata es, ſuper quam ante ipſius natalem mundi ſanctus Spiritus ferebatur? [n] O aqua, quæ ut purum faceres orbem, laviſti terram! O aqua, quæ ſub Moyſe, ut naturalem amaritudinem perderes, indulcata ligno, tot populorum pectora ſuaviſſimis hauſtibus ſatiaſti! Reſtabat tibi [o] poſt promotionem non leviter degradari: [p] Præſentia Moyſi in te amaritudo moritur, & à ſchiſmaticis hodie cum Catholicorum turba dulcedo tua vexatur. Pares patimur bellum, pares expectamus vindicem Deum. Dicite frater Parmeniane, quid vobis fecerat locus? quid ipſi parietes, ut iſta paterentur? An quia illic rogatus eſt Deus? An quia illic laudatus eſt Chriſtus? An quia illic invocatus eſt Spiritus ſanctus? An quia vobis abſentibus illic Prophetæ & ſancta Evangelia recitata ſunt? An quia illic fratrum, jam dudum litigantium concordaverant mentes? An quia unitas Deo placita in qua habitabat, invenerat domum? Indicate: quid illic lavare potuiſtis? Si Catholicorum veſtigia & in vico & in platea calcavimus; quare non omnia emundatis? Nam & fovendorum corporum cauſa, [q] eadem nos & vos lavacra pariter abluerunt. Et ante vos frequenter noſtrorum loti ſunt multi. Si [r] poſt nos purificanda putatis, omnia lavate, & aquam ſi poteſtis. Aut ſi veſtigia (ut ſuprà dixi) noſtra eſſe vobis videntur polluta, ſufficeret terra: quid & parietes lavare voluiſtis, in quibus humana non poſſunt poni veſtigia? parietes non calcare, ſed tantum videre potuimus. Si & quod tangit aſpectus, lavandum eſſe cenſetis, cur cætera dimiſiſtis inlota? Videmus tectum, videmus & cœlum, hæc à vobis lavari non poſſunt. Si [ſ] illa lavando promeriti eſtis Deum: Iſta non lavando, inexpiabile videmini incurriſſe peccatum. [t] Cum igitur alibi quaſi diligentes videri vultis, alibi negligentes eſtis inventi: ſi tamen diligentia dicenda eſt ſtultitia, & (ut vero nomine appelletur) vanitas veſtra. niſi fortè quia hoc faciendo, in pavorem miſiſtis populos imperitos, ut quia lota eſt [u] columna, lavarentur & corpora. Si in his rebus conſilium latet, miſeros ſubtiliter decepiſtis: Si ta-

Exod. 15.

ANNOTATIONES VARSORUM.

Cum jam prius *aſperſos cineres* cum *ſalſa aqua* conjunxerint, etiam hic fortaſſe *& cineribus* reſtituendum; aut diſtinguendum, *Etiam par. la. vel. & incluſa ſpatia ſalſa aqua & ſpargi*, ſpargique, *præcepiſtis*. Non diſplicebit etiam, ſi quod viris doctis in mentem venit, pro *& ſpargi* ſcribas *aſpergi*. *Incluſa* autem *ſpacia* vel quæ intra *κιγκλίδας* altaris, vel genere, quodcunque parietibus incluſum, nempe pavimentum ipſum, ſive ſolum; quod fortaſſe quod ſtratum omnino non eſſet, ut erant iſto tempore Eccleſiæ pleræque non adeo ſplendidæ: Ideo & lavari ſicut parietes non poterat. *Locum* poſtea vocat. *Quid vobis fecerat locus, quid ipſi parietes* &c. M. CAS.

l ET SINE CAUSA SPATIA SALSA SPARGI PRÆCEPISTIS. Hæc aliter concipit 2. Balduini editio, *& incluſa ſpatia, ſalſa aqua & ſpargi præcepiſtis*. Legerim, *& i. ſpatia ſalſa aqua exſpargi præcepiſtis*. INCERT.

m INCLUSA SPATIA. De ſpatio circa altare hoc videtur intelligendum. ALBASP.

n O AQUA INDULCATA LIGNO! *Indulcare* ad Cn. Mattii *edulcare* compoſitum:

Prudenter edulcare convenit vitam.
Curaſque acerbas ſenſibus gubernare. INC.

o POST PROMOTIONEM. Poſt tanta quæ Deus per te fecit. Tertullianus de Baptiſmo; *quantum inſtrumentum mundo ferat*. ALBASP.

p PRÆSENTIA MOYSI IN TE AMARITUDO MORITUR &c, An hic *præſentia M.* pro *tempore M.* ſeu *vivente M.* Durius mihi videtur, niſi alio aliunde exemplo molliatur. Interim ſcribendum exiſtimo, *Prece antea Moyſi* &c. τῷ *antea* reſpondet mox, *hodie & à ſchiſmaticis, hodie cum Cath. turba dulcedo tua vexatur*. De *Moyſis* autem *prece* Exod. 15. v. 25. *At ille clamavit ad Dominum qui oſtendit ei lignum* &c. *Moritur* verò pro *mortua eſt*, ut ſæpe ne dicam ſemper. M. CAS.

q EADEM NOS ET VOS LAVACRA PARITER &c. De uſu balneorum etiam inter Chriſtianos F. M. parens ad Spartianum p. 75. M. CAS.

r POST NOS PURIFICANDA PUTATIS. Scribe, *Si poſt nos p. putatis?* Sic 2. editio Fr. Balduini. *Si* αὐτὶ τῦ *an*, quale ſupra monuiſſe me memini. INCERT.

ſ ILLA LAVANDO PROMERITI ESTIS DEUM. τὸ *ſi* his neceſſario præmittendum. INCERT.

t CUM IGITUR ALIBI QUASI DILIGENTES ESSETIS INVENTI. Locus mutilus ſupple ex 2. edit. Fr. Balduini, *Cum igitur a. q. diligentes videri vultis, alibi negligentes eſtis inventi*. IDEM.

u COLUMNA. Ut quia lavatis parietes iterum

lis res ſine conſilio geſta eſt, manifeſta eſt veſtra hebetudo. Hæc vos ſtulte feciſſe & à vobis ſeducti cognoſcunt: Nec vos ipſi negare poteritis. Quid referam etiam illam impietatem de veſtra conjuratione venientem, [x] quia [y] ad hoc Baſilicas invadere voluiſtis, ut [1] [z] vobis ſolis [a] Cimiteria vindicetis, non permittentes ſepeliri corpora Catholica; ut terreatis vivos, [b] male tractatis & mortuos, negantes funeribus locum. Si inter viventes fuerat certamen, odia veſtra vel mors aliena compeſcat. Jam tacet cum quo paulo ante litigabas. Quid inſultas funeri? quid impetis ſepulturam? quid cum mortuis litigas? perdidiſti maliriȩ fructum. Et ſi corpora non vis in unum quieſcere, ánimas tamen [c] in uno apud Deum poſitas, non poteris ſeparare. Omnia denique, quȩ à vobis geruntur, ex toto narrari non poſſunt. Sed concedatur vobis, [d] qui erroris hujus magiſterium poſſidetis. Jam & de veſtris ſilere, quis poſſit de illis, ſcilicet, quos aut factione aut ſubtilitate, ut veſtros faceretis, ſeducere potuiſtis: non ſolum maſculi, ſed etiam fœminȩ, ex ovibus ſubito facti ſunt vulpes, ex fidelibus perfidi, ex patientibus rabidi, ex pacificis litigantes, ex ſimplicibus ſeductores, ex verecundis impudentes, feroces ex mitibus, ex innocentibus maliriȩ artifices. Poſt quod ad vos delapſi ſunt aut delapſȩ, dolent alios ibi eſſe, ubi nati ſunt: Bene ſtantes in lapſus ſuos invitant: Si ſcirent ſe gloriam conſecutos, felicitate ſua tacite fruerentur. Nunc autem perditi tranſitus ſuos conſolari cupientes, cȩteros ut ſimiliter labantur, invitant: Et reſidentes in ſinu matris Eccleſiȩ, quaſi pigros & tardos accuſant. [e] His enim verbis loqui non erubeſcunt, Cai Sei, Caia Seia, quandiu te tenes? Hoc eſt dicere, jam meum debes ſequi errorem, jam debes deſerere veritatem. *Quamdiu tu tenes*, hoc eſt dicere, imitare lapſus meos, imitare tranſitus turpes. *Quandiu fidelis vocaris? iam fidem deſere, iam pœnitentiam diſce.* [f] Vos eſtis aucupes, & illi aut illȩ ſunt aves. Sed [g] quia non eſt unum aucupum genus: alii ſunt qui arte ſimplici, al-

PHILIPPVS PRIORIVS.

1. VOBIS SOLIS CIMITERIA VINDICETIS. Legendum eſſe *Cœmeteria* nemo refragabitur. Eò autem proceſſerat Donatiſtarum immanitas, ut ſepulturæ locum Catholicis denegarent. Juliani Imperatoris edictis nimium elati, in hæc facinora proruperunt. Tanta quippe liberalitate ſuis edictis, Donatiſtas armaverat, ut illius ſucceſſores plurimum laboraverint, in iis ab Eccleſia depellendis, quamvis leges ſanctiſſimas tulerint variis temporibus, libertatem & Jus Eccleſiæ ſtabilientes.

ANNOTATIONES VARIORVM.

lavatis Chriſtianos. ALBASP.

x QVIA AD HOC BASILICAS INVADERE VOLVISTIS &c. Scribo, *qui ad hoc B. invadere voluiſtis, ut vobis ſolis Cimiteria vendicetis, non perm. ſepel. corpora Catholica, ut terreatis* (vel ut in aliis *terreretis*) vivos, malè &c. M. CAS.

y AD HOC BASILICAS. Multis in locis duæ erant baſilicæ: Baſilica ſcilicet Donatiſtarum, & Baſilica Orthodoxorum, ſed favente Juliano hanc invaſerant Donatiſtæ ut Orthodoxos ſepultura privarent. ALBASP.

z VOBIS SOLIS. Genus erat communionis ſepeliri in Chriſtianorum Cimiteriis: quapropter ſibi ſolis ea vindicabant Donatiſtæ. IDEM.

a CIMETERIA. In Baſilicis aut in Cimeteriis juxta Baſilicas poſita ſepeliebantur. IDEM.

b MALE TRACTATIS. Hac communione privatis. IDEM.

c IN VNO. Cum Chriſto unitas. IDEM.

d QVI ERRORIS HVIVS MAGISTERIVM POSSIDETIS. JAM ET DE VESTRIS SILERE QVI POSSET? DE ILLIS SCILICET, &c. Ita emendandus & interpungendus hic locus. Sed & ſequentia porro ab interpunctione laborant. INCERT.

e *His enim verbis loqui non erubeſcunt, Cai Sei, Caia Seia, quandiu te tenes? Hoc eſt dicere.* Poſt hæc Fr. Balduini editio 2. interjicit iſta, *jam meum debes ſequi errorem, jam debes deſerere veritatem. Quandiu te tenes, hoc dicere, imitare*, &c. IDEM.

f VOS ESTIS AVCVPES. Aves mortuæ, de iis ſunt accipiendæ, quos rebaptizaverant: incluſæ verò caveis, de illis quos ad pœnitentiam coëgerant: ſenſus igitur eſt, cùm per domos mittitis pœnitentes, genus eſt aucupii: nam ſunt aves incluſæ quibus alias vultis allicere; cùm verò rebaptiſatos oſtenditis ut eorum exemplo noſtros ſeducatis, ſunt aves mortuæ quibus utimini ad alias aves capiendas. ALBASP.

g *Quia non eſt unum aucupum genus: alii ſunt qui arte ſimplici * volatu naturalibus ramis inſidunt.* Eo loci, ubi aſteriſcum poſui, auctior, & locuple-

ris

altis fundatas radicibus in faciem nemoris diffuſas arbores petunt, ubi aves ſimplici volatu naturalibus ramis inſidunt: Non illic numerantur fraudes, non artificioſa conſilia: Ars una eſt & ſola capiendi. Illi vos aucupi ſimiles dico, qui poſt diſceſſum noctis, ante lucis adventum, non aliorum more naturales vadit ad arbores: ſed ipſe [h] arborem portans, futurum nemus ſtringit in faſcem, aridam arborem, nullis radicibus fultam, multiplici fraude componit. Cui adulterinos inſerit ramos, & quę ſuas jam dudum ſucciſa perdiderat, alienas accipit frondes. [i] Alias aves clauſas [k l] portat in cavea, eviſceratas alias ad imaginem viventium, [m] olim extinctas, fallacibus ramis, quaſi viventes imponit. Aliæ latent in caveis: Aliæ quaſi viventes videntur in ramis. Jungitur una geminata fraude calliditas, & [n] ut decipi avium volantium ſimplicitas poſſit; quas mortuas eſſe conſtar, videntur tendere colla cum vocibus, & quæ latent in carcere ſuo, quaſi de gutture [o] cantant alieno. Inter alterius imaginem, & alterius vocem dolus unus operatur. Captivæ liberas capiunt, & mortuæ viventes occidunt. [p] Tales ſunt, quos aut rebaptizatione, aut pœnitentia ſociaſtis, ne ſoli aut ſolæ periſſe videantur, alios vel alias ſecum perire, magno labore & ſtudio contendunt.

ANNOTATIONES VARIORUM.

tior eadem editio his verbis, *altis fundatas radicibus in faciem nemoris diffuſas arbores petunt, ubi aves ſimplici volatu*, &c. Corrige itaque, quantum poteſt, Barthium corrigentem *qui rete ſimplici volanti naturalibus ramis induunt*. INCERT.

h ARBOREM PORTANT. Quia veram Eccleſiam non habebant. ALBASP.

i ALIAS AVES CLAUSAS PORTAT IN CAVEA &c. Scribe *Alias aves clauſas portat in cauſa & viſceratas alias ad imaginem* &c. quæ principis editionis ſcriptura eſt, *viſceratas* id eſt *fartas* & *diſtentas*: cujus contrarium ſit *eviſceratas*. Notum eſt ſolere ita aves & rariora quævis animalia extractis viſceribus, & omni corpore, ſola pelle relicta, eaque demum fœno, aut furfure, ſcrutis ac tituvillitiis cujuſcunque generis repleta, ac extruſa, conſervari. Poteſt & *eviſceratas* ferri. M. CAS.

k PORTAT IN CAVEA. Pœnitentes, quia non communicabant. ALBASP.

l *Alias aves clauſas portat in cavea, & viſceratas*, Fr. Balduini editio 2. *in caves viſcerato*. Videtur ex veſtigiis lectionis vulgatæ faciendum *Alias aves c. p. i. cavea, & bis cacatas*. Barthius emendat, *in cavea & v ſa cacatas*. INCERT.

m OLIM EXTINCTAS. Rebaptiſatione. ALB.

n UT DECIPI VIVARUM VOLANTIUM SIMPLICITAS POSSIT. Ex meliori exemplari reſtituit Fr. Balduinus, *ut decipi avium volantium ſ. p.* INCERT.

o CANTENT ALIENO. Quia pœnitentes in Eccleſia, nec loqui nec quidquam agere poterant. ALBASP.

p TALES SUNT QUOS AUT REBAPTIZATIONE &c. Qui volet hoc retinere, per me licebit illi. Cùm tamen de *perditis* hic loquatur, & in perniciem ſuam ſeductis, cumque lib. 2. *de pœnitentia ſanciare* ſuper hac ipſa re dixerit, fallor aut hîc etiam *ſanciaſtis* quàm *ſociaſtis* verius eſt. Sui tamen quiſque fruatur libertate judicii. Favet tamen nobis quod in principe editione *ſaciaſtis* non *ſociaſtis*. M. CAS.

SANCTI

OPTATI AFRI, MILEVITANI EPISCOPI,

DE SCHISMATE DONATISTARUM, *ADVERSUS PARMENIANUM*, LIBER SEPTIMUS.[a]

Traditiones.

POST Traditores oſtenſos, & ſanctam Eccleſiam demonſtratam: poſt repulſas quas ingerebatis calumnias: & poſt peccata veſtra, qua à Deo increpari meruerunt: ordine ſuo, & ratio ſacramentorum, & [b] præſumptiones veſtræ, & errores oſtenſi ſunt. Jam reſponſorum dictorumque noſtrorum finis eſſe debuerat: ſed quoniam poſt invidię ſilvam ſecuribus veritatis abſciſſam, video adhuc veſtras veſtrorum provocationes pullulare poſſe, quibus poteſtis dicere, vos[c] ad unam communionem non oportuiſſe queri: cùm filios traditorum vos eſſe conſtiterit, ad ea pauca reſpondeam. Revera ſufficiebat ſibi Eccleſia Catholica, habens innumerabiles populos in provinciis univerſis. Sufficiebat & in Africa, licet in paucis: ſed Deo veſtra ſeparatio non placebat, quoniam divulſa fuerant [d] unius corporis membra, & contra voluntatem Dei, fratres à fratribus errabatis: quamvis [e] domeſticum judicium in parentibus veſtris operatum ſit, ut ultrò recederent, qui pro admiſſa traditione abjici debuerant: [f] nullum judicium celebratum eſt, ſed ſententię eſt operatus effectus. Pellendi fuerant poſt traditionem, de qua ſibi in

ANNOTATIONES VARIORUM.

[a] Suſpicatus ſum aliquando hunc librum qui & in editione Germanicâ Cochlei prætéritus fuit, non eſſe Optati, cùm Hieronymus non niſi ſex libros ab eo ſcriptos eſſe ſcribat, & ipſe Optatus lib. 1. non niſi ſex librorum argumentum proponat. Sed cùm hic liber ſeptimus reperiretur in tribus quibus uſus ſum manuſcriptis exemplaribus, & ſtilus reſque conveniat, agnoſcam eſſe Optati: verùm dicam eſſe ſcriptum poſt editos ſex ſuperiores, Hæc Fr. Balduinus. INCERT.

[b] PRÆSUMPTIONES. Quòd ſcilicet ſanctitatem perſonarum baptizare, & peccata remittere dicerent, non autem ſacramenta, ALBASP.

[c] AD UNAM COMMUNIONEM. Compellebantur ad unitatem Donatiſtæ, ac dicebant cur nos ad veſtram communionem vi adducitis, cùm ſimus traditores, & traditorum filii, uti dicitis? IDEM.

[d] UNIUS CORPORIS. Eccleſię quæ erat in Africa. IDEM.

[e] DOMESTICUM JUDICIUM. Quia ſeſe ab Eccleſia ſeparaverant: vel quia in Concilio Numidiæ faſſi ſunt ſe eſſe traditores. IDEM.

[f] NULLUM JUDICIUM. Nullum Concilium celebratum fuit, ut illi qui Majorinum ordinarunt, ab Eccleſia expellerentur: ſed ab ea ſponte receſſerunt. IDEM.

concilio Numidię confeſſi ſunt. Sed ne invidię eſſent, excuſata eſt [g] judicandi ſeveritas, dum majores veſtri ultrò invenerunt de reatu conſilium ut cooperto crimine ſuo, [h] quaſi ſuperbi diſcederent, quibus & dolere & erubeſcere debebatur. [i] [k] Illi namque ſi illo tempore, bono pacis unitatem facere debuerant, etiam & ipſi ab Eccleſia non fuerant repellendi, in quibus [l] neceſſitas excuſaverat voluntatem. Non enim aliqui illorum ſponte tradiderant, aut hoc peccatum [m] cum cæteris delictis poterit coæquari. Quicquid enim Deus fieri noluit, ore ſuo prohibuit, quo modo dixit, Non occides, non mœchaberis, &c. Potuit etiam hoc prohibere quod à parentibus veſtris admiſſum eſt: ſed quoniam aliud eſt quod facit animus, aliud eſt quod operatur eventus, quicquid de voluntate poteſt ab homine fieri, hoc meruit prohiberi; Quicquid neceſſitas peccat, non poteſt magnis viribus accuſari: Denique voluntas habet pœnam, neceſſitas veniam: homicida ſcelus, dum nemo cogit poteſt & facere, poteſt & non facere: adulterium mœchus, dum de foris nemo compellit poteſt admittere, poteſt & non admittere, & cætera hujuſmodi in quibus liberum habetur arbitrium. Ideo prohibita dum geruntur, judicio deſtinantur: non [n] interdicta dum aliqua neceſſitate fiunt, fortè facile dignetur ignoſcere, qui noluit prohibere. Denique hoc delictum quod quaſi capitale potuit objici parentibus veſtris, ſi illo in tempore nudarentur, aut in judicium vocarentur, poſſent ſibi exemplo non uno ſuccurrere, ubi primis temporibus aut tabulæ legis fractę, aut libri traditi eſſe leguntur vel inciſi & incenſi, & nemo damnatus eſt. Si (ut ſuprà dixi) parentes veſtri illo tempore nudarentur, ſi accuſari potuiſſent, ſine dubio dicerent, ſe nihil amplius feciſſe à Moyſe legiſlatore, quamvis non ſibi ſimilent, ſed inter ſe repugnent neceſſitas & voluntas, cùm eodem nomine legis parentum veſtrorum & Moyſi una fuerit cauſa. Poſſent dicere parentes veſtri illud ſe de neceſſitate feciſſe, quod Moyſes prior fecerit de voluntate. Qui cùm populo indignaretur, non conſideravit, quia Deus digito ſuo ſcripſerat: Et plus eſt quod ſcriptum eſt in cœlo, quàm quod in terra: Et non eſt unum quod fecit Dei digitus, & quod ſcripſit calamus humana manu compoſitus. Moyſes ferebat, quod per nubem acceperat, & parentes veſtri tradiderunt quod [o] data mercede confecerant: rectè ſe parentes veſtri defenderent, docentes capitale crimen non eſſe, ſi id feciſſe unuſquiſque eorum magno metu perterritus, quod Moyſes feciſſet iratus: Et non legimus Dominum indignatum eſſe Moyſi, nec vindicaſſe confractas tabulas quas manu ſua perſcripſerat, nec peccator appellatus

ANNOTATIONES VARIORUM.

g JUDICANDI SEVERITAS. Secundos qui præerat non auſus eſt judicare, ne ſolus remaneret, ut habetur in primo libro. ALBASP.

h QUASI SUPERBI. Quaſi alios damnantes, & quaſi innocentes, libro ſexto, *ibi modo ſuperbus inventus*, &c. IDEM.

i ILLI NAMQUE. Senſus eſt: Qui confeſſi ſunt in Concilio Numidiæ ſe codices tradidiſſe, non erant puniendi, neque excommunicandi ſi bono pacis id factum fuiſſet & ne Eccleſia divideretur. IDEM.

k ILLI NAMQUE SI ILLO TEMPORE BONO PACIS &c. Facere debuerant, id eſt, facere voluiſſent. III Coll. Aff. p. 83. *ut prius de mandatorum numero conſtet, & de partibus meis quanti mandaverint, vel quanti ſint mandaturi*, (ait Petilianus epiſc.) *id primum peto, de nobilitate tua, ut ſuperfluum nos ſtri, de numero utriuſque partis ferre debere judicium celſitudinem tuam.* Quibus ex verbis, quam redundantibus, ac ſuperfluis ſupra modum vocibus ætas illa delectata ſit, facile diſcamus. Hoc enim volebat. *Peto de nob. tua, ut de numero utriuſque partis, judicet tua Celſitudo.* Eadem Coll. p. 2. *adeſſe debere* pro *adeſſe*, & Can. eccleſ. Afric. edit. Clar. Juſtelli p. 45. *mittere dignetur, qui debeant perferre* pro, *qui perferant*. M. CAS.

l NECESSITAS. Quia tormentorum metu id fecerant. ALBASP.

m CUM CÆTERIS DELICTIS. Quæ ſponte fiunt. IDEM.

n INTERDICTA. Interdicta vocat quæ ex ſe non ſunt peccata. IDEM.

o DATA MERCEDE. Quod ſcribi curaverant. ID.

eſt, nec punitus. Sic lex à Deo profecta eſt, ut aqua de fonte dilabitur, aut poma quæ de arbore ſalva radice carpuntur. [p] Non perit quod erogatum eſt, ſi in origine ſua ſalvum eſt. Denique Moyſes poſt tabulas ſparſam legem & comminutam non damnari meruiſſet, Sina poſtea montem revocatus aſcendit, & loqui cum Deo iterum meruit, & ſecundùm legem innovatam accepit, quam prodiit titulus libri qui Græco vocabulo Deuteronomos ſcribitur, Ecce non perit in lege, quod ſalvum fuerat in origine; Sed ne cui videatur Moyſes habuiſſe meritum, ut dè colloquio quandam apud Deum fiduciam, & ideo Deum non iratum eſſe, & hoc ſi ita eſſet ſemper amicitia meritum ſuum & fructum exigere debebat. Quare in eum poſtea vindicatum eſt, quod oſtendit? non ut offenderetur leve fuiſſe illud, quod iratus admiſerat. Lex in Deo ſana fuit, & poſtquam ab homine cum tabulis lapideis facta eſt devotio quę ab homine debebatur, ubi exhibita non eſt, Moyſes illam [r] pœnam meruit, ut medio itinere moreretur ne terram promiſſionis intraret: unde conſtat non magnum peccatum poſſe computari, [ſ] quod [t] in præceptis exemplo patuit impunè committi. Hęc ſi à parentibus veſtris dicerentur, quis eis communionem negare potuiſſet? Quid ſi & illa conſequentia exempla proponerent, in quibus legitur, innovata lex cùm haberetur in arca, & populus Iſraël in prælio vinceretur. Lex quæ in arca conſilio populorum in hoſtes allata eſt, quæ ab ipſis presbyteris & cæteris filiis Iſraël defendi non potuit, & inimicis eſt tradita, dum minus eſt reportata, tradita lege qui ad ferendam dixerant, fugerunt timidi, & non leguntur poſtea in vindicta aliquid paſſi. Si à parentibus veſtris hæc ratio redderetur, quis eos à [u] communione ſua repellere potuiſſet? Quid ſi nec illa exempla tacuiſſent Principes veſtri? quibus legitur Baruch librum legis quem ex ore Hieremiæ Prophetæ exceperat tradidiſſe ſcribæ Judin, & à principibus Regis juſſum eſſe ut & ipſe Baruch qui exceperat, & Hieremias per quem Deus locutus erat fugerent & laterent, Hieremias dictabat, Baruch tradidit, fugerant ambo, ad Joachim regem liber allatus eſt, qui Rex cùm ante ſe pro qualitate temporis frigidi atulam habuiſſet ardentem, & librum à Judin ſcriba recitatum non libenter audiviſſet, ſubinde conciſum minutatim ignibus imponebat. Et non iratus eſt Deus vel Hieremiæ qui fugerat, vel Baruch qui cum eo fugiens tradiderat: Quibus ſi Deus iratus eſſet, ad Prophetam aliquem alterum loqueretur: non ad alterum, ſed ad ipſum Hieremiam locutus eſt: ſic enim legitur, *Et factus eſt ſermo Domini ad Hieremiam poſtquam combuſſit rex capitulum libri, & ſermones quos ſcripſit Baruch ex ore Hieremiæ, dixit Deus ad Hieremiam, Accipe tibi chartam alteram & ſcribe omnes ſermones tuos qui tunc erant ſcripti in libro quem combuſſit Joachim rex Juda.* Ecce nec Deus iratus eſt, nec qui arſerat perit, nec Baruch punitus eſt, nec Hieremias à Deo contemptus eſt, unde apparet, quod in hac re gravis nunquam fuerit culpa quam nunquam potuit ſequi vindicta. Si hęc

ANNOTATIONES VARIORUM.

p DENIQUE MOYSES POST TABULAS &c. Scribo *Denique Moyſ. poſt t. ſparſas legis & comminutas cum non d.* &c. quoque, *prodiit*, lege prodidit. M. CAS.

q LEX IN DEO SANA FUIT &c. Ita correximus quæ antea legebantur. *Lex in Deo ſana fuit. & poſtquam ab homine cum tabulis lapideis facta eſt devotio quæ ab homine d.* &c. M. CAS.

r AUT POENA. Alios Codices poteratis ſcribere. ALBASP.

ſ QUOD IN PRÆCEPTIS EXEMPLO POTUIT &c. Pro *præceptis* malit aliquis fortè *præſenti* vel *præcedenti ex.* Sed ego potius illis aſſentior, qui *præcepta* tabulas X. præcepta continentes, intelligunt. M. C.

t IN PRÆCEPTIS. In tabulis, quæ præcepta continebant. ALBASP.

u COMMUNIONE SUA. Quis voluiſſet eos deponere? IDEM.

parentes veſtri allegarent, quis illos à communione revocare potuiſſet? Denique cum videret Deus & à Moyſe legis tabulas fractas, & arcam hoſtibus derelictam, & poſt traditionem Baruch librum legis & inciſum eſſe & combuſtum, indicavit providentiam ſuam, & promiſit ſe legem jam non in tabulis ſcribere, nec in libris, ſed in ipſo interiori homine, hoc eſt, in mente & in corde uniuſcujuſque credentis; quomodo ſcripſerat in corde Noë, Abrahæ, Iſaac, & Jacob, & cæterorum Patriarcharum quos conſtat legitimè ſine lege vixiſſe. Quam rem probat & Beatus Apoſtolus Paulus dicens, *Scripta non attramento, ſed Spiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus.* Poſt legem à Moyſe fractam & à filiis Iſraël hoſtibus derelictam, & offerente Baruch ad Joachim regem, & conciſam & incenſam ante tempora Chriſtiana, ubi poſtea melius ſcripturus erat, legem indicavit Deus per Prophetam dicens. *Quoniam hoc eſt teſtamentum meum, quod diſponam domui Iſraël & domui Iuda, & poſt dies illos dicit Dominus, dans leges meas in corda eorum & in mentibus eorum ſcribam eas.* Promiſit hoc jam dudum & [x] proximè reddidit temporibus Chriſtianis. Ergo jam ſecundo loco eſt charta, ſecundo loco membranæ. Si à Deo lex ibi ſcripta eſt unde tradi non poſſit, ut parentes veſtri qui jam in trinitate crediderant, quamvis libros tradiderint, nec corda nec mentes tradiderint ſuas in quibus Deus legem ſuam ſcripſit, ſicuti ſe ſcripturum eſſe promiſerat, Ubi eſt ergo frater Parmeniane, quod dixiſti penitus exuſtam à Traditoribus legem? ecce nec penitus exuſta eſt, nec ex toto ſublata, dum & in cordibus credentium manet, & librorum millia ubique recitantur, [y] unde apparet te parentes tuos, quamvis per ignorantiam, fruſtra accuſare voluiſſe. Igitur ſi parentes veſtri ad tempora unitatis occurrerent tot exemplis rationabiliter redditis, & ipſi à communione repelli non poſſent, quantò vos quos conſtat traditores eſſe, ſed filios traditorum, cum patrum & filiorum & perſonæ diſcernantur & nomina, inter quas perſonas ſi non ſit communis culpa, non poteſt una eſſe ſententia: [z] [a] Quamquam & ſi illorum unitas fieret, ad Eccleſiam catholicam ſponte venirent: non ſicut vos, quos non ſine voluntate Dei adjutos eſſe conſtat, ut rediretis unde erraveratis (quamvis adhuc erretis:) ſi ad catholicam (ut dixi) ſponte veniſſent, quia traditores fuerunt, de talibus recipiendis dubitarent forſitan noſtri majores; ſed nobis lętandum eſt, quod tales uſque ad noſtra tempora minimè duraverunt. Ergo hodie negotium novum eſt, dum vobiſcum res non cum illis agenda eſt. Quamvis ab ipſis ad vos videatur hæreditaria macula eſſe tranſmiſſa, tamen in hoc titulo non poteſtis rei eſſe cum patribus veſtris, ſecundum judicium Dei, qui locutus eſt per Ezechielem Prophetam dicens: *Anima patris mea eſt: & anima filii mea eſt. Anima quæ peccat, ſola punietur.* Quę res jam & antiquis ſeculis in ipſis natalibus mundi comprobata eſt; [b] nam non pertinuit ad Seth filium Adę, patris admiſſum. Sed ne

ANNOTATIONES VARIORUM.

x PROXIME REDDIDIT. Hæc & quæ ſequuntur innuere videntur, ſine ſcriptura, quæ nobis tradita ſunt, ſufficere poſſe. IDEM.

y UNDE APPARET TE PARENTES TUOS &c. Niſi Optatum interdum parum cautè loqui & alia teſtarentur, vel eo potiſſimum nomine abjudicandum ab illo putarim ſeptimum hunc librum. Parum enim ſolida eſt tota hæc diſputatio, niſi commoda & benigna interpretatione leniatur. M. CAS.

z QUAMQUAM. Senſus eſt: etſi majores veſtri propter has rationes à communione non fuiſſent revocandi: tamèn quia peccarant, eam quærere & flagitare debebant: vos verò ultro ad unitatem eſtis invitandi, quia nihil peccaſtis. ALBASP.

a QUAMQUAM ETSI ILLORUM UNITAS FIERET &c. Scribo. *Quamquam etſi illorum u. f. & ad Eccl. C. ſponte venirent.* &c. M. CAS.

b NAM NON PERTINUIT AD SETH FILIUM ADÆ &c. Auguſt. de hæreſ. c. 19. *Sethiani nomen acceperunt à filio Adæ, qui vocatus eſt Seth. Eum quippe honorant, ſed fabuloſa & hæretica vanitate,* &c. Addit Tertull. eos Chriſtum non alium cre-

quis dicat alio loco ſcriptum eſſe, dicente Domino, mala patrum uſque in quartam progeniem additurum: Illius ſunt proculdubio ambę voces; ſed non ad unum populum ſonat utraque. Prima eſt per Moyſen ad certum genus hominum. Secunda per Ezechielem ad alterum genus hominum. Sed cum ſciret Deus Judęos apud Pontium Pilatum profeſſuros, ut dicerent: Sanguis hujus ſuper nos, & ſuper filios noſtros: de præſciencia Deus vidit pro magnitudine culpæ parum fuiſſe quod dicturi erant. Et ut competentibus pœnis lueretur offenſio, ipſis Judęis comminatus eſt, dicens ſe mala patrum uſque in quartam progeniem redditurum. Ergo hæc vox ad ſolos Judęos ſpecialiter pertinet. Cęterum, illa ad Chriſtianos, qua Deus dignatus eſt promittere non vindicare in filios, ſi quid peccatur à patribus, nec in patribus ſi quid à filiis forſitan delinquatur. Cùm & temporibus Moyſi ſine cujuſquam pœna lex iterata ſit, & arca teſtamenti ab hoſtibus ultro ſit reddita, & ab Hieremia Deo pręcipiente charta ſit altera ſcripta; Quare putatur apud majores veſtros ſolos capitale fuiſſe peccatum, in quo per tot exempla nemo damnatus eſt? Nam ſi lex ideo data eſt ut homines docerentur, non ut ipſa lex quaſi pro Deo coleretur, poſt factum patrum veſtrorum nullum damnum paſſa eſt turba credentium, unuſquiſque eorum ſub metu codices ſuos perdidit. Nam lex quę neceſſaria fuerat, valet apud doctores populorum & cultores Dei. Bibliothecę refertę ſunt libris, nihil deeſt Eccleſię, per loca ſingula divinum ſonat ubique pręconium, Non ſilent ora lectorum, Manus omnium codicibus plenæ ſunt, Nihil deeſt populis doceri cupientibus, quamvis lex non magis pro doctrina quàm pro futuro judicio ſcripta eſſe videatur: ut ſciat peccator, quid pati poſſit, ſi minus juſtè vixerit. Denique ſcriptum eſt & legitur, Quod juſtis lex data non ſit, quia unuſquiſque juſtus ipſe ſibi lex eſt. Et alio loco idem Beatus Apoſtolus Paulus dicit, quia lex non facit juſtos, ſed ipſa amat juſtitiam. Semper in omnibus rebus efficientibus effecta quæruntur. Vacat lex quæ efficit, ſi per compendium paratum eſt, quod efficitur. Denique Abrahæ non dictum eſt, Crede, ſed ultro credidit, in quo ſine lege, legis effectus impletus eſt. Non legitur, Audivit Abraham legem & credidit, ſed legitur: *Credidit Abraham Deo & reputatum eſt illi ad juſtitiam.* & primis temporibus Noë patriarcha nihil egit, unde juſtus fieret, & juſtus electus eſt, qui fabricata arca feliciter in diluvio navigaret. Longum eſt ire per ſingulos qui ſine lege inventi ſunt juſti. Hæc ſi à veſtris parentibus ſuo tempore dicerentur, quis eos à communione ſua repelleret? Qui ſi dicerent, non debere ſilentio prætetiri quod Apoſtolus de extralegalibus ait, *gentes legem neſciunt, ea quæ legis ſunt, faciunt, habent enim legem ſcriptam in cordibus ſuis.* Nam & multi probantur in lege peccaſſe, & multi bene ſine lege vixiſſe. Lex & homo duæ res ſunt, ſed pares eſſe non poſſunt. Non enim homo factus eſt propter legem, ſed lex data eſt propter homines. Nuſquam video damnum illatum Deo, dum & origo legis apud eum manet & poſtquam ſcriptura veſtris parentibus tradita eſſe dicitur, nihil deeſt, omnia membra legis ſana ſunt; ſalva ſunt, Recitantur, Nihil minus eſt de lege & docere, & do-

ANNOTATIONES VARIORUM.

didiſſe, quam Sath. Omitto quæ alii de eiſdem. Ad Optati verba quod attinet, non ego is jam, qui gravius quiſquam de viro ſancto pronuntiaverim. Id tantum dicam, vereri me, ne imprudenti & incauto illi hæc exciderint, quæ ſeverioris examinis acrimoniam ægrè ſuſtineant. Quare hanc aliis provinciam relinquo libens. M. Cas.

cere cupientibus. An illud erat magis neceſſarium ut occideretur homo, ne ſcriptura aliqua traderetur? Quid quod nec homines occiſi ſunt, & omnes ſcripturæ non deſunt? Non eſt unum lex & Deus. Si pro Deo moriendum fuerat, qui & reſuſcitare mortuos, & reddere præmium poteſt, liber non traditus de duobus his nec alterum poteſt. [c] Impedit igitur neceſſitas vires ſuas. Non minus videmus negligentiam frequenter operari, quàm neceſſitas operata eſt. Nam ſi membranæ aut libri, quibus ſcriptura legitima continetur, in totum debent illæſa ſervari, quaſi non damnantur aliqui negligentes; non eſt longe tradere à male ponere, aut male ferre, alter in domo librum poſuit, quæ domus incendio concremata eſt: damnetur qui negligenter poſuit, ſi damnandus eſt, qui poſtulandum librum territus dedit: damnentur etiam illi qui neglectas membranas aut libros ita poſuerunt, ut eos domeſticæ beſtiolæ, hoc eſt mures ita corroſerint, ut legi non poſſint. Damnetur & ille qui ita in domo poſuit ut nimietate pluviarum ſic tecta aliqua ſtillicidia deliquarent, ut omnia humore obliterata legi non poſſint: damnentur & illi qui ferentes libros legis temerari ſe rapacibus undis fluminum crediderunt, & ſe liberari cupientes ſcripturas in undis è ſuis manibus dimiſerunt. Ergo ſi ſcriptura una eſt, & hanc qui ſervare non potuit reus eſt, alter undis tradidit, alter roſoribus beſtiis dereliquit, alius ſtillicidio corrumpenda neglexit, alter metu mortis territus homo homini dedit, ſi unum eſt, quod ab hominibus admittitur: Quare eligitur, qui damnetur, cùm levior culpa ſit traditoris quàm negligentis, qui ante mures poſuit aut ſub ſtillicidio reliquit, voluntate negligens fuit, & qui in fluvio perdidit, de temeritate peccavit, qui metu mortis aliquid tradidit, homo homini dedit, integrum erat apud dantem, integrum apud accipientem. Si quis accipit, flammis tradidit, peccatum magis accendentis eſt non tradentis. Hæc ſi à majoribus veſtris dicerentur, quando illos repellere à noſtra communione poſſemus? Si etiam Antiochi Regis tempora commemorare voluiſſent, quibus omnes Judæi coacti ſunt ut libros in incendium darent, & ita univerſa ſcriptura data eſt, ut apex unus in aliquo libro minimè remanſiſſet. De Judæis illo tempore nemo damnatus eſt, nec à Deo vel ab aliquo angelo in quemquam Judæum eſt ulla dicta ſententia, quia peccatum fuerat imperantis & minantis, non populi cum tremore & dolore tradentis. [d] Qui Antiochus ne aliquid primitivo populo nocuiſſe videretur, ſtatim providit Deus, ut per unum hominem Heſdam qui lector eodem tempore dicebatur tota lex ſicut antea fuerat ad apicem dictaretur. Sic tyrannus Antiochus fructum malignitatis ſuæ habere non potuit, dum præter ſeptem fratres & unum ſeniorem carnem ſuillam manducare detrectantes, nullum Judæum occidit, & lex perire non potuit. Sic & parentes veſtri tempore ſuo nec ipſi occiſi ſunt, & libri legis dominicæ toti ubique recitantur. Si parentes veſtri, ut ſuprà dixi, hæc dicerent, quis illos in ſuam communionem non intrepide accepiſſet, ubi, ut dictum eſt, peccaverat neceſſitas non voluntas: Temporibus unitatis, principes veſtri qui probantur iſta fe-

ANNOTATIONES VARIORUM.

c IMPEDIT IGITUR NECESSITAS VIRES SUAS. Scribe *Impendit igitur* &c. id eſt, quod & mox ſequitur, *neceſſitas operata eſt*, ſequitur, *quaſi non damnantur aliqui negl.* Scribe, *quare non d. al. negligentes? Non eſt longè* &c. Sed ejuſmodi non pauca ſequebantur, quæ ne putidiores eſſemus, & ipſo contextu correximus. M. CAS.

d QUI ANTIOCHUS NE ALIQUID PRIMIT. &c. An *primit. pop.* vocat τὺς ἀρχαίους; an quem Sacra hiſtoria *primogenitum* aliquoties? Sed & *primi-*

eſſe, jam è vivis exceſſerunt, vobis hereditariam maculam relinquentes, quam prius Deus à vobis providentia ſua ſic diluit, dum inter patres & filios (ſicut ſuprà diximus) ſeparavit. Igitur quia tradere peccatum eſt, videant parentes veſtri, quid in judicio Dei reſpondeant: veſtrum tamen (qui ab aliis temporibus eſtis) peccatum eſſe non poteſt. [e] Inde eſt quod vos jam dudum in communionem noſtram [f] voluimus recipere, quia vos illo tempore non peccaſtis, ſed principes veſtri. Nam peccator talis quales fuerunt veſtri majores, ſi ad Eccleſiam veniat, & neceſſitatis ſuæ rationem oſtendat, [g] primo recipiendus eſt, deinde [h] ſuſtinendus pio ſinu matris Eccleſię. Nec quaſi ex toto ſanctus debet quis de altero judicare quia ſcriptum eſt in Evangelio, Chriſto dicente: *Nolite judicare, ne judicetur de vobis*, maximè cùm nemo ex toto ſanctus poterit inveniri. Nam ſi ſunt qui poſſint non habere peccatum, mentiuntur in oratione dominica, ſi ſine cauſâ indulgentiam poſtulant, dicentes Deo Patri: *Dimitte nobis peccata, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*: cùm Joannes Apoſtolus, & omnium conſcientias prodat, & ſuam deſignet his verbis. *Si dixerimus*, inquit, *quoniam peccatum non habemus, nos ipſos decipimus, & veritas in nobis non eſt.* Cujus dicti rationem in quarto libro manifeſtius explanavimus. Sed fac & aliquos eſſe tota ſanctitate perfectos, non licet ut ſint ſine fratribus, qui ne repellantur; evangelica præcepta declamantes, ſcriptura muniuntur. [i] Ager eſt enim totus orbis, in quo eſt Eccleſia, & ſeminator Chriſtus, qui præcepta dat ſalutaria. E contrario, homo eſt malus, id eſt diabolus, qui non in luce, ſed per tenebras ſeminat importuna peccata: & in uno agro naſcuntur diverſa ſemina: ſicut in Eccleſia non eſt ſimilis ſibi turba animarum. Ager ſuſcipit ſemina bona vel mala. Eſt diverſitas ſeminum, ſed creator unus omnium eſt animarum. Unus domini ager, ubi nata ſunt zizania. Duo ſunt auctores ſeminum: ſed ager unum dominum habet; ipſum Deum dominum. Illius eſt terra: illius ſunt bona ſemina: illius eſt pluvia. Ideo vos adductos recipere in unitate conſenſimus: quia nobis non licet vel ſeparare, vel repellere; quamvis peccatores in uno agro nobiſcum natos, quia in una pluvia, hoc eſt baptiſmate nutritos quomodo non licuit Apoſtolis de tritico zizania ſeparare; quia ſeparatio ſine exterminio fieri non poteſt; ne dum evellitur quod opus non eſt, conculcetur quod opus eſt. Pariter juſſit Chriſtus in agro ſuo per totum orbem terrarum, in quo eſt una Eccleſia, [k] & ſemina ſua creſcere: & aliena

ANNOTATIONES VARIORUM.

va pro *primogenitis* alibi quoque uſurpat vulgatus interpres. Cæterum quàm multa in paucis citra omnem hiſtoriæ fidem miro incogitantiæ exemplo ab Optato noſtro hîc dicantur, nemo tam oſcitans aut ignarus ut non ſtatim animadvertat. Ea pluribus exagitare, neque noſtri officii, neque boni fortaſſe moris fuerit. Illud ſaltem lectorem, ut obſervet monere viſum eſt, quod 2. Maccab. 8. 23. in latina vulgata *Eſdras* legatur pro *Eleazar*, quod eſt in Græco, & cum ſequentibus verbis, ſecus quam in Græcis & ipſa ratio ſuadet, conjungatur: Non id hodie & heri cæpiſſe, aut recentiorum librariorum incuria accidiſſe, ut opinati ſunt viri docti; ſed jam olim ita lectum eſſe, & antiquiſſimæ, ut ita dicam, antiquitatis errorem eum eſſe. Non enim dubium quin huic noſtro tot hallucinationum, in quas paucis lineis impingit, fons illinc & origo fuerit. M. CAS.

e PRO *Inest*, lege *Id eſt*. INCERT.

f VOLVIMVS RECIPERE. Eidem objectioni reſpondet: ſi ſumus traditorum filii, cur vultis nobiſcum communicare? ALBASP.

g PRIMO RECIPIENDVS. Primò non eſt excommunicandos. IDEM.

h SVSTINENDVS. Ejus pœnitentia expectanda. IDEM.

i AGER. Tota collatio Carthaginienſis hoc argumento concluſa eſt: ait igitur cum peccatoribus vivendum eſſe, quia Eccleſia eſt ager, qui triticum & zizania continet. IDEM.

k ET SEMINA SVA CRESCERE: ET ALIENA POST CREMENTA &c. Fuerunt qui ex his Optati verbis neſcio quam legans, novum certè mihi *poſtcrementi* verbum cuderint, & dixerint ita à noſtro appellari, *quæ poſt creverunt*. Sed de verbi elegantia non quæro. Optati certè verbum non eſt, quia ſcripſiſſe mihi conſtat, *& ſemina ſua creſcere, & aliena. Poſt crementa communia venit.* &c. Cre-

poſt

l poſt crementa communia, venturus eſt judicii dies, qui meſſis eſt animarum, ſedebit judex filius Dei, qui agnoſcit quid eſt ſuum, & quid alienum. Illius erit eligere quid condat in horreo, & quid tradat incendio: quos ad interminata tormenta deſtinet: & quibus promiſſa præmia repręſentet. Agnoſcamus nos omnes homines eſſe. Nemo ſibi uſurpet divini judicii poteſtatem. m Nam ſi ſibi totum vindicet quivis Epiſcopus, dicatur quid in judicio acturus eſt Chriſtus? Satis ſit homini, ſi de peccato ſuo reus non ſit, quàm ut de alieno judex eſſe deſideret. Profeſſio denique noſtra eſt, non ſolum vos non repellere, ſed etiam parentes veſtros ſi eorum temporibus contingeret & unitas fieret, bonum pacis non repellere; Nefas eſt enim, ut Epiſcopi faciamus quod Apoſtoli non fecerunt, qui permiſſi non ſunt vel ſemina ſeparare, vel de tritico zizania evellere. Quòd ſi de recipiendis vobis Catholica dubitaret, nonne vos debuiſtis unitatis adſequi formam? Sed exempla in Evangelio lecta proponere noluiſtis: ut eſt lectio de perſona beatiſſimi Petri; ex qua, n forma unitatis retinendæ vel faciendæ deſcripta recitatur. Equidem malum eſt contra interdictum aliquid facere: ſed pejus eſt unitatem non habere cùm poſſis. Quam unitatem, ipſum Chriſtum videmus præpoſuiſſe vindictæ ſuæ, qui magis omnes diſcipulos ſuos voluit in uno eſſe, quàm quòd offenſus fuerat vindicare: o dum nollet ſe negare, promiſit ſe apud Patrem negaturum eſſe, qui ſe negaret apud homines. Et tamen non ſe promiſit puniturum ſcripturam aliquam qui tradiſſet. Gravius eſt enim negare eum qui locutus ſit, quàm tradidiſſe verba quæ locutus ſit. Et cùm hæc ita ſcripta ſunt, tamen bono unitatis B. Petrus, cui ſatis erat ſi poſt quod negavit, ſolam veniam conſequeretur: & præferri Apoſtolis omnibus meruit, & claves regni cœlorum communicandas cæteris, ſolus accepit. Bono unitatis, ſepelienda eſſe peccata hinc intelligi datur, quod beatiſſimus Paulus Apoſtolus dicat charitatem poſſe obſtruere multitudinem peccatorum: *Onera veſtra*, inquit, *invicem ſuſtinete.* Ecce alio loco ait. *Charitas*, inquit, *magnanimis eſt: charitas benigna eſt: charitas non zelatur: charitas non inflatur: non quærit quæ ſua ſunt.* Et bene dixit. Hęc enim omnia viderat in Apoſtolis cæteris, qui bono unitatis, per charitatem noluerunt à communione Petri recedere, ejus ſcilicet qui negaverat Chriſtum. Quòd ſi major eſſet amor innocentiæ, quàm utilitas pacis & unitatis, dicerent ſe non debere communicare, ut ſuprà dictum eſt, beatiſſimo Petro, qui negaverat magiſtrum, & Dei filium Dominum. Poſſent non communicare (ut ſupra dictum eſt) beatiſſimo Petro: poſſent contra illum recitare verba Chriſti, qui promiſerat negaturum ſe eſſe apud Patrem, eum

ANNOTATIONES VARIORUM.

menti vox (ſi quis dubitat) ab idoneis patronis, Tertull. Cypriano, & aliis ſi opus, aſſeratur. M. CAS.

l POSCREMENTA. Dicit quæ poſt creverunt. INC.

m NAM SI SIBI TOTUM. Quid quęſo Chriſtus in die judicii ſeparabit, & judicabit, ſi Epiſcopus omnes peccatores velit ſeparare ab Eccleſia? ALBASP.

n FORMA UNITATIS RETINENDÆ. De hac eadem unitatis formâ ante Optatum præclarè Cyprianus lib. de unitate Eccleſiæ. *Ut unitatem manifeſtaret, unam cathedram conſtituit, & unitatis ejuſdem originem ab uno incipientem ſua autoritate diſpoſuit. Hoc erant utique & cæteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio præditi honoris, & poteſtatis; ſed exordium ab unitate proficiſcitur, ut eccleſia Chriſti una monſtretur, & paſtores ſunt omnes, ſed grex unus oſtenditur, qui ab apoſtolis omnibus unanimi conſenſione paſcatur*, &c. Hoc etiam egregiè concinit Pacianus Optato Coætaneus epiſt. 3. *Ad Petrum locutus eſt dominus, ad unum ideo, ut unitatem fundaret ex uno, mox idipſum in commune præcipiens.*

o DUM NOLLET SE NEGARE PROM. &c. *Promiſit* pro *minatus eſt*; ut apud Luciferum Calar. pro S. Athan. lib. 1. *Sicut promiſtis ſpernentibus ſe*

qui ſe coram hominibus denegaſſet. Ad quam formam debet diligenter attendi, de qua dum pauca commemoro, ipſius ſancti Petri beatitudo veniam tribuat. Si illud commemorare videor quod factum conſtat & legitur, dubito dicere peccaſſe tantam ſanctitatem, ſed ipſe hoc factum probat, qui & doluit amarè, & flevit ubertim, qui nec doleret, nec fleret, ſi nulla interveniſſet offenſio. Potuit utique caput Apoſtolorum ita ſe gubernare, ut nihil incurreret quod doleret: ſed ideo [o] in uno titulo ejus multa videntur errata, ut poſſit oſtendi bono unitatis omnia debere Deo ſervari. Et neſcio an in altero hoc genus peccati, tanti ponderis eſſe poſſit, quanto in beato Petro fuiſſe manifeſtum eſt. Quiſquis enim fortè in aliqua perſecutione negavit filium Dei, in comparatione beati Petri videtur levius deliquiſſe ſi negavit quem non vidit; ſi negavit quem non agnovit; ſi negavit cui nihil promiſit: ſi ſemel negavit. Nam in beato Petro hoc genus peccati dilatatum eſt: primò quod cum interrogaret Chriſtus omnes quem ſe homines dicerent, unus dixit Heliam: alter dixit Prophetam: Tunc Chriſtus dixiſſe legitur: Vos quem me dicitis eſſe? Et ait illi Petrus: Tu es Filius Dei vivi. Pro qua agnitione laudari ab eo meruit, quod inſtinctu Dei Patris hoc dixerit. Et cæteris non agnoſcentibus Filium Dei, ſolus Petrus agnovit. Deinde ſub die paſſionis, cum diceret Chriſtus: ecce teneor, & fugietis omnes: tacentibus cæteris, ſolus ſe promiſit non receſſurum: de preſcientia Filius Dei ait: Petre, antequam gallus cantet, ter me negabis. Additum eſt aliud ad pondus peccati, promiſſum ſcilicet quod non erat impleturus: poſtea quàm in domum Caiphæ Sacerdotis ductus eſt Chriſtus, ad menſuram delicti complendam, de tanto numero nullus alius interrogatur præter beatum Petrum. Interrogatus primò negat: interrogatus iterum negat: tertio dixit ſe Chriſtum omnino non noſſe. Et cantavit gallus: non ut tempora cantu ſuo diſtingueret, ſed ut peccaſſe ſe beatus Petrus agnoſceret. Denique doluit amarè, & flevit ubertim. Ecce, ut ſuprà dictum eſt, cæteris non agnoſcentibus, ſolus agnovit: cęteris non promittentibus, ſolus promiſit: cæteris nec ſemel negantibus, ter ſolus negavit. Et tamen bono unitatis, de numero Apoſtolorum ſeparari non meruit. Unde intelligitur omnia ordinata eſſe providentiâ Salvatoris, ut ipſe acciperet claves. Intercluſa eſt malitiæ via, ne Apoſtoli animo licentiam judicandi conciperent, & ſeverè contemnerent eum, qui negaverat Chriſtum. Stant toti innocentes, & peccator accipit claves, ut unitatis negotium formaretur. Proviſum eſt ut peccator aperiret innocentibus, ne innocentes clauderent contra peccatores: & quæ neceſſaria eſt unitas, eſſe non poſſet, hæc ſi commemoraretis, communicare cupientes, quando vos Catholica pio ſinu ſuſcipere dubitaret Eccleſia? cum conſtet vos non Traditores eſſe, ſed filios Traditorum? Nam aliqui ex vobis volentes nos populis ſuis contemnendos oſtendere, & jam illud miſcent [p] tractatibus ſuis quod à Salomone Propheta dictum eſt. *Muſcæ morituræ exterminant olei ſuavitatem*: & quaſi muſcas morituras nos appellant: & [q] oleum nominant, illum ſcilicet liquorem, qui ex nomine Chriſti conditur: quod chriſma poſtquam conditum eſt

ANNOTATIONES VARIORUM.

dominus, & iterum paucis interſertis, *ſi hæc Heli ſunt promiſſa propter delictum filiorum.* &c. M. CAS.

[o] IN UNO TITULO. In uno peccato. ALBASP.

[p] TRACTATIBUS. *Tractare* eſt Epiſcoporum, valetque *concionari*, ſic *tractatorem* infrà hac pagina dixit, *inſinuandi alicuius rei cauſa, non tamen tractandi quod eſt Epiſcoporum.* Sic Origenem *tractatorem*, ni fallor, (nam liber ſcribenti non eſt ad manum,) vocat omnium Epiſcoporum Galliæ politiſſimus Sulpitius Severus. INCERT.

[q] OLEUM. Ita noſtri Hæretici per contemptum chriſma vocant oleum. ALBASP.

nominatur. Antequam fiat, adhuc oleum eſt : natura ſimplex ſit, & ſuave eſt, dum de nomine Chriſti conditur. Ergo tres res ſunt quas Salomon Propheta nominavit : oleum, ſuavitatem, & muſcas morituras exterminantes ſuavitatem. Iſtę tres, loca ſua habent in ordine. Primo loco eſt oleum: ſecundo ſuavitas de confectione : tertio, muſcæ morientes exterminantes ſuavitatem. Quiſquis eſt talis tractator ex vobis, probet quomodo nos muſcas morituras appellat. Si apud vos putatis eſſe confectionem quę det oleo ſuavitatem : eſt apud vos oleum & ſuavitas. Nunquid nos exterminamus oleum veſtrum, ut meritò nos muſcas morituras appelletis ? Quod veſtrum eſt, apud vos eſt. Et ſi à vobis ad nos aliquis tranſitum fecerit : [r] ſic à nobis ſervatur, quomodo à vobis dimittitur : quomodo dicitis quia nos ſumus muſcę morituræ ſuavitatem olei corrumpentes, cum poſt vos nihil tale facimus ? Aut ſi à nobis dicitis ſuavitatem olei corrumpi poſſe : [ſ] aut poſſumus aliquid, & damus oleo ſuavitatem. Aut ſi non, ut vultis, nihil poſſumus : remanſit oleum tale eſſe, quale & natum eſt. Quomodo dicitis quia nos ſumus muſcæ morituræ, corrumpentes ſuavitatem olei ? Igitur oleum antequam à nobis conficiatur, tale eſt quale natum eſt : confectum, ſuavitatem ex nomine Chriſti accipere poteſt. Quomodo poſſumus uno facto & conficere, & corrumpere ? Reſtat ut ſi oleum de ſe ſuave ſit, vacet quod agitur ab hominibus, ſi ab homine in nomine Chriſti conficiatur, non poteſt idem operarius duas res repugnantes & contrarias ſimul facere. Vobis abſentibus ſi conficimus, non corrumpimus. Si corrumpimus, quis ante nos confecerat quod corrumperemus ? Quare, ne vacet dictio Prophetæ (ſi ita eſt) intelligite quia vos eſtis muſcæ morituræ. Vos enim exterminaſtis non quod natum eſt, ſed quod confectum eſt, ſuavitas enim legitur non natura poſſe corrumpi. Oleum enim ſimplex eſt, & nomen ſuum unum & proprium habet : confectum jam chriſma vocatur, in quo eſt ſuavitas, quę cutem conſcientiæ mollit, excluſa duritia peccatorum: quæ animum innovat lenem : quæ ſedem Spiritui ſancto parat, ut invitatus illic, aſperitate fugata, libenter inhabitare dignetur. Hæc eſt ſuavitas olei, quam poſſunt muſcæ morituræ corrumpere. Si nos exterminaremus à vobis confectum oleum, meritò nos muſcas morituras appellare poſſetis : ſed dum quod à vobis unctum eſt, tale ſervamus, quale ſuſcipimus : muſcæ moriturę eſſe non poſſumus. Sed dum vos invidiæ tempeſtatibus impulſi, quaſi in oleum caditis, vos exterminaſtis in rebaptizatione ſuavitatem olei illius quod in nomine Chriſti confectum eſt, unde condirentur mores : unde incenderetur lumen mentis, ad ſalutarem & veram intelligentiam. Vos exterminaſtis rem ubi oleum fuit & ſuavitas. Nos quomodo potuimus corrumpere ſuavitatem, quę ante nos à nullo confecta eſt ? Seduxiſtis homines ; rebaptizaſtis ; iterum unxiſtis. Proh dolor ! non ſine morte veſtra, exterminaſtis quod fuerat de nomine Chriſti confectum, more muſcarum, quæ pereuntes exterminant ; [t] quia mors eſt peccatum, quod non habet indul-

ANNOTATIONES VARIORUM.

r SIC A NOBIS SERVATUR. Non rebaptiſatur. ALBASP.

ſ AUT POSSUMUS. Si damus oleo ſuavitatem, aliquid poſſumus, & ita poſſumus baptiſare : ſi nihil damus, oleum apud nos non fit ſuave. IDEM.

t QUIA MORS EST PECCATUM &c. Diſtinguo, *quæ pereuntes exterminant. Quia mors eſt peccatum, quod non habet indulgentiam*, ſcriptum eſt, *Quia qui peccaverit* &c. τὸ *quia* è ſuperiore fortaſſe verſiculo repetitum, ubi [illegible] &c. Quo plenius probet Optatus verba illa de muſcis morientibus ſuavitat. olei exterminantibus in Donatiſtas competere, poſtquam jam probavit, illos ſuavitatem olei corrumpere, dum ritè baptizatos rebaptizabant, etiam in eo muſcas imitari addit, quod & ipſi *morientes* id agant. Quare autem *morientes & morituri* ? quia peccatum quod rebaptizantes admittunt, *non habet indulgentiam*, id eſt

gentiam. Scriptum eſt, *quia qui peccaverit in Spiritum ſanctum, non remittetur ei, hic, nec in futuro ſaculo.* Ergo cum & falſo nos muſcas appelleris, & omnia quę à nobis fiunt, diſſolvere properetis, & nos contemnendos aut deſpiciendos eſſe dicatis, vobis ſolis ſanctitatem vindicantes; innocentiam proponitis veſtram, ut promittatis vos aliena poſſe donare peccata. Videris igitur non de nobis, ut diſputatis, ſed de vobis dixiſſe beatiſſimum Paulum Apoſtolum: *Erunt*, inquit, *homines ſeipſos amantes, cupidi, gloriantes ſibi, ſuperbi, blaſphemi, parentibus non obedientes, ingrati, ſceleſti, pacem non cuſtodientes, ſine affectu, detractores, immites, ſine benignitate, & cætera.* Nam illud quale eſt, quod pro arbitrio tuo Moyſi vobis imponere voluiſti perſonam; contra quem Jamnem & Mambrem obſtitiſſe commemorat Apoſtolus Paulus. Si ita eſt, quæ apud vos veritas inveniri poteſt, cui Catholica videtur obſiſtere? Aut quod apud nos eſſe mendacium poteris approbare in una communione eſſe cum toto orbe terrarum? [u] Numquid poteris approbare mendacium, ſymbolum verum & unicum retinere & defendere? Numquid poteris approbare mendacium [x] Cathedram Petri, & claves regni cœlorum à Chriſto conceſſas, ubi eſt noſtra ſocietas? Numquid poteris approbare mendacium in ipſa lectione quę commemoraſti inter ipſas perſonas? Conſidera ordinem rerum: & qui fuerit prior attende. Utique Jamnes & Mambres ſecundo loco ſunt; qui contra Moyſem & veritatem falſis artibus militare voluerunt: & antecеſſerat Moyſes, cujus virtutes impugnare fruſtrà conati ſunt. Ut Moyſes prior eſt, ſic Catholica prior eſt. Ut Jamnes & Mambres repugnantes obſtiterunt: ſic & vos rebelles contra veram Catholicam militatis. Quid eſt ergo quòd nomina & nobis & vobis mutare voluiſtis, niſi ut te ſociis tuis comparares æqualem? [y] Sunt enim aliqui ex vobis qui obliti aut ignari præteritorum temporum, eos jamdudum qui de catholica lapſi Majorinum ordinaverunt: illi ſcilicet

ANNOTATIONES VARIORUM.

irremiſſibilia, peccatum autem quodcumque eſſe irremiſſibile, *mortem* eſſe nemo dubitat; ſed tamen hinc non magis liquet, quam ſi nihil adduxiſſet, quo probaret. Deinde qui potuit Optatus dicere, rebaptizantium Donatiſtarum peccatum, condonari non poſſe? Quare niſi commodior aliqua interpretatio horum verborum poſſit excogitari, expungenda iſta omnia putaverim tanquam ſpuria, *ſcriptum eſt quia qui p. in ſp. ſ. non rem. ei nec hic nec in fut. ſæculo.* Ut iſta ſit Optati verborum ſententia: rebaptizantes contra divina præcepta graviſſimè peccant: peccatum autem *quod non habet indulgentiam* (id eſt quamdiu ſeu quodcunque non eſt expiatum, & remiſſum) *mors eſt*, Ergo vos non ſine morte veſtra &c. Non mirum autem ſi Lector, qui verba iſta *quod non habet indulg.* de peccato ἀσυγχωρητῷ ἢ ἀσυγχωρήτῳ acceperat, locum Script. qui eò pertinebat, in margine notaverit. In margine autem ſemel notatum, poſtea in ipſum textum receptum eſſe, multò minus eſt quod miremur. Et de iſtis ſ. ſcrip. verbis plane ita ſentio, locum hic habere non poſſe. Iſtorum autem Optati verborum, alium eſſe ſenſum, aliamque Optati fuiſſe ſententiam, quam quem mallemus. ac lectori libenter commendaremus, Optat. ipſe docebit lib. 5. *abſit ut ſp. ſ.* &c. vide & incerti auctoris *brevia ſil.* contra Arr. à V. CL. nuper vulgatum, circa finem, *Nam quicumque* &c. M. CAS.

u NUMQ. P. APP. M. IN IPSA L. QUÆ C. &c. Ut hæc ſcripta, immo quomodocumque ſcribas, aut mutes, ne Oedipus q. aut Apollo ipſe quicquam ſani ex iis eliciat, aut integritati reſtituat. Quare longè eſt arceſſenda huic loco medicina; ſed ea tamen certa, ac minimâ, immo omnino nullâ, niſi punctorum diſtinctioni ſervientium, mutatione. Sciat igitur Lector, multas retrò periodos etſi non eadem obſcuritate, eodem tamen falſæ diſtinctionis vitio laborare, qua hæc, quæ reſtituere, niſi rectè illis conſtitutis, non poſſumus. Totus igitur locus ita concipiendus eſt. *Si ita eſt*, (hinc enim depravationis per aliquot ſententias continuatæ origo:) *qua apud vos veritas inveniri poteſt, cui Cathol. videtur obſiſtere; aut quod apud nos eſſe mendacium poteris approbare? In una communione eſſe cum toto orbe terrarum, nunquid poteris approbare mendacium? Symbolum verum & unicum retinere & defendere, nunquid poteris appro. mendacium? Cathedram Petri & claves regni cœlorum à Chr. conceſſas, ubi eſt noſtra ſocietas, nunquid poteris approb. mendacium. In ipſa lectione qua* (ſ. *quam*) *commemoraſti, inter ipſas perſonas conſidera ordinem rerum qui fuerit prior, attende. Utique* &c. M. CAS.

x CATHEDRAM PETRI. Ex eo quòd cum Epiſcopo Romano communicat, infert, ſe non poſſe errare neque falſum ſymbolum docere. ALBASP.

y SUNT ENIM ALIQUI EX VOBIS &c. Ad illud, *Cum adhuc.* Aliquid hîc deeſſe primo ſtatim intuitu facile quivis agnoſcat. Haud multum tamen eſſe, quodcumque deeſt, ex attenta totius loci ad

auctores ſchiſmatis & traditionis. Cum adhuc retinerent pacem antequam exterminarent Deo placitam unitatem, fuerunt lumen mundi, & ſal terræ meritò appellabantur. Dum docerent pacem, adhuc pacifici vocabantur.[z] Antequam inflati eſſent, beati erant. De paupertate ſpiritus, pars erant condimenti. Beati erant, dum mites, pars fuerant condimenti. Beati dum juſti, pars erant condimenti. Beati dum pacifici, totum fuerant condimentum. Poſtea quàm erroris divitias dederunt ſpiritui & pulmonibus ſuis, facientes ſchiſma, immites inventi ſunt: & minus miſericordes dum impiè membra Eccleſiæ diviſerunt: & injuſtitiam ſecuti, regnum Dei pro faſtidio habuerunt; Et dividendo Eccleſiam noluerunt eſſe pacifici, ipſi facti ſunt ſal infatuatum, ex quo nihil condiretur, quod Deo de ſuavitate placuiſſet. Et cum hoc malum pertineat ad principes veſtros, à quibuſdam ſociis tuis aliter diſputatur, ut dicant inſipientes fuiſſe eos qui agnoverint vel ſero veritatem, & ab ſchiſmate recedentes, agnita matre Catholica ſecuti ſunt pacem. Hos putant aliqui veſtrûm erraſſe; hos exiſtimant quaſi infatuatos à ſapientia receſſiſſe. Unde apparet vos omnes eodem modo errare in nominibus transferendis: dum & tu Jamnem & Mambrem pacificis Catholicis comparaſti. Et vos ſchiſmaticos Moyſi quod à veritate alienum eſt, & aliqui ſocij tui inſipientes, de ſapientibus judicare voluerunt, ut dicant fatuos factos eſſe pacificos; & parentes ſuos de diſſenſione infatuatos eſſe, intelligere noluerunt.

ANNOTATIONES VARIORUM.

finem uſque conſideratione, volenti ac diligenti liquebit. Sententiæ certè haud ulla eſſet, nexuſve junctura, etiamſi plura abeſſent; iſta nimirum omnia, *ſunt en. al. ex vo. qui obl. aut ign. præt. t. eos jamdudum*: atque inde periodus inciperet. *Qui de Catholi.* vel, *illi jamdudum qui de Catholica* &c. Præcedentium enim verborum ſenſum & materiam poſtea repetit, neque hic præmitti neceſſe fuit. Ego ſenſum ita expleo, (nam verba per me liberum ſit unicuique prout ipſe maluerit) *ſunt enim aliqui ex vobis, qui obliti, aut ignari præteritorum temporum iis nos jam dicunt, quæ pertineant ad eos jamdudum, qui de Cath. lapſi M. ordinaverunt. Illi ſcilicet auctores ſchiſmatis, & tr. cum adhuc retin.* &c. Qui ſi legas, *ſunt n. al. ex v. qui obl.* ſunt ſcil. *aut ign. p. temporum; eos jamd. qui de Cath. l. M. ordinaverunt: illos ſcilicet, vel fuiſſe: auctores ſchiſmatis & traditionis. Illi ſcilicet auctores ſchiſmatis & tradit. Cum adhuc* &c. Sane qui Optati priores cum hac meliori ac ſecunda Balduini editione contulerit, reperiet hanc potiſſimum omnium, eorumque plurimorum hiatuum ac lacunarum hoc in libro ſegetem fuiſſe, quoties eædem ſyllabæ, vel verba, vel denique verſus integri proximè repetiti conſequebantur. Sed ſententiæ ſi nihil deeſſe impetro, in verbis reſtituendis ingenium ſuum, qui volet, exerceat. M. CAS.

z. ANTEQUAM INFLATI SCHISMATICI ESSENT. Tertull. de Monogam, *cum inflamur & extollimur adverſus olerum*. ALBASP.

FINIS.

FRANCISCI BALDVINI IC.

PRÆFATIO AD LECTOREM

PRÆFIXA EDITIONI OPTATI.

AD hiſtoriæ Africanæ hiſtoriam veterem pertinent Optati Milevitani & Victoris Vticenſis libelli. Neque negavero in eorum lectione tenendam quoque eſſe univerſæ Africæ Geographiam. Sed ut ex illa eius deſcriptione, quam Strabo, Mela, Plinius, Ptolemæus olim edidere, fateor aliquid lucis accedere hiſce libellis, ſic ex his viciſſim dico illam ipſam eiuſque & fines & urbes rurſus illuſtrari. Addo etiam non modo ipſum Oroſium lib. 1. cap. 2. ſed & noſtrum poſtremo Iuſtinianum in l. 1. & 2. C. de offic. Præf. Præt. Afr. ubi cùm novum & proprium Africæ regendæ, quam Vandalis eripuerat, Præfectum Prætorio daret, cuius ſedes eßet in urbe Carthaginenſi, enumerat quas eſſe vult ſeptem illius provincias, & ſingularum veluti metropoles.

Ac quidem in Concilio Milevitano non niſi quinque enumeratæ fuerant. Sed Iuſtinianus primo loco adiungit, quam vocat Zeugi. Vulgo impreſſum eſt mendoſè Tingi. Nam hæc potius eſt ipſius Mauritaniæ, quæ & Tingitana propterea dicitur. Zeugitanæ autem provinciæ in Africa ſæpe etiam meminit Victor Vticenſis, ut & Plinius. Secundam autem Africæ Provinciam Iuſtinianus vocat ſimpliciter Carthaginenſem: quam & antea vocatam eſſe Proconſularem admonet. Certè Optatus & Victor Proconſularem appellare ſolent: atque ita quoque ſæpe nominatur in Codice Conſtitutionum. Reliquas Africæ provincias, quæ nominantur in Synodo Milevitana, & ſparſim in hiſce libellis Optati & Victoris, nominat ſimiliter Iuſtinianus, Tripolitanam, cuius Ducem in Lepti magna ſedere vult; Byzacenam, cuius Dux in Capſa & Lepti altera ſedeat; Numidiam, cuius Dux in urbe Conſtantinenſi; Mauritaniam, cuius Dux in Cæſarienſi; poſtremoque Sardiniam inſulam, quam Africanæ quoque diœceſeos eſſe iubet. Nam & hanc cum Corſica Vandalus Africæ Tyrannus antea occupaverat, ut Victor lib. 1. narrat.

Cæterum factum eſt ignorantia geographiæ Africanæ, ut cum noſter Optatus dicitur Milevitanus, quidam non modo dubitarint, cuias eſſet, ſed & finxerint eſſe inſularem. Equidem cum Donatum illum, qui à caſis nigris dicitur, fuiſſe Numidam admonui, ſic & Optatum Donati adverſarium, Numidiæ Epiſcopum intelligi, cum Milevitanus dicitur, adieceram: neque quemquam hominem literatum id negaſſe putabam. Et ecce audio, quibuſdam etiamnum videri (quo nihil ſtultius fingi poteſt) potius fuiſſe Melitenſem. Nam Quintinus Heduus,

qui ſuperioribus annis docebat Ius (ut vocant) Canonicum in ea Schola, in qua nunc doceo Ius civile, doctor profectò Canonum minime illiteratus, cum Melitam Inſulam deſcriberet, & (ut in ea educatus cum Rhodiis, ut appellantur, Equitibus aliquando fuerat) laudare vellet, ſcripſit, Concilium, quod Milevitanum dicitur, fuiſſe Meliteńſe: & Milevitum urbem neſcio quam dici à Melita. Riſi, cum id legi, viſumque mihi eſt tam monſtroſum, quàm ſi quis diceret Concilium Sardicenſe fuiſſe Sardinienſe: proptereaque nemini probari id poſſe putabam. Sed tantò magis miratus ſum, cum audivi noſtrum Quintinum non modo multis ſuis auditoribus perſuaſiſſe, ſed & illi Conciliorum Conſarcinatori Colonienſi: qui ſimiliter præmonet Concilium Milevitanum habitum eſſe in Inſula, quę nunc Malta dicitur. Itane verò? Ego navigando nunquam ad littus Africæ tam propè acceſſi, quam Doctor Quintinus ſuorum Equitum claſſem ſecutus. Et tamen ſcio non poſſe eum evincere, quod affirmat, niſi ſi evincat & probet, vel Numidiam eſſe in Melita inſula, vel Melitam inſulam eſſe in Numidia. Vereor etiam, ne quis naſutus hic obiiciat, quod Lucianus falſè ſcripſit, ſeſe imperitia cuiuſdam partim Geographi, partim hiſtoriographi, repente ex Græco factum eſſe Babylonium, patriamque ſuam ab Helleſponto avulſam cum ipſis mœnibus & turribus tranſlatam eſſe in mediam Meſopotamiam. Sed quid diceret Optatus, quid Patres Milevitani, ſi iam audirent ſeſe ex Milevi Numidiæ deportari in inſulam Melitam, ut olim damnati, in Sardiniam. Sanè, ut Optatus, cum Concilium Numidię vocat, intelligit quoddam Cirtenſe: ſic Auguſtinus Milevitanum ſolet appellare Concilium Numidiæ, veluti in epiſt. 47. & 92. & 94. & 95. atque ut Milevitani Patres profitentur ſeſe ex Concilio Numidiæ ſcribere ad Innocentium Papam, ſic Innocentius in ſuo ad eos reſponſo ait ſibi ſcriptum eſſe ex Concilio Milevitano. Equidem hæſi aliquando, cum quærerem locum in Numidia, cuius appellatio propius etiam quam Melitæ, accederet ad Milevitanum. Tandem commode incidi in Auguſtini epiſt. 168. qui Milevim oppidum vocat. Sed & cum in Carthaginenſi Synodo Cypriani, ubi Epiſcopi Numidiæ dicunt ſuam ſententiam de anabaptiſmo, legerem inter eos numerari & nominari quendam Pollianum à Mileo, ſicuti impreſſum legitur in libris Cypriani: & ſuſpicarer de aliquo mendo, conii ceremque legendum potius eſſe, Pollianus à Milevi: conſului alteram ſcripturam Actorum illius Concilii, quæ ſimiliter recitantur ab Auguſtino libr. vj. de Baptiſ. reperique apud eum ita ſcriptum eſſe, ut ſcribendum eſſe divinaram: & cum illo Polliano à Milevi, in eodem Concilio paulò ante nominari alios duos eiuſdem Numidiæ antiſtites, Felicem à Bagai, & Creſcentem à Cirta. Credo, ne Quintinum quidem dubitare de Cirta Numidiæ. Si de Bagai aliquis dubitat, legat Donatiſtarum Concilium Bagaitanum apud Auguſtinum lib. 3. contra Creſcon. cap. 53. & 56. & Milevitanum à Milevi, ut Bagaitanum à Bagai dici, agnoſcat. Sed neque Milevim aut Bagaim quiſquam magis miretur à nobis referri inter oppida Numidiæ, quàm Tuburbim aut Curubim inter oppida Africa, à Plinio, lib. 5. cap. 4. Denique notum eſt quod idem Plinius ait, populorum Africæ oppidorumque nomina vel maximè ineffabilia eſſe præterquam ipſorum linguis. Id verò magis dixerit, qui Optati & Victoris libellos, quos edimus, legerit. Equidem non dubito facile probari omnibus, quod in Poſſidio de vita Auguſtini obſervavi Eccleſiam Cittenſem pro Cirtenſem mendoſe legi: ut & in noſtris Pandectis Flor. fit mentio Reip. Cirtenſium, cum in aliis libris vicioſè ſcriptum ſit, Cyrenenſium l. ix. De iur. & facti ignor. Quis propterea ferat Cirtam ex Numidia transferri in Cyrenaicam? Iure profectò ipſe Quintinus explicans Zonaram de Canon. Apoſt. irridet eos, qui ex Carchedone, id eſt, Carthagine, finxerunt aliquando Calchedonem: neque negabit eadem reprehenſione dignos eſſe, qui Byzacium, quod eſt in Africa, ſomniant eſſe Byzantium in Thracia: & tali mendo libros quoque Iuris contaminarunt. Nunc iudicet,

plauſum an riſum in auditorio Iuris, mereatur, qui Milevim in Melitam tranſformat. Tot hac de re verba non facerem, niſi ſi auditoribus Quintinianis error tam ridiculus verbo uno eripi non poſſet, minus licet coloris habeat, quàm ſi quis dicat Milevitanum Concilium dici abs Melitena illa Armeniæ metropoli, quam tantopere predicat noſter Iuſtinianus in Nov. 31. Nam & cuiuſdam Synodi Melitinenſis meminit Sozomenus lib. 4. cap. 24. Melitenſis alicuius aliquem olim meminiſſe nuſquam legi. Et quid tandem mentis fuiſſet Afris Patribus, ſi relicta tota ſua Africa, ubi longe aliud habebant, quod agerent, periculoſa per medias Syrtes navigatione traieciſſent in illam aridam & anguſtam inſulam, ut ibi tanquam in carcere incluſi, & toto diviſi orbe, deliberarent de rebus ad Eccleſiam Africanam pertinentibus, & in medio mari tranſmarinas appellationes (nam eas reprimit Synodus Milevitana) inhiberent. Ergo neque nobiliſſimæ illi Synodo, neque Optato noſtro hanc iniuriam ridicula fictione fieri patior. Vt autem Optato dem ſucceſſorem: Auguſtinus in epiſt. 34. ad Paulinum laudat beatiſſimum (ut vocat) Severum, ſuum condiſcipulum, antiſtitem Eccleſiæ Milevitanæ, bene (inquit) apud eandem civitatem fratribus cognitum. Idem Auguſtinus libr. 3. contra Petil. cap. 38. meminit damnati cuiuſdam Honorii Milevitani in Africana Eccleſia. Denique Fauſtum illum Manichæum, gente Afrum, civitate fuiſſe Milevitanum ait, hominem (inquit) acuti ingenii, & expolita linguæ, ſed nequiſſimum calumniatorem Chriſtianæ religionis.

Si ferre non potui Optatum noſtrum ex Milevitano fieri Melitenſem, aut ex Numida inſularem, multò minus ferre debeo confundi cum aliis Optatis. Mitto illum Optatum Donatiſtam, quem in Synodo Bagaitana, & Optatum Catholicum, quem in Cirtenſi celebrari audio ab Auguſtino. Celebrior fuit & famoſior Optatus Gildonianus, cuius & ſæpius meminit Auguſtinus. Sed quis non indigne ferat, quoſdam hodie Gildonianum à Milevitano non diſcernere, cùm inter eos tantum interfuerit, quantum inter Donatiſtarum ducem ſceleratiſſimum, & Catholicæ Eccleſiæ ſanctiſſimum antiſtitem. Si quis roget, cur ille alter dicatur Gildonianus, reſpondebo quod Auguſtinus lib. 2. contra Petil cap. 92. ſcribit, Optatum illum de ſatellitio Gildonis accuſatum, pœnas dediſſe terribili mortis genere extinctum: ſicuti & leges noſtræ non modo Gildonem illum tyrannum, qui in Africa adverſus Imp. Honorium arma ſumpſit, ſed & eius ſatellites perſequi ſe profitentur. L. 19. C. Th. de pœn. l. 19. C. Th. de bon. proſcript. Sic & in l. 7. C. Th. de metat. dicuntur confiſcata prædia Gildonis hoſtis publici, & ſatellitum eius: eſtque lex Honoriana ad Pompeianum Proconſulem Africæ data Mediolani.

Qualem autem ipſe Claudianus elegantiſſimis verſibus deſcribit fuiſſe Gildonem illum in Africa tyrannum & latronem, talem & Auguſtinus Optatum quendam Donatiſtam, eius ſatellitem, quem propterea plerumque Gildonianum vocat. Verum etſi interdum non addat Gildonianum, & ſimpliciter vocet Optatum, tamen tam nefarium nebulonem fuiſſe teſtatur, ut ipſos etiam Donatiſtas eius puderet. Quàm valdè autem talem Optatum, ut debet, deteſtatur, tam etiam vehementer Optatum noſtrum Milevitanum laudat: quem quidem lib. 1. contra Parmen. ait, & venerabilis memoriæ eſſe & Catholicæ communionis. Idem in lib. poſt Collat. vocat Catholicum Epiſcopum, & in libro de Vnit. cap. 16. videtur eum cum ipſo Ambroſio comparare: ſicuti & deinde Fulgentius lib 2. ad Monimum, Optatum hunc noſtrum, quem Sanctum vocat, indicat tam fidelem Pauli interpretem fuiſſe, quam aut Ambroſium aut Auguſtinum. Et tamen nolim tali comparatione Lectorem impediri, quin diſcernat, quantum interſit: ſicuti & ubi quod attinet ad literarum eruditionem, Auguſtinus lib. 3. de doct. Chriſt. cap. 40. videtur eum conferre cum Cypriano, Lactantio, Victorino.

Porro ut ubi deſinit Optatus, cœpi ex Auguſtino repetere quod ſequitur in hiſtoria

hiſtoria Africanæ Eccleſiæ : ſic ubi Auguſtinus deſinit, viſum eſt ſubiungere quod Victor Vticenſis deindè narrat. Sed de Vtica, ut de Milevi, nihil eſt neceſſe ut nunc addam quicquam. Omitto etiam quod in Pandectis noſtris lego, Vticam non minus quàm Carthaginem Iuris Italici fuiſſe, l. ult. De Cenſib. Sed ut Milevitano ſive Numidæ gratior ſit vicinus hic Collega Vticenſis, dicam ipſam Cirtenſem Coloniam in Numidiam ex Vticenſi Conventu deductam videri, cùm quidem illam Sittianorum vocatam fuiſſe Plinius teſtetur. P. autem Sittium Equitem Rom. de Conventu Vticenſi fuiſſe Hirtius ſcribat.

Reliqua de Optato & Victore ex noſtris deinde Annotationibus petantur Quam autem priori Optati editioni ante ſex annos præfixeram prolixam præfationem, non de Optato modo, ſed & de multis aliis capitibus rerum Eccleſiaſticarum, de quibus ut tunc agerem, cogebat me conditio eius contentionis, ad quam vel invitus pertractus eram, & acerrimi adverſarii cum quo mihi res erat, refellendi quædam neceſſitas : eam (inquam) vehementiorem præfationem in hac editione nolui inculcari : quam ſatis ſuperque eſt editam ſuo tempore ſemel fuiſſe.

Lutetiæ Pariſiorum, Idib. Martii. 1569.

ANNOTATIONES
IN PRIMVM LIBRVM
OPTATI MILEVITANI
EX FR. BALDVINI IC. COMMENTARIIS rerum Eccleſiaſticarum.

VT Donatum Carthaginenſem Antiſtitem Donatiſtarum multa ſcripſiſſe ad ſuam hæreſim pertinentia teſtatur Hieronymus in catal. & eodem tempore Vitellium Afrum eius factionis acerrimum defenſorem fuiſſe ſcribit Gennadius : ſic & Parmenianus, qui illi Donato ſucceſſit, ſuam ſectam multis libellis armavit. Interea tamen neſcio quomodo Catholici in Africa propè muti erant : certè libellos ſuos non opponebant. Sed tandem in Numidia Optatus Epiſcopus Milevitanus cœpit reſpondere. Ac quidem exiſtimavi aliquando hoſce Optati contra Parmenianum libros ſcriptos fuiſſe , contra eam Parmeniani ad Tyronium Epiſtolam, adversùs quam & Auguſtinus deinde libros tres ſcripſit. Sed ubi propiùs ſingula contuli, facilè animadverti aliud quoddam Parmeniniaci ſcripti genus fuiſſe, quod refellit Optatus , & Tractatum appellat. Fuit tamen ſemper eadem diſputatio. Nam & Donatiſtis hoc proprium fuit , ut eandem ſæpius cantilenam canerent, ſicuti & Auguſtinus ſcribit eos eadem per eadem ſæpe dixiſſe , reperiiſſe , inculcaſſe. Porro cùm Veterum , præſertim Afrorum , libri latinè ſcripti , multis librariorum mendis contaminati ſint , vix ullum puto unquam fuiſſe magis depravatum , quàm hunc Optati libellum. Nam & ipſi Donatiſtæ ſtatim atque editus fuit , eum corruperunt , &, ut erant impudentes , diſcerptum inquinarunt : & barbara librariorum poſteritas multis maculis propè oppreſſit. Itaque & multis ſæculis tanquam in ſepulcro delituit , & cùm in lucem eum protulit Cochlei editio Germanica, plura menda fuerunt quàm verſus. Ego in priori editione Pariſienſi operam dedi adjutus collatione exemplaris manuſcripti , quod mihi communicaverat Eſpenſæus Theologus , ut ſexcentos ſaltem locos emendarem. Nunc non multò pauciores emendabit altera hæc editio , duobus manuſcriptis ſive chirographis exemplaribus ſubnixa : quorum alterum Jo. Tilio Epiſcopo Meldenſi , alterum Macereo Theologo Pariſienſi debemus. Multùm tamen abeſt , nt dicam Optatum nunc tandem in integrum plane eſſe reſtitutum. Imò feci , ut lacunarum notæ indicarent ; aliquot locos ſupereſſe etiamnum mutilos. Illud porro ſemel prædicendum eſt , uſum eſſe Optatum ſcripturæ ſacræ tranſlatione non omnino caſtigata : ſaltem longe alia, quàm fuerit illa, qua vel Tertullianus, vel Cyprianus , vel Arnobius, vel Auguſtinus in eadem Africa uſi ſint. Sed profiteor me ejus correctionem minime ſuſcepiſſe, qui ſi poſſim pleroſque Optati locos à librario jam olim corruptos emendare , officio meo functum nunc eſſe me putabo. Neque tamen nunc ambitioſe annotabo & indicabo quid in eo genere præſtiterim. Nam & putida eſt talium λεπτολογημάτων oſtentatio : neque juvat (ut dicitur) in muſtaceo laureolam quærere. Ecce, paulò pòſt principium libri primi, ubi primùm legebatur in Germanica editione *cùm nequitioſè* , & deinde in Pariſienſi, *cùm venenoſè* , nunc ex meliori exemplari emendavi & reſtitui , *ne ventoſè* : & poſt medium ejus libri ubi antea legebatur *in talibus paſti fuerant cibis* , nunc ex eodem exemplari emendavi , *e talibus paſti fuerant cibis* , & paulò pòſt ubi legebatur, *vos ipſos cum tis unam ſententiam ferre* , reſtitui , *una ſententia ferire* : & paulò ante finem libri primi , ubi anteà legebatur *revelata* , ex eodem exemplari reſtitui *renovata*. Sexcentæ ſun

ſunt hujus generis, & quidem in ſequentibus libris plures emendationes, in quibus magis integrum erat manuſcriptum exemplar, quo uſus ſum.

Quod ad rem ipſam attinet, de qua mallem aliquid annotare, principio Optatus oſtendit cur adverſarios ſuos Donatiſtas appellet *Fratres*: tametſi hi à Catholicis ſic appellari nollent, atque etiamnum in Carthaginenſi collatione recuſabant, ut teſtatur Auguſtinus lib. 3. contra Gaudentium. Idem lib. 3. contra Parmen. cap. 2. confirmat, quod Optatus hoc loco dicit. Ego addo, Davidem 1. Sam. 30. etiam Fratres vocaſſe, filios Belial, homineſque improbos, qui tamen erant Judæi. Quem autem locum Iſaiæ Prophetæ, Optatus hîc allegat, Auguſtinus idem agens eundem locum pluribus verbis urget, & ſimul, ſicuti ſolet, totum hunc locum Optati amplificat in Pſalm. 32. Cur autem Chriſtiani ſeſe invicem Fratres appellarent, Tertullianus in apolog. indicat. Sed & ipſa Eccleſia, olim dicebatur Fraternitas, ut ex Tertulliano, Cypriano, Ambroſio, Hieronymo didicimus.

Secundo loco Optatus ſignificat Donatiſtas refugiſſe omnem cum Catholicis collationem. Eadem fuit illorum ſuperbia ϗ αὐθαδία, multis poſt annis Auguſtinus in epiſt. CLXVJ. ad Donatiſtas, Veſtri (inquit) Epiſcopi conventi à nobis nunquam nobiſcum pacificè conferre voluerunt, quaſi fugientes cum peccatoribus colloqui. Itaque ut tale ſupercilium dejiciat, in epiſt. LXVIIJ. objicit non modo Paulum cum Epicureis contuliſſe, ſed & Chriſtum cum ipſo diabolo de lege collocutum eſſe. Factum eſt tandem aliquot annis poſt Optati mortem, ut edicto mandatoque Honorii Imp. Donatiſtæ etiam inviti pertracti ſint ad Carthaginenſem cum Catholicis collationem, hujus hiſtoriam alibi expoſui.

Ait Optatus contra leges fuiſſe, quod Donatiſtæ iterabant baptiſmum. Videtur ſignificare legem ſui quoque Valentiniani Imp. latam eo tempore, quo hic liber ſcribebatur. Adderem & alteram ipſius Valentis & Gratiani, quæ ſeptem poſt ſuperiorem annis edita eſt: & quidem utraque ſcripta eſt ad Africanos magiſtratus, ſicuti utraque extat lib. 16. C. Theod. tit. 6. In unam autem conflata eſt à Triboniano, cùm eſt conjecta in Juſtiniani codicem. Sed vereor ne illa poſterior lata ſit poſt hoſce libros ab Optato ſcriptos. Ea tamen ſignificat Conſtantinum eadem de re olim legem tuliſſe, quam Optatus legere multo magis potuerit. Sanè Auguſtinus in ſuis de Baptiſmi libris, non leges Imperatorum (quia Donatiſtæ iis ſe, aut Chriſtianos in cauſa religionis non teneri clamitabant) ſed canonem Nicæni Concilii objicit. Nam etſi Nicænum non nominet, tamen de eo loqui ſe ſatis indicat, ut & alibi dixi in hiſtoria Carthagin. Collat. Sed multa quæ in eo commentario dixi, cogor rurſus delibare. Illud ſingulare eſt & nondum annotatum quod Auguſt. epiſt. 166. cujuſdam legis (Conſtantini eſſe exiſtimo) verba, quæ alibi non legi, recitat, digna quæ hîc recitentur.

Attenditè (inquit Auguſtinus ad Donatiſtas) *quàm manifeſtiſſima veritate per cor Regis, quod in manu Dei eſt, ipſe Deus dixerit, in iſta ipſa lege, quam contra vos prolatam dicitis. Eſt autem, ſi intelligatis, prolata pro vobis. Attendite quid habeant verba principis: Nam ſi in eis qui primò initiati ſunt, idcirco religio baptiſmatis judicatur infirma, quòd ii, à quibus accepitur, peccatores putentur: toties renovari neceſſe erit traditum ſacramentum, quoties indignus fuerit inventus collati baptiſmatis adminiſtrator; & fides noſtra, non ex noſtræ voluntatis arbitrio, neque ex divini muneris gratia, ſed ex meritis ſacerdotum, & clericorum qualitate pendebit. Faciant mille Concilia Epiſcopi veſtri: huic uni ſententiæ reſpondeant, &c. Hæc Auguſtinus.* Illud porro ſemel annotandum eſt, Optatum paulo poſt in diſputatione de unico baptiſmo magis tueri ſchiſmaticorum quàm hæreticorum baptiſmum, & tali diſtinctione adhibita videri mediam quandam ſententiam novam & inſolentem ſequi inter eam, quam Cyprianus olim ſecutus eſt, & eam quam Auguſtinus deinde aſſeruit. Poſtea tamen Optatus veluti oblitus ſuæ illius novæ diſtinctionis, generaliter diſputat de unico baptiſmo, ut Auguſtinus. Mirum vero quod Optatus non meminerit Nicæni decreti ea in re, neque adhibeat ſaltem eam diſtinctionem, quam Nicænos Patres adhibuiſſe, ex Auguſtino colligere alibi licet. Sed harum annotationum anguſtiæ non capiunt longiorem ejus rei explicationem. Redeo ad id quod Optatus ait.

Nam fermè ante annos LX. & quod excurrit, Primum annotabo hac locutione *& quod excurrit*, Optatum ter uſum eſſe. Sed & Auguſtinus, qui Optatum diligenter legerat, eadem uſus eſt, cum illud ipſum tempus de quo hîc agitur, indicaret, libro ſeptimo de baptiſm. cap. 7. Noſtri quoque Juriſconſulti ea utuntur, ut Paulus, decem (inquit) & quod excurrit, &c. Lege. 26. §. ultim. Depoſ. Vulgo dicere ſolent *plus minus*. Hieronymus, *eo amplius*, ut contra Luciferum, loquens de Nicænis Patribus, *Trecenti* (inquit) *& eo amplius, Epiſcopi*. Idem in Epitaph. Nepotia.

Viginti (inquit) *& eo amplius, anni ſunt.* Quod autem attinet ad tempus de quo hîc agit Optatus, ipſe ſimiliter Auguſtinus lib. 7. de baptiſ. *Poſt Cypriani (inquit) mortem quadraginta, & quod excurrit, annis peractis Traditio codicum facta eſt: unde cœperunt appellari Traditores.* Sanè Hieronymus in catal. ſcribit Cyprianum paſſum & mortuum eſſe ſub Valeriano & Galieno Impp. perſecutione octava. In Euſebii autem Chronico annus illius paſſionis ſimpliciùs & apertiùs indicatur, diciturque fuiſſe Chriſti ducenteſimus & ſexageſimus: Unde videretur Auguſtinus ſignificare Traditionem codicum factam eſſe circa annum Chriſti trecenteſimum. Sic & Auguſtinus in Brevic. id ſignificat, cùm narrat, id, de quo hîc quæritur, factum eſſe Diocletiano ix. & Maximiano viij. Coſſ. lib. 3. contra Creſcon. cap. 7. habet, Dioclet. viij. & Maximiano vij. Coſſ. Sed non multùm intereſt. Euſebius lib. 8. hiſtor. Eccleſ. eius perſecutionis principium rejicit in decimum nonum annum Imperii Diocletiani qui fuit octavus Conſulatus Diocletiani. Sequens autem annus, cùm Diocletianus ix. Conſul eſſet, fuit poſtremus annus imperii ipſius. Eo enim anno xi. Cal. Maii (quo die olim Diocletianus primùm factus fuerat Imperator) ultrò abdicavit, cùm eſſet Nicomediæ. Fuit autem annus Chriſti trecenteſimus quartus. Cum autem Optatus numeret annum ſexageſimum ab eo tempore, jam ſatis intelligi poteſt, quo anno Optatus hæc ſcripſerit. Sed cùm addat, *& quod excurrit*, & Damaſi ſui loci poſtea meminerit, facilè patior ut trecenteſimo ſeptuageſimo anno dicantur hi libri ſcripti ab Optato: quo anno cœpit Damaſus præeſſe Eccleſiæ Romanæ, pauló poſtquam Valentinianus & Valens imperare cœperunt: quibus imperantibus hos ab Optato libros ſcriptos eſſe teſtis eſt etiam Hieronym. in Catal. Itaque neceſſe eſt ut dicamus, Suſpicor, libro ſequenti, in Catalogo Romanorum Epiſcoporum expungendum eſſe nomen Siricii. Hic enim Damaſo primùm ſucceſſit anno Chriſti trecenteſimo octogeſimo ſexto.

Nunc pauló diligentius videamus, quid ſit, quod Optatus hîc ait de tempeſtate perſecutionis ſui temporis. Eam rurſus deſcribit libro tertio: ubi ait fuiſſe ſub Diocletiano & Maximiano, ante annos LX. & quod excurrit, datos eſſe impios judices, qui bellum Chriſtiano nomini inferrent, & Chriſtianos ſacrificare cogerent, Chriſtumque negare, templa Dei vivi ſubvertere, leges divinas incendere. Nunc illud urget, quòd inſtrumenta (ut ait) divinæ legis, quidam Epiſcopi impiè tradiderint. Euſebius libro octavo latiùs deſcribit perſecutionis illius tempeſtatem. De Africa autem tantùm ait, innumerabilem tunc in ea fuiſſe martyrum multitudinem. Sed & Thermas Maximiani in urbe Carthaginenſi illo tempore extructas fuiſſe ait, ut Diocletiani Romæ. His autem attollendis ſubſerviiſſe multa millia Chriſtianorum, veluti ad metalla damnatorum, accepimus. Illud novum & inſolens fuit in edicto Diocletiani adverſus Chriſtianos, quòd ſacroſanctis eorum libris bellum indictum ſit, ut abolerentur undique conquiſiti. Arnobius qui eo tempore vivebat in Africa, lib. 4. contra Gentes, *Noſtra (inquit) ſcripta cur ignibus meruerunt dari?* Sed impii Leguleii tunc objiciebant, quod Ulpianus ait libros improbatæ lectionis abolendos eſſe, lib. 4. Famil. erciſc. libros autem Chriſtianorum eſſe ſcilicet improbatæ lectionis. Sanè ipſa etiam Maccabæorum hiſtoria teſtis eſt tyrannum illum Antiochum Epiphanem, qui Judæos exterminare conatus eſt, Moſaïcis quoque libris bellum indixiſſe. Tale exemplum Diocletianus in ſuo edicto ſecutus eſſe videtur: Ut & exemplum Diocletiani ſecutus videtur tyrannus ille Vandalus & Arrianus, qui in Africa aliquot annis poſt mortem Auguſtini, iuſſit flammis etiam aboleri libros Catholicorum, ut narrat Victor Uticenſis. Edictum Diocletiani non recitat Euſebius, ſed narrat quemdam ex aulicis proceribus, qui Chriſtianus erat, cùm Nicomediæ ubi Diocletianus agebat, videret impium edictum palam propoſitum & proſcriptum, auſum eſſe palam id diſcerpere, nec recuſaſſe quas propter tale factum pœnas impendere ſciebat. De jure civili, cum tam multa antea reſcripta Diocletianus edidiſſet, aliquid reſcripſiſſe vel reſpondiſſe quo anno totus erat in edictis contra Chriſtianos poſtremò edendis, non legi: præterquam quod mihi nunc venit in mentem, ſubtilem illam L. ſi certis annis C. de pact. datam eſſe Diocletiano viij. & Maximo vij. Coſſ. Illud poſtremò juvat annotare, Donatiſtas, qui jactabant tantopere, ſeſe odiſſe Traditores librorum ſacroſanctorum, tamen cum Baſilicas Catholicorum incenderent, in eas ipſas flammas aliquando conjeciſſe ipſos quoque Dominicos codices. Teſtis eſt Auguſtinus in epiſtola quinquageſima.

Porro, quod attinet ad notam hiſtoriam, quam Optatus hic delibat, ut Auguſtinus lib. 1. contra Parmen. cap. 3. eam commendat, & quod quæritur de origine ſchiſmatis Donati, ab Optato repetendum eſſe monet, ſic cùm paſſim etiam ipſe illuſtret, quod ſcribit Optatus, ab Auguſtino repetenda eſt explicatio. Nam & quod imprimis

hoc loco Optatus narrat de primis Traditoribus & homicida Purpurio, narrat etiam Auguſtinus lib. 3. contra Creſcon. cap. 27. & in lib. contra Fulgent. Donat. Quòd dicit Menalum thurificaſſe, verbum eſt iis temporibus uſitatum, quo dicebatur aliquis thus incendiſſe idolis & ſacrificaſſe. Unde & ſacrificatos vocabant, ut eſt apud Cyprianum.

Quod ſequitur apud Optatum de Concilio Cirtenſi, & Actis ſcriptiſve cujuſdam Nundinarij, quæ Optatus ad finem horum librorum ſe adjeciſſe ait: dolerem intercidiſſe, niſi ſi repeti illa poſſe ſcirem ex Auguſtini libro tertio contra Creſconium, & epiſt. 162. & 165. & lib. de Unit. cap. 10. & Brevic. Collat. ad finem. Obiter etiam admoneo, quod hic Optatus ait dictum eſſe à Secundo Tigiſitano: *Sedete omnes*, videri fuiſſe quandam veluti formulam & tacitam ſignificationem ſignumque abſolutionis: ut ſicuti reorum eſſe dicitur, ſtare: ſic ſeſſio quæ judicum eſſe ſolet, intelligatur etiam eſſe abſolutorum, qui rei eſſe deſierunt.

Quod narrat Optatus de Lucilla femina non minus factioſa quàm pecunioſa, exponitur quoque ab Auguſtino in epiſt. 162. & lib. 3. contra Creſcon. cap. 28. Hiſpanamque fuiſſe adjicit in lib. de Unit. cap. 3. & lib. 2 contra Petil. cap. ultim. Denique valde famoſam fuiſſe oportet, cùm & Hieronymus ad Cteſiph. narrans multas mulieres fuiſſe hereſeon veluti nutrices, *Donatus* (inquit) *per Africam, Lucillæ opibus adjutus eſt.* Omitto, quòd aliam planè ſimilem fuiſſe auctorem cujuſdam inter Donatiſtas ſchiſmatis teſtatur Auguſtinus in epiſt. 162.

Illud rarius & obſcurius eſt, quod Optatus hic ſignificat Lucillam illam in Eccleſia reprehenſam fuiſſe, quòd ante ſacram communionem os cujuſdam mortui oſculata eſſet. Quid hoc ſibi vellet, vix divinare poſſum: ſed venit in mentem quod Balſamo interpres Concilii Carthagin. cap. 61. ſcribit, Donatum auctorem ducemque Donatiſtarum docuiſſe, aliquem divinorum myſteriorum participem eſſe non poſſe, niſi os in manu tenens, id prius ſalutet.

Quod Optatus narrat de Felice Diacono qui propter famoſam de tyranno Imp. ſcriptam epiſtolam accuſatus ſit, poſſet revocari ad leges de famoſis libellis. Sed quia alio in loco fuſius eas expoſui, nunc non repetam. Tyrannum autem Imp. hîc intelligi Maxentium non dubito, quem tamen paulò pòſt Optatus ſignificat aliquando fuiſſe prope indulgentem. Conſtantinum, qui eum peſſumdedit, ſeverum vindicem famoſorum libellorum, ipſius leges teſtantur. Et quidem ſtatim poſt ſublatum Maxentium, cùm ab Africa recepiſſet libellum accuſatorium contra Cæcilianum (quæ famoſa potius quædam calumnia erat) libellos famoſos qui ſubſcripti non eſſent, rejiciendos eſſe edixit, & in Africam ea de re leges miſit ad Verinum & Ælianum: quos paulò pòſt audiemus laudari in cauſa Donatiſtarum. Eæque etiam leges dicuntur nominatim in urbe Carthaginenſi propoſitæ. L. 1. & 2. C. Th. De fam. lib.

Poſſem & hoc loco leges de Receptatoribus allegare, ubi Optatus narrat, quid Menſurio tanquam receptatori tyrannus denunciarit. Sed illud modo adjiciam, quod Hieronymus in Chronico ſuo annotat, Preſbyterum Sirmij iniquiſſimè occiſum fuiſſe, quod Octavianum Proconſulem apud ſe latitantem prodere noluiſſet, anno Chriſti trecenteſimo ſeptuageſimo ſexto, hoc eſt, tempore noſtri Optati.

Præterea multa, quæ in hoc Optati libro occurrunt veſtigia antiquitatis Eccleſiaſticæ: veluti quod in eo ſcriptum deinde eſt, Eccleſiarum in Africa, tempore Maxentij, fuiſſe quamplurima (ut vocat) ornamenta ex auro & argento: ſicuti & lib. 3. laudat Imp. Conſtantem, qui cùm in Africam mitteret eleemoſynas pauperibus, ſimul miſerit domibus Dei (ut loquitur) ornamenta. Intelligit autem vaſa & veſtimenta & ejuſmodi donaria, quæ ad miniſterium Dei conſecrabantur, ut ait noſter Juſtinianus §. ſacræ, de rer. diviſ. & in L. ſancimus. C. de ſacroſ. Eccleſ. Sic & Theodoretus lib. 3. cap. 12. narrat Imp. Conſtantium Eccleſiæ Antiochenæ donaſſe plurima hujus generis, tam pretioſa, ut paulò pòſt impius & ſacrilegus quæſtor Juliani, cùm illa raperet, quæ in fiſcum redigeret, irridens & inſultans exclamarit, *En quibus vaſis miniſtratur filio Mariæ.* Sed mirum magis eſt, quod Optatus ſignificat talia etiam fuiſſe in Africanis Eccleſiis, quo tempore alioqui Eccleſia ſub impiis tyrannis afflicta jacebat. Sic & Auguſtinus lib. 3. contra Creſcon. cap. 29. indicat, tempore Diocletiani, & perſecutionis ab eo excitatæ, Cirtenſem Eccleſiam Donatiſtarum habuiſſe calices duos aureos, & ſex argenteos, & lucernam argenteam. Illud nunc addo: Cùm Imp. Leo lege lata prohibuiſſet ne quis privatus ex auro & argento conficeret regia ornamenta, L. 1. C. nulli lic. in fren. poſtea alter Imp. Leo Nov. LXXXJ. ſic illam legem interpretatus eſt, ut privatis interdictum non eſſe confectione aureorum vaſorum ſacrorum, omnes intelligerent. Ne quis autem exiſtimet, ambitioſæ modò ſuperſtitionis fuiſſe, quod talia fuerint in Eccleſiæ theſauris, ſciat ubi neceſſitas & pia cauſa pauperum alendo-

rum poſtulabat, facilè diſtracta fuiſſe. Id Ambroſ. prolixè oſtendit lib. 2. Offic. cap. 28. & quod in Eccleſiaſtica hiſtoria narratur de Cyrillo Hieroſolymitano & Acacio Epiſcopo. Imo lex ipſius Juſtiniani. d. L. ſancimus. Nun tam ut Grammaticis, quàm ut Juris ſtudjoſis gratificer, obiter hîc etiam annotabo, ab Optato vocari Commemoratorium, quem paulo poſt Brevem vocat. Verbum Juris eſt, ſignificatque libellum, ſyngrapham, aut chirographum, eóque etiam uſus eſt Conſtantinus in epiſtola ad Cæcilianum, apud Euſeb. lib. 4. de vita Conſtant. Sic & in quadam (quæ Optati tempore edita eſt) conſtitutione Imp. Valentis legimus inter chartulas cujuſdam confiſcati brevem quendam inventum eſſe. L. ult. C. de jure fiſci, adde L. 1. C. de Apoch. publ. & L. 13. C. Th. de indulg. debitor.

Redeo ad hiſtoriam, neque negligo quod hîc ait Optatus, *Indulgentiam mittente Maxentio, Chriſtianis libertas eſt reſtituta.* Sic Euſebius lib. 8. cap. 14. ſcribit Maxentium, initio ſui in Italia & Africa imperij, ſive tyrannidis, ſimulaſſe religioſum neſcio quem favorem erga Chriſtianos, & eorum perſecutionem inhiberi edicto juſſiſſe. Sed miror Euſebium ipſum non ſatis obſervaſſe, aliquot poſt annis accidiſſe, quod dicitur de Imp. Galerio, qui Conſtantino collega lubenter ſubſcribente, in Oriente tandem edixerit quippiam ejus generis. Mendoſa eſt inſcriptio ubi pro *Conſtantinus* ſcribitur *Conſtantius:* ſed recta eſt apud Rufinum ſubſcriptio eius edicti, in qua dicitur Imp. Galerio viij. Conſ. publicatum illud fuiſſe. Ut autem Optatus ſignificet Maxentium paulò antè Chriſtianis in Africa aliquid indulſiſſe videri, tyrannum tamen & impium & crudelem fuiſſe conſtat, & quidem Africam ab eo graviter fuiſſe vexatam. Itaque hic mihi venit in mentem, quod Nazarii vetus Panegyricus ait, Maxentium exhauſiſſe Africam, quam delere ſtatuerat, & propterea eius debellati cæſique caput abs Conſtantino miſſum in Africam fuiſſe: ad eam (ut inquit) permulcendam, ut quam maxime vivus afflixerat, laceratus expleret. Et verò quam Optatus ait ab eo miſſam eſſe indulgentiam ad libertatem Chriſtianis reſtituendam, fuiſſe inanem cujuſdam clementiæ ſimulationem ſine re, inde conjicio, quòd ipſi Donatiſtæ, cùm negarent Cæcilianum fuiſſe ordinatum, cauſabantur non potuiſſe, quia tempore perſecutionis non fuiſſet liberum Epiſcopis convenire, ut refert Auguſtinus in Brevic.

Nihil porro eſt quòd hæreamus in iis quæ deinde Optatus narrat de Botro & Celeſio: obiter admouero eam narrationem valdè illuſtrari ab Auguſtino lib. 1. contra epiſt. Parmen. cap, 3. Sed quod tandem Optatus ait, altare contra altare in Africa tunc erectum fuiſſe, dignum eſt quod magis exponamus. Auguſtinus lib. 2. contra Creſc. cap. 2. ait majorem Donatum à caſis nigris, altare contra altare in urbe Carthaginenſi primùm erexiſſe: deinde alterum Donatum, nempe Carthaginenſem, hanc hæreſim maxime roboraſſe.

Idem in epiſt. 171. indicans quid illud fuerit, ait, Donatiſtas Epiſcopum contra Epiſcopum ordinaviſſe, & altare contra altare erexiſſe. Et in epiſt. 162. ſcribit eos ſchiſmatis propterea reos, horrendo ſcelere levati (ut loquitur) altaris maculatos eſſe. Sed obſervandum eſt, Cyprianum multo ante in Africa ſcripſiſſe, Novatianos erexiſſe altare contra altare, cùm ſui ſchiſmatis & ab Eccleſia defectionis veluti ſignum (ut ita dicam) ſuſtulerunt. Cujus quidem ſchiſmatis crimen etiam ille exaggerat, ut hoc loco Optatus in Donatiſtis, & Auguſtinus eum ſecutus in epiſt. 162. Imo verò ipſi quoque Donatiſtæ, quod iis Optatus propterea objecerat de exemplo & hiſtoria Datan, Coræ & Abyron, viciſſim objecerunt in ſuo Concilio Bagaienſi ipſis Maximianiſtis, qui ab ipſis aliquo modo defecerant & ſucceſſerant, quamvis ad Eccleſiam Catholicam non rediiſſent, ut narrat Auguſtinus lib. 3. contra Creſcon. cap. 53.

Non eſt prætereundum quod ſequitur apud Optatum, *Iterum à Cæciliano mandatum eſt, ut ſi Felix in ſe nihil contuliſſet, ipſi adhuc tanquam Diaconum ordinarent Cæcilianum.* Hic locus ille eſſe videtur, quem Donatiſtæ, obtuſi profecto & aridi calumniatores, qui in Optati libris ſubtiliter ſcilicet venabantur quippiam, quod Catholicis objicerent, in Collatione Carthaginenſi ridicula non minùs quàm calumnioſa cavillatione, objicere. *Dixerunt* (loquit Auguſtinus in Brevic.) *ſcripſiſſe Optatum, quòd Cæcilianus dixerit: Si traditores ſunt, qui me ordinarunt, ipſi veniant & ordinent me. Quòd quidem ſi dictum, ideo dici oportuit ad illos irridendos, quibus hoc mandaſſe perhibetur, quoniam certus erat, ordinatores ſuos non fuiſſe traditores. Non enim ait: quia traditores ſunt.* Sed, *Si traditores ſunt: ut innocentia eorum probanda reſtaret, ubi probari rectè poterat.*

Non minùs putidum fuit, quod Optatus deinde narrat, nimium profecto aulicos & Palatinos, Donatiſtas noſtris in Africa minimè omnium aulicis invidioſè objeciſſe *Quid Chriſtianis cum Regibus? Quid Epiſcopis cum palatio?* Sic rurſus lib. 3. ait Donatum aliquando exclamaſſe. *Quid eſt Imperatori cum Eccleſia?* Sed & Auguſtinus tractat. 6.

in Joan. ait quendam Donatiſtam dicere ſolitum. *Quid mihi & Imperatori?* Ipſe & ipſe Petilianus clamitabat. *Quid nobis cum Regibus ſæculi, quos nunquam Chriſtianitas niſi invidos ſenſit?* Id refert, refellitque Auguſtinus lib. 2. contra Petilianum, cap. 92. ſicuti & in lib. ad Donat. poſt Collat. narrat, Primiani Donatiſtæ, qui Catholicis odioſè inſultabat, fuiſſe hanc exprobrationem; *Illi portant multorum Imperatorum ſacras: nos ſola portamus Evangelia:* Sacras eum dicit, ſacras literas intelligit. Sacras autem, ut & divinas, eo ſæculo vocabant, quæ Principis erant. Sic ſæpe in Cod. Conſtitutionum.

Equidem fateor, fuiſſe magis Eccleſiaſticum, & Chriſtiams, nedum Epiſcopis dignius, uti potiùs literis verè ſacris, hoc eſt, Propheticis & Apoſtolicis, quàm Principalibus, vel Aulicis, vel Palatinis: neque Parmeniani, ſed Eccleſiæ vocem hanc plerumque fuiſſe: *Quid Epiſcopus cum palatio?* Denique non minùs iovin ad aulas, relictis ſuis veluti caulis, quàm ad caſtra boni Epiſcopi trahebantur. Et verò Sardicenſis ſynodus fulminans adverſus degeneres & ambitioſos Epiſcopos, qui deſerta ſua ſtatione & obliti ſui officii, eò curſitabant, jubet ut alii Epiſcopi, qui ſunt (ut loquitur) in Canali, hoc eſt, (nam & eo verbo ſimiliter utuntur leges in Cod. Th.) in via publica, ſive in urbibus in ea ſitis, videntque aliquem ſui ordinis, eo excurrentem, tranſeuntem graviter interrogent, ecquo & cur proficiſcantur? ac ſi ſponte proficiſci intelligant, cum eo non magis communicent quàm cum Eccleſiæ deſertore vel hoſte. Redeo ad id unde ſum digreſſus.

Optatus poſtremo recitat hiſtoriam judicii dati à Conſtantino Imp. in cauſa, quæ agitabatur inter Cæcilianum & Donatum. Hiſtoria eſt memorabilis, propterea que tanto magis miror à Græcis, qui alioqui tam multa de temporibus Conſtantini ſcripſere, eſſe prætermiſſam. Auguſtinus lib. 2. contra Parmen. jubet nos eam repetere ab iſto primo Optati libro: à quo & Donatiſtas ipſos eam repetiiſſe in Collatione Carthaginenſi, mox audiemus. Ipſe etiam Auguſtinus paſſim multa inculcat, quæ eo pertinent. Sed ut ingenue fatear quod ſentio, ne Optatus quidem mihi in hoc genere ſatisfacit; & video in utriuſque ſcriptis multas eſſe perturbatas & præteritas hujus hiſtoriæ partes. Optatus ab ordinatione Cæciliani tranſilit ad libellum Donatiſtarum oblatum Conſtantino. Atqui interſunt ſeptem vel octo anni, quibus quid Donatiſtæ interea domi egerint tumultuando & Cæcilianum vexando, ſcire velim. Nam non quieviſſe facile ſuſpicor: imo interea mirifice invaluiſſe auctoſque eſſe inde conjicio quòd Auguſtinus in epiſt. 48. ſcribat quadraginta annis ante Macariana tempora conveniſſe ducentos & ſeptuaginta Donatiſtas Epiſcopos. Si quadraginta annis ante Macariana tempora, de quibus poſtea dicam, tam multi jam erant; apparet tam multos fuiſſe ſtatim atque Conſtantinus patri ſuo ſucceſſit. Sed credo Donatiſtas non appellaſſe Galerium aut Maxentium, qui Africæ imperabant, quia hi tyranni Donatiſtas non audiiſſent, neque minùs eos, quàm Catholicos rejeciſſent. Ergo quæſtio de Cæciliani ordinatione delata primùm eſt ad Conſtantinum cùm jam rerum potiretur, ſublato Maxentio. Nam & ſi tunc ſcribat Optatus Conſtantinum harum rerum Eccleſiaſticarum adhuc ignarum fuiſſe, tamen religioni & Eccleſiæ favere cœperat, & alia occaſio, cuius mentionem facere quoque debuiſſet Optatus, ſeſe obtulit.

Optatus ſimpliciter narrat libellum Donatiſtarum fuiſſe oblatum Conſtantino. Sed obſervandum eſt, factum id eſſe, cum Conſtantinus cum Maxentii cæſi obtruncato capite in Africam ad Annullinum Proconſulem miſiſſet ſuum Edictum de immunitate Cæciliani & cleri Carthaginenſis. Quod edictum neſcio quo caſu confuſè conjectum eſt in decimum Euſebii librum Eccleſiaſticæ hiſtoriæ Græcæ. Annullini reſponſum reſcriptumque extat in Auguſtini epiſt. 68. Simul autem arrepta tali occaſione Annullinus ad Conſtantinum miſit libellos Donatiſtarum Cæciliani ordinationem accuſantium.

Optatus profitetur ſeſe eorum exemplum edere. Non tamen totum neque integrum edere videtur, & ſine die & Conſule id edit. Auguſtinus verò in epiſt. 68. ſcribit tranſmiſſos ad Conſtantinum per Annullinum fuiſſe duos hujus generis libellos Donatiſtarum, unum in aluta ſubſcriptum hoc modo. *Libellus Eccleſiæ Catholicæ, criminum Cæciliani traditus à parte Majorini.* Alterum ſine ſigillo cohærentem eidem alutæ, datum die xvij. Kal. Maias, Carthag. D. N. Conſtantino A. iij. Coſ. Atque hujus quidem poſterioris libelli fuiſſe videntur verba, quæ recitat Optatus. Prioris non meminit. Mirabar in libello, quem recitat Optatus, generalem & confuſam & obſcuram & infinitam eſſe querimoniam Donatiſt. *Inter nos* (inquiunt) *& cæteros Epiſcopos contentiones ſunt.* Mirabar hîc non nominari hos Epiſcopos, ſed ne Cæcilianum quidem, neque exprimi qua de re contentiones eſſent; quod in primis dicendum & exponendum erat. Sed ſuſpicor in priori libello fuiſſe illa omnia magis expreſſa, ac fortaſſe etiam narra-

tum fuiſſe, quomodo jam damnatus fuiſſet Cæcilianus ab Epiſcopis LXX. Certè miſerum eſt, Donatiſtas actum agere voluiſſe & judices ſibi novos dari petiiſſe potiùs, quam executionem rei judicatæ urſiſſe.

Porro obſervandum eſt Conſtantinum non fuiſſe in Italia, cùm hos Donatiſtarum libellos recepit, ſed in extremis Galliarum finibus ad Rhenum. Id ego collegi ex veteri panegyrico, quem ſuſpicor eſſe Nazarii ad Conſtantinum, ubi ſcriptum eſt, Conſtantinum paulo poſt quàm Romæ Maxentium viciſſet, eodem impetu quo redierat in ſuas Gallias, perrexiſſe ad inferiorem Germaniæ limitem, & à Tiberi ad Rhenum properaſſe, prolaturum (ut ait) Imperium à Thuſco Albula ad Germanicum Albim.

Præterea ſi hæc hiſtoria diligenter pertexenda eſt, obſervo, Conſtantinum exemplaria literarum & libellorum, quos ex Africa accepit, ſtatim miſiſſe ad tres illos Galliæ Epiſcopos, qui poſtea nominabuntur, & juſſiſſe propterea eos ire Romam: eademque de re ſcripſiſſe ad Miltiadem Epiſcopum Rom. Non extat reſcriptum ad Galliæ Epiſcopos. Extat verò quod ad Miltiadem ſcriptum fuit. Nam neſcio quo caſu eſt conjectum in farraginem decimi libri Euſebianæ hiſtoriæ minimè ſuo ſanè loco: ſicuti & abs Nicephoro lib. 7. cap. 43. non minùs confuſe & præpoſtere recitatur, ut ab homine ignorante quorſum id pertinet, & hiſtoriam involvente potiùs quàm explicante. Debuerat potius hoc loco inſeri, vel ab Optato recitari. Sed ſatis nunc ſit indicaſſe locum, ubi reperietur. Ut autem Conſtantinus in eo reſcripto teſtatur ſeſe, quod dixi, ſcripſiſſe ad Gallos illos, ſic etiam narrat ſeſe ſimul juſſiſſe, ut reus Cæcilianus Romam veniret, cum decem Epiſcopis, qui illi adeſſent, & totidem adverſariis accuſatoribus. Hoc in Africam miſſum Conſtantini mandatum alioqui nuſquam reperio, quod tamen etiam intereſſet hujus hiſtoriæ non intercidiſſe. Cujacius ad l. 1. C. de Tractor. recitat ex quadam (ut vocat) Conſtantini Conſtitutione hæc verba: *Aliquot ex iis, qui contra Cæcilianum diſſentiunt, data evectione publica per Africam & Mauritaniam, inde ad Hiſpanias brevi tractu facias migrare, & inde nihilominus ſingulis Epiſcopis ſingulas tractorias tribuas.* Quia hanc (ut vocatur) Conſtitutionem alibi non legi, non poſſum liquido dicere quænam fuerit, ſed facile ſuſpicor ad Annullinum miſſam eſſe, & ad id, quod nunc quærimus, pertinuiſſe.

Jam verò cùm Optatus narret conveniſſe judices, & cauſam Cæciliani Romæ actam eſſe ſexto Kalend. Octobr. Conſtantino 3. & Licinio 3. Conſſ. (ſic enim Optati locum legendum eſſe alibi probavi ex Auguſt.) & ex altero loco Auguſtini paulò ante indicarim libellos Donatiſtarum in Africa datos eſſe xvij. Kal. Maias, iiſdem Conſulibus eodemque anno: idem obſervandum eſt, magnam & prope incredibilem diligentiam atque feſtinationem hîc notari poſſe qualem & Eccleſiæ ſalus eo tempore poſtulabat.

Optatus nominat tres illos Galliæ Epiſcopos, qui cum Miltiade Ro. Epiſcopo hujus cauſæ judices fuerunt, nempe Maternum Agripinenſem, Marinum Arelatenſem, & Rheticium Auguſtodunenſem. Hic ego obiter cogor annotare, vel falſum vel valde mendoſum eſſe Euſebii Chronicon, ubi, interprete Hieronymo, ſcriptum eſt, Miltiadem mortuum fuiſſe & Silveſtrum ei ſucceſſiſſe antequam Maxentius cęſus eſſet; Mirorque ipſum Auguſtinum Steuchum hominem doctiſſ. & Bibliothecarium Pontificium, cum adverſus Laurentium Vallam contenderet de veritate hiſtoriæ Conſtantinianæ, tam confidenter affirmaſſe, Miltiadem à Maxentio vel Maximio occiſum eſſe. Unus certe Optatus quàm id falſum ſit, non obſcurè demonſtrat. Porro oportet etiam Conſarcinatores Centuriarum (ut vocantur) hiſtoriæ Eccleſiaſticæ parum attente hunc Optati locum legiſſe, cum in Centur. 4. cap. 10. dubitantes aiunt, hunc Maternum & Marinum videri fuiſſe Epiſcopos in Gallia vel in Italia. Sed multo magis Calvinus ſeſe & alios multos fefellit, cùm non obſervavit Arelatenſem Epiſcopum cum Miltiade Ro. judicem ſediſſe in hac cauſa: proptereaque fingit judicem poſtea fuiſſe ipſius appellationis, quod tamen lex judiciorum minime pateretur. Denique Auguſtinus decies teſtatur in Arelatenſi Concilio, ubi cauſa Cæciliani & Donati rurſus acta eſt, alios, alios (inquam) quam qui Romæ fuerant Epiſcopos judices fuiſſe. Sed neque memoria antiquitatis patitur ut Arelatenſem dicamus ambitioſè ſupra Ro. Epiſcopum, à Conſtantino fuiſſe evectum. Et cur non potius Calvinus id fingit de Syracuſio Epiſcopo, ad quem (ut mox dicam) nominatim ſcripſit Conſtantinus, ut de hac cauſa jam Romæ judicata, in Arelatenſi Concilio cognoſcat? Sanè ante tempora Donati, Cyprianus Carthaginenſis agnoverat Martianum quendam Arelatenſem Epiſcopum, qui Novatianus erat, abs Stephano Epiſcopo Rom. caſtigari debere. Et multis poſt Conſtantinum annis, cùm quidam Hilarius Arelatenſis in Gallia contemneret auctoritatem Leonis Papæ, Imp. Valentinianus

lentianus 3. edita lege teſtatus eſt , quàm id ferendum non eſſet. Scribebat tempore Optati Auſonius *Gallula Roma* , *Arelas* , cùm diminutivo verbo blandè ſignificare vellet Arelatem eſſe veluti Romulam , hoc eſt , quandam in Gallia Romam. Sed tamen ſciebat nonniſi coloniam eſſe, quæ ſupra ſuam Metropolim non aſſurgeret.

Quod attinet ad Rhericium Auguſtodunenſem , exiſtimo factum eſſe non modo per urbis illius (quæ ut caput erat Heduorum , ſic Conſtantino tam grata fuit , ut & Flavia dicta ſit) dignitatem , ſed & perſonæ meritum , ut Rheticius lectus ſit, qui judex eſſet cum Miltiade , nám & eum literatum fuiſſe & inter Eccleſiaſticos Scriptores ejus temporis numerari ſcimus. Scripſerat enim contra Novatianos, Donatiſtas perſimiles : ut nimirum ſit , ſi hunc ſibi judicem dari voluerint Donatiſtæ, ſed & ſublimi ore ſcripſiſſe diſſertationes in Cantica ait Hieronymus in Epiſtola ad Florent. Idem tamen in epiſtola ad Marcellum , licet eum eloquentem fuiſſe fateatur , tamen ineptum interpretem vocat. Cæterùm , quod ad hiſtoriam hujus loci attinet,addit, abs Conſtantino Imperatore ſub Sylveſtro Epiſcopo miſſum eſſe Romam ob cauſam Montenſium. Pro Sylveſtro dicere debuit Miltiadem. Molenſes vocat Donatiſtas. Sed nondum ita vocabantur , cum Rheticius Romam venit. Sanè Auguſtinus lib. 1. contra Julianum cap. 2. recitans quandam illius ſententiam de Baptiſmo , ita præfatur : *Rheticium ab Auguſtoduno Epiſcopum magnæ fuiſſe auctoritatis in Eccleſia tempore Epiſcopatus ſui Geſta illa Eccleſiaſtica nobis indicant , quando in urbe Roma, Miltiade Apoſtolicæ Sedis Epiſcopo præſidente , cum aliis judex interfuit , Donatumque damnavit , qui prior auctor Donatiſtarum ſchiſmatis fuit , & Cæcilianum Epiſcopum Eccleſiæ Carthaginenſis abſolvit.* Jam verò etiam pertinet ad illuſtrandam hanc hiſtoriam , quod hìc Auguſtinus ait Miltiadem illum præſediſſe in hoc judicio. Donatiſtæ tantùm ſibi ex Gallia dari judices petierant. Conſtantinus verò jam tum ſenſit , Romani Epiſcopi cognitionem eſſe debere. Atque hic quidem videtur allegiſſe ſuo arbitrio quindecim illos Italos Epiſcopos tanquam aſſeſſores : neque tamen audent Donatiſtæ reclamare , aut tale judicium recuſare , tametſi aliud maluiſſent. Inter illos Italos Optatus numerat , quoſdam qui fuerunt Galliæ togatæ & ciſalpinæ , ut olim à Romanis vocabatur : ut Meroclem Mediolanenſem. Falſa igitur ſunt Chronica Mediolanenſia etiam ea , quæ alioqui fideliſſima eſſe creduntur , ut Boſſiana , in quibus ſcriptum eſt , Meroclem mortuum eſſe anno Chriſti 268. Atqui Optatus teſtatur Romæ judicem ſediſſe anno 313. Conſequens etiam eſt, fabuloſum eſſe quicquid in iis traditum eſt de quodam Euſtorgio, qui eo ipſo anno 313. dicitur creatus Epiſcopus Mediolanenſis. Optatus inter Epiſcopos illos Italos numerat Florianum *à Sinna*. Exiſtimo legendum eſſe *à Ceſena* : quæ nobilis prope Ravennam civitas eſt in ea Italiæ parte,quam olim Galliam togatam vocabant, ſicuti & Mediolanum. Quid autem ſit *Sinna* , neſcio.

Porro, cùm Optatus narrat Donatum eſſe damnatum , meminiſſe debemus fuiſſe Donatum à caſis nigris , ut Auguſtinus in Brevic. ſignificat , eumque ex accuſatore factum eſſe reum , quia fortaſſe Cæcilianus recriminatione uſus ſit : neque tamen ſimplex Traditionis crimen (ſicuti jure potuit) voluit in adverſarium retorquere , ſed graviori & magis Theologica criminatione uſus eſt. Optatus recitat formulam Sententiæ , qua Donatus primum damnatus , & Cæcilianus abſolutus ſit à Miltiade & ejus collegis. Addendum porro eſt quod Auguſtinus in epiſtola 162. præterea recitat ſapienter & benignè ab eodem Miltiade oblatum fuiſſe Donatiſtis , qui reſipiſcere vellent & ad Eccleſiam redire. Id verò quia latius expoſui in hiſtoria Collat. Carthagin. eò lectorem nunc remittam. Cæterùm admonebo obſervanda eſſe duo capita illius adverſus Donatum ſententiæ , quæ ait eum rebaptizaſſe , & Epiſcopis lapſis manum impoſuiſſe, ac utrumque ab Eccleſia alienum eſſe pronunciat. Quod ad prius attinet , obſervandum eſt , id pronunciari Romæ , ubi etiam vetus illud Cypriani Concilium de rebaptizandis iis , qui ab hæreticis baptizati fuerant , ſemper reprobatum fuit , & ſententiam Miltiadis hac de re confirmavit Nicænum deinde Concilium , adhibita tamen quadam diſtinctione propter Paulianos , ut alibi dictum eſt. Obſcurius eſt , quod damnatus Donatus , quia Epiſcopis lapſis manum impoſuerit : idque etiam dicitur eſſe alienum. Triplex olim fuit impoſitio manuum. Imponebantur manus baptizatis. Auguſtinus autem lib. 3. de bapt. contra Donat. cap. 16. *Manuum* (inquit) *impoſitio non ſicuti baptiſmus , repeti non poteſt.* Secundò imponebantur manus lapſis pœnitentibus , quibus poſt exomologeſim pax dabatur. Etſi autem in Africa diu exiſtimarint antiſtites (ſicuti Auguſtinus indicat) talem pœnitentiam iterandam non eſſe non magis quàm baptiſmum : tamen lapſis pœnitentibus ſemel ſaltem dandam eſſe pacem manuſque imponendas , qui negaſſet , Novatianus fuiſſet ;

Donatum propè fuiſſe Novitianum facilè dixero. Sed damuari quia non ſuerit quis dixerit ? Ergo com damnatur à Miltiade , quia lapſis Epiſcopis manum impoſuerit, & id factum à Donato , dicitur ab Eccleſia alienum, intelligitur alia quædam manuum impoſitio. Nempe tertia fuit ea, quæ ad ordmationem Epiſcoporum pertinebat. Hanc autem non magis quàm baptiſmum repeti & iterari debere veteres judicarunt. Ergo ſi Epiſcopis lapſis in hæreſim , poſteaque pœnitentibus pax daretur impoſitione manuum , non erant, ſi in ſuo gradu manerent , iterum ordinandi , proptereaque non erat iterum iis ea manus imponenda : Nam prior ordinatio ſufficiebat. Sequitur apud Optatum , *Cæcilianus omnium ſuprà memoratorum ſententiis innocens eſt pronunciatus , &c.*

Hæc ipſa ſunt verba, quæ deinde in Collatione Carthaginenſi recitata ſic perculerunt Donatiſtas , multa impudenter alioqui fingentes de damnatione Cæciliani, ut cum hoc Optati teſtimonium elevare non auderent (fuit enim jam tum maximæ in Africa auctoritatis & fidei Optatus) tandem obmutuerint attoniti. Teſtis eſt Auguſtinus in Breviculo Collat. ad finem , ubi tamen non integra recitantur verba Optati. Deſideratur enim verbum hoc , *Sententiis.* Quamvis ergo tam impudentes fuerint Donatiſtæ , ut cum fingerent & mentirentur , à Conſtantino damnatum fuiſſe Cæcilianum , Optati , cujus teſtimonio uti volebant , verba depravare cavillando conati ſint , ut mox oſtendam : tamen eorum impudentia , quæ maxima fuit, tanta non fuit , ut etiam auderent fingere Romæ damnatum fuiſſe. Quò magis obſtupui, cùm hiſce diebus audirem in Gallia id confidenter & glorioſè ſcripſiſſe quendam Morellium, hominem alioqui literatum & in novo novorum Miniſtrorum ordine egregium , in ſuo ad Viretum libro Gallice ſcripto & eleganter inſcripto , *De Diſciplina Eccleſiaſtica.* In quo cum alia multa ab omni fide & veritate hiſtoriæ Eccleſiaſticæ valde aliena ; tum illud imprimis affirmari narrarique audio , abs Miltiade Rheticio & Matino Epiſcopis Judicibus , non modo damnatum eſſe Cæcilianum, ſed & abdicare coactum. Nihil ne fingi quidem poſſet quod magis evidenter falſum ſit. Redeo ab Optatum. Inquit : *Ad quam appellationem Conſtantinus Imp. ſic reſpondit , ò rabida, &c.* Hunc locum in priori editione ſic emendavi , atque etiam hiantem explevi , additis ex antiquo exemplari , his , quæ deſiderabantur, verbis, *appellationem interpoſuerunt* : atque ita probavi rejiciendam eſſe cujuſdam alioqui eruditi & ingenioſi interpretis legum conjecturam , divinando fingentis ex falſa notarum ſuſpicione quandam novam lectionem , quæ tamen non conſtat. Id cùm alibi ſatis oſtenderim , nunc nihil repetam. Adjiciam modo, quod Auguſtinus in epiſt. 162. aut Donatiſtarum rabida in Cæcilianum ora fuiſſe : ut minùs jam miremur Conſtantinum, rabidam furoris audaciam in iis accuſare. Venit etiam nunc in mentem mihi quædam lex Valentiniani Imp. de quodam Chronopio Epiſcopo , qui in ſeptuaginta Epiſcoporum judicio damnatus appellavit Præfectum urbi. Valentinianus reſcribit, illicitam appellationem pœna pecuniaria coërcendam eſſe , quæ pauperibus erogetur. L. 19. C. Th. Quorum appell. non recip.

Ait Optatus , *Eodem tempore , &c.* In hac editione juſſi ante hæc verba appingi lacunam vacuam , ut ſignificarem mihi videri aliquid deeſſe & deſiderari ante hæc verba. Nam cum propiùs conſidero totam , qua de hîc agitur , hiſtoriam , ſentio non poſſe hæc conjungi cum iis quæ proximè præcedunt : imo interfuiſſe aliquot annos , quibus cauſa Cæciliani rurſus acta ac definita ſit in Synodo Arelatenſi, iterum quæ judicata Mediolani ab ipſo Conſtantino. Ad cujus demum Mediolanenſis judicii tempus referre neceſſe ſit hæc quæ in Optato ſequuntur. *Eodem tempore , &c.* Itaque ſuſpicarer , quod de eo judicio ſicuti & de Arelatenſi Optatus inſeruerat , deletum abs Donatiſtis fuiſſe , qui Optati libros miſerè contaminarunt. Sed rurſus dubito , num Optatus , ut in Numidiæ angulo , incluſus , quicquid hac de re debuit , ſciverit ſcripſeritque. Nam in Collatione Carthaginenſi cum adverſus Donatiſtas recitaretur teſtimonium Optati de abſolutione Cæciliani , nihil de judicio Arelatenſi aut Mediolanenſi recitatur , quòd tamen præteritum non fuiſſet , ſi fuiſſet ab Optato expoſitum. Et ineptum erat in ea Collatione quærere , quid ſenſerit Optatus hoc locò , ſi apertè paulo ante à Conſtantino abſolutum fuiſſe Cæcilianum ſcripſiſſet. An dicemus jam antea Donatiſtas ſuppreſſiſſe , ac deleviſſe quod ea de re ſcripſerat Optatus ? Verum ut ut ſit, aliunde repetere licet quod hic deſiderari dixi. Et quemadmodum Conſtantinus , initio , quamvis indigne ferre ſe præſetulerit peti abs ſe judices in cauſa Cæciliani , tamen judices Eccleſiaſticos dedit , qui & alioqui judices (ut noſtri loquuntur) competentes erant : ſic jam quamvis indignabundus exclamet

rabidam eſſe Donatiſtarum provocantium pervicaciam : tamen appellationem utcunque admittit, cujus cognitionem rejicit ad Synodum Arelatenſem, in qua jubet alios de hac cauſa Epiſcopos rurſus cognoſcere. Id toties narrat & inculcat Auguſtinus, ut putidum ſit locos paſſim obvios indicare. Cæterùm adjiciam quod minus eſt vulgare, & huc tamen imprimis pertinet : extat e lib. 10. hiſtoriæ Euſebii, integrum reſcriptum Conſtantini ad Chreſtum Siracuſinum Epiſcopum, quem ex Sicilia cum duobus aliis jubet proficiſci ad illam Synodum Arelatenſem judicaturus cum aliis ſuis collegis de cauſa Cæciliani. Ac quidem mandat, ut id fiat intra Kalendas Auguſti : Sed quo anno ? Quia reſcriptum Conſtantini, non habet Conſules ſubſcriptos, difficile eſt id divinare. Sed non temere ſuſpicor factum id eſſe Voluſiano & Anniano Coſſ. hoc eſt, anno, poſt judicium Romanum proximo, quo etiam anno, iij. Kal. Novemb. memini Treveris edidiſſe legem quandam de appellationibus recipiendis, L. 1. C. Th. de appellat. Porrò Conſtantinus in illo ſuo ad Chreſtum reſcripto, non modo aperte provocationem Donatiſtarum non inſimulat rabidi furoris, ſed ne Donatiſtas quidem nominat. Simpliciter autem & placide narrat, eos, qui Romæ judicati ſint, nolle ſtare rebus judicatis, quia obtendant, cauſa nondum ſatis cognita, paucos judices præcipitaſſe ſententiam. Mandat ergo, ut cum ex variis & infinitis (ſicuti ait) locis Epiſcopos convenire in urbem Arelatenſem juſſerit, communi judicio finis imponatur huic controverſiæ, cauſa diligenter cognita & parte utraque audita. Dolendum eſt, Acta ejus Synodi Arelatenſis intercidiſſe. Ego aliquando eorum fragmenta quædam nactus eram, ſed valde mendoſa : ex quibus tamen didici, illi Synodo, præfuiſſe Sylveſtrum, mortuo Miltiade. In Conciliorum farragine vulgari recitantur quædam decreta Concilii Arelatenſis, quod dicitur eſſe primum. Sed abortiva pleraque videntur. Inter ea proponitur unum, quod Arrianorum meminit, atque ita etiam allegatur à Gratiano, de Conſecrat. Diſtinct. 4. ſimiliter & abs Magdeburgenſibus Conſarcinatoribus Centuriarum. Atqui nondum erat natum nomen Arrianorum, quo tempore primum coiit Synodus Arelatenſis, de qua quærimus. Ergo lubenter audio Canonem illum in antiquis & manuſcriptis exemplaribus (ut teſtatur poſtrema eorum Conciliorum editio) minus corruptum eſſe, & pro *Arrianis* legi *Afris*. Legitur & in ea farragine quippiam, quod ad cauſam Cæciliani accedit : nempe, eos, qui ſacras literas tradidiſſe convicti erant deponendos eſſe. Convinci autem debere, non nudis verbis, ſed actorum publicorum fide. Subjicitur & quippiam de iis, qui eos ordinant, ſed mancum eſſe hoc fragmentum vel inde apparet, quòd inſeratur hæc clauſula *ut diximus*. Atqui ea de re nihil præterea dictum ibi legitur. Dolendum eſt, & valde profectò dolendum, tam nunc eſſe mutilam & contaminatam veteris Eccleſiæ memoriam : tamque hujus rei nullam curam eos gerere, qui tantum tamen & hauriunt & abliguriunt ex opibus Eccleſiaſticis, quæ ad talium monumentorum reſtitutionem & conſervationem erant aliqua ſaltem ex parte impendendæ.

Conſtat in Arelatenſi Concilio rurſus abſolutum fuiſſe Cæcilianum, damnatum verò Donatum : iterumque propterea Donatiſtas appellaſſe Conſtantinum. Major profectò, quam antea cauſa rejiciendæ tam importunæ appellationis erat. Sed paſſus eſt Conſtantinus ſibi perſuaderi, ut actum agi pateretur, & ipſe cognoſceret. Ergo Mediolani Conſtantinum de hac cauſa judicaſſe ait Auguſtinus, epiſt. 162. Quid verò judicavit ? Repetendum id eſt ex alio Auguſtini loco, hoc eſt, ex lib. 3. contra Creſcon. cap. 71. ubi recitatur epiſtola ipſius Conſtantini narrantis ſeſe (ut loquitur) inter partes cognoviſſe, & innocentem Cæcilianum comperiſſe poſt Epiſcopalia judicia. *Perv:di* (inquit) *Cæcilianum omni innocentia præditum, ac debita religionis ſuæ officia ſervantem, eique ita ut oportuit, ſervientem.* Sed quo tempore id judicatum eſt ? Diu id quæſivi. Non enim facilè ſtatimque occurrebat, ut miſere diſperſa ſunt hujus hiſtoriæ lacera membra. Tandem venit in mentem quod Auguſtinus in lib. contra Donar. poſt Collat. cap. 33 ſcribit Conſtantinum de Cæciliani purgatione ſcripſiſſe 4. Id. Novembr. Sabino & Rufino Coſſ. Ergo quarto anno poſteaquam hæc cauſa ex Africa ad Conſtantinum relata primum fuit, vix tandem definita poſtremo eſt. Jam vero commodè ſubjicietur, quod apud Optatum ſequitur, *eodem tempore idem Donatus petiit, &c.* Hîc verò ille locus eſt, quem Donatiſtæ in Collatione Carthaginenſi impudenter cavillando detorquere conati ſunt. Digna eſt eorum futilitas, quæ exponatur. Auguſtinus in Brevic. paulo ante finem : *Petierunt* (inquit) *Optatum legi, unde ſe probaturos dicebant, Cæcilianum ab Imperatore damnatum,* [*Recitatus eſt Optatus recitantibus Donatiſtis, ubi ait, Eodem tempore idem Donatus petiit, ut ei reverti licuiſſet, & ad Carthaginem accederet, tunc à Philomeno ſuffragatore ejus Imperatori ſuggeſtum eſt, ut bono pacis Cæcilianus Brixiæ retineretur & factum eſt. In quibus verbis Optati cum omnino nulla Cæciliani damnatio,*

ſicuti illi demonſtraturos ſe eſſe promiſerant, reperiri potuiſſet: juſſit cognitor totam paginam recitari, ut de ſuperioribus & inferioribus verbis, voluntas ejus, qui ſcripſerat, noſceretur. Et ex officio recitatum eſt: Cæcilianus omnium ſupra memoratorum ſententiis innocens eſt pronunciatus. Quod cum recitaretur, Donatiſtæ dixerunt, hoc ſe non petiiſſe recitari, ſtomachantes adverſus eos, qui riſum tenere non poterant, cum audiiſſent, quam apertam contra ſeipſos paginam protuliſſent. Deinde cùm illis verbis, quæ ipſi recitaverant, extenuaſſe dicerent Optatum damnationem Conſtantini, & exprimere noluiſſe: flagitatum eſt ab eis, ut aliunde manifeſtum legerent, quod ab illo dicebant extenuatum. Hæc Auguſtinus, in quo emendavi quod mendosè videtur ex Optato recitare, veluti cum *pro ſuffragatore* ſuppoſitum eſt *ſuggeſtore.* Suffragii & Suffragatoris verbum Juris ſtudioſis notum eſt in hac ſignificatione. Porro non gravabor adjicere ulterum Auguſtini locum, cùm Auguſtinus non gravatus ſit ſæpius hanc rem recitare. In lib. ad Donatiſt. poſt Collat. cap. 31. inquit: *Milevitanæ Eccleſiæ Catholicum Epiſcopum Optatum recitandum putaverunt, pollicentes inde ſe probaturos Cæcilianum ab Imperatore damnatum. Quæ lectio cum magis contra eos recitaretur, nemo riſum potuit continere. Quod pro ſe legi voluerant, ambiguum fuit. Vnde cum rectiſſime Cognitor juſſiſſet paulò ſuperius recitari, ut inde ſi poſſent verba illa clareſcerent, hoc recitatum eſt, quod nolebant: hoc eſt, Cæcilianum fuiſſe purgatum, nec, ſicut jactaverant, damnatum. Sed Brixiæ, bono pacis, retentum. Hoc cum dixiſſent, illis verbis Optatum damnationem Cæciliani extenuare voluiſſe dictum eſt, ut evidentem Cæciliani damnationem aliunde recitarent: ut ab Optato eam extenuatam eſſe poſſet oſtendi, qui apertiſſimè ſcripſerit Cæcilianum fuiſſe purgatum.* Tertio idem Auguſtinus in epiſt. 152. *Protulerunt* (inquit) *Codicem Optati, unde probarent Cæcilianum ab Imperatore damnatum. Qui Codex cum contra illos legeretur, & magis oſtenderet Cæcilianum fuiſſe purgatum, ab omnibus riſi ſunt.*

Hanc ego rem & hiſtoriam nunc inculco, quia alioqui præterii in deſcriptione Collationis Carthaginenſis, cujus tunc partem alteram præcipuam, quæ majorem quæſtionem de Eccleſia continebat, tantum ſum perſecutus. Ut autem in ea quoque quæſtione, Collatores Catholicos & Donatiſtas aliàs oſtendi non ſemper ſatis acutos Dialecticos fuiſſe, ſic jam cogor fateri in quæſtione facti, hoc eſt, cum quærebatur, an Cæcilianus damnatus abſolutuſve fuiſſet, cum Optatum recitaſſent, minime acres fuiſſe in congreſſu. Quærebatur, an abs Conſtantino damnatum eſſe Cæcilianum ſcripſiſſet Optatus. Donatiſtæ, ut id evincerent, protulerunt, ſcripſiſſe, bono pacis, eſſe retentum Brixiæ. Facilis erat reſponſio, eaque multiplex. Primum enim non potuit Optatus id ſcribere, quin paulo ante aliquid, de ſententia Mediolanenſi aliquid ſcriberet. Sed fingamus ſane Optatum ſcripſiſſe conſequens, non antecedens, an non extabant alii ſcriptores teſteſque judicii Mediolanenſis? Deinde cum Optatus ait, *Bono pacis, Cæcilianum Brixiæ eſſe retentum*, non ſignificat propterea fuiſſe damnatum. Imo verò illud *Bono pacis* ſignificat aliam plane ejus retentionis cauſam fuiſſe. Poſtremò quantumvis dicat fuiſſe retentum, tamen paulo poſt in eadem pagina aperte ſcribit Carthaginem properaſſe ad ſuam plebem ſtatim atque audivit Donatum Carthaginem eſſe reverſum. Id Catholici objicere debebant ad refellendam cavillationem Donatiſtarum. Mirum verò quod cum illa omnia prætereunt, exultant quod Optatus ſcripſerit à Miltiade abſolutum fuiſſe Cæcilianum. Atqui Donatiſtæ id non negabant: neque de Miltiadis, ſed de Conſtantini judicio quærebatur. Irriſos vehementer hîc fuiſſe Donatiſtas ait Auguſtinus. At verendum eſt quod ait Catullus, riſu inepto nihil eſſe ineptius. Certe qui ſcribit Cæcilianum eſſe à Miltiade abſolutum, non propterea ſcribit à Conſtantino eſſe abſolutum. Tanto ergo magis miror Donatiſtas obmutuiſſe cum hîc irriderentur. Credo equidem tam fatuos & ineptos fuiſſe, quàm non erant acres & acuti.

Redeo ad Optatum, ait: *Hoc modo iterum renovellatæ ſunt partes*, Mallem *renovatæ.* Significat autem contentionem recruduiſſe, novis partium ſtudiis rurſus inflammatam. Cæterum ut parum cohærere videtur quod proxime ſubjicitur, *conſtat tamen, &c.* ſic res potius poſtulabat, poſtremo nunc adjici legem Conſtantini non modo ſeveriſſimam illam contra Donatiſtas, quam alibi commemorat Auguſtinus, ſed & alteram indulgentiſſimam. Nam idem Auguſtinus in lib. contra Donat. poſt collat. cap. 33. ſcribit Conſtantinum, Criſpo & Conſtantino iterum Coſſ. literas dediſſe ad Valerium Vicarium de Donatiſtarum exilio ſoluto, iiſque vindici Deo relinquendis atque remittendis.

Criſpus & Conſtantinus nobiliſſ. Cæſares, filii ipſius Conſtantini, iterum Conſules fuerunt anno nono poſt mortem Maxentii. Ergo ſaltem octo annis Donatiſtæ Conſtantinum Imp. vexarunt, cùm vexarent Cęcilianum. Cùm autem quarto pòſt anno coiiſſe Nicænam Synodum meminerim (cui Cęcilianum ex Africa unum interfuiſſe alibi annotavi) obſervo vix in Africa tragœdiam Donati intermiſſam fuiſſe,

cùm jam Egypto cepit Arius. Idem Auguſtinus in epiſt. 152. ait Conſtantinum literas dediſſe ad Verinum Vicarium, in quibus Donatiſtas quidem graviter deteſtatur, ſed tamen dicit de exilio relaxandos eſſe, & furori ſuo dimittendos, quia jam ceperat Deus in illos vindicare. Quo anno literæ illæ ſcriptæ fuerint neſcio. Sed ſecundo poſt Criſpum & Conſtantinum Coſſ. iterum Coſſ. anno, Verinum fuiſſe Præfectum urbi & ſucceſſiſſe Valerio, in Faſtis Conſulum annotatum eſt. *Tunc Conſtantinus ad Ælianum.*

Obſervandum eſt factum id eſſe poſteaquam Cæcilianus in (Urbe ut ait Optatus) purgatus eſt, hoc eſt, pauló poſt quam ſententia Miltiadis Epiſcopi Rom. eſt primum abſolutus. Itaque iſtud *Tunc* referendum eſt tantum ad id quod proximè præcedit de prima Cæciliani purgatione atque abſolutione, quæ Romæ fuit: non etiam ad reliqua, quæ multo poſteriora ſunt, Auguſtinus in epiſt. 152. ait, non multò poſt Cæcilianum Epiſcopali judicio primo purgatum, Felicis cauſam ab Æliano Proconſule examinatam eſſe. Factum autem id eſſe, quarto poſt illam purgationem menſe inde colligo, quod Auguſtinus in libr. contra Donatum poſt Collat. cap. 33. narrat factum id eſſe xv. Kal. Mar. Voluſiano & Anniano Coſſ. Etſi ergo provocaſſent Donatiſtæ à ſententia Miltiadis, & cauſa illa principalis contra Cæcilianum etiam non penderet in Synodo Arelatenſi, tamen in Africa interea ipſius Felicis cauſa acta eſt. Sanè jure civili vix ita liceret conjungere & permiſcere præjudicia. Mirabilis autem rurſus hic fuit quædam Donatiſtarum ſive oblivio ſive impudentia, qui in collat. Carthagini fingebant jactabantque Conſtantinum poſt illam ab Æliano cauſam judicatam, retractaſſe ſuam quam pro Cæciliano contra Donatiſtas ſententiam protuliſſet. Atqui nondum de ea cognoverat, & aliquot primum poſt annis ſuam illam ſententiam in Mediolanenſi Urbe tulit, nec parvo intervallo, ſed longè poſteaquam Felix ab Æliano abſolutus fuiſſet, ut ait Auguſtinus in epiſt. 152. Parco ut Optatus hic narrat mandaſſe Conſtantinum, ut de vita Felicis publicè quereretur, ſic Auguſtinus in epiſt. 68. ait, publico judicio cauſam hanc diſcuſſam atque finitam eſſe. Publici hujus judicii vel queſtionis publicæ formam & ordinem deſcribit hoc etiam loco Optatus, neque difficile eſſet interpreti in libris legum rerumque Romanarum verſato cumulare multa, quæ de veteri ordine publicorum judiciorum dicuntur: ſed nunc ego alio propero. Illud modo dico, ex hoc Optati loco poſſe emendari Conſtantini eadem de re agentis epiſtolam mendosè ſcriptam, qualem recitat duobus locis Auguſtinus, ubi pro *Saturnanus* ſcribitur *Centurio*: pro *Callidius* eſt *Calibius*: pro *Solon officiales publicus* eſt *Solus ſervus publicus*. Quodporro Optatus dicit de Ingentio Scriba, Auguſtinus iiſdem in locis, hoc eſt, in epiſt. 68. & lib. 3. contra Creſcon. cap. 70. modo mendosè Vigentium, ut ſæpe alibi, modo rectè Ingentium vocat, cumque Decurionem Ziquenſium civitatis fuiſſe ait: Et verò de eo loquitur Optatus cum ait: *Pependit ſub metu imminentium tormentorum.*

Hic enim reus falſi fuit, quod diceretur falſa acta conſcripſiſſe contra Felicem, & epiſtolam quandam Cæciliani falſaviſſe, ut teſtis eſt Auguſtinus, qui & de eo loqui videtur cum in epiſt. 152. loquitur de quodam ſuſpenſo in eculeo, ut etiam ungulis vexaretur: neque potuiſſe Felicem contradicere, ne tanta diligentia vel ſeveritate quæreretur. Ingentium ſuſpenſum quidem, ſed minime tamen tortum fuiſſe, quia ſe diceret eſſe Decurionem, ſignificat Auguſtinus in epiſt. 68. & lib. 3. contra Creſcon. cap. 70. & convenit cum lege Theodoſiana L. omnes C. de Decur. Miſſum autem eſſe ad Comitatum Conſtantini, cum crimen eſſet confeſſus. De eo etiam aliquid pronunciaſſe Ælianum cum Felicem abſolveret, Auguſtinus ſignificat, qui & totidem verbis ſententiam Æliani recitat, quibus Optatus. Superſtationarium autem cum hic nominat Optatus, obſervemus, Stationarios fuiſſe ex Cohortalibus, hoc eſt officialibus Præſidum, tanquam dicas apparitores, qui diſpoſiti per provincias certis locis, denunciabant Magiſtratibus quid ageretur, quorumque propterea deforme & vile miniſterium appellatur in libris legum, ubi & Stationariorum frequens eſt mentio. L. 6. C. de dignit. L. 1. C. de cohortal. & l. 1. C Th. de cur. publ. & l. ſi quis in hoc C. Th. De Epiſcop. & Cler. Porro noſter Renardus eruditus juris interpres, totum hunc Optati locum recitat. lib. 4. Varior. cap. xj. ut probet quæſtionem olim de reo publice habitam eſſe; ſed falleretur qui ad Felicem reum referret hæc Optati verba *Pependit ſub metu imminentium tormentorum.* Imo Felicem abſentem fuiſſe ab Æliano abſolutum reſtatur Auguſtinus in Brevic. Collat. ad finem. Quod obiter dico, quia video doctiſſimos quoſque viros falli in hiſtoria hac tota. Ergo quantum potui, nunc conatus ſum eam in ordinem redigere, quæ perturbata erat, & quæ erat confuſe permixta, evoluere atque explicatè exponere, præſertim cùm etiam viderem alioqui hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſcriptores hanc rem totam, cum me.

moria imprimis digna eſt, non ſatis expoſuiſſe. Multa ſunt hujus generis in hiſtoria veteris Eccleſię indignè contaminata.

ANNOTATIONES
IN LIBRVM SECVNDVM.

OPtatus diſputans de Eccleſia Catholica, & in principio hujus libri aliquot provincias orbis Chriſtiani enumerans, meminit trium Pannoniarum triumque Syriarum & duarum Armeniarum nempe olim ſæpe una provincia, quæ alioqui nimis latè patebat, in duas aut tres dividebatur, & ſingulis proprius Præſes dabatur. Sic Macer Juriſconſ. in l. 3. De offic. aſſeſſ. ait factum eſſe de Germania & Nyſia, ſic Papinianus in l. 9. De poſtul. meminit provinciarum ejuſdem nominis. Aquitaniæ duplicis fit etiam mentio in Itinerario Antonini. Porro cùm Optatus ſubjicit Catholicam eſſe Eccleſiam, quę ſit Rationabilis, videtur Rationabilem appellare, quę non tam oculis cernatur quàm ratione, hoc eſt, mente & intellectu comprehendatur. De appellatione Catholicę plura dixi in Hiſtoria Collat. Carth. Optatus deinde ſuam Eccleſiam probat eſſe Catholicę partem, quia conſentiat cum Romana: Romanam autem jam inde à Petro perpetua ſucceſſione Epiſcoporum conſervaſſe conſenſionem doctrinę, & veluti fundamentum & corpus ędificii Apoſtolici. Sic enumerat Optatus Epiſcopos Romanos, ut ſimilem Catalogum eodem fine contexit Auguſtinus in epiſt. 165. & ſimili argumento ante Optatum uſus erat Irenęus & Origenes. Sed admonendi iterum ſumus hęc verba, *Damaſo Siricius hodie*, videri non eſſe Optati, ſed alicujus paulo poſt eum ſcriptoris. Nam conſtat Optatum ſcripſiſſe hos libros circa annum 370. Siricium verò illum non fuiſſe creatum Epiſcopum ante annum 383. ut antea dictum eſt. Conſtat Optatum ſcripſiſſe hos libros imperante Valentiniano, ut Hieronymus teſtis eſt. Atqui deinde imperante Theodoſio adhuc vixiſſe Damaſum etiam conſtat, & ipſa lex Theodoſiana, de ſumma Trinitate & fide Catholica id teſtatur. Quod Optatus dicit de commercio Formatarum, ſignificat epiſtolas illas communicatorias certa formula conceptas, quas tanquam fidei ſuæ teſſeras & conſenſionis ſymbola, Epiſcopi orthodoxi mittebant ad Romanum. Sic Formatas appellari teſtatur ipſe Auguſtinus in epiſt. 163. Sed & diſputans cum Fortunio Donatiſta jactante ſuam Eccleſiam eſſe Catholicam, quęſivit, utrum tales Formatas Epiſtolas poſſet, quò vellet dare. Sic enim facillimè illam terminari poſſe quęſtionem.

Quod paulo ante ſcriptum legitur in Optato, Petrum, quia Apoſtolorum caput fuerit, appellatum eſſe *Cephan*, dixi alibi ſolæciſmum eſſe hominis ſomniantis vocem Syriacam, quę ſignificat Petram, eſſe Græcam κεφαλὴ quæ caput ſignificat. Sed ſuſpicor hæc verba, *unde & Cephas appellatus eſt*, eſſe ineptæ alicujus gloſſæ ad marginem temerè aſcriptæ, & deinde abs librariis contextui inſertæ. Certe Optatus libro ſeptimo ſimpliciter ait Petrum fuiſſe caput Apoſtolorum, neque præterea quicquam adjicit. Verticem Epiſcopalis coronæ fuiſſe ait Valentinianus Imper. in Nov. de ordinat. Epiſcop. Prætereo multa ſimilia, quæ paſſim occurrunt, ut redeam ad notas in ſecundum Optati librum, in quibus illud diſſimulare non poſſum valde inſolens videri poſſe, quod Optatus illud Pauli ad Romanos *memoriis ſanctorum communicantes* detorquet ad Baſilicas Rom. Eccleſiæ. In Græco exemplari Paulinæ epiſtolæ eſt χρείαις id eſt, neceſſitatibus. Latini videntur legiſſe μνείαις qui verterunt *memoriis*. Sed mirum eſt, Optatum interpretari de templis martyrum, quæ memoriæ dicebantur, quaſi dicas monumenta. Turrianus allegat antiquum librum Euſtratii Conſtantinopolitani, qui cum Pauli locum retulerit ad memoriam Chriſtianorum defunctorum, pro quibus orandum ſit. Optatus paulò pòſt indicat, cur Donatiſtę Romæ dicti ſint Montenſes. Sic Hieronymus in Chronico ait ſectatores Donati Carthaginenſis à quibuſdam vocari Montenſes, quia Eccleſiam Romæ primam in monte habere cœperint. Idem adverſùs Lucifer. nominat Montenſes ſive Campates. Ac quidem Eraſmo aſſentior, Campates ſive Campenſes eum adjeciſſe quadam alluſione ad Montenſes. Sed numquam dixero, quod Eraſmus dicit Montenſes dictos eſſe à Montano: ſicuti neque Epiphanio ſubſcribam ſcribenti in ſuo An-

corato , *vocantes* Romæ vocari *montenses* De Novatianis manifeſto errore dicit, quod de Donatiſtis dicendum erat. Auguſtinus in lib. de unit. cap. 3. Romæ hos vocat Montenſes ſive Rupitanos. Credo alteram fuiſſe alluſionem ludibrii cauſa. Idem in epiſt. 165. de quodam Epiſcopo Donatiſta loquens, *Præſidens* (inquit) *paucis Afris, in Vrbe Roma, Montenſium ſive Cuzupitarum vocabulum propagavit.* Suſpicor legendum eſſe, *Rupitarum.* Præterea quod memini in quadam etiam lege Honorii, l. 43. C. Th. de heret. ſcriptum quoque eſt, Donatiſtas etiam vocari Montenſes. Adjiciam potius quod Auguſtinus in lib. de hæreſib. *Iſti* (inquit) *hæretici in Vrbe Roma Montenſes vocantur, quibus hinc ex Africa ſolent Epiſcopum mittere, aut hinc illuc Afri Epiſcopi eorum pergere, ſi forte cum ibi ordinare placuiſſet.* Ac quidem Optatus hoc loco numerat & nominat quoſdam ibi ordinatos. Inter quos cum meminit Macrobii, venit mihi in mentem, quod Gennadius ſcripſit ſeſe ex ſcriptis Optati cognoviſſe, Macrobium, (qui cum adhuc presbyter eſſet in Eccleſia Dei, ſcripſerat librum ad Confeſſores & virgines) poſtea Donatianorum in urbe Roma ſive Montenſium Epiſcopum occultum fuiſſe.

In hoc Optati libro ante illa verba *Nam & fontem*, juſſi lacunam aſteriſcis notari, ut ſignificarem multa deeſſe, ſicuti & pag. ſeq. ante hæc verba *Reſtat.* Ne quis hic miretur alioqui tum & jejunam & abruptam & imperfectam eſſe diſputationem de Eccleſia ejuſque dotibus & inſignibus. Quod paulò pòſt ait Optatus, Donatiſtas non rebaptiſare poſt ſocios ſuos in peccato detectos: ineptè vir quidam doctiſſimus annotavit intelligi de Maximianiſtis. Nam poſt ætatem Optati accidit illud inter Primianum & Maximianum Donatiſtas diſſidium: quod quidem inter hos ſchiſmaticos novi ſchiſmatis principium fuit, cum utraque pars obtenderet ſui generis Concilium, illa Carthaginenſe, hæc Bagaienſe, & tamen neutra quicquam alterius baptiſmo detraheret. Nihil eſt quod Donatiſtis ſæpius objiciat Auguſtinus rebaptiſantibus poſt Catholicos. Sed Optatus non potuit objicere quod nondum erat, vidit tamen aliquid non diſſimile, quod hic objicit. Hiſtoriam illam Maximianiſtarum integram exponit Auguſtinus in lib. de geſt. cum Emer. & lib. 4. contra Creſco. cap. 10. & lib. 3. cap. 53. & 56. ſed & in Pſalm. 36. pag. 26. Optatus ait Donatiſtas non præterire in Sacramentorum myſterio quiddam legitimum: ſignificat autem ſolennem formulam illius (ut etiam vocabatur) Canonicæ precationis, qua dicitur offerri ſacrificium pro una Eccleſia in toto orbe diffuſa. Sic & lib. 3. ait eos non potuiſſe prætermittere illud legitimum *pax vobiſcum.* Et libro 4. ait eos etiam uſos in baptiſmo fuiſſe ſolenni formula illius Eccleſiaſtici exorciſmi *Maledicte exi foras.* Sic Cyprianus ſcribit Novatianos in baptiſmo non auſos eſſe præterire ſolennem illam ſtipulationem, *Credis remiſſionem peccatorum?* tametſi hanc ipſi remiſſionem non crederent. Sic & Auguſtinus ſignificat Pelagianos in baptiſmo puerorum adhibuiſſe quoque illam quoque formulam *abrenuncias ſatanæ?* cum tamen alioqui negarent pueros aliquo originali peccato obſtringi. Imo Firmilianus ad Cyprianum ſcribens oſtendit Diabolum quoque ipſum, cum per obſeſſam quandam vatem etiam baptizaret, obſervaſſe verba ſolennia atque uſitata. Denique Auguſtinus lib. 2. de bono perſev. cap. 13. diſputans contra Pelagianos tacitè ſignificat eos aliquid ex Eccleſiaſtica formula Euchariſtiæ repetiiſſe quod objicerent, ſed ipſe ſic eam interpretatur ut adverſus illos contorqueat. *Quod ergo* (inquit) *in ſacramentis Fidelium dicitur, ut ſurſum corda habeamus ad Dominum, munus eſt Domini: de quo munere ipſi Domino Deo noſtro gratias agere à ſacerdote poſt hanc vocem, quibus hoc dicitur, admonentur, & dignum & juſtum eſſe reſpondent.*

Porro quod Optatus narrat de Juliano Apoſtata, qui Donatiſtis faverit, à quibus appellatus atque laudatus eſt, latius exponitur ab Auguſtino in epiſt. 148. & 166. & lib. 2. contra Petil. cap. 83. & 92. Sane libro xvi. Cod. Theod. Tit. v. cap. xxxvij in quadam Conſtitutione Honorii fit mentio cujuſdam Reſcripti, quod Donatiſtæ ab hoc Juliano impetraſſe dicebantur.

Quod paulò pòſt Optatus narrat de Diaconis in altari occiſis, ſimile eſt quod Auguſtinus narrat lib. 3. contra Creſcon. cap. 43. Sed & illam Donatiſtarum jactationem, quia Optatus ſignificat eos, ſeſe appellaſſe Columbas, Catholicos verò vocaſſe vultures, adjiciam quod Auguſtinus lib. 2. contra Petil. cap. 83. *Iſto* (inquit) *modo & milvus cum pullos rapere territus non potuerit, Columbum ſe nominat.* Denique quod ſubjicit Optatus Donatiſtas Euchariſtiam proculcare voluiſſe Victor Uticenſis non diſſimile quippiam ſuis temporibus in Africa rurſus accediſſe narrat: ut hac quoque in parte Vandalos illos Arrianos cum Donatiſtis comparari poſſe intelligamus. Verum id repetatur ex libris ipſius Victoris, quos nunc cum Optato edi curavimus.

ANNOTATIONES
IN LIBRVM TERTIVM.

IN editione Germanica totus hic lib. 3. ſic traoſpoſitis paginis, confuſus & perturbatus fuerat, ut nunquam magis fuerint permixta Sybillæ folia, cum fierent (ut ait Poëta) rapidis ludibria ventis. Ego in priori editione Pariſienſi, beneficio ejus exemplaris quo utebar, reſtitui aliquot paginas ſuo quaſque loco. In hac editiooe rurſus, totidem reſtitui ſuo ordine, quæ etiamnum temere confuſæ & tranſpoſiræ jacebant, ídque feci auxilio Tiliani codicis. Certè quamdiu illæ, quas dixi, metatheſes paginarum miſcebant omnia, vix nlla intelligi poterat ſententia hujoſce libri: hicque agnoſcimus mirabilem olim fuiſſe ſive inſcitiam librariorum, qui libros oon tam deſcribere videbantur quàm dilcerpere, ut catuli lacerant panniculos, ſicuti ait Plato quodam loco. Nuoc ſpero tamen ſic librum iſtum eſſe in integtum reſtitotum, ut lector noſtræ bujus editionis fructum ſtatim agniturus ſit. Quod ad rem attinet: bic agitur cauſa Macarii Præfecti, propter cujus animadverſiones capitales, Donatiſtæ odioſe declamitabant, Eccleſiam noſtrorum eſſe ſanguinariam, neque jam Eccleſiam Catholicam, ſed Macarianam vocabant, ut ſcribit Auguſtinus in epiſt. 161. Idem in epiſt. 164. ad Emeritum Donatiſtam. *Nos* (inquit) *appellatis Macarianos.* Denique ut Catholici, Donatiſtas vocabaot partem Donati: Sic Donatiſtæ, Catholicos, partem Macarii. Teſtis eſt Auguſtinus lib. 2. contra Petil. c. 39. Injuſta tamen erat recriminatio aut retaliatio. Nam ipſi Donatiſtæ ſeſe ab initio vocatant partem Donati, ut Optatus hic probat. Catholici numquam ſe dixerant eſſe partium Macarii.

Porro ut Auguſtinus cauſam ipſius quoque Cæciliani, quæ etſi bona eſſet, tamen perſonalis erat, conarus eſt ſemper ſeparate ab Eccleſiæ cauſa, ſic & ipſius Macarii, unde & in epiſt. 203. ad Maximinum Donatiſtam, *Nec tu,* (inquit) *objicias tempora Macariana, nec ego ſævitiã circumcellionũ. Si hoc ad te non pertinet, nec illud ad me.* Non diſſimilis eſt actio Optati. Illud modo adjicio, extare qoandam Arcadii & Honorii legem l. 31. C. Th. de Epiſc. & cleric. quæ huc pertinere videtur, cum judicibus Africanis præſidium armatæ apparitionis tribuit adverſus eos, qui vi irruebant in Eccleſias earumque clericos affligebant.

Quod poſt priocipium bujus libri Optatus dicit de hoc verbo ἰχθῦς in editione Germanica tam erat depravatum, ut mooſtrum quoddam eſſe videtetur. Erat enim in ea ſcriptum *Xort.* Ego jam in priori editione Patiſienſi id emendavi atque reſtitui, ſimulque ad marginem aſcripſi locum Auguſtini, qui latius exponit myſterium, quod Optatus bic ſubeſſe ſignificat. Locus ille Auguſtini eſt lib. 18. de Civit. Dei, cap. 23. Nunc, ne quis exiſtimet, ab Optato, quicquid iſtud eſt, inventum aut confictum eſſe, adjicio, ipſum antea Tertullianum in lib. de Baptiſmo, illius meminiſſe.

Optatus deinde abutitur verbis Iſaiæ Prophetæ cap. 22. ut quæ ſimpliciter dicta ſunt vel de Judæa quæ vocatur Vallis, vel de urbe Hieruſalem, cui denunciatur triſtis aliqua clades & vaſtitas, contorqueat adverſus factionem Donatiſtarum in Africa. Neſcio, qua Optatus uſus ſit traoſlatione vel interptetatione Iſaiæ. Sed diſſimulare non poſſum, valde ab ejus Prophetæ & ſententia & verbis aliennm eſſe quod affingit. Credo etiam librariorum eſſe quædam peccata, ut cùm hic Iſaiam allegans, *templa* ponit pro *tecta*, & *virgam* pro *fugam.* Sed non ſuſcepi omnia, quæ Optarus, ex ſacris literis vel prępoſtere citat vel ioepte repetit (quod vitium fuit illius & ætatis & regionis) cotrigere.

Quod Optatus ait de mootc Sion in cujus vertice, erant ſeptem ſynagogæ (& in quo poſt victorias Veſpaſiani Imp. vix antiquarum (ot ait) teſtant (ſic enim emendavi ex Tiliano libro) indicia ruinarum: habet ea res aliquid quod hiſtoriæ ſtudioſus obſervet. Ipſe Hieronymus in Hierèm. cap. 19. ſcribit Judæorum civitatem in æternos cineres collapſam eſſe cujus ruinæ ad conſummationem uſque ſeculi permaoſuræ ſint. Sanè poſt tempora Veſpaſiani, quibus urbs illa exciſa & everſa jacuit anois propè quinquaginta, Adrianus Imp. ſic eam rurſus inſtauravit, ut non veterem urbem inſtaurare, ſed plane novam extruere intelligerétur. Itaque & nomeo ipſum

mutavit

mutavit, ac pro Hieroſolyma, Æliam Capitolinam dici voluit. Atque ita quidem appellatur & ab Ulpiano in Pand. Tit. de cenſib. & ab ipſis Patribus Nicænis in Canonibus ejus Synodi. Alioqui verò Tertullianus quoque duobus locis, hoc eſt, in lib. contra Judæos, & lib. 3. conrra Marc. exclamat, *Sion jam nulla eſt.*

Nulla eſt in Optato ſententia, quæ rarior eſſe videatur quàm hæc, quæ ſequitur paulò pòſt: *Non enim Reſp. eſt in Eccleſia, ſed Eccleſia eſt in Rep. id eſt, in Imperio Romano.* Alii interpretarentur, Remp. quidem eſſe poſſe ſine Eccleſia, ut olim fuit Reſp. Rom. Eccleſiam verò non poſſe ſine Rep. imo hujus partem eſſe, cum in hujus ſinu veluti coaleſcat. Scio etiam multa dici ſpecioſe poſſe in univerſum de Reip. & Eccleſiæ comparatione, ſed nunc aliud agitur & quæritur. Dicam ergo quod hujus magis loci eſt. Olim ſolennes in Judaica Eccleſia erant preces pro regno Davidis, in quo Eccleſia intelligebatur eſſe incluſa. Eoque pertinet Pſal. 118. & 71. & 122. Fuerunt deinde in Eccleſia Chriſtiana ſolennes preces pro Imperio Rom. multis de cauſis. Primum enim etſi primis ſæculis Imperium illud valde adverſarium & infeſtum eſſet Eccleſiæ, tamen ejus Imperii amplitudinem prodeſſe ad propagationem religionis, Chriſtiani exiſtimabant, ut Ambroſius annotat in Pſal. 46. & Euſebius ad finem lib. 3. de demonſtr. Evang. & Prudent. lib. 2. contra Symmach. Deinde Chriſtiani veteres, & locum Pauli ad Theſſalonicenſes de apoſtaſia ſic interpretabantur, & de Antichriſto ſic loqui ſolebant, ut profiterentur, Antichriſtum, qui Eccleſiam gravius percelleret, venturum non eſſe ante ruinam & diſſolutionem Romani Imperii: neque orbem prius eſſe periturum. Ergo Deum precari ſolebant pro Imperio Rom. in cujus incolumitate ſentiebant propterea incluſam eſſe incolumitatem Eccleſiæ. Tertull. quem in Africa legebat Optatus Afer, ſic loquitur in Apologetico ad Romanos; *Nominatim atque manifeſtè, Orate inquit Apoſtolus, pro regibus & pro Principibus, poteſtatibus, ut omnia tranquilla ſint. Vobiſcum enim concutitur Imperium: concuſſis etiam cæteris membris ejus, utique & nos, licet extranei à turbis exiſtimemur, in aliquo loco caſus invenimur. Eſt & alia major neceſſitas nobis orandi pro Imperatoribus, etiam pro omni ſtatu Imperii rebuſque Romanis, quod vim maximam univerſo orbi imminentem ipſamque clauſuram ſæculi acerbitates horrendas comminantem, Romani Imperii commeatu ſcimus retardari. Itaque nolumus experiri, & dum precamur differri, Romanæ diuturnitati favemus.* Et rurſus paulò pòſt. *Oramus pro Imperatoribus, pro miniſtris eorum, & poteſtatibus ſeculi, pro rerum quiete, pro mora finis.* Idem ad Scapulam, non modo illud inculcat, *Sacrificamus pro ſalute Imperatoris:* ſed & profitetur neceſſe eſſe, ut Chriſtianus ſalvum velit Imperatorem, cum toto Romano Imperio: & addit, *Quouſque ſeculum ſtabit: tandiu enim ſtabit Imperium.* Idem in lib. de reſurrect. carnis ſic interpretatur locum Pauli ad Theſſalonic. ut quemadmodum non eſt futurus finis ſæculi antequam reveletur antichriſtus, ſic antichriſtum venturum non eſſe antequam deficiat Romanum Imperium. Itaque ait Romanum ſtatum obſtare, quominus ille veniat. Sanè Optatus non vidit illam Romani Imperii maximam ruinam, quam Barbari intulerunt, qualem vidit Auguſt. aut etiam Hieronym. qui & cum urbem à Gothis captam videret, ſcripſit ad Geront. appropinquare antichriſtum. Sed vidit Optatus Imperii Romani ſedem ſic tranſlatam eſſe in Orientem per Conſtantinum, ut ſimul Imperium illud tunc factum ſit Eccleſiæ Chriſtianæ propugnaculum, & in eo impletum fuerit illud Eſaiæ ad Eccleſiam, *Et Reges erunt nutricii tui.* Quod quidem Optatus commodè potuiſſet objicere Donato rejicienti eleemoſynas Conſtantis Imp.

Optatus paulò pòſt, locum Ezechielis cap. 28. de Tyro, detorquet ad Donatum Carthaginenſem ut & Auguſtinus in lib. de Unit. cap. 14. tametſi alibi, hoc eſt, lib. 11. de Geneſ. ad lit. cap. 25. eundem locum referat ad Diabolum. Sed revera vaticinium Ezechielis de excidio Tyri, aliud non eſt quàm quod antea ipſe Iſaias ediderat cap. 23. Neque tamen apud Iſaiam ſcriptum eſt quod Optatus ait, *naves Carthaginis*, ſed, *naves Tharſis:* quo verbo tranſmarina potius Cilicia ſignificatur, tametſi Auguſtinus in Pſal. 47. malit eo verbo intelligi Carthaginem. Sed neque Carthago fuit Tyrus: imo potiùs Tyri quædam colonia.

Porro ad ea quæ Optatus narrat de faſtu & arrogantia Donati, adjici poſſet quod Donatiſtæ jactabant, Deum de cælo reſpondiſſe oranti Donato, ut ait Auguſtinus Tract. 13. in Joannem, & Angelum apparuiſſe, qui ejus ſectam commendaret, ut refert idem Auguſtinus in epiſt. 165. Sed omnibus propè hæreticis volentibus communis fuit ambitio & arrogantia: qualem Optatus hîc accuſat in Donato. Omnes enim tument, ut inquit Tertullianus de præſcript. Denique ut Optatus narrat Donatiſtas juraſſe per nomen Donati, ſic & Priſcillianiſtas per nomen ſui Priſcilliani, narrat Sulpitius Severus. Illud quoque mihi legenti hoc loco Donatum ſibi arrogaſſe principatum Carthaginis, adjiciendum videtur, quod Hieronymus annotat in ſuo Chronico, Donatum hunc tandem Carthagine pulſum fuiſſe, anno Chriſti trecenteſimo

ſexageſimo, hoc eſt, non multis annis anteqnam hos libros ſcriberet Optatus. Quod paulo poſt ſubjicitur de perſecutione excitata à Diocletiano ſexaginta annis antequam hæc ſcriberet Optatus, explicatum eſt libro primo, ubi & de Annullino dixi, cujus hîc quoque fit mentio. Illud modo addam quod non omnes fortaſſe alioqui intelligerent, Provinciæ Proconſulari nomine hîc ſignificari Africam. Quod & in legibus frequens eſt. L.11. C.de erogat. milit. ann. L. ult. C.Tb. de Tyronibus L.15. C.Tb. ind.deb. Porrò multa deinde narrat Optatus de Circumcellionum immanitate. Auguſtinus partim ſimilia partim etiam atrociora de iis paſſim narrat, & quales fuerint illi Donatiſtarum ſatellites, diligenter exponit. Nam & plura eorum ſcelera vidit, quàm Optatus. Illud modo comparabo, quod memini, Auguſtinum de injuria, quæ fiebat creditoribus & dominis ſimilia narrare in epiſtola quinquageſima, cum Donatiſtæ & ſervos ad Pileum vocare viderentur, & debitoribus veluti Novas tabulas darent. *Quis* (inquit Auguſtinus) *non Dominus ſervum ſuum timere compulſus eſt, ſi ad Donatiſtarum patrocinium ſervus confugiſſet? Quis quemlibet poterat exigere debitorem auxilium eorum defenſionemque poſcentem? Peſſimorum ſervorum, ut liberi abſcederent, tabulæ frangebantur. Extortæ debitoribus Chirographa reddebantur.* Quid ſit reddere debitoribus Chirographa, intelligunt Juriſconſulti, qui liberationem inde naſci ſciunt, lib. 4. de pact.l.1. § ult. & l.3. de liber. leg. Obſervabit etiam juris & antiquitatis ſtudioſus, quod paulo poſt ait, non fuiſſe permiſſum in domo Dei, hoc eſt, in templo vel Eccleſia, ſepulturam: ſicuti & lex quædam Gratiani temporibus Optati edita negat Apoſtolorum vel Martyrum ſedem humanis corporibus eſſe conceſſam, l.2. C.de ſacroſ. Eccl. Auguſt. tamen in lib. de Cura pro mort. laudat eos, qui cupiebant in Eccleſia ſepeliri propè ſepulcra martyrum.

Præterea noſtri annotabunt, quod Optatus non multo poſt ſcribit, metatores (ut fieri ſolet) miſſos eſſe ante venturos milites. Metatores vocat, & iis aſcribit, quod in Codice Conſtitutionum dicitur potius fuiſſe officium Menſorum, l.1. & 5. C.de metar. Metata dicuntur in Jure Civili hoſpitia, quæ Provinciales præbere jubentur militibus: & metatores, ipſi hoſpites qui excipiuntur, l.6. C.de metar. Sed Optatus, ita vocat eos, qui præmittuntur ut hoſpitia illa (ut loquimur) prius deſignant. Sic & in Commentariis Suidæ μιτάτωρ, ὁ προαποστελλόμενος ἄγγελος πρὸ τοῦ ἄρχοντος. Huc alludit illud Sidonii Apollinaris lib. 8. Metatoriam paginam quaſi cum Muſa prævia miſi. Ex libris quoque Juriſconſultorum emendatum eſt & reſtitutum quod ante finem libri tertii Optatus recitat dicterium Donatiſtarum, *Cais Seii, Caia Seia*, ut & rurſus ante finem libri ſexti. Antea corruptè in Germania impreſſum fuerat *Gaiaſei*. Norunt Juris ſtudioſi Caium aut Seium aut Titium appellari ſolere quemvis hominem. Unde & noſter Tertullianus in apolog. commemorat vulgare illud de Chriſtiano, *Bonus vir Caius Seius*. Porro Auguſt. lib 2. de Baptiſm. cap.7. rurſus hunc Optati locum illuſtrat, cum narrat fuiſſe hæc Donatiſtarum verba ad Catholicos: *Bonus homo, ſi non eſſes Traditor: Conſule animæ tuæ: eſto Chriſtianus.* Hîc Auguſtinus Optatum ſecutus exclamat. *O improbam rabiem. Cum Chriſtiano dicitur, Eſto Chriſtianus: quid aliud dicitur niſi, nega te Chriſtianum?*

Sic enim locum illum Auguſtini lego & emendo. Sane idem Auguſt. in epiſt. 169. ad Euſebium, ſignificat, cum quis Catholicus ad Donatiſtas deficiebat & ab iis rebaptizari volebat, debuiſſe, ut id mere[ntu]r, dicere, ſeſe hactenus fuiſſe paganum. *Quæ vox,* (inquit Auguſtinus) *ne procederet de ore Chriſtiano, tantus ſanguis martyrum fuſus eſt.* Denique idem Auguſt. lib. 4. contra Creſcon. cap. 59. ait, hunc ſuperbiæ tumorem eſſe omnium, qui ſe à Chriſti unitate diſcindunt, ut ſoli ſeſe eſſe Chriſtianos jactent, damnentque cæteros. De hac jactatione Donatiſtarum: *Totus mundus apoſtatavit, nos ſoli manſimus, &c.* dictum eſt alibi.

Poſtremus in hoc Optati libro tertio locus, qui obſervatione valde dignus ſit, eſt de imagine neſcio qua, quam Macarius dicebatur contra ritum Chriſtianum collocaturus in altari, priuſquam ſacrificium offerretur. Suſpicor quod calumniatores odioſè hic fingebant, fuiſſe de profana imagine ſive ſtatua ipſius Imperatoris, à quo miſſus erât Macarius: ut mirari non debeamus, ſi tale ſimulacrum, quod in altari collocaretur, Chriſtianos exhorruiſſe narret Optatus: cum quidem & id fieret contra Imperatorum mandatum. Nam & licet Principes ipſi illis temporibus magnifacerent ſuas ſtatuas, tamen idola eſſe noluerunt. Ipſe Theodoſius junior in quadam conſtitutione. *Si quando* (inquit) *noſtræ ſtatuæ vel imagines eriguntur, adſit judex ſine adorationis ambitioſo faſtigio.* Sic enim legitur in C. Theod. lib. 15. tit. 5. in C. tamen, Juſtin. pro *faſtigio*. Sic enim legitur *faſtidio*, lib.1. Cod. tit.24. ſed ſi nobis Theodoſius faſtidiri adorationem ſuæ ſtatuæ, civilem modo honorem requirit, qualem eo tempore ſignificabant ſuperbo & ambitioſo verbo adorationis ſaltem in Cod. Th. adjicitur ejus conſtitutionis clauſula, quæ hîc negligenda non eſt. Excedens (inquit)

cultura hominum dignitatem Superno numini reſervetur. Illud modo dico moris olim fuiſſe, ut Imperatores mitterent ſuas ſive ſtatuas ſive imagines in provincias, in quas ipſi alioqui non proficiſcebantur: eaſque imagines à populis de more fuiſſe exceptas propè religioſè. Sic Imp. Theodoſius in l. 1. C. Publ. letic. vel conſul nunc. *Si ſacros* (inquit) *vultus inhiantibus forte populis inferimus, hos ſine immodico precio excipi præcipimus.* Imagines illas vulgo vocabant Laurata. Unde in Actis ſecundæ Nicenæ Synodi ubi de ſacris imaginibus agebatur, legimus: *Laurata & iconas, quæ mittuntur ad civitates, vel regiones obvii adeunt populi cum cereis & incenſis, non ceris perfuſam tabulam, ſed Imperatorem honorantes.*

ANNOTATIONES
IN LIBRVM QVARTVM.

HOc libro Optatus illud potiſſimum agit, ut reſpondeat Donatiſtis, qui, cùm baptiſmum à peccatoribus (ut vocabant) adminiſtratum contenderent eſſe inanem, ineptiſſime objiciebant illud ex Pſa. 140. *Oleum peccatoris non unget caput meum.* Sed vellem, Optati reſponſio interpretationem commodiorem oppoſuiſſet: qualem tamen ab Auguſtino, qui veluti ſupplere ſolet quod in Optato deſideratur, repeti poſſe fateor. Ut autem Donatiſtæ illum Pſalmi verſiculum tam ineptè huc detorquerent, ſecuti videntur præpoſterum exemplum illius ſynodi Carthaginenſis, cui præfuit Cyprianus, & in qua verſiculus ille citatus fuerat ad improbandum baptiſmum hæreticorum. Ut jam minus mirari debeamus, ſi quod tale exemplum ſecutus Parmenianus ridicule objecerat, fuerit deinde & abs Petiliano & abs Creſconio, glorioſis Donatiſtarum patronis putide inculcatum. Verum bene habet Auguſtinum vera interpretatione graviter diluiſſe tam futiles eorum ineptias, lib. 2. contra Petil. cap. 103. & lib. 3. cap. 33. & lib. 2. contra Creſcon. cap. 24.

Porro nemo miretur, ſi Optatus tam facilè exiſtimet ſtatim ſignificari baptiſmum ubi mentio fit olei vel unctionis. Nam & baptiſmi verbo ſcriptura ſacra interdum totum miniſterium Eccleſiæ ſignificat, ut & nomine Altaris deinde noſtri majores plerumque id ſignificarunt, ſic Chriſmatis aut olei verbo frequenter totum baptiſmum indicari exiſtimarunt, plerumque cum olim Chriſtiani ſolerent ſacram illam unctionem adhibere tam ante quàm poſt baptiſmum.

Non poſſum præterire quod Optatus deinde ait, Marcionem ex Epiſcopo factum eſſe Apoſtatam. Atqui Tert. in lib. de præſcr. non Epiſcopum, ſed Epiſcopi filium fuiſſe ait & à patre fuiſſe excommunicatum propter ſtuprum. Alioqui Marcionem vixiſſe ſolitarium ſcribit Epiphanius. Eſt autem intolerabile mendum quod in Optato legebatur, Marcionem induxiſſe duos *Scriptos.* Ergo ex Tiliano libro emendavi & reſtitui *Chriſtos.* Quod vero ſubjicitur de Ebione, qui Patrem paſſum eſſe dixerit: mallem id dixiſſet de Praxea, cujus etiam meminit libro primo. Nam & Tertullianus in lib. de præſcrip. teſtatur multis poſt Ebionem annis Praxeam (quem in Africa vixiſſe ait Auguſtinus) hæreſim introduxiſſe, quæ Patrem omnipotentem (ut ait) diceret eſſe Jeſum Chriſtum, paſſum & crucifixum. Quod autem Optatus deinde ait, Valentinum voluiſſe Chriſto carnem ſubducere, etſi Tertullianus in ſuis libris contra Valentinianos utcumque diſſimulet, cum alia eorum portenta exagitet, tamen in libro de carne Chriſti, non obſcure accuſat Valentinum, qui (ut ait) carnem Chriſti ſpiritalem commentus ſit, quaſi hanc Chriſtus ex cœlo attulerit, & per virginem potius quàm ex virgine natus ſit. Optatus paulò pòſt meminit cujuſdam Corpiani hæretici. In libro Tiliano legitur *Scorpiani.* De eo nihil memini me alibi legiſſe. Scio quoſdam olim nebulones in Africa Cyprianum ignominioſe appellaſſe Coprianum: quaſi ſtercorarium dicas. Sed Cyprianum nemo dixerit alienum fuiſſe à martyrio, cum exhortationem ad martyrium ſcripſerit, & ipſe martyr fuerit. Sane quam Optatus ſignificat fuiſſe hæreſim Corpiani negantis debere eſſe martyria: ſcimus rariorem fuiſſe, quàm altera illa fuerit, quæ auctore Montano martyria tam præciſe requirebat, ut non alios quàm martyres contenderet ſalvos fore: Euſebius lib. 6. cap. 38. narrat ex Origene quandam olim fuiſſe Helceſaitarum hæreſim, quæ irrideret Chriſtianos qui propter confeſſionem Chriſti periculum mortis adirent: ſed eam hęreſim ſtatim atque nata fuit, extinctam fuiſſe narrat. Majoris eſt momenti quod deinde Optatus ſcribit olim fuiſſe hanc in baſptiſmo puerorum formulam exorciſmi, *Maledicte exi foras*, quæ etiamnum

ſervatur. Memini Petrum Martyrem familiatiter aliquando mihi dixiſſe, quod & poſtea ſcripſit in primum librum Regum, ſeſe cum quendam Cypriani locum diligenter expenderet, ſingulariter deprehendiſſe atque obſervaſſe originem minime vulgo notam exorciſmi cum baptiſmo conjungendi. Cyprianum enim lib. 4. ſcribere ad Magnum, Spiritus immundos quandoque fallere ſervos Dei, dum adjurati fingunt ſeſe abire nec tamen abeunt. Tum verò Cyprianum adjicere. *Verum cùm ad aquam ventum eſt, ibi Diabolus minimè valet ſubſiſtere prorſuſque diſcedit.* Hinc Petrus martyr jactat ſeſe colligere, olim factum eſſe, ut arreptitii, qui non poterant curari exorciſmis, baptizarentur. Poſteritatem verò generaliter & confuſe deinde ſemper exorciſmos conjunxiſſe cum baptiſmo. Ac quidem fatetur Optatum, ut & Auguſtinum valde id probaſſe. Sed utrumque propterea reprehendit & erroris accuſat. Prætereo quod inepte allegat neſcio quem Optati librum octavum, qui nullus eſt. Illud modo dico, tam fuiſſe Optatum Cypriani temporibus vicinum, ut quod narrat paſſim ſuo tempore factum fuiſſe, intelligi etiam poſſit factum quoque fuiſſe tempore Cypriani: neque Optatum accuſari poſſe ut auctorem hujus moris & conſuetudinis.

ANNOTATIONES
IN LIBRVM QVINTVM.

NUllus eſt in hoc libro illuſtrior locus, quàm qui ex libris Juriſconſultorum repetitus eſt de teſtamento, cujus teſtimonio de voluntate teſtatoris judicari ſolet. Ut tali exemplo probet Optatus, ex tabulis ſacrarum literarum dirimendam quoque eſſe litem quam movent Donatiſtæ. Auguſtinus, qui Optatum imitari ſolet, videtur ſimili uſus eſſe argumento. Nam in Pſalm. 21. compellans Donatiſtas, inquit: *Fratres ſumus: quare litigamus? Non inteſtatus mortuus eſt pater. Fecit teſtamentum, & ſic mortuus eſt. Tandiu contenditur de hæreditate mortuorum, quandiu teſtamentum proferatur in publicum: & cum prolatum fuerit, tacent omnes, ut tabulæ aperiantur & recitentur. Iudex intentus audit, advocati ſilent, præcones ſilentium faciunt, univerſus populus ſuſpenſus eſt, ut legantur verba mortui. Ille ſine ſenſu jacet in monumento, & valent verba ipſius. Sedet Chriſtus in cœlo, & contradicitur ejus teſtamento.* Idem Auguſtinus in lib. de quinque hæreſibus. *Leges* (inquit) *habent, ut teſtatoris voluntati in omnibus pareatur. Si quis contra voluntatem teſtatoris facere voluerit, careat hæreditate. Teſtamentum profero: verba teſtatoris recito.* Ineptus eſſem, ſi ex noſtris legum libris nunc ambitioſe atque adeo ocioſe repeterem multa ejus generis de fide & auctoritate & teſtimonio teſtamentorum. Illud magis hujus loci eſt, ut obſervemus, Auguſtinum cautius, quàm Optatum, uti ſuperiori exemplo & comparatione. Optatus enim eo utitur, cum ex novo teſtamento profert ſcripturam Joannis de lotione pedum, ut inde probet non eſſe iterandum baptiſmum. Sed Auguſtinus, qui vidit coactum id eſſe mavult uti ſuperiori comparatione, cum ex Pſalmis & Prophetarum ſcriptis probare vult Eccleſiam Chriſti eſſe catholicam. Qua de re cum Donatiſtis altera lis fuit. Sic & in lib. de unit. Eccleſ. contra Petil. *Sunt* (inquit) *libri Dominici, quorum auctoritati utrique conſentimus, credimus, ſervimus. Ibi quæramus Eccleſiam. Ibi diſcutiamus cauſam noſtram.* Cæterum cum diſputat adverſus Donatiſtas de unico baptiſmo eoque non iterando, non tam ſcripturam allegat quàm Traditionem Apoſtolicam, quaſi nuncupativi potius quàm ſcripti teſtamenti teſtimonio tunc uti mallet. lib. 2. de Baptiſ. cap. 7. & lib. 4. cap. 6. & lib. 5. cap. 23. Ac quidem etiam aliquando allegavit locum Joannis de lotione pedum, lib. 3. de Baptiſm. c. 14. Sed cum Petilianus eum in noſtros retorqueret, Auguſtinus ſic reſpondet, ut non diſſimulet ſeſe non valde urgere tale argumentum lib. 2. contra Petil. cap. 22. Itaque & in lib. de unit. cap. 19. ab eo loco ſtatim tranſit ad Eccleſiæ uſum & auctoritatem. Sanè tamen locus ille Joannis, multis etiam poſt Auguſtinum annis tam viſus eſt in Africa pertinere ad unicum baptiſmum, ut furente Vandalorum tyranno, cùm ſeptem illi fratres, quorum non minùs nobile martyrium fuit, quàm olim fratrum Maccabæorum, ab Arrianis urgerentur ad alterum baptiſmum, nihil magis oppoſuerint. Teſtis eſt Victor Uticenſis lib. 4. de perſec. Vandal. nempe noſtri olim fuerunt fortiores martyres quàm acuti diſputatores. Illud poſtremò annotabo quod Optatus in hoc libro reſpondet adverſariis contendentibus

baptiſmum ab ſchiſmaticis adminiſtratum eſſe nullum, & propterea eſſe repetendum, quia & baptiſati à Ioanne ſint iterum baptiſati ab Apoſtolis, ut Lucas refert. Optatus reſpondet exemplum eſſe diſſimile, quia baptiſmus Ioannis alius & diverſus fuerit à baptiſmo Chriſti: Baptiſmus verò Schiſmaticorum conferatur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, tanquam baptiſmus Chriſti. Non diſſimile reſponſum & diſtinctio eſt Hieronymi in Dial. contra Lucifer. & Auguſtini libro ſecundo contra Petil. cap. 37. & lib. 3. cap. 56. & lib. 5. de baptiſ. contra Don. cap. 9. 10. &c.

ANNOTATIONES.
IN LIBRVM SEXTVM.

Nihil multos hodie magis offendit in hoc libro, quàm quod Optatus tanti faciat altaria. Certè Petrus martyr in 1. lib. Regum cap. 23. valde propterea reprehendit Optatum. Mirum verò cur non potius ipſum, qui antiquior eſt, Tertullianum, qui in lib. de pœnitent. aras Dei in Eccleſia celebrat.

Porro quod Optatus hîc narrat de incredibili Donatiſtarum faſtu, & adverſus Catholicos immani odio, memini multis pòſt ſeculis in Oriente Græculos eſſe imitatos in ſuo ſchiſmate. Nam Innocentius III. in cap. 6. De baptiſ. lib. 3. Decretal. ex ſuo concilio Lateranenſi (quod anno 1215. Romæ coiit) iſtam repetit narrationem. *Si quando* (inquit) *Sacerdotes Latini ſuper Græcorum celebraſſent altaria, non prius Græci ſacrificabant in ipſis, quàm ea, tanquam inquinata, laviſſent, Baptiſatos etiam à Latinis Græci rebaptiſare auſu temerario præſumebant.* Alter in hoc loco præcipuus locus eſt de Sanctimonialibus (ut vocabantur) quas & olim in Africa & Ægypto vocatas fuiſſe Nonnas, ex Arnobio atque Hieronymo didici. Et quidem Ambroſius lib. 1. de Virgin. ait ex ultimis infrà ultraque Mauritaniæ partibus deductas Mediolanum, ſacrari geſtiiſſe ab Ambroſio. Habebant & Donatiſtæ ſuas virgines Sanctimoniales, & cùm Catholicos audirent in ſuis oſtentare quoddam decus Eccleſiæ, valde hoc agebant, ut eas ad ſe pellicerent, ſicuti indicat Auguſtinus in epiſt. 169. Hoc ergo illud eſt, quod Optatus qui & libro ſecundo aliquid hac de re dixerat, tam valde hic conqueritur tentatas à Donatiſtis fuiſſe tales Veſtales: & earum non modo raptores, ſed & procos tam valde abigit. Paulo antequam Optatus hæc ſcriberet, lata fuerat ab Imp. Ioviano lex ſeveriſſima, quæ capitalem pœnam denunciabat iis qui non modo rapere, ſed & jungendi matrimonii cauſâ, ſacratiſſimas Virgines attentare auſus eſſet. l. 5. C. de ſacroſ. Eccleſ. Teſtiſque eſt Sozomenus lib. 6. cap. 3. Jovianum id edixiſſe, ut reprimeret inceſtam petulantiam, quæ tempore Juliani impie & impudenter graſſata fuerat. Sed Donatiſtarum procacitatem & impudicitiam nulla lex coërcere potuit.

Porro commode nunc mihi in mentem revoco, Fulgentium Afrum qui annis poſt Optati mortem pluſquam centum in Africana Eccleſia fulſit floruitque, libro ſecundo ad ſuum Monimum ex hoc Optati libro ſexto, ubi de Virginibus agitur laudare Optati interpretationem, Paulinæ de iis ſententiæ ad Corinthios, & conſilii magis quàm præcepti: eamque interpretationem conferre cum Aug. & Ambroſii alia expoſitione. Et quia integra Optati verba recitat Fulgentius, locum inſpiciat lector, & cum noſtra editione conferat. Nam & id maioris eſt momenti, quam quod præterea Optatus inculcat de velis, quibus tegebantur & veluti obnubebantur capita ſacrarum virginum. Mitrellas vocat, quaſi parvas mitras dicas. Mitra verbum eſt Syriacum, Græci dicunt διάδημα, Latini vittam, & proprie ſignificat vinculum aut redimiculum. Ut autem erant vittæ virginales, ſic & aliæ erant matronales. Nam nuptæ matronæ aliter quàm virgines caput velabant & ornabant. Unde Propertius, *Cinxit & acceptas altera vitta comas.*

Quod ſub finem ait Optatus, de ea, quæ ſecundo nubit, *Non in altum tollitur*, annotatum eſt ab aliis, dictum videri ex more Africanæ potius quàm Latiæ Gentis. Fuiſſe enim apud Pœnos, ut & apud Ægyptios & Græcos, in more, ut nubentes ſellæ curuli inſiderent, curruque ſublimes vectę, à patris domo in domicilium mariti transferrentur. At Romano more nubentes potius manu ducebantur.

Quàm poſtremo elegantem ſimilitudinem repetit ab aucupibus Optatus, videtur & Auguſtinus eum imitatus repetiiſſe in lib. ad Honor. de util. cred. cap. 1. Ego nunc

edo emendatiorem, ubi pro *vivarum volentium*, ex meliori exemplari reſtitui *avium volantium*. Memini etiam, quod cum nuper me inviſeret Fornierius Juriſconſ. Aurelianenſis & de Optato fortè incidiſſet ſermo, admonuiſſe, ſibi videri, in eo, quod paulò pòſt Optatus ait *cantare gutture alieno*, illud *alieno* proprie ſignificare *ficto*, ut apud Horatium, *malis ridentem alienis*, id eſt, *fictis & ſimulatis genis*, & ſimiliter apud Homerum. Sed reſpondi, apud Optatum aves hic dici quaſi de gutture alieno cantare, quia earum cantus qui verus eſt per errorem habeatur pro cantu aliarum avium alioqui fictarum atque mutarum. Addidi, apud Valerium Flaccum, illud, *Errantesque genæ, atque alieno gaudia vultu*, ſimile eſſe verſui Horatiano.

ANNOTATIONES
IN LIBRVM SEPTIMVM.

SUſpicatus ſum aliquando hunc librum, (qui & in editione Germanica præteritus fuit) non eſſe Optati, cùm Hieronymus non niſi ſex libros ab eo ſcriptos eſſe ſcribat, & ipſe Optatus lib. 1. non niſi ſex librorum argumentum proponat. Sed cùm hic lib. 7. reperiatur in tribus, quibus uſus ſum, manuſcriptis exemplaribus, & ſtylus reſque conveniat, agnoſcam eſſe Optati: verum dicam eſſe ſcriptum poſt editos ſex ſuperiores. Bene autem habet, quòd multæ paginæ, quæ deſiderabantur, inventæ ſunt in Tiliano exemplari: & poſtrema pars quæ in eo deerat, in aliis exemplaribus extiterit: tametſi non dubitaverim detrahere & delere, quod ex fine lib. 3. de cauſa Macarii, temere hic repetitum, & inepte additum atque aſſutum fuerat ad finem hujus lib. 7. Sed nolui neque debui præterire quam in exemplaribus duobus appendicem poſtremam reperi, licet deeſſet in Tiliano. Illud modo confiteor in emendatione hujus libri poſtremi minime mihi ipſi me ſatisfeciſſe, neque propter varietatem ſcripturæ potuiſſe.

Cæterum ut quod ad rem magis pertinet, & plenior Donatiſtarum hiſtoria poſtulat, expleam, & Optato hac ratione cumulate ſatisfaciam, viſum eſt nunc adjicere integram expoſitionem diſputationis de Eccleſia in ampliſſimo conventu Carthaginenſi cum Donatiſtis habitæ præſente Auguſtino, annis aliquot poſt mortem Optati. Nam & in ea (ut vocata fuit) Collatione, ipſius quoque Optati & librorum ejus cauſa quodammodo acta eſt, ut ex iis, quæ paulò ante annotavi intelligi poteſt.

GABRIELIS ALBASPINÆI EPISCOPI AVRELIANENSIS OBSERVATIONES IN S. OPTATVM EPISCOPUM MILEVITANUM.

OBSERVATIO PRIMA.

De erroribus & criminibus Donatiſtarum.

EX OMNIBUS Africæ ſcriptoribus, qui contra hæreticos pro Eccleſia ſcripſerunt, non eſt qui tam diu interpretationis luce caruerit, quàm Optatus Milevitanus. Et licet lumen aliquod á Franciſco Balduino Juriſconſulto acceperit; quia tamen res potius quæ ad Hiſtoriam pertinerent, in qua apprimè verſatus erat, quàm ea quæ de veteri Eccleſiæ diſciplina in illo Auctore occurrunt, explicavit, ſine interprete eum adhuc fuiſſe, merito poſſumus dicere, quod & antiquitatis inveſtigatores, & controverſiarum ſtudioſi diutius ferre non debuerunt; cum in Optato multa utriuſque extent veſtigia, quæ in aliis auctoribus non notantur. Sed antequam ad ea illuſtranda veniamus, pauca de Donatiſtarum erroribus, & flagitiis prælibanda ſunt.

Primum ergo Donatiſtarum crimen, á quo cætera eorum flagitia, quibus Africa tamdiu oppreſſa fuit, originem duxerunt, iſtud eſt; quod altare contra altare Carthagine erexerunt, hoc eſt quod Majorinum in Eccleſia, in qua Cæcilianus ſedebat, qui ritè inauguratus eſſet ordinarunt. Hujuſce impietatis multi fabricatores extiterunt; ſed Lucilla fœmina Hiſpana huncmotum prima excitavit, quæ cum inimicum ſuum Cæcilianum in illa ſede ferre non poſſet; plurimos Epiſcopos cum Secundo Numidiæ Primate pecunia corrupit, eiſque perſuaſit, ut depoſito Cæciliano Majorinum Lectorem domeſticum ſuum Eccleſiæ Carthaginenſi præficerent: Huic mox ambitioſi quidam Botrus & Sileſius, qui eundem Epiſcopatum ambiebant, operam & ſtudium præſtiterunt: ſeniores denique nonnulli, qui depoſitam Eccleſiæ ſupellectilem negabant his ſe addiderunt, atque plebis partem á Cæciliano ſubtractam & jam nutantem in idem ſchiſma impulerunt.

His initiis & auctoribus Donatiſtarum diſſenſiones primùm ortę ſunt. Verum cùm interea animadverterent Majorini ordinationem ſtare non poſſe, quod ſine cauſa, & abſque ullo colore, alio ſedente facta eſſet; Cæcilianum novis & falſis criminibus coacti ſunt petere, eumque traditionis, & idololatrię inſimulare. Hoc eſt alterum Donatiſtarum crimen, alter prętextus, quem non obtenderunt, niſi aliquo tempore poſt Majorini Ordinationem. Nam cùm ei manus impoſitæ ſunt à Secundo, & à cęteris Lucillæ Epiſcopis, nemo unquam Cæcilianum non modo de idolorum cultu, aut de Codicum traditione, ſed ne minimi quidem criminis accerſiit. Verùm ne Majorini ordinatio reſcinderetur, quod facta eſſet contra Eccleſiæ diſciplinam, has omnes calumnias in Cęcilianum finxerunt. Et ne tam citò ab his purgaretur, & eas falſas eſſe oſtenderet, Menſurium deceſſorem, Fœlicemque ejus ordinatorem, ejuſdem inſuper criminis reos fecerunt aut facere conati ſunt. Primum ut inde Cęciliani ordinatio damnaretur, quòd per eam cum Epiſcopo idololatra communicaſſet: alte-

rum, ut miſſio & communio ejus ab Epiſcopo ſacris interdicto deſcendere, & à Patre idolis mancipato originem habere videretur: & licet accuſationes iſtæ calumniarum plenæ à Papa Melchiade, ab Imperatore Conſtantino, à Concilio Arelatenſi, à duobus Epiſcopis hac de cauſa miſſis in Africam ut Melchiadis ſententiæ ac decreto ſtaretur, communique penè cunctæ Africæ voce ac conſenſu judicatæ eſſent; Æliani præterea proconſulis Africæ in hanc rem inquiſitionibus, univerſæ demum Eccleſiæ communione: non ideo tamen in calumniis ſuis non perſtiterunt Donatiſtæ, ſed nova inſuper crimina, & cauſas addiderunt, & in ſua ſententia & ſchiſmate pertinaciter manſerunt.

Itaque ut omnibus perſuaſum eſſet crimina quibus onerabant Cæcilianum, neque falſa, neque immeritò alium in ejus locum ſuffectum eſſe, ab omnibus primum Africæ Eccleſiis, quæ ſocietatem cum Cæciliano coïerant, divortium fecerunt. Poſteà verò rabie ac furore ſchiſmatis gliſcente ab univerſæ demum Eccleſię pace & communione receſſerunt, id eſt ab univerſo hominum genere, qui cum Cęciliano conſentiebant; hic eſt hujuſce ſchiſmatis ortus & prima quaſi ſcintilla, quæ penè totam Africam & Eccleſiam incendit.

Qua in re animadvertendum eſt: Si quæ Cęciliano mendaciter affingebant Donatiſtę, vera fuiſſent, & Menſurius & Cæcilianus falſo deorum cultu ſeſe inquinaſſent, Donatiſtas nihil in Eccleſię diſciplinã & canones commiſiſſe cùm Cæciliano cæteriſque ejus communicatoribus & ſociis communionem negarent. Non enim fas erat, non dico idololatram Epiſcopum conſecrare, ſed ne quidem cum laïco lapſo conſuetudinem ullam habere: & quamvis Eccleſia id temporis Novatianos damnaſſet, quod cum lapſis longa pœnitentia purgatis non communicarent: tamen minimè utebatur iis qui à fide vel in ipſis vinculis, & tormentis defeciſſent, niſi poſt diuturnam gravemque pœnitentiam: quapropter Donatiſtę, pro hæreticis non habebantur, quod cum Cæciliano ejuſque partibus, & conſentientibus ſocietatem non haberent: ſed quod in ſua pertinacia mordicus permanerent, & quod ſpreto ſummi Pontificis & Concilii judicio, quibus Cæcilianus innocens repertus eſſet, pertinaciter factioſeque ſchiſma ſuum ſuſtinerent.

Sed ut ad eorum errores & flagitia revertar, poſt hoc divortium & ab Eccleſia ſeceſſionem, quæ ſequuntur crimina quaſi neceſſariò perpetrare coacti ſunt. Primùm ſacrificia Cæciliani eorumque omnium qui cum eo communionem agebant, impura eſſe, irrita, & Deo inviſa prædicabant, quæ propterea nec ullam inter orthodoxorum fideles pacem, nec inter Chriſtũ & Eccleſiam unionem & compaginem parere poſſent.

Deinde Euchariſtiam, quæ in templis orthodoxorum conſecrabatur, ritè conſecratam negabant, quòd ſcilicet neque eorum Epiſcopi, neque eorum Sacerdotes ritè conſecrati eſſent, aut vim ullam aut poteſtatem conſecrandi haberent; ac proinde cùm orthodoxorum templa invaderent, pedibus projectam conculcarent Euchariſtiam ſine ullo pudore, aut religionis metu; quod placefactnri non fuiſſent, niſi eorum qui conſecrabant, poteſtatem in contentionem vocaſſent, docuiſſentque ab orthodoxis Euchariſtiam conſecrari non potuiſſe.

Ob eandem etiam cauſam ſanctum Chriſma veluti non conſecratum projiciebant.

Quartus eorum error & crimen erat quod baptiſatos rurſus abluerent, qua in re multa ſunt obſervanda. Primum, ex Donatiſtarum inſtituto, aut ex eorum animi ſententia rebaptiſationes haud fiebant: nam mordicus tenebant cum orthodoxis, unum tantum eſſe baptiſma, & Chriſtianos uno tantum baptiſmate tingendos eſſe: verùm cùm orthodoxos hæreſeos & idololatriæ inſimularent, quod cum Cæciliano communicarent, Baptiſandi vim & poteſtatem eis nullam eſſe exiſtimabant. Secundo, Baptiſmi repetitio non erat proprium ac peculiare illius ſectę crimen, neque à Donatiſtis inventum, ſed ætate divi Cypriani invectum, qui eam de ſe per totam Africam opinionem & exiſtimationem reliquerat, ut quidquid docuerat pro regula fidei haberetur. Ob hanc cauſam Donatiſtæ ad documenta tanti viri reſpicientes, qui docuerat hæreticos rebaptiſandos eſſe, Cæciliani ſectatores, omneſque qui in Eccleſia tincti eſſent poſt Cæciliani ordinationem rebaptiſabant; non ſecus atque Africæ magna pars, quæ hæreticorum baptiſmum reſpuebat. Non enim Divus Auguſtinus ſcribens contra Donatiſtas locis omnibus, & argumentis ex divo Cypriano, & ex Concilio ejus tempore celebrato deſumptis, reſpondiſſet, niſi Donatiſtæ ex divi Cypriani potius quàm ex ſua ſententia hunc errorem ſuſtinuiſſent.

Quintus eorum error & crimen erat in Confirmando: nam ut Baptiſmum, ſic & Confirmationem repetebant: & licet uno duntaxat verbo in Optato notentur hoc crimine *iterum unxiſſe*; certũ tamen eſt, eos rebaptiſatos rurſus quoque confirmaſſe. Olim enim Confirmatio Baptiſmum ſemper ſequebatur, neque quiſquam prioribus illis ſæ-

culis.

culis ſacris undis abluebatur, quin mox ab Epiſcopo chriſmate perficeretur, & abſolveretur. Itaque cùm Orthodoxos tanquam non baptiſatos rurſus intingerent, eoſdem tanquam non confirmatos iterum etiam confirmabant: quemadmodum Epiſcopos aut Presbyteros, quos de integro baptiſabant iterum pariter ac de integro ordinabant & conſecrabant.

Sextum crimen erat, quòd omnes, qui in Eccleſia initiati & ordinati eſſent, pro non ordinatis haberent: atque ita in tota Eccleſia, & in toto orbe terrarum, præterquam in angulo Africæ, ubi eorum ſchiſma, & factio vigebat, ullum Epiſcopum aut Presbyterum reperiri negarent, omneſque Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos, qui in eorum poteſtatem veniebant, nulla habita ratione dignitatis, conſecrationis, & olei ſancti, inter prophanos & laïcos reſcriberent: quod antiquitus ſummum erat ſcelus.

Septimum, quod Orientis & Occidentis Eccleſias omnes infectas, pollutas, ac reas eſſe exiſtimarent: quod cum Cæciliano, ejuſque ſucceſſoribus communionem ac ſocietatem habuiſſent: itaque cùm ex Arabia nonnullos nanciſcebantur, non minus eos rebaptiſarent quàm Carthaginenſes, quamvis eorum omnium ignari eſſent, quæ in Cæcilianum fingebantur.

Octavum: Jeſu Chriſti Eccleſiam viſibilem neque eſſe, neque conſtare debere, niſi ex innocentibus, innoxiis, & nulla labe aut macula contactis: unde ab omnibus, & ab univerſa Eccleſia ſegregatos, catharoſque, puros, ac integros quemadmodum Novatiani ſe eſſe jactabant.

Nonum crimen: quod manus Epiſcopis, & Presbyteris lapſis imponerent, ut colligitur ex ſententia Melchiadis. Verùm in hoc laboratur de quanam manus impoſitione ſit accipiendum: nam plurima pars munerum & miniſteriorum Epiſcopalium manuum impoſitione conficiebatur, ut Baptiſmus, Confirmatio, Ordinatio, Pœnitentia, Benedictio, curationes, miracula. Sed quia res eſt ſpiſſa ac difficilis, eademque pulchra, mihi videtur digna quæ diligentius enucleetur. De ea igitur in alia obſervatione diſſeremus.

Decimum: quod Epiſcopos nulla juſta de cauſa exauctorarent, eoſque in laïcos referrent, quæ res Eccleſiaſticæ diſciplinæ olim maximè adverſabatur: & licet plurimis in monumentis hiſtoriarum legamus Epiſcopos à ſacris fuiſſe remotos, & ad laïcam communionem redactos; id tamen non niſi juſtis magniſque de cauſis & atrocibus criminibus factum fuiſſe, uti ob idololatriam; verum Epiſcopum nulla de cauſa dignitate ſua & honore conſeſſus ſpoliare ingens crimen erat: Hoc enim erat eum exuere dignitate, quæ locum & partem & in corpore Chriſti eminentiorem cæteris tribuebat, ideoque & eum, & Eccleſiam pariter injuria afficiebat atque Eccleſiam hoc membro privabat. Idem de Presbyteris, & Diaconis licet aſſerere, quos Donatiſtæ ſine cauſa, aut crimine ab Eccleſiaſtica communione removebant.

Undecimum ſcelus, quod eadem falſa opinio, & fundamentum in animis eorum gignebat, eſt; quod omnes Orthodoxos quamvis innocentes ad pœnitentiam cogerent, quod Eccleſiaſticis olim canonibus maximè repugnabat; impium namque erat membrum de Corpore Chriſti niſi putre & infectum reſcindere, & in pœnitentiæ locum redigere: nam quamvis hæc pœnitentia publica ſummæ ac ſingulari utilitati eſſet iis qui baptiſmi primum candorem & innocentiam amiſerant, ſummumque ac præſens in ea eſſet præſidium adverſus peccati maculas, inviſa tamen erat innocentibus, neque fas erat eam imponere niſi iis qui in criminibus detinebantur: Nam pœnitentes olim in numerum interdictorum erant referendi antequam ad pœnitentiam pervenirent, & ita quaſi traditi Satanæ habebantur, præterea in primo gradu lacrymis & veniam deprecabantur & ſtatus ſui miſeriam deflebant, deinde in ſecundo tanquam Cathecumeni & rerum Chriſtianarum imperiti & rudes erudiebantur: ac denique in tertio exorciſmis à Dæmonis poteſtate vindicabantur, & ejus afflatibus purgabantur; quod maximè abhorrendum erat iis qui innocentes erant. Cæterùm notandum eſt Donatiſtas pœnitentiam his omnibus non impoſuiſſe niſi initio ſchiſmatis & cùm primum ſucceſſionem fecerunt, & iis dumtaxat qui baptiſati eſſent ante ſchiſma, nam iis qui baptiſati eſſent poſt ſchiſma pœnitentiam non poterant imponere quod ſcilicet eſſent rebaptiſandi. Itaque quod ait Optatus eos innocentes, inter reos & pœnitentes relegaſſe, id non ad Optati tempora quibus quoſcumque allicere & abducere poterant, rebaptiſabant, ſed ad initia ſchiſmatis referendum eſt, quo tempore multi ad eos tranſibant qui tincti eſſent ante Cæciliani ordinationem, & qui purgari ſecundùm eos non poterant niſi pœnitentia.

Duodecimum crimen erat: publica hac pœnitentia pueros innocentes & nondum peccati capaces eo ipſo nomine quod cum Cæciliano communicaſſent mulctabant; qua in re hoc concedatur oportet Optatum loqui de primis quibus natum eſt ſchiſma temporibus, & de pueris ante ſchiſma natis quos Donatiſtæ non rebaptiſabant, nã qui poſt ſchiſma naſcebantur ad pœnitentes uti dixi non poterant reſcribi, quia rebaptiſabãtur;

Cæterum pueros rudes,& in ætate conſtitutos quæ peccati non eſt idonea pœnitentia donabant, eo ſcilicet conſilio, non ut eos à peccato liberarent, ſed ut eos in perpetuum à communione Eccleſiaſtica, & à ſacris ordinibus arcerent: nam olim non licebar pœnitentem in Clerum aſciſcere: Deinde ut ita cogerentur Orthodoxi peregrinos quærere & petere, & alibi natos quorum vita illis conſtare non poſſet & in ſedes eos Epiſcopales & Preſbyterales inducere: quod antiquitus vetitum legimus.

Decimum tertium crimen, quod altaria Orrhodoxorum exurebant, calices frangebant, parietes & pavimenta Eccleſiæ quaſi polluta Orthodoxorũ ſacrificiis lavabãt.

Decimum quartum, quod ſolemnia virginum vota ſolverent & inter pœnitentes detruderent, ut quæ apud lapſos ant idololatras profeſſæ eſſent, ac proinde iis non tenerentur, neque rata eſſent.

Decimum quintum, quod in locis vi occupatis in quibus templa poſſidebant, civibus incoliſque Catholicis ſepulturæ pacem & honorem negarent, propterea quod eos lapſos & idololatria infectos per Cæciliani communionẽ exiſtimarent & prædicarent: & quod defuncti per ſepulturam olim cum viventibus communicare cenſebantur, precumque & ſacrificii, ac omnium communionum quæ fiunt in Eccleſia, & in ſacris non minùs fieri participes quam viventes: ob hanc cauſam ne cum Orthodoxis poſt mortem communicare cogerentur cum quibus viventibus ne cibum quidem ſumere voluerant, in Eccleſiis & Cœmeteriis quę occupabant locum eis negabant.

OBSERVATIO II.

Quomodo congruerent aut differrent Novatiani & Donatiſtæ.

NON abs re erit evolveare ac penitus inſpicere, num qua in re Donatiſtæ convenirent cum Novatianis: nam multi ex recentioribus innuere videntur has ſectas eodem aut nixas fundamento, aut ſaltem in multis conſenſiſſe: ſed falluntur egregiè quidquid ex Euſebio, Epiphanio & Theodoreto pro ſua opinione conradere valeant. Nam primum conſtat Novatianos pœnitentiam omnibus penè criminibus denegaſſe; contra verò Donatiſtas non ſolum eam conceſſiſſe idololatris & homicidis, verum ultro eam etiam reluctantibus aut certe immerentibus impoſuiſſe, & quaſi innocentes pœnitentiæ legibus ſubjeciſſe: Secundo inter Novatianos laïcis, vel etiam flentibus & crimen deprecantibus pœnitentiæ remedium non patebat, at in hac hæreſi Epiſcopi ad pœnitentiam adigebantur quod erat contra Eccleſiæ diſciplinam: Tertio Novatianis jus & poteſtas non erat delicta condonandi quod Eccleſiam hac auctoritate carere exiſtimarent. Donatiſtæ verò contrarium omnino docebant; nam pœnitentia functos & purgatos in ſocietatem admittebant: Quartò illi à ſecundis nuptiis abhorrebant, hi verò hac in re ab Orthodoxis non diſſentiebant.

Negari tamen non poteſt nonnulla inter eos fuiſſe ſimilia, quemadmodum Cathari nomen quo utrique puritatem ſuam oſtentabant, ſed diverſam ob cauſam: nam Novatiani puros ſeſe jactabant quod cum lapſis neque pœnitentibus neque pœnitentia functis communicarent: Donatiſtæ vero puriores videri & appellari volebant: non quod à pœnitentibus abhorrerent, ſed quod ſuam Eccleſiam à contagione & crimine Cæciliani immunem conſervare vellent.

OBSERVATIO III.

Nonnulla quæ in hac hiſtoria ſunt obſcura.

IN hac hiſtoria, quamvis accuratè deſcripta à Balduino & à Baronio, multa reperiuntur quæ non ita facilè decidi explicarique poſſunt. Primum enim duos omnes produnt extitiſſe Donatos hujuſce ſchiſmatis auctores & fabricatores: unum à Caſis Nigris, Carthaginienſem alterum, Magni cognomine illuſtrem, de quibus in auctoribus plurima eſt mentio, ſed adeo ni fallor confuſa ac pertubata ut non ſatis certum ſit uter amborum à Melchiade Romæ fuerit damnatus & quem ex illis duobus hæcce verba deſignent, *quod confeſſus ſit ſe rebaptiſaſſe & manum lapſis Epiſcopis impoſuiſſe, quod alienum eſt ab Eccleſia*, Quę verba habentur in ſententia & judicio quod in Donatum à Melchiade conſtitutum legimus: quæ res adeo incerta fuit ſemper, ut in Collatione Carthaginienſi, putarent Catholici judicium illud in Magnum Donatum latum fuiſſe, &

in eum Romæ animadverſum. Verum cum Donatiſtæ contenderent de altero Donato rem eſſe accipiendam non autem de Magno Donato, In eandem mox ſententiam Catholici diſceſſerunt ut patet ex D. Auguſt. in breviculo tertii diei, *Contenderent quod non Carthaginienſis, ſed Caſenſis in judicio Melchiadis adſtitiſſet quod Catholici concedebant.* Ipſemet etiam D. Auguſtinus hac in re ſe hallucinatum eſſe fatetur, libro retractationum capite. 21. *Item quod dixi Donatum cujus epiſtolam refellebam, rogaſſe ut imperator inter ipſum & Cæcilianum tranſmarinos judices daret; non ipſum, ſed alium Donatum, ejuſdem tamen ſchiſmatis hoc feciſſe probabilius invenitur; ille autem non erat Carthaginienſis Epiſcopus Donatiſtarum, ſed à Caſis nigris, qui tamen primus apud Carthaginem nefarium ſchiſma fecerat.*

Quæ quamvis clara admodum & perſpicua ſint ita ut nemo ſit qui non exiſtimet Donatum Caſenſem Romæ damnatum fuiſſe: nihilominus ex Optato contrarium non minus perſpicuè colligitur. Nam ſcribit Magnum Donatum eundem ipſum qui tantę auctoritatis fuit in illo ſchiſmate, libellū ſupplicem Conſtantino obtuliſſe judiceſque tranſmarinos petiiſſe: quod ſi Magnus Donatus apud Imperatorem de ordinatione Cęciliani conqueſtus eſt de eodem haud dubiè Melchiadis ſententia explicanda erit: nam omnes fatentur, eundem ipſum qui libelli auctor fuit Pontificia damnatione Romæ convictum eſſe: Optati verba ſic habent. *Sed illico ad ſingulos quosque venientes hæc erant verba. Quid apud nos agitur de parte mea? quaſi jam verè populum cum Deo diviſerat ut intrepide ſuam diceret partem: nam à temporibus ejus & uſque in hodiernum ſi quando de rebus Eccleſiaſticis in judiciis publicis aliqua celebrata eſt actio, interrogati ſinguli ſic apud acta locuti ſunt ut dicerent ſe de parte eſſe Donati, de Chriſto tacuerunt. Et quid de clericis dicam cùm legantur preces quarum in primo libro fecimus mentionem jam dudum ad Conſtantinum miſſæ & ſubſcriptæ quæ Epiſcoporum nomina continebant, ſic datæ à Capitone Naſurio Digno & cæteris Epiſcopis partis Donati: & poſtulabant utique contra Epiſcopos qui dum non erant in parte Donati, in Chriſti Catholica habitabant: & dum Epiſcopus inter Coëpiſcopos ſuos non fuit, nec homo inter homines eſſe voluit, conſtat quod extulit cor ſuum, & Deus ſibi fuiſſe videbatur*: Hæc poſtrema verba ad Magnum Donatum eſſe referenda nemo eſt qui dubitet: nam tantus erat in illo homine faſtus & ſuperbia ut omnes Coëpiſcopos poſt haberet & eorum communioni miſceri dedignaretur; certum eſt præterea eadem hæc verba *& cæteris partis Donati*, ab Optato de eodem & dicta & concepta eſſe: quod ſi ita eſt manifeſtè relinquitur Magnum Donatum ex hiſtoria & ſententia Optati ad Conſtantinum primum rem detuliſſe & Romæ in judicio adſtitiſſe: & tamen ex aliis auctoribus hoc refellitur.

Secundò dubitatur unde & à quo hujuſce ſchiſmatis nomen & appellatio profecta ſit: & meritò, nam quamvis à Magno Donato nomen duxiſſe, vulgo tradatur, tamen illud ſchiſma vocabatur *pars Donati*, antequam Donatus Carthaginienſis, qui eſt Magnus Donatus, Carthagini pręficeretur, vel antequam de illo ullus haberetur ſermo: Magnus quippe Carthagine inauguratus eſt, ſexto tantum poſt Nicænum Concilium anno, libellus oblatus eſt Conſtantino (in quo illud ſchiſma vocatur *pars Donati*) duodecim vel tredecim annis ante illam ſynodum.

Tertiò non mihi ſatis conſtat, num Donatus Caſenſis non fuerit Epiſcopus Carthaginienſis, nam D. Auguſtino qui refert eum non fuiſſe Epiſcopum Carthaginienſem, ſed à Caſis Nigris, minimè aſſentior, cum aliunde multa concurrant quæ animum inclinant ut potius credam eum ex Caſis Nigris Carthaginem tranſlatum & Majorino ſucceſſiſſe. Primum quorſum in illo libello ſchiſma illud vocaretur pars Donati, ſi tum Majorinus fuiſſet Epiſcopus Carthaginienſis? nam de ſede Carthaginienſi & de Menſurii ſucceſſore erat controverſia, non de rebaptiſatione: quapropter à Majorino potius quàm à Donato Caſenſi nuncupatio illa debuit dici, ſi Majorinus ſedem illam tunc temporis occupaſſet: Secundo de ſede uti dixi & Romæ & apud Imperatorem diſputabatur, & tamen cum libellus oblatus eſt Imperatori: cum Imperator eum ad Melchiadem rejecit: cum cauſa apud Pontificem agitata eſt: cum Romæ judicata: denique in formula ſententiæ & provocationis nec Romæ nec Arelati aut uſpiam alibi ulla niſi Donati ſolius facta eſt mentio: nonne conſentaneum erat Majorinum ſi Carthagine ſediſſet & ſi de Epiſcopatu cum Cæciliano contendiſſet, in ſententia nominari & de illo mentionem aliquam aut in judicio, aut in Imperatoris reſcripto fieri: ſed ſolus tantum Donatus commemoratur, nempe quia Majorinus mortem obierat atque in ſedem alter illius ſuffectus erat.

Quartò teſtatur Optatus Olympium Eunomiumque in Africam tranſiiſſe ut Donatum & Cæcilianum Epiſcopatu deturbarent, aliumque eorum in loco ſubſtituerent, *ut remotis duobus unum ordinarent*, in hanc vero interpretes opinionem omnes deſcendūt duos hoſce, Cęcilianum & Donatum à Caſis Nigris fuiſſe; quibus ex rebus probabile ſit Donatum Caſenſem tunc temporis præfuiſſe Carthagini priuſque Majorinum

interiiſſe: Quomodo enim tertium quempiam in duorum ſe de colloeare potuiſſent, niſi detur eundem eos occupaſſe Epiſcopatum? Denique quomodo Papa cum Imperatore potuiſſet extinguere ſchiſma quod ortum erat Carthagini removendo Donatum, ni Donatus fuiſſet Epiſcopus Carthaginienſis.

Series Epiſcoporum Orthodoxorum qui Carthagini præfuerunt à Menſurio ad Collationem.	*Series Epiſcoporum Donatiſtarum qui per idem tempus Carthagini fuerunt.*
Menſurius.	Majorinus Primus Donatiſtarum Epiſcopus.
Cæcilianus.	Donatus Alter ſive Caſenſis.
Rufus.	Donatus Magnus.
Gratus.	Parmentanus.
Genctlius.	Primianus.
Aurelius.	

OBSERVATIO IV.

An Melchiades datus fuerit judex à Conſtantino, in cauſa Donatiſtarum.

ADverſarii hac Donatiſtarum hiſtoria atque Conſtantini ad Melchiadem litteris utuntur, & ab eiſdem argumenta deducunt, ut ſanctæ Sedis dignitatem comminuant, & violent: inter quos Calvious contra ejus auctoritatem factum ait quòd ab Imperatore Melchiades huic cauſæ datus ſit judex, & quod ex ejus mandato, non ex ordioe, atque ex Officio cootroverſiæ, quæ erat in Africa inter Cæcilianum, & Donatiſtas dirimendæ præfectus fuerit: neceſſe enim eſſe fateri Pontifices ea tempeſtate Eccleſiæ non præfuiſſe; neque penes eos de rebus Eccleſiaſticis ſupremam judicaodi fuiſſe poteſtatem, ſi Melchiades vicaria, & non propria poteſtate huic interfuerit judicio.

Addit Petrus Molinæus Calviniſtarum hodie ſignifer eo libro quem nupet adverſus Cardinalem Peronium conſcripſit, Melchiadi ſocios in eadem delegatione datos & ab Imperatore æquali cum eo poteſtate præditos: neque de ea ſocietate, aut quod judices cum ſummo Pontifice conſtituerentur, conqueſtum eſſe Melchiadem; unde argumenti ſatis eſſe putat ad fatendum priſca illa tempora, & Cooſtantini ætatem omnes Epiſcopos dignitate & honore pares tuliſſe quaodo inter eos eadem provincia & poteſtas communicaretur.

Habes ad hæc omnia Illuſtr. Card. Baronii ac Peronii reſponſionem: Imperatorem tres quidem Epiſcopos judices in illa cauſa dediſſe, & ſumpſiſſe, non autem Melchiadem, cui omnem illam controverſiam non ex delegatione, ſed quod de rebus Eccleſiaſticis ad eum cognitio pertineret remiſit; ad cujus rei probationem ipſius Imperatoris confeſſione utuntur qui palam profeſſus eſt, cùm à Donatiſtis urgeretur, in Epiſcoporum cauſa ſe judicem eſſe non poſſe; quod ſi jus poteſtatemque non habuerit judicandi Epiſcopos, multo minus in eorum cauſa judices dandi, & delegandi: Addunt Melchiadem præter eos qui ab Imperatore deſignari eſſent quindecim ex Italia delegiſſe Epiſcopos, qui huic Concilio intereſſent: quos ſibi ad eam litem judicandam aſciſcere non potuiſſet, ſi non jure ſuo, ſed Vicaria poteſtate de hac re cognoviſſet.

Præterea petentibus Donatiſtis ut de Gallia (quæ idololatriæ crimine immunis eſſet) judices ſibi darentur Conſtantinum eorum petitioni minimè ſatisfeciſſe, ſed rem ad ſummum Pontificem detuliſſe, & invitos coëgiſſe, ut coram eo cauſam ſuam agereot: quod non feciſſet, præcipuè cùm tota Italia traditionis nomine ſuſpecta eſſet Donatiſtis, niſi firmum & conſtans apud omnes tunc temporis fuiſſet, Pontificis eſſe de Controverſiis quæ in Eccleſia oriebantur judicare. Plura à Cardinale Peronio libro ad Britanniæ Regem capite quadrageſimo ſexto congeruntur, quæ brevitatis causâ omitto.

OBSERVATIO V.

De manus impoſitione quæ eſt in ſententia Melchiadis.

CUm igitur Cæcilianus, & Donatus, controverſias ſuas & contentiones in Concilio Romano expoſuiſſent, eorumque cauſa à Melchiade cæteriſque Epiſcopis examinata eſſet, hoc judicio terminata eſt. *Quod confeſſus ſit ſe rebaptiſaſſe, & Epiſcopis lapſis manum impoſuiſſe, quod alienum eſt ab Eccleſiaſtica diſciplina*, cujus quidem ſententiæ priora verba nullam prorſus pariunt difficultatem; nam multò antè hæc tempora hæreticos rebaptiſandos eſſe docuit, & rebaptiſavit Divus Cyprianus: ſed poſteriora ſunt obſcura, multumque de his inter Interpretes ambigitur: nam cum variæ olim fuerint manus impoſitiones, atque omnia pœne Epiſcoporum munia, & officia manus impoſitione celebrarentur & hoc ipſo nomine vocarentur, uti Baptiſmus, Confirmatio, exorciſmi, abſolutio, ordinatio, pœnitentia, pax, Orationes, precationes, curationes, benedictiones, & cætera quæ ab Epiſcopis adminiſtrarentur; meritò dubitatur, & quæritur, de qua manus impoſitione loquutus ſit Melchiades.

Si ad Interpretes res deferatur & maximè ad Franciſcum Balduinum, & ejus judicio ſtare velimus, de reordinatione Epiſcoporum qui deſerta Eccleſia ad Donati partes confugiebant, hanc manus impoſitionem interpretabimur; in ſuis enim in hunc libellum notis docet perfugas, & deſertores in Epiſcopatus reordinatos fuiſſe à Donatiſtis; quemadmodum ab iiſdem laïci rebaptiſarentur: quam explicationem pœne omnes ſequuti ſunt qui in hæc verba inciderunt, & qui de iis mentionem fecerunt: ego verò ex hoc ipſo auctore, & plurimis, & graviſſimis argumentis ex veteri Eccleſiæ diſciplina deſumptis, probaturum me ſpero hanc manus impoſitionem de pœnitentia accipiendam eſſe; quam Donatiſtæ Epiſcopis qui ab Eccleſia deficiebant, ut à crimine traditionis, & idololatriæ purgarentur, imponebant.

Primum argumentum quod ab Optato deſumemus his primi libri verbis continetur. *Nec male imponendo omnibus capitibus manum everſionis veſtimenta oſtenderent, nec maledicerent Deo, nec rebaptiſarent fideles*, quibus haud dubiè alludit ad hanc Melchiadis manus impoſitionem; & conqueritur quod Donatiſtæ, omnium fidelium ſtatum everterent, Epiſcoporum impoſitione ſcilicet pœnitentiæ, laïcorum autem rebaptiſatione: Quod ſi hac manus impoſitione de dignitate & de ſtatu ſuo conſtet Epiſcopos remotos fuiſſe, ad pœnitentiam potius quàm ad reordinationem ea erit referenda, quia illa non evertit, imò potius erigit; nam laïcos ad altiores gradus vocat eoſque inter clerum conſtituit, qui Corporis Chriſti primas partes tenet: Hæc vero ſumma injuria in ſupremo Communionis faſtigio conſtitutos & poſitos dejicit, & quamvis eoſdem reſtituat & reordinet, tamen ſine dedecore ex ſede ſua detrudi, & inter laïcos reſcribi non poterant: deinde hæc verba, *Nec maledicerent Deo*, ſunt diſcutienda, & conſideranda, multumque noſtræ interpretationi favere videntur. Nam ſi cum ſuperioribus connectantur ſenſuſque ſit, Donatiſtas in illa manus impoſitione Deo maledixiſſe, de reordinatione nemo eſt qui eam manus impoſitionem interpretetur, in qua non magis Deo maledicere poterant Donatiſtæ quàm in prima ordinatione, in qua Deo non maledixerant, in pœnitentia verò quæ immerentibus imponebatur, Deo maledicebatur: Pœnitentes enim in tertio gradu exorciſmis, & manuum impoſitionibus à dæmonis poteſtate, & perſuaſionibus purgabantur, & vindicabantur: quod fieri non poterat ſine injuria Spiritus ſancti, qui in iiſdem morabatur. Rurſus quemadmodum Divus Auguſtinus pluribus in locis docet, atque increpat Donatiſtas quod rebaptiſatione Deum fugarent, injuriiſque, & maledictionibus in exorciſmis eum onerarent, ita eoſdem hic increpat Optatus, quod Deum in exorciſmis pœnitentiæ quam Epiſcopis imponebant, injuriis, & contumeliis exorciſmorum, qui in pœnitentia quemadmodum in Baptiſmo frequentarentur, afficerent.

Secundum, ex his ſecundi libri, *Ut dum Presbyter aut Epiſcopus dejicitur, ſic plebs caperetur*, nam eorum ſenſus eſt, Donatiſtas Orthodoxorum Epiſcopos aut preſbyteros, ad pœnitentiam relegaſſe, ut populus præſidentes, & duces Orthodoxorum inter ſuos pœnitentes verſari & lugere cùm videret, peſſimam de Orthodoxis conciperet opinionem: qui ſenſus convenire nequit cum reordinatione quæ nullam poterat anſam præbere ut de Orthodoxis malè ſentirent Donatiſtæ; cæterum hoc Verbum *dejicitur* non eſt prætereundum, quod eſt proprium pœnitentium, ut ex Tertulliano, & ex Concilio quarto Toletano licet colligere, *animum mæroribus dejicere.*

Tertium ex bis, *honore nominis ſui ſpoliati ſunt ſacerdotes*, quibus exprobrat Donatiſtis, quod Epiſcopos honore ſacerdotii, & conſeſſus privaſſent : bonor enim apud Tertullianum, Cyprianum, & Divum Auguſtinum, pro ſacerdotio & Epiſcopatu accipitur; at ſi à Donatiſtis reordinati fuiſſent Otthodoxorum Epiſcopi, bonore privati minimè dicerentur, neque ab Optato ob banc cauſam objurgarentur Donatiſtæ; reotdinatio enim nominis honore non ſpoliat.

Quintum ex his, *O impietas inaudita quem jugulaveris inter pœnitentiam & tormenta ſervare*, quibus docet Donatiſtas ſervaſſe inter pœnitentiam & tormenta Epiſcopos, quos bonore nominis, dignitatis, & Epiſcopatus ſpoliaſſent, unde colligitur ab iiſdem Epiſcopos ad pœnitentiam relegatos fuiſſe, pœnitentia enim ſervari non potuiſſent niſi eam ſubiiſſent: Quid ſit autem jugulatum ſervare inter pœnitentiæ tormenta, aut quomodo id accipiendum ſit, facile eſt dicere; nam Epiſcopus qui ſpoliatus fuerat honore ſacerdotii & qui pœnitentia Deo ſatisfaciebat rectè dicitur jugulatus & ſervatus, dignitatem enim ſuam depoſitione amiſerat, & partem illam quam in Corpore Chriſti habebat, pœnitentia autem ſervabatur ad majora tormenta ferenda. Nam quæ major poterat eſſe miſeria, aut quæ major crudelitas quàm ex ſumma dignitate hominem inter pœnitentes detrudere, & ſingulis diebus, per opprobria, miſerias, & tormenta pœnitentiæ manum illi exotciſmorum imponere? Tettullianus *malo enim ad miſeriam pervenitur.*

Sextum ex bis, *vos vivum facitis homicidium*, qui enim pœnitentem facit Epiſcopum eum jugulat, & conſervat; jugulat enim dignitatis & gradus privatione, conſervat autem cùm miſeram ei vitam trabere relinquit inter pœnitentes.

Septimum ex bis *Paupertate ſenſus ſui circumventi ſunt, quos decipere potuiſtis; perfecti enim fuerant illi opere ſcilicet Dei qui in ejus nomine fuerant ordinati.* Nam cum ſuperioribus verbis ſunt connectenda, & de iiſdem Epiſcopis quibus manus fuerat impoſita accipienda, huneque ſenſum habere videntur, Epiſcopi quos pœnitentes feciſtis, & quibus vitam ordinis, & honoris eripuiſtis, erant ordinati in nomine Domini, & bæc ordinatio erat opus divinum quod vectibus malitiæ disjeciſtis: quare de vobis Donatiſtis rectè dicitur: *Quæ Deus perfecit ipſi deſtruxerunt*: quæ cùm ita ſint conſtat Donatiſtas aliquid feciſſe in Epiſcopos quod opus Dei everteret, hoc autem maxime fiebat pœnitentia quam imponebant Epiſcopis quos decipere poterant, & qui ad eos tranſibant, non autem reordinatione, nam antiquitus aliquid injuriæ Deo & ejus Sacramento & characteri fieri putabant ſi Epiſcopus aut Preſbyter inter pœnitentes viſeretur, Augnſt. libro primo de Baptiſmo quod ſi pœnitentiam impoſuerint lapſis Epiſcopis Donatiſtæ veriſimile eſt Melchiadis ſententiam de ea manus impoſitione accipiendam eſſe, non autem de reordinatione quâ opus Dei non poterat ſubverti.

Octavum ex bis, *docete uti vobis mandatum eſt radere capita ſacerdotum*, nam eodem reſpiciunt quo ſuperiora, & de eadem injuria, & contumelia qua Epiſcopos afficiebant ſunt intelligenda: at non major fuiſſet injuria radere capita in ſecunda ordinatione quàm in prima; ſed contumelioſum prorſus erat, & à Deo probibitum radere Epiſcopum, & unctum Dei pœnitentiæ tradere.

Nonnm ex his, *Tu qui es qui auferas quod non dediſti*, bane enim accipiunt interpretationem, Deus potuit auferre oleum ſuum & ſacramentum ex Saüle, ſed noluit, ut te doceret, injuriam non eſſe faciendam unctis ſuis, ſed tu aufers quod non dediſti, & facis injuriam unctis Dei, quia eos radis, & ad pœnitentiam damnas, quæ interpretatio non poteſt convenire cum reordinatione.

Decimum ex his, *Quid prodeſt quia vivunt homines, & occiſi ſunt honores à vobis*, quæ quidem non dixiſſet ſi Dnnatiſtæ reordinaſſent Epiſcopos quos circumveniebant, quia renrdinatione non magis ſpoliabantur aut occidebantur quàm ordinatione.

Undecimum ex his, *Extendiſtis manum ſuper omne caput*, hæc manns extenſio ad reordinationem non poteſt referri, ut liquet ex his quæ ſequuntur, *Hoc eſt imponentibus manum ſuper omnem ætatem ad evertendas animas inveniſtis pueros, de pœnitentia ſanciaſtis, ne aliqui ordinari potuiſſent*: ſed potius ad pœnitentiam qua ſtatus clericorum, & maxime Epiſcoporum evertebatur: præterea veriſimile eſt eum loqui de eadem manus impoſitione propter quam à Melcbiade damnati fuerant Donatiſtæ: aut ſi id non conceditur, doceat quæſo, quænam eſſet illa manus extenſio qua Donatiſtæ omne caput radebant: quod ſi de eadem loquitur, fatendum eſt ſententiam Melchiadis de pœnitentia intelligendam eſſe.

Duodecimum ex bis, *Inveniſtis Diaconos, Presbyteros, Epiſcopos, feciſtis laïcos*, nam ex his colligitur Donatiſtas inter laïcos rejeciſſe eos quos Epiſcopos invenerant, in illis locis quæ occupaverant: quod ſi ita eſt, quomodo Interpretes poſſunt dicere Donatiſtas uſos fuiſſe reordinatione, & reordinaſſe Epiſcopos quos capiebant.

Decimum-tertium ex his, *facinus, & comes veſter jam dudum fuerat cui nunc manus inferre conatus es*, & ex ſequentibus, quibus conſtat Donatiſtas aliquam manus impoſitionem voluiſſe inferre Orthodoxis Epiſcopis qua eos tanquam reos judicabant, & condemnabant, quod commodius tribuitur impoſitioni manuum pœnitentiæ quàm reordinationis.

Decimum-quartum ex his, *Deuterium, Partenium, Donatum, & Getulum Dei Epiſcopos linguæ gladio jugulaſtis*, nam pœnitentia eos jugularant.

Decimum-quintum ex his, *multis notum eſt & probatum perſecutionis tempore, Epiſcopos aliquos inertia & confeſſione Dei delapſos thurificaſſe, & tamen nullius eorum qui evaſerant aut manum lapſis impoſuit, aut ut genua figerent imperavit*: nam de una eademque manus impoſitione hic & in ſententia Melchiadis eſt ſermo, quemadmodum enim ait Optatus, lapſis Epiſcopis manum impoſuiſſe Donatiſtas, ita Melchiades eoſdem damnat quod lapſis Epiſcopis manum impoſuiſſent: at illa manus impoſitio pertinet ad pœnitentiam non autem ad reordinationem, ut ex his verbis: *aut ut genua figerent imperavit*, licet colligere: adgeniculationes enim pœnitentium erant argumenta humiliationis, & exomologeſeos actus qui ſine pudore & dedecore non poterant fieri ab Epiſcopis, eæ vero quæ in ordinibus ſuſcipiendis fierent, nulli poterant eſſe dedecori, quid enim magis conſentaneum diſciplinæque magis conveniens quàm ordinandum genua flectere, & coram ordinatoribus adgeniculari? quod ſi ita eſt, non eſt diſputandum de explicatione ſententiæ Melchiadis.

Decimum ſextum ex his, *Dum peccatum hominis percutitur*, manus enim impoſitione de qua Melchiades, & Optatus conqueruntur peccatum illorum epiſcoporum quos pœnitentes Donatiſtæ fecerant, percuſſum fuerat: quod reordinationi convenire nequit, ſed pœnitentiæ, qua peccata percutiuntur, & delentur.

Decimum-ſeptimum ex his, *Nam quæ major infelicitas quàm Dei ſacerdotes vivere, nec eſſe quod fuerant*, eundem enim urget errorem eandemque manus impoſitionem perſtringit quæ ad reordinationem referri nequit, cùm dicat Epiſcopos per eam non eſſe amplius quod fuerant.

Decimum octavum ex his libri quarti verbis, *Nec Apoſtolos imitari voluiſtis à quibus etiam negator dilectus eſt Petrus*, quibus docet Donatiſtas Apoſtolorum exemplo, qui Petrum lapſum, & negatorem dilexerunt, Epiſcopos lapſos diligere debuiſſe, unde magis fit veriſimile Donatiſtas Epiſcopis pœnitentiam impoſuiſſe quàm ordines contuliſſe, qui enim ordinantur aut reordinantur, inter reordinationis ritus oſculo donantur, & pro fratribus ab ordinatoribus adſciſcuntur: qui verò pœnitentiam agunt pro extraneis, & à fraternitate divulſis repudiantur: hæc denique libri ſexti verba, *Quos ut rebaptiſatione aut pœnitentia ſauciaſtis*, conveniunt cum ſententia Melchiadis, atque eam exponere videntur, & quod illic per manus impoſitionem ſignificatur hîc explicacari per pœnitentiæ impoſitionem.

OBSERVATIO VI.

In qua ex antiquæ diſciplinæ rationibus eadem explicatio confirmatur.

CUm Melchiades Pontifex maximus in Elogio, & in ſua illa ſententia affirmet manuum illam impoſitionem quæ à Donatiſtis adverſus lapſos Epiſcopos uſurpabatur, omnino Eccleſiaſticæ diſciplinæ eſſe contrariam, ipſique ſtatuere ac perſuadere velimus, iſtam manuum impoſitionem non ad reordinationem, ſed ad pœnitentiam referri oportere: certiſſimis, & lucidis argumentis, & rationibus opus eſt demonſtremus ex antiquis, & vetere diſciplina, non impoſitam fuiſſe pœnitentiam Epiſcopis, quocunque demum ſcelere ſeſe obſtrinxiſſent: neque ætatis illius pietatē tuliſſe ut inter lugentes adſcriberentur. Primum in ipſo pœnitentiæ veſtibulo pœnitentes lacrymis peccata ſua deteſtabantur, at indignum erat Epiſcopum qui aliena potius quàm ſua delicta deflere debebat, inter flentes, ejulantes, & humi jacentes, extra Eccleſiæ limina conſpici, & tranſeuntis plebis veſtigia deoſculari: Secundò in eodem illo pœnitentiæ gradu cum Cathecumenis erudiebantur pœnitentes, primaque fidei rudimenta, & elementa docebantur, neque enim videbatur quomodo poſt baptiſmū peccare potuiſſent niſi oblivione metus divini, & præceptorum, & documentorum quæ in Catechumenatū hauſerant. Itaque tanquam Catechumeni ad Chriſtianę Religionis inſtituta rurſus erudiebantur: & inſtituebantur quæ quidē inſtitutio repeti non poterat niſi aliquo Epiſcopalis dignitatis incommodo, & à qua non ſolùm Cathecumeni, ſed eorum magiſtri, &

doctores inſtitui debebant. Tertio toto illo tempore quo in tertio gradu verſabantur, publicis, & ſolemnibus exorciſmis pœnitentes purgabantur, perinde atque aliàs hodiéque infantes qui ſacro fonte abluuntur; Epiſcopum ad eundem modum ſpectante populo tyrannide ac dominatu quodam dæmonis oppreſſum vindicari, ac liberari ferendum non erat, neque ad Chriſtianæ Religionis dignitatem pertinebat; cùm Epiſcopus ſit communionis cum Chriſto, & unionis cum Deo princeps, & caput, cæteraque membra ejus pietate, & ſanctimonia aditum habeant ad eandem unionem. Quarto Epiſcopi, populi patres dicuntur, ſacerdotes Dei, Antiſtites Chriſti, mediatores inter Chriſtum & plebem, legati Chriſtianorum, oblatores votorum, precum, & oblationum interceſſores, deprecatores; quorum etiam opera, & ſtudio dæmones è corporibus abjiciebantur, & rurſus peccatores pro poteſtate quam à Chriſto adepti ſunt traduntur ſatanæ: uno verbo, cùm ii ſint in quos Chriſtus quidquid Eccleſiæ ſuæ conceſſerit, & attribuerit transfundat, & deponat; quis non perhorreſcat Epiſcopos ipſos omnibus illis quæ modo commemoravimus dotibus, ac muneribus ſpoliatos ac nudatos videri: imo deteriori illos eſſe conditione, atque ante Baptiſmum fuiſſent: deditos atque addictos imperio ac poteſtati dæmonis, excommunicationis pœna quaſi affectos, cum paſtoris loco aliàs haberentur, modò inſtar perditæ, ac emortuæ ovis cenſeri: cùm dæmonem ſibi ſubjicerent, nunc ejuſdem viliſſima dici mancipia: cùm Chriſti prima membra & viva numerarentur, modo putidæ carnis, ac cadaveris inſepulti partes ſuſtinere, cùm Dei omnipotentis amores ac deliciæ appellarentur, ejici atque arceri, ut anathematis cenſura perculſos. Hoc tam deteſtabile probrum non ipſorum diſciplina ferre ac perpeti poterat, neque tam inauditam ac minimè ferendam commutationem audire. Quinto quemadmodum antiqua illa diſciplina neminem ex pœnitentibus inter clericos admittebat, ita neminem majorum Clericorum ad pœnitentiam adſcribebat, nam non minus turpe, & indignum erat pœnitentem in Clero, quam Clericum in pœnitentia conſpici, & Epiſcopum demiſſo, & depreſſo vultu turpis vitæ pudorem circumferre, & oſtentare. Sexto Concilia antiqua Ancyranum, Neocæſarienſe, Arelatenſe, Eliberinum, & Nicænum pœnitentiæ genus præſcribunt, unicuique laicorum vel etiam minorum clericorum qui tempore perſecutionis, aut in idololatriam prolapſi eſſent, aut à conſtantia dejecti nonnihil à fidei profeſſione reſiliiſſent: illa inquam Concilia nullum planè de Epiſcoporum aut presbyterorum pœnitentia verbum faciunt, quin apud antiquos Patres, ne locus quidem ullus ea de re reperitur: unde fit ut facilè adducar, ut credam Epiſcopos, & presbyteros nunquam illa publica pœnitentia fuiſſe mulctatos. Septimo, Optatus aſſerit, olei ſacri ſanctificationem, & Epiſcoporum characterem Dei ſolius, non autem Epiſcoporum eſſe, & ob hanc cauſam eos etſi peccatores, honorandos eſſe: unde colligitur eadem tempora non permiſiſſe ut inter pœnitentes verſarentur, ne in contemptum veniſſent. Octavo, Canones, cum peccatorum pœnas quæ irrogari debeant definiunt, excommunicationem laicis, & depoſitionem ſacerdotibus pro eodem crimine conſtituunt, exempli gratia laicum ob adulterium à cœtu fidelium removent, & ſacerdotem ſi eodem crimine teneatur ſuo gradu deturbant: Ideoque quam vim excommunicatio, aut publica pœnitentia in laïcos exercebat, eandem erga Epiſcopos exercebat, & habebat depoſitio: proinde primis illis temporibus non alia fuit culpæ reparatio cùm Presbyterorum tùm Epiſcoporum, quàm mera depoſitio: Nono, videamus quid divus Cyprianus de Trophimi peccato, & pena diſſerat, qui etſi à fide defeciſſet, publicam tamen non egit pœnitentiam, neque de ulla ejus pœnitentia, & ſatisfactione publica, & ſolemni, mentionem facit Cyprianus: ſed ordine ſuo depulſum ac privatum, & inter laïcos rejectum: cùm tamen quo tempore vixit admitti, & aggregari cœpti ſint ad pœnitentiam idololatræ, qui aliis antè ſæculis in perpetuum ab Eccleſia ſepararentur, aut certè ſuſcepta pœna noxam eluere in omne tempus cogerentur: inde colligere eſt Epiſcopos non ad pœnitentiam publicè ſuſcipiendam compulſos. Decima ratio: quinto ſextove ſæculo Concilia decernunt, uti Eccleſiaſtici in abditis remotiſque locis, ac privatis pœnitentiam agant, ut laïci vel minimum offenderentur, ſi à quibus regi, & gubernari ipſos oporteret, ii graviori crimini affines fuiſſe viderentur, *tamen in publicum non procedit, ne grex fidelium, in eo ſcandalum patiatur, nec enim debet ſacerdos publicè pœnitere ſicut laicus.* His adjungi poſſunt rationes, & argumenta quæ à Patribus cùm de Epiſcopis loquuntur afferri ſolent: cùm aiunt nemini licere pro iis preces fundere, aut ſupplicare, ſi corruant à nullo poſſe eos erigi, ac ſublevari: populi ipſius cuſtodes cuſtodiri non ſolere: quibus verbis non obſcurè indicant, pœnitentiæ debitores eos non fuiſſe pro qua non ſolum Epiſcopi, ſed & laïci preces fundebant, ſic enim Tertullianus libro de pœnitentia, *fratribus legationes deprecationis injungere.*

Sed & ab Origene hæc vulgo referuntur quæ huic noſtræ ſententiæ plurimum favent, *ſi pœnitentia imponeretur Epiſcopis, non eſſet pœnitentia, ſed injuria.*

Ad extremum ſi hæ rationes non ſatis intelligerentur, Canon Octavus Concilii Carthaginienſis quod quintum vocatur non pateretur eas in dubium revocari, cùm apertè prohibeat manus pœnitentiæ ergò Preſbyteris vel Diaconis imponi quatumvis in ſe grave facinus, & crimen admiſerint. *Item confirmatum eſt, ut ſi quando Presbyteri aut Diaconi in aliqua graviori pœna convicti fuerint qua eos neceſſe fuerit à miniſterio removeri, non eis manus tanquam pœnitentibus vel tanquam fidelibus laicis imponatur.* Quibus verbis liquet nunquam Epiſcopis pœnitentiam impoſitam neque preſbyteris, illamque quæ eſt apud Melchiadem manus impoſitionem planè eandem eſſe de qua Canon ille diſputat, nam veriſimile eſt eundem Canonem factum fuiſſe à Patribus Africanis contra Donatiſtas, & ab eis eundem illum errorem correctum, qui à Melchiade in illa ſententia damnatur: quippe in Africa habitum eſt ubi error ille vigebat: deinde bis verbis *confirmatum eſt*, patres illius Concilii videntur decreto ſuo confirmare, quod antea, & ab aliis excogitatum, & inventum erat contra Donatiſtas: atque reſpicere ad judicium Melchiadis & illud quaſi repetere: ſciebant enim hoc Donati crimen Romæ damnatum fuiſſe, quod hoc Canone rurſus damnant diſciplinæ cauſa: Quidquid bujus ſit certum eſt omnes pleroſque Conciliorum Africanorum Canones in Donatiſtas conflatos eſſe. Quod cùm ita ſit, & aliunde ex Melchiade diſcamus eos Epiſcopis manus impoſuiſſe, quis dubitat in Donatiſtas hoc Canone animadverſum eſſe. Ad hæc omnia tanquam cumulus accedat Canon decimus quartus Epiſtolæ Siricii qui tempore Donatiſtarum Pontificatum geſſit, *Illud quoque providere, ut ſicut pœnitentiam agere cuiquam non conceditur Clericorum, ita & poſt pœnitudinem ac renunciationem nulli unquam Laico liceat honorem Clericatus adipiſci.*

OBSERVATIO VII.

In qua objectiones quædam ſolvuntur.

AD ea quæ attulimus primis illis ſeculis nunquam majoribus Eccleſiaſticis publicam pœnitentiam fuiſſe denunciatam, licet inexpiabilem propè fraudem in ſe, & culpam concepiſſent: neque ut id fieret eorum diſciplinam, & inſtituta permiſiſſe, ad ea inquam Canones Papæ Fœlicis opponi objicique poſſunt, quibus Epiſcopi qui in rebaptiſationem conſenſerant, pœnitentiam inire coguntur: quibus hoc ego obtrudo, tempora eſſe conſideranda, & diſciplinam tempore Fœlicis minus acerbitatis & ſeveritatis prætuliſſe, quàm primis ſæculis: deinde in illis Canonibus laicos quidem juſſos, & coactos omnes pœnitentiæ gradus obire, in quibus infames impoſitiones manuum, & crebri exorciſmi fierent, Epiſcopos autem, & preſbyteros alio veluti genere pœnitentiæ damnatos: quo facto Fœlix magnum inter utroſque diſcrimen, & intervallum aſſerit: Ad hæc addi illud poteſt Fœlicem de loco, & de gradibus pœnitentiæ Epiſcoporum nihil addidiſſe, quod illo ſæculo mos eſſet, eos in monaſteriis lugere, & pœnitentiam agere, non autem in publico, & in oculis populi.

Hæc etiam Divi Cypriani verba ad Antonianum poſſunt objici *& pœnitentia deprecationis errorem priſtinum confitente*, quaſi his velit, Trophimum Epiſcopum pœnitentiam egiſſe: quod à Chriſto defeciſſet, & ad Eccleſiam niſi ea peracta rediiſſe, quanquam verba illa nihil aliud teſtificentur quàm Trophimum ſuæ defectionis pœnituiſſe, & indoluiſſe graviter Deum à ſe atrociterque offenſum; non aliter quàm Tertullianus ait in præſcriptionibus, *Marcionem pœnitentiam confeſſum*, quo verbo ſubintelligi non vult eum egiſſe pœnitentiam, ſed actionibus ſuis ipſa exomologeſi, atque deteſtatione quadam declaraſſe ſui à ſe ſceleris commiſſi vehementer pœnitere: quid quod apud veteres pœnitentiam confiteri, eſt externa actione præ ſe ferre dolorem maximum de ſcelere admiſſo.

Tertio objici & illud poteſt Epiſcopos, & preſbyteros excommunicari olim potuiſſe: proptereaque, & ad publicam pœnitentiam accipiendam cogi, cùm non major, neque turpior ignominia infamiaque inuri Epiſcopis, aut Eccleſiæ probrum conciliari pœnitentia, quam excommunicatione poſſet: Ad hæc reſpondeo non ita multa excommunicationis Epiſcoporum exempla in medium adferri poſſe: qui ſi olim excommunicati fuerunt hoc haud dubiè accidit, quod ipſi ſe ab Eccleſia ſejunxerunt, & in apoſtaſiam delapſi ſunt; denique ſi rectè ratiocinari velimus in omnibus illis locis, in quibus de excommunicatione & anathemate Epiſcoporũ agitur, reperias illud anathema, & excommunicationem nihil aliud quàm ab Eccleſiaſticis ſeparationem ſignificare: tantumque habitam, & judicatam à communione Eccleſiaſtica diſtractionem, non au-

tem à corpore laïcorum, & ut ita dicam, ab integro corpore Eccleſiæ: atque Epiſcopum aut preſbyterum excommunicatum dici, qui non à laica, ſed ab Eccleſiaſtica tantum communione ſepararetur.

Quarto dici poteſt tria illa peccata, homicidii, adulterii, & idololatriæ primis illis ſæculis, non niſi publica, & perpetua pœnitentia, aut perlongo annorum aliquot intervallo potuiſſe deleri, eoque nomine Eccleſiaſticos aut ab illis peccatis nunquā abſolutos, aut publicę pœnitentię pudore ſuffuſos. Ad hęc ego contra oppono decretum illud antiquæ diſciplinæ ad laicos duntaxat pertinuiſſe: Epiſcopos verò aut preſbyteros ſi in his tribus peccatis aut in uno è tribus deprehenſi fuiſſent, ſuo ordine abdicatos aut inter laicos redactos, quæ redactio, aut depoſitio publicæ pœnitentiæ vicem, & locum tenebat.

Quinto, probari poteſt, Epiſcoporum peccatum longè gravius & deteſtabilius Deo, & hominibus eſſe quàm laicorum, cùm illi ſint tanquam exemplum virtutis, ad imitandum propoſitum: quare ſi laicorum noxæ primis illis ſæculis publicæ pœnitentiæ pœnas requirebant, quanto magis eadem animadverſione Clericorum culpæ vendicandæ fuerunt: Ad hoc reſpondit olim D. Auguſtinus, & Optatus characterem Epiſcoporum, Dei dici, qui violari omnino non poſſit ſine peccato; qui ſi inſitus & impreſſus non eſſet in Epiſcopis, eos atrociori quàm laicos ſupplicio feriendos fuiſſe; verùm cùm nihil æque ac Deum offendere, & ejus iram commovere, vererentur, à pœnitentia Epiſcopis imponenda deſtitiſſe.

Sexto Concilii Arauſicani primus Canon opponi poteſt, *Pœnitentiam deſiderantibus etiam Clericis non negandam*: Quo conſtitutum illud patet, Eccleſiaſticis ut pœnitentia non minus quàm laicis injungatur. At reſponderi primum poteſt nomine Clericorum hoc Canone minorum ordinum Clericos intelligendos eſſe, verboque illo primis illis ſæculis nominatim, & magna ex parte judicari minores miniſtros. Secundò non illo Canone fieri mentionem publicæ & ſolemnis pœnitentiæ quæ invitis etiam imponebatur, aut ſaltem ſine cujus auxilio nullus in Eccleſiam patebat regreſſus, ſed pœnitentiæ votivæ quam nonnulli pii, & erga religionem probè affecti poſterioribus, & conſequentibus ſeculis, hoc eſt quinto & ſexto ſe ſuſcepturos voverent, ut qui ſequuntur Canones fidem faciunt, decimus quintus Concilii Agathenſis. *Iuvenibus etiam pœnitentia non facilè committenda*: vigeſimus tertius Epaunenſis, *Si quis accepta profeſſaque pœnitentia*. Item quartus, *pœnitentiam profeſſi*: Nonus Gerundenſis, *depreſſus pœnitentiæ benedictionem quam viaticum deputamus*: Poſtremo illo eodem Canone uti poſſumus ut probemus, primis illis ſæculis neque Epiſcopis, neque Preſbyteris publicam pœnitentiam irrogari ſolitam, cùm conſequentibus ſæculis in quibus non ita ſevera dicebatur diſciplina, neceſſe fuerit edicto & novo Canone jubere, ut votiva eis concederetur.

OBSERVATIO VIII.

An quoſdam reordinarint Donatiſtæ.

ETſi quantum conjectura aſſequi poſſum, & ſentio, impoſitio de qua in ſententia Melchiadis injecta eſt mentio, non de impoſitione manuum reordinationis, ſed de impoſitione pœnitentiæ accipi debeat, tamen non negarim neque abnuerim Donatiſtas aliquoties eos qui eorum ſectam ſequerentur Eccleſiaſticos iterum ordinandos, & conſecrandos judicaſſe: Operæ pretium fuerit nihilominus multa ponderare & examinare, ut quamobrem id præſtiterint cognoſcamus: neque enim quovis tempore illam reordinationem uſurparunt, neque promiſcue in quoſlibet illam contulerunt.

Primum advertendum ſectam illam centum amplius annos viguiſſe, quia ab electione Majorini ad Carthaginis Collationem ſex & centum anni vel circiter numerantur primis autem annis, hoc eſt decimo, aut duodecimo anno ab illa ordinatione, Epiſcopos & preſbyteros qui ad eorum caſtra convolabant, propter eas quas ſubjiciam rationes, credibile eſt non reordinari potuiſſe. Prima ratio: quod non alia de cauſa ab Eccleſia deſciverant Donatiſtæ, niſi quod omnes Africæ Epiſcopos tanquā lapſos, & idololatras fugerent, & execrarentur, at ſi aliquem ex his quamvis transfugam ſuſcepiſſent, & reordinaſſent, eodem ſe crimine & vitio quo exiſtimabant laborare Catholicos obligaſſent.

Secunda, cùm Donatiſtæ Baptiſmum qui ante ſchiſma collatum pro legitimo, & vero haberent, & ſentirent, par eſt eos exiſtimaſſe eodem tempore ordinationes collatas, & inſtitutas non irritas eſſe: quamobrem ſi quis Epiſcopus ab Eccleſia ad eorum gregem ſe adjunxiſſet initio naſcentis illius ſchiſmatis, non erat reordinandus.

Tertia, non poterant quemquam reordinare Donatiſtæ quin prius depoſitus, & à crimine traditionis purgatus haberetur; nam ex eorum ſententia, nullus ex Ortho-

doxis hoc ſcelere carebat, ſed non facilè reperies in primis illis ſæculis exemplum alicujus Epiſcopi, qui cùm reus eſſet alicujus gravis culpæ, & ob hanc canſam à ſuo gradu depulſus reordinatus fuerit, multo minus inter Donatiſtas invenias, qui puriores, & ſanctiores dici ſe volebant, & qui ſeverioris ſe diſciplinæ Eccleſiaſticæ vindices, & propugnatores palam profitebantur.

Quarta, neceſſe omnino erat, ut illi Epiſcopi qnos volunt interpretes à Donatiſtis reordinatos, idololatriæ crimine abſolverentur prius, quàm reordinarentur; neque enim ex eorum diſciplina & moribus, uti antea docuimus, ulla poterat inter eos, & crimine obſtrictos communio, & ſocietas intercedere. Duo autem apud eos ad eluendam traditionis maculam remedia proponebantur: pœnitentia, & rebaptiſatio. Quod ad rebaptiſationem attinet, primis illis ſchiſmatis annis non erant rebaptiſandi Epiſcopi, quod omnes eſſent baptiſati ante ſchiſma, non enim ad Epiſcopatum admittebantur Neophyti: Idcirco in illis quaſi incunabulis ſchiſmatis non poterant rebaptiſare Epiſcopos Donatiſtæ, ut eos à crimine traditionis abluerent. Reſtabat igitur pœnitentia qua revera uti poterant erga Epiſcopos illos, quos ſuis technis & fraudibus circumveniebant: Verùm nullum unquam vetus illa diſciplina ad Epiſcnpatum admiſit, qui inter pœnitentes viſus eſſet, multo minus Donatiſtæ qui Cathari vocabantur. Quamobrem obvium cuique, & apertum nullo pacto à Donatiſtis reordinari Epiſcopos, aut Presbyteros potuiſſe primis ſchiſmatis temporibus: indeque ſequi, Melchiadis ſententiam, quæ initio ſchiſmatis data, de reordinatione non intelligi.

Nunc antem de poſtremis hujus ſchiſmatis temporibus agendum, in qnibus largior id non ægrè, à Donatiſtis Epiſcopos reordinatos; quod facile eſt probare ex iis locis quns poſtea citabimus: videndum verò, & perpendendum qunmodo, & quibus conditionibus ſeu cauſis id concederetur, & liceret: cùm igitur quiſpiam Epiſcopus aut Presbyter ab Orthodoxis ad Donatiſtas deficeret poſtremis illis temporibus quæ ſchiſmatis ortum conſequebantur, illum ad pœnitentiam non adigebant uti ſub Majorino, ſed iterum baptiſabant, & in ordinem laïcorum referebant, unde cùm dignus viſus eſſet, in clerum repetita ordinatione reponebatur, nemoque reordinatus fuit unquam cui id non ipſa rebaptiſatione interpoſita contigerit. Primum illo crimine quo Orthodoxos laborare dictitabant, ſolutos, & liberos eſſe oportebat: Deinde nihil opus erat pœnitentia, ut purgarentur, cùm baptiſmus eam vim habeat, ut omnem peccatorum maculam deleat: tertiò rebaptiſatio depoſitionis notam elidebat: His adde ex Divi Auguſtini libro tertio contra litteras Petiliani manifeſtum fieri Donatiſtas nullos ſibi rebaptiſatos reordinaſſe, & ex multis collationis locis eos rebaptiſarione uſos priuſquam reordinationis manus imponerent, *& rebaptiſaverunt illum hominem nonagenarium Epiſcopum.* Item, *ipſe eſt Epiſcopus qui rebaptiſatus eſt & factus eſt audiens.* Item, *ipſe rebaptiſabat poſt partem Donati; rebaptiſatus eſt antea, & ſic eſt ordinatus.* Item, *iſte Vitalis Diaconus fuit Catholicus in civitate Sitifenſi rebaptiſatus factus eſt presbyter, projectus eſt cauſa adulterii, & factus eſt poſtea Epiſcopus.*

Concluſio igitur hujus capitis: Melchiadis ſententiam non poſſe traduci ad reordinationem, quandoquidem iſto capite docuimus Donatiſtas non potuiſſe reordinare eos qui intra primos ſchiſmatis annos deſerta fide fierent Donatiſtæ.

OBSERVATIO IX.

Solvuntur quædam contra proximam Obſervationem.

CONtra quàm diximus Donatiſtas ſub Majorino, à primis ſchiſmatis annis reordinatione uti non potuiſſe, opponi poſſunt verba illa D. Auguſt. lib. 3. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 17. *Manus autem impoſitio non ſicut baptiſmus repeti non poteſt:* quibus Auguſt. verbis quidam ſe aſſequutos putant ex opinione & judicio illius non plus reordinare, quàm rebaptiſare licitum eſſe. Sed ad illud reſpondeo primo, illam eſſe manus impoſitionem qua Spiritus ſancti dona olim transfundebantur, uti donum linguarum, prophetiæ, curationum, & ſimilia, ut ex illius capitis lectione perſpicitur, non autem impoſitionem manuum qua ordinatio peragebatur: quapropter verba illa ad rem nihil attinere. Secundò locũ illum manifeſtè & perſpicuè pugnare contra illorum ſententiã. Nam ſi verborum ſenſus recte attendatur, volnit dicere D. Auguſt. manuum illam impoſitionem repeti poſſe, non autem baptiſmum: Neque obſtat quod ex correctione, & emendatione poſtremæ editinnis, & ex antiqua impreſſione aliter legendum eſſe putent quidam ac contendant ultimam illam particulam *non*, delendam eſſe: nam emendationem illam verba hæc ejuſdem capitis reſpuunt; *quid eſt enim aliud niſi oratio ſuper hominem?*

quibus D. Anguſtinus aſſerit, & ita ſentire videtur impoſitiones illas manuum, quibus dona Spiritus ſancti tranſmittebantur, de quibus paulò ſuprà diſſeruit, non niſi orationes Epiſcoporum appellandas, non autem ſacramenta; ideoque poſſe repeti: baptiſmum autem eſſe ſacramentum propterea que non iterari: ex cujus ſententiæ ſenſu & argumento liquidum fit particulam illam, *non*, expungendam non eſſe, verbaque illa aliter accipi quàm nonnulli exiſtiment.

Objici etiam poteſt Canon ille trigeſimus octavus Concilii Carthaginenſis tempore Donatiſtarum habiti, quo, ut ex duobus ſuperioribus multa perperam, & inconſideratè inducta à Donatiſtis reſcinduntur, *Non liceat fieri rebaptiſationes, aut reordinationes, vel tranſlationes Epiſcoporum*, quibus verbis videtur Concilium illud Donatiſtarum reordinationes repudiare ac rejicere, ut & illorum rebaptiſationes reſpuunt. Idque adeo clarum, & perſpicuum eſt, ut omnes interpretes Græci, & Latini hanc explicationem comprobarint: at ego ad hæc Canonem dico factum eſſe in exitu illius ſchiſmatis, ac proinde nullam vim ad ea quæ diximus labefactanda habere, quia non negamus, ſed credimus Donatiſtas quoſdam reordinaſſe; ſed ſub finem ſchiſmatis & eos quos rurſus ſacro fonte abluiſſent non autem initio ſchiſmatis & non repetito baptiſmate.

Addo & illud, Canonem non videri de reordinatione ejuſdem perſonæ loqui, ſed vetare ne uno Epiſcopo in una civitate ordinato, alter inſuper per factiones reordinaretur, quod alibi oſtendemus; ſed ſatis ſuperque prima ſolutione ſatisfactum eſt Canoni.

Ad extremum dici poteſt Divum Auguſtinum nullam mentionem feciſſe de pœnitentia, quam Donatiſtæ Epiſcopis imponerent, neque contra illum errorem ſcripſiſſe, quamvis omnes Donatiſtarum errores perſequutus ſit: quapropter veriſimile videri Donatiſtas Epiſcopos inter pœnitentes, aut non dejeciſſe, aut hoc non fuiſſe contra veterem Eccleſiæ diſciplinam, aut denique manuum impoſitionem de qua eſt ſermo in ſententia Melchiadis ad reordinationem pertinere. Reſpondeo D. Auguſtinum non loqui de aliis criminibus, quàm de iis quæ ipſius tempore à Donatiſtis committerentur, neque verò de aliis debuiſſe mentionem facere: propterea non potuiſſe agere contra pœnitentiam, quam qui primi fuerant Donatiſtæ Epiſcopis imponerent, quod ejus ætate id tanquam obſoletum nôn amplius admittebatur: quicunque enim Divi Auguſtini tempore fierent Donatiſtæ, hi omnes ſive Epiſcopi, ſive presbyteri, denuo aquis immergebantur, atque ita ſine pœnitentia à peccatis liberabantur: ſed ſi Divus Auguſtinus vixiſſet Donati temporibus, aut Majorini, multa illius erroris veſtigia in illius ſcriptis reperirentur.

OBSERVATIO X.

De Concilio Arelatenſi.

DE Concilio Arelatenſi non minor eſt diſputatio, nam ab adverſariis objicitur ſupremæ illius poteſtatis, quam hodie uſurpant Pontifices, in eo veſtigia nulla extare? Imo auſos eſſe Donatiſtas à Melchiade ad Imperatorem appellare; alios judices poſt Pontificem quæſiſſe; & Conſtantinum, alios etiam Epiſcopos dediſſe qui de eadem cauſa quæ à Melchiade judicata eſſet, cognoſcerent; denique ea tempeſtate Pontificum judicia, ejus auctoritatis & firmitatis non fuiſſe, quæ ab aliis Epiſcopis reſcindi non poſſent; quando de ipſo Melchiade, & de ejus ſententia Epiſcopi Arelatenſes paſſi ſint judices ſe conſtitui: Addunt Sylveſtrum de hac injuria, aut quod hoc facto ſanctæ Sedis dignitas læderetur, queſtum non eſſe, aut legatos interpoſuiſſe ne in illo Concilio judicia ſummi Pontificis in dubium revocarentur, & de iis cognoſceretur. Hæc & ſimilia à Calviño, & à Petro Molinæo congeruntur; quibus reſpondendum eſt.

Primum quod aiunt Donatiſtas à Melchiade ad Imperatorem provocaſſe, & appellaſſe, res eſt parum firma, & ex qua nullum poteſt deduci argumentum, quod ſit alicujus momenti: nam ſi quæ fuit appellatio, veræ appellationis vim non habuit, neque habere potuit; cùm ipſemet Pontifex Maximus per Legatos, Marinus Arelatenſis, Maternus Agripinenſis, Rethicius Auguſtodunenſis, Merocles Mediolanenſis, Proterius Capuenſis, à quorum ſententia & judicio appellatum volunt à Donatiſtis, interfuerint Concilio Arelatenſi, & inter alios Epiſcopos ſederint, & de Donatiſtarum controverſiis, & appellatione cognoverint: forma enim judiciorum paſſa non fuiſſet,

ut iidem judices de appellatione & de judicio quod Romæ primum conſtitutum, & de quo appellatum eſſet judicarent. Reſpondeo præterea appellatione illa, etſi vera fuiſſet appellatio, nulla ex parte lædi, aut impugnari ſanctæ Sedis auctoritatem: nam etiam nunc à Pontifice ad Pontificem provocamus; ſimili modo Donatiſtæ à Melchiade ad Sylveſtrum qui per Legatos Concilio præfuit Arelatenſi appellare, ejuſque judicio litem quam Romæ perdiderant rurſus permittere, & deferre potuerunt: denique Concilium Arelatenſe, à majoribus noſtris uti à Divo Auguſtino vocatur plenarium Concilium, & generale, in quo cùm ſederit ſanctus Pontifex, & per legatos præfuerit, nulli mirum videri debet ſi permiſerit de judicio ſuo cognoſci, & ſuam ſententiam ab Epiſcopis & à ſemetipſo examinari.

Objiciunt præterea Epiſcopos quos judices in illo Concilio dederat Imperator, non ſolum ad id datos, ut de judicio Romæ facto cognoſcerent, ſed etiam ut de ipſo Melchiade judicarent; quomodo autem id probent, aut ubi legant, de Melchiade Arelatenſe Concilium judicaſſe non invenio: quamvis enim ægrè ferrent Donatiſtæ Cæcilianum Romæ abſolutum, & de illius abſolutione conquererentur, non legimus tamen in illo Concilio quidquam in Melchiadem ab illis confictum aut objectum.

Tertiò quod obtrudunt eandem cauſam rurſus Arelate judicatam, & examinatam fuiſſe, & Arelatenſes Epiſcopos de eadem cauſa quam Donatiſtæ Romæ perdiderant judicaſſe, non ſatis conſtat: nam etſi à pleriſque id concedatur, tamen ſi rem propius inſpiciamus, & ſi ex ipſius Concilii actis & Canonibus conjecturam capere velimus, longè alia cauſa ad Concilium Arelatenſe delata eſt quàm quæ judicata Romæ fuerat. Duo erant inter Cæcilianum, & Donatiſtas in controverſia, & traditionis & ſchiſmatis, duobus criminibus accuſabatur, & petebatur Cæcilianus: Quorum ab hoc Romæ abſolutus, ab illo verò Arelate diſceſſit, neque enim cauſa ſchiſmatis Arelate examinata, aut judicata ullo modo fuit, ſed traditionis dumtaxat; quod multis rationibus probari poteſt; nulla enim in illo Concilio extat mentio, aut Canon de ſchiſmate, & de ordinatione Majorini, ſed ex decimo tertio Canone manifeſtum fit, quæſitum in illo Concilio, an crimen & vitium ordinantis tranſiret in ordinatum, & ſi manus impoſitio à reo facta totam ordinationem irritam faceret: quamobrem enim ſanxiſſent Patres illius Concilii, *ordinationem non obeſſe ordinatis, dummodo de his qui ordinati eſſent ratio ſubſiſteret*, niſi de hoc facto quæſiiſſent Donatiſtæ & cauſa in eo verſaretur an ordinatio celebrata, ab idololatriæ reo, & ſuſpecto, pro infecta habenda eſſet? aut quos denique Canon ille decimus quartus reſpicere potuiſſet, aut in quos videri conſtitutus *quo ad exitum communione priventur qui falſo accuſarent fratres*, niſi in Donatiſtas qui Felicem, & Cæcilianum idololatriæ falſo inſimulabant? Ex quibus dubium non eſt Donatiſtas omiſſa ſchiſmatis cauſa, quæ Romæ terminata fuerat, ad ſecundum traditionis crimen confugiſſe, & nullam aliam actionem in Cæcilianum Arelate intendiſſe, niſi quod ejus ordinatio, ex ordinantis crimine reſcindenda eſſet? Nulla pretærea poteſt aſſignari ratio quamobrem Patres Arelatenſes de ſchiſmate mentionem nullam fecerint, & in eos qui falſo accuſarent fratres judicia tam ſevera tulerint, niſi quod nihil aliud in illo Concilio, & in illa quæſtione verſaretur, niſi ſi Cæcilianus Felicis crimine eſſet removendus ab Epiſcopi dignitate. Præterea hæc cum hujuſce ſchiſmatis, & Donatiſtarum hiſtoria mirificè congruunt, qui in Divo Auguſtino conqueruntur quod pauci judices nullo ordine ſervato ſententiam Romæ præcipitaſſent: prius enim videbatur judicandum an Ordinantis crimine alicujus ordinatio corrumperetur, & inficeretur, & an Felix traditor fuiſſet, quàm de ſchiſmate quærere. Hoc illius cauſæ ordo poſtulare videbatur, quid enim neceſſe erat inſpicere quænam ex Majorini, & Cæciliani ordinationibus magis conſentanea eſſet diſciplinæ Eccleſiaſticæ, ſi penes Felicem idololatriæ reum nullum fuiſſet manus imponendi jus, & arbitrium: quapropter dicebant Donatiſtæ de crimine Felicis priùs inquirendum fuiſſe quàm de ſchiſmate ac de ordinatione Epiſcopi Carthaginenſis judicaretur, ne illo ſcilicet judicio de Cæciliani ordinatione præjudicium haberent. Denique inter hujuſce Concilii ſubſcriptiones, Cæciliani nomen invenitur & legitur, quod pro argumento accipiendum eſt Felicis potius quàm Cæciliani crimen, & cauſam actam fuiſſe in illo Concilio; non enim inter cæteros Epiſcopos adſediſſet, & judicaſſet Cæcilianus, niſi omni criminis, & ſchiſmatis ſuſpicione caruiſſet, & vacuus fuiſſet. Cætera quæ ab adverſariis adferuntur, aut parum valida ſunt, aut ex eis quæ diximus diſſolvi poſſunt.

OBSERVATIO XI.

De die & Conſulibus judicii Proconſularis quo Felix Apungitanus purgatus fuit.

CONſtare inter omnes video qui de Donatiſtarum ſchiſmate ſcripſerunt Felicis Apungitani Epiſcopi, qui traditionis à Donatiſtis accuſabatur, cauſam ab Æliano Proconſule non niſi poſt Melchiadis judicium in Donatum habitam & judicatam fuiſſe. Verum longè obſcurius eſt, an ejuſdem Æliani Proconſulis ſententia qua Felix idololatriæ abſolutus eſt, tempore poſterior fuerit Concilio Arelatenſi; nam quamvis iiſdem Conſulibus, hoc eſt Voluſiano, & Anniano, Felix in Africa, & Cæcilianus Arelate innocentes, & indemnati receſſerint, tamen de die abſolutionis Felicis non ſatis conſtat, multumque hiſtoriæ intereſſe videtur indagare, & adamuſſim, quo die data & lata fuerit Æliani ſententia, inſpicere.

D. Auguſtinus tractatu poſt Collationem capite trigeſimo tertio, docet eam factam eſſe decimo quinto Calendas Martias, cujus opinionem ſequuti ſunt Cardinales Baronius, & Peronius: verum in libello manuſcripto ejuſdem ſententiæ, & in ipſis actis Æliani Proconſulis, quibus in Felicis vitam inquiſivit, decimus tertius Cal. Septembr. dies inſcribitur.

Inter has duas opiniones, quarum una auctoritate graviſſimorum ſcriptorum, altera fide vetuſtiſſimi Codicis conſtare videtur, temerarium eſſet aliquid dijudicare: verùm hæc poſterior ad hanc hiſtoriam, & ad Concilium Arelatenſe magis accommodari, & convenire videtur: Nam poſt Melchiadis judicium quo ſchiſmatis cauſa terminata eſt & Eunomii, & Olympii legationem, & tranſitum in Africam, quo Catholicæ Eccleſiæ communio oſtenſa, & declarata eſt Carthaginienſibus; nihil ſuperat judicandum in Concilio Arelatenſi, atque inter Donatum, & Cæcilianum nihil erat controverſum, niſi ſi Felicis crimen, qui Cæcilianum ordinaverat, quique de traditione à Donatiſtis poſtulabatur irritam feciſſet manus ejus impoſitionem: hoc enim Arelate in diſceptationem & in quæſtionem vocabatur, an ſcilicet deprehenſo ſcelere ordinantis, tota ordinatio reſcindenda eſſet: & quamvis nonnullis videatur in illo Concilio non ſolum de ordinatione Felicis, ſed etiam de ſchiſmatis origine à Donatiſtis quæſtionem allatam; tamen potiſſimum uti præcedenti, & proxima obſervatione docuimus, quæſitum eſt an ordinatio facta ab Epiſcopo traditionis reo pro nulla habenda eſſet.

Quod cùm ita ſit, veriſimile ſit Felicem nondum ab Æliano traditionis & idololatriæ abſolutum cum Concilium habitum eſt: nam qua fronte in Concilio Arelatenſi quod datum eſt menſe Septembri Donatiſtæ actionem reſcindendæ ordinationis in Cæcilianum intendiſſent, cujus fundamentum non aliud erat quàm Felicis crimen, ſi decimo quinto Calendas Martii de eodem ſcelere purgatus fuiſſet? Non neceſſe erat tantis ſumptibus Concilium convocare, & ex omnibus Africæ, Galliæ, Hiſpaniæ, Siciliæ, & Italiæ partibus Epiſcopos cogere, ad unam quæſtionem diſcutiendam, cujus tota ratio & pondus in ſcelere Felicis conſtituebatur, ſi Æliani judicio liberatus, & innocens declaratus jam antea fuiſſet Felix? non defuiſſent Africæ Epiſcopi qui intererant Concilio qui fruſtra quæri de jure dixiſſent, cùm factum quo jus nitebatur non conſtaret, imò cùm contrarium omninò ex actis purgationis ejuſdem Felicis appareret.

Quamobrem manuſcripti fidem ſequendam eſſe arbitror, & exiſtimandum hæc duo eodem tempore facta; Cæciliani ordinationem confirmatam in Concilio Arelatenſi, & Felicem à crimine eodem menſe aut circiter ab Æliano purgatum. Nec me movent D. Auguſtini verba, cujus auctoritati etſi in aliis omnibus cedendum eſſe velim, in hac tamen hiſtoria, ut rectè monuit Franciſcus Balduinus, non ſatisfacit, multaque in ejus ſcriptis prætereuntur quæ ad eam pertinent: Deinde facilè mihi perſuadeo D. Auguſtinum antiquiorem paulò diem Æliani ſententiæ æſtu diſputationis adſcripſiſſe: nam ut dilueret, quod à Donatiſtis opponebatur, Conſtantinum judicium ſuum quo Mediolani poſt Arelatenſe Concilium Cæcilianum, audito Ingentio ad ſe per Ælianum miſſo, purgaverat, poſteriore ſententia reſcidiſſe, ut hoc inquam dilueret demonſtrandum illi erat eadem ſententia qua Felix abſolutus erat, ab Æliano, eadem inquam ad comitatum juſſum Ingentium tranſire: atque Imperatorem non abſolviſſe, neque purgaſſe Cæcilianum niſi poſtquam de Felicis vita, & abſolutione per Ingentium & per Æliani ſententiam certior factus fuerit: quamobrem illius ſenten-

tiæ diem paulo antiquiorem poſuit, ut oſtenderet Ingentium ab Imperatore & viſum, & auditum multo antequam Mediolani pro Cæciliano pronunciaret. Hęc ſunt divi Auguſtini verba Epiſtolę centeſimæ quinquageſimæ ſecundę in quibus neque diem neque menſem proconſularis judicii notavit, quo in loco tamen notandus erat ſi eum non ignoraſſet. *Nam & ordinem conſulum & dierum qui geſtis expreſſus eſt, ſi quis nunc diligenter advertat, inveniet primo Cæcilianum Epiſcopali judicio fuiſſe purgatum; deinde non multo poſt Felicis Aptungitani cauſa ab Æliano proconſule examinata eſt, ubi eum conſtitit innocentem. In qua cauſa comitatum mitti juſſus eſt Ingentius, & longè poſtea ipſe Imperator cauſam inter partes cognovit atque finivit. In qua cognitione Cæcilianum innocentem, illos autem calumnioſos judicavit, in quo ordine Conſulum & dierum ſatis oſtenditur fallaciter, eos, & calumnioſè dixiſſe, quod Imperator miſſo ad comitatum Ingentio judicium ſuum mutavit, & Cæcilianum quem prius purgaverat poſtea condemnavit: non ſolum autem nihil de hac re legere potuerunt, & contra ſeipſos tanta legerant, ſed etiam per ordinem Conſulum evidentius convincuntur eos cauſam Felicis proconſulari judicio terminatam, in qua juſſum eſt, ut ad comitatum Ingentius mitteretur, nec parvo intervallo, ſed longè poſtea memorati Imperatoris judicio inter partes habito Cæcilianum fuiſſe purgatum.*

FINIS OBSERVATIONUM ALBASPINÆI.

GESTA

COLLATIONIS CARTHAGINI

HABITÆ

HONORII CÆSARIS IVSSV

inter

CATHOLICOS ET DONATISTAS
coram Marcellino V. C. Trib. & Not.
P.C. VARANIS V.C.

Opus non ſolùm Theologis, ſed etiam Iuriſconſultis valde utile.

PAPIRII MASSONI ſtudio atque opera primùm in lucem editum, à
P. PITHOEO *V. C. cum M. S. collatum & emendatum.*

ISABELLÆ AVSTRIÆ VIDVÆ CAROLI NONI GALLIÆ REGIS SERENISSIMÆQVE Reginæ, Maximiliani Cæſaris Filiæ,

P. MASSONUS S.

IMMENSÆ pietati Majeſtatis tuæ, dignum opus dicare æquiſſimum fuit, ut Maximiliani Cæſaris filiæ, viduæque Caroli noni Chriſtianiſſimi Gallorum Regis. Nullum verò ſe offerre dignius potuit, quàm Acta Collationis Carthaginenſis, habitæ Honorii clementiſſimi Cæſaris juſſu, & Divi Auguſtini temporibus. ipſe enim diſputationi illi interfuit; ipſe eam in Epitomen redegit, & inter eius opera reperitur. Illa autem quæ tamdiu delituerant, Angeli Vergetii Græci hominis ſed Latinè doctiſſimi opera in manus Claudii Mondini Advocati Pariſienſis & cognati mei eruditiſſimi viri cum perveniſſent, beneficio eius ſervata ſunt. Illi igitur, mihíque ſatis gloriæ quæſitum eſt: illi, quòd redemerit: mihi, quòd primus ea in lucem mitto, dóque mortalibus non librum aliquem, ſed Theſaurum, ut cum Domitio loquar; Theſaurum, inquam, utilem omni hominum generi, præſertim Iuriſperitis, atque Theologis, quibus admodum proderit: & quidem maximè neceſſario Reipublicæ tempore offero. damnatam enim Calvinianam ſectam inſtaurari iterùm Gallia non patietur, niſi iratum nobis Deum habuerimus, & Honorii exemplo Henricus Rex clementiſſimus, uti Honorius fuit, convictam hæreſim in Comitiis Regni quæ nunc ad Ligerim flumen Bleſis habentur, rurſum, ut omnes ſperamus, damnabit ac diſcutiet rabiem eorum, qui non ſunt diſſimiles Donatiſtis & Circumcellionibus, ac furore fortaſſè ſuperiores. Id Pariſienſium ſplendidiſſima civitas optat pietatis ſtudio incenſa, omnéſque boni Galliæ cives, Túque abſens & eodem quo vir tuus erga Catholicam religionem ſtudio: quam cùm abeuntem è Gallia vidimus, nobilis illa plurimorum vox audita eſt; O te felicem Iſabella, ut de Marco Catone olim dictum ſcimus, à qua rem improbam petere nemo audebit. Vetus enim inſtitutum Galliæ prima renovaſti cùm lugubria ſumpſiſſes, Juridicos Magiſtratus dignis tantummodo, ídque gratis dari imperans: qui pridem in Gallia venales erant. Hæc autem Acta, ut plerique libri & ſcriptores eorum facere ſolent, nomen tuum immortalitate donatura non ſunt, quod alioqui perpetuum &

perenne futurum eſt : ſed ipſa potius immortalitatem à te accipient. Vtque omnes intelligant non ſine cauſa, tua Maieſtati opus hoc à me dicatum oblatúmque eſſe, ſciant me ex Provincia Forenſium ortum eſſe; cuius fructibus Maieſtas tua dotalicii iure fruitur, id eſt, quæ pudicitiæ præmio ceſſit, ut cum Cæſare loquamur: ideóque inter ſubditos & clientes tuos obſequentiſſimum eidem Maieſtati Papirium Maſſonum Iuris Civilis ſtudioſum eſſe meminerint. Bene vale. Lutetiæ Pariſiorum Kalendis Octobribus anno M. D. LXXXVIII.

PRÆFATIO OPERIS
P. MASSONO
AVTHORE.

ACTA Collationis Carthaginenſis, Innocentio primo Pontifice Romano, Honorii clementiſſimi Cæſaris juſſu habita ſunt, anno poſt Conſulatum Varanis, cùm nullus in Occidente Conſul eſſet, propter nimiam rerum perturbationem, Roma ab Alarico Gothorum Rege recèns capta. Mandato igitur quo hæc diſputatio fieri jubetur, locus quidem & dies appoſitus eſt; at Conſulem, qui nullus erat, curioſi fruſtra requirent. Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopi Collationem fieri petierant adverſus Donati partem: id enim agnoſcunt, ſeptem ex eis delecti, Aurelius, Alypius, Auguſtinus, Vincentius, Fortunatus, Fortunatianus, & Poſſidius: totidem Donatiſtæ, Primianus, Petilianus, Emeritus, Montanus, Gaudentius, Adeodatus, & Protaſius. atque hi inter abſentes Epiſcopos partis ſuæ, ut fucum facerent, Felicem quaſi urbis Romæ Epiſcopum nominant, licet Catholici Innocentium tunc ſedere teſtentur, ut verum erat, utque probatiſſimæ fidei Annales tradunt, ad annum à partu Virginis quadringenteſimum undecimum. Diſputatio dividitur in primam cognitionem, ſecundam, & tertiam. Tertia ſexto Idus Junias habita eſt: quo die profertur Marcellini cognitoris ſententia, confutatos à Catholicis Donatiſtas omnium documentorum manifeſtatione aſſerentis, ut Divi Auguſtini verbis utar. Hanc ſententiam ut emptam à Cognitore Catholico & noctu prolatam, calumnioſè poſtea Emeritus & quidam pertinaces Donatiſtæ arguebant, quos Auguſtinus acutiſſimè refellit. cui ſanè laudi eſſe debet quòd Epitomen collationis breviſſimam ſcripſit, ideo utiliorem futuram quia tertiæ Cognitionis magna pars, quæ hîc deficit, neceſſariò inde petenda eſt. Ubi de Cæciliano & Menſurio, deque traditoribus ſacrorum codicum & ſupellectilis Eccleſiaſticæ agitur, Diocletiano & Maximiano Eccleſiam acerrimè perſequentibus. etſi ante Auguſtinum in libro de hæreſibus id quoque ab Optato Milevitano copioſè narratum eſt. Ac diſputavit quidem Auguſtinus adverſus Donatiſtas ante Collationem, & libros de Baptiſmo parvulorum edidit: Simul diſſeruit adverſus Petiliani literas ex forenſi advocato Epiſcopi, & Creſconium Grammaticum dicendo penè obtrivit. Poſt Collationem verò Honorio XII. & Theodoſio VIII. Coſſ. ut ipſemet præfatur, quid egerit cum Emerito ſatis oſtendit libro ſingulari ſic inſcripto: *De geſtis cum Emerito.* Atque hunc quidem fuiſſe unum eorum ſeptem, quos pro ſuæ cauſæ defenſione Donatiani delegerant, & qui in eadem cauſa maximè laboraverat, libro ſecundo Retractationum Auguſtinus tradit, eoque mortuo Poſſidius in ejus vita etiam refert. Denique adverſus Gaudentium Thamugadenſem Epiſcopum, quem ex illo numero fuiſſe eodem quoque librò demonſtrat, libros duos conſcripſit. At ſumma utilitas ejus judicii fuit: nam licet Donatiani Cæſarem appellarunt, ab Honorio confirmatum eſt. noſque edictum ex Codice Theodoſiano huic diſputationi annexuimus, cui obediens plebs Donatiſtarum, deſertis Epiſcopis ſuis ad Eccleſiam Catholicam ſtatim rediit. & ex Optati antiquiſſimo manuſcripto codice interrogationes quaſdam Collationi intelligendæ neceſſarias adjici curavimus. Cognitorem quidem Oroſius libro ſeptimo prudentem, induſtrium & ſtudiorum bonorum appetentiſſimum fuiſſe teſtatur: ad eumque non multò poſt Romam captam. ſcripti ſunt ab Auguſtino libri viginti de Civitate Dei, ut Præfatio ad eos indicat. De morte autem Marcelli Hieronymus loquitur lib. 3. contra Pelag. violentam eam fuiſſe neceſſe eſt. Percuſſorem enim ejus & ſicarium idem Oroſius nominat. Laudandus quoque eſt Marcellus qui hoc volumen Actorum collationis, quod copioſiſſimum atque diffuſiſſimum erat, modulata, ut ipſe ait, brevitate diſtinxit atque collegit, ut ex

epiſtola ejus ad Severianum & Julianum videri poteſt. Nec plura hoc loco dicenda exiſtimamus, quia Balduinus præceptor meus in Jure Civili, qui acta commodato tantum in veteribus adhuc membranis ab Antiſtite Meldorum Tillio habuerat, elegantem in ea commentarium edidit.

Collationis Codex manuſcriptus in veteribus membranis ſic inſcriptus eſt:

Liber oblatus ad altare Sancti Stephani, voto Fulcherii Canonici.
Deinde, Acta Collationis ſeu geſta continet.

HI EPISCOPI CAVSAM ſuſceperunt.

CATHOLICI,

AURELIUS	CARTHAGINENSIS.
ALYPIUS	TAGASTENSIS.
AUGUSTINUS	HIPPOREGIENSIS.
VINCENTIUS	COLUSITANUS.
FORTUNATUS	CONSTANTINIENSIS,
FORTUNATIANUS	SICCENSIS.
POSSIDIUS	CALAMENSIS.

Et Donatiſtarum hi.

1. PRIMIANUS	CARTHAGINENSIS.
2. PETILIANUS	CONSTANTINIENSIS,
3. EMERITUS	CÆSARIENSIS.
4. PROTASIUS	* * * *
5. MONTANUS	* * * *
6. GAUDENTIUS	THAGMUDENSIS.
7. ADEODATUS	* * * *

Nec miraberis, Lector, ſi duos in eadem urbe Epiſcopos legeris fuiſſe. Nam Donatiſtæ altare contra altare erexerant, habebantque Epiſcopos ſuos ut Catholici.

DE SUPERIORIBUS EPISCOPIS UBINAM LOQUITUR AUGUSTINUS,

VENERABILIS *Aurelius Epiſcopus Carthaginenſis Eccleſiæ, lib. 2. Retractationum cap. 15.*
Alypius Tagaſtenſis Epiſcopus, ex lib. de geſtis cum Emerito:

Alypius ex eodem quo ego ortus eram, municipio, parentibus Primatibus municipalibus, me minor natu, & ſtuduerat apud me, cum in noſtro docere cœpi oppido, & poſtea Carthagini, & diligebat multum, quòd ei bonus & doctus viderer, & ego illum propter magnam virtutis indolem, quæ non in magna ætate ſatis eminebat.

Cùm eſſem in Eccleſia Conſtantinienſi, Abſentio præſente & collega mea Fortunato ejus Epiſcopo. Auguſtinus lib. 1. contra literas Petiliani.

Poſſidius Calamenſis. Auguſtinus ex lib. de geſtis cum Emerito. Hic in vita D. Auguſtini ſcribit ſe annis quadraginta Dei dono abſque amara ulla diſſenſione familiariter ac dulciter vixiſſe.

Petilianus Epiſcopus Donatiſtarum Conſtantinienſis ex lib. 2. Retractationibus cap. 34. Et Epiſtola contra Petiliani Conſtantinienſis Donatiſtæ Epiſtolam. Meminiſtis, inquit, fratres, Petiliani Donatiſtarum Conſtantinienſis Epiſcopi perparvam Epiſtolæ partem in manus noſtras aliquando veniſſe, eique particulæ quod reſponderimus, ſcripſiſſe me ad dilectionem veſtram.

Contra literas Petiliani, Auguſtinus.

Eat nunc & anhelis pulmonibus ac turgidis faucibus me tanquam dialecticum criminetur: imo non me, ſed ipſam dialecticam velut mentiendi artificem in populare judicium ream devocet, & in eam quamlibet frageſiſſimo ſtrepitu advocati forenſis ora diſtendat. Dicat quicquid vult apud imperitos, unde ſtomachentur docti, illudantur indocti: me propter Rhetoricam, Tertulli oratoris, à quo accuſatus eſt Paulus, vocabulo denotet: ſibi propter advocationem, in qua potentiam quandam ſuam jactat, Paracleti nomen imponat, atque ob hoc ſe cognominalem Spiritus ſancti non eſſe, ſed fuiſſe deliret.

Emeritus civis Cæſarienſis & Donatiſtarum Epiſcopus. Retract. lib. 2. cap. 51.

Gaudentius Thamagudenſis Donatiſtarum Epiſcopus. Retract. lib. 2. cap. 59.

De Primiano loquitur Auguſtinus in libro poſt Collationem ſic: Invidiam concitant, quòd apud Imperatorem cauſam agamus Eccleſiæ. Hinc illa Primiani Donatiſtæ vox: Illi portant multorum Imperatorum ſacras: nos ſola portamus Evangelia.

De cæteris Epiſcopis apud eundem authorem nihil reperi.

DILECTISSIMIS FRATRIBVS
ET IN CHRISTI NOMINE VENERANDIS,
Severiano & Juliano Marcellus Memorialis.

AMplector alacriter juſſionem qua mihi amanter atque in Domino fiducialiter imperaſtis, ut totius membra negotii, & articulos actionis, quod per iſtud volumen actorum, proſecutiones partium per longos explicuere conflictus, modulata per me brevitas diſtinguat & colligat: atque huic operi ſola charitate me ſentio fateorque ſufficere. Ad omnem quippe delegati muneris obſequelam, efficaciores vires habet qui præceptis amore jubentium, quàm qui fiduciâ ſui paret. Ac jam quidem in hanc operationem qua in Eccleſiæ negotio pro ſingulorum viribus laboratum eſt, quantum mea mediocritas potuit, officii mei ſymbolam dedi. quod à viro ſpectabili, & in quo plurimum inſigne probitatis eſt, Tribuno & Notario Marcellino curarum aſcitus in partem, non tam merito meo, quàm dignatione cenſentis, communicavi cum judice librandæ diſceptationis laborem. Sed hoc quoque quod me facere voluiſtis, peculiariter adhibere non piguit. Quandoquidem mihi non minor in eadem re voluptas & gloria eſt, ſolviſſe nunc fratribus votum, quàm cognitori tunc præbuiſſe conſilium. Quicquid igitur laxiùs à partibus peroratum eſt, & quicquid interfatibus judicantis utrobique ſignatum eſt, ſedula breviatione ſuccinxi, conſequenter affigens etiam per ordinem, notas calculantibus familiares, ut inquirentis intentio judicem ſecuta brevitatem, ad id quod deprehendere velit in paginis actionis, non abſque commoditate compendii, numeris ducibus directa perveniat. Abuſi videamur fortaſſis otio, dum ad laborem ſuperflua revocamus. quod nos verè ſuperfluè feciſſe fateremur, ſi in tota voluminum ſerie perlegenda, habiles eſſe vellent homines ad laborem. Sed periniquum eſt eos de iſtius diligentiæ velut quadam inanitate cauſari, à quibus ſi in perlegendis jugiter paginis diſputationis hujuſce non inanis diligentia flagitetur, eam non eſſe diligentiam, ſed moleſtiam confitentur. Unde, quantum ego arbitror, non opus irritum luſimus qui faſtidia lectionis remedio brevitatis excluſimus. Certè, ſi ex ipſius operationis atque utilitatis effectu, abſolutum eſſe non poterit, quod vanus labor iſte non fuerit: Idcirco tamen non ineptum eſt quicquid hîc egi, quia in hoc vobis jubentibus parui. Nunc oraverim, ut in viciſſitudinem meriti pro me orare dignemini. Ita enim fiet, ut quod ſponte facitis, mihi tamen cedat in remunerationem. Omnipotentia Trinitatis, id eſt, omnipotentia Dei noſtri, Charitatem veſtram jugiter noſtri memorem perpetua pietate cuſtodiat, Domini meritò dilectiſſimi, & in Chriſti nomine venerabiles Fratres.

Explicit Epiſtola capitulorum.

INCIPIUNT

INCIPIVNT CAPITVLA Geſtorum.

DE aſtante officio. I.

De ingreſſis Epiſcopis. II.

Interloquutio de qualitate negotii, ubi jubet ſibi cognitor imperiale præceptum recitari. III.

Recitatio imperialis præcepti de habenda collatione. IV.

Recitatio edicti per quod congregari Epiſcopis jubet. V.

Interloquutio de alio judice eligendo. VI.

Reſponſio Donatiſtarum, de judice non poſtulato. VII.

Interloquutio quòd collatio fuerit poſtulata, non judex. VIII.

Reſponſio donatiſtarum, ut hi proponerent qui collationem petiiſſent. IX.

Recitatio edicti, ubi dicit qui modus & locus collationi ſit aptus, & quoteni deberent eſſe ab utriſque partibus, qui cauſam peragerent. X.

Vbi jubet cognitor recitari quæ ante collationem pars utraque peregerit. XI.

Proſecutio donatiſtarum ſimilis præcedenti. XII.

Interloquutio quòd ſuo ordine omnia peragi debent, & jubet recitari quæ dixerat. XIII.

Recitatio notariæ donatiſtarum, in qua ſibi edictum aſſerunt diſplicere. XIV.

Interloquutio ut catholicorum epiſtola legeretur. XV.

Recitatio Epiſtolæ Catholicorum, in qua edicto conſentiunt & conditiones Donatiſtis proponunt. XVI.

Recitatio edicti in quo ſe omnia publicaturum populo pollicetur. XVII.

Vbi recitatur reſcriptum catholicorum reſpondentium notariæ donatiſtarum. XVIII.

Interloquutio de catholicorum conſenſione, ubi & illi interrogantur, utrum conſentiant? XIX.

Proſecutio Donatiſtarum de tempore & de perſonis. XX.

Interloquutio ut certus numerus conſtituatur actorum ſecundùm lectum edictum. XXI.

Donatiſtarùm proſequutio de tempore exempto, ut jam nihil ageretur inſtantium. XXII.

Interloquutio qua excluduntur de tempore conſtituto & certo numero conſtituendo Donatiſtæ. XXIII.

Vbi Donatiſtæ de tempore vel de die collationis inquirunt. XXIV.

Interloquutio excludens ſupradictam proſecutionem. XXV.

Proſecutio iterum Donatiſtarum de die collationis exempto. XXVI.

Interloquutio ut ad quæſita reſpondeat officium, & reſponſio quando quartus menſis impletus ſit. XXVII.

Interloquutio de adventu partis utriuſque Carthaginem. XXVIII.

Proſecutio donatiſtarum de adventu ſuo Carthaginem, & quòd iam die tranſacto fieri non debeat ipſa collatio, ſed in contumaces pronunciari debere. XXIX.

Interloquutio refellens ſuperiorem proſecutionem. XXX.

Proſecutio donatiſtarum ut divinis tantùm teſtimoniis cauſa tractetur. XXXI.

Interloquutio ut numerus conſtituatur, & ſic cauſa dicatur. XXXII.

Reſponſio donatiſtarum, ut omnes Epiſcopi ipſorum adſint in iudicio. XXXIII.

Interloquutio multitudinem non habere perſonam. XXXIV.

Reſponſio donatiſtarum ut non iuris lege agatur. XXXV.

Interloquutio, non ius, ſed contentionem ceſſare debere. XXXVI.

Vbi donatiſtæ laudant iudicis integritatem. XXXVII.

Vbi offerunt catholicorum mandatum. XXXVIII.

Vt, ubi proſequantur, petunt. XXXIX.

Interloquutio, ut profiteantur catholici utrum divinis tantùm agere velint. XL.

Reſponſio catholicorum, ex mandato cognoſci voluntatem ſuam. XLI.

Interloquutio cognitoris qui haberet mandatum. XLII.

Reſponſio catholicorum, ex eius recitatione poſſe cognoſci. XLIII.

Vbi dicunt donatiſtæ, legem Dei repudiat qui debeat profiteri. XLIV.

Interloquutio ad ſupradicta. XLV.

Reſponſio catholicorum ad ſupradicta. XLVI.

Vbi dicunt donatiſtæ, non debere eſſe mandatum; ſed ius publicum aut legem Dei eligere debere. XLVII.

xlviii. *Proſequutio catholicorum per dicta divina Eccleſiam ſe demonſtrare, per ſcripta publica hominum crimina purgare.*
xlix. *Interloquutio approbans dicta catholicorum.*
l. *Proſequutio catholicorum, per mandatum omnia intimari.*
li. *Interloquutio approbans ſupradicta.*
lii. *Vbi catholicis volentibus legere mandatum, dicit cognitor, ut officium recitet.*
liii. *Proſequutio donatiſtarum permittens recitari mandatum, accuſans genus accuſationis.*
liv. *Interloquutio, ſe aliter audire non poſſe quod imperialibus legibus conſtitutum eſt.*
lv. *Vbi recitatur mandatum catholicorum, in quo omnem cauſam complexi ſunt.*
lvi. *Interloquutio approbans mandatum catholicorum divinis conſtare teſtimoniis.*
lvii. *Recitatio ſuſcriptionum Primatuum catholicorum.*
lviii. *Interloquutio requirens numerum ſuſcribentium, & renuntiat officium.*
lix. *Vbi requirunt Donatiſtæ catholicos qui ſuſcripſerunt.*
lx. *Vbi reſpondent catholici, ut mitterent qui illos agnoſcerent.*
lxi. *Vbi de numero Epiſcoporum catholicorum movent quæſtionem* Donatiſtæ*, quòd ſupponi potuerint qui Epiſcopi non fuiſſent.*
lxii. *Interloquutio contra iſtam proſequutionem.*
lxiii. *Vbi petunt donatiſtæ, ut ſigillatim omnes catholicos Epiſcopos permittantur agnoſcere.*
lxiv. *Vbi requirit judex ſi bini ubique poſſunt eſſe Epiſcopi.*
lxv. *Vbi donatiſtæ laudant judicem de ipſa inquiſitione & catholicorum numeroſitate incongrua conqueruntur.*
lxvi. *Vbi catholici multiloquium reprehendunt.*
lxvii. *Vbi dicunt Donatiſtæ plus ſcripſiſti quam dixi.*
lxviii. *Proſequutio catholicorum ut perſonæ conſtituantur actorum.*
lxix. *Interloquutio quòd incompetenter ordinatis mandatum ſibi non ſit.*
lxx. *Vbi iterum Donatiſtæ proſequuntur judicari debere de numero partis utriuſque.*
lxxi. Interloquutio*, quòd multitudo opus non ſit.*
lxxxii. *Reſponſio* Catholicorum *ubi excuſant abſentiam ſuorum.*
lxxiii. Interloquutio *ut venirent omnes.*
lxxiv. *Vbi rurſus* Catholici *turbas non opus eſſe reſpondent.*
lxxv. *Interloquutio cognitoris, utrum loco uno eſſent Epiſcopi* Catholici *qui dicebantur abſentes.*
lxxvi. *Reſponſio* Catholicorum*, neſcire ubi ſint, nec debere venire ad collationis locum, niſi eos de quibus dubitatur.*
lxxvii. *Vbi catholici tumultum vel ſtrepitum cavent.*
lxxviii. *Interloquutio confirmans ſuperiùs dicta.*
lxxix. *Vbi dicunt Donatiſtæ, quòd impugnet ſe actio catholicorum: & inſtant ut omnes catholici veniant qui ſubſcripſerunt.*
lxxx. *Vbi dicunt donatiſtæ, confiteri illos cum tumultu venturos.*
lxxxi. *Vbi reſpondetur à catholicis, quare tumultum formident.*
lxxxii. *Iterum* Donatiſtæ *inde.*
lxxxiii. *Reſponſio* Catholicorum *ad eandem rem.*
lxxxix. *Vbi dicunt donatiſtæ, ſi in paucos tumultus fieri non poteſt, in multos quemadmodum fieri poteſt? & reſpondent catholici judica.*
lxxxv. *Interloquutio, quòd multitudo ſacerdotum poſſit præſtare ſilentium.*
lxxxvi. *Vbi iterum Donatiſtæ dicunt, omnes debere venire.*
lxxxvii. *Interloquutio, ut de quo dubitatur, veniat.*
lxxxviii. *Vbi dicitur à Donatiſtis cauſa tumultus, ubi, vel quomodo Epiſcopi recitati exeant.*
lxxxix. *Vbi conſentiunt catholici quod petebatur, ut omnes veniant.*
xc. *Vbi ſibi volunt Donatiſtæ mandatum oſtendi Catholicorum.*
xci. Interloquutio*, ut fiat quod petierunt.*
xcii. *Vbi dicunt Donatiſtæ, omnes adſint, aut cauſa differatur.*
xciii. *Vbi reſpondetur à catholicis, quia non differtur: & petunt, ut actis offeratur mandatum.*
xciv. *Vbi ad hoc reſpondent donatiſtæ.*
xcv. Interloquutio *ad eam rem.*
xcvi. *Vbi dicunt donatiſtæ præſentiam eorum non mandatum ſe velle.*
xcvii. *Vbi dicunt ut ſi qui inventi ſunt, intromittantur: & jubetur fieri.*
xcviii. *Interloquutio, ſatisfactum eſſe petitionibus donatiſtarum.*
xcix. *Vbi recitari incipiunt ſinguli Epiſcopi* Catholicorum*, & jubetur ut exeat qui non ſuſcepit negotium.*
c. *Vbi dicitur à* Catholicis *ut & illorum Epiſcopi procedant.*
ci. *Vbi interrogat cognitor, utrum & donatiſtæ conſentiant.*

Vbi ſuggeritur à catholicis, ut & donatiſtæ mandent. cii.
Vbi inquirit cognitor, utrum cùm mandaverint, exeant & dent locum acturis. ciii.
Vbi ad hoc conſentiunt donatiſtæ. civ.
Interloquutio de *ſuſcriptionibus etiam donatiſtarum in iudiciis intimandum.* cv.
Vbi reſpondent donatiſtæ, apud acta ſe velle mandare. cvi.
Vbi cognitor quærit, apud quæ acta. cvii.
Vbi reſpondent donatiſtæ, apud eum ſe velle mandare: ſed ei permittere quid iubeat. cviii.
Vbi quæritur à donatiſtis quid eligant de mandato catholicorum. cix.
Vbi reſpondent donatiſtæ, ut mandatores potius cognoſcantur. cx.
Vbi iubetur ut fiat. cxi.
Recitatio & interloquutio de ipſis. cxii.
Proſecutio de ipſis. cxiii.
Interloquutio *& reſponſio de Epiſcopo Zummenſi.* cxiv.
Vbi dicitur à catholicis, ut videantur præſentes & abſentes: & iuſſio cognitoris ut fiat. cxv.
Interloquutio *de præſentibus, & recitatio de invicem agnoſcentibus.* cxvi.
Reſponſio donatiſtarum de dioceſibus. cxvii.
Et catholicorum ad eamdem rem. cxviii.
Iterum *donatiſtarum inde.* cxix.
Interloquutio, *quòd non pertineat ad actionem præſentem.* cxx.
De Epiſcopo ad catholicam converſo: & ſequentium nominum recitatio. cxxi
Vbi catholici inquirunt de Feliciano Muſtitano. cxxii.
Reſponſio donatiſtarum inde. cxxiii.
Iterum *catholici inde.* cxxiv.
Iterum *donatiſtæ inde.* cxxv.
Interloquutio *ut cœptus ordo teneatur: & recitatur.* cxxvi.
Reſponſio catholicorum, de Abeddeo diacono Primiani. cxxvii.
Interlocutio *de ipſo.* cxxviii.
Reſponſio donatiſtarum de Epiſcopo Cufreteno cum deeſſet. cxxix.
De *alio Epiſcopo donatiſtarum, de adulterio damnato.* cxxx.
Interloquutio, *ſi fuit ibi catholica: & reſpondent donatiſtæ, non.* cxxxi.
De mutatis exceptoribus & cuſtodibus datis. cxxxii.
Interloquutio iudicis, ut tabulæ à cuſtodibus ſignarentur: & recitatio Epiſcoporum. cxxxiii.
De Epiſcopo & Eccleſia Ceramuſſenſe. cxxxiv.
Recitatio ſequentium nominum. cxxxv.
Reſponſio Catholicorum de unitate Tagaſtenſis Eccleſiæ. cxxxvi.
Et reſponſio donatiſtarum ad ea. cxxxvii.
Recitatio ſuſcriptionum actorum. cxxxviii.
Obiectiones donatiſtarum & reſponſiones catholicorum, cum actores catholici recitarentur. cxxxix.
Objectio donatiſtarum, quòd idem ſunt actores qui mandatores. cxl.
Interloquutio ad eam rem, & recitatio ſuſcriptionum contra objectionem donatiſtarum. cxli.
Interloquutio *ad eam rem.* cxlii.
Interloquutio contra objecta Victoris Epiſcopi Ipponien. d'i arrit. cxliii.
Vbi conſeſſum Epiſcopis offeret iudex. cxliv.
Vbi recuſantes donatiſtæ ſeſſionem, iudicem laudant. cxlv.
Interloquutio, ut ſoli remanerent actores. cxlvi.
Vbi mandatum offerunt donatiſtæ. cxlvii.
Interloquutio, ut recitetur: & recitat officium. cxlviii.
Interloquutio, ut ſuſcriptionem recitet officium. cxlix.
Vbi catholici petunt præſentiam donatiſtarum. cl.
Interloquutio de mandato & ſuſcriptionibus donatiſtarum. cli.
Petitio catholicorum, ut ſinguli accederent etiam donatiſtæ. clii.
Interloquutio ad petitionem catholicorum. cliii.
Proſecutio catholicorum, ut profeſſio pareret donatiſtarum. cliv.
Interloquutio de ea re. clv.
Et catholici ad eam rem. clvi.
Recitatio nominum donatiſtarum. clvii.
Reſponſio catholicorum de Felice Epiſcopo Vrbino Donatiſtarum. clviii.
Et Donatiſtæ de eodem nomine. clix.
Iterum catholici inde. clx.
Interloquutio de tranſmarinis non ſibi eſſe præceptum. clxi.
Item Catholici inde. clxii.

clxiii. *Reſponſio Donatiſtarum de tranſmarinis, & ſequentium nominum recitatio.*
clxiv. *Interloquutio, ut decem ſufficerent ad ſuſcribentium fidem.*
clxv. *Proſecutio Donatiſtarum ut ſinguli tranſirent etiam ipſorum, propter ſuam multitudinem commendandam.*
clxvi. *Interloquutio quod non ſit de numero mandatum.*
clxvii. *Reſponſio Donatiſtarum unde ſupra.*
clxviii. *Vbi Catholici agunt de numeroſitate coepiſcoporum ſuorum, vanum dicentes præjudicium Donatiſtarum.*
clxix. *Vbi dicunt Donatiſtæ, injuriam facis vanè.*
clxx. *Vbi Catholici proſequutionem quam Donatiſtæ interruperant peragunt, aſſerentes quòd nunquam cauſæ agendæ defuerint.*
clxxi. *Interloquutio, ut cauſa tractetur.*
clxxii. *Proſecutio Catholicorum, ut multitudo exiret Epiſcoporum.*
clxxiii. *Interloquutio, ut ſinguli tranſirent recitati.*
clxxiv. *Vbi Catholici quærunt profeſſionem Donatiſtarum.*
clxxv. *Reſponſio Donatiſtarum de ſuſcribentibus.*
clxxvi. *Interloquutio, ut ſinguli etiam Donatiſtæ recitentur.*
clxxvii. *De Epiſcopo Vagenſe de quo dubitabatur.*
clxxviii. *Interrogatio cognitoris de ipſo.*
clxix. *Reſponſio Donatiſtarum de ipſo.*
clxxx. *Interloquutio approbans quæſita; & ſequitur recitatio nominum.*
clxxxi. *Suggeſtio Catholicorum, quòd ii qui recitati fuerant, fundorum erant Epiſcopi non civitatum.*
clxxxii. *Et reſponſio Donatiſtarum inde.*
clxxxiii. *Vbi agitur de Epiſcopo pro quo ſuſcripſit presbyter cùm ipſe Carthaginem non veniſſet, quia cæcus erat.*
clxxxiv. *Catholicorum reſponſio inde, & Donatiſtarum.*
clxxxv. *Reſponſio Donatiſtarum ad ea.*
clxxxvi. *Interloquutio inde.*
clxxxvii. *Et Catholicorum inde reſponſio: & ſequitur nominum recitatio.*
clxxxviii. *De Epiſcopo Catholico & rebaptiſato, & nominum recitatione.*
clxxxix. *Vbi multa mala in catholicos commemorantur, & ad hæc reſponſio Donatiſtarum.*
cxc. *Interloquutio, hoc ſibi non eſſe mandatum.*
cxci. *Reſponſio catholicorum contra negationem Donatiſtarum.*
cxcii. *Vbi dicunt Donatiſtæ injuriam ſibi fieri.*
cxciii. *Interloquutio contra ſupradicta.*
cxxiv. *Inquiſitio Catholicorum de abſente pro quo alius ſuſcripſit.*
cxcv. *Reſponſio Donatiſtarum de eo.*
cxcvi. *Interloquutio inde.*
cxcvii. *Reſponſio catholicorum unde ſupra: & ſequitur recitatio numeri.*
cxcviii. *Reſponſio Donatiſtarum de Epiſcopo rebaptizato, ſequitur nominum recitatio.*
cxcix. *Reſponſio Donatiſtarum de Epiſcopo rebaptizato & rebaptizante.*
cc. *Vbi quærit cognitor de abſente Felice Zummenſe propter falſitatem ſubſcriptionis.*
cci. *Reſponſio Donatiſtarum de rebaptizato & in adulterio deprehenſo, & recitatio nominum.*
ccii. *De presbytero Catholico interventore ubi Epiſcopum haberent Donatiſtæ, & nominum recitatio.*
cciii. *De Diacono Catholico rebaptizato & facto Epiſcopo à Donatiſtis.*
cciv. *Vbi Catholici dicunt non eſſe donatiſtarum Epiſcopum in eo loco unde eſſe dicebatur: qui recitatus reſpondit: & ad hoc reſponſio Donatiſtarum, & interloquutio cognitoris.*
ccv. *Vbi Donatiſtæ mandatum ſuum volunt conſtare.*
ccvi. *Interloquutio ad ſupradicta, & recitatio nominum.*
ccvii. *Proſequutiones utrarumque partium & interloquutiones de mortuo quem dixerunt Donatiſtæ in itinere defeciſſe.*
ccviii. *Interloquutio de eo quem dixerunt Catholici in via ordinatum.*
ccix. *De ſuſcriptionibus abſentium, ubi hoc eis cognitor concedit, quamvis in mandato ſuo præſentes præſentibus mandaverint.*
ccx. *Teſtatio Catholicorum quòd non æquatur numerus Donatiſtarum quamvis multas proferrent ſubſcriptiones abſentium.*
ccxi. *Inquiſitio cognitoris de numero utrinque Epiſcoporum.*
ccxii. *De ſupervenientibus Epiſcopis Catholicis.*
ccxiii. *Inquiſitio de numero Donatiſtarum, & reſponſio officii.*
ccxiv. *Inquiſitio de numero Epiſcoporum Catholicorum.*
ccxv. *Mandatis ſupervenientium Catholicorum qui non ſuſcripſerunt.*
ccxvi. *Interloquutio, ut actores ſtarent, & cæteri exirent.*
ccxvii. *De his qui non venerant, vel de plebibus viduatis, quod ab utriſque ſuggeſtum eſt.*

Interrogatio cognitoris, utrum hi remanſerunt qui cauſam agent. CCXVIII.
Interrogatio cognitoris de hora diei, & reſponſio officii. CCXIX.
Interloquutio cognitoris de die penè jam conſumpto, & utrum ex communi conſenſu negotium differatur, ab utriſque, placere, reſponſum eſt. CCXX.
Vbi ab utriſque reſponſum eſt interjecto die cauſam debere finiri. CCXXI
Interloquutio ut cuſtodes dantur exceptoribus atque codicibus. CCXXII.
Vbi offerunt Catholici *cuſtodes ſimiliter & donatiſtæ.* CCXXIII.
Interloquutio iudicis de concluſione geſtorum. CCXXIV.

Expliciunt capitula geſtorum primæ cognitionis.

SECVNDÆ INCIPIVNT cognitionis.

DE adſtante officio. I.
De ingreſſu partium. II.
De conſeſſu oblato. III.
Vbi excuſatur à parte Donati conſeſſus. IV.
Interloquutio, quòd ſtans cognoſceret. V.
Reſponſio Donatiſtarum inde. VI.
Interloquutio inde. VII.
Suggeſtio officii de notaria donatiſtarum, ubi petunt ſibi edi catholicorum mandatum. VIII.
Iuſſio ut recitetur. IX.
Proſequutio Donatiſtarum contra id quod ab officio dicti ſunt partis eſſe Donati. X.
Reſponſio catholicorum ad ea. XI.
Interloquutio ut notaria recitetur: & recitat officium. XII.
Interloquutio de ſuſcriptionibus geſtorum. XIII.
Reſponſio catholicorum de conſenſu ipſo. XIV.
Interloquutio cognitoris de ipſo placito. XV.
Reſponſio donatiſtarum recuſantium ſupra ſcripta. XVI.
Vbi dicunt datholici illos non conſentire edicto. XVII.
Et reſpondent conatiſtæ de baſilicis non redditis. XVIII.
Interrogatio cognitoris, ſi contenti eſſent fide geſtorum. XIX.
Vbi petunt donatiſtæ ſibi edi geſta, & propter hoc cauſam differri. XX.
Reſponſio Catholicorum ad hoc. XXI.
Interloquutio ad hoc. XXII.
Iterata petitio donatiſtarum de hoc. XXVIII.
Interloquutio ut officium recitet eorum conſenſum. XXIV.
Item, ubi geſta à ſe legenda poſtulant donatiſtæ. XXV.
Reſponſio catholicorum ad eam rem. XXVI.
Interloquutio, ut conſenſu partium legatur. XXVII.
Vbi donatiſtæ dilationem petunt. XXIII.
Reſponſio Catholicorum in qua multiloquium accuſant. XXIX.
Vbi donatiſtæ multiloquium excuſant. XXX.
Ad hoc reſponſio catholicorum. XXXI.
Recitatio geſtorum de conſenſu partium. XXXII.
Iterum, ubi petunt donatiſtæ dilationem. XXXIII.
Interloquutio reſiſtens petitioni dilationis. XXXIV.
Iterum, donatiſtæ inde, quod ſibi geſta edita non ſint. XXXV.
Interloquutio contra hæc. XXXVI.
Vbi excuſant per exceptores donatiſtæ. XXXVII.
Interloquutio qua interrogantur exceptores de conſcriptione geſtorum, eorumque reſponſio. XXXVIII.
Cauſatio donatiſtarum, quòd pars geſtorum in codicibus habeatur. XXXIX.
Proſecutio Catholicorum *ne cauſa differatur.* XL.
Interloquutio, ut iterum conſcuſus partium legatur: recuſatio Donatiſtarum. XLI.
Interloquutio iterum inde. XLII.
Reſponſio inde donatiſtarum. XLIII.
Recitatio iterum de conſenſu partium. XLIV.
Iterum loquutio non licere contra proprios venire conſenſus, & ut notarii Eccleſiæ recitent ſi de fide dubitant exceptorum. XLV.

xlvi. *Proſecutio Donatiſtarum, ubi ſibi geſta primitus edi volunt.*
xlvii. *Interloquutio, ut ab Eccleſiaſticis notariis ſicut ab exceptoribus conſenſus partium recitetur.*
xlviii. *Proſecutio Donatiſtarum de dilatione accipienda.*
xlix. *Interloquutio, quòd priore judicio id quod nunc flagitant petere debuerunt.*
l. *Proſecutio Catholicorum qua demonſtratur, quo die ad collationem pars quæque convenerit.*
li. *Interloquutio confirmans ſuperius judicatum.*
lii. *Proſecutio Donatiſtarum, ubi nuper actum de die refragant.*
liii. *Profeſſio partium pro ſuſcepis tabulis: propria ſigna cognoſcunt.*
liv. *Vbi dicunt Donatiſtæ, ſic ſolere teſtamenta aperiri.*
lv. *Interloquutio cohibens proprias profeſſiones reprehendi.*
lvi. *Proſecutio Catholicorum, ubi permittunt iudici, petentibus Donatiſtis, inducias prorogare.*
lvii. *Interloquutio quærent ab exceptoribus ad quem articulum ſit dilata cognitio, licet ad dilationum utriuſque partis conſenſus acceſſerit.*
lviii. *Reſponſio Donatiſtarum, ubi dicunt dilationem non ſuo vitio prorogari.*
lix. *Interloquutio cognitoris, ubi præcipit recitari quod nuper exactum eſt: & recitatur.*
lx. *Poſt recitationem interloquutio, qua clareſcit in præſentem diem conſenſu partium dilatum fuiſſe judicium.*
lxi. *Proſecutio Donatiſtarum, ubi agere velle dicunt, ſi exceptores habent geſta parata præ manibus.*
lxii. *Vbi Donatiſtæ promittunt ſe geſtis ſuſcripturos.*
lxiii. *De dilatione exceptoribus data.*
lxiv. *Reſponſio exceptorum de geſtis edendis.*
lxv. *Interloquutio de die in diem ſignando.*
lxvi. *Reſponſio de hac re.*
lxvii. *Proſecutio Donatiſtarum, qua poſtulatur certos ad iudicium ſe eſſe venturos.*
lxviii. *Iudicatio cognitoris qua futuri examinis die percepta geſtorum editione definitur.*
lxix. *Proſecutio Catholicorum qua conditio iſta proponitur, ut editis geſtis de eorum ſuſceptione & de tempore caveatur à partibus.*
lxx. *Proſecutio Donatiſtarum, ubi ea ſe facturos eſſe promittunt.*
lxxi *Interloquutio iudicis, ubi etiam præſentia geſta unà cum ſuperioribus edere iubetur officium.*
lxxii. *Proſecutio Catholicorum ubi edictum à iudice flagitant proponendum, ut Donatiſtæ dilationem petiſſe noſcantur.*
lxxiii. *Deciſio cognitoris ubi prædictam geſtorum propoſitionem ſe facturum eſſe promittit.*

Expliciunt capitula geſtorum ſecundi conflictus.

INCIPIVNT CAPITVLA
tertiæ cognitionis.

i. *DE adſtante officio.*
ii. *De ingreſſis Epiſcopis.*
iii. *Interloquutio de die examinis conſtituto, qui diei etiam officij reſponſione ſignatur.*
iv. *Recitatio cautionis, ubi Catholici geſta receperunt.*
v. *Recitatio ſimilis cautionis partis alterius.*
vi. *Interloquutio qua ſtatuitur ut principalis cauſa dicatur.*
vii. *Proſecutio Catholicorum, ubi principale negotium olim ſe agere velle teſtantur.*
viii. *Vbi Donatiſtæ à Catholicis exigunt ut proponant.*
ix. *Vbi reſpondetur, propoſitionem ex mandato ſuo poſſe cognoſci.*
x. *Proſecutio Catholicorum qua prædicunt ne morarum impedimenta nectantur.*
xi. *Proſecutio, ut quod intenditur, proponatur.*
xii. *Reſponſio Catholicorum qua dicunt propoſitionem Donatiſtarum ex ipſorum colligi poſſe mandato.*
xiii. *Interloquutio qua poſcitur ut principalis cauſa dicatur.*
xiv. *Proſecutio Catholicorum, qua provocant ut Eccleſiæ principale negotium peragatur.*
xv. *Proſecutio Donatiſtarum, diſcutiendas eſſe perſonas.*
xvi. *Reſponſio Catholicorum, iam confirmatas eſſe perſonas.*
xvii. *Interloquutio, quòd proſecutionem Donatiſtarum Catholici non diligenter adverterunt.*
xviii. *Reſponſio Catholicorum, qua dicunt utrunque recitandum eſſe mandatum.*
xix. *Interloquutio qua Donatiſtarum proſecutio Catholicis aſſeritur.*
xx. *Proſecutio Catholicorum, quid ab Imperatore petierint, à ſe directa legatione, ex qua flagitant ut jam cauſa dicatur.*

Interloquutio, ut recitetur imperiale præceptum. xxi.

Proſecutio Donatiſtarum de catholici nominis quæſtione & inde contentio. xxii.

Interloquutio de eadem re. xxiii.

Recitatio imperialis arbitrii. xxiv.

Interruptio *donatiſtarum, interpretantur imperiale præceptum.* xxv.

C*atholicorum ad iſta reſponſio.* xxvi.

Vbi Donatiſtæ à catholicis ſe dicunt eſſe laudatos. xxvii.

C*atholicorum ad iſta reſponſio.* xxviii.

Recitatio principalis juſſionis ſuperiùs inchoatæ. xxix.

Proſecutio donatiſtarum de proprii ac paterni nominis ratione. xxx.

C*atholicorum ad iſta reſponſio.* xxxi.

Profeſſio donatiſtarum, ſibi principem fuiſſe Donatum. xxxii.

Vbi à catholicis ad condemnandum Donati vocabulum provocantur. xxxiii.

Vbi idipſum de Menſuri nomine à donatiſtis in catholicos retorquetur. xxxiv.

C*atholicorum ad iſta reſponſio.* xxxv.

Interloquutio de lege recitata, & diſcutienda totius erroris origine. xxxvi.

Vbi preces catholicorum legi ſibi poſtulant donatiſtæ. xxxvii.

Interloquutio de reſcripto pragmatico. xxxviii.

Proſecutio donatiſtarum de legatorum diſcutienda perſona. xxxix.

Vbi catholici conteſtantur multa agendo nihil velle agere donatiſtas. xl.

Item catholicorum proſecutio de his quæ ſuper legatorum perſona Donatiſtæ fuerant proſecuti. xli.

Interloquutio de ſuperfluis amovendis & negotio proponendo. xlii.

Proſecutio donatiſtarum de imperiali reſcripto catholicorum mandato inter ſe pariter conferendo. xliii.

Vbi aſſerunt catholici, proſecutioni ſuæ donatiſtarum minimè reſpondiſſe. xliv.

Interloquutio de lege quæ datus eſt cognitor in qua parte ſit ſuperſtitio conſtituta. xlv.

Vbi aſſerunt donatiſtæ, moras potius per catholicos fieri. xlvi.

C*atholicorum ad iſta contentio.* xlvii.

Interloquutio, quidnam petatur à partibus. xlviii.

Proſecutio donatiſtarum debere catholicos aut mandati ſui, aut imperialis præcepti ſcire jacturam. xlix.

Reſponſio catholicorum, quòd mandatum ſuum univerſa contineat. l.

Interloquutio qua exponitur à donatiſtis & forma pragmatici, & catholicorum profeſſio probabilis indicatur. li.

Vbi dicunt donatiſtæ catholicos imperatori eſſe mentitos. lii.

Vbi ad hæc catholici ex ipſa lege reſpondent. liii.

Vbi donatiſtæ dicunt actionem non ſe differre. liv.

Proſecutio catholicorum de ipſo imperiali reſcripto, & de collatione ſua, & de teſtimoniis ſcripturarum quibus confirmatur Eccleſia. lv.

Proſecutio donatiſtarum unde ſuperiùs, id eſt, de legatorum ſuſcipienda perſona. lvi.

Reſponſio catholicorum, quòd ideo aliud quæritur ut cauſa fugiatur: & inde contentio. lvii.

Interloquutio diſcutiendas legatorum perſonas non neceſſariò poſtulari. lviii.

Proſecutio catholicorum, quid ab imperatore petitum ſit, quidve conceſſum. lix.

Proſecutio donatiſtarum de perſona iterum legatorum. lx.

C*atholicorum ad iſta reſponſio.* lxi.

I*terum donatiſtarum contentio de legatorum diſcutienda perſona.* lxii.

C*onteſtatio donatiſtarum, quòd moras catholici innectant qui perſonas nolunt prodere legatorum: Proſecutio donatiſtarum de perſona iterum legatorum.* lxiii.

Interloquutio, quòd de his perſonis nihil quæri voluit imperator. lxiv.

Iterum donatiſtarum contentio de legatis. lxv.

Interloquutio, ut dicant donatiſtæ, ſi ex præſentibus catholicis poſſunt eos agnoſcere quos dicunt eſſe legatos: aut ſi abſunt, præſentari oportere. lxvi.

Proſecutio donatiſtarum, ubi dicunt præſentandos eſſe legatos. lxvii.

Reſponſio catholicorum, ubi dicunt jam ſemel perſonam non ab illis eſſe firmatam. lxviii.

Iterum donatiſtæ de legatorum diſcuſſione contendunt. lxix.

Interloquutio, ut de perſona legatorum contentione ſupploſa, ad interna negotii veniatur. lxx.

Iterum donatiſtæ de legatorum perſona contendunt. lxxi.

Vbi exigunt catholici donatiſtas cauſam oportere propriæ ſeparationis oſtendere. lxxii.

Iterum donatiſtarum contentio de legatis. lxxiii.

Vbi catholici reſpondent, nihil ab imperatore præceptum de legatorum diſcutienda perſona, ſed de erroris initio diſquirendo. lxxiv.

Proſecutio donatiſtarum apud ſe eſſe potius catholicam: & iterum de legatorum diſcuſſione contentio. lxxv.

lxxvi. *Proſecutio Catholicorum, qua ſibi teſtimoniis flagitant comprobari, quòd apud ſe Donatiſtæ dixerunt eſſe catholicam.*

lxxvii. *Interlocutio legatorum nomina ſuperfluo flagitari, quibus omiſſis, jam ad propoſitionem negotij veniendum.*

lxxviii. *Iterum Donatiſtarum contentio de legatis.*

lxxix. *Interlocutio ſimilis præcedenti.*

lxxx. *Proſecutio catholicorum, qua ad collationem ſe, ſicut voluit imperator, veniſſe teſtantur.*

lxxxi. *Interlocutio, legatorum diſcutiendas fuiſſe perſonas, ubi officium ſuum executa legatio eſt.*

lxxxii. *Vbi poſtulant Catholici ut à Donatiſtis cauſa ſeparationis propriæ publicetur.*

lxxxiii. *Iterum Donatiſtæ flagitant edi ſibi debere legatos.*

lxxxiv. *Interlocutio ubi cognitor dicit, à forma legis ſe deviare non poſſe & omnes à legatorum inquiſitione ceſſare debere, ſed cauſam eſſe dicendam.*

lxxxv. *Proſecutio Donatiſtarum de edendo eo, quod Catholici ab imperatore petierint, & per quos petierunt.*

lxxxvi. *Interlocutio, quòd præceptum non ſit inquirere, quidnam catholici ab imperatore petierint, ſed confirmatis utriſque perſonis, negotium debere proponi.*

lxxxvii. Iterum Donatiſtarum inde contentio.

lxxxviii. Catholicorum *ad iſta reſponſio, qua etiam conteſtantur prolixa velle geſta facere Donatiſtas.*

lxxxix. *Proſecutio donatiſtarum, ubi moras dicunt per* Catholicos *& ubi edi ſibi poſtulant quid ab imperatore petierint: & ubi quærunt, utrum jure publico an divinis legibus velint agitare catholici.*

xc. *Interlocutio collationem tantummodo ab imperatore petiiſſe* Catholicos.

xci. *Interpellatio Donatiſtarum, qua ſe potius catholicos dici oportere teſtantur.*

xcii. *Interlocutio eos catholicos eſſe vocitandos quos ſic vocari voluit imperator.*

xciii. *Proſecutio donatiſtarum,* Catholicum *nomen eis eſſe ſervandum quem victoria declaraverit Chriſtianum.*

xciv. Interlocutio *ad iſta conſentiens, & formam præcedentis præcepti obſervans.*

xcv. *Vbi Donatiſtæ ſine præjudicio ſuo, hoc ipſum interfatum eſſe judicem volunt.*

xcvi. *Interlocutio, ut jam cauſæ proponatur initium, ſi volunt oſtendere Donatiſtæ adverſariis nomen non convenire catholicum.*

xcvii. *Proſecutio donatiſtarum ut catholici, qui nolunt ſatisfacere judicatis, hoc ſaltem reſpondeant, utrum nomen petitoris adſumant.*

xcviii Catholicorum *ad iſta reſponſio, & de Eccleſia ubique diffuſa.*

xcix. *Proſecutio Donatiſtarum, nihil ſe habere cum Eccleſiis peregrinis: ſed catholicum nomen victori eſſe ſervandum: & profiteri Catholicos oportere, utrum perſonam petitoris adſumant.*

c. *Proſecutio Catholicorum, quomodo Afri* Chriſtiani *communionem habeant cum orbe terrarum.*

ci. *Item proſecutio* Catholicorum, *ibi Eccleſiam inquirendam ubi ſponſus Eccleſiæ idem Chriſtus agnoſcitur. & catholici nominis evidens expreſſio.*

cii. *Proſecutio Donatiſtarum, ubi* Catholicum *nomen interpretari aliter moliuntur, & conantur iterum ad tranſacta recurrere de nominibus legatorum.*

ciii. Interlocutio *judicis, ut omiſſis quæ tranſacta ſunt,* Catholici *nominis promiſſa ratio demonſtretur.*

civ. • *Donatiſtarum contentio, ut proponere catholici compellantur.*

cv. *Item petitio Donatiſtarum, quod debeat judex pronuntiare de ſingulis.*

cvi. *Item ubi poſtulant Donatiſtæ, ut* Catholici *edicant, utrum petitorum, an reſpondentium ſibi velint vindicare perſonam.*

cvii. *Interlocutio iſta confirmans.*

cviii. *Vbi* Catholici *profitentur, ad hoc ſe ingreſſos eſſe judicium, ut objectis eorum criminationibuſque reſpondeant.*

cix. *Proſecutio Donatiſtarum, qua requirunt, à quibus fuerint ad judicium provocati.*

cx. *Proſecutio catholicorum, qua ideo ſe ad collationem conveniſſe aſſerunt donatiſtarum, ut eorum objecta refellerent, & qua eoſdem donatiſtas conditionem in comitatu petiiſſe teſtantur.*

cxi. Interlocutio *ut donatiſtæ quæ ſolent crimina catholicis objicere, jam proponant.*

cxii. *Proſecutio donatiſtarum, ut pronuntiet judex utrum recta ſint quæ iidem poſtulant donatiſtæ.*

cxiii. Interlocutio *quæ in illos rectè petiiſſe, & à Catholicis rectè reſponſum eſſe pronuntiat.*

cxiv. *Proſecutio donatiſtarum in qua conantur Catholicos facere petitores.*

cxv. Interlocutio *judicis, ſi Catholici aliquid objiciunt donatiſtis.*

Proſecutio

Proſecutio catholicorum qua dicunt nihil ſe objicere, ſed objecta velle diluere: illos autem ſæpius obieciſſe & propriis tenore mandati & verbis Epiſcopi Primitiani poſſe monſtrari. CXVI.
Interloquutio ut donatiſtæ traditionis crimen, quod in mandatum ſuum contulerant adverſus catholicos, probationibus fugiant. CXVII.
Poſtulatio donatiſtarum, ut antè iudex pronuntiet de perſona, & ſic eatur in cauſam. CXVIII.
Catholicorum ad iſta contentio. CXIX.
Interloquutio, eum eſſe petitorem qui crimen intendit. CXX.
Donatiſtarum petitio, ut catholici doceant collationem ab utriſque partibus poſtulatam. CXXI.
Catholicorum ad iſta promiſſio. CXXII.
Interruptio donatiſtarum, per quam ſibi catholicum nomen aſſumunt: & de nominibus parentum utrinque contentio. CXXIII.
Vbi offerunt geſta catholici in iudicio habita Præfecturæ, quibus comprobant quod promiſſum eſt. CXXIV.
Vbi ad tranſacta ſe referunt donatiſtæ, ne geſta recitentur, & de perſona pronuntiari deſiderant. CXXV.
Interloquutio, collationem ſolam petiiſſe catholicos, de hac tantummodo iudicandum. CXXVI.
Vbi donatiſtæ contendunt, ut iudex de ſua primùm petitione pronuntiet. CXXVII.
Proſecutio catholicorum, ut proferant donatiſtæ ſi habent unde ſua falſitas convincatur: & ubi geſta ingerunt Præfecturæ. CXXVIII.
Vbi ad tranſacta ſe conferunt donatiſtæ, ne geſta apud Præfecturam habita recitentur. CXXIX.
Interloquutio, qua ſupploſis omnibus, recitari oportere eadem geſta pronuntiat. CXXX.
Proſecutio donatiſtarum de perſona petitorum, & iudicis pronunciatione promenda. CXXXI.
Interloquutio, ubi omnibus quæ offerunt, recitandi ordinem pollicetur. CXXXII.
Interruptio donatiſtarum, ne geſta recitentur. CXXXIII.
Interloquutio, perſonam petitoris hinc poſſe clareſcere ſi geſta fuerint recitata. CXXXIV.
Contentio donatiſtarum ut pronuntiet cognitor de petitis. CXXXV.
Petitio catholicorum ut geſta recitentur. CXXXVI.
Interloquutio, non debere ad pronunciationem adigi cognitorem, cùm ex altera parte probationis volumen offerretur. CXXXVII.
Proſecutio donatiſtarum, ubi ne geſta recitentur, aliud proſequuntur: & pronuntiari de parte à cognitore deſiderant. CXXXVIII.
Interloquutio, ut geſta eadem recitentur. CXXXIX.
Vbi multis proſecutionibus recitari geſta non ſinunt donatiſtæ, & contra multas pronuntiationes iudicis conſt.gendo, perſonava fugiunt petitoris. cxl.
Vbi eadem geſta incipiunt recitari, & volentes interrumpere donatiſtæ, proconſularia vel vicariana offerunt geſta, per quæ ſibi monſtrant plurima obieciſſe catholicos. cxli.
Conteſtatio catholicorum de tumultuantibus donatiſtis. cxlii.
Petitio donatiſtarum, ut ſecundùm ordinem temporis, ſingularum partium volumina recitentur. cxliii.
Catholicorum ad iſta reſponſio. cxliv.
Interloquutio, utrum priora ſint geſta quæ legi deſiderant donatiſtæ. cxlv.
Donatiſtarum ad interrogata reſponſio. cxlvi.
Interloquutio, ea quæ antiquiora ſunt geſta primitus ricitanda. cxlvii.
Vbi catholici offerunt ea quæ priora ſunt omnibus. cxlviii.
Proſecutio donatiſtarum, qua ne aliqua geſta recitarentur, catholicos dicunt ad forenſia remeaſſe, cùm divinis legibus elegerint univerſa diſtingui. cxlix.
Vbi catholici reſpondent ſe per ordinem recitanda, ſicut ipſi poſtulaverant, obtuliſſe. cl.
Vbi donatiſtæ ſe in cauſam mirantur induci. cli.
Vbi catholici reſpondent geſta ſe per ordinem recitanda, ſicut ipſi poſtulaverant, obtuliſſe. clii.
Proſecutio donatiſtarum, ubi aliud quàm quod à catholicis offertur, ſe petiiſſe reſpondent: & eos provocant, ut aut divinis tantùm teſtimoniis, aut publico iure diſceptent. cliii.
Interloquutio, ut geſtorum dies inter ſe ab officio conferantur. cliv.
Proſecutio catholicorum, quando debeat divinis legibus, quando publicis cauſa tractari. clv.
Interloquutio qua catholicorum proſecutio probabilis iudicatur. clvi.
Proſecutio donatiſtarum in qua redeunt ad priora, ut mandatum ſibi & legatio publicetur. clvii.
Interloquutio adverſus donatiſtarum proſecutionem. clviii.
Proſecutio donatiſtarum de mandato præſentibus defenſoribus adtributo, & de alio mandato prioribus legatis impoſito. clix.
Catholicorum ad iſta reſponſio, qua dicitur illo mandato quod legatis impoſitum eſt, aliena quoque negotia quæ ab iſtis inquiri non debeant, contineri. clx.

clxi. Proſecutio donatiſtarum qua hoc ipſum criminantur quòd catholici dixerunt, illud legatorum mandatum non eſſe prodendum.

clxii. Catholicorum ad iſta reſponſio, quæ ſenſum præcedentis proſecutionis exponit.

clxiii. Proſecutio donatiſtarum ſimilis præcedenti.

cxliv. Interloquutio, mandatum catholicorum non debere diſquiri: ſed donatiſtas potius oportere profiteri, utrum crimina velint traditionis oſtendi, an fidei cauſam Eccleſiæque tractari.

clxv. Donatiſtarum proſecutio, quòd eis perſona petitoris includenter imponitur.

clxvi. Interloquutio quòd petitor geſtorum poterit recitatione monſtrari: & donatiſtæ reſpondent, ordinem in eorum recitatione ſervandum.

clxvii. Interloquutio ubi tempora geſtorum Proconſularium ſive Præfecturæ inter ſe conferre iubetur officium.

clxviii. Vbi geſta illis antiquiora à catholicis offeruntur.

clxix. Vbi cognitor iubet volentibus legere donatiſtis, ab officio potius quæ legenda ſunt, recitari.

clxx. Vbi catholici ea quæ ipſi offerunt geſta antiquiora eſſe reſpondent.

clxxi. Vbi cognitor percontatur officium quæ priora ſint geſta.

clxxii. Vbi reſpondet officium antiquiora eſſe geſta quæ obtulerunt de codice donatiſtæ.

clxxiii. Vbi reſpondent catholici ſe antiquiora proferre.

clxxiv. Vbi cognitor iubet donatiſtarum geſta quaſi antiquiora recitari: & ab officio recitatur datus à catholicis libellus Proconſule Septimino.

clxxv. Vbi donatiſtæ petitores volunt eſſe catholicos.

clxxvi. Proſecutio catholicorum, ubi petunt antiquiora potius recitari, quæ apud Avolinum Proconſulem geſta ſunt, agentibus donatiſtis.

clxxvii. Interloquutio quæ iubet probare catholicos ſchiſmatis crimen quod obiiciunt donatiſtis.

clxxviii. Catholicorum ad iſta reſponſio.

clxxix. Interloquutio quæ iubet universa per ordinem recitari.

clxxx. Contendentibus de nomine petitoris, interloquitur iudex petitorem melius poſſe clareſcere cùm omnia fuerunt recitata.

clxxxi. Proſecutio Donatiſtarum, ut eligant catholici, utrum publicis agere velint legibus an divinis.

clxxxii. Ad hæc interloquutio cognitoris, ut geſta per ordinem recitentur, quo poſſit petitor agnoſci.

clxxxiii. Vbi donatiſtæ ne geſta apud Avolinum Proconſulem habita recitentur, præſcriptionem de lapſu temporis moliantur inducere.

clxxxiv. Vbi iſta contendentibus donatiſtis, interloquitur iudex præſcriptionem de lapſu temporis ſubmovendam, cùm ad hunc diem partes examen communi voluntate diſtulerint.

clxxxv. Vbi donatiſtæ dicunt, ideo ſe præſcriptionem temporis intuliſſe, quoniam catholici forenſi more carthis oblatis agere voluerunt.

clxxxvi. Interloquutio, ut reſpondeant catholici objectis.

clxxxvii. Catholicorum ad iſta reſponſio, qua profitentur ſecundùm ſcripturas ſe acturos eſſe divinas, ſi à criminibus perſonarum & à legendis carthulis recedatur.

clxxxviii. Proſecutio donatiſtarum, qua dicunt nihil certum de duobus elegiſſe catholicos: nec ſe eſſe petitores, qui ad judicium venerint provocati, ſed ipſos potius de re proponere.

clxxxix. Vbi dicunt catholici eum non adſiſtere loco petitoris cui crimen objicitur.

cxc. Interloquutio approbans ſupradicta.

cxci. Vbi dicunt donatiſtæ, de oblata conditione forenſis divinique tractatus nihil à catholicis eſſe reſponſum.

cxcii. Catholicorum ad iſta reſponſio.

cxciii. Vbi dicunt donatiſtæ, quòd ſenſim inducantur in cauſam: & hoc ſibi à patribus eſſe mandatum ut nomine reſpondentis adſiſtant.

cxciv. Interloquutio ubi dicitur ad unam propoſitionem Donatiſtarum ipſum judicem, ad aliam verò reſpondiſſe catholicos.

cxcv. Vbi dicunt donatiſtæ judicem abſentium, non præſentium partes debere defendere.

cxcvi. Interloquutio qua ſe hoc quod voluerant donatiſtæ pronunciaſſe reſpondent.

cxcvii. Proſecutio catholicorum qua ſe etiam elegiſſe reſpondent quo iure diſceptent, & nihil pro ſe egiſſe iudicem, ſed egiſſe iudicem ſe pro partibus ſuis.

cxcviii. Proſecutio donatiſtarum, non fuiſſe in ſua poteſtate quod ad judicium convenerint.

cxcix. Vbi catholici interrogant donatiſtas, utrum à perſonarum criminatione diſcedant.

cc. Proſecutio donatiſtarum, qua dicunt, huic interrogationi catholicorum ſe reſpondere non poſſe: ſed eos loco debere adſiſtere petitoris.

cci. Proſecutio catholicorum ſe propoſitis donatiſtarum conditionibus reſpondiſſe teſtantur.

ccii. Interloquutio approbans reſpondiſſe catholicos dicens antiquiora geſta recitari, ut petitor poſſit oſtendi.

Proſecutio, qua donatiſtæ negantes unum certum elegiſſe catholicos, ad præſcriptionem de lapſu temporis revertuntur. ccIII.
Catholicorum reſponſio, non occurriſſe ad ultimum donatiſtas qui poſtea mandaverint. ccIV.
Donatiſtarum inde contentio. ccV.
Proſecutio catholicorum de profeſſione Epiſcopi Primiani, & ubi legendum offerunt per quod comprobant donatiſtas tranſacta repetere. ccVI.
Reſponſio donatiſtarum cur redeant ad peracta. ccVII.
Proſecutio catholicorum, moratorie agere donatiſtas & geſta eſſe recitanda quæ detegant petitorem. ccVIII.
Vbi ne legantur geſta, volunt præſcribere donatiſtæ. ccIX.
Interloquutio, donatiſtas contra ſuos velle venire conſenſus, & geſta eſſe recitanda. ccX.
Defenſio donatiſtarum, cur nolint catholicis proprium ſervare conſenſum. ccXI.
Interloquutio, ut geſta recitentur, ea ſervant incolumia donatiſtis, quæ poſſunt ratione competere. ccXII.
Vbi dicunt donatiſtæ conſenſus proprios ſervare debere catholicos, qui ſe divinis legibus acturos eſſe promiſerint. ccXIII.
Catholicorum ad iſta reſponſio, non Cæciliani, *ſed Eccleſiæ cauſam promiſiſſe divinis legibus peracturos.* ccXIV.
Interloquutio, ut geſta recitentur quibus petitor poſſit oſtendi. ccXV.
Vbi lecto titulo relationis, quærunt donatiſtæ, cur lectus eſt titulus: & cognitor jubet, ut actis neuter titulus inſeratur. ccXVI.
Vbi, exceptore recitante, donatiſtæ quærunt unde prolata ſint. ccXVII.
Vbi catholici dicunt, recitatis geſtis debere à ſe exigi lectionis ipſius firmitatem. ccXVIII.
Interloquutio ante lectionem præcipiens reſpondere unde geſta prolata ſint. ccXIX.
Vbi catholici reſpondent, ex Archivo Proconſulis hæc eſſe prolata: & recitantur ex ordine. ccXX.
Vbi interrupta recitatione geſtorum, interrogant donatiſtæ, utrum Cæciliani ſit filius is qui nunc agat. ccXXI.
Catholicorum *ad iſta reſponſio, ſcriptum eſſe, ne chriſtianus partem ſibi dicat in terra; nec in Cæciliano ſpem ſe ponere ſi innocens fuit, nec, ſi nocens ille fuit, Eccleſiam deſerendam.* ccXXII.
Vbi interloquente cognitore omnia debere recitari, donatiſtæ poſtulant ut proſequi jubeantur. ccXXIII.
Vbi catholici dicunt, ex recitatione geſtorum petitoris inveniri poſſe perſonam. ccXXIV.
Proſecutio donatiſtarum, ubi dicunt non eſſe diſcutiendam Cæciliani *perſonam, ſi & reus maniſeſtiſſimus deprehenſus, non poteſt obeſſe catholicis.* ccXXV.
Catholicorum reſponſio, ideo ſe Cæciliani *in medium miſiſſe perſonam, quoniam ipſa catholica Eccleſiæ ſemper objecta eſt, de qua ſi nunc taceant donatiſtæ, nihil eſſe jam cauſæ cur ſeparatio teneatur.* ccXXVI.
Vbi interrogant Donatiſtæ utrum qui agunt Cæciliani *ſint filii.* ccXXVII.
Catholicorum ad iſta reſponſio. ccXXVIII.
Iterum interrogatio donatiſtarum ſuper eadem re. ccXXIX.
Catholicorum reſponſio, non patrem aut matrem Cæcilianum *ſibi fuiſſe, ſed fratrem ibi etiam profitentur fidei ſuæ* Chriſtum *eſſe principium.* ccXXX.
Iterum donatiſtæ, utrum pater fuerit Cæcilianus, *interrogant.* ccXXXI.
Catholicorum ad iſta reſponſio, & inde contentio. ccXXXII.
Interloquutio quæ deſignat ad interrogata reſpondiſſe Catholicos. ccXXXIII.
Vbi jurantes objiciunt judici donatiſtæ, quòd ſatis defendat ipſe catholicos. ccXXXIV.
Proſecutio catholicorum continens de patris ac fratris nomine repetita: ubi etiam dicitur Cæciliani *cauſam ad Eccleſiam minimè pertinere, ſed tanquam frater innocens defendendus ſit.* ccXXXV.
Proſecutio donatiſtarum, Cæcilianum *catholicis radicem fuiſſe vel caput, & neceſſe eam, ut ſi* Cæcilianus *nocens fuerit, etiam propaginem ejuſdem quæ in capite fuit reatus inficiat.* ccXXXVI.
Vbi catholici reſpondent caput ſibi eſſe Chriſtum. ccXXXVII.
Vbi Petilianus interrumpit, & quærit, quis ordinaverit Auguſtinum. ccXXXVIII.
Item quæſtio à donatiſtis immiſſa, ab Apoſtolo in quo dictum eſt, Ego vos generavi per Evangelium. ccXXXIX.
Catholicorum conteſtatio de tumultu partis adverſæ. ccXL.
Interloquutio qua jubet reſpondere Catholicos *ad propoſitam de Apoſtolo quæſtionem.* ccXLI.
Catholicorum ad quæſita reſponſio, cum teſtimoniis ſcripturarum, unum patrem eſſe ad ſalutem, dici autem alios honoris gratia, non ſalutis. ccXLII.
Vbi interrogant donatiſtæ, quomodo vocatur qui ordinaverit Auguſtinum. ccXLIII.
Proſecutio catholicorum, ad cauſam minimè pertinere, ut ordinator ipſius inquiratur. ccXLIV.
Vbi exprimentibus donatiſtis de Auguſtini ordinatore ſe quærere à Catholicis reſponde- ccXLV.

tur, non ſe defendendam Auguſtini cauſam qualiſcunque ſit ſuſcepiſſe.

ccxlvi. *Interloquutio qua jubetur ut Auguſtinus de ordinatore ſuo ad quæſita reſpondeat.*

ccxlvii. *Vbi Auguſtinus cauſa Eccleſiæ in tuto primitus conſtitutæ, de ſuo evidenter ordinatore reſpondet, & ad obiicienda quæcunque putarint, provocat donatiſtas.*

ccxlviii. *Interloquutio quæ donatiſtas præcipit reſpondere quid competat quod interrogant; licet non diſfetat cauſam quæſtio perſonarum.*

ccxlix *Proſecutio Donatiſtarum qua dicunt vitiis ſacerdotum Eccleſiam maculari: & volumen offerunt cum divinis teſtimoniis recitandum: quo recitato à Catholicis in prima cognitione mandato poſtea conceperunt.*

ccl. *Interloquutio ubi dicit tunc demum quod à donatiſtis offertur poſſe recitari, ſi velint à publicarum diſcuſſione chartarum diſcedere cognitorem.*

ccli. *Vbi petunt donatiſtæ quod offerunt interim recitari & ab officio recitetur.*

cclii. *Interloquutio quæ dicit ſcripturam illam non debuiſſe ab his penitus concipi, à quibus mandato ſemel effecto negotium omne transierat.*

ccliii. *Vbi aſſerunt donatiſtæ legalibus teſtimoniis velle ſe à catholicis prolata in mandato ſuo legalia teſtimonia refutare, & rogant ut ſua audiatur Epiſtola.*

ccliv. *Interloquutio qua concedit ut recitetur quod ſecundum ius publicum non recte conceptum eſt: & hoc ipſum quod indulget, enumerat, ne jus à iudice videatur omiſſum.*

cclv. *Exceptore recitante, dicunt Donatiſtæ ſenſus epiſtolæ non bene diſtingui.*

cclvi. *Vbi catholici concedunt ipſos legere Donatiſtas, cùm ipſis catholicis, ut legerent, in ſuperioribus denegarent.*

cclvii. *Interloquutio quæ dicit nihil intereſſe quis legat.*

cclviii. *Vbi à donatiſtarum Epiſcopo recitatur Epiſtola quam miſerunt ad iudicem donatiſtæ, quæ teſtimoniis referta legalibus illa omnia teſtimonia quaſi contrariis nitatur excludere, quæ in mandato ſuo catholici poſuerunt.*

cclix. *Interloquutio quæ omni Epiſtola recitata, præbitam à catholicis pronuntiat eſſe patientiam: & adverſus textum eius iubet reſpondere Catholicos.*

cclx. *Proſecutio donatiſtarum qua petunt, ut teſtimonia ſua teſtimoniis revincantur.*

cclxi. *Vbi à catholicis adverſus donatiſtarum epiſtolam reſpondetur.*

cclxii. *Vbi volunt interrumpere donatiſtæ negantes aream in ſcripturis eſſe nominatam.*

cclxiii. *Item ubi aſſerunt donatiſtæ, de occultis non evidentibus reis Evangelium præcepiſſe, ut eorum permixtio toleretur.*

cclxiv. *Vbi catholici poſtulant ut ſibi patientia non negetur, quam ipſi recitante donatiſtarum epiſtola præbuerunt.*

cclxv. *Proſecutio Catholicorum, ubi inter cætera de ſuperioribus repetita, & illud infertur, mundi nomine Eccleſiam contineri.*

cclxvi. *Donatiſtarum contra iſta contentio, mundi nomine Eccleſiam non teneri.*

cclxvii. *Vbi catholici poſtulant ut admoneantur donatiſtæ præſtare patientiam, quorum epiſtolæ illico reſpondetur, nullo dilationis ſpatio poſtulato, quomodo ipſi petierunt cùm catholicorum vellent reſpondere mandato.*

cclxviii. *Vbi donatiſtæ reſpondent, ipſum ſibi obſtrepere qui longa proſequitur.*

cclxix. *Vbi catholici poſtulant, ut ſi volunt de ſingulis habere conflictum, removeatur epiſtola, aut patientiam præbeant, aut reſpondeatur Epiſtolæ.*

cclxx. *Vbi dicunt donatiſtæ, ideo ſe non poſſe præſtare patientiam, quòd aliter volunt legem interpretari Catholici.*

cclxxi. *Interloquutio quæ patientiam dicit eſſe præbendam, quoniam totius epiſtolæ tenor à catholicis patienter auditus eſt.*

cclxxii. *Proſecutio catholicorum qua ideo ſcribi univerſa teſtantur, ut ſi quid in oblivionem venerit, de tabulis repetatur: & ubi dicunt, & in malo & in bono, mundum ſcripturarum teſtimoniis nominatum.*

cclxxiii. *Interloquutio quæ ſcriptum eſſe præcipit, perſtrepere donatiſtas.*

cclxxiv. *Vbi aſſerunt donatiſtæ, interpretari Eccleſiam non poſſe per mundum: cùm mundum agrum eſſe, non Eccleſiam ipſe Chriſtus expreſſerit.*

cclxxv. *Interloquutio interrogans Donatiſtas, quis ille ſit mundus, qui ſalvandus eſt dictus.*

cclxxvi. *Donatiſtarum ad iſta reſponſio, mundum illum hominem dici.*

cclxxvii. *Interloquutio, quæ requirit, utrum ex iiſdem hominibus conſtet Eccleſia.*

cclxxviii. *Donatiſtarum ad iſta contentio.*

cclxxix. *Vbi exceptores & notarii ſuggerunt, impletis codicibus ſe debere diſcedere, & alios ſubrogari.*

cclxxx. *Interloquutio id fieri oportere præcipiens.*

cclxxxi. *Proſecutio catholicorum qua prolatæ à Donatiſtis Epiſtolæ plena adſertione reſpondent.*

cclxxxii. *Proſecutio donatiſtarum adverſus proſecutionem catholicorum quam contra Epiſtolam retulerunt.*

Proſecutio catholicorum, quæ oſtendunt malos in Eccleſia ſeminatos, quod donatiſtæ fieri poſſe negaverunt, quæ defendunt quod ſe dixiſſe de duabus Eccleſiis dixerunt donatiſtæ. cclxxxiii.

Interloqutio quæ præcipit ut ex codice recitetur, utrum duas Eccleſias dixiſſent Catholici proſequentes. cclxxxiv.

Vbi interpretari volunt donatiſtæ, de duabus Eccleſiis ſenſiſſe Catholicos, quoniam duas eos Eccleſias dixiſſe non conſtitit. cclxxxv.

Proſecutio catholicorum quæ defendunt, quid dixerint de Eccleſia præſentis temporis & futuri. cclxxxvi.

Proſecutio donatiſtarum ubi dicunt etiam mortalem Eccleſiam dixiſſe catholicos, cùm Eccleſiæ immortalitas ſit promiſſa. cclxxxvii

Proſecutio catholicorum ubi adſunt ſupradictis aſſertionibus ſuis, eam Eccleſiam immortalem eſſe promiſſam, quæ nunc ex juſtis mortalibus conſtat in terra. cclxxxvii

Interloqutio quæ dicit de peracta quæſtione in ſententia ſe dicturum eſſe quod ſentiat, & jubet, ut cauſa pandatur erroris. cclxxxix.

Proſecutio donatiſtarum quæ petit ut de ſingulis articulis cognitio decurſa pronuntiet: & ubi dicunt teſtimoniis legalibus ſuis non eſſe reſponſum. ccxc.

Catholicorum *ad hæc ſecundum ſuperiora reſponſio.* ccxci.

Interloqutio judicis qua dicitur, legibus prohiberi, ne ſententia pro parte negotii proferatur. ccxcii.

Donatiſtarum ad iſta concio, quæ etiam catholicis facit injuriam, dum illos falſos jactitat ſacerdotes. ccxciii.

Conteſtatio catholicorum, ubi ſe ab injuria diſſimulare reſpondent. ccxciv.

Proſecutio donatiſtarum, quæ dicit judici, ſi Chriſtus *non es, cur de ſacerdotibus iudicas? & quæ aſſerit hoc iudicium* Chriſto *eſſe ſervandum: & à catholicis quærit, utrum eis præceperit* Chriſtus *hominem iudicem poſtulare.* ccxcv.

Catholicorum *ad iſta reſponſio, quòd primi Donatiſtæ in Epiſcopali cauſa humana iudicia flagitarunt, & quòd perſecutionem non patiantur ipſi, ſed faciant.* ccxcvi.

Vbi dicunt donatiſtæ quòd circumcelliones faciunt, ad ſacerdotes minimè pertinere. ccxcvii.

Proſecutio catholicorum, quòd donatiſtæ oculos eruendo, diabolum ſuperaverunt. ccxcviii

Vbi dicunt donatiſtæ, diabolum à catholicis eſſe defenſum. ccxcix.

Proſecutio catholicorum, Maximianiſtas donatiſtis eſſe meliores, à quibus perſecutionem paſſi ſunt, ſi tolerata perſecutio efficit meliores. ccc.

Proſecutio donatiſtarum, ubi dicitur diabolus rem feciſſe priorem, quod Iob oculos ſpectatores vulnerum non ademit. ccci.

Proſecutio catholicorum, ubi conſolarium feciſſe donatiſtas, & dominicos Codices *combuſiſſe dicuntur.* cccii.

Proſecutio donatiſtarum, Eccleſias *ſuas cruentis adhuc plenas eſſe corporibus.* ccciii.

Interloqutio quærens, an ipſa fuerit cauſa diſſidii. ccciv.

Donatiſtarum ad iſta reſponſio. cccv.

Vbi à catholicis dicitur hoc poſſe Maximianiſtas objicere donatiſtis. cccvi.

Interloqutio ſimilis præcedenti. cccvii.

Vbi catholici provocant donatiſtas ut cauſam veteris diſſidii fateantur. cccviii.

Vbi dicunt donatiſtæ traditores, id eſt malam arborem ex factis ſuis, id eſt ex fructibus poſſe cognoſci. cccix.

Catholicorum *ad iſta reſponſio.* cccx.

Interloqutio quærens, quando mala arbor extiterit. cccxi.

Proſecutio donatiſtarum, non ſibi ad omnia eſſe reſponſum & ad ſingula. cccxii.

Iudicem debere ferre ſententiam & à primi hominis culpa hæreditarium in omnes tranſiiſſe delictum. cccxiii.

Interloqutio, de omnibus ſimul ferendam eſſe ſententiam, ne motus iudicis ante finem negotii publicetur. cccxiv.

Proſecutio catholicorum poſtulans, ut carthæ quæ recitari cœperant, perlegantur. cccxv.

Interloqutio præcipiens recitari, & relationis ad Conſtantinum *Imperatorem ab Aulino Proconſule deſtinatæ, qua Maiorinus obſtitiſſe* Cæciliano *carthas criminum eius proconſulis ad principem dirigendas tradidiſſe, ſignatur.* cccxvi

Vbi poſt recitationem ſervari ſibi quod contra competit, poſtulant donatiſtæ. cccxvii.

Item *recitatio relationis alterius ab eodem proconſule ad eundem principem deſtinatæ, qua ſignificat idem proconſul* Cæcilianum *cum clericis ſuis & totidem adverſarios eius ad urbem pergere ſe feciſſe, ſicut præceperat Imperator.* cccxviii.

Item relatio epiſtolæ Conſtantini ad Miltiadem Romanum Epiſcopum miſſæ, quæ & cæteris ſacerdotibus inter Cæcilianum *& adverſarios eius delegatur.* cccxix.

Proſecutio catholicorum intimans quæ lecta ſunt cognitori, & poſtulans ut Militiadis in Cæcilia- cccxx.

ni cauſa judicium recitetur.

cccxxi. Recitatio judicii Miltiadis.

cccxxii. Vbi donatiſtæ volunt aliud contra Militiadis judicium recitari.

cccxxiii. Vbi catholicis dicitur, non omne Militiadis judicium eſſe perlectum, quoniam triduo tunc actum eſt, & trina ſunt geſta.

cccxxiv. Interloquutio ubi contra recitata volentibus proſequi donatiſtis dicitur, ut patiantur primitus omnia per ordinem recitari.

cccxxv. Vbi contendunt contra recitata proſequi donatiſtæ.

cccxxvi. Vbi à catholicis dicitur, adhuc ſupereſſe quod debeat recitari, ſiquidem non ſit lecta ſententia Miltiadis.

cccxxvii. Proſecutio donatiſtarum qua ſe dicunt ideo de exiliis ad judicium remeaſſe, quia eis cognitor juraverat per edictum.

cccxxviii. Reſponſio catholicorum non fuiſſe in exilium donatiſtas.

cccxxix. Proſecutio donatiſtarum de petitoris perſona, quæ peracta ſunt repetentes, & dicens Cæciliani purgationem non debuiſſe recitari, qui adhuc ab ipſis non fuerat accuſatus.

cccxxx. Interloquutio, debere carthas quas donatiſtæ offerunt recitari, ut omnibus recitatis petitoris perſona valeat deprehendi.

cccxxxi. Vbi contendunt catholici recitationem cartharum ſuarum interrumpi penitus non debere: ſed omnia per ordinem eſſe recitanda.

cccxxxii. Vbi donatiſtæ reſpondent, recitationem de Cæciliano catholico non potuiſſe competere.

cccxxxiii. Interloquutio ubi contendentibus de continenda recitatione catholicis, jubet cognitor illa potius recitari quæ offerunt donatiſtæ.

cccxxxiv. Proſecutio donatiſtarum initium referens cauſæ, quid Menſurios Carthaginenſis Eccleſiæ Epiſcopos unitatis tempore perſecutio effecerit, unde extiterit cauſa diſſidii.

cccxxxv. Interloquutio probationem exigens ſi Menſurio crimen traditionis impingitur.

cccxxxvi. Proſecutio catholicorum quæ ſalva Eccleſiæ cauſa, traditionem in Menſurio probari deſiderant.

cccxxxvii. Vbi à donatiſtis familiaris Epiſtola recitatur à Menſurio ad Secundum Epiſcopum deſtinata, qua quicquid circa ſe actum ſit tempore perſecutionis inſumat.

cccxxxviii. Proſecutio catholicorum, qua volunt eſſe teſtatum, familiares Epiſtolas recitari quarum fides habeatur incerta.

cccxxxix. Item alia familiaris Epiſtola recitatur Secundi ad Menſurium reſcribentis.

cccxl. Vbi catholici poſtulant exprimi, qui fuerit hic Secundus.

cccxli. Vbi qui Secundus fuerit exprimunt donatiſtæ.

cccxlii. Recitatio ſupradicti reſcripti, qua viciſſim quid circa ſe in Numidia geſtum ſit eo tempore Menſurio Secundus inſumat.

cccxliii. Interloquutio præcipiens ut recitatis Epiſtolis ſuis patienter audiant donatiſtæ quæ legi à catholicis cœperant.

cccxliv. Proſecutio donatiſtarum quæ ſuper eſſe ſibi dicit quod de Cæciliano legendum eſt.

cccxlv. Interloquutio etiam de Cæciliano, quod ſupereſt præcipiens recitari.

cccxlvi. Proſecutio catholicorum quæ patienter ſe habere aſſerit ut legatur.

cccxlvii. Vbi offerunt donatiſtæ conditum à patribus ſuis de Cæciliani damnatione decretum, & hoc jubente judice recitatur.

cccxlviii. Recitatione concluſa interloquitur iudex, ut ſi quid eſt adhuc quod de Cæciliano recitari debeat intimetur.

cccxlix Proſecutio donatiſtarum, de cæteris quoque perſonis alia ſe habere documenta promittens.

cccl. Interloquutio ut quæ à catholicis oblata fuerant perlegantur.

cccli. Proſecutio catholicorum teſtatum faciens & adverſum Menſurium nihil publicis actum eſſe indiciis, & Cæcilianum abſentem ab his eſſe damnatum in conſilio ſine conſule & die, qui ſibi invicem confeſſa traditionis crimina in alio inveniuntur ignoviſſe concilio.

ccclii. Interloquutio hoc ipſum exigens recitari.

cccliii. Vbi principio concilii recitato, interrumpunt donatiſtæ, negantes conſulem & diem Eccleſiaſticis adiici decretis.

cccliv. Catholicorum ad iſta reſponſio.

ccclv. Interloquutio ſimilis præcedenti.

ccclvi. Vbi exigunt catholici oportere diſquiri, utrum Donatus, cuius modo vocabulum recitatum eſt, inter Cæciliani fuerit damnatores.

ccclvii. Interloquutio quærens iſta diſquiri, & ita nomina ſingulorum.

ccclviii. Vbi Donatiſtæ teſtantur ſe præbuiſſe patientiam, vicem petentes, cum cœperint reſpondere.

ccclix. Interloquutio ſecundum voluntatem Donatiſtarum exigens de catholicis patientiæ profeſſionem.

Vbi de præbenda palientia Catholici profitentur. cccLx.

Vbi lectam codicis partem totum legi flagitans Donatiſtæ. cccLxi.

Catholicorum ad iſta reſponſio. cccLxii.

Proſecutio Catholicorum ideo aſſerens ſe legiſſe quæ lecta ſunt, ut Cæciliani poſſit valere purgatio. cccLxiii.

Interloquutio adverſus illa quæ à Catholicis recitata ſunt, Donatiſtas admonens reſpondere, ut cætera quæ interrupta ſunt, recitentur. cccLxiv.

Proſecutio donatiſtarum aſſerens quod decretum ſine Conſulis adſcriptione protulerint ex conſuetudine ſe feciſſe majorum. cccLxv.

Interloquutio quæ dicit, ex hoc ne Catholicos feciſſe aliquam quæſtionem. cccLxvi.

Proſecutio Catholicorum ideo hæc agere donatiſtas ut tempora contrahantur. cccLxvii.

Vbi Donatiſtæ dicunt, ſi de ſententiis dictis nemo dubitat, Cæcilianus jure damnatus eſt. cccLxviii.

Proſecutio catholicorum aſſerens poſſe monſtrari quid de Cæciliano ſit geſtum, ſi quæ interrupta fuerint, recitentur. cccLxix.

Vbi exigunt à Catholicis Donatiſtæ, utrum illud verum eſſe Conſilium, quo Cæcilianus damnatus eſt, fateantur. cccLxx.

Catholicorum reſponſio, & ſi verum ſit illud concilium, Cæciliano abſenti præjudicare non poſſe: quomodo Maximianiſtarum concilium damnantium Primianum præjudicium non attulit Primiano. cccLxxi.

Donatiſtarum proſecutio, nec cauſam cauſæ, nec perſonam præjudicare perſonæ. cccLxxii.

Interloquutio de Cæciliano qui à ſeptuaginta damnatus eſt, reſpondere catholicos oportere. cccLxxiii.

Proſecutio Catholicorum, inde ſe mentionem de Primiani damnatione feciſſe, quia evangelica regula eſt, adverſarios de ſuis operibus arguendos. cccLxxiv.

Proſecutio donatiſtarum à primordio repetens, quid cæcilianus admiſerit. & promittens ex Optati Epiſcopi Catholici ſcriptis poſſe monſtrari cæcilianum fuiſſe confeſſum qui à traditoribus fuerit ordinatus. cccLxxv.

Proſecutio Catholicorum ut quæ interrupta fuerant recitentur, & ubi dicunt, ipſos illius temporis donatiſtas de ſuo judicaſſe concilio, qui cæcilianum quem damnaverant accuſare apud conſtantinum principem voluerunt. cccLxxvi.

Interloquutio qua requiritur, utrum poſt hoc Concilium accuſationis cæciliani, ad principem donatiſtæ tranſmiſerunt. cccLxxvii.

Vbi quærunt donatiſtæ utrum cæcilianus ab illo Epiſcoporum judicio appellaverit. cccLxxviii.

Catholicorum proſecutio qua deſtruitur donatiſtarum utroque modo concilium, ſive antè factum eſt quàm ad Imperatorem cæciliani crimina mitterentur, ſive poſtea congregatum eſt. cccLxxix.

Interloquutio qua à Donatiſtis exigit reſponderi, utrum ante accuſationem cæciliani, an poſtea illud fuerit Concilium celebratum. cccLxxx.

Donatiſtarum ad iſta reſponſio. cccLxxxi.

Catholicorum proſecutio, qua poſtulant ea quæ acta ſunt poſtea recitari, ut cæcilianus abſolutus, & accuſatores eius doceantur fuiſſe damnati. cccLxxxii.

Proſecutio donatiſtarum qua volunt lectione monſtrare conſuetudinis eſſe majorum quòd Eccleſiaſtico judicio Conſul non ſit adſcriptus. cccLxxxiii.

Vbi catholici dicunt ad cauſam non pertinere quod volunt legere Donatiſtæ. cccLxxxiv.

Interloquutio quæ Catholicos percontatur, utrum illud decretum quod ſine conſule eſt, falſum eſſe non exiſtiment. cccLxxxv.

Catholicorum ad iſta reſponſio. cccLxxxvi.

Interloquutio iubens ut quæ interrupta primitus fuerant, recitentur.

Vbi Donatiſtæ illud concilium quod cæciliani damnatores invicem ſua crimina donaverunt, ideo arguunt falſitatis, quia huic contra Eccleſiaſticum & Apoſtolicum morem, conſul adiectus eſt. cccLxxxvii. cccLxxxviii.

Proſecutio catholicorum poſtulans ut ſuperfluis amputatis, ea geſta recitentur quibus abſolutus cæcilianus poſſit oſtendi. cccLxxxix.

Vbi contendunt donatiſtæ Eccleſiaſticis conciliis adſcribi conſulem non ſolere, & hoc flagitant ex ſcripſis dominicis approbare. cccxc.

Vbi poſtulant catholici purgationis cæciliani geſta debere recitari. cccxci.

Proſecutio Donatiſtarum Catholicos cogens decreti illius ſubire iacturam, quod adverſus damnatores cæciliani recitaverunt. cccxcii.

Interloquutio ubi dicit, ex duobus decretis illud potius dicant poſſe nutare, cui nomen conſulis deeſt: & præcipiens, ut quæ interruptæ fuerant, perlegantur. cccxciii.

Proſecutio Catholicorum aſſerens nec illis ſe decreti cauſationem aliquam facere, nec tamen alterius decreti ſe pati debere iacturam. cccxciv.

Donatiſtarum ad iſta reſponſio. cccxcv.

Interloquutio, ex maiore diligentia conſulit adiecti, fidem non perire decreti. cccxcvi.

Donatiſtarum ad iſta contentio. cccxcvii.

CCCCXIX. *Proſecutio Catholicorum, cæciliani purgationem debere iudicio recitari.*

CCCC. *Vbi donatiſtæ dicunt, non valere catholicos ſolvere quod obiectum eſt.*

CCCCI. *Catholicorum ad iſta reſponſio, cur in Apoſtolicis conciliis non ſit dies adiectus & Conſul: & quod in propheticis libris inveniantur ſingula tempora ſuis ſignificationibus fuiſſe teſtata.*

CCCCII. *Interloquutio qua petentibus donatiſtis ut iudicet, dicit iudicare de negotii parte non poſſe.*

CCCCIII. *Recitatio iudicii Militiadis, & aliorum ſimiliter ſacerdotum, qua Cæcilianus oſtenditur abſolutus.*

CCCCIV. *Proſecutio donatiſtarum ubi ſecundùm ſuperiora contendunt, ut catholicos cogant decreti, quod adverſus Cæciliani damnatores protulerunt, ſubire iacturam.*

CCCCV. *Interloquutio quæ à donatiſtis exigit, utrum habeant aliquid proferendum contra recitatum iudicium Militiadis.*

CCCCVI. *Item interloquutio quæ donatiſtas aliud agentes admonet, ut ad quæſita reſpondeant.*

CCCCVII. *Catholicorum reſponſio contra illud quod à donatiſtis decreti à ſe prolati iacturam facere compellantur.*

CCCCVIII *Vbi donatiſtæ contendunt, illud decretum adverſus damnatores Cæciliani à catholicis recitatum ideo nulla veritate fulciri, quia perſecutionis tempore non poſſit Concilium congregari.*

CCCCIX. *Catholicorum ſimilis ad iſta reſponſio, perſecutionis tempore fieri poſſe concilium: & hoc legalibus teſtimoniis edocetur.*

CCCCX. *Proſecutio donatiſtarum ſimilis præcedenti.*

CCCCXI. *Catholicorum ad iſta reſponſio, poſſe concilium perſecutionis tempore celebrari, ſi illo tempore, quamvis furtim, tamen etiam populus potuit congregari.*

CCCCXII. *Proſecutio donatiſtarum, nunquam perſecutionem paſſos eſſe catholicos, qui quanta vis ſit perſecutionis ignorant.*

CCCCXIII. *Catholicorum ad iſta reſponſio, quæ interrogat donatiſtas utrum negent collecta Chriſtianorum perſecutionis fieri ſolere temporibus.*

CCCCXIV. *Interloquutio quæ definit à catholicis hoc probandum, utrum noverint perſecutionis tempore* Concilium *celebratum.*

CCCXV. *Catholicorum reſponſio, Apoſtolos inter perſecutiones Iudæorum primum feciſſe Concilium.*

CCCCXVI. *Donatiſtarum ad iſta contentio.*

CCCCXVII. *Interloquutio de catholicis exigens hoc doceri.*

CCCCXVIII. *Vbi catholici de actibus Apoſtolorum recitant lectionem qua probare velint quod ab ipſis concilium requiſitum eſt.*

CCCCXIX. *Interloquutio quæ deſignat recitata à catholicis lectione quod quæſitum eſt non probaſſe.*

CCCCXX. *Proſecutio catholicorum aſſerens perſecutionis tempore ab Epiſc. colligi potuiſſe Concilium, ſiquidem tunc etiam plebes congregatæ reperiuntur, unde Martyres facti ſunt.*

CCCCXXI. *Interloquutio id exigens comprobari, & ubi exceptores aliis ſubrogantur.*

CCCCXXII. *Proſecutio catholicorum quæ interrogari deſiderat donatiſtas, utrum nulla habeant Martyrum geſta perſecutionis tempore in collectis ſe fuiſſe fatentium.*

CCCCXXIII. Interloquutio *ad interrogata reſpondere commonens donatiſtas.*

CCCCXXIV. *Donatiſtarum ad quæſita reſponſio, qua dicunt, nullam domum Epiſcoporum capere potuiſſe* Concilium.

CCCCXXV. *Vbi reſpondent catholici, duodecim Epiſcopis qui in concilio tunc fuerunt domum ſufficere potuiſſe.*

CCCCXX VI. *Interloquutio quæ requirit quantus in illo* Concilio *numerus Epiſcoporum fuerit.*

CCCCXXVII. Catholicorum *proſecutio ſimilis præcedenti.*

CCCCXXVIII. *Interloquutio catholicorum dicta confirmans.*

CCCCXXIX. *Vbi catholici interrogant donatiſtas, utrum tempore perſecutionis negent fieri ſolere collecta.*

CCCCXXX. *Donatiſtarum proſecutio quæ dicit, hoc decretum quod à duodecim Epiſcopis factum catholici protulerunt, vel hinc falſum eſſe, quod altis non eſt temporibus factum, vel quod Imperatorem in propinquis regionibus poſitum nemo illic auderet congregare concilium.*

CCCCXXXI. *Vbi catholici dicunt, parvum Epiſcoporum numerum facilè tunc colligi potuiſſe.*

CCCCXXXII. *Donatiſtarum ad iſta reſponſio.*

CCCCXXXIII. *Vbi catholici conteſtantur non permitti ſuos exire quos ad geſta miſerant perferenda de Martyribus in collecta ſe fuiſſe fatentibus.*

CCCCXXXIV. *Vbi ultro geſta Martyrum donatiſtæ offerunt recitanda.*

CCCCXXXV. *Interloquutio præcipiens eadem recitari.*

CCCCXXXVI. *Vbi recitatio de geſtis Conſule & die flagitant Donatiſtæ ut etiam decreti Conſul & dies*

dies cum eorundem geſtorum die vel Conſule conferatur.
Interloquutio quæ inter decreti geſtorumque tempora quantum interſit, inquirit. ccccxxxvii.
Vbi aliter de intervallo temporis pronunciatum Catholicis quantum interfuerit ſcripta reſ- ccccxxxviii.
pondeat.
Vbi id de quo temporis intervallo aliter à Catholicis renuntiatum fuerat, tolli de tabulis prohi- ccccxxxix.
bent Donatiſtæ.
Vbi hoc ipſum Catholici excuſant, & remanere patiuntur in tabulis. ccccxl.
Vbi de hoc falſi notant Catholicos donatiſtæ. ccccxli.
Catholicorum reſponſio, qua aſſerunt falſum illud dici non poſſe decretum, niſi probaverint Do- ccccxlii.
natiſtæ perſecutionis tempore collecta fieri non ſolere.
Proſecutio donatiſtarum, non potuiſſe Concilium eo tempore congregari, quo Martyres in eculeo ccccxliii.
dependebant.
Interloquutio Catholicorum repetens ad iſta reſponſum. ccccxliv.
Vbi catholici reſpondent etiam tempore perſecutionis tantam fuiſſe Chriſtianorum diligentiam, ccccxlv.
ut in carceribus baptizati Martyres fuerint collecta plebis facta, ex geſtorum poſſe recitatione
clareſcere.
Interloquutio, geſta præcipiens recitari. ccccxlvi.
Vbi donatiſtæ dicunt, hæc ipſa ſe geſta nuper obtuliſſe recitanda quæ nunc à Catholicis pro- ccccxlvii.
feruntur.
Item recitatio geſtorum quibus paſſiones Martyrum continentur. ccccxlviii.
Item offerunt alia Martyrum geſta Catholici, unde collecta plebis tunc facta doceantur, & ccccxlix.
recitatur.
Interloquutio quæ definit ex recitatione geſtorum collecta plebis perſecutionis tempore cele- ccccl.
brata.
Proſecutio donatiſtarum, qua contendunt catholicos decreti iſtius facere debere jacturam, quia cccli.
non potuit tunc Epiſcopale Concilium congregari.
Interloquutio quæ definit, duodecim Epiſcopos in unam domum tunc colligi potuiſſe, quando col- cccclii.
lecta à plebe publicè fieri potuerunt.
Proſecutio donatiſtarum qua adhuc de decreti falſitate contendunt, & ipſius decreti ſententias ccccliii.
& verba diſcutiunt, & Cæcilianum contra damnatores ſuos illo ſe decreto dicunt defendere
potuiſſe, ſi conſtaret tunc factum hoc fuiſſe decretum.
Interloquutio contra Donatiſtarum proſecutionem, quæ dicit duodecim Epiſcopos & congrega- cccclIV.
ri tunc & latere facile potuiſſe, Cæcilianum autem non illo duodecim Epiſcoporum decreto,
ſed Miltiadis potius abſolutum eſſe judicio.
Vbi iterum donatiſtæ catholicos cogunt jacturam ipſius ſubire decreti. cccclv.
Vbi alia documenta imperatorii judicati ſuper abſolutione Cæciliani volunt offerre Catho- cccclvi.
lici.
Interloquutio id ipſum præcipiens recitari. cccclvii.
Vbi exigunt à judice donatiſtæ, ut de decreti illius falſitate pronuntiet. cccclviii.
Interloquutio, claruiſſe de geſtis fieri tunc potuiſſe concilium. cccclix.
Proſecutio catholicorum, qua tacentibus donatiſtis judicatum Conſtantini ſuper abſolutione Cæ- cccclx.
ciliani offerunt recitandum.
Proſecutio Donatiſtarum qua contendunt fieri tunc non potuiſſe concilium, & debere catholicos ccccxli.
ejuſdem decreti diſpendium ſuſtinere.
Interloquutio tunc de iſto decreto extitiſſe inquirendum fuiſſe, ſi in hoc Cæciliani abſolutio teneretur, cccclxii.
nunc donatiſtas contra judicium Miltiadis, aliud oportere vel dicere, vel proferre, quo Cæ-
ciliani abſolutio deſtruatur.
Proſecutio donatiſtarum, qua promittunt reſponſuros ſe eſſe contra judicium Miltiadis: fidem ta- cccclxiii.
men illius inquirendam eſſe decreti.
Interloquutio exigens intimare aliquid contra judicium Miltiadis, & judicans in perſecutione cccclxiv.
fieri potuiſſe concilium.
Catholicorum proſecutio, *neceſſariam fuiſſe cauſam cur tunc congregarentur Epiſcopi.* cccclxv.
Interloquutio exigens contra Cæciliani abſolutionem à Donatiſtis aliquid reſponderi. cccclxvi.
Proſecutio Donatiſtarum, quamvis collecta tunc facta ſint, plebis tamen Epiſcoporum contrahi cccclvii.
tunc non potuiſſe concilium.
Interloquutio exigens Donatiſtas legere aliquid contra judicium Militiadis. cccclxviii
Proſecutio Donatiſtarum, non potuiſſe Epiſcopos ſuos in eo crimine alterum condemnare, ſi eo cccclxix.
ipſi tenerentur obnoxii.
Catholicorum *de ſcripturis dominicis ad iſta reſponſio.* cccclxx.
Interloquutio exigens ut contra abſolutionem Cæciliani quid proferatur. cccclxxi.
Proſecutio Donatiſtarum, Cæcilianum in Africa ubi damnatus fuerat, debuiſſe purgari: cccclxxii.
Miltiadis autem pro eo ſententiam non valere, quia ſimili etiam diſcrimine tenebatur.

cccclxxiii. *Proſecutio* Catholicorum *exigens hoc probari quod de crimine Militiadis dixerant Donatiſtæ.*

cccclxxiv. Interloquutio *approbari præcipiens quod intenditur Militiadi.*

cccclxxv. *Proſecutio Donatiſtarum quæ de Militiadis nomine quid ſit actum, probaturam ſe geſtorum recitatione promittit.*

cccclxxvi. *Vbi catholici petunt de nomine Militiadis rei indicatas debere proferri.*

cccclxxvii. *Vbi* Donatiſtæ *dicunt de ſcriptis Optati catholici Epiſcopi monſtraturos cæcilianum Brixiæ fuiſſe damnatum.*

cccclxxviii. *Interloquutio, Optati teſtimonio nunc amoto, illud potius quod ſuper nomen Militiadis Donatiſtæ promiſerant proferendum.*

cccclxxix. *Vbi Donatiſtæ Optati volunt teſtimonium recitari.*

cccclxxx. Interloquutio *quæ promittit & Optati teſtimonium recitandum, ſi primum quod contra Militiadem promiſſum fuerat, recitetur.*

cccclxxxi. *Proſecutio* Catholicorum*, contra eminentes Epiſcoporum ſententias unius Optati teſtimonium ſuſcipi non debere.*

cccclxxxii. *Donatiſtarum proſecutio, nimium verum eſſe quod contra* Catholicos *Optatus* Catholicus *dixit.*

cccclxxxiii. *Catholicorum proſecutio, Optati ſcripta pro ſcripturis* Canonicis *non haberi.*

cccclxxxiv. *Proſecutio, quo exigunt Donatiſtæ ut aut damnent catholici Optatum, aut patiantur eius teſtimonium recitari quo cæcilianum Brixiæ dictum fuiſſe damnatum: & qua admonent iudicem, ut promiſſam teneat æquitatem.*

cccclxxxv. Interloquutio *ſimilis præcedenti.*

cccclxxxvi. *Catholicorum proſecutio, contra Militiadem debere donatiſtas proferre aliquod iudicatum.*

cccclxxxvii. *Interloquutio ſimilis præcedenti.*

cccclxxxviii *Vbi dicunt donatiſtæ non eſſe prolixum quod de Optato deſiderant recitari.*

cccclxxxix. *Interloquutio, ordinem ſervandum eſſe definiens, ut primò contra Militiadem aliquid, poſtea de Optato quantum voluerint, recitetur.*

ccccxc. *Vbi geſta in Vrbe habita offerunt Donatiſtæ.*

ccccxci. *Vbi geſta eadem recitantur quibus in Vrbe Roma à nonnullis aliis & à quodam Stratone rerum Eccleſiaſticarum traditio perpetrata eſt.*

ccccxcii. *Interloquutio in tam prolixis geſtis nihil dictum de nomine Militiadis.*

ccccxciii. *Vbi dicunt Donatiſtæ, adhuc ſe non finiſſe totum quod promiſerant recitare.*

ccccxciv. *Catholicorum proſecutio qua prolixis geſtis ſe patientiam præbuiſſe teſtantur, & nihil ex iiſdem adverſum Militiadem eſſe prolatum unde ſe debere de abſolutione cæciliani; Etiam conſtantini principis legere iudicatum.*

ccccxcv. *Proſecutio Donatiſtarum, qua teſtantur traditione ſe geſtis prioribus recitaſſe, & adhuc ſe habere quod legant.*

ccccxcvi. *Interloquutio, alia circa Militiadis perſonam recitari, geſta permittens, & catholicis ſervans, ut recitent poſtea ſi quid velint.*

ccccxcvii. *Hic catholici volunt eſſe teſtatum, quòd non expreſſerint Donatiſtæ, ubi ſuperiora geſta confecta ſint.*

ccccxcviii *Interloquutio confirmans quod à catholicis dictum eſt.*

ccccxcix. Item *à donatiſtis geſta alia recitantur, quibus poſt redditam agendi licentiam chriſtianis, res Eccleſiæ quæ traditæ fuerant, recuperantur à Stratone & cæteris quos ad id negotium Militiadis Epiſcopus deſtinarat.*

D. Interloquutio*, quòd etiam ſecunda geſta nihil de reatu contineant Militiadis.*

DI. *Vbi aſſerunt donatiſtæ eum Stratonem quaſi Diaconum à Militiade directum ad res Eccleſiæ repetendas, qui invenitur ante tradidiſſe.*

DII. *Interloquutio poſtulans id deberi.*

DIII. *Vbi recitatur ex primis geſtis Stratonis nomen.*

DIV. *Interloquutio poſtulans evidenter oſtendi, utrum Straton in primis geſtis diaconus fuerit nominatus.*

DV. *Vbi donatiſtæ ex hoc illud interpretari volunt ibi diaconum ſignificatum, quòd iiſdem geſtis hortator ſuperſtitionis fuerit nominatus.*

DVI. *Vbi catholici ex Donatiſtarum proſecutione colligunt, fieri potuiſſe ut alter fuerit Straton ſuperſtitionis hortator.*

DVII. *Donatiſtarum contra iſta contentio.*

DVIII. *Interloquutio qua dicitur utraque geſta iiſdem temporibus facta, & debuiſſe Stratonem eodem hortatoris nomine utrobique ſignari.*

DIX. *Item* Interloquutio *quæ requirit apertum crimen & manifeſtam damnationem Militiadis eſſe promendam.*

DX. *Proſecutio Donatiſtarum, eundem Stratonem eſſe qui primo tradidit, & poſtea res ſuſcepit Eccleſiæ; nec obeſſe veritati, quòd ibi hortator ſu-*

perſtitionis eſt dictus, quia gentiles Diaconum dicere noluerunt: tunc de Militiade oportere iudicari Stratonis conſortio maculatum.

Interloquutio, probari oportere quòd idem Straton etiam tunc à Militiade directus ſit, quando dicitur tradidiſſe. DXI.

Donatiſtarum proſecutio, ideo ibi non teneri vocabulum Militiadis quòd adhuc Epiſcopus DXII. non fuiſſet: hinc autem Militiadem fuiſſe pollutum, quòd traditorem Stratonem in numero habuit Diaconorum.

Interloquutio pronuntians, partes agere debere quæ competunt. DXIII.

Proſecutio Catholicorum, duo Stratones tunc eſſe potuiſſe: nec abhorrere à conſuetudine, ut duo DXIV. uno nomine cenſeantur. Militiadem verò reum eſſe non poſſe, niſi traditionem Stratonis ſciſſe doceatur.

Interloquutio, inter Epiſcopos nihil ſuſpicionibus agitandum, & debere Conſtantini iudicium DXV. recitari.

Recitatio iudicij Conſtantini, quo apud ſe quoque Cæcilianum fuiſſe purgatum poſt Arelatenſe DXVI. Concilium, ſignificat Imperator.

Interloquutio quæ admonet Donatiſtas utrum contra hæc habeant aliquid recitandum. DXVII.

Vbi dicunt iterum Donatiſtæ Militiadem Stratonis ſocietate pollutum. DXVIII.

Interloquutio ſimilis præcedenti. DXIX.

Vbi dicunt Donatiſtæ, falſum eſſe judicium Conſtantini auribus intimatum. DXX.

Interloquutio, quòd inter partes ſententiam tulerit Imperator. DXXI.

Vbi hoc legi deſiderant Donatiſtæ. DXXII.

Interloquutio, hoc ipſum ſignificari, & ex reſcripto principis ſuperiùs recitato. DXXIII.

Vbi Donatiſtæ volunt eſſe teſtatum, ex reſcripto principis nec diem eſſe nec Conſulem. DXXIV.

Vbi reſpondent Catholici, & lectum eſſe ex reſcripto diem, & iterum offerunt ut legatur. DXXV.

Proſecutio Donatiſtarum, lecto die non eſſe Conſulem lectum. DXXVI.

Catholicorum ad iſta reſponſio, & ut ſi de reſcripto dubitatur, archivorum inſpiciatur authoritas. DXXVII.

Interloquutio, imperiale reſcriptum cui deſit Conſul & dies, in dubium revocari non poſſe. DXXVIII.

Vbi Donatiſtæ queruntur Epiſcopale decretum ſuperiùs à Catholicis cum conſule eſſe prolatum, DXXIX. & nunc imperatoris Epiſtolam ſine conſule recitari.

Vbi Catholici provocant Donatiſtas, ut dicant falſam eſſe Imperatoris Epiſtolam. DXXX.

Vbi poſtulant Donatiſtæ, ut quod ſibi ſervatum fuerat, de Optato proferant lectionem. DXXXI.

Interloquutio, debere reſpondere primitus Donatiſtas, utrum falſa ſit Imperatoris Epiſtola & DXXXII. ita demum recitari de Optato quod velint. DXXXIII.

Vbi aſſerunt Donatiſtæ Cæciliano nihil prodeſſe reſcriptum, quia invenitur poſtea condemnatus: & hoc volunt recitata Optati lectione conſtare. DXXXIV.

Vbi Catholici conteſtantur, quòd ſibi non obſit error Optati: legi tamen patiuntur Optatum.

Vbi poſtea conſul invenitur Imperialis Epiſtolæ. DXXXV.

Vbi de Optato lectio recitatur. DXXXVI.

Non inventa in Optato damnatione Cæciliani, ſed retentione apud Bryzam temperatiùs ab DXXXVII. Optato eſſe dictum aſſerunt Donatiſtæ.

Interloquutio, debere Donatiſtas qui hoc Optatum temperantiùs poſuiſſe dixerunt, evidentiùs approbare Cæcilianum & Imperatorem fuiſſe damnatum. DXXXVIII.

Proſecutio Donatiſtarum qua dicunt alium Caſæ non fuiſſe donatum. DXXXIX.

Catholicorum ad iſta reſponſio, quòd in actis Militiadis Donatus Caſenſis evidenter expreſſus DXL. ſit.

Vbi Petilianus Epiſcopus partis Donati impedimento raucedinis agere ſe non poſſe teſtatur. DXLI.

Vbi Catholici teſtantur, ideo ſe Petilianum excuſationi ſubtrahere voluiſſe, quòd et Donatus DXLII. Caſenſis ex geſtis evidenter oſtenſus eſt.

Interloquutio, cum ſepteni adſtent, de unius defectu querelam eſſe poſſe. DXLIII.

Proſecutio Donatiſtarum, principi Conſtantino libellum aſſerunt proprios dediſſe majores, & eo DXLIV. principem motum, agendi eis dediſſe licentiam, & ibi Felicis Aptugnitani Epiſcopi qui Cæciliani fuerat ordinator, cauſa narratur.

Interloquutio exigens ut quod competit Donatiſtis, documentorum prolatione monſtretur. DXLV.

Libelli recitatio quem Conſtantino Imperatori dederunt illo tempore Donatiſtæ. DXLVI.

Proſecutio catholicorum, qua aſſerunt pro ſe facere libellum quem recitaverunt Donatiſtæ. DXLVII.

Interloquutio catholicorum dicta confirmans, & reſcriptum Conſtantini præcipiens recitari. DXLVIII.

Vbi recitatur Epiſtola Conſtantini ad Vicarium deſtinata, qua libertatem agendi tribuit DXLIX. Donatiſtis.

Proſecutio catholicorum quæ dicit pro ſe magis Epiſtolam facere Conſtantini, quia non de Cæci- DL. liano aliquid iudicatum eſt, ſed furori ſuo ipſi permiſſi ſunt.

Interloquutio catholicorum dicta confirmans. DLI.

Vbi Donatiſtæ petunt ut judex de permiſſa ſibi à Conſtantino arbitrij libertate pronuntiet. DLII.

DLIII. *Interloquutio pronuntians quod petitum eſt, & adſerens principem Honorium de abſolutione Cæciliani hodie præcepiſſe diſquiri.*

DLIV. *Proſecutio Donatiſtarum qua interpretantur ideo non videri* Cæcilianum *fuiſſe purgatum, quia retractata cauſa Felicis ordinatoris eiuſdem, Ingentius quidam ad Comitatum præceptus eſt deſtinari, & nihil actum ab Ingentio reperitur quo Felix abſolutus eſſe noſcatur.*

DLV. *Proſecutio* Catholicorum *qua promittunt ſe Hæliani Proconſulis recitata ratione monſtrare, quid ſuper Felicis abſolutione fuerit actitatum.*

DLVI. *Vbi Donatiſtæ contendunt* Conſtantini *potius litteras recitandas, quibus juſſus eſt Ingentius ad Palatium deſtinari.*

DLVII. *Interloquutio quæ hoc potius præciperet recitari.*

DLVIII. *Vbi hæ ipſæ litteræ recitantur.*

DLIX. *Proſecutio Catholicorum, ubi dicunt relationem Hæliani Proconſulis recitandam, qua Felix oſtenditur abſolutus.*

DLX. *Recitatio relationis ejuſdem.*

DLXI. *Interloquutio quæ depoſcit, ut ad pleniorem fidem etiam geſta ipſa quibus Felix purgatus eſt, recitentur.*

DLXII. *Vbi Donatiſtæ contendunt illud potius recitandum, ſi aut directus eſt, aut aliquid apud Imp. egit Ingentius.*

DLXIII. *Proſecutio catholicorum, acta potius recitari oportere, ut quemadmodum* Cæcilianum *conſtitit abſolutum, ita & Felix purgatus fuiſſe monſtratur.*

DLXIV. *Interloquutio geſta præcipiens recitari.*

DLXV. *Geſtorum recitatio pro Felice qui* Cæciliani *fuerat ordinator.*

DLXVI. *Interloquutio exigens ut quod partibus competit, intimetur.*

DLXVII. *Proſecutio Donatiſtarum, contra geſta pro Felice prolata.*

DLXVIII. *Interloquutio, geſta, quæ roboravit antiquitas, nonniſi aliorum prolatione geſtorum poſſe reſcindi.*

DLXIX. *Proſecutio catholicorum, ſufficere cauſæ quiquid ab ipſis eſt recitatum, & ſi* Cæciliani *purgatione Ingentii perſona reſcindit, Donatiſtas hoc potius debere monſtrare.*

DLXX. Interloquutio *quæ iſtud exigit recitari.*

DLXXI. *Donatiſtarum proſecutio qua dicunt, præſentem Felicem debuiſſe purgari, & qua requirunt, utrum aliquid apud Imperatorem Ingentius pro Felice reſponderit.*

DLXXII. *Proſecutio catholicorum qua dicunt, quoniam omnia per ordinem recitata ſunt, debere cognitorem ſummotis tergiverſationibus, ferre ſententiam.*

DLXXIII. Interloquutio *exigens ut contra geſta, quibus abſolutus eſt Felix, aliquid recitetur.*

DLXXIV. *Proſecutio catholicorum, majoris eſſe innocentiæ documentum quod abſens purgatus eſt Felix.*

DLXXV. *Proſecutio donatiſtarum, qua omnes totius negotii recapitulantur articulis ſuperiorum proſecutionum diverſi tractati.*

DLXXVI. Interloquutio *abſoluta & conſumpta repeti non debere, qua rurſus exigitur ut contra Felicis abſolutionem aliquid recitetur.*

DLXXVII. *Proſecutio catholicorum poſtulant, ut quoniam diſcuſſit omnibus, ſuperflua repetuntur, jam ſententia proferatur.*

DLXXVIII. *Interloquutio contra Felicis abſolutionem aliquid recitandum.*

DLXXIX. *Proſecutio donatiſtarum debere iudicem de his quæ prolata ſunt iudicare, ut etiam cætera recitentur.*

DLXXX. *Interloquutio, omnia debere iudicari, ut de omnibus iudicet.*

DLXXXI. *Proſequutio donatiſtarum ſimilis præcedenti.*

DLXXXII. Interloquutio *ſimilis præcedenti.*

DLXXXIII. *Proſecutio donatiſtarum, pro arbitrio partis adverſæ falſatum eſſe & deſtructum quidquid à ſua parte prolatum eſt.*

DLXXXIV. Interloquutio*, ſi nihil ſupereſt quod legatur, debere partes exiri, ut ſcribi poſſit ſententia plena.*

DLXXXV. *Interloquutio convocans partes ut ſententia recitetur.*

DLXXXVI. *Sententia recitata quæ totum complexa negotium, quid obſervari oporteat, pro catholica unitate decernit.*

Expliciunt capitula tertiæ cognitionis.

INCIPIVNT
GESTA PRIMÆ
COGNITIONIS.

I. P. C. VARANIS V. C. KL. IUN. CARTHAGINE *in ſecretario thermarum Gargilianarum, præſentibus Sebaſtiano, Maximiano & Petro* VV. OD. *Protectoribus Domeſticis, adſtantibus Vrſo, Petronio & Liboſo Ducenariis, Bonifacio & Evaſio Apparitoribus Illuſtrium atque eminentium poteſtatum. Fileto Apparitore Illuſtris Comitiva ſedis, Exitioſo Adjutore Corniculari, Poſſidio, Quod-vult-Deus & Colonico Adjutoribus Commentariorum Officii* D. N. V. C. *& Spectabilis Proconſulis Navigio Adjutore Numerorum Officii* D. N. V. C. *& Spectabilis Vicarii, Nampio Scriba Officii* V. C. *Legati* A. K. *Rufiniano Scriba* V. C. *Curatoris* B *celſæ Carthaginis, excipientibus etiam Hilaro & Prætextato exceptoribus* D. N. V. C. *& Spectabilis Proconſulis. Fabio Exceptore* D. N. V. C. *& Spectabilis Vicarii & Romulo exceptore* V. C. *Legat.* A K. *excipientibus quoque Januario & Vitale Notariis Eccleſiæ Catholicæ; Victore & Creſconio Notariis Eccleſiæ Donatiſtarum.* URSUS DOCENARIUS ILLOSTRIOM ATQUE EMINENTIUM POTESTATUM D.

DUDUM veſtra ſublimitas ſecundum Imperiale præceptum & nos & cæteros qui tam de ſacratiſſimo comitatu quàm etiam de Africanis Officiis ſublimitatis tuæ ſunt actibus deputati, ad ſingulas provincias deſtinavit, & edicta etiam per univerſam Africam dedit, ut tam Catholici quàm Donatiſtæ Epiſcopi intra quartum menſem C collationi cuncti adeſſe deberent. quæ tempora hodierna die videntur impleri. & quia præſto ſunt univerſi, de omnibus ſcilicet provinciis Africanis, id eſt de Provincia Proconſulari, de Provincia Burcenſi, de Numidia, de Mauritaniis, Sitifenſi & Cæſarienſi, ſed etiam & de Tripolitana Provincia, ſi præcipit nobilitas tua, adſint idem venerabiles viri, ut omnia ſuo ordine peragantur.

II. FLAVIUS MARCELLINUS V. C. TRIBUNUS ET NOTARIUS *dixit*: Adſint venerabiles viri quos præſentes eſſe ſuggeritis. Et ingreſſis univerſis Epiſcopis partis Donati, ingreſſis etiam Aurelio, Alypio, Auguſtino, Vincentio, Fortunato, D Fortunatiano & Poſſidio Epiſcopis Eccleſiæ Catholicæ, cum Novato, Florentio, Maurentio, Bonifacio, Priſco, Sereniano & Scyllacio coëpiſcopis ſuis, Deuterio, Leone, Aſterio, & Reſtituto, æque Epiſcopis & cuſtodibus geſtorum.

III. MARCELLINUS VIR CLARISSIMUS TRIBUNUS ET NOTARIUS *dixit*: Optarem quidem tantæ hujus multitudinis ſanctitatem quæ ſub unius Chriſti Dei religione cenſetur, nulla à ſe diſſenſione ſejungi. ſed quia id quod dudum error antiqui hoſtis immiſit, Deum certum eſt velle nunc corrigi, ne diutius germana religio concertatione ſua ſpectaculum gentibus faciat, licet ſupra meritum meum, hoc cognoſcam eſſe judi- A cium, ut inter eos videat judicare à quibus me potius decuerat judicari: tamen quia certum eſt, hanc cauſam ſpectante Deo & Angelis teſtibus agitandam, quæ ſub fidei cæleſtis examine vel probata præmium afferat, vel læſa judicium, ut tandem præſentium diſceptationibus Epiſcoporum manifeſtiùs veritas eluceſcat, Imperialis primitùs ſanctio recitetur, ut in quem modum atque formam ſit ſuſcipienda cognitio, ab omnibus poſſit adverti, licet eam cunctis innotuiſſe ſat clarum ſit. MARTIALIS exceptor recitavit.

IMPERATORES CÆSARES FLAVIUS HONORIUS ET THEODOSIUS PII. FE- B LICES. VICTORES. AC TRIUMPATORES AUGUSTI FLAVIO MARCELLINO SUO S. Inter Imperii noſtri maximas curas, Catholicæ legis reverentia, aut prima ſemper, aut ſola eſt. neque enim aliud aut belli laboribus agimus, aut pacis conſiliis ordinamus, niſi ut verum Dei cultum orbis noſtri plebs devota cuſtodiat, ut etiam Donatiſtas vel terrore vel monitu olim implere convenerant, qui Africam, hoc eſt regni noſtri maximam partem, & ſecularibus officiis fideliter ſervientem, vano errore & diſſenſione ſuperflua decolorant. Nos tamen eadem frequentiùs non piget replicare, quæ omnium retrò Principum devota in Deum definivit auctoritas, ne temporibus noſtris ſi quid fortè in injuriam C legis Catholicæ fuerit generatum, juſto judicio hoc nobis poſſit imputare poſteritas. Nec ſanè latet conſcientiam noſtram ſermo cæleſtis oraculi, quem errori ſuo poſſe proficere ſcæva Donatiſtarum interpretatio profitetur; qui quamvis depravatos animos ad correctionem mitiùs invitaret, aboleri eum tamen etiam ante juſſimus, ne qua ſuperſtitionibus præſtaretur occaſio. Nunc quoque excludendam ſubreptionem ſimili auctoritate cenſemus. illudque meritò profitemur, libenter nos ea quæ ſtatuta fuerant ſubmovere, ne in divinum cultum nobis ſe quiſquam auctoribus æſtimet poſſe peccare. Et quamvis una ſit omnium & manifeſta ſententia Catho- D licæ legis plenam veritatem tecto hominum cultu & cæleſti ſententia comprobatam, ſtudio pacis & gratiæ, venerabilium virorum Epiſcoporum legationem libenter admiſimus; quæ congregari Donatiſtas Epiſcopos ad cœtum celeberrimæ deſiderat civitatis, ut electis etiam ſacerdotibus quos pars utraque delegerit, habitis diſputationibus ſuperſtitionem ratio manifeſta confutet. Quam rem intra quatuor menſes præcipimus explicari, ut converſos animos populorum etiam clementia noſtra, ſicut deſiderat, celeriùs poſſit cognoſcere. Quòd ſi intra præſtitutum tempus ſtudioſè Donatiſtarum Epiſcopi declinaverint convenire trini edicti vocatione contumacium tempora concludantur. quibus emenſis atque tranſactis, ſi provocati adeſſe contempſerint, IV.

cedat cum Eccleſiis populus qui Doctores ſuos ſilentio cognoverint ſuperatos, & victum ſe aliquando gratuletur, ſciatque ſi oon præceptis noſtris, vel Catholicæ legis veris imperiis ſerviendum. Cui quidem diſputationi principe loco te judicem volumus reſidere. quicquid etiam antè in mandatis acceperis, pleniſſimè meminiſti, omnemque vel in congregandis Epiſcopis, vel evocandis, ſi adeſſe contempſerint, curam te volumus ſuſtinere: ut & ea quæ antè mandata ſunt & quæ nunc ſtatuta cognoſcis, probata poſſis implere ſolertia; id ante omnia ſervaturus, ut ea quæ circa Catholicam legem vel olim ordinavit antiquitas, vel parentum noſtrorum auctoritas religioſa conſtituit, vel noſtra ſerentias roboravit, novella ſubreptione ſubmota integra & inviolata cuſtodias. Ut ſanè adminicula competentia actibus tuis deeſſe non poſſint, viros ſpectabiles Proconſulem atque Vicarium ſerenitas noſtra commonuit, ut ſi propriarum dignitatum ſtatum cupiunt retinere, ſi apparitionem ſuam extrema declinare ſupplicia, tam ex propriis officiis, quàm ex omnium judicum apparitione, abunde oeceſſarios faciant deputari. Erit jam ſollicitudinis tuæ, ſi quid ulla cognoveris arte differri, miſſis relationibus indicare, ut negligentes puniat digna correctio. Omnia ſanè quæ vel in unum Epiſcopis congregatis diſputatio completa firmaverit, vel deſiſtentibus ſortè ſtatuerit circa contumaces lata ſententia, te referre conveniet, ut quid ad confirmandam Catholicam fidem præceptio noſtra profecerit, celeriùs poſſimus agnoſcere. *&* *divina manu:* Vale Marcelline chariſſime nobis. Data pridie Idus Octobris Ravennæ.

Marcellinus vir clarissimoa triaunus at notarius *dixit:* Recitata venerabilis lex geſtis præſentibus inſeratur, cujus definitio evidenter apparuit, unde nunc edictorum meorum per ordinem forma recitetur.

V. Martialis exceptor racitavit: Quid Clementiſſimus princeps Dominus noſter Honorius pro Catholicæ fidei confirmatione decreverit, antelatorum apicum tenore monſtratur. legaoonem ſiquidem venerabilium Epiſcoporum libenter accipiens Africam ſuo devotam ſemper imperio vario religionum genere diutius inquietari decolorarique non paſſus eſt. ſtudio namque pacis & fidei tantorum diſſidia populorum ex antiqua perſuaſione venientia veritatis voluit manifeſtatione ſedari, ut quos ſedare principalibus à ſe ſanctionibus prorogatis attrahi ad unam fidei ſenteotiam non poſſe pervidit, habita utrarumque partium diſceptatione revocaret. Cunctos etenim tam Catholicæ quàm Donatianæ partis Epiſcopos in unum voluit congregari, ut lectis ab utraque parte perioribus viris, certæ fidei veritate diſcuſſa ſuperſtitionem ratio manifeſta convincat: quatenus quicquid illud eſt quod pro ſuis partibus æſtimat unuſquiſque poſſe competere, proferatur in medium, & ſic germanæ, vel ſerò, fidei lux clareſcat. Conſona ſiquidem utriuſque partis petitio ad hanc principem ſententiam provocavit. Nam ſicut à Catholicis nuper collatio poſtulata eſt; ſic ante breviſſimum tempus Donatiſtarum Epiſcopos in judicio illuſtrium poteſtatum collationem poſtulaſſe non dubium eſt. Et quoniam libenter aſſenſum tribuit clementia principalis, & Concilium fieri intra Africam univerſale decrevit utriuſque partis juxta poſcentibus, huic me diſputationi principe loco judicem voluit reſidere. Unde cunctos per Africam tam Catholicæ quàm partis Donatianæ Epiſcopos hujus edicti tenore commoneo, ut intra tempus lege præſcriptum, id eſt intra quatuor menſes, qui dies intra diem Calendarum Juniarum ſine dubio concludetur, ad civitatem ſplendidam Carthaginienſem Concilii faciendi gratià convenire non differant, ne eam partem de merito propriæ fidei appareat judicaſſe, quam defuiſſe conſtiterit. Univerſos etiam cunctarum Provinciarum curatores, magiſtratus, & ordinis viros, nec non & actores, procuratores, vel ſeniores ſingulorum locorum, pari admonitione convenio, ſub propriæ exiſtimationis dignitatis reatu ſalutiſque periculo, quatenus in civitatibus locisque in quibus conſiſtunt, utriuſque partis Epiſcopos convenire, vel ſub geſtorum confectione, vel ſub cujuſlibet ſcripturæ documento exſtante, feſtinent: ita ut ſi ipſo in tempore in civitatibus non potuerint inveniri, per rura etiam perquiſitis tam Imperialis præcepti forma, quàm tenor hujus innoteſcat edicti, quatenus intra hos quatuor menſes ordinum relatione cognoſcam, ſingularum partium voluntatem. Illud etiam ſcire Donatianæ partis Epiſcopos volo, ſi quis eorum affuturum ſe eſſe reſponderit, Eccleſiam ſibi primitus cum omni jure ſuo quæ fortè à Catholicis juxta præceptum imperiale retinetur, ſine aliqua dilatione per viros ordinis mox tradendam. Si verò omnes vel ſinguli in locis ſuis poſiti ſe adfuturos eſſe reſponderint, & Eccleſias & ea loca quæ eorum fuiſſe vel eos tenuiſſe conſtiterit, per ſupradictorum ordinum inſtantiam eorum juri dominioque reddenda, ut reformato iiſdem primitus ſtatu, diſputationis inchoetur initium. Et quoniam tanti mihi negotii ſummam committere voluit Auguſtiſſimus Princeps, illud me quoque fateor libenter accipere, ut ſi de mea perſona aliquid cunctationis affertur, alium mecum judicem quem ipſi delegerint Donatianæ partis & fidei, vel ſuperioris, vel ſimilis dignitatis reſidere non abnuam. Sive autem cum alio ſive ſolus in hoc negotio judicaturus intereero, nihil aliud me, niſi quod allegationes partium examinatæ potuerint demonſtrare & quod veri invenerit fides, per admirabile myſterium Trinitatis, per Incarnationis dominicæ Sacramentum, & per ſalutem ſuprà memoratorum Principum judicaturum me eſſe promitto. Nec illam ſanè partem potui reticere, quatenus noverint, ſive pro Donatiſtis, ſive pro Catholicis fuerit lata ſententia, in nullo ſe Donatiſtarum Epiſcopos aliquam moleſtiam eſſe paſſuros, ſed liberos & ab omni injuriæ genere alienos ad propria redituros. quod me & per tremendum judicii diem, & per Sacramenta ſuperiùs memorata, ita facturum eſſe polliceor. Omnes autem qui ad ſingulas provincias fuerant deſtinati, noverint in nullo ſe quemquam deinceps Donatiſtarum aliquatenus convenire debere: vel aliquam iiſdem ſuperioris executionis moleſtiam generare, ni malunt pro contemptu recenoioris præcepti ſubjacere vindictæ. Erit autem omnibus Donatianæ partis hominibus, de eorum qui miſſi ſunt concuſſionibus & deprædationibus, ſi quas fortè admiſſas eſſe noverunt, liberum conqueri, ut in eos probata criminum qualitate, ultio digna procedat. *& alia manu:* Proponatur.

VI. Marcellinus vir clarissinius triaunus et notarius *dixit:* Lectum edictum geſtis præſentibus adhærebit, quo conſtat me evidentiùs obtuliſſe, ut ſi placeret electus à veſtra parte mecum alius cognitor reſideret. qui ſi præſto eſt, introire dignetur.

VII. Patilianus apiscopus *dixit:* Non

decet nos cognitorem eligere alterum, qui non petivimus primum. *& alia manu:* Recog.

VIII. MARCELLINUS VIR CLARISSIMUS TRIBUNUS ET NOTARIUS *dixit*: Evidentiſſimè præceptionis auguſtæ tenore declaratum eſt collationem non cognitorem fuiſſe poſtulatum, & arbitrio ſuo meæ mediocritatis judicium delegiſſe: cui neceſſe eſt me omnibus modis inſervire, cùm & ſanctitatem veſtram ideo conveniſſe manifeſtum ſit, ut ſatisfieret imperialibus conſtitutis.

IX. PETILIANUS EPISCOPUS *dixit*: Salvis omnibus quæ competunt nobis, & de perſona & in cauſa, proponant ii qui iſta elicere meruerunt. *& alia manu:* Petilianus Epiſcopus recognovi.

MARCELLINUS VIR CLARISSIMUS TRIBUNUS ET NOTARIUS *dixit*: Salvis atque incolumibus univerſis quæ legibus deferuntur, edictorum per ordinem, ſicut & prius ſtatui, formæ recitentur.

X. MARTIALIS EXCEPTOR RECITAVIT: Magnitudo hujus negotii, quod de veritatis ac religionis agnitione ſuſcipitur, etiamſi parum momenti ſui libraretur examine, convenerat tamen ipſa diſceptantium gravitate atque auctoritate penſari. Nulli enim habetur ambiguum, quanti ſit ponderis cauſa, quæ inter Epiſcoporum eſt diſcutienda perſonas. Sed cùm mihi cognitionem diſceptationis hujuſce crediderit Auguſta dignatio, eiſque judicem dederit, quibus inferiorem me eſſe, pro tanti nominis veneratione cognoſco, fidei ſollicitudinis meæ hac conſideratione proſpexi, ut de meo vellem judicio judicari. Hujus igitur auctoritate propoſiti omnes utriuſque partis Epiſcopos cenſui commonendos, ut antè cognoſcant, non amplius quàm ſeptenos ambarum Epiſcopos partium mutuæ inter ſe diſceptationis habituros eſſe colloquium, quos in officium diſputandi ſuarum partium ſubrogaret electio: Siquidem certum deligi ex partibus numerum præceperit imperialis auctoritas. Aderunt alii quoque ſepteni, delecti judicio ſuæ cujuſque partis Epiſcopi: qui ſervatâ primitus per omne colloquium moderatione ſilentii, ad hoc ſe tantùm intelligant intereſſe, ut ſi quis ex diſputationibus utrinque ſeptenis conferre conſilium cum ſuorum quoque voluerit, cum eodem illic ſecedat in partem, atque ibi communicata patienter ratione tractandi, proprium revertatur ad locum, fidem ſervaturus officii, ut alter, cui id neceſſe eſt, tacendo audienda commendet; alter cui id munus eſt, loquendo ſuſcepta confirmet. Erit autem collationi aptiſſimus locus Thermarum Gargilianarum; in quem die Kalandarum Juniarum eoſdem Epiſcopos ſolos qui deſignati ſunt oporteat convenire. Ex quo illud profectò perſpicuum eſt, eo nullum penitus populi fieri debere conventum, quo nec ipſos univerſos confluere ſinatur Epiſcopos. Nam cùm patientia diſputandi quæ ſoli amica ſilentio eſt, omnem catervatim agminis ſtrepitum perhorreſcat, nihil intereſt, utrum eam congeſtio populorum, an Epiſcoporum turba præpediat. Igitur Epiſcopi memorati ſoli in prædictum locum tempuſque conveniant: ita tamen ut reliqui omnes utriuſque partis Epiſcopi ante diem qui prædeſtinatus examini eſt, ratum ſe habituros quicquid à ſeptenis utique Coepiſcopis ſuis fuerit actitatum, Epiſtolis ad meam dicationem currentibus utrinque deſignent. Quibus Epiſtolis tamen etiam teſtimonium omnes apud me propriæ ſuſcriptionis adjungant. Æquiſſimum namque eſt, ut eorum univerſa collatio rata futura promittatur ab omnibus, qui eliguntur ab omnibus. Nullus ergo vel laicus, vel Epiſcopus ultra numerum præſtitutum in illum tranquilliſſimum Concilii locum contra prohibitum moliatur accedere, quin potius etiam plebes ſuas pia quietis ac modeſtiæ commonitione conveniant; hoc per Eccleſias proprias ante tractatores, quatenus à die diſputationis ac loco omnis ſe multitudo contineat, ut religioſo patientiæ magiſterio delinitum Chriſtianæ paci populum parent. Non ſolùm enim Epiſcopi, verùm etiam rationabilis in hanc ſententiam populus ipſe conſentit, diſputantibus ſupradictis: & ubi major occupatio mentium defixa conſiſtit, de veritate quærentibus, nihil turbidum, nihil tumultuoſum, nihil denique intempeſtivum debere prorſus obſtrepere. nam ut quod omnium ſaluti proficiat, fiat poſtea publicum, debet diſſentientibus veritatem præſtare ante ſecretum. à me verò ita per omnia promulganda ſententia eſt, ut in publicam dimiſſa notitiam, toto ſplendidæ Carthaginis populo judice ponderetur. Ita quippe oculis non ſolùm urbis hujuſce, verùm etiam univerſæ Provinciæ totus emenſæ ordo diſputationis pandetur, ut tam proſecutiones diſputantium Epiſcoporum, quam pronuntiationum mearum ſeries ſubſecuta, digeſtis in publico voluminibus explicetur. Hæc enim in judice ſecuritas fidei eſt, ut de ſe non timeat judicari. Ut igitur in eliciendæ veritatis examen non inſerpat aliquatenus calumnioſa ſuſpicio, lucemque perſpicuam quam mentibus publicis probationum evidentium fides abſoluta purgabit, nullis penitus nebulis cauſatio cujuſlibet partis obducat; id etiam contra ſuſpicionum fucos & commenta fallendi neceſſario proviſum. Noverint omnes non ſolùm oportere verùm etiam expedire ſervari, ſcilicet ut interfatibus meis me primitus per omnia ſuſcribente, etiam omnes diſputantes Epiſcopi ſuis in ſcheda proſecutionibus univerſis abſque ulla prorſus excuſatione ſubſcribant. Exigit enim meritum fidei, ut adverſus eum qui aſſertionibus ſuis perfidum forte ſubducere tentarit aſſenſum & inficiari quæ dixerit, etiam teſtimonii ſui conſiſtat auctoritas; ubi ſoli proficiat victoria veritati. Ii autem qui excipiendi funguntur officio præter eos qui dicationi meæ de publicis præſtolantur Officiis, etiam quaterni de ſingulis partibus Eccleſiaſtici alternis debebunt adſtare notarii: quorum fides ne qua vacillet ambage, quaterni Epiſcopi partium ſingularum delecti ſuorum judicio præponantur, ut eoſdem Exceptores ac Notarios pervigili ac ſollicita obſervatione cuſtodiant, quatenus cum eiſdem Exceptoribus ac Notariis egreſſi per vices, ſubinde faciant perſpicua digeri deſcriptione quæ dicta ſunt, ut nihilominus adhuc Epiſcopis ſupradictis in diſceptatione verſantibus, tranſeat in apices evidentes profligatæ pars aliqua quæſtionis, ut confeſtim ea cum à ſeptenis Epiſcopis ſubnexa ſubſcriptione, celerem expectationi publicæ tribuant notionem. Poſt primum autem collationis diem, deſcriptioni ſubſcriptionique geſtorum, locum diei ſubſequentis efficiet procraſtinata cognitio, ita ut ſi quid fortè præcedenti collationi ſuperfuerit, in diem tertium recurrat examen. Omne igitur ſpatium conferendi viciſſim diei unius intercapedo diſtinguet, quo poſſint in medio geſta ſubinde ſubſcribenda deſcribi, memoratorum præſtolante cuſtodia, qui hoc fine ſuum metiantur officium, non ut aliquid dicant, ſed ut dicta cuſtodiant. Donec autem emenſo exitu quæſtionum, omnes expedit, avertas enodet ambages ſchedas ſubinde ſcriptas pariter atque ſubſcriptas, tam mei ſigilli quàm illorum octo cuſtodum ſignabit impreſſio. Maximianiſtis etiam edicti hujus innoteſcat auctoritas, qua ſibi ab illo

Concilio intelligant temperandum, quod inter Catholicos Donatiſtaſque diſtingui omnem dijudicarique conflictum clementium principum præceptio religioſa conſtituit. Nec eis opitulari aliquatenus poteſt, quod ſibi Donatiſtarum nomine blandiuntur, cùm à Donatiſtis dicantur eſſe damnati. Si quis exiſtit qui adverſus omnes multifariæ ſuſpicionis inſidias proviſa ſollicitè, conſtituta fideliter, ordinata diligenter, tenor hujus propoſitionis amplectitur, quolibet obſervare noluerit, non ſolùm quid de cauſa ſua ſentiat confitetur, verùm etiam quid moliatur oſtendit. Sufficit interim cognitori talis prærogativæ, juſtitia hujus commonitionis circa univerſos Epiſcopos feciſſe populum ſibi plebis Carthaginienſis teſtem, quem mox eſt habiturus judicem. Superest ut ante Concilii diem univerſum hujuſce ordinationis tenorem, utrioſque partis Epiſcopi amputata penitus mora miſſis ad dicationem meam literis ſuis impleturos ſe eſſe promittant, hoc præcipuè maturaturi, ut eædem quibus ad omnia hujuſce edicti ſe conſenſiſſe profitebuntur Epiſtolæ primatium tantummodo Epiſcoporum ſubſcriptione ſignentur: Sufficit enim illis Epiſtolis univerſalem (ut ita dixerim) ſubſcriptionem Epiſcoporum omnium cohærere, quibus totum diſputationis ordinem conferentium ſeptenorum, ratum ſe habituros eſſe promiſerint.

XI. Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius *dixit*: Hoc quoque edictum ſuſcipiet corpus actorum. Ne quid autem fidei plenorum videatur deeſſe geſtorum, univerſa quæ à partibus medio tempore vel ſcripta ſunt, vel intimata judiciis, percurrat officium.

XII. Petilianus Episcopus *dixit*: Egiſti partes tuas vir nobilis, ut & partibus te juſtum futurum promiſeris eſſe, & auribus publicis popularem. Sed quia hæc omnia ante cauſam ſunt, non de cauſa, id primum à tua petimus poteſtate, ut is qui me acciri edictis, qui me de meis ſedibus evocari, qui me laborem itineris pati inquietavit, petita ut voluit proponat, cui meam deſideravit adeſſe præſentiam, ut noverim utrum vel quid debeam reſpondere. *& alia manu*: Petilianus Epiſcopus recog.

XIII. Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius *dixit*: Hæc ſuo loco & ordine rectius peragentur: interim quod ſtatui percurrat officium.

XIV. Romulus exceptor *recitavit*: Exemplum notariæ Donatiſtarum. Poſt Conſulatum Varanis Viri Clariſſimi Octavo KL. Jun. Flavio Marcellino Viro Clariſſimo & Spectabili Tribuno & Notario, Januarianus, Primianus, & cæteri ſinceræ Chriſtianitatis Epiſcopi & Catholicæ veritatis. Notum facimus ſinceritati tuæ, nos edicto tuo conventos, ex diverſis partibus Africæ convolantes, ingreſſos fuiſſe Carthaginem xv. die Kal. Juniarum. cujus noſtri adventus & omnes quos Carthago continet teſtes ſunt, & tua ſinceritas non ignorat. Tanta enim vis jurisjurandi tui edicto tuo expreſſa eſt, ut exceptis his quos adverſæ valetudines corporum in ſedibus retinent, aut ægritudo in via comprehendit, nec graviſſimos ſenes annoſitas, nec prolixi itineris labor valuerit prohibere. Quod cùm ſolum edictum ante cauſam ſufficeret, alterum quoque dignatus es edere, in quo cùm multa nos moveant, tum præcipuè magnam ſollicitudinem facit, quod nos ipſos, dicto tuo, Epiſtolis noſtris adſtipulati oportere cenſuiſti, cùm hoc nec mos publicus habeat, nec judicum conſuetudo. Qua de re ſinceritatem tuam plurimum exhortamur, ut prioris edicti fide ſervata, cunctos nos ad te venire præcipias, ut quamprimum de numero noſtro conſtet, quos adverſarii paucos eſſe ſæpe mentiti ſunt, ut ritè omnibus ordinatis quæ noſtris partibus competunt, diſceptatio ſubſequatur, ne aut edicta tuæ ſinceritatis impugnent, aut nobis quicquam præjudicet, ut cùm omnes venire præceperis, paucos nunc adeſſe velle videaris. Hoc enim decet & expedit, ut cunctis præſidentibus commune negotium pauci loquantur. Hujus Notariæ parem apud nos retinuimus. *& alia manu*: Januarianus Epiſcopus ſubſcripſi. *& alia manu*: Primianus Epiſcopus ſubſcripſi.

XV. Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius *dixit*: Alterius quoque partis recitetur Epiſtola.

XVI. Romulus exceptor *recitavit*: Honorabili ac dilectiſſimo Filio, Viro Clariſſimo & Spectabili Tribuno & Notario Marcellino, Aurelius, Sylvanus, & univerſi Epiſcopi Catholici. Edicto ſpectabilitatis tuæ, quo noſtræ collationis tranquillitati quietique ſervandæ, & veritati manifeſtandæ muniendæque conſultum eſt, in omnibus nos conſentire, ſicut admonere dignatus es, per has literas intimamus: hoc eſt de loco & tempore ipſius collationis, & de numero eorum quos præſentes eſſe oportebit. Conſentimus etiam, ut ii quibus conferendi delegamus officium, ſubſcribant proſecutionibus ſuis. Inque illo ſcripto quo eis hoc munus imponimus, ratumque nos habituros quod egerint, pollicemur, ſubſcriptiones omnium noſtrûm non ſolùm habeas factas, verùm etiam cùm fiunt, ipſe perſpicias: admonituri quoque Domino adjuvante, populum Chriſtianum, ut à collationis loco, quietis & tranquillitatis gratiâ, ſuum abſtineat omnino conventum, & ea quæ aguntur non cum aguntur, audire feſtinet, ſed conſcripta ut cognoſcat, expectet, ſicut ea te prolaturum omnibus promiſiſti. Illa etiam veritate confiſi, nos vinculo conditionis obſtringimus, ut ſi nobis ii cum quibus agimus, demonſtrare potuerint, cùm ſecundum Dei promiſſa populi Chriſtiani uſquequaque creſcendo jam magnam partem orbis implerent, & in cætera dilatarentur implenda, ſubito Eccleſiam Chriſti neſcio quorum quos iſti accuſant, peccatorum periiſſe contagio, & in ſola remanſiſſe parte Donati: ſi hoc ut dictum eſt demonſtrare potuerint, nullos apud eos honores Epiſcopalis muneris requiremus, ſed eorum ſequemur, pro ſola æterna ſalute, conſilium, quibus tanti gratiam beneficii pro cognita veritate debebimus. Si autem nos potius valuerimus oſtendere Eccleſiam Chriſti omnium non ſolùm Africanarum, verùm etiam tranſmarinarum Provinciarum multarumque gentium ſpatia feraciſſima populorum copia jam tenentem, & ſicut ſcriptum eſt, toto mundo fructificantem atque creſcentem, nullorum hominum ſibi commixtorum peccatis perire potuiſſe: ſi denique ipſorum quos tunc accuſare voluerunt potius quàm convincere valuerunt, quæſtionem demonſtraverimus eſſe finitam: quamvis non in eis Eccleſiæ cauſa conſiſtat, & Cæcilianum innocentem, illos autem violentos & calumnioſos eſſe judicatos ab eo imperatore ad cujus examen criminationes ſuas ultro accuſando miſerunt: poſtremo ſi quicquid de peccatis quorumlibet hominum dixerint, vel humanis documentis vel divinis probaverimus aut eorum innocentiam falſis criminibus adpetitam, aut Chriſti Eccleſiam, cujus communioni cohæremus, nullis eorum delictis

eſſe

eſſe deſtructam, ſic ejus nobiſcum teneant unitatem, ut non ſolùm viam ſalutis inveniant ſed nec honorem Epiſcopatus amittant. Neque enim in eis divinæ Sacramenta veritatis, ſed commenta humani deteſtamur erroris: quibus ſublatis fraternum pectus amplectimur, Chriſtiana nobis charitate conjunctum, quod nunc dolemus diſſenſione diabolica ſeparatum. Poterit quippe unuſquiſque noſtrûm honoris ſibi ſocio copulato, viciſſim ſedere eminentiùs, ſicut peregrino Epiſcopo juxta conſidente collega. Hoc cùm alternis Baſilicis utriſque conceditur, uterque ab alterutro honore mutuo prævenitur: quia ubi præceptio charitati, dilataverit corda poſſeſſio pacis non fit anguſta, ut uno eorum defuncto, deinceps jam ſingulis ſinguli, priſtino more, ſuccedant. nec novum aliquid fiet. nam hoc ab ipſius ſeparationis exordio, in eis qui damnato nefariæ diſciſſionis errore unitatis dulcedinem vel ſerò ſapuerunt, Catholica dilectio cuſtodivit. aut ſi fortè Chriſtiani populi ſingulis delectantur Epiſcopis, & duorum conſortium, inuſitata rerum facie tolerare non poſſunt, utrique de medio ſecedamus, & Eccleſiis in ſingulis damnatâ ſchiſmatis causâ, in unitate pacifica conſtitutis, ab his qui ſinguli in Eccleſiis ſingulis invenientur, unitati factæ per loca neceſſaria ſinguli conſtituantur Epiſcopi. Quid enim dubitemus redemptori noſtro ſacrificium iſtius humilitatis offerre? An verò ille de cęlis in membra humana deſcendit, ut membra ejus eſſemus, & nos, ne ipſa ejus membra crudeli diviſione laniemtur, de cathedris deſcendere formidamus? propter nos nihil ſufficientiùs, quàm Chriſtiani fideles & obedientes ſimus: hoc ergo ſemper ſimus. Epiſcopi autem propter Chriſtianos populos ordinamur. quod ergo Chriſtianis populis ad Chriſtianam pacem prodeſt, hoc de noſtro Epiſcopatu faciamus. Si ſervi utiles ſumus, cur Domini ęternis lucris pro noſtris temporalibus ſublimitatibus invidemus? Epiſcopalis dignitas fructuoſior nobis erit, ſi gregem Chriſti magis depoſita collegerit, quàm retenta diſperſerit. Nam qua fronte in futuro ſeculo promiſſum à Chriſto ſperabimus honorem, ſi Chriſtianam in hoc ſeculo noſter honor impedit unitatem? Hæc propterea præſtantiæ tuę ſcribenda curavimus, ut & per te innoteſcant omnibus: poſtulamus ut in adjutorio Domini Dei noſtri, quo admonente iſta promittimus, & quo adjuvante nos implere poſſe confidimus. etiam ante collationem, ſi fieri poteſt, corda hominum vel infirma vel dura, pia charitas, aut ſanet, aut edomet. Ac ſic jam pacificis mentibus non reſiſtamus manifeſtiſſimæ veritati, & diſputationem noſtram vel præcedamus concordiâ, vel ſequamur. Neque enim deſperare debemus, ſi recolunt, Beatos eſſe pacificos, quoniam ipſi filii Dei vocabuntur, multo digniùs & faciliùs eos velle ut pars Donati univerſo orbi Chriſtiano reconcilietur, quàm univerſus orbis Chriſtianus à parte Donati rebaptizetur: cùm præſertim de Maximiani ſacrilego & damnato ſchiſmate venientes, quos etiam terrenarum poteſtatum juſſionibus inſectando emendare curarunt, tanta dilectione quæſierant, ut nec Baptiſmum ab eis datum reſcindere auderent, & quoſdam eorum damnatos, ſine ulla honoris eorum diminutione ſuſciperent, quoſdam verò in illius diſciſſionis ſocietate impollutos fuiſſe cenſerent. Quorum inter ſe concordiæ non invidemus; ſed eos certè oportet advertere, quàm piè tanto ſtudio ramum à ſe fractum radix Catholica inquirit, ſi ramus ipſe ſimiliter à ſe parvum fragmen inciſum ſic colligere laboravit. *Et alia manu:* Optamus te fili in Domino benevalere. Aurelius Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ Carthaginienſis, huic Epiſtolæ ſubſcripſi. *Item alia manu:* Silvanus ſenex Eccleſię Summenſis ſubſcripſi. *Item recitavit.*

Fl. Marcellinus vir clariſſimus et ſpectabilis tribunus et notarius: Quoniam juſtitia dictante vel fide ſemel me ſpopondiſſe commemini, quidquid cum utriuſque partis Epiſcopis geſſero in publicam tranſmiſſurum me eſſe notitiam, cauſa mihi repetendorum naſcitur edictorum. Nam cùm ſuperioris forma programmatis ea digeſta contineat, quibus ordinata cognitio inoffenſum ſequatur tramitem judicandi; neceſſarium eſſe cenſueram, quid ſuper eodem pars utraque ſentiret edicto ab univerſis Epiſcopis flagitare: qui dicationi meæ partim per notoriam, partim per Epiſtolam reſcribentes, quid ſuper conditionibus nuper propoſitis ſentiant intimarunt. Cujus vel epiſtola, vel notariæ quemadmodum ſe forma contineat, offerendum publicis obtutibus judicavi, ut quid vel præcedentis edicti textus exegerit, vel ſingulatum partium reſponſione relatum ſit, ubi totius populi conſideraret agnitio, qualiter ſe habeat examinantis intentio perſpicuè poſſit advertere. *Quo indito, item recitavit:* XVII

Honorabili ac dilectiſſimo filio viro clariſſimo ac ſpectabili tribuno et notario Marcellino: Aurelius Silvanus & univerſi Epiſcopi Catholicæ. Multùm nos ſollicitos reddidit notoria, vel literæ fratrum noſtrorum, quos cupimus ad Catholicam pacem à pernicioſa diſſenſione converti; quod edicto nobilitatis tuæ, quo ipſius diſputationis noſtræ tranquillitati quietique providiſti, conſentire noluerunt: ne fortè etiam ſi non omnes, aliqui tamen eorum per multitudinis tumultum ſeu ſtrepitum, collationem, quæ pacifica & pacata eſſe debet, impediant. Atque utinam ipſos non pertentet iſta cogitatio, & nos potius fallat iſta ſuſpicio: & ideo ſi velint omnes eſſe præſentes, ut cùm eis viſum fuerit, congregatis illuc etiam nobis, ſimul inde egrediamur concordes atque pacati, & ſchiſmatica diviſione correcta, fraterno unitatis Chriſti vinculo obſtricti, mirantibus & gaudentibus omnibus bonis, dolente autem ſolo diabolo & ſimilibus ejus, pariter in Eccleſiam ad gratiarum actionem, laudeſque Deo reddendas ardentiſſima & lucidiſſima charitate pergamus. Quid enim magnum eſt ſi oculus pacatus attendat, & cogitatio Chriſtiana non deſerat, conſiderare & videre remotis humanis criminationibus ſeu veris, ſeu falſis, in eis literis Eccleſiam eſſe quærendam ubi Chriſtus redemptor ejus innotuit? Nam ſicut non audimus contra Chriſtum eos qui dicunt corpus ejus de ſepulchro furatum à diſcipulis, ſic non debemus audire contra ejus Eccleſiam, eos qui dicunt, non eam eſſe niſi in ſolis Afris & Aſtorum pauciſſimis ſociis. Apoſtolus quippe dicit, quoniam veraces Chriſtiani membra ſunt Chriſti. Sicut ergo non credimus furto cujuſquam periiſſe carnem Chriſti mortuam de ſepulchro, ſic credere non debemus peccato cujuſquam viva ejus membra periiſſe de mundo. Non eſt itaque difficile. quoniam caput eſt Chriſtus, & corpus Eccleſia ſimul in Evangelio commendatum videre, & caput contra calumnias Judæorum, & corpus contra criminationes hæreticorum. Nam quod legitur, Oportebat Chriſtum pati & reſurgere à mortuis tertio die, contra eos eſt qui dicunt mortuum de ſepulchro eſſe ſublatum; quod autem ſequitur, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam & remiſſionem peccatorum per omnes XVIII

gentes incipientibus ab Hieruſalem, contra eos eſt qui dicunt non eſſe Eccleſiam in orbe terrarum: ut uno brevi capitulo paucïſque verbis, & inimicus capitis, & inimicus corporis repellatur, &, ſi fideliter attenderit, corrigatur. Nam tenere iſtas inimicitias fratres noſtros tantò magis dolemos, quantò magis eos conſtat eaſdem ſcripturas nobiſcum tenere, quibus hæc apertiſſima teſtimonia continentur. Judæi quippe qui negant reſurrexiſſe Chriſtum, ſaltim non accipiunt Evangelium: iſti autem fratres noſtri, utriuſque teſtamenti auctoritate devincti ſunt: & tamen criminari nos volunt de Evangelio tradito, & nolunt ei credere recitato. Sed nunc fortaſſe hujus collationis cura ſuſcepta diligentiùs perſcrutati ſunt ſcripturas ſacras, & quia in eis innumerabilia teſtimonia repererunt, quibus promiſſa eſt Eccleſia futura in omnibus gentibus & toto orbe terrarum, ſicut eam reddi & præſentari cœpiſſe in Evangelio & Epiſtolis Apoſtolicis & in actibus Apoſtolorum videmus, ubi & ipſa loca, & civitates, & Provinciæ leguntur per quas crevit, incipiens ab Hieruſalem, ut inde ſe etiam in Africam non migrando, ſed creſcendo diffunderet. Non autem invenerunt aliquod teſtimonium divinorum eloquiorum, ubi dictum eſt eam perituram de cæteris partibus mundi & in ſola Africa Donati parte manſuram: & viderunt quam ſit abſurdum, pro illa quæ fuerat peritura, tot teſtimonia divina recitari: pro ea verò quæ, ſicut putant, fuerat Domino placitura, nullum ejus teſtimonium reperiri. Hæc fortè cogitantes, ad finiendas vanas & pernicioſas & ſaluti æternæ contrarias inimicitias, ad locum collationis noſtræ omnes convenire voluerunt, non ut tumultus novus oriatur, ſed ut vetuſta diſcordia finiatur. Nam & illud quo in nos ſolent graviter irritari, quòd reges terræ, quos tanto ante prædictum eſt Chriſto Domino ſerviturοs, leges contra hæreticos & ſchiſmaticos pro Catholica pace conſtituunt, credimus quòd aliquando cogitaverint, non eſſe culpandum, quia & antiqui reges non ſolùm gentis Hebraicæ, ſed etiam alienigenæ, ne quiſquam contra Deum Iſraël hoc eſt verum Deum non tantùm faceret, ſed vel diceret aliquid, omnes regni ſui populos præceptis minaciſſimis terruerunt, & majores iſtorum ipſam Cæciliani cauſam, unde nata eſt iſta diſſenſio, ad Conſtantinum Imperatorem per Anulinum Proconſulem accuſando miſerunt: quod utique non ob aliud videntur feciſſe, niſi ut Imperator Conſtantinus contra eos qui ſuperati eſſent, eis qui ſuperaſſent, aliquid regali auctoritate decerneret, totamque ipſam cauſam potuerunt & fortè fecerunt ipſius collationis neceſſitate, Archivis publicis perſcrutatis invenire olim eſſe finitam, poſt Eccleſiaſtica judicia, quibus abſolutus eſt Cæcilianus, illo etiam imperatore judicante, ad cujus examen rem totam & primò miſerunt & poſtea perduxerunt. Ibi potuerunt etiam cauſam Felicis Aptugnenſis ordinatoris Cæciliani, quem malorum omnium fontem in Concilio ſuo dixerant, cognoſcente Eliano Proconſule ex præcepto ejuſdem imperat. invenire purgatam. Quanquam & hoc ſi attenderunt, &, quod facile fuerat, adverterunt, in ſcripturis ſanctis Eccleſiam Chriſti permixtis zizaniis & palea & piſcibus malis futuram eſſe promiſſam uſque ad tempus meſſis, ventilationis, & litoris, utiq; cogitare potuerunt etiamſi malam cauſam Cæcilianus & coëpiſcopi ejus habuiſſent, nihil eos præjudicare potuiſſe orbi Chriſtiano quē Deus paucis credentibus tantò antè promiſit, & nunc multis videntibus reddidit. Niſi fortè plus contra Eccleſiam valuit homo peccans, quàm pro Eccleſia Deus jurans, & iniquitas quod amiſit, quàm veritas quod promiſit. Hæc ſentire quam ſit ſtultum & impium jam fortaſſe viderunt: cogitaverunt quoque damnatos à ſe Maximianiſtas Primiani damnatores per poteſtates terrenas etiam de Baſilicis curaſſe pellendos, & ibi certiùs exemplo ſuo recentiore didicerunt non eſſe peccatum, ſi tale aliquid Eccleſia contra rebelles ſuos ab hujuſmodi poteſtatibus poſtulat, & quòd aliquos ex damnatis poſtea receperunt, quos cùm damnarent, aliis etiam plurimis in eadem ſocietate ſchiſmatis conſtitutis dilationem dederunt, quos in Maximiani ſacrilegi ſurculi communione impollutos manſiſſe dixerunt, & baptiſmum vel à damnatis, vel à ſociis eorum, quamvis foris in ſchiſmate datum reſcindere atque iterare non auſi ſunt, ſatis utique judicarunt ea quæ contra nos dicebant, exemplo ſuo eſſe damnata. & credendum eſt quòd jam intelligant quam ſit indignum, quàm intolerabile, ut cùm ſedeant in cathedris Epiſcopalibus cum iſtis & cum ipſo ſimul Primiano damnatores ejus & damnati in cauſa ejus, ut ſit pax in parte Donati, de Cæciliano infametur orbis Chriſtianus ne in pace vivat unitas Chriſti. Hæc omnia fortaſſe cogitantes & Dei timore permoti omnes collationis loco adeſſe voluerunt, non tumultus diſpoſitione, ſed pacis. Quòd enim præterea ſe univerſos adeſſe dixerunt, ut eorum numerus appareat, quoniam eos paucos eſſe adverſarii ſui ſæpe mentiti ſunt, hoc ſi aliquando à noſtris dictum eſt, de his locis dici veriſſimè potuit, ubi noſtrorum coëpiſcoporum & clericorum atque laicorum longè major eſt numerus, & maximè in Proconſulari Provincia: quanquam, excepta Numidia Conſulari, etiam in cæteris Provinciis Africanis noſtrorum numero facillimè ſuperentur, aut certè, in comparatione omnium gentium per quas Catholica communio dilatatur, eos eſſe pauciſſimos rectiſſimè dicimus. Sed nunc ſi numerum ſuum innoteſcere voluiſſent, nonne ordinatiùs atque tranquilliùs innoteſceret per eorum ſubſcriptiones, quas ut mandato ſuo, te cernente, ſubjungant, edicto admonuiſti? Quid ſibi ergo vult quòd collationis loco omnes adeſſe deſiderant? Si enim pacem non cogitant, quid non perturbabunt locuturi? aut quid illic facient tacituri? Nam etiamſi clamor non ſit, ſolus ſuſurrus ipſe multorum, ſatis magnum ſtrepitum faciet, quo impediatur illa collatio. Quid eſt autem quod in notaria ſua ponendum putarunt, ideo ſe juſtè flagitaſſe ut omnes adeſſent, quia omnes conventi ſunt ut venirent: quaſi poſſent eligi pauci qui adeſſe deberent niſi ab omnibus qui veniſſent, ut eorum electioni te præſente ſubſcriberent, ac ſic in paucis omnes eſſent cùm ab omnibus pauci electi eſſent. aut ergo tumultus ab eis cogitatur, aut pax: quorum illud optamus, illud cavemus: & ideo ne fortè, quod abſit, hoc præparetur potius quod cavemus quàm quod optamus. conſentimus adeſſe omnes illos, ut tamen à nobis tantus adſit numerus, quantus tuæ ſpectabilitati ſufficere viſus eſt. ut tumultuoſū perturbas ſi quid emerſerit, non niſi eis rectè imputetur, in quorum parte præſens fuerit. Ad rem quæ à paucis agenda eſt, omnino ſuperflua multitudo. Si autem quod votis omnibus cupimus, quod ardenter appetimus, quod ſuppliciter à Domino deprecamur, cauſa unitatis faciendæ illa erit neceſſaria multitudo, cùm voluerint, omnes aderimus. & ad tantum bonum, illo adjuvante qui hoc donat, alacriter convolabimus, dicentes, Fratres noſtri eſtis, non jam eis qui nos deteſtantur, ſed qui odio finito amplectuntur, ut nomen Domini honorificetur, & appareat illis in jocunditate

jam nobiſcum experientibus quàm bonum ſit & jucundum fratres habitantes in unum. *& alia manu.* Optamus te, fili, in Deo bene valere. *item alia manu :* Aurelius Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ Carthaginenſis ſubſcripſi. *Item :* Sylvanus primæ ſedis Provinciæ Numidiæ ſubſcripſi.

XIX. MARCELLINUS V. C. TRIBUNUS ET NOTARIUS *dixit :* Evidenter apparuit edicto dicationis meæ numero præſtito quem ex omnium voluntate ſuſciperent, curam negotii peragendam, quoniam id etiam ſacratiſſimam legem voluiſſe ejus recitatio patefecit: Et quia Catholicos Epiſcopos ad edicti tenorem conſenſiſſe monſtratum eſt, utrum etiam Epiſcopi partis alterius de hac re ſatisfecerint, vel utrum nunc ſatisfacere velint, intimare dignentur.

XX. EMERITUS EPISCOPUS *dixit :* Acta eſt, ut arbitror, cauſa & adhuc confligentium non eſt ſtatuta perſona. Tibi enim judicum veriſſime, nihil aliud incumbit quàm tenere veritatem. Si enim omnium negotiorum avertamus inſtantiam, primò de tempore, de mandato, de perſona, de cauſa, tunc demum ad merita negotii veniendum eſt. Quòd ſi prætermiſſis iſtis, ſecundùm forenſes faſces jactantiamque illius controverſiæ quam tribunalia ſibi vindicant, ſemper legalis nobis ritus ac ſermo ſervandus eſt, judica vir ſublimis in negotio Chriſtiano : quia huic cauſæ judicat Deus, qui & noſtra merita & veri judicis ſententiam æquâ ponderans librâ, ne immergat, attendit. Edictis enim propoſitis præſentiæ tuæ quantùm ad judicis voluntatem pertinet, nihil temerè, nihil incongruè, nihil adversùs aliquem videmus eſſe prolatum quantùm ad reſponſiones noſtras : quoniam ante cauſam ſuperfluè & ante merita principalis negotii ſupervacua eſſe noſcuntur, neque mihi noſtra propoſitio, neque illorum reſponſio officere poteſt, cùm, ſalvis omnibus ante cauſam nunc limen ingreſſi judicii. quæ ſint merita negotii definire valeamus. *& alia manu.* Emeritus Epiſcopus recognovi.

XXI. MARCELLINUS VIR CLARISSIMUS TRIBUNUS ET NOTARIUS *dixit :* Conſtat de cauſa nihil penitus mutilatum, cùm ea tantùm quæ ante ſcripta vel geſta ſunt, præceperim recitari. Unde quoniam certus partibus numerus conſtitui debere præceptus eſt, utrum edicto paritum ſit, ſicut ſuperiùs interfatus ſum, venerabilitas veſtra intimare dignetur.

XXII. EMERITUS EPISCOPUS *dixit :* Admoniti quidem integritatis tuæ edictis, omnia integra & illibata cauſa ſervabimus. Hanc cauſam, ſi tempus, ſi dies patitur, intimamus. Scimus enim & edicto ſpectabilitatis tuæ, & ſacri tenore reſcripti, intra quatuor menſes cauſam debere finiri. Si iſte eſt dies, veniamus ad cauſam. Non poſſumus etenim quicquam de meritis diſceptare, niſi primò de die fuerit judicatum. *& alia manu :* Emeritus Epiſcopus recognovi.

XXIII. MARCELLINUS VIR CLARISSIMUS TRIBUNUS ET NOTARIUS *dixit :* Ex edicto ſecundo diem cognoſcere potuiſti, qui dies Kal. Juniarum videtur eſſe conſtitutus, quoniam hunc eſſe hodiernum etiam ſuggeſtio patefecit officii, & recitatio monſtravit edicti. Supereſt, utrum de ordinando negotio à veſtris partibus eligendiſque perſonis ſatisfactum ſit, intimetur. Siquidem in confuſa multitudine, certa non poſſit eſſe perſona, cùm hoc conſtet etiam legibus definitum.

XXIV. EMERITUS EPISCOPUS *dixit :* Diem negotii utrum terminus edictalis incluſerit, an forma imperialis præcepti, N. T. debet judicio definiri. *& alia manu :* Emeritus Epiſcopus recognovi.

XXV. MARCELLINUS VIR CLARISSIMUS TRIBUNUS ET NOTARIUS *dixit :* Ex edicto dies eſt conſtitutus, ſecundùm formam judicii principalis. & quoniam non eſt in his diutius immorandum, supereſt ut in electione ſatisfaciatis cæleſtibus conſtitutis.

XXVI. EMERITUS EPISCOPUS *dixit :* Forma Præcepti talis eſt, ut intra quatuor menſes cauſa dicatur. ſi ſecundùm hanc formam ſubl. t. edictum eſt conſtitutum, ſupereſt ut ſuggerente officio . in medium cauſa mittatur. *& alia manu :* Emeritus Epiſcopus recognovi.

XXVII. MARCELLINUS VIR CLARISSIMUS TRIBUNUS ET NOTARIUS *dixit :* Officium ad quæſita reſpondeat. NAMPROS SCRIBA *dixit :* Secundùm diem edicti N. T. quartus menſis concluſus eſt, die xiiij. Kal. Juniarum.

XXVIII. MARCELLINUS V. C. TRIBUNUS ET NOTARIUS *dixit :* Cùm partes Carthaginem utræque veniſſent, in hunc eas diem conſenſiſſe non dubium eſt. Siquidem nulla ſuper hac parte videatur aut dilatio poſtulata, aut judicium flagitatum.

XXIX. PETILIANUS EPISCOPUS *dixit :* Nos ad hanc urbem xv. Kal. die Juniarum veniſſe, & notoria noſtra ſignavimus, & omnem non dico Carthaginem, ſed Africam fecimus teſtem. qui ſi non adeſſemus, jam pars adverſa ſine dubio flagitaret in contumaces dicendam eſſe ſententiam, tempuſque jam fuiſſe definitum, quo nec poſt venientibus agere quicquam aut reſpondere licuiſſet. Si igitur vir nobilis mediam ſemper libram judicii tui ſuſpenſam ita tenes ac regis, ut nullam in partem vergat aliquid gratiam illam qua tibi conditionem atque præceptum imperiali auctoritate cognoſcis eſſe permiſſum, ut ferre poſſis in contumaces ſententiam : Nunc te judicialis illo motu illa quæ puta ceſſura animadvertere oportebit, contra hanc partem te ferre judicium, quæ deſtitit, quæ non adfuit, quæ delectata eſt laboribus meis, quæ in hoc quoque mihi inſultavit, ut diu chorus iſte ſanctiſſimus Senatus cœleſtis ſpectaret judicii tui auctoritatem, excubaret penè quotidie, ipſaque Dei, quæ ſacra ſunt, ſine ſollicitudine non geſſiſſet. Feras igitur quæſo judicium, promaſque ſententiam, non dico acriorem quam adversùm me ferre potueras, ſed quam tibi leges & imperiale præceptum intimant, quamque præcipiunt. Non enim faseſt, ut qui contra nos poſſes ferre judicium, nunc contra adverſarios meos ſententiam valeas denegare. *& alia manu :* Petilianus Epiſcopus recognovi.

XXX. MARCELLINUS VIR CLARISSIMUS TRIBUNUS ET NOT. *dixit :* Sanctitatem atque peritiam tuam latere non credo id imperiali præceptione fuiſſe conſtitutum, ut ea pars quæ trini edicti conventione adeſſe noluiſſet, ſententiam contumacis incurreret. Perpenſâ enim Clementiſſimus Imperator moderatione conſtituit, ut ſi longinquitate itineris quarto menſe partes ad conſtitutum locum venire minimè potuiſſent, duum menſium induciæ præſtarentur. Quam quidem rem, ne alicujus partis querela videretur exiſtere, videor cuſtodiſſe: Unde de tempore, quoniam magis forenſis eſt quàm Epiſcopalis objectio, quæ quidem nec in publico judicio ſecundum formam imperialis præcepti prævalere potuiſſet, cùm partes utraſque obſervaſſe ſat clareat, ſicut ſuperiùs interfatus ſum, utrum electi ſint qui peragere poſſent ex omnium voluntate negotium, intimare dignamini.

XXXI. Emeritus Episcopus *dixit*: Cauſæ præſcriptio eſt judicis ſermo. ſervari forenſem uſum conſuetudinemque jurgandi inter Epiſcopos non oportere nutare illam verſutiam legum juriſque controverſiam, ubi de fidei ſtatu & de totius ſanctitatis diſceptatione tractatur. quod quidem caſtis & bene credulis auribus accipimus, vir ſpectabilis. ſed ne fortè in perniciem noſtram iſta replicentur, juſque tranſeat ad adverſarios iterum confligendi, adferaturque nobis hoc juris præcepto ſervato: in hanc formam legis conſentire debes, hoc ipſum judiciaria auctoritate defige, Epiſcopalis nos moris regula ſanctitati adeſſe debere, ut non præſtigiis juris, neque ligaminibus cujuſque facundia, ſed teſtamento novo ac veteri, quod inſtituit Deus, quod ſacravit Dominus Chriſtus, cauſa poſſit audiri. *& alia manu*: Emeritus Epiſcopus recognovi.

XXXII. Marcellinus vir clariſſimus tribunus et notarius *dixit*: Ne quid inordinatè fieri videatur, quoniam hoc & ipſum veritatis regulâ continetur, & legum dictat auctoritas, prius eſt ut perſonarum numeros deſignetur: tunc demum ea quæ partibus competunt, per eos qui firmati fuerint rectius peragentur: Ne hæc inter incertas perſonas videantur infirma.

XXXIII. Emeritus Episcopus *dixit*: Cùm omnes qui mandaturi ſunt adſtare videantur, magiſque perſona præſentium quam ſermo teneatur abſentium, quid eſt quod poteſt movere judicia cum ſtatutis omnibus quæ primo ex lege deſcendunt, quæque initium cauſæ facere conſueverunt, tunc demum ad delectionem defenſorum ſecundum edictum ſublimitatis tuæ arbitrium veniamus? *& alia manu*: Emeritus Epiſcopus recognovi.

XXXIV. Marcellinus V. C. tribunus et notarius *dixit*: Nunquam habere potuit certam multitudo perſonam, cùm hoc etiam in publicis actionibus atque corporibus ſoleat cuſtodiri, ut per ordinatas atque firmatas omnia peragantur.

XXXV. Emeritus Episcopus *dixit*: Teneo fidem tuam, vir ſublimis, nihil mihi de juris lege præſcribi, ubi agitur de fide. *& alia manu*: Emeritus Epiſcopus recognovi.

XXXVI. Marcellinus V. C. tribunus et notarius *dixit*: Interloquutione mea non jos ceſſare debere, ſed forenſem contentionem, apertiſſime definivi. Neque enim poſſunt aliqua quæ competunt partibus denegari: ſed ſi hoc utrarumque partium conſenſus habet, ut nihil de jure publico, ſed omnia Eccleſiaſticis regulis, id eſt novi & veteris teſtamenti teſtimoniis peragantur, pars utraque deſignet.

XXXVII. Petilianus Episcopus *dixit*: Optimus moderator. *& alia manu*: Petilianus recognovi.

XXXVIII. Aurelius Episc. Eccl. Cathol. *dixit*: Quoniam ſecundum N. T. edictum non omnes noſtri collegæ adſunt, illi obtemperantes edicto, & voluntas cunctorum mandato continetur, jube hoc idem mandatum ab officio ſuſcipi & recitari. *& alia manu*: Recognovi.

XXXIX. Emeritus Episcopus *dixit*: Si jubes, competit cauſa, per integritatem tuam. *& alia manu*: Emeritus Epiſcopus recognovi.

XL. Marcellinus vir clariſſimus tribunus et notarius *dixit*: Aliud conſtat eſſe quæ ſit V. V. T. utrum à jure publico recedi velitis & totum divinis legibus agitari, veſtris profeſſionibus demonſtretis.

XLI. Aurelius Episcopus Ecclesiæ Catholicæ Carthaginensis *dixit*: Inveniet hoc ipſum ſublimit. T. cùm hoc mandatum fuerit recitatum. *& alia manu*: Recognovi.

XLII. Marcellinus vir clariſſimus tribunus et notarius *dixit*. Et hoc mandato evidentiſſimè continetur, ut omiſſâ juris publici controverſiâ omnia divinis legibus peragantur.

XLIII. Aurelius Episcopus Ecclesiæ Catholicæ Carthag. *dixit*: Recitatio mandati ſenſus tuos poterit informare. *& alia manu*: Recognovi.

XLIV. Petilianus Episcopus *dixit*: Legem Dei repudiat, qui dubitavit quod debeat profiteri. *& alia manu*: Petilianus Epiſcopus recognovi.

XLV. Marcellinus vir clariſſimus tribunus et notarius *dixit*: Ego hæc partium volui reſponſione firmari. cæterum certum eſt me, quoniam imperiali præcepto omnia nunc aguntur, per quod jura conſtituta ſunt, omnino non poſſe.

XLVI. Aurelius Episcopus Eccl. Cathol. Carthag. Legem Dei non repudiamus cùm hoc mandatum ingerimus legendum, in quo poteſt omnis noſtra aſſertio perdoceri. Nec enim egredi poſſumus limitem iſtius mandati, quod nobis patres vel fratres noſtri univerſalis Concilii Eccleſiæ Catholicæ, hic apud Carthaginem conſtituti mandarunt. *& alia manu*: Recognovi.

XLVII. Emeritus Episcopus *dixit*: Fidei cauſa eſt, quæ & ſine mandato ipſo jure agi poteſt. Neque enim alibi oculos habet Deus, aut deſeruit cælum ne intendat cauſam ſuam: quid eſt quod de mandato, vel de obligatione mandati, de ſubſcriptione, de nodo, de formulis, quæritur? quid eſt quod in hac cauſa quaſi aut refragantis, aut non mandati judicialis ſponſio arbitrium flagitat: cùm ſinguli quique propriam cauſam, & ſalutis ſuæ negotium gerant, ſuperfluumque ſit cæterorum mandatum, cùm in uno conſtet Eccleſiæ tota perſona? advertat, vir nobilis, integritas tua, quàm in iſta ſede jam quodam lumine coruſcare cognoſcimus, veritatem ita præſidere debere, ut ſi forenſis altercatio juriſque conflictus in medio mittitur, proponatur: ſin autem ſimplex illa veritas qua datur vita, qua renaſcitur ſeculum, qua liberatus eſt mundus, in hoc judicio ſpiritali altercatione conquiritur, quæſo, vir ſublimis, utrumque proponant & de utroque unum eligant. Aut enim merita juris omittere non poſſunt, præſcriptionemque cauſarum: aut ſi de illis ſacratiſſimis legibus, quibus communis reverentia eſt adhibenda, patientia ipſas magis amplectar & teneam, & quaſi cæleſtis aræ pontificatum adorem ſemper ac venerer, ut & tibi integro cognitori ſecundùm inſtitutum mentis tuæ morſque ordinem certa ſit cauſa judicandi, nec fluctuet judicium tuum, de quo eſt Deus & populus judicaturus. *& alia manu*: Emeritus Epiſcopus recognovi.

XLVIII. Fortunatianus Episc. Eccl. Cathol. *dixit*: Catholica Eccleſia quæ toto ſicut terrarum orbe promiſſa eſt, diffunditur, cùm adverſæ parti ſemper de fide obtuliſſet & de actione quam nobis criminosè objiciunt, collationem, & ſcriptis publicis, & teſtimoniis multorum, & conventione magiſtratuum faciliùs edocebitur. Sed ut omni ex parte tuta ſit ipſius collationis cauſa, confuſa non facit multitudo. Deli-

gant igitur præſentes fratres noſtri, qui volunt ex adverſo ſiſtentes aliquos ſui ordinis primarios viros, quibus totam actionis ſummam committant, atque adſtipulationem faciant præſentium geſtorum; ut ſi fortè in aſſertione ejuſdem cauſæ defecerint, in eorum perſona qui hujuſmodi ne otium ſuſceperint, abſque cunctatione victos eos eſſe & recitatio demonſtret actorum. Et ideo quia non opus eſt multifaria dilatione cauſam peragere, deligant perſonas ſecundum propoſiti edicti tenorem quæ collationis cauſam ſuſcipiant, ut omnibus ſemper probata veritas luce clariùs demonſtretur. Nam mandatum nihil juris & cavillationis forenſis habere, ejus lectione, ſi pars adverſa patiatur, faciliùs edocebitur. *& alia manu:* Recognovi.

XLIX. MARCELLINUS VIR CLARISSIMUS TRIBUNUS ET NOTARIUS *dixit:* Proſecutionem tuam cum Imperiali certum eſt concordare præcepto, quò conſtitutum eſt ut certus à ſingulis partibus numerus delegatur. Nam ſive juris, ſive fidei cauſa tractatur, certæ debent aſtare perſonæ, ut quicquid actum fuerit, integrum robur obtineat.

L. FORTUNATIANUS EPISCOPUS ECCL. CATHOL. *dixit:* Dignetur igitur ſpectabilitas tua mandatum ſuſceptum officio tradere & recitari ut ex eo tenore pars adverſa quia dignatur ab hoc inſtructa valeat objectis omnibus reſpondere, unde poſſit etiam clareſcere nihil nos jure publico velle tergiverſari. *& alia manu:* Recog.

LI. MARCELLINUS VIR CLARISSIMUS TRIBUNUS ET NOTARIUS *dixit:* Profeſſionem quam expectabat ſanctitas veſtra evidenter accepit. patiatur ergo nunc recitari mandatum, ſalvo eo ut utraque pars me agnoſcat imperialis præcepti formam cuſtodire debere. FORTUNATIANUS EPISC. ECCL. CATHOL. *dixit:* Si jubet ſpectabilitas tua recitabo.

LII. MARCELLINUS VIR CLARISSIMUS TRIBUNUS ET NOT. *dixit:* Univerſa quæ à partibus offeruntur, ut omnis amputetur ambago, ab Officio recitentur.

LIII. PETILIANUS EPISC. *dixit:* Sine præjudicio noſtro legat, ſalvo eo, quia hæc cauſatio forenſis eſt, non legalis. Nam uti mandato, his formulis præſumere, non eſt Eccleſiaſticæ conſuetudinis, ſed forenſis ludi atque certaminis, & illius exercitii quod magis argumentis quàm fide aliqua ſæpe ſubſiſtit. Proinde nobilitatis tuæ ſpectabilitatiſq; cenſura, etiam atque etiam in hoc loco morari dignentur, ut edicant utrum lege divina cauſam agi velint, & ipſam diſceptationem inter partes ventilari; an omnino legibus publicis uti velint: Quoniam in utroque mihi plurima competunt. Ut ſi à lege diſceſſerit, Epiſcopum ſe non eſſe demonſtret; ſi verò legem tenuerit. tunc ei ut illi qui Chriſtianus eſſe deſiderat debeam reſpondere. *& alia manu:* Petilianus Epiſcopus recognovi.

LIV. MARCELLINUS VIR CLARISSIMUS TRIBUNUS ET NOTARIUS *dixit:* Si nullo poteſtatis ſecularis judice reſidente inter Epiſcopos tantùm hæc contentio tractaretur, tunc demum eorum erat arbitrii, & forſitan juſti, ut nihil publico velint jure tractari: me autem, cùm legumlatores ii ſint qui me judicem delegerunt, à legibus certum eſt deviare non poſſe: quamvis profeſſionem partis è diverſo venientis apertiſſimè ſuſceperit ſanctitas veſtra, in qua id expreſſiſſe cognoſcitur, quod veſtra proſecutio poſtulavit. Unde mandatum per officium recitetur.

LV. PETILIANUS EPISCOPUS *dixit:* Legat. *& alia manu:* Petilianus Epiſcopus recognovi.

A ROMULUS EXCEPTOR *recitavit:* Poſt Conſulatum Varanis Viri Clariſſimi iij Calend. Jun. Mandatum factum in Eccleſia, *& cum recitaret,* ADEODATUS EPISCOPUS *dixit:* Sine præjudicio noſtro recitet. MARCELLUS V. C. TRIBUNUS ET NOTARIUS *dixit:* Sæpius interfatus ſum, omnia integris reſponſionibus recitari. ROMULUS EXCEPTOR *recitavit:* *Mandatum factum in Eccleſia Carthaginenſi ab univerſo Concilio Epiſcoporum Catholicorum: præſidente Aurelio Epiſcopo Eccleſ. Carth. & Silvano primate Numidiæ.* Quamvis cauſa Eccleſiæ Catholicæ adverſus omnes falſas criminationes, quibus eam uſquequaque diffuſam ſchiſmatici & hæretici per ſuas quaſque regiones vel Provincias, B vel diviſi atque ſeparati vaniloquis & ſacrilegis inſectantur erroribus, ſatis ſuperque divinis teſtimoniis defendatur, in Africa verò adverſus Donatiſtas etiam Eccleſiaſtico atque imperiali judicio, ſicut oportebat vel neceſſe fuerat, terminata ſit; tamen quia idipſum hominibus qui iſta neſciunt, quo eos ad æternam ſalutem Chriſtianæ charitatis acquiramus, inſtantiùs manifeſtandum atque declarandum eſt. Placuit nobis ea Dei Domini voluntate in hanc Carthaginenſis civitatis convenire Eccleſiam, & eligere idoneos fratres collegaſque noſtros ad aſſerendam hujus cauſæ defenſionem, qui crimina falſiſſima Eccleſiæ Catholicæ quæ toto, ſicut de illa divina teſtantur eloquia, terrarum orbe diffunditur, C parte Donati objecta redarguant: Eccleſia quippe Chriſti, ſanctis Patribus noſtris Abrahæ Iſaac & Jacob & populis omnibus per imitationem fidei poſteris & filiis eorum, ita divina & veridica voce promiſſa eſt, ut nulla humana & maledica poſſit voce convinci. Ad Abraham namque ita loquutus eſt Deus: Per me juravi, dicit Dominus, propter quod feciſti verbum hoc, & non pepercisti filio tuo amantiſſimo propter me, niſi benedicens benedicam te & implendo implebo ſemen tuum, tanquam ſtellas cæli, & tanquam arenam quæ ſecus oram maris eſt; & hæreditatem poſſidebit ſemen tuum, civitates adverſariorum; & benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ, quia obaudiſti vocem meam. Ad Iſaac D quoque iſta de hac re verba ſunt Domini Statuam jusjurandum meum quod juravi Abraham patri tuo, & amplificabo ſemen tuum tanquam ſtellas cœli, & dabo tibi & ſemini tuo omnem terram hanc, & benedicentur in nomine tuo omnes gentes terræ, pro his quæ obaudivit Abraham pater tuus meam vocem, & ſervavit præcepta mea & juſtitias meas & legitima mea. Ad Jacob etiam loquens, hoc idem adteſtatione præclariſſima pollicetur: Et erit ſemen tuum ſicut arena terræ, & multiplicabitur ſupra mare & in Africum & in Aquilonem & ad Orientem, & benedicentur in te omnes tribus terræ & in ſemine tuo. Unde Propheta Eſaias his vocibus conſo- E nans, iſtam Eccleſiam in Spiritu ſancto futuram prævidens, ſic alloquitur, Lætare ſterilis quæ non paris, eò incipe & exclama quæ non parturis; quoniam multi filii deſertæ, magis quàm ejus quæ habet virum. dixit enim Dominus: Dilata locum tabernaculi tui, & aulæarum tuarum fige palos; noli parcere, longos fac funiculos tuos, & palos tuos confirma: adhuc in dexteram & ſiniſtram extenderis, & ſemen tuum gentes poſſidebit, & civitates deſertas inhabitabis: ne timeas, quoniam prævalebis: neque verearis quòd deteſtabilis fueris; confuſionem enim in æternum obliviſceris, ignominiæ viduitatis tuæ non eris memor; quoniam ego Dominus qui fa-

cio te, Dominus nomen illi, & qui liberavit A te Deus Iſraël, univerſæ terræ vocabitur. Item alio loco, Et patefaciet Dominus brachium ſuum ſanctum in conſpectu univerſarum gentium, & videbunt omnes gentes uſque ad intima terræ ſalutem quæ à Deo eſt. Item dicit: Poſui te in teſtamentum generis, in lucem gentibus, ut ſit ſalus uſque in fines terræ. Malachi etiam propheta prævidens ſacrificium primi populi ceſſaturum, & toto orbe terrarum, id eſt à ſolis ortu uſque ad occaſum æternum ſacrificium glorificato in gentibus nomine Domini celebrandum, ita loquitur ad Judæos: Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus omnipotens; & ſacrificium non accipiam de manibus veſtris; quoniam ab ortu ſolis uſque ad occaſum clarificatum eſt nomen meum in gentibus, B & in omni loco incenſum offertur nomini meo, & ſacrificium mundum; quoniam magnum eſt nomen meum in gentibus, dicit Dominus omnipotens. Hieremias quoque gentes ab extremo terræ venturas ad Dominum, damnatis ſimulacrorum ſuperſtitionibus, ſic prædicit: Domine virtus mea & adjutorium meum & refugium meum, in diem malorum. Ad te gentes venient ab extremo terræ, & dicent; Quàm falſa poſſederunt patres noſtri idola, & non eſt in eis utilitas! Quia verò non in unum aliquem terræ locum ex aliis locis ad Deum gentes venturas eſſe prædictum eſt, ſed in locis ſuis eum adoraturas, in quem damnatis ſimulacris fuerant credituræ; ſic Sophonias Propheta teſtatur: Prævalebit Dominus adversùs C eos, & diſperdet omnes deos gentium terræ, & adorabunt eum unuſquiſque de loco ſuo omnes inſulæ gentium. His atque aliis multò pluribus teſtimoniis Legis & Prophetarum adſerentibus Eccleſiam toto terrarum orbe diffundi, Pſalmi etiam divini ita concinunt, Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Poſtula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ. Item in alio Pſalmo de Domino Chriſto in figura Salomonis, Dominabitur à mari uſque ad mare, & a flumine uſque ad terminos finis terræ: coram illo decident Æthiopes, & inimici ejus terram lingent. Reges D Tharſis & inſulæ munera offerent, reges Arabum & Saba dona adducent, & adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes ſervient illi. Item in alio Pſalmo: Deus deorum Dominus loquutus eſt, & vocavit terram à ſolis ortu uſque ad occaſum; ex Sion ſpecies decoris ejus. Propterea ipſe quoque Dominus Jeſus qui loquutus fuerat antè per ora Prophetarum, poſteaquam reſurrexit à mortuis, jam per os proprium ſic promiſit Eccleſiam. Oportebat, inquit, impleri omnia quæ ſcripta ſunt in Lege & Prophetis & Pſalmis de me. Tunc aperuit illis ſenſum, ut intelligerent ſcripturas; & dixit eis, Quia ſic ſcriptum eſt, & ſic oportebat Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis tertia E die, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam & remiſſionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Hieruſalem, tanquam illud teſtimonium Pſalmi quod recentiſſimum poſuimus verbis aliis exponeret. Nam quod ibi poſitum eſt, Vocavit terram à ſolis ortu uſque ad occaſum, hoc Dominus ait, Per omnes gentes: & quod ibi poſitum eſt, Ex Sion ſpecies decoris ejus, hoc Dominus ait, Incipientibus ab Hieruſalem. Quis enim neſciat Sion & Hieruſalem unam eſſe civitatem, unde cœpit paſſio & reſurrectio Domini Jeſu Chriſti per orbem terrarum populis mundandis atque ſalvandis illuſtriſſimo præconio prædicari? Proinde & aſcenſurus in cælum, prævidens unde fuiſſent carnales homines pro ſuis diviſionibus & ſeparationibus litigaturi, cùm quæſiſſent ab eo diſcipuli audire aliquid de fine ſeculi: Non eſt, inquit, veſtrûm ſcire tempora quæ pater poſuit in ſua poteſtate; ſed accipietis virtutem Spiritus ſancti, & eritis mihi teſtes in Hieruſalem & in totam Judæam & Samariam, & uſque in totam terram. Hanc auctoritatem magiſterii cæleſtis ſecuti Apoſtoli, Eccleſiam commendant in toto mundo fructificantem atque creſcentem; & ne ſe in partes membra Chriſti per hominum nomina dividant, ita carnales, qui jam hoc facere cœperant, Apoſtolus alloquitur: Obſecro vos, fratres, per nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata; ſitis autem perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſententia. Nuntiatum enim eſt mihi, fratres mei, ab his qui ſunt Chloes, quia contentiones ſunt in vobis, & unuſquiſque veſtrûm dicit, Ego quidem ſum Pauli: Ego autem Apollo, ego verò Cephæ, ego autem Chriſti: Diviſus eſt Chriſtus? Numquid Paulus pro vobis crucifixus eſt, aut in nomine Pauli eſtis baptizati? Unde & iſtos, quorum contra errorem & pro quorum ſalute nomine Chriſti elegimus, qui eorum criminationibus falſis vaniſque respondeant, in ſacramentis Chriſti fratres noſtros agnoſcimus, nec eorum deteſtamur perverſitatem, ſed ipſa Chriſti ſacramenta, in eis probamus, & reſcindere non audemus: meminimus enim per Prophetam eſſe præceptum, Audite qui pavetis C verbum Domini, dicite, Fratres noſtri eſtis, his qui vos oderunt, & qui vos deteſtantur, ut nomen Domini honorificetur, & appareat illis in jucunditate. Jam quod ſequitur, ipſi ſibi ſalubriter dicant, vel à Propheta potius quàm à nobis hoc audiant: nos leniora dicimus, ut pacem potius cum correctis, quàm litem cum perverſis habeamus, fratres noſtros eſſe dicimus, ut nomen Domini honorificetur; quia ideo nos oderunt & deteſtantur, eſſe fratres noſtros negant; Quia nomen hominum ab eis magis quàm Domini honorificatur. Ac per hoc fratres & coëpiſcopi noſtri, quos ad eorum criminationes redarguendas elegimus, D in hac collatione quæ cum eis habenda eſt, Eccleſiam ſanctam adversùs eorum objecta defendant. Dicunt enim quòd hæc Eccleſia (quam in Lege & Prophetis & Pſalmis accepimus prænunciatam, operâ Salvatoris expreſſam & ſanguine redemptam, Apoſtolorum laboribus diſſeminatam atque plantatam, incipientibus ab Hieruſalem: Ubi in centum viginti animas ſimul congregatas ſanctus Spiritus venit, eoſque, in quos venit, linguis omnibus gentium loqui faciens, evidentiſſimo ſigno docuit Eccleſiam per omnes gentes futuram, & linguis omnium gentium loquuturam) Hanc ergo Eccleſiam quæ iſto modo ut prædictum & impletum eſt, ab Hieruſa- E lem ſumpſit exordium, atque inde ſe in Judæam, & Samariam, aliaſque orbis terræ partes Apoſtolorum prædicatione diffudit: in quorum literis atque actibus civitates & provincias invenimus longè latéque diſtentas, in quas eam ſuis ſpecioſis pedibus invexerunt, unde & in Africam creſceret: hanc ut diximus Eccleſiam dicunt iſti contra quorum errorem collegis noſtris collationem defenſionemque mandamus, Cæciliani Epiſcopi quondam Carthaginenſis Eccleſiæ, & ſociorum ejus neſcio quibus peccatis periiſſe pollutam, atque in parte Donati ejus reliquias remanſiſſe. Hanc vanam & ſacrilegam criminationem ii quibus mandamus ita redarguant, & refellant, ut primitus Eccleſiæ cauſam à cauſa quorumdam hominum diſtinguant atque diſcernant: quoniam

Eccleſia permixtos malos habitura prædicta eſt, A quouſque meſſis tempore à tritico zizania ſegregentur, vel à frumentis palea ventilata diſcedat, vel oves ad dexteram, hædi ad ſiniſtram qui nunc eiſdem paſcuis permixti ſunt, ſegregentur: vel mali piſces à bonis, qui nunc intra eadem retia ſimul trahuntur ad litus, in eodem litore, hoc eſt in fine ſeculi, dirimantur. Homines autem quilibet in Eccleſia, ſi boni ſunt, triticum vel frumenta ejus ſunt, oves ejus ſunt, piſces boni ejus ſunt: ſin autem mali ſunt, zizania, palea, hædi, piſces mali ejus ſunt. Non ergo propter eos tota meſſis, tota area, grex totus, piſcatio tota damnata eſt, ne, cùm ante tempus audemus quaſi de malis temere judicare, & aliis aliorum objectare peccata, bonos propter malos ſacrilega ſeparatione deſeramus; B cùm potius malos propter bonos pia unitate tolerare debeamus. Urgendi ergo ſunt ii harum Evangelicarum ſimilitudinum, & tam perſpicuę veritatis inimici, ut doceant quod intendunt, ac priùs oſtendant, ſi valuerint, quomodo Eccleſia, quam incipientem ab Hieruſalem in ſcripturis ſanctis per propinqua & longinqua fructificantem atque creſcentem accepimus & tenemus, quorumlibet, quos accuſant, contagione perierit, & in Donati parte remanſerit. Si enim hoc fieri potuiſſe monſtraverint, tunc utique ad cauſam Eccleſiæ pertinebit, aliam fortaſſe ſuſcipere atque diſcutere quæſtionem, utrum Cæcilianus ejuſque collegæ vel tales fuerint quales ab iſtis fuiſſe dicuntur. ſic innoteſcere potuerint Chriſtianæ, quæ jam tunc erat, unitati uſquequaque diffuſæ, ut eã uſque ad ultimas terras ipſius notionis contagione macularent & perderent. C Fatentur quippe etiam ipſi neminem peccatis alienis maculari poſſe quæ ignorat. Unde ſi demonſtrare potuerint tam latam per tantas terras communionem gentium Chriſtianarum peccatis Cęciliani & ſociorum ejus contaminari ac perire potuiſſe, non ſufficit ut oſtendant tales eos fuiſſe, quales accuſando criminantur, niſi etiam oſtendant vera crimina eorum omnibus innotuiſſe, quos ipſa contagione periiſſe contendunt. Si autem non potuerint demonſtrare Catholicam Eccleſiam per omnes gentes in quibus eam divina commendant eloquia ullis alienis peccatis deſtrui potuiſſe, ſequeſtrata paululùm cauſa Cæciliani & D eorum quos cum illo accuſandos eſſe putaverunt, quæ ad Eccleſiæ cauſam omnino non pertinet, quoniam & ſi mala fuiſſet, eam contaminari non poſſe, nos quod dicimus ad eorum crimina repellenda, ab eis quibus officium defenſionis hujus imponimus, evidentiſſime & exemplis cumulatiùs oſtendatur: id eſt, Eccleſiam Chriſti nullorum malorum uſque in finem ſibimet permixtorum, non ſolùm ignotorum, verùm etiam cognitorum, quaſi corruptione peſtifera poſſe inquinari atque deleri, primùm exemplis propheticis, qui populum peccatorem, & Deum multis execrabilibus abominationibus offendentem tam ſeveris vocibus arguebant & flagellis correptionis duros atque indomitos animos uſque ad inimicitias adverſùm ſe horribiles E excitabant: nec tamen ſe ab eo populo, in quo utique etiam boni inter malos erant, corporali diſcrimine dividebant, melius indicantes per patientiam ferre malos, quàm per calumniam relinquere bonos. Ipſe Dominus Jeſus Chriſtus exemplum ſingulare patientię, traditorem ſuum utique peſſimum, non ſolùm cognitum in diſcipulorum numero pertulit, verùm etiam pręcognitum in diſcipulorum numerum aſſumpſit: dixit etiam diſcipulis ſuis, Et vos mundi eſtis, ſed non omnes; ut eo modo ſcirent munditiam ſuam aliena immunditia non poſſe ſordeſcere. Apoſtolorum temporibus teſtis eſt Apoſtolus Paulus inter falſos fratres gemens, & quoſdam per invidiam, quod utique diabolicum vitium eſt, Chriſtum adnuntiantes in Epiſtola ſua notans, quemadmodum boni malos, propter unitatem Chriſti pietate ſollicita conſervandam, ſine ulla ſua perditione in ſacramentorum communione tolerabant, à quorum malitia longè abhorrebant: Poſt Apoſtolos etiam Epiſcopi boni, quemadmodum propter unitatem Chriſti, non ſolùm quoſlibet laicos verùm etiam coëpiſcopos toleraverunt malos, teſtes ſunt literæ martyris Cypriani, ubi gemit avaritiam quorundam collegarum uſque ad crudelitatem fœnoris, rapinaſque fundorum; nec tamen malorum contagione factus eſt talis, ſed bonorum dilectione pertulit tales, non tantùm id exemplo admonens, verùm etiam præcepto inſtruens. Nam in quadam Epiſtola ſua dicit: Etſi videntur in Eccleſia eſſe zizania; non tamen impediri debet aut fides, aut charitas noſtra, ut quoniam eſſe zizania in Eccleſia cernimus, ipſi de Eccleſia recedamus. Ipſorum etiam qui huic veritati adverſantur, judicio probandum eſt quàm ſit hoc verum, qui cùm Maximianum damnaſſent meritò ſacrilegi ſchiſmatis, ſociis ejus qui cum illo ab iſtis foras exierant, ſeque ab eorum communione ſeparaverant, dilationem ad redeundum dederunt, dicentes eos illius ſacrilegii ſurculi plantariis non eſſe pollutos. Quod quidem cùm omnes unius ſchiſmatis ſocietas connexos teneret quemadmodum rectè dici potuerit, non invenimus; ſed tamen vel ſerò hinc intelligere cogantur, multò potius in unitate Catholica malos bonis tanquam paleam frumentis obeſſe non poſſe, ſi in conciſione ſchiſmatica ubi palea ſola eſt, putatus eſt Maximianus ejuſdem conciſionis ſuæ ſocios, tantùm, quia ordinationi ejus præſentes non fuerunt, non potuiſſe maculare: & videant quàm inconſideratè dicant Cæcilianum, qualiſcunque ille fuerit, & ejus quoſcunque collegas, in tot longinquis gentibus unitatem Chriſtianam perdere potuiſſe, cùm Maximianum arbitrentur nec Afros participes ſui ſchiſmatis perdidiſſe. Sic apparebit, ad Eccleſiæ cauſam, cujus injungimus defenſionem, non pertinere Cæciliani cauſam, qualemlibet habeat quæſtionem. Quod autem accuſant baptiſmum noſtrum, vel potiùs baptiſmum Chriſti quem habemus & miniſtramus, eumque in eis quos deceperint ingemiſcendo errore reſcindunt, ſic ferendum eſt, quemadmodum ipſa Eccleſia cujus donum eſt. Non enim audebunt amplius baptiſmum accuſare quem damus, ſi ab eorum criminibus Eccleſia purgabitur quam tenemus. Sed ſi illud, ut aſſolent, objiciendum putaverint, quòd baptiſmum Chriſti etiam foris a noſtra communione traditum agnoſcimus potius quàm improbamus, nec reſcindere audemus; Reſpondeatur eis, quantiſcunque rationibus & teſtimoniis reſponderi potuerit, divina Eccleſiæ dona & apud fures vel uſurpatores vel etiam raptores inventa, agnoſcenda eſſe potius quàm neganda. Nam, ſicut Apoſtolus de quibuſdam dicit, quia veritatem in iniquitate detinent: ita omnes qui extra Eccleſiam Chriſti habent vel miniſtrant baptiſmum Chriſti, veritatem ſacramenti divini in iniquitate detinent erroris humani: unde humana iniquitate correcta, non eſt veritas divina violanda. Qui autem putant negandum eſſe baptiſmum Chriſti quia eum & hæretici tradunt, poſſunt putare negandum eſſe etiam ipſum Chri-

ſtum, quia eum & dæmones confitentur. Et ideò ad Eccleſiam venire debent, qui extra ejus communionem baptiſmum ejus habent, non ut quod deerat, adſit, ſed ut quod inerat, proſit. Neque putandum eſt illos hinc clam diuturnum habituros eſſe conflictum, quandoquidem etiam de hac re ſuo judicio & exemplo poterunt admoneri: baptiſmum quippe Chriſti extra ſuam communionem in Maximiani ſchiſmate datum, in eis quos inde cum illis quos damnaverant ſuſcepetunt, agnoſcere quàm reſcindere maluerunt. Proinde & illud quod non rectè intelligentes ſolent dicere, Ne communices peccatis alienis; neque enim hoc corporum ſegregatione, ſed morum diſſimilitudine faciendum eſt: in eis coguntur attendere, quemadmodum intelligendum ſit, quos cum Maximiano damnato ſacramenta communicantes impollutos fuiſſe dixerunt, & quod de baptiſmo ſolent accipere quod dictum eſt, Qui baptizatur à mortuo, & cætera hujuſmodi, in eis ipſis noſſe coguntur quomodo accipienda ſint, quando ab illis quos cùm damnarent m uos eſſe dixerunt, baptiſmum in ſchiſmate datum improbare atque iterare non auſi ſunt. Et quod nobis objicere conſueverunt, quod ad eos corrigendos pro unitate Chriſti apud terrenas poteſtates aliquid agere cogimur, in ipſis identidem Maximianiſtis compellendi ſunt approbare, quos cùm apud judices terrenos tanquam ſchiſmaticos ſuos vel hereticos accuſarent, ot de baſilicis pellerent, etiam Bagaienſe Concilium quo eos damnaverunt, aliquoties allegaverunt. Quæ omnia ideo dicenda ſunt, ut & ſuo judicio commoneantur diſſenſionem tandem deponere, & conſumpta vel abjecta falſarum & vanarum animoſitate criminationum, diligere Catholicam pacem, amplecti individuam charitatem; ſine qua nullus hominum bonus eſſe poterit, quicquid boni aliud habere potuerit. Quibus peractis nec ipſam Cæciliani cauſam volumus deferant, ſed eam non tanquam Eccleſiæ matris, ſed tanquam Epiſcopi fratris ſuſcipiant: ne ſicut iterum diſcutiatur ſi ienda, ſed ut demonſtretur jam olim eſſe finita Eccleſiaſticis & publicis documentis: quorum nonnulla ſufficient ſi eis cum à nobis proferuntur, fidem habere voluerint. [Et ſi noluerint,] poterunt Archivis etiam conteſtantibus declarari: quibus appareat, & cauſam Cæciliani eos per Anolinum Proconſulem ad Imperatorem Conſtantinum accuſando miſiſſe, & eundem Imperatorem poſt Eccleſiaſtica judicia quibus Cæcilianus fuerat abſolutus, cauſam totam partibus præſentibus cognoviſſe, atque innocentem Cæcilianum, illos autem calumnioſiſſimos judicaſſe. Felicis quoque Aptungenſis ordinatoris Cæciliani innocentiam, Heliano Proconſuli ex præcepto ejuſdem Imperatoris cognoſcente claruiſſe, quem malorum fontem in Concilio ſuo ipſi dixerunt. Quæcunque autem crimina quibuſlibet collegis noſtris, non jam more conferentium vel diſputantium, ſed maledicentium & litigantium objicienda putaverint, reſpondendum eſt eis, nec eorum cauſas ad Eccleſiæ cauſam quam nunc defendendam injungimus, pertinere: nec ipſas tamen ei diſcutiendas auferri, ſed pro temporis, quod nunc inſtat, neceſſitate differri: ut cum Eccleſiæ cauſam, quam nunc Clementiſſimus Imperator cognoſcendam & demonſtrandam recenti præceptione curavit, fuerit terminata, quæcunque quibuſcunque noſtris objicienda arbitrantur, apud quos voluerint judices & noſtros & ſuos, cùm jam Catholicæ unitati fuerint ſociati, vel purgata monſtrentur, vel convi-

A cta puniantur. Hæc eo modo quo conſcripta ſunt, & ſi quid uberius vel firmius eis Dominus dederit, exequenda mandamus fratribus & coepiſcopis noſtris Aurelio, Alypio, Auguſtino Vincentio, Fortunato, Fortunatiano & Poſſidio. Quod mandatum ſe ſuſcepiſſe teſtantur ſubſcriptionibus, ſicut nos mandaſſe teſtamur ſubſcriptionibus noſtris, ratum habituri quicquid, adjuvante Domino, in hac defenſione peregerint. His autem adjungimus cum quibus ubi opus fuerit conſilium habeant, Novatum, Florentium, Maurentium, Priſcum, Serenianum, Bonifacium, & Scillatium; ad cuſtodiendam verò conſcriptionem geſtorum, Deuterium, Leonem, Aſterium, & Reſtitutum. *Quo recitato*,

B MARCELLINUS V. C. TRIBUNUS ET NOTARIUS *dixit:* Quoniam ex recitatione mandati quod geſtis præſentibus adhærebit, claruit divina magis teſtimonia quàm forenſia vincula eſſe prolata, & edicti pariter mei tenorem fuiſſe ſervatum, in numero ſcilicet deligendo, & imperialis conſtitutionis formam nihilominus cuſtoditam: Ideoque, quoniam juſtitiæ ordo hoc poſtulat, etiam ſubſcriptiones omnium recitentur. LVI.

ROMULUS EXCEPTOR *recitavit:* Aurelius Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ Carthagini conſtitutus præſente Viro Clariſſimo Tribuno & Notario Marcellino hoc mandatum ſuſcepi & ſubſcripſi. *Item alia manu:* Silvanus primæ ſedis C Provinciæ Numidiæ præſente Viro Clariſſimo Marcellino Trib. & Not. Carthag. conſtitutus mandato à nobis facto conſenſi & ſubſcripſi. *Item alia manu:* Valentius Epiſcopus Eccleſiæ Vaianen. Carthagini conſtitutus, præſente V. C. Marcellino Tribuno & Notario mandavi & ſubſcripſi, *& reliquæ ſubſcriptiones quorum nomina mandato continentur.* LVII.

MARCELLINUS VIR CLARISSIMUS TRIBUNUS ET NOTARIUS *dixit:* Has quoque ſubſcriptiones cum mandato geſta ſuſcipient. *& adjecit:* Numerus etiam ſubſcribentium deſignetur. LVIII.

MARTIALIS EXCEPTOR *dixit:* cclxvj. ſunt.

D PETILIANUS EPISCOPUS *dixit:* Ubi ſunt qui mandaverint? *& alia manu:* Petilianus Epiſcopus recognovi. LIX.

AURELIUS EPISCOPUS ECCLESIÆ CATHOLICÆ *dixit:* Opus eſt hoc, eligant de ſuis ſeptem, & eant ubi conſtituti ſunt in Eccleſia, & videant illos. *& alia manu:* Recognovi. LX.

PETILIANUS EPISCOPUS *dixit:* Subtilis argumenti res eſt, ut judicem facerent teſtem. Potuerunt etenim etiam quoſcunque clericos minoris loci adponere nominibus ſuis, & fingere illum honorem eſſe quem apud ſe ſummum exiſtimant, cùm hinc potiſſimum dubitetur. Proinde E veniant in judicium Not. à nobis ſinguli cognoſcantur. Veremur etenim argumenta ſæpe diutius requiſita, quæ in perniciem ſimplicitatis noſtræ quotidie machinantur. Hæc igitur prima res eſt, de qua per notariam noſtram Subl. r. intimare curavimus neque ceſſavimus, ut de numero primo noſtro conſtaret, quem eſſe parvulum ſemper imperialibus auribus mentiuntur: quicquid enim contra nos ſemper elicitur, quaſi contra pauciſſimos impetratur. *& alia manu:* Petilianus Epiſcopus recognovi. LXI.

MARCELLINUS VIR CLARISSIMUS TRIBUNUS ET NOTARIUS *dixit:* Falſi crimen nec objicere condecet ſacerdotem, nec committere potuiſſe credendum eſt. Illud autem eſt LXII.

eſt quod per veſtram venerabilitatem ſcire deſi-
deio, utrum omnes Epiſcopos contra quos ve-
ſtra pergit intentio, quorum eriam ſubſcriptio
recitata eſt, poſſitis agnoſcere.

LXIII. Petilianus Episcopus *dixit*: Sin-
guli quique ſedium noſtrarum adverſatios facilè
poſſumus agnoſcere. Sanè non falſum objeci-
mus, ſed diligentiæ maximæ eſt quod voluious
& ptobare. *& alia manu*: Petilianus Epiſcopus
Recognovi.

LXIV. Marcellinus vir clarissimus
tribunus et notarios *dixit*: Hoc
magis de veſtra judico ſanctitate, diligentiæ po-
tius eſſe quam ullius objecti crinimis. quod in
proſecutione dicendum eſſe credidit ſanctitas tua.
Sed illud quæro, utrum in omnibus locis & civi-
tatibus utrinſque partis bini eſſe poſſint Epiſ-
copi: ſic enim poſſunt ſe alterutrum plenè co-
gnoſcere.

LXV. Petilianus Episcopus *dixit*: Sa-
pientiſſimè ac præſciè omnia prævidiſti, Vir
nobilis. nam in plebe mea, id eſt civitate Con-
ſtantinenſi, adverſarium habeo Fortunatum.
In medio autem Dioceſis meæ, nunc inſtitu-
tum habeo, imo ipſi habent, nomine Delphinum.
pervidet jam hinc præſtantia tua, duos in omnis
plebe ſuiſſe imaginariè conſtitutos, ut & nume-
rum augeant, & tamen plebium numerus non
idem ſit, qui ſit illarum ſcilicet perſonarum. Et hoc
argumenti eſt maximi, ut videat ut nos hoc gene-
re ſuperare, ſi duo contra unum ſint conſtitui vel
tres. Nam etiam in plebe præſentis ſanctiſſimi
collegæ ac fratris mei Adeodati, id eſt in civitate
Milevitana, ita commiſſa res eſt, ut unum ibi-
dem babeat adverſarium, alterum in Tuncenſi
civitate, qui ad hujus ſcilicet plebem antiquitus
pertinet, & ante biennium eſſe videtur conſtitu-
tus; tertius vero ſit in loco qui dicitur Ceramuſſa.
Ergo cùm unus ſit civitatis Milevitanæ Epiſco-
pus à partibus noſtris, tres videntur ab his con-
ſtituti fuiſſe, ut illorum numerus augeretur, aut
fortaſſis excederet numerum veritatis. Requi-
rendum eſt igitur quando auctus ſit illorum nu-
merus, quam originem habuerit, utrum hoc no-
vitas fecerit, an dederit antiquitas, utrum, ut ita
dixerim, contra vetuſtatem canam, vitium hoc
fuerit novitatis. *& alia manu*: Petilianus Epiſ-
copus recognovi.

LXVI. Fortunatianus Episc. Eccl. Cath. *dixit*:
Multiloquio Eccleſiæ cauſam agi non debere per-
ſpicit mecum tuæ dignationis ſenſus, optime co-
gnitorum. *& cum diceret. & alia manu.* Reco-
gnovi.

LXVII. Petilianus Episcopus *dixit*: Plus
ſcripſiſti quam dixi. *& alia manu*: Petilianus
Epiſcopus recognovi.

LXVIII. Fortunatianus Episc. eccl. cath. *dixit*:
Verùm vir graviſſimus Petilianus cùm antè pau-
lulum Eccleſiæ cauſam divinis ſcripturis firman-
dam eſſe profeſſus fuerit; atque eam divinis te-
ſtimoniis quæri debere conſtituerit, nunc eum
per diverſa vagari in perſonis ordinatorum,
proſecutione ejus oſtenditur. Atque ideo, ne
illi ſimiles videamur, decreti tenorem acce-
pit ſub. r. & quid Patrum ſtatuta voluerint,
ejus lectione monſtratum eſt. Convenit præſen-
tes, oratoriis omnibus actionibus repulſis atque
proſtratis, eligere nunc ex parte ſua idoneos qui
poſſint inſtitutæ cauſæ præſtare rationem; om-
niumque conſenſum his actis depromere, ut,
dilueſcente veritate, nulli poſſit eſſe ambiguum.
Siquidem confirmatis perſonis nulla pars audebit
dicere, ſententiam non poſſe debere conſiſtere,

A quandoquidem eorum conſenſus actis fuerit de-
promptus: & ideo aut ſubſcriptionibus quæ ge-
rimus ſe doceant confirmare, aut conſenſum ſuum
ſinguli patefaciant, ut actio Eccleſiæ poſſit ſuo or-
dine inchoari. *& alia manu*: Recognovi.

Marcellinus V. C. trib. et not. *dixit*: LXIX.
De incompetenter ordinatis quos Petilianus vir
ſciſſimus comprehendit, me certum eſt qui
ad aliam partem principali auctoritate judex vi-
deor conſtitutus, non poſſe cognoſcere. Supereſt
ut, ſi numerum Epiſcoporum qui ab officio intra
hanc ſplendidam Carthag. conſtitutus eſt verum
eſſe credit venerabilitas tua, jam nunc intima-
re dignentur.

Petilianus Episcopus *dixit*: Non LXX.
B intellexit è diverſo conſiſtens, quid fuerim pro-
ſecutus. nam cùm de numero mandantium nunc
agatur, diligentiæ meæ maximè fuit requirere,
ubi ſunt illi qui præſentibus mandaverunt:
deinde conſtare non ab re eſt, quod fum in tuo
judicio, Vir nobilis, proſecutus. Quoniam igi-
tur & jacturam fecerunt earum rerum quas fo-
renſibus cancellis ac legibus uti potuerant, &
recitaverunt mandatum quod non magis forenſe
ſit, ſed legale, hinc agnoſco debere me illis lege
divina competentium reſpondere. Sed, ut prius
de mandatorum numero conſtet, & de parti-
bus meis quanti mandaverint vel quanti ſint
mandaturi, id primùm peto de nobilitate tua,
ut ſuperfluum non ſit, de numero utriuſque
C partis ferre debere judicium celſitudinem tuam.
& alia manu: Petilianus Epiſcopus recognovi.

Marcel. V. C. trib. et not. *dixit*: Evitan- LXXI.
dæ quidem multitudinis cauſa ad hunc locum de
quorum numero dubitatur, minimè conveniſſe
dicuntur, præſertim cùm ſuffecerit eos præſen-
tibus omne delegaſſe negotium: ſed ſi quid
ſuper hac parte dubitationis affertur, judicus
intimetur.

Aurelius episcopus ecclesiæ Catholi- LXXII.
cæ carthagin. *dixit*: Nos evitamus tumul-
tum; idcirco non venerunt: ſed mandatum fir-
miſſimum eſt, quod lectum eſt nobilitati tuæ.
Si de numero dubitatur, eant provinciales ad
D Mauros, eant provinciales ad Numidas, eant
provinciales ad Vizacenos, eant quoque ad Tri-
politanos, eant ad provinciæ Proconſularis, qui
præſentes ſunt ex numero ipſorum, & cognoſ-
cant noſtros qui huic mandato ſubſcripſerunt.
& alia manu: Recognovi.

Marcellinus V.C. tribunus et LXXIII.
notarius *dixit*: Non patiar rem ſuper-
fluam longa partium obluctatione differri. unde,
veniant univerſi.

Aurelius Episc. eccl. Ca. *dixit*: LXXIV.
Quid opus eſt turbis? Et nos in civitate diverſa-
tiſumus, & noſtri collegæ. Ii quoque in civita-
te, ut dicunt, non hodie, ſed aliquantis diebus
E demorati ſunt. Legantur ſubſcriptiones, & de
cujus nomine dubitant, ipſe veniat. *& alia ma-
nu.* Recognovi.

Marc. V. C. trib. et not. *dixit*: In uno loco LXXV.
ſunt omnes, aut id non poteſt liquido deſignari?

Aurel. epiſc. eccl. Cath. *dixit*: Neſcimus LXXVI.
poſtea quam mandaverunt quid opus erat ut con-
cluderentur. *& alia manu*: Recognovi. Augu-
stin. episco. eccl. Cath. *dixit*: De quorum
nomine dubitatur, ipſi veniant. *& alia manu*:
Recognovi.

Emeritus Episcopus *dixit*: Impu- LXXVII.
gnat ſe actio, & ex una parte diverſa contentio:
unus proſequitur venire debere alter neſcire ſe
utrum poſſint adeſſe. Concordent inter ſe ſententiis

ſuis, & arbitratu proprio atque ſecreto quid A magis eligant, dicant: Opetimut enim pro meritis tuis quicquid iſti dixerint, quod magis putaverint eligendum. Non enim nos falſitatis crimen objecimus, ſed hoc ipſum factum volumus judiciis approbari. Melior eſt enim adſtipulatio, quæ præſentibus actis inditur, & veritatis fides inſtrumentorum veritate firmatur. Agitur enim res de qua quis negare poterit, Non mandavi, non interfui, neſcio: non enim ex me iſtæ præcedunt, ſed ex ipſis potius qui iſta confingunt: habeant inter ſe conſilium ſuum, arbitrioque ſuo definiant univerſa, ut ſi volunt in præſenti mandare, ſicuti nos perſonas mandantium actis ſubl. t. nunc in præſenti inſinuamus, habeant in compendio: tulerint de medio falſitatem: do- B namus illis univerſa quæ potuerant de præſcriptione deprومi, ut ſublimitatis tuæ judicio poſſit ex illorum & ex noſtris partibus apparere, quod poſſit eſſe manditum. *& alia manu*: Emeritus epiſcopus recognovi.

LXXVIII. AGUST. EPISCO. ECCL. CATH. *dixit*: Tumultus ne fieret cavendum fuit, & hoc ſalubriter prudenterque providiſti. & quoniam metuendum eſt, ne, cùm fuerit exorta aliqua perturbatio, nobis potius tribuatur, incertumque ſit hominibus, a quorum parte potius extiterit, nihil melius & tranquillius putamus decernere nobilitatem tuam, niſi ut recitatis omnibus nominibus, de quo dubitãt, veniat. *& alia manu*: Recog.

LXXIX. MARCELLINUS VIR CLARISSIMUS C TRIBUNUS ET NOTARIUS *dixit*: Accepiſtis profeſſionem partis adverſæ: quæ competunt, peragantur.

LXXX. EMERITUS EPISCOPUS *dixit*: Patientiam nobilitatis tuæ intimumque ſecretum quod omnibus monſtrans cunctorum oculis patuit, teneo judicii tui fidem, teneo teſtimonium. Penè jam peracto ſolis curriculo totus eſt tranſactus dies, & nullus adhuc exortus tumultus, cùm tanta ſacerdotum Dei multitudo conſiſtat. quis enim præter eos quos judicii veritas adeſſe præcepit, vel muſſiendo inter ſe vel balbo ſermone reſ- D pondit? Tacito linguæ ſilentio expectant veridici cognitoris integram ſeveramque ſententiam, & acclinibus, ut dixit, pæne cervicibus, in teipſum toto ore pendentes, quid de Dei cauſa judices ſollicitè rimantur. Nullus ſtrepitus, ſermo nullus, imò ad Deum continua oratio, & ad cælum privata vox. Unde hic tumultus publicus de privatis ſcurrilibuſque ſermonibus, quibus aut facilè ſtrepere, ut ex ipſo uſu rixa quotidiana metus judiciorum non timens, poſſit exurgere? Ad hoc Dei ſacerdotes tot antiſtites, animæ ſuæ cauſam & fidei ſuæ rationem audire cupientes, tumultu ſuperfluo & quadam rixa turbantes, ad judicii veritatem nolentes deſcendere, quærunt immiſſam actionem turpiſſimè perturbare. & E *alia manu*: Emeritus epiſcopus recognovi.

LXXXI. AUGUSTINUS EPISCOPUS ECCLESIÆ CATHOLICÆ *dixit*: Ad multa fratris mei videat nobilitas tua quàm pauca reſpondeam. Quòd ſi nobis voluerint reſpondere, cauſa tota cito forſitan peragetur: metuendum eſt ne ideo non fiat tumultus ab hac turba quæ præſens eſt, quia non hic eſt alia multitudo, in quam poſſit referri cauſatio. *& alia manu*: Recognovi.

LXXXII. PETILIANUS EPISCOPUS *dixit*: Confiteris illos cum tumultu eſſe venturos. Nam hic tumultus nec fuit nec erit à partibus noſtris. *& alia manu*: Emeritus epiſcopus recognovi.

LXXXIII. AUGUSTINUS EPISCOPUS ECCLESIÆ CATHOLICÆ *dixit*: Non confiteor cum tumultu eſſe venturos; ſed timeo ne ideo adhuc quieſcat multitudo præſens, quia non eſt in quem referat ſi quid forte turbulenter exorterit, dum utraque præſens fuerit multitudo. Petimus ut quod dictum eſt, fiat: de quocunque dubitatur, præſentetur. *& alia manu*: Recognovi.

LXXXIV. ADEODATUS EPISCOPUS *dixit*: Si in paucos tumultus fieri non poteſt, in plurimos fieri quemadmodum poteſt? *& alia manu*: Recog. AURELIUS EPISC. ECCL. CATH. *dixit*: Iudica. *& alia manu*: Recognovi.

LXXXV. MARCELLINUS VIR CLARISSIMUS TRIBUNUS ET NOTARIUS *dixit*: Poteſt quidem ſacerdotalis multitudo divinam conſiderans utrobique ſententiam, etiam in quavis populoſitate præſtare ſilentium, ſed illud certum eſt, & ambigi nullatenus poteſt, paucitatem magis ſilentio poſſe præbere conſenſum. Unde ne ſuperfluis immoremur, ſi de ſubſcriptionibus aliqua eſt dubitatio, eos quos nec præſentes eſſe, nec ſubſcribere potuiſſe credit ſanctitas veſtra, faciam ad judicium mox venire, ut tandem aliquando confirmatis ſecundùm imperiale præceptum ex utraque parte perſonis, ad negotii merita veniatur.

LXXXVI. EMERITUS EPISCOPUS *dixit*: Ex una parte diverſæ ſententiæ concordare debent. Aut enim hic eſſe ſuos dicunt, & adeſſe debebunt; aut ſi abſentes eſſe profitentur, videat nobilitas tua quid de abſentibus debeat judicare. *& alia manu*: C Emeritus epiſcopus recognovi.

LXXXVII. MARCELLINUS VIR CLARISSIMUS TRIBUNUS ET NOTARIUS *dixit*: Quod præſentes præſentibus mandaverunt, proſecutione ſpectabilitatis veſtræ tenetur expreſſum, eo quod omnes qui ſubſcripſerunt, a vobis & à veſtris omnibus facilè poſſint agnoſci. Unde cùm ſubſcriptiones per ordinem fuerint recitatæ, de quo dubitatur, poterit mox venire.

LXXXVIII. ADEODATUS EPISCOPUS *dixit*: Affero compendium diverſæ parti, ne tumultus poſſe fieri utriſque partibus præſentibus putent. In uno loco coepiſcopi noſtri conſiſtant, ad alterum D item locum ſuos faciant venire. Et cùm recitata fuerint quæcunque loca, bini mittantur, quo poſſit omnis cauſatio, omnis tumultus amputari. *& alia manu*: Adeodatus epiſcopus recognovi.

LXXXIX. ALYPIUS EPISC. ECCL. CATH. *dixit*: Nova res nunc à diverſa parte flagitatur. Nam nos obedientes edictalibus præceptis, tot venimus quot fuerant edicto definiti. Sed quia & hoc non eſt negandum ſollicitudini præſentiũ, quanquam de numero quærere non ſit noſtræ præſentis actionis, tamen qui modò præſentes fratres noſtri reperiri potuerunt, jube ut ingrediantur; ſi qui fortè abſentes fuerint, craſtino eorum præſentia tuis E etiam obtutibus monſtrabuntur, dum tamen ne ulla dilatio cauſæ naſcatur, ſicut nos certo numero adſumus electi univerſali Catholico Concilio, etiam ipſi ad aſſerendum confirmati jam ſuſcipiant omnem ſarcinam cauſæ, ut nulla dilatio quæſtioni poſſit opponi. *& alia manu*: Recog.

XC. ADEODATUS EPISCOPUS *dixit*: Præcipe nobis mandatum eorundem oſtendi ubi ſubſcripſerunt, quod nunc lectum eſt ab Officio. *& alia manu*: Adeodatus epiſ. recognovi.

XCI. MARCELLINUS VIR CLARISSIMUS TRIBUNUS ET NOT. *dixit*: Mandatum quod nunc ab Officio recitatum eſt, in quo omnium ſubſcriptiones continentur, poſtulantibus oſtendatur.

XCII. PETILIANUS EPISCOPUS *dixit*: Magnam

nobis ſollicitudinem facit iſta varietas. aut hodie repræſentent numerum eorum quos ſibi dicunt mandaſſe quod agant, aut ipſi cauſam in craſtinum diſtulerunt. *& alia manu* : Petilianus Epiſcopus recognovi.

xciii. ALYPIUS EPISCOPUS ECCLESIÆ CATHOLICÆ. *dixit* : Non eſt dilata cauſa; hodie agenda eſt. *& alia manu* : Recog. AUGUST. EPISC. *dixit* : Actis offeratur cum quo ab officio offeratur.

xciv. ADEODATUS EPISCOPUS *dixit* : Hoc expectavimus, hoc deſideravimus, ut eadem geſta quibus ſubſcripſerunt in præſentiarum ſint donec mandatores veniant. *& alia manu* : Adeodatus Epiſcopus recogn.

xcv. MARCELLINUS V. C. TRIBUNUS ET NOTARIUS *dixit* : Hoc neceſſe eſt ut fiat ita, ut ſi ſollicitudinis aliquid geritis, à vobis obſignata ſerventur.

xcvi. PETILIANUS EPISCOPUS *dixit* : Illorum præſentia nobis neceſſaria eſt non mandatum. *& alia manu* : Petilianus Epiſcopus recognovi.

xcvii. FORTUNATIANUS EPISC. ECCL. CATH. *dixit* : Jam poſtulavimus fratres & conſacerdotes noſtros intromitti debere, qui præſentes inveniri potuerunt : præcipiet nobilitas tua, ſuperfluum nodum amputari quæſtionis. ut intromiſſi ſaltem vel obtutibus eorum fidem debitam ferant. *& alia manu* : Recognovi.

MARCELLINUS VIR CLARISSIMUS TRIBUNUS ET NOTARIUS *dixit* : Hi venerabiles ſacerdotes qui præſentes eſſe dicuntur, venire dignentur. *& ingreſſis Epiſcopis Catholicis.*

xcviii. MARCELL. V. C. TRIB. ET NOT. *dixit* : In omni, petitioni veſtræ ſatisfactum eſſe cognoſco. *& adjecit* : præſentes ſunt Epiſcopi quos ingredi voluiſtis; qui ſecundùm imperialis præcepti formam & edicti tenorem, certum numerum ad peragendam cauſam elegiſſe noſcuntur. unde, ne qua alterius poſſit eſſe dubitatio vel ſortè confuſio, ſingulis ſubſcriptiones propriæ ſelegantur, ut agnitis iiſdem exire dignentur.

xcix. MARTIAL. EXCEP. EX MANDATO *recitavit* : Aurelius epiſcopus Eccleſię Catholicæ Carthag. Carthagini conſtitutus præſente v. c. Trib. & Not. Marcellino, hoc mandatum ſuſcepi & ſubſcripſi. *Hoc modo omnes reliqui ſubſcripſerunt. Item recitavit*, Silvanus Epiſcopus Sommen. Eccle. Cath. *Idem dixit* : Præſto ſum. MAR. v. c. Trib. & Not. *dixit* : Silvanus qui non ſuſcepit collationem exeat. Quo egreſſo, *item recit.* Valentinus Epiſcopus Eccl. Vaienen. *Idem dixit* : Præſto ſum.

c. ALYPIUS EPISC. ECCL. CATH. *dixit* : Reddiderunt nos ſollicitos, diligentiam nobis primitus ipſi incuſſerunt : quomodo nominantur noſtri, ſic etiam de ipſorum numero dubitamus. *& alia manu* : Recognovi.

ci. MARCELLINUS VIR CLARISSIMUS TRIBUNUS ET NOT. *dixit* : Ita fiet, conſentit tamen pars diverſa, ut ſimul agniti exeant.

cii. AUREL. EPISCO. ECCL. CATH. *dixit* : Sed primò mandare habent & ipſi, ut appareat quia hic ſunt. *& alia manu* : Recognovi.

ciii. MARCELLINUS VIR CLARISSIMUS TRIBUNUS ET NOT. *dixit* : Ergo placet ſanctitati veſtræ, ut poſt impletum mandatum, exeant, etiam partis veſtrę venerabiles viri Epiſcopi, & inter paucos cauſa peragatur, & ad quod quæſitum eſt, reſpondere dignemini.

civ. PRIMIANUS EPISC. ECCL. CART. *dixit* : Cùm & nos apud acta mandaverimus præſentes, eximus, damus locum actoribus : hic tamen in proximo erimus. *& alia manu* : Primianus epiſcopus recognovi.

cv. MARCEL. V. C. TRIB. ET NOT. *dixit* : Ergo veſtræ quoque ſubſcriptiones judiciis intimentur, ut illorum quoque profeſſiones præſentium requiruntur.

cvi. PETILIANUS EPISCOPUS *dixit* : Apud acta volunt mandare. *& alia manu* : Petilianus recognovi.

cvii. MARCEL. V. C. TRIB. ET NOT. *dixit* : Apud quæ acta ſanctitas veſtra ſe aſſerit mandaturam?

cviii. EMERITUS EPISCOPUS *dixit* : In judicio P. T. voluntas eſt noſtra ſi jubes ut geſtis municipalibus hoc judicio N. T. firmatur. *& alia manu* : Emeritus Epiſcopus recognovi.

cix. MARCELLINUS VIR CLARISSIMUS TRIBUNUS ET NOTARIUS *dixit* : Illud nunc eſt, quod à veſtra ſanctitate ad amputandas omnes ambages neceſſariò poſtulatur, ut apertiſſimè deſignetis utrum vobis Epiſtola mandati cum ſubſcriptionibus recitata ſufficiat, an etiam ipſos quæritis apud acta mandare.

cx. PETILIANUS EPISCOPUS *dixit* : Non ut profiteantur volumus, ſed ut recognoſcantur à nobis, qui mandaſſe dicuntur. *& alia manu* : ut ſuperius.

cxi. MARCELLINUS VIR CLARISSIMUS TRIBUNUS ET NOTARIUS *dixit* : Ergo ſubſcribentium nomina per ordinem recitentur.

cxii. HONORATUS EXCEPTOR *recitavit* : Numidius Epiſcopus Eccl. Cathol. Maſulit. *Idem dixit* : Præſto ſum. FELIX Epiſcopus *dixit* : Agnoſco illum. MARCELLINUS V. C. TRIB. ET NOT. *dixit* : Conſtat utrumque eſſe pręſentem.

cxiii. ALYPIUS EPISCOPUS ECCLESIÆ CATHOLICÆ *dixit* : Illorum etiam duorum qui jam exierunt compares prodeant.

cxiv. MARCEL. V. C. TRIB. ET NOT. *dixit* : Cujus civitatis eſt vir venerabilis epiſcopus? Adeodatus epiſcopus dixit : Felix epiſcopus Zumen. noſtræ communionis, qui contra Silvanum agit, male habet.

cxv. ALYPIUS EPISC. ECCL. CATH. *dixit* : Ipſi hoc exegerunt. videantur ergo qui præſentes ſunt & qui abſentes. hoc volumus conſtet. MAR. V. C. Trib. Et Not. *dixit* : Probabilis excuſatio eſt, & alius recitetur. *& recitavit* : Marinus epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ Taboten. *Idem dixit* : Præſto ſum. Victor epiſcopus civitatis SS. dixit, Agnoſco illum.

cxvi. MARC. VIR CLARISSIMUS TRIB. ET NOT. *dixit* : Utrorumque præſentiam geſta retinebunt. *Item recit.* Aurelius epiſcopus Eccl. Cath. civitatis Magomazien. *Idem dixit* : Præſto ſum. MAR. V. C. Trib. & Not. *dixit* : Aurelius ejuſdem civitatis epiſcopus veniat à parte diverſa. SALUSTIUS Epiſcopus Partis Donati civitatis ss. u. Agnoſco illum. MARC. V. C. Trib. & Not. *dixit* : Etiam hos conſtat eſſe præſentes. *item recit.* Victor epiſcopus. Eccl. Cath. Libertinenſis. *Idem dixit* : Præſto ſum. JANUARIUS Epiſcopus Loci ss *dixit* : Agnoſco illum : Diœceſis meæ eſt. VICTOR EPISC. ECCL. CATH. *dixit* : Neminem illic habet. JANUARIUS Epiſcopus Partis Donati *dixit* : Diœceſis meæ eſt. VICTOR Epiſcopus Eccl. Cathol. *dixit* : Cùm neminem illic habeat, neque Eccleſiam, neque aliquem communicantem, fruſtra mentitur. quòd ſit ejus Diœceſis. JANUARIUS Epiſcopus *dixit* : Communicarunt ubi ante vim tuam.

cxvii. Petilianus Episcopus *dixit* : In una plebe Januarii collegæ noſtri præſentis, in una Dioceſi, quatuor ſunt conſtituti contra ipſum; ut numerus ſcilicet augeretur.

cxviii. Alypius episc. eccl. Cath. *dixit* : Quæratur quot annorum Epiſcopus ſit.

cxix. Petilianus Episcopus *dixit* : Quatuor eſtis contra unum.

cxx. Marc. V. C. trib. et not. *dixit* : Hæc ad præſentem omnino non pertinent actionem : quæ cœpta ſunt perlegantur. *item recit.* Optatus Ep. plebis Veſceriт. *Idem dixit* : Præſto ſum. Fortunatus Episc. civitatis ss. d. Agnoſco illum. *Item recitavit* : Januarius Epiſc. plebis Tunudenſis. *Idem dixit* : Præſto ſum. Victorianus Ep. civit. superius *dixit* : Agnoſco illum. *Item recitavit.* Evangelos Epiſc. Eccleſ. Aſſuri. *Idem dixit* : Præſto ſum. Petilianus Episc. *dixit* : Noſter ibi defunctus eſt, ipſe dicat. *Item recitavit* : Latonius Epiſc. Eccl. plebis Tenit. *Idem dixit* : Præſto ſum. Secorus Episc. civitatis ss. *dixit* : Agnoſco illum. *Item recitavit* : Aptus Epiſc. plebis Tigien. *Idem dixit* : Præſto ſum. Nec habui, nec habemus Epiſcopum Donatiſtam. Primianus Episc. Carth. *dixit*, Non illic habemus. *Item recit.* Aſſellicus Epiſc. Eccl. Tuſuri. *Idem dixit* : Præſto ſum. Aptus Episc. civit. ss. *dixit* Agnoſco illum. *Item recit.* Innocentius Epiſc. Eccl. Germanien. idem dixit, Præſto ſum. ſed adverſarium non habeo. item recitavit. Honoratus Ep. Matharen. Ecc. Idem dixit, Præſto ſum. ſed non contra me habeo Epiſcopum. Item recit. Hilarus Epiſc. Eccl. Boſet. Idem dixit, Præſto ſum, ſed non habeo mecum Epiſcopum. Petil. Ep. *dixit* :

MARC. V. C. TRIB. ET NOT. *dixit*: Jamdudum me obtuliſſe ſanctitati veſtræ ſat certum eſt, ut competenti reverentia, ſedentes omnia tractaretis: ſiquidem mihi onerosum eſſe non neſcio, tot venerabilibus viris ſtantibus reſidere. CXLIV.

C unde vel nunc multitudine ſequeſtrata, ſedere dignamini.

PETILIANUS EPISCOPUS *dixit*: Agimus gratias honorificentiæ tuæ vir nobilis, quòd talis ac tanta eſt tua præſentia, ut benemeritis viris antiquiſſimiſque ſacerdotibus & tot perſecutionum palmis florentibus, hanc benignitatem præſtare digneris ut graviſſima ſenectus, quæ ornata eſt, & annis & meritis ſuis, ſedendo ſeſe reficiat, ne ſtando diutius laborare videatur, ne hic quoque labor oneret modicas vires ſenectutis. Sed quoniam vires Dominus ſubminiſtrat, ipſamque reverendam ſenectutem facit eſſe fortiorem, non erubeſcimus, non veremur, non evitamus te reſidente, Vir nobilis, licenter adſiſtere. Siquidem hoc nec Chriſtus Dominus noſter vitaverit cum ante Præſidem ſtetiſſe dignatus eſt, quanto magis nos non recuſamus, cùm tu honorificus, tu juſtus, tu reverens, tu benignus, hanc offeras gratiam quæ tibi à Domino remuneratore digniſſimis præmiis frequentiſſimè referatur? Id autem nobis expedit, id neceſſe eſt, ut cùm cauſa peroratur, cùm priùs incipitur, ut etiam perſonæ conſtent, ſtare ſingulos deceat, quibus ſubito contigit diſceptationis examen. & *alia manu*: Petilianus epiſcopus recognovi. CXLV.

D (at "tiorem")

MARC. V. C. TRIB. ET NOT. *dixit*: Quoniam oblata recuſat ſanctitas veſtra, pars illa tractanda eſt, ut quia ſicut voluit veſtra religio, univerſorum qui ſubſcripſerant demonſtrata præſentia eſt, ſecundùm formam cæleſtis oraculi ſponſionis quoque veſtræ memores, delegatis idoneos veſtræ ſcilicet aſſertionis actores, quibus diſputantibus, atque multitudinis ſicut ante placuit confuſione ſecluſa, plenè poſſint univerſa cognoſci. CXLVI.

E (at "veſtra religio")

EMERITUS EPISCOPUS *dixit*: Res juvanda eſt, mandantium perſona præſens eſt, mandatum quoque ferimus. ſed ut actorum fides etiam cum noſtra ſubſcriptione adſtipuletur, & CXLVII.

G ij

profeſſio recitabitur, & quæ in placito ſubſcripta ſunt, actis hærebunt. *& alia manu* : Emeritus epiſcopus recognovi.

CXLVIII. MARCELL. V. C. TRIB. ET NOT. *dixit*: Suſceptum mandatum ab officio recitetur. & cùm tradidiſſet, Rufinianus ſubſcriba recitavit: Poſt Conſulatum Varanis viri clariſſimi octavo Kal. Jun. Carthag. Januarianus, Primianus. Felix, Donatus, Candonus, Optatus, Donatianus, Antonianus, Victorianus, Fortis & cæteri, Primiano, Petiliano, Emerito, Protaſio, Montano, Gaudentio, Adeodato coepiſcopis noſtris præſentes præſentibus ſalutem. Mandamus vobis Eccleſiæ Dei cauſam, defenſoreſque vos facimus adverſus traditores perſecutoreſque noſtros, qui nos in judicio v. c. Spectabilis Tribuni & Notarii Marcellini, per ſupplicationem ſuam propoſito edicto inquietare voluerunt, ut eorum intentionibus reſpondeatis. Quicquid egeritis pro ſtatu ſanctæ Eccleſiæ, ratum nos habituros, noſtra ſubſcriptione profitemur. *& alia manu*: Optamus vos in domino bene valere & noſtri memores eſſe. quare.

CXLIX. MARC. V. C. TRIB. ET NOT. *dixit* : Subſcriptiones hujus quoque mandati relegantur. Rufinianus ſcriba recitavit, Januarius epiſcopus Caſenſis Nigrenſis huic mandato noſtro ſubſcripſi. Item alia manu, Primianus epiſcopus Carthaginenſis, huic mandato ſubſcripſi. item alia manu, Felix urbis Romæ epiſcopus, huic mandato ſubſcripſi. Item alia manu, Donatus epiſcopus Botrianenſis huic mandato ſubſcripſi. Item alia manu, Flutinus epiſcopus Putizienſis, ſubſcripſi. Item alia manu, Caudotius epiſcopus Aggeritenſis ſ bſcripſi. item alia manu, Antonianus epiſc. Lamſortenſis ſubſcripſi quare.

CL. POSSIDIUS EPISC. ECCL. CAT. *dixit* : Noverimus etiam ipſorum præſentiam. Recognovi.

CLI. MARC. VIR CLARIS. TRIB. ET NOT. *dixit* : Tam mandatum quam ſubſcriptiones eidem cohærentes geſtis præſentibus inſerentur. Ad pleniorem autem fidem pars utraque deſignet, utrum nihil de mutuis mandatis vocetur in dubium.

CLII. AURELIUS EP. EC. CATHO. CART. *dixit* : Secundùm ſubſcriptiones mandati ſinguli acceſſerunt noſtrorum. & profeſſi ſunt mandaſſe ſe nobis, etiam ipſi hoc faciant, ut ſubſcriptionibus recitatis, ſinguli profiteantur mandaviſſe ſe, huicque mandato ſubſcripſiſſe. *& alia manu* : Recognovi.

CLIII. MARC. V C. TRIB ET NOT. *dixit* : Ideo tranſire juſſi ſunt ſinguli. ut de præſentia, non de profeſſione conſtaret. Subſcriptiones enim tantùm poſſe ſufficere, nulli vocatur in dubium. Unde nunc illud quæritur, utrum utrarumque partium mandata utriſque partibus placere videantur.

CLIV. AURELIUS EP. EC CAT. CAR. *dixit* : Sed volumus ut ſuis ſubſcriptionibus reſpondeant. Per incolumitatem tuam cognoſcant mandaviſſe ſe: Qui non interfuit ſubl.t. cùm iſti ſubſcriberent. Quod clancolo fecerunt, publicè profiteantur. *& alia manu* : Recognovi.

CLV. MARCELL. V.C. TRIB. ET NOT. *dixit* : Juſta poſcuntur, licet ſubſcriptiones certum ſit poſſe ſufficere.

CLVI. AURELIUS EPISC. ECCL. CATHOL. CART. *dixit*: Ipſi nos ſ. lliritiores reddiderunt.

CLVII. RUFINIANUS SCRIBA *recitavit* : Januarius Epiſcopus Caſenſis dixit. & cum recitaret, Januarius ego & mandavi & ſubſcripſi. Scriptum ſit itaque, me non habere adverſarium aliquem de A parte ipſorum, in plebe mea. Rufinianus ſcriba recitavit, Primianus epiſcopus Carthaginis. Et recitavit, Primianus epiſcopus Carthaginis dixit, Mandaveram; ſed ego hoc mandatum ſuſcepi. Rufinianus ſcriba recitavit, Felix Epiſcopus urbis Romæ, ... & recitavit, Felix epiſcopus urbis Romæ dixit: Et mandavi & ſubſcripſi. Poſſidius epiſcopus eccleſiæ Catholicæ dixit: Ubi eſt Felix? *& alia manu*: Recognovi.

AURELIUS EPISC. EC. CAT. *dixit* : Eſto, quia urbis Romæ epiſcopum ſe dicit, quare præjudicatur abſenti? *& alia manu*: Recognovi. CLVIII.

PETILIANUS EPISCOPUS *dixit* : Quæ CLIX.
B ratio huc eum detulerit nullus ignorat. Nobilitatem omnem hic eſſe Romanam nec ipſi neſcitis. Idem igitur turbo, eademque neceſſitas, eum huc detulit. ut non diſſentire videretur à nobis, & ipſe mandavit. *& alia manu*: Petilianus epiſcopus recognovi.

AURELIUS EPISC. EC. CAT. CART. *dixit* : CLX.
Potuimus & nos tranſmarinos conducere, quorum nomina adderemus mandato. *& alia manu*: Recognovi.

MARCELLINUS VIR CLARISSIMUS CLXI.
TRIBUNUS ET NOTARIUS *dixit* : Licet & ſanctitas veſtra pleniùs recognoſcat, & imperiali ſit auctoritate definitum, inter Africanarum Provinciarum epiſcopos me tantum debere co-
C gnoſcere, tamen hoc quoque ſine præjudicio Epiſcopi urbis Romæ, licet ex ſuperfluo, libenter indulgeo.

AURELIUS EP. EC. CAT. CART. *dixit* : Abun- CLXII.
dat nos abſenti præjudicaſſe. *& alia manu* : Recognovi.

PETILIANUS EPISCOPUS *dixit* : In CLXIII.
omnibus hæc ſequantur & teneant, ſe pro abſentibus & tranſmarinis nihil eſſe loquuturus. *& alia manu*: Petilianus epiſcopus recognovi. AURELIUS Epiſc. Eccl. Cathol. Carthag. *dixit*: Abundat nos Innocentium dixiſſe urbis Romæ eſſe epiſcopum. *& alia manu* : Recognovi. RUFINIAN. SCRIBA *recitavit*: Donatus epiſcopus Bo-
D trianenſis. *Idem dixit* : Et mandavi & ſubſcripſi. Scriptum ſit me non habere contrarium. Rufinianus Scriba recitavit, Florianus epiſcopus Putzienſis. & cùm recitavit, Primianus epiſcopus Carthaginis dixit, Hic apud Carthaginem infirmatus eſt: timens exitum ſuum, perrexit: jam ſubſcripſerat. & recitavit, Laudotius epiſcopus Aggeritenſis. & cùm recitaſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi: habeo contrarium. & recitavit, Antonianus epiſcopus Lauſurtenſis. *idem dixit* : Mandavi & ſubſcripſi : non illic habeo adverſarium. & recitavit, Datianus epiſcopus Tamicenſis, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi: adverſarium ibi non habeo. & recitavit, Victorianus epiſcopus Abitenſis. & cum recitaſſet, idem
E dixit, Mandavi & ſubſcripſi : adverſarium habeo in Dioceſi mea. & recitavit, Natalicus epiſcopus Tzellenſis. & cum recitaſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi. Maximinus epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ dixit, Dioceſis eſt Mizoni epiſcopi, presbyteros habet, & abundantem populum, quam ipſe. & recitavit, Fortis Epiſcopus Cedienſis. & cùm recitaſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi, adverſarium non habeo.

MARCELLINUS VIR CLARISSIMUS CLXIV.
TRIBUNUS ET NOTARIUS *dixit* : Quoniam longum eſt ire per ſingulos, hi decem qui ſe mandaſſe profeſſi ſunt, actis edicant utrum coram ipſis omnium ſit facta ſubſcriptio, & præbeant in ea quæ ſunt geſta conſenſum.

CLXV. PETILIANUS EPISC. *dixit:* Magno quidem compendio utitur magnificentia tua, vir nobilis, ut decem patres collegæque noſtri, qui jam ſe mandaſſe ſubſcripſiſſeque profeſſi ſunt, etiam cæteros patres ſubſcripſiſſe teſtentur. Equidem hoc ad eam rem, vel maximè proficit, ne tempus hujuſce diei ulteriùs producatur. Sed tamen hoc expedit cauſæ, ut ſinguli quique ſe & mandaſſe & ſubſcripſiſſe profiteantur. Propterea ut etiam illud non taceant ſe æmulos nos habere: lucrum enim videtur his cedere, qui multos ſe adverſùm noſtros habere per hanc provinciam oſtendetunt, ſi in provincia Numidia non oſtendamus, eos penitus non habere, aut habere certè, ſed raris locis. Omnis enim intentio noſtra, vir nobilis, ſicut meminiſſe dignaris. de numero ſæpiſſime B cauſata eſt, atque in eodem vehementiſſime hæret. Et quamquam nobis multitudinem par nutriat & conſervet, illis multitudinem bella conquirant, dum abſentibus nobis, aut in locis, aut in civitatibus noſtris, aut in diœceſibus paſſim multas imagines erigunt, ut numeroſi eſſe videantur: tamen & ſi par ſit utriſque adverſitatis numerus, major meus debet videri. qui & me abſente perſtant, & cùm ipſe ſit cardinalis atque authenticos, nec æmulatione multiplici ſuperatur. *& alia manu*: Petilianus Epiſcopus recognovi.

CLXVI. MARCELLINUS VIR CLARISSIMUS TRIBUNUS ET NOT. *dixit:* Deſiderio veſtro ſatisfacere volui in omnibus inquirendis. C cæterùm conſtat nullam mihi de numero cognitionem fuiſſe mandatam.

CLXVII. PETIL. EP. *dixit:* Nobis hoc ſalvum ſit; quod non debuimus reticere.

CLXVIII. FORTUNATIANUS EPISC. ECCL. CATH. *dixit:* Potuimus quidem numeroſiores Catholicæ Eccleſiæ toto orbe diffuſæ, quantum ad cauſam pertinet, in Africa demonſtrare, niſi hoc totum actionis pondus conſiſteret. Verùm quia neſcio quibus moratoriis actionibus vir graviſſimus utitur Petilianus, amputatis ſuperfluis, ad cauſæ jam initium veniatur, ſignificantes inſinuanteſque nobilitati tuæ, vanum in nos præjudicium ſua propoſitione voluiſſe depromere. D *& cùm diceret: alia manu.* Recognovi.

CLXIX. PETILIANUS. EPISCOPUS *dixit:* Injuriam facis vanè; reponetur tibi: & quanquam reponere non liceat, tecum habeto. *& alia manu:* Recognovi.

CLXX. FORTUNATIANUS EPISC. ECCL. CATH. *dixit:* Quo diceret excuſationis tendiculas prætendens ante diem cognitionis ſe quaſi cælorum ſenatum partis Donati epiſcopi obſervaſſe diuturno labore fuiſſe confectos: cùm a noſtra parte omnino ſemper audientia flagitata ſit, ſed idcirco diem tempuſque obſervavimus, ut & in hoc obedientia Catholicæ Eccleſiæ monſtretur. *& cùm diceret & alia manu:* Recognovi. E

CLXXI. MARC. V. C. TRIB. ET NOT. *dixit:* Secundùm edicti tenorem utræque partes his tantùm in judicio remanentibus quibus conſtitit cognitionem fuiſſe ab omnibus mandatam, juxta profeſſiones ſuas cauſam tractare debebunt.

CLXXII. FORTUNATIANUS ECCL. CATH. EPISC. *dixit:* Ut cauſa cognoſci poſſit, decernat ſublimitas tua ſuperfluam & circumſtantem nobis exire multitudinem: *& alia manu:* Recognovi.

CLXXIII. MARCELLINUS V. C. TRIBUNUS ET NOTARIUS *dixit:* Hoc fieri neceſſe eſt: illud autem prius eſt, ut decem ab utraque parte fateantur ſe in ſubſcribentium conſenſiſſe perſonas. & licet ad veſtram petitionem eorum fuerit præſentia procurata, tamen ne quid vobis denegatum eſſe videatur, univerſorum ſubſcriptiones ex ordine relegantur.

CLXXIV. ALYPIUS EPISCOPUS ECCL. CATHOLICÆ *dixit:* Reſpondeant, utrum omnium ſubſcriptiones quæ mandato continentur, hic apud Carthaginem ſint conſcriptæ. *& alia manu:* Recog.

CLXXV. EMERITUS EPISCOPUS *dixit:* Quantum ex proſecutione cognovi, opus erat, ut è noſtris partibus profeſſio prometeretur. patientia judiciorum tuorum quæ manum dat omnibus, libenter annuit, ut & ii qui ſubſcripſerunt profeſſionem ſuam præſenti adſtipulationi inſerant geſtis. Petimus prudentiæ tuæ ut cùm ſubſcriptio cœperit recitari, eoſdem digneris audire. *& alia manu:* Emeritus recognovi.

CLXXVI. MARCELLINUS VIR CLARISSIMUS TRIBUNUS ET NOTARIUS *dixit:* Subſcriptiones omnium ſicut juſſeram, recitentur. Rufinianus ſcriba recitavit Optatus Epiſcopus Rucucitenſis. & cùm recitaret, Optatus Epiſcopus dixit, Mandavi & ſubſcripſi. & recitavit, Pomponius Epiſcopus Macrianenſis. & cùm recitaret, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi. Donatianus Epiſcopus Baguaienſis. & cùm recitaret, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi. & recitavit, Privatus epiſcopus Azugenſis. & cùm recitaret, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi: adverſarium in plebe mea non habeo. Ampelius epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ dixit, Perfectam unitatem ex converſione ſua cognoſcens, rectiſſimam fidem mecum frater meus Primulus loquitur epiſcopus. Epiſcopus enim tunc fuit partis Donati, nunc converſus demonſtrat cum plebe integram fidem ex ſua converſione. unitas illic perfecta eſt, non ſolùm in ipſa civitate, verùm etiam in omnibus Diœceſibus.

CLXXVII. AURELIUS EPISC. ECCL. CATH. CART. *dixit:* Rogamus, recitentur nomina quæ jamdudum de ſubſcriptione recitavit. Donatianum dixit Bagaienſem, & Privatum Vagenſem. *& alia manu:* Recognovi.

MARCELLINUS VIR CLARISSIMUS TRIBUNUS ET NOTARIUS *dixit:* Denuo hæc nomina de quibus dubitatio naſcitur recitentur. & recitavit, Donatianus epiſcopus Bagaienſis, Privatus epiſcopus Vagenſis. Alypius epiſc. Eccl. Cath. dixit, Abſit fallacia. Rogatus epiſcopus dixit, Januarianus dicitur, non Privatus.

CLXXVIII. MARCELLINUS VIR CLARISSIMUS TRIBUNUS ET NOTARIUS *dixit:* Vultum tamen ipſum eſſe cognoſcis.

CLXXIX. ROGATUS EPISC. *dixit:* Januarianum ſcio, Privatum neſcio. & recitavit, Donatus epiſcopus plebis Celerinenſis. & recitavit: idem dixit, Ego mandavi & ſubſcripſi: adverſarium omnino nec habui, nec habeo in plebe mea. & recitavit, Victor epiſcopus Ipponienſis Diarrytor. & cum recitaret, idem dixit, Et mandavi & ſubſcripſi. & recitavit, Sarmentius epiſcopus Cernamuſenſis: & cùm recitavit, idem dixit, Et mandavi & ſubſcripſi: teneant geſta, quia in plebibus meis adverſarium non habeo. Primianus epiſcopus Carthaginis dixit: Jamdudum de duobus fuit cauſa: idcirco & illi non ſunt mentiti, nec noſtri. Nam eſt Auzagga ubi fuit Januarianus, qui nunc defunctus eſt: alia Auzagga, ubi eſt Privatus, qui nunc vivit. *& alia manu*, Primianus recognovi.

CLXXX. MARC. V. C. TRIB. ET NOT. *dixit:* Satis Epiſcopali veritate rem de qua error fuerat natus, judiciis intimare dignatus es. unde nunc cætera,

perlegantur. & recitavit, Perſeverantius Epiſcopus Teveſtenſis. & cum recitaret, idem dixit, Et mandavi & ſubſcripſi. & recitavit, Pancratius Epiſcopus Badienſis, & recitavit, idem dixit, Et mandavi & ſubſcripſi. & recitavit, Maximianus Setteitenſis Epiſcopus. & cum recitaret, idem dixit, Et mandavi & ſubſcripſi. & recitavit, Severinus epiſcopus Caſtellanus. & cum recitaret, idem dixit, Et mandavi & ſubſcripſi. & recitavit, Colonicus epiſcopus Tuuſtenſis. & cum recitaret, idem dixit, Et mandavi & ſubſcripſi, & traditores apud me non habeo. & recitavit, Felix Epiſcopus Moprenſis. & cum recitaret, idem dixit, Et mandavi & ſubſcripſi. & recitavit, Secundinus epiſcopus Jucundianenſis. & cum recitaret, idem dixit. Et mandavi & ſubſcripſi: adverſarios in Eccleſia non habeo. & recitavit, Donatus Epiſcopus Vagearenſis. & recitavit, idem dixit, Et mandavi & ſubſcripſi.

CLXXXI. Alypius episc. ecc. cath. dixit: Scriptum ſit iſtos omnes in villis vel in fundis eſſe Epiſcopos ordinatos, non in aliquibus civitatibus. Recognovi.

CLXXXII. Petilianus episcopus *dixit*: Sic etiam tu multos habes per omnes agros diſperſos: imo crebros ubi habes, ſane & ſine populis habes. *& alia manu*: Petilianus Epiſcopus recognovi. Marcellinus vir clariſſimus Tribunus & Notarius dixit, Scripta ſint, quæ ab utriſque partibus inſinuata videntur eſſe judiciis. & recitavit. Rogatianus Epiſcopus Idaſſenſis... & recitavit. idem dixit, Et mandavi & ſubſcripſi: non habeo adverſarium. Aurelius epiſcopus eccleſiæ Catholicę Macomadienſis, dixit, Habeo preſbyterum in Eccleſia. Florentianæ epiſcopi fuerunt tres catholici, jam deceſſerunt: non potuimus adhuc ordinare. preſbyterum illic habemus Florentinum. & recitavit, Germanus epiſcopus Zugibbaritenſis. & cum recitaret, idem dixit, Et mandavi & ſubſcripſi. & recitavit, Rogatianus Epiſcopus Villamagnenſis. & cum recitaret, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi: adverſarium non habeo. & recitavit, Preſbyter Manilius Bazienus pro Epiſcopo meo. & cum recitaſſet

CLXXXIII. Marcellinus vir clarissimus trib. et not. *dixit*: Pro quo epiſcopo? Petilianus epiſcopus dixit. Lumine captus eſt. *& alia manu*: Petilianus Epiſcopus recognovi. Alypius epiſcopus Eccleſiæ catholicæ dixit. Reſpondeatur utrum præſens ſit, pro quo ſubcriptum eſt. *& alia manu*: Recognovi. Primianus Epiſcopus dixit, Loquamur veritatem, oculis captus eſt, venire non potuit, Preſbyterum ſuum direxit. *& alia manu*: Primianus Epiſcopus recognovi. Marcellinus vir clariſſimus Tribunus & Notarius dixit: Sed nomen ipſius debuit ſubſcriptione teneri.

CLXXXIV Alypius episc. eccl. cathol. *dixit*: Teſtatum ſit, etiam abſentium nomina velle inſerere, ut etiam nobis liceat nomines catholicos Epiſcopos, qui per infirmitatem vel per aliquam occupationem adeſſe non potuerunt, geſtis inſerere. *& alia manu*: Recog. *& recitavit*: Donatus Epiſcopus Apiſſanenſis. *& cum recitavit*, idem dixit, Et mandavi & ſubſcripſi: adverſarium non habeo.

CLXXXV. Petilianus episcopus *dixit*: Quoniam proſecutio partis adverſæ conteſtata monſtratur, aliquos ſe abſentes habere, nos quoque non tacemus, aliquantos noſtros multis neceſſitatibus aut adverſis valetudinibus præpeditos non veniſſe, aliquantas etiam Cathedras nunc eſſe viduatas, quibus adhuc epiſcopi ordinati non eſſe monſtrantur. etiam hoc acta contineant. *& alia manu*: Petilianus Epiſcopus recognovi.

Marc. V. C. trib. et not. *dixit*: Quantum ad confirmationem mandati pertinet, ſufficit in utraque parte eorum numerus ſacerdotum, qui eidem mandato ſubſcripſiſſe monſtrantur. unde reliqua perlegantur, ſuperfluis abſentum cauſationibus ſequeſtratis. & recitavit, Quintaſius Epiſcopus Vaienſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi. CLXXXVI.

Alypius episc eccl. cath. *dixit*: Obliteretur ergo ſubſcriptio abſentum. & alia manu, Recognovi. & recitavit, Januarius Epiſcopus Lamaſbenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Felix Epiſ. Novaſeonenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Martialis Epiſcopus Idicrenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Gedulus epiſcopus Uticenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Urbanus epiſcopus Satafenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Donatus epiſcopus Cilitenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi, & ſubſcripſi. item recitavit, Liberalis epiſcopus loci Naſaitenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi: nec habui adverſarium, nec habeo permittente Deo. item recitavit, Maximianus epiſc. Ermianenſis. cũque acceſſiſſet, idem dixit, Mãdavi & ſubſcripſi. item recitavit Fortunatianus Epiſ. Veſceritenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Madavi & ſubſcripſi. item recitavit, Peregrinus Epiſ. Suſetenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Donatus Epiſcopus Merſetobitenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Gavinus epiſcopus Vegeſelitenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Veratianus epiſcopus Carpitenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi qui ſum ſucceſſor Fauſtiniani, qui in unitate veritatis fuerat ordinatus à Donato et poſtmodum veró temporibus Macarii, illic emerſerunt traditores. item recitavit, Gaianus epiſcopus Tigualenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Rogatus Epiſcopus Perdicenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Victorinus epiſcopus plebis Eprimmenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Martinianus loci Tribuzabetenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Quintianus epiſcopus à Lacudulce. Valentinianus Diaconus Epiſcopi Primiani dixit, Male habet. item recitavit, Pelagius epiſcopus Vanarionenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi: adverſarium non habeo. item recitavit, Victorianus epiſcopus Tibaritenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Primulianus epiſcopus Mandaſumitenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Conſenſi & ſubſcripſi. item recitavit, Fortunatianus epiſcopus Metenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Felicianus epiſcopus Urimenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Florentinus epiſcopus à Tubuſubtu. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Marcus epiſcopus Midicenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi: CLXXXVII

adverſarium non habeo. Alypius epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ dixit, Unde es? quæ eſt autem civitas tua? Marcus epiſcopus dixit, Secuſta Prura Amidicca. Novit Melimelimenia Nuſaia Pruta. item recitavit, Donatus Epiſcopus Creſimenſis. cumque acceſſiſſet idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi: adverſarium non habeo. item recitavit, Victorianus epiſcopus Puppitenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi. item recitavit. Dativus epiſcopus Novapetrenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi: & adverſarium non habeo, quia illic eſt Domnus Marculus, cujus ſanguinem Deus exiget in die judicii. item recitavit, Maximinus epiſcopus dixit, cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Creſconius Ep. Legenſis. cūque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi: adverſarium ibi nec habui, nec habeo. item recitavit, Valentinianus Epiſcopus Iuncem. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Gaudentius epiſc. Zertenſis, cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi: adverſarium non habeo. Aurelius epiſc. Eccleſ. Catholicæ Macomazienſis dixit, Eſt ibi preſbyter Catholicorum. Gaudentius epiſcopus dixit, Non habeo adverſarium in plebe mea. item recitavit, Bonifacius Epiſcopus Urugitenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Donatus Epiſcopus Bamaccorenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi. & nullum habeo adverſarium in plebe, niſi ſolum Abeſſalonem. Aurelius epiſc. Eccleſiæ Catholicæ Macomadienſis dixit, Hic eſt epiſcopus præſens Caſſianus. Item recitavit, Reſtitutus epiſcopus Druſilianenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Flavianus Ep. Pauxerenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Clarentius Ep. Tabracenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Recargentius epiſcopus Lamiggigenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi: adverſarium non habeo. Aurelius epiſcopus Macomadienſis dixit, illic eſt Creſcentianus preſbyter. item recitavit, Paſcaſius epiſcopus Tuggenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Caſtus epiſcopus Cellenſis. cumque acceſſiſſet idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Aptus epiſcopus Tuzuritenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Victor epiſcopus Rotarienſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi: adverſarium non habeo. Aurelius Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ Macomadienſis dixit, Epiſcopum illic habuimus: occidiſtis illum & invaſiſtis.

clxxxviii. ADEODATUS EPISCOPUS *dixit*: Dicit Epiſcopum occiſum, accuſet, doceat, intendat. & alia manu, Adeodatus epiſcopus recognovi. Aurelius epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ Macomadienſis dixit, Et rebaptizaverunt illum hominem nonagenarium epiſcopum. Victor epiſcopus Azurenſis Eccleſiæ Catholicæ dixit, Dicit ſe non habere: ego Eccleſiam illic habeo; quod te non fugit. item recitavit, Calipodius epiſcopus Vararitanenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi item recitavit, Benenatus epiſcopus Cazenſis Baſtalenſis mandavi & ſubſcripſi, & non habeo adverſarium. item recitavit, Honoratus epiſcopus Adqueſirenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Felix epiſcopus Maaulitanenſis, cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Marcianus epiſcopus Sitifenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Januarius epiſcopus Numidienſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi, & traditores non habeo. Fortunatianus epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ Siccenſis, dixit, Unde es? Januarius epiſcopus dixit, Numidia eſt: Mauritania eſt Cæſarienſis. Reparatus epiſcopus Eccleſiæ Cath. Siſaitenſis dixit, Dioceſis mea eſt. illic preſbyterum habeo, illic tecum vigilavit. item recitavit, Campanus Ep. Cincaritenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Creſconius epiſcopus Cæſarianenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi: æmulum non habeo, Novatus epiſcopus Sitifenſis Eccleſiæ Catholicæ dixit, Habet contra ſe Catholicum preſbyterum, clericos abundantes, & populos ex cœtu Donatiſtarum. hic eſt preſbyter & Diaconus, hic in hac civitate Carthagine, quem prædavit, quem torſit, quem ſuſpendit: Eccleſiam autem Catholicam prædavit, pecuniam ſuſtulit, frumenta deportavit, carpenta duxit. ut Noritenſis iſte, quia eſt illic Eccleſia Catholica. Hoc ſum proſecutus.

ADEODATUS EPISCOPUS *dixit*: Hæc omnia documentis agenda ſunt: faciat periculum, qui mendacium in judicio promit. *& alia manu*: Adeodatus epiſcopus recognovi. Novatus Ep. Eccleſiæ Catholicæ dixit, Jube preſbyterum loci intromitti. clxxxix.

MARCELLINUS V.C. TRIBUNUS ET NOTARIUS *dixit*: Ad præſentem cognitionem iſta non pertinent, quæ mihi mandata eſt: reliquorum ſubſcriptio relegatur. Salvianus Epiſcopus dixit, Nobis præſcriptum eſt dudum, quo dicerent, de epiſcopis agitur, non de preſbyteris. cxc.

FORTUNATIANUS EPISC. ECCL. CATH. *dixit*: A noſtris partibus propterea reſpondetur, quia ibi Catholica denegatur: Unde impudentiæ veſtræ ſatisfactum fuiſſe, præſentia geſta loquentur. *& alia manu*: Recognovi. cxcı.

ADEODATUS EPISCOPUS *dixit*: Agimus tibi gratias, quòd ſemper facis injuriam. *& alia manu*: Adeodatus epiſcopus recognovi. cxcii.

MARCELLINUS VIR CLARISSIMUS TRIBUNUS ET NOTARIUS *dixit*: Iſta in tempus aliud reſerventur, nunc quod delegatum eſt ſacro judicio, peragatur. item recitavit, Feliciſſimus Epiſcopus Obbenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Rufinus preſbyter pro epiſcopo meo Juliano Milenſi, ſubſcripſi. cxciii.

FORTUNATIANUS EPISC. ECCL. CATH. *dixit*: Reſpondeatur, utrum pro præſente ſubſcripſerit. *& alia manu*: Recognovi. cxciv.

ADEODATUS EPISCOPUS *dixit*: Julianus ægritudine præpeditur: ſed ne videretur aliquo pacto defuiſſe, presbyterum miſit, per quem ſuam abſentiam excuſaret: & ipſe pro illo ſubſcribit: *& alia manu*: Recog. cxcv.

MARCELLINUS V. C. TRIB. ET NOT. *dixit*: Probabilis & rationabilis excuſatio eſt. cxcvi.

FORTUNATIANUS EPISC. ECCL CATH. *dixit*: Etiam hoc teſtatum eſſe volumus, quia pro abſente ſubſcripſit. & alia manu, Recognovi. item recitavit, Optatus epiſcopus Timicitenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Victorianus Tigimmenſis epiſcopus. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Honorius cxcvii.

Epiſcopus Vattanenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Martinus Epiſcopus Siccefitenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi. item recitavit. Vindemius Epiſcopus Acenis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Donatus Epiſcopus Tanudajenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Poſſidius Epiſcopus Silihtenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Reparatus Epiſcopus Aquenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi. isem recitavit, Honotatus Epiſcopus Larenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Proficentius Epiſcopus Macomazenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Licet non habeam adverſarium, Mandavi & ſubſcripſi. Fortunatianus Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ dixit, De qua Macomadia? Proficentius Epiſcopus dixit, Ruſticiana. item recitavit, Paſcaſius Epiſcopus Duſitenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit. Mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Antonianus Epiſcopus Druenſis. cumque. acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Januarius Epiſcopus Aquæ Albenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Creſcens Epiſcopus Icoſitenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Paſchaſius Epiſcopus Turenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Victot Epiſcopus Orienſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi. idem recitavit, Marcianus Epiſcopus Tabazagenſis. cumque acceſſiſſet idem dixit, Mandavi & ſnbſcripſi. item recitavit, Creſcomus Epiſcopus Siguitenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi. Sicut adverſariom non habeo, ſic nunquam habeam. Item recitavit, Darivus Epiſcopus Viſenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, QuodvultDeus Epiſcopus Nebbitenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi. item recitavit Conſtantius Epiſcopus Ruſubiccatienſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Auguſtalis Epiſcopus Altiburitenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Saturninus Epiſcopus Tamagriſtenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Simplicius Epiſcopus Tibilitenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi: adverſatium non habeo. Aurelius Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ Macomadienſis, dixit, Ipſe eſt Epiſcopus, qui rebaptizatus eſt, & factus eſt Audiens.

CXCVIII. Adeodatus Episcopus *dixit:* Hoc cognitioni ſervandum eſt, agnovit veritatem. item recitavit, Vatianus Epiſcopus à Turre alba. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Veriſſimus Epiſcopus Tacaratenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Servatus Epiſcopus Amphotenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Martialis Epiſcopus Vatarbenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi: adverſarium non habeo. item recitavit, Donatus Epiſcopus Tamaſcaninenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit. mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Quadratianus Epiſcopus plebis Sicilibbenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Saturnus Epiſcopus Sitenſis; cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Junior Epiſcopus Ruſiccadienſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Miggin Epiſcopus Ediſtianenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Fidentius Epiſcopus Dianenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandsvi & ſubſcripſi. item recitavit Geminius Epiſc. Clypienſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Marcianus Epiſcopus Aſſabenſis. cumque acceſſiſſer, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Rogatianus Epiſcopus à vico Ateri. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Donatus Epiſcopus Bucconienſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubcripſi: adverſarium non habeo. item recitavit, Donatus Epiſcopus Tegulatenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit Donatus Epiſcopus Zicenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Felis Epiſcopus Magstmelenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Marcellinus Epiſcopus Mulſitenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Benenatus Epiſcopus à Caſis Silvanæ. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Rufinus Epiſc. Lsbdenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Victot Epiſcopus Dionyſianenſis. Primianus Epiſcopus Carthaginis dixit, Ægrotat. item recitavit, Benenatus Epiſcopus Meſatfeltenſis. comque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi: & adverſarium non habeo. Aurelius Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ Macomsdienſis dixit, Habes: perſecutio tua plurimos cives evertit: Lucianos ibi fuit Epiſc. adhuc ordinari hsbet. item recitavit, Glorioſus Epiſcopus Migirpenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Julianus Epiſcopus Lamigigenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Paulus Epiſcopus Siccenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Felicianus Epiſcopus Aquænovenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit. Æmilianus Epiſc. Verronenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Secundinus Epiſcopus Vuazienſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Bellicius Epiſcopus Telleptenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Lucius Epiſcopus Habenſis. cumqua acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Bebianus Epiſcopus Duſenſis. cumque acceſſiſſet. idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Bonifacius Epiſcopus Utummenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Reſtitutus Epiſcopus Membreſſitenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Creſcomus Epiſcopus Aquenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi: & traditorem in plebe mea non habeo. Aurelius Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ Macomadienſis dixit, Habemus ibi preſbyterum. nam & Epiſcopus ibi fuit, modo defunctus eſt, & in loco ejus necdum eſt ordinatus. item recitavit, Victor Epiſcopus Curubutenſis. comque acceſſiſſet. idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item re-

recitavit, Saturus Epiſcopus Bizacienſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Florentinus Epiſc. Furnitenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Æmilianus Epiſc. Caſen Medianenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Victor Epiſc. Gratianenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Luculus Epiſc. ab Hoſpitiis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. duo adverſum me habeo, & ordinaverunt modo unum. item recitavit, Romanus ep. Leſuitenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Reſtitutus epiſc. Segermitenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit. Creſconius Epiſcopus ab Horrea Aninicenſi. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Fauſtinus Epiſc. Tabajenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Primilianus Epiſc. Lucimagnenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi: adverſarium non habeo. item recitavit, Maximianus Epiſc. Bennefenſis. Primianus epiſc. Carthaginis dixit, Hodie exivit de corpore. item recitavit, Donatus epiſc. Tiſeditenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Urbanus epiſ. Talenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit. Innocentius Epiſc. Guzabetenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi: adverſarium non habeo. item recitavit, Felix epiſc. Tizummenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Leontius Epiſc. Ruſticianenſis, cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi: adverſarium non habeo. Terentius epiſc. Eccl. Cath. dixit, Iſte rebaptizabat poſt partem Donati: rebaptizatus eſt poſtea, & ſic eſt ordinatus.

cxcix. ADIODATUS EPISCOPUS *dixit*: Serva partibus quæ competunt. item recitavit, Evaſius Ep. Girbitenſis, cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi.

cc. FORTUNATIANUS EPISC. ECCL. CATH. Siecenſis dixit, Felix Zūmenſis quomodo abſens ſubſcribere potuit, doceatur. *& alia manu*, Recog.

cci. MARCELLINUS VIR CLARISSIMUS TRIBUNUS ET NOT. *dixit*: Videtis quid à partibus veſtris flagitetur: quæritur enim quis nomine iſtius qui in præſentiarum videtur minimè conſtitutus, ſubſcripſerit mandato. Adeodatus Epiſ. dixit, Expecta. hoc quæritur. *& alia manu*: Adeodatus Epiſcopus recognovi. Optatus Epiſcopus dixit, Felix Lamhienſis infirmatur. Marcellinus vir clariſſimus Tribunus & Notarius dixit, Cujus loci Felix Epiſcopus ſubſcripſerit, Officium apertè demonſtret. & recitavit, Felix Zummenſis. Alypius Epiſc. Eccleſiæ Catholicæ dixit, Subſcriptionibus falſitatem deprehenſam fuiſſe teſtatum ſit. *& alia manu*: Recognovi. Adeodatus epiſcopus dixit, Hic error eſt, non falſitas. *& alia manu*, Recognovi. Alypius epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ dixit, Magnus error, neſcivit unde eſſet. *& alia manu*, recognovi. Poſſidius Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ dixit, Quis ſub ejus nomine ſubſcripſerit, ſaltem hos Notarius eorum edicat; ut ſuperius. Alypius Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ dixit, Sufficit, non nos prætermiſiſſe iſta; ut ſuperius. Petilianus Epiſcopus dixit, Felix quidam Lambienſis, collega noſter, hic ægrotat. ſed & alii duo, id eſt Flavianus & Donatus idem, non mediocri ægritudine retinentur. credo quòd alicui mandaverit pro ſe ſubſcribi ille Felix: & in nomen ſedis vel loci factus eſt error; quem aut ſimpliciter accipiant, aut facimus hujus nominis jacturam. *& alia manu*: Petilianus Epiſcopus recognovi. Marcellinus vir clariſſimus Tribunus & Notarius dixit, Accepiſtis proſecutionem; quam vobis æſtimo poſſe ſufficere. unde patimini ut reliqua perlegantur. & recitavit, Januarius epiſcopus de Tuburſicu Numidarum. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Secundus Epiſcopus Temtenſis urbis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Hic ſum; & mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Donatus epiſc. Arenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi: & traditores in plebe mea non habeo. item recitavit, Marinianus epiſcopus à Boca. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Montanus epiſcopus à Cemerinianu. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. adverſarium non habeo. Fortunatianus Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ dixit: Conſtantinam habemus illic Eccleſiam, & Preſbyterum Terentium. item recit. Donatianus Epiſcopus Carcabienſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi. item recitavit. Juſtus epiſcopus Niciben. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Felix Epiſcopus Tagarajenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Victor epiſcopus Eguizetenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Januarius epiſcopus Harran . . celtenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Creſconius epiſcopus Pudentianenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi: Traditores verò in plebe mea & omni Dioceſe mea non habeo. Aurelius Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ Macomadienſis dixit, Epiſcopum ibi habebamus Memmianum, reverentiſſimum virum: poſtea alterum Memmianum illic ordinavimus. defuncti ſunt, ordinamus alium. Adeodatus Epiſcopus dixit, Cui Aurelius epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ Macomadienſis dixit: Remotis vobis ordinamus: ipſi depoſuerunt Baſilicas, ipſi tulerunt ornamenta Eccleſiæ: ille qui loquitur, quatuor Baſilicas depoſuit uno loco. item recitavit, Januarius epiſc. Aptucenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. Victor epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ Libertinenſis dixit, Unitas eſt illic, publicam non latet conſcientiam. item recitavit, Fidentius Epiſcopus Cullitenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Saturninus epiſcopus Gazabianenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit. Vitalis epiſcopus Maſculitenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. Aurelius epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ Macomadienſis dixit, iſte Vitalis Diaconus fuit Catholicus in civitate Sitifenſi rebaptiſatus, factus eſt preſbyter: projectus eſt cauſâ adulterii, & factus eſt poſtea Epiſcopus. Petilianus epiſc. dixit, Accuſatoris loco ſtare voluiſti. *& alia manu*. Recognovi. Aurelius Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ Macomadienſis dixit, Non accuſatoris loco, ſed purgationis. item recitavit, Rufinus epiſcopus Tuburbitenſis. cumque acceſſiſſet, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Creſconius epiſcopus Bajeſitenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Saturninus Epiſcopus Victorianenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi.

item recitavit, Lucianus Epiſcopus Burugiaten-ſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Maximus epiſcopus Abitinenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Victor epiſcopus Gibbenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Victorianus epiſcopus Tunuſudenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Creſconius Auſugrabenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Fortunatianus epiſcopus Aſenemſalenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Saluſtius epiſcopus Zerten. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Hilarus epiſcopus Sullitenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi. & cum recitaſſet, Victor Epiſcopus Tabboten. Dioceſis, Suſceperam quidem mandatum; ſed quia beatiſſimus pater & princeps noſter, Primianus nunc ſuſcepit, me neceſſe eſt mandare his actis. Marcellinus vir clariſſimus Tribunus & Notarius dixit, Voluntatem tuam geſta retinebunt. item recit. Argutus Epiſc. Tabudenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Felix Epiſcopus Manazenenſis Regiotum. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit Macrobius epiſcopus Ipponirenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Maximinus epiſcopus Uzabirenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Creſconius Epiſcopus Silemſilenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. Traditores non habeo in plebe mea. Aurelius epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ Macomadienſis dixit, Presbyterum habemus qui intervenit.

ccii. ADEODATUS EPISCOPUS *dixit*: Intervenit, dixiſti. ſi ubique veſtros ſpargere vobis, jam videmini habere nobiſcum partem, in his locis ubi Chriſtiani ſunt. *& alia manu*: Recognovi. Item recitavit, Gaudentius epiſcopus Nigizubitenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit Creſconius Epiſcopus Suitenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Curraſius Epiſcopus Fiſſanenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Speratus Epiſcopus Cataquenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Fortunatus Epiſcopus Venſanenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi. item recitavit. Januarius Epiſcopus Centurionenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Comparator epiſcopus Mactaritenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Creſconius epiſcopus Banzarenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi: traditorem non habeo in plebe mea. item recitavit, Victor epiſcopus Hiltenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Victor epiſcopus Tuulitenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Felix epiſcopus Voſeten. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi.

cciii. PALATINUS EPISCOPUS ECCLESIÆ CATHOLICÆ *dixit*: Diaconus fuit & rebaptizatus eſt. Adeodatus Epiſcopus dixit, Serva partibus quæ competunt. *& alia manu*. Adeodatus epiſcopus recognovi. item recitavit, Rogatus Epiſcopus Zaraitenſis cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi. Creſconius epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ dixit, Diaconus Catholicus erat, & rebaptiſatus eſt. Adeodatus epiſcopus dixit, Serva partibus quæ competunt, item recitavit, Maximinus epiſcopus Tuburbitenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit Donatus epiſcopus à Medianas Zabuniot. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi.

cciv. VICTOR EPISCOPUS ECCLESIÆ CATHOLICÆ *dixit*: Probet ſe acceſſiſſe ad unam domum quam dicit. Novatus epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ Sitifi dixit, Scriptum ſit me Medianas Zabunior. habere presbyterum: ipſe hodie tenet plebem & baſilicam: unitatem habeo, nullus illic eſt Donatiſtarum. Supra corpus Epiſcopi Catholici presbyterum ordinavi, & Deo volente ordinabitur illic epiſcopus: epiſcopus autem Donatiſtarum in eodem loco non eſt. Adeodatus Epiſcopus dixit, Contra hæc ſerva quæ competunt. *& alia manu*, Adeodatus Epiſcopus recognovi. Marcellinus vir clariſſimus Tribunus & Notarius dixit, Quæ partibus competunt, ſalva erunt. item recitavit, Felix epiſcopus Uzalenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Servandus Epiſcopus Caſis Favenſibus. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi: traditorem non habeo. item recitavit, Felix Epiſcopus Putienſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi.

ccv. PETILIANUS EPISCOPUS *dixit*: De mãdato conſtet, non de cauſa, quæ poſtea eſt ventilanda. *& alia manu*, Petilianus Epiſc. recog.

ccvi. MARCELLINUS VIR CLARISSIMUS TRIBUNUS ET NOTARIUS *dixit*: Iſta frequentius interloquutus ſum, ſuperfluè in his creditis immorandum. Item recitavit, Meſſianus epiſcopus Seleucianenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Liberantius epiſc. Tiſanenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Creſconius Epiſc. Advocatenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Donatus Epiſcopus Scilitenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Urbanus epiſc. Bicenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Victorinus Epiſcopus Adrumetenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi. item recitavit Maximus Epiſcopus Canianenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Ampelius Epiſcopus Neapolitanus. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi. item recitavit Maximus Epiſcopus Macrenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Idaxius Epiſcopus Muzucenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Reſtitutus epiſcopus Flumenpiſcenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Tertullus epiſcopus Cilibienſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. Januarius epiſcopus Natenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. Item recitavit, Honoratus Epiſcopus Tuſdritenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Creſcentilianus Epiſcopus Lambiritenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi: & profiteor me traditores non habere. Aurelius Epiſc.

Eccleſiæ Catholicæ Macomadienſis dixit, Soper-A fluè profiteris : Epiſcopus ibi fuit, proximè defunctus eſt, ordinandus erit illic alius. item recitavit, Habetdeum Epiſcopus Aurusulianenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Burcaton Epiſcopus Gemellenſis. cumqoe acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi: Traditorem non habeo oec unquam habui. item recitavit, Januatios Epiſc. Betagbarenſis. cumque occeſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Donatianus Epiſcopus Lamzellenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi : traditorem autem nec habeo nec babui, nec habiturus ſum. Aurelius Epiſc. Eccleſiæ Catholicæ Macomadienſis dixit, Rufus Epiſcopus ibi fuit noſter, B Lamzelli in baſilica noſtra poſitus eſt Gildo. ſcriptum ſit, dum expectatur electio. Cæterùm in nomine Chriſti ordinabitur illic Epiſcopus. Item recitavit, Celer Epiſcopus Capſenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Creſconius Epiſcopus Muſtitenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi. item recitavit, Donatus Epiſc. Tuburſicenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Quodvultdeus Epiſc. Ceſſitenſis.

ccvII. Petilianus Episcopus *dixit* : In itinere defecit. *& alia manu* : Petilianus Epiſcopus recognovi. Fortunatianus Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ dixit : Qui in itinere dicitur defeciſſe, quemadmodum invenitur ſubſcripſiſſe doceatur. *& alia manu*, Recognovi. Petilianus Epiſcopus dixit, Non de ipſo dictum eſt, calumnioſè agis : de altero ſuggeſtum eſt, *& alia manu*, C Petilianus Epiſcopus recognovi. Fortunarianus Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ dixit, De quo? Petilianus Epiſcopus dixit, Qui deceſſit in via. *& alia manu*, Ut ſuperius. Alypius Epiſcopus Eccleſiæ Catbolicæ dixit, Recitentur nomina, ut eadem agnoſcat. *& alia manu*, Recognovi. Fortunatianus Epiſcupus Eccleſiæ Catholicæ dixit, Si in via defecit, quomodo ſubſcripſit? *& alia manu*, Recognovi. Aurelius Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ Carthaginis dixit, Clericos pro mortuo ſubſcripſit. *& alia manu*, Recognovi. Alypius Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ dixit, Eligat ſibi, ut oſtendam quomodo mentiatur. *&* D *alia manu*, Recognovi. Marcellinus vir clariſſimus Tribunus & Notarius dixit, Doceatur quomodo is qui in itinere dicitor defeciſſe, ſubſcripſerit. Alypius Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ dixit, Recitetur utrum clericus ex nomine ſuo ſubſcripſerit, an ex nomine defuncti. *& alia manu*, Recognovi. Marcellinus vir clariſſimus Tribonus & Notarius dixit, Recitetur, cujus nomine ſobſcripſerit qoi in itinere dicitur defeciſſe. & recitavit, Quodvultdeus Epiſcopus Geſſitenſ. æger ſubſcripſi. Fortunatianus Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ dixit, Advertit Nobilitas tua, nullius clerici nomen pro defuncti nomine ſubſcripſiſſe, ſed tanquam vivi mortui oobis qui in via juxta eorum profeſſionem dicitur defeciſſe, ſubſcriptionem obtoliſſe. *& alia manu*. Recognovi. E Petilianus Epiſcopus dixit, Quid ſi & iſte moriatur, qui æger ſubſcripſit? quaſi hodie non unus defecit. *& alia manu*, Petilianus Epiſcopus recognovi. Aurelius Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ Carthaginis dixit, Sed in itinere defeciſſe dixiſti. *& alia manu*, Recognovi. Alypios Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ dixit, Sufficiunt iſta deprehenſa, cætera ſubſequantur. *& alia manu*, Recognovi. Petilianus Epiſcopus dixit, Nihil reprehendiſti, argumentaris contra veritatem. *& alia manu*, Petilianos Epiſcopus recognovi. Alypius Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ dixit, Tu dixiſti. *& alia manu*, Recognovi. Marcellinus vir clariſſimus Tribuous & Notarius dixit, Si verum eſt ot aſſeritis, quòd in itinere defecit, conſtat ejus ſubſcriptionem falſiſſimè recitatam : ſin verò ipſe ſubſcripſit, noo potuit in itinere deperire. Petilianus Epiſc. dixit, Non eſt humanum mori? non etiam morientes teſtamentis ſuis ſobſcribunt? *& alia manu*, Petilianus Epiſcopus recognovi. Alypius Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ dixit, Humanitatis eſt mori, ſed inhumanitatis eſt fallere. & alia manu.. Petilianus Epiſcopus dixit, Non eſt boc fallere, quia potuit revertens in itinere mori. Mandatum adhuc modò accipio, dico qoòd moveat. *& alia manu*, Petilianus Epiſ. recognovi. Fortunatianus Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ dixit, Mandatorum dies prolatus à partibus recitetur, ut appareat de nomine defuncti, quæ pars in mendacium proſiliet. *& alia manu*, Recognovi. Marcellinos vir clariſſimos Tribunus & Notarius dixit, Mandati diem pandat officium. Rufinianus ſcriba dixit, Recitato ſicot præcepit ſublimitas tua die mandati. & recitavit : Poſt conſulatum Varanis viri clariſſimi octavo Calendas Junias Carthagine. & eum recitaſſet, Marcellinus vir clariſſimus Tribunus & Notarius dixit, cætera perlegantur. Rufinianus ſcriba recitavit : Januarianus, Primianus, Felix, Donatus, Candorius, Optatus, Antonianos, Donatianus, Victorianus, Fortis, & cęteri; Primiano, Petiliano, Emerito, Protaſio, Montano, Gaudentio, Adeodato, coëpiſcopis ooſtris præſentes præſentibus ſalutem. & recitavit, Aurelius epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ dixit : Jamdudum ipſe ſubſcripſit, modò dixit Clericus ſubſcripſit, modo epiſcopus, & cum diceret, *alia manu*, Recognovi : Marcellinus vir clariſſimus Tribunos & Notarius dixit : Advertitis, pręſentes pręſentibus peragendi negotii dediſſe mandatum. Quomodo igitur hic qui præſens in hac urbe ſe inter cæteros ſine dubio mandaſſe profeſſus eſt, & in itinere dicitur defeciſſe, & in hac urbe ſobſcripſiſſe mandato? Adeodatus Epiſcopus dixit, Octo dies emenſi ſunt, ot mandatum confectum eſt. is qui mandavit, de cujus nomine nunc agitur, cum ægrotare cœpiſſet, ad propria remeans, in itinere defecit. *& alia manu*, Adeodatus Epiſcopus recognovi. Vincentius epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ dixit, Dicat quo in loco defecit. & alia manu, Recognovi. Adeodatus Epiſcopos dixit, Non novi locum. & alia manu, Ut ſuperius. Marcellinus vir clariſſimus Tribunos & Notarius dixit, Quoniam probabilis eſt veſtræ ſanctitatis proſecutio, qua cum hic fuiſſe & ægrum ad propria remeantem defeciſſe teſtatis, ſaltem hoc docere te conveoit, ut utrum in hac urbe fuerit ſub Dei teſtificatione deſignes. Fortunatianus epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ dixit, Si præcipit ſublimitas tua, Petiliani viri graviſſimi proſecutio recitetur, ot ex lectione cognoſcant univerſi, quàm non verè nunc dicatur eum repedantem de Carthagine, in itinere defeciſſe, qua aliter eum ejus proſecutio demonſtravit. *& alia manu*, Recog. Marcellinus vir clariſſimus Tribunus & Notarius dixit, Legatur proſecutio poſtulata. cumqoe ex codice legeretur, Marcellinus vir clariſſimus Tribunus & Notarius dixit, Nihil mihi videtur amplius de hac parte quærendum, niſi ut ſub teſtificatione divina utrum hic præſens fuerit de quo agitur, ſimplici profeſſione pandatur. Emeritus epiſc. dixit, Quid ſi ſe alius pro eodem oppoſuit? & alia manu, Emeritus epiſc. recog.

Marc. V. C. Trib. et Not. *dixit* : Do boc Dei erit etiam ſine ſacramenci interpoſitione circa fallentes, omni ex parte judicium. unde reliqua ſubſcribentium nomina relegantur. & recitavit, Quodvultdeus epiſcopus Voliten. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Donatus Epiſcopus Aruten. Rutunda. idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Victorius epiſcopus Selendetenſis. Creſcentianus epiſc. dixit, Hîc eſt, ægrotat. item recit. Creſcentianus Ep. Ammederenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Felix epiſc. Bullenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Creſcorius epiſcopus à Cibaliana. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Jutata epiſc. à Turre Tamallemen. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recit. Liberalis Ep. Milidien. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recit. Donatus epiſc. Auzsgeren. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Victor epiſc. Villaregen. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi. item recit. Donatus Epiſcopus Buxen. cumque acceſſiſſet. idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recit. Lucius epiſc. Tamallen. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recit. Quiotus epiſc. Tagatarenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recit. Datianus epiſc. Teleptenſit. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Megaſius epiſc. Tucaborenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Honoratus epiſc. Immitenſis. cumque acceſſiſſet, [idem dixit,] Mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Vitalis epiſc. Vitenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Plutianus epiſc. Mailianen. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Fauſtinus epiſcopus Naraggariten. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Felicianus Epiſcopus Vilrenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recit. Felix epiſc. Boncaren. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Felix epiſc. Telenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Secundus epiſc. Arenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi : adverſarium in plebe mea non babeo. Item recitavit, Julianus epiſcopus Tignicenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Splendonius epiſc. Mutigennenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Serenianus epiſc. Mammilenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Salvianus epiſc. Leptit. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Reparatus epiſc. Vindenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit. Leontius epiſc. Præſidienſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit Titianus epiſcopus Sufetulenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recit. Neſtorius epiſc. Mahanenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Donatus epiſcopus Ancuſenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandsvi & ſubſcripſi. item recitavit, Flavoſus epiſc. Ciſtitenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, maodsvi & ſubſcripſi. item recitavit. Maximinus epiſc. Torreblanſit. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavt & ſubſcripſi. item recit. Maximinus Epiſc. Turreblanſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recit. Miggin epiſcopus Vagalitenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Donatianus Epiſc. Capſenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit; Marcianus epiſcopus Cebarſuſſenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Licet adverſarium non habeam, tamen mandavi & ſubſcripſi. item recit. Reſtitutus epiſcopus Latitenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Victorianus epiſcopus Aquenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, mandavi & ſubſcripſi. Aſellicus epiſ. Eccleſiæ Catholicæ municipii Tuſuritenſis dixit, Sub teſtificatione omnipotentis Dei, & Jeſu Chriſti Salvatoris noſtri, dico nos ſic eſſe de Arzugibus profectos, die tertio Calendarum Maiarum : preſbyter fuit, non epiſc. in via ordinatus eſt, ſed hac factione qua valet eſt illic epiſcopus, in adulterio detectus. adhuc pendet cognitio.

Marc. V. C. trib. et not. *dixit*: Epiſcopum ſufficit ordinatum. Hac parte tranſita, reliqua percurrat Officium. & recitavit, Fauſtinut epiſc. Nationenſis. cumque acceſſiſſet, idem dixit, Adverſarium non habeo, mandavi & ſubſcripſi. item recitavit, Marcianus epiſcopus ... Eminentius epiſc. in itinere remanſit : Felix Novaſinnenſis ſubſcripſi pro eo. Alypius epiſc. Eccleſię Catholicæ dixit, Quomodo præſentes præſentibus mandaverunt? Felix Novaſinnenſis epiſcopus dixit, Ipſo me rogavit in itinere, & ego pro ipſo ſubſcripſi. ccviii.

Marc. V. C. trib. et not. *dixit* : Licet hoc lectum atque dictum ſit, quòd præſentes præſentibus mandaverunt : tamen ne mora ſuperflua conteratur, reliqua percurrat Officium. & recit. Martialis epiſc. Idicricenſis pro Felice Garbensi & Juſto Formenſi, qui in itinere cauſâ infirmitatis detenti ſunt, pro eis ſubſcripſi. Marcellinus V. C. Tribunus & Not. dixit. Etiam hoc ſuperiori conſtat eſſe conſimile, & adjecit, Aliud recitetur. Marcianus epiſc. Eccleſiæ Catholicæ dixit, Felix Epiſcopus Garbensis de domo ſua non exivit. & recit. Creſconius epiſc. Sigguitanæ dixit, Gaudentiut collega noſter, epiſc. loci Tigisitenſis, infirmitatis cauſâ in itinere remansit. pro eo ſubſcripſi. ccix.

Fortunatianus Episc. Eccl. Cath. *dixit* : Teſtatum ſit actis ſublimitatis tuæ, ideo bæc fieri ut major videatur eorum numerus epiſcoporum: quamvis nec ſic Catholicis poſſit æquari. *& alia manu*, Recognovi. Item recitavit, Donatus epiſcopus Sucarden. Marinianus epiſcopus dixit, Hîc eſt, in civitate; ſed ægrotat. ccx.

Marcellinus vir clarissimus trib. et not. *dixit* : Ut ſtatui, lecta in ſeriem referentur actorum. Quoteni autem ſint utriuſque partis epiſcopi quorum ſubſcriptio recitata eſt, caneulatim pandat officium. ccxi.

Alypius Episcopus Eccl. Catholicæ *dixit* : Adhuc ſunt præſentes collegæ noſtri, qui ſubſcripciones ſuas mandato non indiderunt. occupati enim ſuerant, vel infirmitate vel neceſſitate, vel etiam poſtea ſupervenerunt. ii etiam jube ut cogniti accedant. *& alia manu* : Recognovi. ccxii.

Marcellinus vir Clarissimus Tribunus et not. *dixit* : Interim eorum numerus qui ſubſcripſerunt, ab officio demonſtretur. Rufinianus ſcriba dixit, Exceptâ eâ paginâ quæ errorem habet in ſubſcriptione Donatiſtarum, invenimus nomina contineri. Marcellinus vir clariſſimus Tribunus & Notarius dixit: Ipſa autem pagina quot nominibus continetur? Alt- ccxiii.

pyus Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ *dixit*: Sed [A] annumeratis etiam abſentibus. *& cum diceret*; *& alia manu*, Recognovi. Rufinianus Scriba *dixit*: Sex, ac ſic efficiuntur omnes CCLXXIX.

CCXIV. Marcellinus V.C. Trib. et Notarius *dixit*: Alterius quoque partis quot epiſc. recitati ſunt, intimetur. Rufinianus Scriba *dixit*: Catholicæ partis epiſcopi ſecundùm ſubſcriptionem huic brevi inſertam, efficiuntur ducenti ſexaginta ſex, exceptis his quos dicunt necdum ſubſcripſiſſe.

CCXV. Marcellinus vir clariſsimus tribunus et notarius *dixit*: Nunc quot ſunt ii quos ſubſcripſiſſe teſtantur, edicere non morentur. Alypius epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ dixit, Tranſeant & cognoſcantur, viginti [B] ſunt. *& alia manu*, Recognovi. Marcellinus vir clariſſimus Tribunus & Notarius dixit: Ergo ſi adſunt, ſuam debent ſinguli demonſtrare præſentiam. *Cumque Apronianus Epiſcopus acceſſiſſet*, Marc. V.C. Tribunus Et Not. *dixit*: Cujus es civitatis Epiſcopus? Apronianus Epiſc. Eccl. Cath. *dixit*: Mazacenſis. Marc. V.C. Trib. & Notarius *dixit*; Mandato, cum per abſentiam non ſubſcripſiſti, conſentis? Apronianus Epiſc. Eccl. Cathol. Mazacenſis *dixit*: Conſentio. item & accedente Maximino Suffeto epiſcopo, Marcellinus vir clariſſimus Tribunus & Notarius dixit, Conſentis tu quoque mandato? idem dixit, Conſentio & mando. Item accedente Victore epiſcopo Ajutenſi, idem dixit, Mando & conſentio. Item accedente Felice epiſcopo Ficeoſe, idem [C] dixit, Mando & conſentio. Item accedente Felice Epiſcopo Macrianenſi, idem dixit, Mando & conſentio. Item accedente Lucio epiſcopo Olivenſi, idem dixit, Mando & conſentio. Item accedente Tertulliano Epiſcopo Hirenenſi, idem dixit, mando & conſentio. Item accedente Joanne Gummitenſi epiſcopo, idem dixit, Mando & conſentio. Item, accedente Ampelio Vagenſi, idem dixit, Mando & conſentio. Item, accedente Primulio Epiſcopo Vagenſe, idem dixit, Mando & conſentio. Alypius Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ dixit, Diu obſervavit eversus, ſed nunc infirmitate diſceſſit. Item, accedente Regino epiſc. Tigillabenſi, idem dixit, Mando & conſentio. Alypius epiſc. [D] Eccleſiæ Catholicæ dixit, Delfinus epiſc. hic eſt, ſed infirmitate detinetur. Nam & Fauſtinianus epiſcopus Ruſiccadenſis hic eſt, in hac civitate, ſed male habet, & Felis Sertirtenſis pedem dolet. Item, accedente Victore Epiſcopo Abitinenſi, idē dixit, Mando & conſentio. Item accedente Ænea epiſcopo à Turburnit. idem dixit, Mando & conſentio. Item accedente Annibonio epiſcopo Abbiritenſi, idem dixit, Mando & conſentio. Item accedente Felice epiſcopo Novenſi, idem dixit, Mando & conſentio. item accedente Argyrio Sitipenſi, idem dixit, Mando & conſentio. Marcellinus vir clariſſimus tribunus & Notarius dixit, [E] Quot ſunt iſti quorum profeſſio nunc proceſſit, edicat officium. Nampius ſcriba dixit: Viginti ſunt. Marcellinus vir clariſſimus tribunus & notarius dixit: Omnium epiſcoporum partis utriuſque claruit & certa eſſe mandata, & firmas adſtare perſonas. Et ideo debent egredientes reliqui eis jam præſtare ſecretum, quibus omne negotium crediderunt. Alypius epiſc. Eccleſiæ Cath. dixit, Scriptum ſit ducentos viginti eſſe abſentes, quos aut infirmitas, aut ætas, aut certè neceſſitas detinuit. *& alia manu*, Recognovi. Marcellinus vir clariſſimus trib. & notarius dixit, Scriptum erit. Petilianus epiſc. dixit, Scriptum ſit multò plures abſentes eſſe, & jam Cathedras viduatas, quibus Epiſcopi ordinandi ſunt. *& alia manu*, Ut ſuperius. Marcellinus vir clar. Trib. & Not. dixit, Hoc quoque geſta retinebunt. Fortunatianus Ep. Eccleſiæ Cath. Siccenſis dixit, Quia de viduatis Cathedris dixit ſanctiſſimus Petilianus, nos quoque ſexaginta quatuor vacuas habere his geſtis intimamus. Marcel. vir clariſſimus Tribunus & Notarius dixit, Etiam hoc hæreat publicis monu[B]mentis; & alii exeant. Quibus egreſſis,

Marcel. V.C. Trib. et Not. *dixit*: Utrum ii tantùm adſint qui à partibus ſecundùm imperiale præceptum electi eſſe noſcuntur, edicat officium. Rufinianus ſcriba dixit, Partis Eccleſiæ Catholicæ ſecundùm formam edicti tot ſtant, id eſt, decem & octo, id eſt, ſeptem actores, ſeptem conſiliarii, & quatuor ad chartas. Etiam ex parte Donati adſtant decem & octo, ſeptem actores, ſeptem conſiliarii, & quatuor ad chartas. CCXVIII.

Marc. V.C. Trib. et Not. *dixit*: Edicat officium, quantū diei jam videatur emenſum. Rufinianus ſcriba dixit, Exceptæ ſūt horæ undecim diei. CCXIX.

Marc. V.C. Trib. et Not. *dixit*: Quoniam diei penè omnem partem conſtat emenſam, idcirco utrum ex communi conſenſu negotium [C] differri placeat, intimetur. Ab utriſque partibus dictum eſt, Placet: quoniam jam iſte dies videtur emenſus. CCXX.

Marcellinus V.C. tribunus et not. *dixit*: In quem diem hæc ipſa comperendinatio differatur, pars utraque deſignet. CCXXI.

Alypius episc. eccl. Cathol. *dixit*: Sicut edictum nobilitatis tuæ præſcripſit, craſtino intermiſſo, propter deſcriptionem ſchedarum, perendie ſi præcipis obſervabimus. & alia manu, Recog. Adeodatus epiſc. dixit, Etiam nos conſentimus, ut perendino die negotium peragatur. *& alia manu*: Adeodatus epiſcopus recognovi. CCXXII.

[D] Marc. V.C. Trib. et Not. *dixit*: Sicut partibus placuit, interjecto die negotiū repetetur. illud autem utræque partes obſervare debebunt, ut deſignatos cuſtodes exceptoribus atque codicibus in deſcribendis ſchedis invigilare faciant, quatenus fideliter omnia conſcribantur. Alios quoque binos, ut quaterni ſint, ſicut diſpoſitū eſt, his qui nuper exceperunt, adhibete cuſtodes. CCXXIII.

Alypius Episc. eccl. Ca. *dixit*. Alii duo præſentes ſunt, ſicut jam & officium ſuggeſſit, id eſt fratres noſtri Leo & Aſterius. & alia manu, Recog. Primianus epiſc. dixit, Damns etiam nos cuſtodes tabulatum quatuor. Duos jam dedimus, duos nunc ſubrogamus, id eſt, Veratianum & Victorem, præſentes collegas no[E]ſtros. & alia manu, Petilianus epiſcopus recognovi. Marcellinus vir clariſſimus Tribunus & Notarius dixit, Etiam iſtis adverſantibus, id quod poſtea exceptum eſt, ſigoatis nunc tabulis craſtino deſcribetur. *& alia manu*, Edantur. *Item alia manu*: Hilarius & Martialis Exceptores edicimus. CCXXIV.

EXPLICIUNT GESTA PRIMÆ Cognitionis.

INCIPIUNT
GESTA SECUNDÆ COGNITIONIS
CUM EDICTO.

FLAVIUS MARCELLINUS VIR CLARISS. ET SPECTABILIS TRIB. ET NOT. dixit: *Omnium conſcientia retinetur, id me dudum edicto propoſito fuiſſe pollicitum, ut quicquid inter utriuſque partis Epiſcopos ageretur, ſubinde in publicam notitiam perveniret. Unde ea quæ interim geſta ſunt, ſanctitati veſtræ demonſtrare curavi, quatenus habiti partem conflictus etiam oculis judicetis.* & alia manu: *Proponatur.*

I. POST CONSULATUM VARANIS V.C. TERTIO NONAS JUNIAS IN SECRETARIO THERMARUM GARGILIANARUM CARTHAGINI; Adſtantibus, Sebaſtiano, Maximiano & Petro, viris devotiſſimis Protectoribus domeſticis; Urſo, Petronio & Liboſo Ducenariis, ſed & Bonifacio & Evaſio Apparitoribus illuſtrium atque eminentium poteſtatum; Fileto Apparitore illuſtris Comitivæ ſedis, Caitioſo Adjutore Cornicularii, Poſſidio, Quodvultdeus & Colonico, Adjutoribus commentariorum Officii Domini noſtri viri cl. & ſpectabilis Proconſulis: Navigio Adjutore numerorum Domini noſtri v.c. & ſpectabilis Vicarii: Nampio Scriba officii v.c. Legati almæ Carthaginis: Rufiniano ſcriba v.c. Curatoris celſæ Carthaginis: excipientibus etiam Hilaro & Prætextato exceptoribus Domini noſtri viri clariſſimi & ſpectabilis Proconſulis, Favio exceptore Domini noſtri viri clariſſimi & ſpectabilis Vicarii, & Romulo Exceptore viri clariſſimi Legati almæ Carthaginis; excipientibus quoque Jannario & Vitale Notariis Eccleſiæ Catholicæ, Victore & Creſconio Notariis Eccleſiæ Donatiſtarum: LIBOSUS Ducenarius Illuſtrium Poteſtatum *dixit:* Quoniam in hodiernum diem comperendinata Cognitio eſt, & pro velo ſunt utriuſque partis Epiſcopi, ſi jubet ſublimitas tua, intromittentur.

II. FL. MARC. V.C. TRIB. ET NOT. *dixit*: Veniant. & ingreſſis, Aurelio, Alypio, Auguſtino, Vincentio, Fortunato, Fortunatiano, Poſſidio, Novato, Florentio, Maurentio, Priſco, Sereniano, Bonifacio, Scillacio, Deuterio, Leone, Aſterio, & Reſtituto, Epiſcopis Eccleſiæ Catholicæ; ingreſſis etiam ex alio latere, Primiano, Petiliano, Emerito, Protaſio, Montano, Gaudentio, Adeodato, Epiſcopis partis Donati:

III. MARCELLINUS V.C. TRIBUNUS ET NOTARIUS *dixit*: Et ſuperiore judicio ſæpe me obtuliſſe certiſſimum eſt & nunc deprecor ut ſedere dignemini. *cumque Catholici Epiſcopi conſediſſent*, PETIL. Epiſc. *dixit*: Quod priore judicio factum non eſt, facere non audemus. *& alia manu*: Petilianus epiſcopus recognovi. MARC. V.C. Trib. & Not. *dixit*: Licet & ſuperiore judicio me obtuliſſe meminerim, tamen illâ arbitror tunc minimè factum eſſe ratione, quia multis Sacerdotibus convenientibus, locus conſidendi eſſe non poterat. Unde quia nunc definitas A video conveniſſe perſonas, deprecor ut vel nunc ſedere dignemini.

IV. PETILIANUS EPISCOPUS *dixit*: Patribus noſtris abſentibus non ſedemus, maximè cum lege divina conſeſſus prohibeatur; ne cum hujuſmodi adverſariis noſtris conſidere velimus. *& alia manu*: Petilianus epiſcopus recognovi.

V. MARCELLINUS VIR CLARISSIMUS TRIBUNUS ET NOTARIUS *dixit*: Si petitionem meam ſanctitas veſtra audire neglexit, ut conſidere dignaretur, hoc mihi extorqueri non poterit, quominus ſtando cognoſcam. *Cumque Epiſcopi Catholici ſurrexiſſent, atque ſeſſus judi*B*cis auferretur, ejuſdem judicis juſſione, & dominus vir clariſſimus Tribunus & Notarius ſteriſſet:*

VI. PETILIANUS EPISCOPUS *dixit*: Scriptum ſit, hoc tuæ voluntatis eſſe, non noſtræ. *& alia manu*: Petilianus epiſcopus recognovi.

VII. MARCELLINUS VIR CLARISSIMUS TRIBUNUS ET NOTARIUS *dixit*: Decet me vobis ſtantibus habere hujuſmodi voluntatem, quæ ad reverentiam tantorum pertinet ſacerdotum. Petilianus epiſcopus dixit, Honorificè feceris. *& alia manu*, Petilianus epiſcopus C recognovi.

VIII. MARTIALIS EXCEPT. *dixit*: Cujuſmodi notoriam Epiſcopi heſterno die Nobilitati tuæ obtulerint, hanc in manibus habemus: ſi præcipit nobilitas tua, recitamus.

IX. MARC. VIR CLARIS. TRIB. ET NOT. *dixit*: Ne quid celatum parti alteri videatur, recitetur.

X. PETILIANUS EPISCOPUS *dixit*: Epiſcopos nos veritatis Chriſti Domini noſtri, & dicimus, & ſæpe actis publicis dictum eſt. Donatum autem ſanctæ memoriæ. Martyrialis gloriæ virum in præceſſorem ſcilicet noſtrum, orna D mentum Eccleſiæ iſtius civitatis, loco ſuo meritoque veneramur. *& alia manu*, Petilianus epiſcopus recognovi.

XI. POSSIDIUS EPISC. ECCL. CAT. *dixit*: Epiſcopos veritatis probare opus eſt, non jactare. *& alia manu*, Recognovi.

XII. MARCELLINUS VIR CLARISSIMUS TRIBUNUS ET NOTARIUS *dixit*: Utrarumque partium proſecutiones geſta retinebunt. & adjecit, Quod præceptum eſt, recitetur. Martialis exceptor recitavit: Poſt Conſulatum Va E ranis viri clariſſimi quarto nonas Junii. Flavio Marcellino viro clariſſimo & ſpectabili Tribuno & Notario, Primianus, Petilianus, Emeritus, Protaſius, Montanus, Gaudentius, Epiſcopi & defenſores Eccleſiæ veritatis, per Notariam hæc dicunt: Heſterna die Kl. Januariis inter nos & adverſarios noſtros ſpectabilitas tua audire dignata eſt. Et quoniam evoluto pænè die partibus patientiam præbens, aliquanta, quæ principia negotii fuerant, audire dignatus es, opuſque eſt

ad cauſam, ut mandatum quod adverſarii noſtri obtulerunt, nobis in notitiam perferatur, quoniam ſeries actorum propter ſui prolixitatem non poteſt explicari, ne imparati ad judicium venire videamur, id mandatum quod adverſarii noſtri legendum dederunt, in exemplaribus nobis hodie, quod eſt quarto Nonarum die Juniarum, dari præcipias, ut inſtructi negotio nobis injuncto adeſſe valeamus. *& alia manu*: Primianus Epiſcopus huic Notoriæ ſubſcripſi, quarto Nonas Junias Carthagini. FL. Macellinus Vir Clariſſimus Tribunus & Notarius *dixit*: Quoniam ea quæ inſtructionis gratiâ poſtulantur concedi debere perſpicuum eſt, ut nulla cognitionem futuram oratum impedimenta ſuſpendant, mandatum à Catholicis Epiſcopis datum, ſub ea quæ comminus conſtituta eſt cuſtodum adſervatione deſcriptum, vobis tradere maturabit officium. cumque recitaſſet,

XIII. MARCELLINUS V. C. TRIB. ET NOT. *dixit*: Lecta geſtis indentur. *& adjecit*: Quoniam inter multas conditiones, de quibus ſuperiore judicio definitum eſt, una illam conſtat fuiſſe dilatam, ut ſicut ego interloquutionibus meis, ita proſecutionibus ſuis unuſquiſque ſubſcriberet, quid de hoc videatur ſanctitati veſtræ debetis edicere.

XIV. AUGUST. EPISC. ECCL. CATH. *dixit*: Nos in hoc conſenſiſſe, literis noſtris expreſſimus. *& alia manu*, Recognovi.

XV. MARC. V. C. TRIB. ET NOT. *dixit*: Quid etiam voluntas partis alterius habeat, intimetur.

XVI. PETILIANUS EPISCOPUS *dixit*: Multum nos ſollicitos facit, quòd de nobis id quæritur, idque præcipimur facere, quod uſus numquam habere conſuevit. *& alia manu*: Petilianus Epiſcopus recognovi.

XVII. FORTUNATIANUS EPISC. ECCL. CATH. *dixit*: Teſtatum ſit partem adverſam noluiſſe, quod edicto nobilitatis tuæ publicatum eſt. *& alia manu*: Recognovi.

XVIII. PETILIANUS EPISCOPUS *dixit*: Teſtatum ſit vos adhuc Eccleſias pleraſque non reddidiſſe, nec feciſſe ſatis priori ejus edicto. *& alia manu*: Ut ſuperius.

XIX. MARC. V. C. TRIB. ET. NOT. *dixit*: Ergo ad integram geſtorum fidem contenta eſt ſanctitas veſtra cuſtodibus ab utraque parte delectis, qui Notariis & Exceptoribus videntur adpoſiti.

XX. PETILIANUS EPISCOPUS *dixit*: Edantur nobis primitus geſta, tunc reſpondebimus. *& alia manu*: Petilianus Epiſcopus recog.

XXI. ALYPIUS EPISC. ECCL. CAT. *dixit*: Dubitatur ergo vel de fide officii, vel de fide cuſtodum. *& alia manu*: Recognovi.

XXII. MARC. V. C. TRIB. ET NOT. *dixit*: Ad hoc etiam conſenſiſſe ſanctitatem veſtram, ſuperiorum geſtorum fides evidenter oſtendit.

XXIII. PETIL. EPISC. *dixit*: Legamus & recenſeamus. *& alia manu*: ut ſuperius.

XXIV. MARCELLINUS VIR CLARISSIMUS TRIBUNUS ET NOTARIUS *dixit*: Et de cuſtodibus ab utraque parte delectis, & ad quam partem fuerit dilata cognitio, ab Officio recitetur.

XXV. EMERITUS EPISCOPUS *dixit*: Si jubes. Petilianus Epiſc. dixit: Edantur nobis primitus geſta, relegantur à nobis, recenſeantur verba noſtra, & adverſariorum inſtructio. ſic legibus ſemper conceſſa eſt hæc eſt humanitas rerum. *& alia manu*: Emeritus epiſcopus recognovi.

FORTUNATIANUS EPISC. ECCL. CATH. *dixit*: Quamvis recens actio nullum potuerit prætertre, tamen ex hoc ſenſus nobilitatis tuæ volumus eſſe edoctos, ut intelligantur jam dilatione quadam ad cauſæ negotium nolle venire. *& alia manu*: Recognovi. XXVI.

MARCELLINUS VIR CLARISSIMUS TRIBUNUS ET NOTARIUS *dixit*: Legatur quod præcepi, ut noverim ad quem articulum ſit delata cognitio. Emeritus Epiſcopus dixit: Si jubes, ad hoc competit mihi. Marcellinus vir clariſſimus Tribunus & Notarius dixit, Age. XXVII.

EMERITUS EPISCOPUS *dixit*: Sunt quidem humana ingenia ita velocitate ſui prompta, ut vel viſu vel auditu facilè cuncta capiant, quæ in eorum notitiam perferuntur: ſed hoc doctis forte aut eruditis viris pro rei ipſius qualitate permixtum ſit; me autem ad hanc rem minus idoneum eſſe profiteor. Quis enim levem vocem & facilem ſermonem ipſo penè apice tranſeunte, aut ſenſu retinere aut concipere poteſt. vir nobilis? cùm ad tractatum omnem diſceptationemque & verba & ſenſus & interiora ſint negotii pertractanda. ergo cùm de ſcheda legitur, & leves voces aura quodammodo ventilantur, ſenſus noſtri capere & retinere non poſſunt. Ubi hoc aut cui conceſſum eſt? ſi hac felicitate ingenii gaudent, non ſe jactent de arrogantia memoriæ ſuæ. Mihi autem non competit niſi ſæpius repetere & diuturna lectione edoceri, ut fidem veri & quæ dixerim relegam, & quæ adverſarius objecit advertam. Intelligis ita rem eſſe geſtorum, adeo memoriæ ſcripturarum per literas digeruntur, ne ſola memoria quæ capax eſſe non poteſt, oblivione decepta quid geſſerit neſciat. Neque enim aliter ſapientia providente ſcripturarum notitia monumentiſque publicis proviſa eſt, niſi ut ea lectione, quæ per ſilentium fortè, aut per longum tempus, aut per ipſorum actuum continuationem minus capiam quod minus intelligi poteſt, & ex lectione & ex ipſo aſſiduo tractatu poſſit agnoſci, quid ſit judicio ventilatum. Vides ergo, Vir nobilis, juſta nos depoſcere, nec per tranſitum cauſam debere ventilari, ſed editis geſtis in notitiam noſtram datis, univerſis pertractatis, cauſam debere cognoſcere. *& alia manu*: Ut ſuperius. XXVIII.

POSSIDIUS EPISCOPUS ECCLESIÆ CAT. *dixit*: Scriptum eſt, Ex multiloquio non effugies peccatum. Hoc quoniam nos ante oculos habemus, Deo inſpirante verboſi videri nolumus. Itaque ſi placet, ad cauſam veniatur quæ proximè agi potuerit, & definiri. moratorias autem proſecutiones. & cùm diceret. *& alia manu*: Recognovi. XXIX.

MARC. V. C. TRIB. ET NOT. *dixit*: Legatur quod præcepi.

EMERITUS EPISCOPUS *dixit*: Sicut de ſcriptura propoſuit, ſcriptum eſt nobis: Sapientia abſcondita theſaurus inviſus, quæ utilitas in utroque? *& alia manu*: Emeritus epiſcopus recognovi. XXX.

POSSIDIUS EPISC. ECCL. CATHOL. *dixit*: In multiloquio nunquam fuit ſapientia. *& alia manu*: Recognovi. XXXI.

MARTIAL. EXCEP. EX CODICE *recitavit*: Nobilitas tua dixit: Quoniam dies penè omnem partem conſtat emenſam, idcirco utrum ea communi conſenſu differri negotium placeat, intimetur. Ab utriſque partibus dictum eſt; Placet; quoniam jam iſte dies videtur emenſus. Nobilitas tua dixit: In quem diem hæc ipſa comperendinatio differatur, pars utraque deſignet. Alypius Epiſc. XXXII.

Eccleſiæ Cathol. dixit, Sicut edicto nobilitas tua perſcripſit, craſtino intermiſſo propter deſcriptionem ſchedarum, perendie ſi præcipis obſervemus. Adeodatus epiſcopus dixit: Etiam nos conſentimus ut perendino die negotium peragatur. Nobilitas tua dixit: Sicut partibus placuit, perendino die negotium repetetur. Et cùm recitaſſet, Marcellinus vir clariſſimus Tribunus & Notarius dixit: Videt ſanctitas veſtra contra proprios vos venire non poſſe conſenſus. Unde, cauſa dicatur.

XXXIII. Emeritus Episcopus *dixit*: Non adeo immemores ſumus ut contra noſtra veniamus. nec ego hic incuriam Officii aut Exceptorum negligentiam damno, ubi intelligo prolixitate geſtorum diem minimè occurrere potuiſſe. Quòd ſi factum eſt, & explicitis omnibus geſta res eſt, cur non in notitiam noſtram quæ acta ſunt perferuntur? Cùm enim nobilitas tua ea quæ recenſeri juſſit ab Officio fuerint ventilata, neceſſe ut acceptis univerſis tractem diſcutiamque, quibus cauſis quibuſve modis debeam reſpondere. Tantam etenim ea mandato illorum confuſionē cauſæ eſſe cognovi, ut & de præteritis inſtrui debeam, & agnoſcam de præſentibus, cui debeam reſpondere. *& alia manu*: Emeritus recognovi.

XXXIV. Marc. V. C. trib. et not. *dixit*: Licet profeſſio ſanctitatis veſtræ ſola ſufficiat, tamen quicquid vobis ad inſtructionem pleniſſimam credidiſtis poſſe ſufficere, heſterna die & poſtulaſſe vos & accepiſſe non dubium eſt. unde, nunc ad cauſæ meritum veniatur.

XXXV. Petilianus Episcopus *dixit*: Advertit ſublimitas tua exceptionem ea codicibus legiſſe quod nudiuſtertiana die vel promiſſum fuerit vel pronunciatum. Ex qua re magis agnoſco acta adhuc expoſita non fuiſſe. Quòd ſi expoſita ſunt & parata, idem exceptor reſpondeat; proferat geſta. Subſcribe, tractamus, poſtea reſpondemus. *& alia manu*: Petilianus epiſcopus recog.

XXXVI. Marc. V. C. Trib. et not. *dixit*: Studium dilationis agnoſco, & mutatæ voluntatis judicium. Poterat enim ſanctitas veſtra, ea magnitudine geſtorum, ut hodie negotium differretur ſuperiori judicio poſtulare. Huc additur, quòd ea quæ vobis ad pleniſſimam inſtructionem ſufficere credidiſtis, heſterno die edi vobis, datâ notoriâ poſtulatis.

XXXVII. Petilianus Episc. *dixit*: Dicant exceptores, utrum exponere una die potuerint, quod una die videtur eſſe confectum. *& alia manu*: Ut ſuperius.

XXXVIII. Marc. V. C. trib. et not. *dixit*: Exceptores utrum heſterno die omnia potuerint in ſchedis geſta deſcribi, apud acta deſignent. Martialis Exceptor dixit: Adhuc partem in codicibus habemus: Siquidem etiam ii Epiſcopi qui nobis cuſtodes dati ſunt, non neſciunt.

XXXIX. Petilianus Episcopus *dixit*: Accepit ſublimitas tua ex reſponſione Officii, acta adhuc digeſta non eſſe in paginas, nec eſſe quod pars utraque legat atque recenſeat, nec dari aut revocari memoriæ paululùm poſſit. Proinde ſublimitas tua, ut quoniam res honeſta poſtulatur, largiri dignetur quod petimus, ut geſta, ex more edantur. legamus ut reſpondere poſſimus. *& alia manu*: Petilianus epiſcopus recognovi.

XL. Alypius episc. eccl. Cathol. *dixit*: Longitudo geſtorum magis in numero & reſponſione utriuſque partis Epiſcoporum eſt, quàm in aliqua commendatione negotii. nihil ergo eſt unde cauſetur pars diverſa. aut hodie cognitio differatur, præcipuè quia etiam ipſi profeſſi ſunt ad hodiernum diem differendum fuiſſe negotium. *& alia manu*: Recognovi.

Marc. V. C. trib. et not. *dixit*: Ut iterum partibus evidenter appareat, venerabilium virorum denuo profeſſio recitetur. Petilianus Epiſcopus dixit, Unde recitabitur? *& alia manu*: Ut ſuperius. XLI.

Marcellinus V. C. tribunus et not. *dixit*: Ergo quæ codicibus tenentur inſerta, cùm tanti ſacerdotes cuſtodes appoſiti fuerint, in dubitationem aliquam exiſtimas devocanda. XLII.

Petilianus Episcopus *dixit*: Notas non novimus; neque ea natura rerum eſt, atque ipſarum ut ita dixerim literarum, ut quiſquam notas legat alienas. In codicibus legere non poſſumus, niſi edita fuerint geſta in paginis, non habeo quod tractem, non habeo quod legam. *& alia manu*: Ut ſuperius. Marcellinus V. clariſſimus Tribunus & Notarius dixit, Ut dictum eſt, iterum venerabilium virorum profeſſio recitetur. XLIII.

Martialis Except. ex cod. iterum *dixit*: Quoniam diei penè omnem partem conſtat emenſam, idcirco utrum ex communi conſenſu differri negotium placeat intimetur ab utriſque partibus Dictum eſt; Placet; quoniam jam iſte dies videtur emenſus. Nobilitas tua dixit, In quem diem hæc ipſa comperendinatio differatur, pars utraque deſignet. Alypius Epiſcopus Eccleſiæ Catholicę dixit: Sicut edicto nobilitas tua præſcripſit, craſtino intermiſſo propter deſcriptionem ſchedarum perendie, ſi præcipis, obſervemus. Adeodatus Epiſcopus dixit: Etiam nos conſentimus, ut perendie negotium peragatur. Sublimitas tua dixit, Sicut partibus placuit, perendino die negotium repetetur. *& cùm recitaret*, Petilianus epiſcopus *dixit*: Unde leget? XLIV.

Marcellinus vir clariſſimus tribunus et notarius *dixit*: Quid ſuper hac parte legum ſit auctoritate definitum, ſanctitatem veſtram arbitror non latere, cum contra proprios non liceat venire conſenſus. Unde ne qua fortè de exceptoribus officii fraude ſuſpecti ſint, ex tabulis Notariorum Eccleſiaſticorum hæc eadem conditio relegatur. XLV.

Emeritus Episc. *dixit*: Ingredientibus nobis nobilitas tua interfari dignata eſt, ſi edictis propoſitis adhiberemus aſſenſum, & utrum ſubſcriptiones noſtras accommodaremus propriis proſecutionibus: cui rei ſatisfaciam non adverto. Tenet me enim propoſitum nobilitatis tuæ, quo me ſubſcriptionem indere geſtis, & univerſa quæ publicè acta ſunt, publicè proponi promiſiſti. Nunc autem cogor agere, & ante agnitionem geſtorum in negotium præcipitari. Quæ iſta ſunt, quid primum eligam neſcio; quod verum judiciorum tuorum teneam non agnoſco. Si ſubſcribendum eſt paginæ, edatur pagina, ut ſubſcribi poſſit. Si hujus rei eſt facienda jactura, edictum tuum omne vacillabit, quicquid propoſuiſti in publicam conſcientiam deſtruetur. Dixiſti enim, ex ſubſcriptione noſtra & ex ſublimitatis tuæ adnotatione cuncta quæ geſta ſunt in notitiam publicam debere differri. Prius eſt ergo ut ea quæ geſta ſunt recitentur, & publicentur, & agnoſcantur, ut ea judicio tuæ ſublimitatis ad cætera quę ſunt negotii veniatur. *& alia manu*: Emeritus Epiſcopus recognovi. XLVI.

Marcellinus V. C. Trib. et Notarius *dixit*: Sicut interlocutus ſum, ab Eccleſiaſticis Notariis ea quæ ab Exceptoribus Officii recitata ſunt, percurrantur. XLVII.

Petilianus Episc. *dixit*: Tene modum XLVIII.

tuum,

tuum, Vir nobilis: tene promiſſam ſæpe juſtitiam. Nam cum à parte noſtra nudiuſtertiana die fuiſſet objectum, quòd dies legitimus cauſæ jam videretur fuiſſe tranſactus, & à cauſa cecidiſſe eos qui nos in judicium vocaverunt, coacti ſumus id velle, ut recedentes ab eadem conditione in tempus præſens conſentire videremur. Nemo mihi ſit hac in parte ingratus, Vir nobilis. nam ſi ego conceſſi tantumdem temporis ſalvis his, tamen ſi illi adſtipulationibus ſuis non fuerint refragati, cur mihi breve non conceditur tempus, ut ſcribantur geſta, ut ſubſcribatur à ſublimitate tua, videamque ac perlegam cui rei ſubſcribere debeam, percipiamque ac recipiam meos ſcilicet ſenſus, adverſariorum quoque calliditatem ſubtilemque argutiam; ut ſcilicet pleniſſimè inſtructus, intentionibus eorum valeam reſpondere? Humanum eſſe arbitror atque juſtum, ne dederis vir nobilis huic rei atque huic juſtiſſimę petitioni aliquid quod in ſollicitudinem habeam: Siquidem te juſtiſſimum promiſeris, & nos id credere ſit neceſſe, ſi tamen juſta nobis nullatenus denegentur. *& alia manu*: Petilianus Epiſcopus recognovi.

XLIX. Marcellinus V. C. tribunus et not. *dixit*: Hæc rectius & juſtius præterito judicio debuerant poſtulari; in quo ex conſenſu utriuſque partis in hunc diem dilata cognitio eſt. Unde ab Eccleſiaſticis Notariis ad quam partem fuerit dilata cognitio recitetur. Petilianus Epiſcopus dixit: Ergo circumventi ſumus. *& alia manu*: Ut ſuperius. Aug. Ep. Ecc. Cat. *dixit*: Non eſt noſtrâ cauſâ factum, quod nobis volunt imputare fratres noſtri, è diverſo ſiſtentes. & cum diceret. *& alia manu*: Recognovi.

L. Petilianus Episcopus *dixit*: Injuriam nobis facis. *& alia manu*: Ut ſuperius. Edictum nobilitatis tuæ ſic ſe habet, quartum menſem concludi ad diem Calendarum Januarii. Ante autem nos venimus, & ipſi qui videntur nobis hinc facere invidiam, octavo Calendas Junias mandaverunt: cum utique, ſi ante diem venerant, ante ipſum diem mandare debuerunt. Legatur etiam ipſius Primiani profeſſio, ad quem diem ſe pollicitus eſt occurſurum, & ſolvatur iſta quæſtio, de qua nobis jam apud populum magna invidia concitata eſt. *& alia manu*: Recognovi.

LI. Marcellinus vir clarissimus Tribunus et Notarius *dixit*: Hæc ſuperiore judicio determinata jam conſtat, pręſertim cum perſonæ ab utraque parte videantur eſſe firmatæ: & tamen ſi, cum cauſa cœperit retractari, putaverit hæc ſanctitas tua relegenda, tunc rectius relegentur. Quamvis ſuperfluum ſit, ut poſt confirmationem perſonarum hæc denuo retractentur. Unde ut interfatus ſum, ab Eccleſiaſticis Notariis quod præceptum eſt recitetur.

LII. Emeritus Episcopus *dixit*: Scriptum ſit tunc nos in diem conſenſiſſe, cum iſti ſuam retinuerint voluntatem. *& alia manu*: Ut ſuperius.

LIII. Marc. V. C. Trib. et not. *dixit*: Suſceptæ tabulæ ab Eccleſiaſticis Notariis retinentur. Cumque intra Sabanum volumen ſchedæ membranarum pro parte deſcriptum & codices tabularum pariter obſignati, Judicianis offerentur aſpectibus, Marcellinus vir Clariſſimus Tribunus, & Notarius dixit: Cuſtodes edicant utrum ſigna cognoverint. Leo Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ dixit, Agnoſco ſigillum meum. Marcellinus vir clariſſimus Tribunus & Notarius dixit: Quoniam ab utraque parte impreſſionem ſignorum agnitam conſtat, ea quæ præcepi à Notariis relegantur.

Petilianus Episc. *dixit*: Sic ſolent teſtamenta, non geſta reſerari. *& alia manu*: Ut ſuperius. LIV.

Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius *dixit*: Quod propter ſollicitudinem partis utriuſque factum eſt, & ex communi conſenſu, non decet reprehendi. Petilianus Epiſcopus dixit: Non reprehendo cautelam, ſed peto conſuetudinem rerum, ut geſta legitima exponantur, ut legi ac pertractari poſſint. Quæ res urget? quid feſtinatur? *& alia manu*: Petilianus Epiſcopus recognovi. LV.

August. episcopus ecclesiæ Cat. *dixit*: Hoc ſolùm conſtet, ipſos rem velle differre, ut concedat ſublimitas tua, petimus te: Humanum eſt, conſiderare volunt, diſcutere volunt, paratiores volunt venire, ne nolentes differre prolixiora geſta faciamus, & ipſa geſtorum prolixitas majores nobis moras incutiat. *& alia manu*: Recognovi. LVI.

Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius *dixit*: Et ut in hunc diem cognitio differretur utriuſque partis conſtat fuiſſe conſenſum; quod video hodie prodeſſe non poſſe. interim ut præcepi ab Eccleſiaſticis Notariis ad quam partem fuerit dilata cognitio recitetur. LVII.

Petilianus Episc. *dixit*: Scriptum ſit hoc non noſtro vitio fieri, ſed tantùm quod Notarii occurrere non potuerunt, vel exceptores. *& alia manu*: Petilianus Epiſcopus recognovi. LVIII.

Marc. V. C. Trib. et Not. *dixit*: Recita. Januarius Notarius Eccleſiæ Sitifenſis partis Donati, ex codice recitavit: Nobilitas tua dixit, Edicat officium quantum jam diei videatur emenſum. Rufinianus ſcriba viri clariſſimi curatoris dixit, Exemptæ ſunt horæ undecim diei. Nobilitas tua dixit: Quoniam diei penè omnem partem conſtat emenſam, idcirco utrum ex communi conſenſu differri negotium placeat intimetur. Ab utraque parte dictum eſt, Placet, quoniam iſte dies videtur emenſus. Nobilitas tua dixit, In quem diem hæc ipſa comperendinatio differatur, pars utraque deſignet. Alypius Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ dixit: Sicut edicto nobilitas tua pręſcripſit, craſtino intermiſſo propter ſchedarum deſcriptionem perendie, ſi præcipis, obſervamus. Adeodatus Epiſc. dixit, Etiam nos conſentimus, ut perendino die negotium peragatur. Sublimitas tua dixit, ſicut partibus placuit, perendino die negotium repetetur. & cùm recitaret. LIX.

Marc. V. C. Trib. et Not. *dixit*: Utrarumque partium profeſſione monſtratum eſt, in hunc diem cognitionem fuiſſe dilatam: item hodie negotium tractaretur. Petilianus Epiſcopus dixit, Si perfecerunt geſta exceptores, agatur. *& alia manu*: Ut ſuperius. LX.

Marc. V. C. Trib. et Not. *dixit*: Licet apertiſſimis fuerit profeſſionibus deſignatum in quem diem dilatum eſſet judicium, tamen ne quid ei parti quæ dilationem poſtulat negatum eſſe videatur, cognitio differetur, ita ut edicat in quem diem debeat judicium protelari. LXI.

Petilianus episcopus *dixit*: Dicant exceptores quando edituri ſunt geſta. *& alia manu*: Petilianus Epiſcopus recognovi. Marcellinus vir clariſſimus Tribunus & Notarius *dixit*: Exceptores, quando poſſunt in ſchedis geſta conſcribi & edenda compleri, edicere non morentur. Hilarius exceptor dixit: Sicut conſenſus LXII.

acceſſit utrarumque partium, dum in ſchedas proſecutiones ſuas ſubſcripſerint, tunc demum diem edendorum geſtorum poſſumus edicere.

LXIII. MARCELLINUS VIR CLARISSIMUS TRIBUNUS ET NOT. *dixit*: Poſſunt hodie ſchedæ vel ab officio compleri, vel ab utraque parte ſubſcribi. Hilarius exceptor dixit, Hodie ſchedas complemus.

LXIV. MARC. V. C. TRIB. ET NOT. *dixit*: Quoniam ſuggeſſit officium hodie ſe ſchedas poſſe complere; edicat ſanctitas veſtra, utrum hodie vel craſtino die ſit parata ſubſcribere. Adeodatus Epiſcopus dixit, Cùm nobis ſcheda oblata fuerit, ſubſcribemus. *& alia manu*: Adeodatus Epiſcopus recognovi.

LXV. MARC. V. C. TRIB. ET NOT. *dixit*: Edicat nunc officium, poſt ſubſcriptionem ſchedarum etiam in editione geſtorum quot dierum ſufficere poſſit ſine ulla excuſatione dilatio. Hilarus exceptor dixit, Si craſtino die ſubſcripſerint vel hodie, poſſumus die noctuque invigilantes, poſt tertium diem geſta edere, ita ut Notarii eorum nobis de ſcheda ſubſcripta dictent. Marcellinus vir clariſſimus Tribunus & Notarius dixit: Quis iſte dies ſit ab officio deſignetur. Rufinianus ſcriba viri clariſſimi Curatoris dixit: Hodiernus dies, eſt tertius nonas Junias. Marcellinus vir clariſſimus Tribunus & Notarius dixit; Diem quarto quo edi geſta promiſſum eſt. Hilarus exceptor dixit, Poſſumus geſta edere ſeptimo Iduum Junii die.

LXVI. MARC. V. C. TRIB. ET NOT. *dixit*: Licet jam de profeſſionibus dubietas mihi magna naſceretur, tamen denuo utrum ſexto Iduum Juniarum die omnibus ambagibus amputatis negotium ſit principale tractandum, pars utraque deſignet. Auguſtinus Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ dixit: Nos & hodie volumus &, ſi fieri poſſet, vellemus: tamen quia humanum fuit hoc concedere fratribus noſtris, quod nobis non injuſtè videntur poſtulaſſe, ad diem ſextum Iduum Juniarum, adjuvante Domino Deo noſtro affuturos nos ad peragendum principale negotium Eccleſiæ pollicemur. *& alia manu*: Recognovi.

MARC. V. C. TRIB. ET NOT. *dixit*: Etiam pars alia quid voluntatis habeat dignetur edicere.

LXVII. EMERIT. EPISC. *dixit*: De profeſſionibus noſtris nulla eſt ambiguitas. quantum autem ad inſtructionem quam fieri debere in judicio flagitavimus, advertit nobilitas tua, nos juſta & legitima poſtulaſſe. Diem autem ſtatutum, hoc eſt ſextum Iduum Juniarum, ſi Deus juſſerit, obſervabimus; ita tamen ut acceptis geſtis nobis largiatur aliquid æquiſſimus judex, quo poſſit eſſe tractatus. *& alia manu*: Emeritus Epiſcopus recognovi. Marcellinus vir clariſſimus Tribunus & Notarius dixit: Septimo Iduum Juniarum die matutinis horis vobis geſta reddentur. Edicite utrum alia die, id eſt ſexto Iduum Juniarum, adeſſe dignemini, ut principale negotium peragatur. Emeritus Epiſcopus dixit: Aderimus ad judicium, ſi, quæ ſtatuit nobilitas tua, habuerint effectum. *& alia manu*: Emeritus Epiſcopus recognovi.

MARC. V. C. TRIB. ET NOT. *dixit*: Memores periculi & profeſſionis propriæ Exceptores conſtituta die, matutinis horis, id eſt ſeptimo Iduum Juniarum, geſta edere feſtinabunt, ita ut Notarii partis utriuſque in dictando non deſint. Sciat autem utraque pars Officio ſe cavere debere de perceptione geſtorum horâ pariter deſignatâ. Sacerdotale verò eſt, ut amputatis ambagibus nulla morarum impedimenta nectantur. LXVIII.

ALYPIUS EPISC. ECCL. CA. *dixit*: Secundùm præceptum nobilitatis tuæ, cùm geſta ſuſceperimus, de ſubſcriptione & de tempore conſequenter cavebimus. *& alia manu*: Recog. LXIX.

EMERITUS EPISCOPUS *dixit*: Cùm oblata nobis fuerint geſta, ſatisfacimus judicatis. *& alia manu*: Emeritus Epiſcopus recognovi. LXX.

MARCELLINUS V. C. TRIB. ET NOT. *dixit*: Etiā iſtius diei geſta, ne quis poſſit denuo eſſe cauſatio, eadem die edere vobis feſtinabit officium. LXXI.

ALYPIUS EPISC. ECCL. CATH. *dixit*: Multa nudiuſtertiana die falſa jactata ſunt. Ne hujuſmodi illuſionibus populus perturbetur, petimus ut ipſos petiſſe dilationem nobilitatis tuę edicto noſcatur. *& alia manu*: Recognovi. LXXII.

MARC. V. C. TRIB. ET NOT. *dixit*: Ea quæ populus loquitur ſanctitatem veſtram promovere non condecet. tamen ſicut edicto meo definitum eſt, geſta proponentur. *& infra*: Hilarus & Martialis Exceptores edidimus, & hæc ſimiliter ut ſupra emendavi. LXXIII.

EXPLICIUNT GESTA SECUNDÆ Cognitionis ubi Donatiſtæ dilationem popoſcerunt.

INCIPIUNT
GESTA TERTIÆ COGNITIONIS.

I POST CONSULATUM VARANIS VIRI CLAR. SEXTO IDUS JUNIAS CARTHAGINI IN SFCRETARIO THERMARUM GARGILIANARUM, *Adſtantibus Sebaſtiano, Maximiano & Petro, viris devotiſſimis, Protectoribus Domeſticis; adſtantibus etiam Vincentio & Taurillo viris devotiſſimis, Agentibus in rebus; Vrſo Petronio & Liboſo, Ducenariis illuſtrium poteſtatum, Bonifacio & Evaſio Apparitoribus illuſtrium atque eminentium poteſtatum, Fileto & Octaviano, Apparitoribus illuſtris Comitiva ſedis, Reſtituto & Exitioſo, Adjutoribus cornicularii, Poſſidio, Quodvultdeo & Colonico, Adjutoribus commentariorum officii Domini viri clariſſimi & ſpectabilis Proconſulis, Navigio Adjutore numerorum, & Peregrino Adjutore ſubadjuvarum officii Domini viri clariſſimi & ſpectabilis Vicarii, Nampio Scriba Officii viri clariſſimi Donati almæ Carthaginis, Rufiniano Scriba viri clariſſimi curatoris celſæ Carthaginis; excipientibus etiam Hilario & Præſtato Exceptoribus Domini viri clariſſimi & ſpectabilis Proconſulis, Fabio exceptore Domini viri clariſſimi & ſpectabilis Vicarii, Romulo exceptore viri clariſſimi legati almæ Carthaginis, excipientibus quoque Ianuario & Vitale Notariis Eccleſiæ Catholicæ, Victore & Creſconio Notariis Eccleſiæ Donatiſtarum. Urſus Ducenarius illuſtrium poteſtatum dixit: Præterito judicio, Donatianæ partis Epiſcopi in hodiernam diem, ut exinde inſtructi in judicio ſublimitatis tuæ reſponderent, cauſâ ſibi edendorum geſtorum inducias poſtularunt. Nunc utræque partes pro foribus ſunt: ſi præcipis, intromittentur.*

II. FL. MARCELL. V.C. TRIB. ET NOT. *dixit*: Veniant. & ingreſſis Epiſcopis Catholicis Aurelio, Alypio, Auguſtino, Vincentio, Fortunato, Fortunatiano, & Poſſidio, cum Novato, Florentio, Maurentio, Bonifacio, Priſco, Sereniano, & Scillacio coëpiſcopis ſuis; Deuterio, Leone, Aſterio, & Reſtituto æque coëpiſcopis & cuſtodibus geſtorum: Item è diverſo ingreſſis epiſcopis Donatiſtarum, Primiano. Petiliano. Emerito, Montano, Gaudentio, Adeodato & Haberdeo; cum Peregrino, Apro, Clarentio, & Haberdeum, coëpiſcopis eorum.

III. MARCELLINUS VIR CLARISSIMUS TRIBUNUS ET NOTARIUS *dixit*: Certum eſt ob hoc dilatum fuiſſe negotium, ut hodierno die geſtis editis principalis actio tractaretur. quod utrum factum ſit, edicat officium. Martialis exceptor Domini viri clariſſimi & ſpectabilis Proconſulis dixit: Conſtat juxta præceptum nobilitatis tuæ geſta ante eum diem edita quà parvitas noſtra fuerat profeſſa. Quòd ſi jubet nobilitas tua, ad plenam fidem ex cautionibus partis utriuſque monſtrabimus.

Collatio Carthaginenſis.

MARC. VIR CLARIS. TRIB. ET NOT. *dixit*: Recitentur. Martialis exceptor recitavit: Poſt conſulatum Varanis viri clariſſimi Octavo Idus Junias, Fortunatianus epiſcopus Catholicus civitatis Siccenſium, ſcripſi me geſta geminæ cognitionis pariter ſuſcepiſſe, habita primùm die Calendarum Juniarum: item habita die tertia Nonarum earundem: & ſuſcepi tradente Martiale Exceptore ſedis Proconſularis, qui ſit deputatus Flavio Marcellino viro clariſſimo Tribuno & Notario die octava Iduum Juniarum hora diei quinta in Eccleſia Catholica Reſtituta. Et quamvis Exceptores ſeptimo Iduum Juniarum geſta promiſerint edituros, melius tamen eorum feſtinavit induſtria, ut nobis ante diem promiſſum acta cognitionum duarum pariter traderentur. Quibus perceptis, loco & tempore ſupraſcripto inſtructos nos ad peragendum negotium, die qui actis expreſſus eſt, pollicemur eſſe venturos. Cumque recitaret, idem dixit, Lego aliam, ſi præcipit nobilitas tua. IV

MARC. V. C. TRIB. ET NOT. *dixit*: Lege. Martialis exceptor recitavit: Poſt conſulatum Varanis v. c. octavo Idus Junias, Montanus Epiſcopus civitatis Zamenſium regiorum, ſcripſi vobis, Hilare & Præteſtate exceptores, me accepiſſe à vobis geſta geminæ cognitionis: in quibus unà cum traditoribus & perſecutoribus noſtris conflíximus, habita primùm die Kalendarum Juniarum, & alia habita die tertia nonarum earundem. quæ vos Exceptores ss. ſedis Proconſularis, tradidiſtis nobis coram patribus & coëpiſcopis noſtris, die octava Iduum Juniarum, hora diei tertia, in Eccleſia Theoprepia. quibus perceptis loco & tempore ſupraſcripto profitemur nos ad agendum negotium die actis expreſſa, ordine integro eſſe venturos. V

MARC. V. C. TRIB. ET NOT. *dixit*: Lectæ cautiones geſtis præſentibus adhærebunt. & adjecit: Quoniam conſtat ante diem editionem factam eſſe geſtorum, ſupereſt ut principale negotium proponatur. VI

AUGUST EPISC. ECCL. CATHO. *dixit*: Principale negotium jamdiu eſt, ut cupimus terminari. Proinde, ſi vel ſero conceditur, probet, quoniam ex parte adverſa eſſe deſiderant, totiens objecta Eccleſiæ ſanctæ Catholicæ toto orbe diffuſæ crimina, & nunquam probata. Et cum diceret: *& alia manu*: Recognovi. VII

ADEODATUS EPISCOPUS *dixit*: Proponant, ſciamus quid agunt. *& alia manu*: Adeodatus Epiſcopus ſalva appellatione recognovi. VIII

VINCENTIUS EPISC. ECCL. CAT. *dixit*: Propoſitionem ex mandato non didiciſti? *& alia manu*: Recognovi. IX

POSSIDIUS EPISC. ECCL. CAT. *dixit*: Morarum tendiculas nullus interponat, ſi de cauſæ noſtræ defenſione aliquam habemus fiduciam. *& cum diceret: & alia manu*: Recognovi.

XI. Marc. V. C. Trib. et not. *dixit*: Si quid intenditur proponatur.

XII. Alypius Episc. Eccl. Cat. *dixit*: Mandatum ipſorum legatur, & intentionem ipſorum inde agnoſcet nobilitas tua. *& alia manu*: Recognovi.

XIII. Marc. v. c. Trib. et Not. *dixit*: Amotis omnibus moris, quoniam conſtat omnia quæ ad principia negotii pertinebant ſuperiora judicio terminata, cauſa dicatur.

XIV. Fortunatianus Episc. Eccl. cath. *dixit*: Duo in mandato ſuo objeciſſe monſtratur pars adverſa, traditionem & perſecutionem. Si igitur cauſam Eccleſiæ volunt ut peragamus, jamjamque te judicante finiatur. Nefas eſt enim, ut exſpectatione populus in errorem mittatur. Si B agnoſcenda eſt Eccleſia toto terrarum ſicut promiſſum aſt orbe diffuſa, teſtimoniis ſcripturarum doceatur. Sin vero, ſolitis præſtigiis ſolitiſque ambagibus, intendit pars adverſa ne ad veritatem veniamus, dicatur, ut hoc omnibus innoteſcat. *& alia manu*: Recognovi.

XV. Marc. V. C. Trib. et Not. *dixit*: Quid his refertur?

XVI. Emeritus Episcopus *dixit*: Nunquam memini in judicio condemnatam eſſe patientiam. Quinimo ſemper id laudi eſt, ut ſecretum retinens lingua, objectis, ſi poteſt, dilucidè reſpondeat. Ergo quoniam omnium actionum debent eſſe principia, totiuſque negotii initia ſemper ex ſe ſumere conſuaverunt, quid præteritorum dierum actus involvimus, & quaſi non fuerint peracta, iterum refricamus, cùm præſentis diei propoſitio ſuam debeat ſumere accipereque perſonam? Unde ſi propoſitio eorum & reſponſio noſtra in judicium mittitur, perſonarum primùm eſt diſcutienda qualitas, quis in judicium adduxit, quis conveniri fecit, quis principes ſeculi convenit, quis legatos miſit, quis ſupplicavit, quis legem meruit, quis judicium poſtulavit: ut cum eorum intentionibus docti fuerimus, reſpondere valeamus. *& alia manu*: Emeritus epiſcopus ſalva appellatione recognovi.

XVII. Fortunatianus episc. eccl. cath. *dixit*: D Diffidentia aſt cauſæ perſonas velle diſcutere, quas priore conflictu viſus eſt confirmaſſe. Et ideo cauſam Eccleſiæ peragamus, quæ ſicut promiſſa eſt, toto terrarum orbe diffunditur. *& alia manu*: Recognovi.

XVIII. Marcellinus vir clarissimus Tribunus et Notarius *dixit*: Sanctitas tua propoſitionem, quantùm ſibi tror, non diligenter advertit. Alia enim conſtat eſſe quæſita.

XIX. Alypius Episc. Eccl. Cath. *dixit*: Ad id ergo quod quæſierunt, jube recitari partis utriuſque mandata, & inſtruentur, ad id quod deſiderarunt. *& alia manu*: Recognovi.

XX. Marcellinus V. C. trib. et not. *dixit*: E Quæſitum eſt, per quos hæc ſit poſtulata collatio, quive Epiſcopos qui è diverſo conſiſtunt, ad judicium poſtularit. Unde ad hoc ſanctitas veſtra reſpondere debebit.

XXI. Augustinus Episc. Eccl. Cathol. *dixit*: Si ad rem judicas pertinere, prudentiæ tuæ eſt conſiderare, Catholicis Epiſcopis, vel legatis Catholicorum Epiſcoporum, conceſſum eſſe habendam collationem. Tenor reſcripti imperialis oſtendit. Venimus utrique, hic ſumus, & Deus nos diſputatores & collatores magis quam litigatores eſſe præcepit: & nihil aliud voluit Deum timens & Deo ſerviens clementiſſimus Imperator. Adſtitiſſe legitimas perſonas, & confirmata eſſe mandata, primo die conflictus noſtri judica- A vit ſublimitas tua. Non interponantur quæ ad rem neceſſaria non ſunt. Eccleſia eſt quam aſſerimus teſtimoniis ſcripturarum divinarum, nota omnibus, in monte, ſicut ſcriptum eſt, conſtituta ad quam veniunt omnes gentes. Si eſt aliquid contra iſtam Eccleſiam quod dicatur, jam dicatur, & nullæ moræ interponantur. Si nihil eſt quod dicatur, ceſſat vexari, qui ſuam criminationem affirmare & oſtendere & probare hominibus non poteſt. Quamdiu iſta tanta populi expectatio ſuſpenſa eſt? De anima ſua omnes cogitant, & nos moratorias præſcriptiones ad hoc interponimus, ut ad finem cognoſcendæ veritatis nunquam veniatur? *& alia manu*: Recognovi. Marcellinus vir clariſſimus Tribunus & Notarius dixit, Ut adverti poſſit in quem modum ſit delegata cognitio, imperialis præcepti forma relegatur.

Petilianus Episcopus *dixit*: Catholicos ſe ſine præjudicio noſtro dixiſſe, hoc actis ſignatum aſt. Hujuſce rei ſerva conflictum. *& alia manu*: Petilianus Epiſcopus ſalva appellatione recognovi. Alypius Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ dixit, Quod præceperas recitetur. *& alia manu*: Recognovi. Petilianus Epiſcopus dixit: Apud nos eſt enim vera Catholica, quæ perſecutionem patitur, non quæ facit. *& alia manu* Petilianus Epiſcopus recognovi, ſalvo appellationis effectu. Poſſidius Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ dixit: Hoc probare opus eſt, non jactare. C *& alia manu*: Recog. XXII.

Marc. V. C. Trib. et not. *dixit*: Hoc utrarumque partium conflictus inveniet. Et adjecit. Imperialis ſanctio interim relegatur. XXIII.

Martialis exceptor *recitavit*: Imperatores Cæſares, Flavii, Honorius & Theodoſius Pii, felices, victores ac triumphatores, ſemper Auguſti, Flavio Marcellino ſuo ſalutem. Et eùm recitaret, XXIV.

Petilianus Episcopus *dixit*: Terreri me Imperator voluit, non occidi, non perſecutionem pati, non petitahi, non ſpoliari. *& alia manu*: Petilianus epiſcopus ſalva appellatione noſtra recognovi. XXV.

Alypius Ep. Eccl. Cathol. *dixit*: Quod amplius eſt, nec tertius es. *& alia manu*: Recognovi. XXVI.

Petilianus episcopus *dixit*: Laudaſti conſtantiam bonæ fidei, & veræ Catholicæ diſciplinæ. *& alia manu*: Salva appellatione recognovi. XXVII.

Alypius episc. Eccl. Cathol. *dixit*: Nec tertius, dictum eſt, non timuiſti. *& alia manu*: Recognovi. XXVIII.

Martialis excep. *recitavit*: Inter Imperii noſtri maximas curas, Catholicæ legis reverentia aut prima ſemper aut ſola eſt. Neque enim aliud aut belli laboribus agimus, aut pacis conſiliis ordinamus, niſi ut verum Dei cultum orbis noſtri plebs devota cuſtodiat; ut etiam Donatiſtas vel terrore vel monitu olim jam implere convenerat; qui Africam, hoc eſt regni noſtri maximam partem, & ſecularibus officiis fideliter ſervientem, vano errore & diſſenſione ſuperflua decolorant. Nos tamen eadem frequentiùs non piget replicare, quæ omnium retro principum devota in Deum definivit auctoritas, ne temporibus noſtris, ſi quid fortè in injuriam legis Catholicæ fuerit generatum, juſto judicio hoc nobis poſſit imputare poſteritas. Nec ſanè latet conſcientiam noſtram ſermo cæleſtis oraculi, quem errori ſuo poſſe proficere ſæva Donatiſtarum interpretatio profitetur. XXIX.

Qui quamvis depravatos animos ad correctionem nullus invitaret, aboleri eum tamen antè juſſimus, ne qua ſuperſtitionibus præſtaretur occaſio. Nunc quoque excludendam ſubreptionem ſimili auctoritate cenſemus. Illudque meritò profitemur, quæ ſtatuta fuerant ſubmovere, ne in divinum cultum nobis ſe quiſquam auctoribus æſtimet poſſe peccare. Et quamvis una ſit omnium & manifeſta ſententia, Catholicæ legis plenam veritatem recto hominum cultu & cœleſti ſententia comprobatam, ſtudio tamen pacis & gratiæ, venerabilium virorum Epiſcoporum legationem libenter admiſimus, quæ congregari Donatiſtas Epiſcopos ad certum celeberrimæ deſiderat civitatis, ut lectis etiam ſacerdotibus quos pars utraque delegerit, habitis diſputationibus, ſuperſtitionem ratio manifeſta confutet. Quam rem intra quatuor menſes præcipimus expliari, ut converſos animos populorum, etiam noſtra clementia, ſicut deſiderat, celeriùs poſſit agnoſcere. Quòd ſi intra præſtitutum tempus ſtudioſè Donatiſtarum Epiſcopi declinaverint convenire, trini edicti evocationem volumus cuſtodiri: Ita ut vicenis diebus in avocatione contumacium tempora concludantur. Quibus emenſis atque tranſactis, ſi provocati adeſſe contempſerint, cedat cum Eccleſiis populus, qui doctores ſuos ſilentio cognoverint ſuperatos, & victum ſe aliquando gratuletur: ſciatque ſi non præceptis noſtris, vel Catholicæ legis veris imperiis ſerviendum. Cui quidem diſputationi, principe loco te judicem volumus reſidere. Quicquid etiam antè in mandatis acceperis, pleniſſimè meminiſti, omnemque vel in congregandis epiſcopis, vel evocandis ſi adeſſe contempſerint, curam te volumus ſuſtinere, ut & ea quæ antè mandata ſunt, & quæ nunc ſtatuta cognoſcis, probata poſſis implere ſolertia; id ante omnia ſervaturus, ut ea quæ circa Catholicam legem vel olim ordinavit antiquitas, vel parentum noſtrorum auctoritas religioſa conſtituit, vel noſtra ſerenitas roboravit, novella ſubreptione ſubmota integra & inviolata cuſtodias. Ut ſanè adminicula competentia actibus tuis deeſſe non poſſint, viros ſpectabiles Proconſulem atque Vicarium ſerenitas noſtra commonuit, ut ſi propriarum dignitatum ſtatum cupiunt retinere, apparitionem ſuam extrema declinare ſupplicia, tam ex propriis Officiis quàm ex omnium judicum Apparitione abunde neceſſarios faciant deputari. Erit etiam ſollicitudinis tuæ, ſi quid ulla cognoveris arte differri, miſſis relationibus indicare, ut negligentes puniat digna correptio. Omnia ſanè quæ vel in unum Epiſcopis congregatis diſputatio completa firmaverit, vel deſiſtentibus fortè ſtatuerit circa contumaces lata ſententia, te referre conveniet, ut quid ad confirmandam Catholicam fidem præceptio noſtra profecerit, celeriùs poſſimus agnoſcere. Et divina manu, Vale Marcelline, chariſſime nobis. Datum pridie Idus Octobris Ravennæ.

xxx. Petilianus Episcopus *dixit*: Donatiſtas non appellandos eſſe credunt, cum, ſi nominum paternorum ratio vertitur, & ego eos dicere poſſum, imo palam aperteque deſigno Menſuriſtas & Cæcilianiſtas eſſe, eoſdemque traditores & perſecutores noſtros. *& alia manu*, Petilianus epiſcopus recognovi, ſine præjudicio appellationis noſtræ.

xxxi. Vincent. Episc. Eccl. Cath. *dixit*: Et hoc recuſas quod in Præfectorum judicio pro voto complexus es. *& alia manu*, Recognovi.

Petilianus episcopus *dixit*: Nec nunc abnuo eſſe mihi principem ac fuiſſe beatiſſimæ ſanctæque memoriæ Donatum, hujus civitatis Epiſcopum; ejoſque tanta merita floruiſſe, ut illius temporis gloriam vetuſtas ipſa. & cum diceret; *& alia manu*: Petilianus Epiſc. recognovi, ſalvo appellationis effectu. xxxii.

Alypius Episc. Eccl. Ca. *dixit*: Damnent nomen Donati, & deinceps non appellabimus illos Donatiſtas. *& alia manu*: Recognovi. xxxiii.

Petilianus Episcopus *dixit*: Damna nomen Menſurii & Cæciliani, & non diceris Cæcilianiſta. *& alia manu*, Petilianus Epiſcopus recognovi, ſine præjudicio appellationis noſtræ. xxxiv.

Alypius Episcopus Ecclesiæ Catholicæ *dixit*: Feci enim mentionem Menſurii. *& alia manu*: Recognovi. xxxv.

Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius *dixit*: Hæc omnia utriſque partibus ſalva erunt, & adjecit, Evidenter apparuit Epiſcopis poſtulantibus diſputationem à venerando principe me diſceptante fuiſſe mandatam, ut cauſa prima diſcutiatur erroris: quæ jam in medium proferatur. xxxvi.

Emeritus Episcopus *dixit*: Lectum eſt reſcriptum. Legantur & preces, ut cauſa poſſit audiri. *& alia manu*: Emeritus Epiſcopus recognovi. xxxvii.

Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius *dixit*: Peritiam ſanctitatis veſtræ arbitror non latere, pragmaticis reſcriptis preces inſeri non ſolere. quas quidem ab Epiſcopis qui collationem poſtulaverant, ſicut ejuſdem ſanctionis textus oſtendit, præceſſiſſe non conſtat. Unde tandem aliquando negotium proponatur. xxxviii.

Emer. Episc. *dixit*: Si pragmatico reſcripto preces inſeri non ſolere prudentiæ tuæ interlocutione ſignatum eſt, eos quos legatos eſſe dixerunt, utrum ex omnium voluntate, utrum ex cõmuni mandato perrexerint doceant ut ſi non in principibus, certè vel in legatis poſſit ſtare perſona. *& alia manu*: Emeritus epiſcopus recognovi, ſine præjudicio appellationis meæ. xxxix.

August. Episc. Eccl. Cath. *dixit*: Advertat nobilitas tua quanta agantur ut nihil agatur. *& alia manu*, Recognovi. Montanus Epiſcopus dixit, Ordine integro cauſa peragenda eſt. *& alia manu*, Montanus Epiſcopus recognovi, ſalva provocatione. xl.

August. episcopus ecclesiæ Cat. *dixit*: Præſentes ſunt, utrique convenimus: locus iſte epiſcopis penè refertus eſt, mandata recitata atque firmata ſunt: non negatur à partibus noſtris poſtulatam eſſe collationem, ut in ea collatione tandem aliquando vel probent vel probare non potuiſſe monſtrentur, quæ ſolent non nobis, non unicuique noſtrûm, ſed univerſo orbi Chriſtiano objicere crimina: qui Chriſtianus orbis non opinione humana, ſed divinis teſtimoniis & promiſſus eſt, & impletur. Quid adhuc neſcio quæ tergiverſationes moratoriæ ab eis interponuntur qui ſe Epiſcopos Chriſti dici volunt? expectatio non dico hujus civitatis, ſed univerſi penè generis humani ſuſpenſa eſt, aliquid de Eccleſia cupit audire; & nos adhuc Forenſes formulas diſcutimus & miſerrimè litigamus? Jam advertat nobilitas tua quid agatur? jam aliquando nos de hoc negotio amputatis omnibus moratis, adjuvante Deo liberare digneris. *& alia manu*: Recognovi. xli.

XLII. MARC. V. C. TRIB. ET NOT. *dixit*: ad omnem confirmationem ſufficere poſſe non ambigo univerſorum ſubſcriptiones, ſuperiore judicio mandato inſertas atque digeſtas. Unde quoniam omnium conſenſus expreſſus eſt, amotis ſuperfluis aliquando negotium proponatur.

XLIII. EMERITUS EPISCOPUS *dixit*: Duo ſunt in judicium miſſa, à quibus deviari nullo modo poteſt: unum, quod ſecundum imperiale præceptum: aliud, quod ſecundum mandati tenorem agere ſe judicio demonſtrarunt. Igitur ſi utraque connexa ſunt, debet edoceri: ſi autem ſeparata atque ſejuncta ſunt, unius neceſſe eſt faciant jacturam, qui utrumque nolunt ad probationem in judicium mittere. Convenire enim debet cum reſcripto mandatum, & ad formulam ſtatuti imperialis mandatorum debet ſenſus aſtringi. quòd ſi neutrum eſſe intelligitur prudentia tua, neque moratorius nos velle agere, neque nos à cauſæ actione ſuſpendere, ſed conſtitutis primitus fundamentis Eccleſiaſticum negotium velle definire, quid eſt quod nobis de mora præſcribitur, & tanquam cavillatoribus, & à cognitione refugientibus, quaſi moras quaſdam per nos innecti cauſantur; cùm utique ſi advertant, magis his qui proponunt incumbere aut neceſſarium eſſe dicimus, ut omnibus moris amputatis ad negotii inſtrumenta arcemque veniatur, ut oſtendatur, ex adverſa parte quis petierit, quemadmodum petierit, vel quid petierit, ut cum de mandato vel de reſcripto utraque concordantia complexus fuero, & ea quæ in reſcripto ſunt conſtituta, & ea quæ ex ipſorum petitione ſuggeſta ſunt, poſſint judiciis approbari. *& alia manu*: Emeritus Epiſcopus recognovi.

XLIV. AUGUSTINUS EPISCO. ECCL. CATH. *dixit*: Tot ſunt partes, vir nobilis. ſi reſpondit ad ea quæ diximus, opus eſt ut reſpondeamus. Si autem pervidet prudentia tua, nihil eum reſpondiſſe ad id quod juſtè flagitamus, ſed moris ſuperfluis alias moras ſuperfluas addidiſſe, judica ut videtur. *& alia manu*: Recognovi.

XLV. MARCELLINUS VIR CLARISSIMUS TRIBUNUS ET NOTARIUS *dixit*: Certum cognitionis tenorem principali conſtat auctoritate definitum. Hoc enim relectæ ſanctionis ſeries demonſtravit, ut convocatis Epiſcopis atque partibus delectis, ſuperſtitionem, ut ipſius legis verbis loquar, ratio manifeſta confutet. unde dignabitur ſanctitas veſtra clariùs demonſtrare in qua ſit parte ſuperſtitio conſtituta.

XLVI. PETILIANUS EPISCOPUS *dixit*: Advertit ſublimitas tua magnam diffidentiam eos habere, magnumque mendacium, ſi ea quæ petimus prodere noluerint. Etenim antè de ſua conſcientia judicat, qui petitionem ſuam timuerit publicare. Non igitur moram aliquam facimus; ſed per ipſos moras fieri ſublimitati tuę. *& cum diceret, & alia manu*: Petilianus Epiſcopus ſalvo appellationis noſtræ merito recognovi.

XLVII. VINCENTIUS EPISC. ECCL. CATH. *dixit*: Non ſufficit quod tibi reſpondit judex. *& alia manu*: Recognovi. Petilianus Epiſcopus dixit, Aut legant quod petimus, aut negent. *& alia manu*: Petilianus Epiſcopus recognovi, ſalva appellatione noſtra. Fortunatianus Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ dixit: Quid ad rem pertinet quod pars adverſa eſt proſecuta, & non propter moras quaſdam? Et cum diceret: *& alia manu*: Recognovi: Petilianus Epiſcopus partis Donati, Judica: *& alia manu*: Petilianus Epiſcopus recognovi, ſalvo noſtræ appellationis effectu.

XLVIII. MARCELLINUS VIR CLARISSIMUS A TRIBUNUS ET NOTARIUS *dixit*: Evidentiùs ſanctitas veſtra quid poſtulet deſignare debebit.

EMERITUS EPISCOPUS *dixit*: Longo volumine præterito judicio quaſi mandati tenorem pars adverſa prodidit, cui rei ſi vera adſtipulatur aſſertio, id in judicio publicare ac prodere debent, tantummodo ſe ſequi hoc ipſum a jacturam autem facere imperialis reſcripti, ad cujus promulgationem neque tenorem precum, neque mandatum legatorum monſtrare voluerunt. Igitur quia nihil ab re eſt quod in judicio poſtulamus, petimus ut primitus aut reſcripti jacturam, aut mandati ſui faciant ceſſionem, ut ad cauſam venire valeamus. *& alia manu*: Emeritus Epiſcopus recognovi, ſine præju- B dicio appellationis. XLIX.

AUGUST. EPISC. ECCL. CATH. *dixit*: Legatur mandatum noſtrum, & intelligent quam cuncta contineat. *& alia manu*: Recognovi. Petilianus Epiſcopus partis Donati dixit: Patere, præſta judici patientiam, quam nobis præſtat. *& alia manu*: Petilianus Epiſcopus recognovi, ſine præjudicio appellationis noſtræ. L.

MARCEL. V. C. TRIB. ET NOT. *dixit*: Nihil aliud præcipuè principali ſanctione adverti eſſe conſtitutum, niſi ut convenientibus Epiſcopis diſputatione habita, cauſa primi inveniatur erroris. Cui diſputationi me judicem voluit reſidere. Accepit autem ſanctitas veſtra proſecutionem C partis è diverſo ſiſtentis; in qua evidenter oſtenſum eſt atque promiſſum, ut Eccleſia toto orbe diffuſa divinis teſtimoniis demonſtretur, cùm videatis ex mandati ſerie & ex præſenti profeſſione id fuiſſe declaratum, ut legis exemplis atque documentis omnia comprobentur. Nec enim clementiſſimus princeps formam collationi dediſſe monſtratus eſt, ſed tantùm collationem debere fieri judicavit. Unde quoniam ſecundùm deſiderium veſtrum divinis teſtimoniis ſe agere eorum profeſſio declaravit, quid amplius deſideretis, ignoro. LI.

PETILIANUS EPISCOPUS *dixit*: Apertiſſimè intelligitur ea diffidentia vel ſero pudore id agere, ne petitionem ſuam omnibus publicent, D quoniam eos conſtat Clementiſſimo Imperatori mentitos. *& alia manu*: Petilianus Epiſcopus ſine præjudicio appellationis noſtræ recognovi. LII.

AUGUST. EPISC. ECCL. CATH. *dixit*: Collatio petita eſt à legatis noſtris, lex ipſa hoc continet, quæ ad tuam nobilitatem data eſt. *& alia manu*: Recognovi. LIII.

PETIL. EPISC. *dixit*: Non differimus agere. *& alia manu*: Salva appellatione noſtra Recognovi. LIV.

AUGUST. EPISC. ECCL. CATHOL. *dixit*: Data eſt. Omnes fatemur nos petiſſe collationem; quoniam eam recuſabatis; ut tandem ſic ſaltem ad hunc locum vel ad hoc tempus, collationis & diſputationis & demonſtrandæ veritatis gratiâ veniremus. Factum eſt, venimus; & nihil vultis prodeſſe quod venimus. confitemur nos colla- E tionem petiſſe, nihil aliud Imperator quàm nos collationem petiſſe ſuis verbis expreſſit. Jam fiat ipſa collatio. Videamus quid dicatur contra Eccleſiam toto orbe diffuſam, quam demonſtramus, divinis teſtimoniis & promiſſam eſſe, & nunc ita exhiberi, ut cæcorum oculos feriat, ſurdorum aures irrumpat. Ad hanc demonſtrandam nolunt pervenire fratres noſtri, ut demonſtretur quod latere non poteſt. Edicant crimina; videamus quibus criminibus periit quod promiſſum eſt Abrahæ, In ſemine tuo benedicentur omnes LV.

gentes, quæ crimina iſtam promiſſionē jurantis Dei delere potuerunt, audiamus, diſcamus, noverimus, ſequamur. Si autem nihil eſt quod contra dici poſſit, aut pronuntia, aut tolle omnes moras, & aliquando negotium finiatur. *& alia manu*: Recognovi.

LVI. Emaartns Episcopus *dixit*: Magno argumento veritas occultatur, ut cùm ad inquiſitionem noſtram modicum quid ex parte adverſa prolatum ſit, cætera ſileantur. Dixit enim ſuos iſſe legatos, quorum neque nomina, neque ordinem, neque mandatum vult judicio publicare. Igitur aut hujus rei jacturam faciat, quia non poteſt approbare; aut ſi valet hoc legibus edocere, vel qui legati fuerint, vel quando miſſi ſint, vel quid pertulerint, legati mandatum in judiciorum notitiam adſerere debebunt. Videt prudentia tua, nihil nos abs re petere: quippe cùm ipſorum ſit cauſa, cur non ad interna negotii veniamus. Propoſuerunt enim ex mandati ſui tenore neſcio quibus ſe allegationibus adverſùm nos ſtare debere. has ipſas allegationes & nos poſſumus legalibus teſtimoniis ſuperare. Prius eſt ergo ut initio actionis expoſito, perſonam ſuam ſive ſuſcipientis ſive mandantis in judicio approbare valeat: tunc demum ad negotii merita deſcendatur. *& alia manu*, Emeritus Epiſcopus ſalva appellatione recognovi. Vincentius Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ dixit, Quid eſt aliud cauſam dimittere, & perſonas quærere, niſi effugere velle? quare veniſti? *& alia manu*: Recognovi. Petilianus Epiſcopus dixit, A perſonis incipit omnis cauſa. *& alia manu*, Petilianus Epiſcopus recognovi, ſalvo noſtræ appellationis effectu.

LVII. Vincentius Episc. Eccl. Cath. *dixit*: Non tibi forum tuum deſignavit, quæ omiſſa ſunt, repeti non poſſe? *& alia manu*, Recognovi.

LVIII. Marcsllinus V. C. Trib. et Notarius *dixit*: Collationem fuiſſe poſtulatam, & collationem fuiſſe conceſſam, cæleſtis ſanctionis forma declaravit; cur nunc legatorum perſonæ in medium veniant, nec dum diligenter adverti.

LIX. August. Episc. Eccl. Catho. *dixit*: Si negaremus nos petiſſe collationem, Imperatoris teſtimonio convinceremur. Habemus Imperatorem teſtem, petiſſe nos confitemur. Venimus, ut fiat quod & nos petivimus, & ille conceſſit; & adhuc neſcio quæ dubitationes vel moræ interponuntur. *& alia manu*: Recognovi.

LX. Emeritus Episc. *dixit*: Ecce jam profeſſus es partem. Dic quando petiſti, dic per quos petiſti. *& alia manu*: Emeritus Epiſcopus ſalva appellatione noſtra recognovi.

LXI. Fortunatianus Episcopus Ecclesiæ Catholicæ *dixit*: Ad demonſtrandam veritatem, perſonarum non eſt neceſſaria inquiſitio. *& alia manu*: Recognovi.

LXII. Montanus Episcopus *dixit*: Quoniam pars adverſa ad Clementiſſimum Imperatorem confugit, oportet eandem & mandatum edere & legationem, ut cum hæc potuerimus advertere, in judicio nobilitatis tuę noverimus quid poſſimus reſpondere. *& alia manu*, Montanus Epiſcopus, ſalva appellatione. Vincentius Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ dixit, Satis longum eſt à cauſa, & præter hanc cauſam illa velle repetere quæ hujus judicati tenor in ſtatum inquiſitionis ſuæ omnino non quæſivit. *& alia manu*. Recognovi Montanus Epiſcopus dixit, Tuæ actionis eſt quod flagito. *& alia manu*: Montanus Epiſcopus recognovi, ſaluo provocationis effectu. Vincentius Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ dixit: Definitivæ eſt judicis qui præſidet ſententia, ad quid nos ad hodiernum diem diſtulit, ſatis pudoris eſſe debere. hoc ſi tranſimus quid de cauſa judicamus nos ipſi? Et cum diceret, *& alia manu*, Recognovi: Montanus Epiſcopus dixit, Tuæ actionis eſt quod flagito, tu fundamentum cauſæ conſtituiſti, tu ad Imperatorem confugiſti. Oportet ergo me & mandatum repetere & legationem, quibus uſus ſis verbis, ut cùm hæc omnia in judicio nobilitatis tuæ à nobis fuerint pertractata, tum demum quid utilitati noſtræ conveniat, valeam reſpondere. *& alia manu*, Montanus Epiſcopus ſalvo provocationis effectu recognovi. Vincentius Epiſcopus Eccleſię Catholicæ dixit, Profeſſionem tuam tu ſuperare non potes. Unde receſſiſti cognoſce, omiſſa repetere non potes. *& alia manu*: Recog. Auguſtinus Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ dixit, Quid flagitas quando petierim, cùm videas quando venerim? quid quæris utrum petierim, cùm univerſum Catholicum præſens in hac urbe Concilium mandatum dederit, mandato ſubſcripſerit, ſubſcriptiones præſens te inſtante cognoverit? Nihil hic aliud quàm moræ inquiruntur, quia contra Eccleſiam univerſam Dei teſtimoniis commendatam, nihil eſt quod dicatur. *& alia manu*: Recognovi.

LXIII. Montanus Episcopus *dixit*: Scriptum ſit, partem adverſam moratoria innectere, cùm quod à noſtris partibus flagitatur non prodant. Ac per hoc ſi volunt eandem moram de medio tolli, prodant quod flagitamus, prodant mandatum, prodant & legationem; tum deinde ad merita negotii veniemus. *& alia manu*: Montanus Epiſcopus ſalvo provocationis effectu.

LXIV. Marcallinus V.C. Tribunus et Notarius *dixit*: Sed Non hoc quæri voluit Clementiſſimus Imperator, cauſam diſſidii & erroris juſſit inquiri.

LXV. Montanus Episcopus *dixit*: Sed Clementiſſimus Imperator reſcripto ſuo eoſdem publicavit, legationem inſeruiſſe. Unde quia etiam ipſe hanc facultatem nobis tribuere voluit pro clementia ſua ut hoc in judicio requiramus, oportet eoſdem & mandatum proferre & legationem, ut ſciamus, quid idem in eodem textu fortaſſe fuerint ementiti, ut tum demum his omnibus pertractatis, noverimus perſonarum meritum; an valeant honoribus ſuis integro ordine reſpondiſſe. *& alia manu*, Montanus Epiſcopus ſalvo provocationis effectu recognovi. Marc. v.c. Tribunus & Notarius *dixit*: Legationi eos conceſſiſſe univerſi Concilii & ſubſcriptionis tenor oſtendit evidenter. Denique ad integram confirmationem cùm omnium ſubſcribentium nomina legerentur, ſanctitas veſtra dixit, ſibi hoc plene non poſſe ſufficere, niſi etiam omnes adveniſſent, ut in præſentiarum poſiti, utrum ipſi ſubſcripſiſſent atque mandaſſent, propriis profeſſionibus judicarent. Montanus Episcopus *dixit*: Perſonas eorum flagito qui mandatum dederunt ad Clementiſſimum Imperatorem, non eorundem qui hodie ad hoc judicium pervenerunt. Unde vir ſublimis, oportet iſtos quam refugiunt actionem in judicio nobilitatis tuæ prodere. Jam ergo prodant mandatum, prodant & legationem, ut cùm his recenſitis adverterimus qui iidem commandarint, valeamus eorum objectionibus reſpondere. *& alia manu*: Montanus Epiſcopus recognovi, ſalvo provocationis effectu.

LXVI. MARCELLINUS VIR CLARISSIMUS TRIBUNUS ET NOTARIUS *dixit*: Eos quos legationem peregiſſe dicis, ſi præſentes eſſe vel in præſentiarum mandato ſubſcripſiſſe cognoſcis, evidenter oſtende. Sin verò abſentes, neceſſe eſt, ut veniant, quatenus omne poſſit negotium pertractari.

LXVII. MONTANUS EPISC. *dixit*: Ergo vir ſublimis eorum præſentia facienda eſt, qui ad Clementiſſimum Imperatorem per maria volaverunt. Ipſorum ergo & perſona adſtans doceat ſibi aliquid ab iſtis eſſe mandatum, ut de ipſo mandato intelligam quid in ſua cauſa voluerint innectere, quid deinde forſitan in eadem legatione contra nos ementiri. Eſt enim ſtudium ſemper adverſariorum, incerta de adverſariis auribus ſacratiſſimis innectere. Ergo unde probabo Epiſcopalem quam ſibi jactant eſſe perſonam, ſub verecundis & texta aliquid Imperatori ſuggerere potuiſſe, niſi eandem legationem vel mandatum ſibi creditum potuero perlegere, & de eodem judicare. *& alia manu:* Montanus Epiſc. ſalvo appellationis effectu recog.

LXVIII. ALYPIUS EPISC. ECCL. CATHOL. *dixit*: Eadem ſuperfluo etiam repeti nobilitas tua nobiſcum conſiderat. ſufficit perſona adſertorum præſentis mandati auctoritate firmata. Jam nunc remotis ſuperfluis ad negotium veniamus. Cujus firmamentum nullam poterit habere dubitationem; quando perſona noſtra quibus univerſale negotium mandavit, diſputationem ab Imperatore præceptam ita firmavit, ut ne ipſi quidem dubitare poſſint, in quorum aſpectibus proceſſerunt omnes qui mandaverunt. *& alia manu*: Recognovi. Poſſidius Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ dixit, Petiſſe nos collationem quis negare potuit aut poteſt? *& alia manu*: Recognovi.

LXIX. EMERITUS EPISC. *dixit*: Quid petiſti? quem miſiſti? Dic nomen. quæ mandaſti? *& alia manu*, Emeritus Epiſcopus ſalvo appellationis effectu recognovi. Poſſidius Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ dixit: De cauſa loquere, mandatum audiſti, recitetur identidem: & reſponde, ſi habes quod dicas: ſuperfluis immoraris. *& alia manu*, Recognovi. Petilianus Epiſcopus dixit, Quem miſiſti, quid mandaſti, quid egiſti advertere debeo. non enim clanculo tibi licet ſuggerere, quod poſtea non debeat publicari. *& alia manu*: Petilianus Epiſcopus ſine præjudicio appellationis noſtræ recog.

LXX. MARC. V. C. TRIB. ET NOT. *dixit*: Qua ratione legatorum nomina poſtulantur ignoro, cùm collationem tantùm poſtulatam eſſe & collationem fuiſſe conceſſam, ſicut ſuperius interſatus ſum, principalis ſanctio diligenter oſtenderit. Unde ſanctitas veſtra jam ad negotii interna venire dignetur, quatenus veritas eluceſcat.

LXXI. MONTANUS EPISCOPUS *dixit*: Sed Clementiſſimus Imperator me magis inſtruere voluit, quid de adverſariis noſtris requiramus, dum utique eorum legationem publicat. *& alia manu*: Montanus Epiſcopus recognovi, ſalvo provocationis effectu.

LXXII. FORTUN. EPIS. ECCL. CATH. *dixit*: Separationis & diſſenſionis tuæ ab Eccleſia univerſali quæ toto orbe diffunditur cauſas expone. *& alia manu:* Recognovi.

LXXIII. MONTANUS EPISCOPUS *dixit*: Legatur ad locum. ſi legationem eorum non publicavit Clementiſſimus Imperator. De hac re, de hac cauſa, me voluit diſputare, eorum legationem in judicio voluit publicari. Ab ſtatutis Clementiſſimi Imperatoris non eſt deviandum, faciendum eſt ſatis in hoc loco Clementiſſimo Imperatori. Siquidem de eorum legatione in judicio publicata, nos voluit pertractare. *& alia manu*: Montanus Epiſcopos, manente appellationis noſtræ effectu, recognovi.

LXXIV. FORTUNATIANUS EPISCOPUS ECCL. CATHOL. *dixit:* Hoc Clementiſſimus non cenſuit Imperator, ſed id partibus dignatus eſt ſtatuere, ut ab utriſque partibus electis Epiſcopis, veternoſum errorem tandem aliquando propter ſalutem populorum & animarum in medium prolata veritas monſtret. *& alia manu:* Recognovi. Petil. Epiſ. dixit: Lege utrum hoc petiveris. *& alia manu*, Pet. Epiſ. ſalva appellatione noſtra recognovi. Fortunatianus Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ dixit, Cæterum ſuperfluis immoramus, Catholicam monſtramus Eccleſiam de lege, de Prophetis, de Evangeliis, de Pſalmis, de omnibus divinis teſtimoniis. Contra hoc à vobis profertur mandatum: publica. tecum ad Eccleſiam demonſtrandam Evangelium proferamus. *& alia manu*: Recognovi.

LXXV. PETILIANUS EPISCOPUS *dixit*: Eccleſiam Catholicam penes me eſſe, & pura obſervatio noſtra facit, & vitia veſtra atque flagitia. noſtra omnis Eccleſia Dei pura, ſancta, ſine macula & ruga eſſe debebit. Quare igitur ut ad hujus diſputationem rei poſſimus deſcendere, & congruo tempore teſtimoniis dominicis uti prius eſt, quod de re flagito ſi non diffidis, maxime cùm id agat cauſa juſtiſſimus cognitor, ut quicquid agendum ſit, populo publicetur. Mentium te igitur Clementiſſimo Imperatori, ſat conſtat, cùm dubitas proferre quid dixeris, quid egeris, quid mandaveris, quid ſuſceperit ille legatus, quod mandatum acceperit, quid peregerit. Noverit hæc conſcientia populi, ſciat univerſa provincia, hoc acta iſta quæ controverſia plenè contineant, ... ſciant vos apertiſſimè de mendacio veſtro diffidere, motaſque innectere actioni, ne ad veritatem aliquando veſtris præſtigiis nebuliſque obſtantibus veniatur. *& alia manu*, Petilianus Epiſcopus ſalva appellatione noſtra recognovi. Vincentius Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ dixit: Quod neſcis an petiverim quomodo in mendacio reprehendis? *& alia manu*, Recognovi. Petilianus Epiſcopus dixit, Petiſſe ſe confeſſus eſt. *& alia manu*: Petilianus Epiſcopus ſalva appellatione noſtra recognovi.

LXXVI. FORT. EPIS. ECCL. CATH. *dixit*: Eccleſiam Catholicam apud ſe eſſe teſtatus eſt, hanc volumus reſidente nobilitate tua teſtimoniis doceri. Publicet quod promittit, ut aut in ejus apertam veritatem noſter conſenſus accedat, aut patiatur monſtrari luce clariùs veritatem. & tandem aliquando ab errore deſciſcens cedat veritati, congrue pro ſalute, qui cogitat in errore vincere contra ſalutem. *& alia manu*: Recognovi. Petilianus Epiſcopus dixit, Ut poſſimus facere hæc, prius fac quod de te flagitamus. *& alia manu*: Petilianus Epiſcopus ſine præjudicio appellationis noſtræ recognovi. Fortunatianus Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ dixit, Si ordo geſtorum flagitat, publicamus. *& alia manu*: recognovi.

LXXVII. MARC. V. C. TRIB. ET NOTARIUS *dixit*: Cùm legationis formam demonſtrarit auguſta præceptio, cur legatorum nomina poſtulentur ignoro. An invictiſſimum principem aliquid contra rationem dixiſſe veſtra ſanctitas putat? Cùm ad cauſam peragendam perſonæ videantur expreſſæ atque firmatæ, cur nunc legationis mentio fiat, necdum potius diligenter advertere, vel cur legatorum nomina poſtulentur ignoro.

ro. Unde tandem aliquando moris ſupetfluis, negotium provocatut.

LXXVIII. EMERITUS EPISCO. *dixit*: Mandatum quod recenti negotio tecitatum eſt, actis videtur inſertum. Quid autem per legatos ſuos mandaverint inſinuare noluerunt. *& alia manu*: Emeritus Epiſc. ſalvo effectu appellationis noſtræ recognovi.

LXXIX. MARCEL. V.C. TRIB. ET NOT. *dixit*: Collationem poſtulatam evidenter recitata principalis ſanctio declaravit, hancque fuiſſe conceſſam reſtat. Et quoniam in unum ſanctitas veſtra delectis ab utraque parte qui negotium poſſent actitare convenit, quæſo vos ut tandem proponere negotium, & peragere atque explanare dignemini. Emeritus Epiſcopus dixit: Hoc ipſum dicat quod prudentia tua ſuâ interlocutione ſignavit. *& alia manu*: Emeritus Epiſc. ſalva appellatione noſtra recognovi.

LXXX. AUGUST. EPISC. ECCL. CATH. *dixit*: Hoc olim clamamus ut fiat: Collatio poſtulata eſt, collatio conceſſa eſt, cauſâ collationis utrique venimus. Jam tandem fiat, quod & petitum fatemur, & conceſſum eſſe ipſa conceſſio declaravit. *& alia manu*, Recognovi. Emeritus Epiſcopus dixit, Poſtulatam eſſe dixit, per quem petiit? *& alia manu*, Emeritus Epiſcopus ſalva appellatione noſtra recognovi. Poſſidius Epiſcopus Eccleſiæ Catholicę dixit, Finem ſuperfluis imponere noluit. *& alia manu*, Rocognovi. Montanus Epiſcopus dixit, Tu ad actionem moras innectis. *& alia manu*, Montanus Epiſcopus recognovi, ſalvo provocationis effectu.

LXXXI. MARC. V. C. TRIB. ET NOT. *dixit*: Legatorum perſonæ ibi fuerant exigendæ, ubi peracta legatio eſt. Cùm autem de nominibus legatorum Clementiſſimus tacere voluerit Imperator, cur hic deſiderentur ignoro. Emeritus Epiſcopus dixit, Ipſi non taceant, ſi tacuit Imperator. *& alia manu*, Emeritus Epiſcopus ſalva appellatione noſtra recognovi.

LXXXII. FORTUN. EPISC. ECCL. CATH. *dixit*: Cauſam dicant ut jam diximus, ſeparationis & diviſionis ab Eccleſia toto terrarum orbe promiſſa lege, firmata teſtimoniis Prophetarum, luce clarius demonſtrata Evangelio, uſque hodie magna firmitate perducta: & diſcedant moratoriæ tergiverſationes, & ſeparationis crimen vel ſerò cognoſcant. *& alia manu*: Recognovi.

LXXXIII. MONTANUS EPISC. *dixit*: Cùm edideris ea quæ poſtulamus aſſertionibus noſtris non deerimus. *& alia manu*: Montanus Epiſcopus proſequutiones meas ſalvo appellationis effectu rec.

LXXXIV. MARCELLINUS V.C. TRIBUNUS ET NOTARIUS *dixit*: Legationem à Catholicis ſuſceptam Imperialis ſanctionis tenor oſtendit, in qua collationem conſtat fuiſſe poſtulatam. Cui me judicem idem Clementiſſimus Princeps voluit reſidere. Unde quoniam de perſonis legatorum nihil inquirere præceptus ſum; nec excedere me poſſe præcepti formam veſtra ſanctitas mecum melius recognoſcit, dignamini tandem aliquando negotium proponere, ut & ipſi veritati & principali juſſioni ſatisfactum eſſe in omnibus videatur.

LXXXV. EMERITUS EPISCOPUS *dixit*: Quid ſecreto agatur intelligis vir ſpectabilis, dum rem in medio poſitam & pene ipſa luce clariorem volunt nebulis obligare. Collationem Imperiale præceptum inter partes fieri, pro ſua cenſuit voluntate: nos quoque ſecundum eorum petitionem ut dicunt, quam nunc in judicio negant, quam approbare nolunt. *& alia manu*, Emeritus Epiſcopus, ſalva appellatione noſtra, recognovi.

Collatio Carthaginenſis.

A Auguſtinus Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ dixit, Non negamus. *& alia manu*, Recognovi. Emeritus Epiſcopus dixit, Quam publicare detrectant, provinciis noſtris accini, conflictum quem ſe proponere pollicentur, refugere nos non debere omnino profitemur. Igitur quoniam nihil de re, nihil de cauſa, nihil de perſona actum eſt, cum primitus illud debeat ventilari utrum petierint, per quos petierint vel quid petierint, quare id ſileant, quare non publicent, advertit ſublimitas tua. Si concordant petitiones, debent in judicio ventilari. Si neutrum volunt, unius debent facere ceſſionem. Si ad prioris mandati volunt nos tenere conſenſum, non negamus ſecundùm Imperiale præceptum adeſſe nos conflictationi debere. Si autem ſecundùm præſens manda- B tum volunt agere, debent cognitionem ejuſdem quoque rei: profiteantur adſtipulationem. Si dubitant proponere, ut nos eorundem propoſitionibus reſpondere valeamus, videat prudentia tua, non è noſtris partibus naſci, quominus negotium ventiletur. quippe cum hac ago & hac quodammodo janua ad negotii merita deſcendendum ſit, intelligit prudentia tua vel negare ſaltem eos, vel reticere, vel contemnere reſpondere propoſitionibus noſtris: ut cum hæc adverteris, judicare digneris. *& alia manu*, Emeritus Epiſcopus ſalvo effectu appellationis noſtræ recognovi.

LXXXVI. MARCELLINUS VIR CLARISSIMUS TRIB. ET NOT. *dixit*: Quid petierint, vel quid pertulerint, inquirere me debere non juſſit Clementiſſimus Imperator. quare autem petita colla- C tio ſit, apertiſſimè demonſtratum eſt, id eſt, ut ſuperſtitionem ratio manifeſta confutet. Hoc hodie fieri poſſe non dubium eſt: ſiquidem delectas ab utraque parte perſonas, conveniſſe agnoſco. Unde jam, ſicut ſæpius interfatus ſum, negotium proponatur.

LXXXVII. EMERITUS EPISCOPUS *dixit*: Petierunt, aut non petierunt. Si petierunt, dicant per quos vel quid petierunt. *& alia manu*, Emeritus Epiſcopus ſalva appellatione noſtra recognovi.

LXXXVIII. ALYPIUS EPISC. ECCL. CATH. *dixit*: Sufficit jam reſcripti recitatio. Agnoverunt quid voluerit inter nos diſcuti Clementiſſimus Imperator, removeantur ſuperflua, ad cauſam venia- D mus. Conſiderandum eſt enim quid agat pars diverſa, ut, quemadmodum priore judicio longitudine præteritorum geſtorum prætendit dilationem, ita etiam hodie deſiderat ſuperfluis codices onerare, ut item cauſentur de mora deſcribendorum vel edendorũ geſtorum. *& alia manu*, Recog. Montanus Epiſcopus dixit, Tu moras innectis, cum non profers quod nos à te flagitamus. *& alia manu*, Montanus Epiſcopus proſecutionem meam recognovi, ſalvo provocationis effectu.

LXXXIX. PETILIANUS EPISCOPUS *dixit*: Proximè præterita cognitione atque controverſia, quamvis ante cauſæ principium ventilatum, non noſtro vitio neque noſtra petitione dilationem proveniſſe manifeſtum eſt, ſed humanitate ju- E diciorum tuorum, quam non poteras denegare: Quippe cum exceptores onerati longitudine controverſiæ ac prolixitate, id etiam profeſſione ſua reſponderint. Unde quoniam iſta peracta ſunt, ſed fecit inde hodie mentionem, ideo hæc volui replicare. At nunc eoſdem nunc moras innectere, eoſdem in præſenti actione obtendere nebulas, ne ad eorum mendacia veniamus, ipſa eorum taciturnitas monſtrat. Loquuntur enim, cum tacent, ſe vereri id proferre, quod Clementiſſimo Imperatori mentiti ſunt. Si igitur fecti

ſunt bonæ petitionis voluntate atque ordine, A
quid eam dubitant ventilare? Et quoniam poteſtas tua meminiſſe dignatur, id priore controverſia agitatum, ut aut jure publico agerent, aut legis dominicę auctoritate deſcenderent diſputare, idque ſuo mihi promiſere conſenſu, nobilitas autem tua id ſibi exceperit, à legibus tolli ſe minimè oportere, tuarum partium eſt vir nobilis, id tenere quod legum eſt: illorum autem eſt promiſſa neceſſitas, ut lege divina debeant experiri. Si igitur apud te legibus publicis agitur, quoniam tu iiſdem præſidere profeſſus es, exige quod leges habent. Si autem diſputatio legalis in medium mittitur, interrogo te bis quid deſideras diſputare, quid petiveris, quid egeris, quid contra me dixeris. Quem ſi invenero vera dixiſſe, ne- B
ceſſe habeo ejus legis diſputationem committere. Si autem cognovero à perfidia atque mendacio te cœpiſſe, neceſſe eſt, ut tuam perſonam longè protſus evitem. Quid enim mihi prodeſt docere mendacem? Quid mihi prodeſt refragatori ac reſtagatturo reddere rationem? *& alia manu*, Petilianus Epiſcopus ſine prejudicio appellationis noſtrę recognovi.

xc. Marc. V. C. Trib. et Not. *dixit*: Collationem à Catholicis tantùm poſtulatam fuiſſe electa imperialis ſanctio declaravit.

xci. Petilianus Episc. *dixit*: Catholicos nos eſſe acta contineant. *& alia manu*: Petilianus Epiſcopus recognovi.

xcii. Marc. V. C. Trib. et Not. *dixit*: Neceſ-
ſe eſt me eos nomine appellare, quo eos appellari C
voluit Clementiſſimus Imperator.

xciii. Petilianus Episcopus *dixit*: Ante cauſam nomen inane eſt illis. Etiam de ipſo nomine erit diſputatio nobis, atque contentio: Cùm demum obtinebit hoc nomen, qui fuerit inventus eſſe Chriſtianus. *& alia manu*: Petilianus Epiſcopus recognovi.

xciv. Marcellinus vir clarissimus Tribunus et Notarius *dixit*: Certum eſt poſt habitum conflictum eos Catholicos nuncupandos, apud quos veritas fuerit deprehenſa. Ego autem etiam in hac parte formam neceſ-
ſe habeo ſequi præceptionis Auguſtæ, in qua Ca- D
tholicos eos appellare dignata eſt.

xcv. Petilianus Episcopus *dixit*: Sine præjudicio noſtro hoc interfari dignata fuerit prudentia tua. *& alia manu*, Petilianus Epiſcopus recognovi, ſalvo noſtræ appellationis effectu.

xcvi. Marc. V. C. Trib. et Not. *dixit*: Sanctitas veſtra, ſi eos falsò hoc nomine aſſerit noncupandos, negotium proponere tandem aliquando dignetur, quatenus de præſumpto nomine, ſi potuerit comprobari, pars è diverſo conſiſtens, in omnibus confutetur.

xcvii. Emeritus Episc. *dixit*: Magnis actum eſt voluminibus, & reſpondere noluerunt, tenentes apud ſe quodam præjudicio voluntatem, ne E
ſatisfacerent judicatis. & cùm diceret: *alia manu*, Emeritus Epiſcopus ſalva appellatione recognovi: Auguſtinus Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ dixit, Quibus judicatis? *& alia manu*, Emeritus Epiſcopus dixit, Vel illud reverentiæ ac patientiæ judiciorum præſtate dignemini, utrum petitoris loco adſtant, utrum ipſi proponant, utrum ipſi nos in judicium vocent tecùm ex eorundem reſponſione vel hoc cognitum fuerit, ad eorum propoſitiones reſpondere valeamus. *& alia manu*, Emeritus Epiſcopus ſalva appellatione recognovi.

xcviii. Marcellinus V. C. Trib. et Not. *dixit*: Reſpondeatur objectis. Auguſtinus Epiſcopus A
Eccleſiæ Catholicæ dixit: Eccleſia, quod audire non vultis, & neceſſe eſt audiatis, quoniam tot teſtimoniis & divinis eloquiis proclamatur, toto terrarum orbe diffuſa, cujus communionem videmur tenere, falſis criminationibus à vobis appetita eſt. unde extitit veſtra ſeparatio, quam dolemus. Iſtę criminationes quibus inſectari ſoletis Eccleſiam toto, ſicut promiſſa eſt, orbe diffuſam, hodie audire volumus utrum veræ ſint. Si enim veræ ſunt iſtæ criminationes quas Eccleſiæ memoratæ objicere conſueſtis, ſi eam pollutam, maculatam, everſam, deſtructam & extinctam, neſcio quibus veſtris criminibus demonſtrare potueritis, ſupererit ut quæramus, utrum apud vos remanſerit, quam ubique periiſſe clamatis. Si au- B
tem illa perire non potuit, ſupereſt ut eam vos agnoſcatis, & litem tandem aliquando finiatis. *Et alia manu*: Recognovi. Marcellinus vir clariſſimus Trib. & Not. dixit: Accepiſtis proſecutionem partis adverſæ: cui reſpondere dignamini.

Emeritus Episcopus *dixit*: Puto importunum eſſe alienam cauſam velle defendere, & in id medium negotium mittere, quod præter ruborem non poteſt unuſquiſq; ſine mandato in judicio ventilare: Poſſem enim nunc aſſerere & clamare adverſùs iſtos univerſum ordinem reluctari, teniti, Non vobis mandavi, ab hujus cognitionis eventu longè mea poſita eſt conſcientia. ego agnoſco victorem, quicunque juſtis legitimiſque ex cauſis Chriſtianus fuerit approbatus, xcix.
ille meus eſt Catholicus, illi hoc nomen imponi- C
tur. ille debet ſibi hanc regulam vindicare, quamvis ipſa Catholica quæ nunc pro præſcriptione partis adverſæ quaſi in fronte quadam ritè adverſùm nos temperari cognoſcitur, medium eſſe debet. & in judicio ita conſtitui, ut hoc nomen victor accipiat. Intelligit prudentia tua nihil nobis de peregrinis, nihil nobis de longè poſitis præjudicari poſſe. cùm inter Afros hoc negotium ventiletur; ſed magis hoc expectari, ut quicunque ex veridica cognitione fuerit ſuperatus, is ab orbe videatur eſſe rejectus. Intelligant è diverſo venientes, propoſitionibus noſtris ſe reſpondere debere, ut adſtantes aut non adſtantes, quid per- D
ſonæ gerant dicere non morentur, ut eorum intentionibus reſpondere valeamus. *& alia manu*: Emeritus ſalvo noſtræ appellationis effectu. Marcellinus V. Clariſſimus Trib. & Not. *dixit*: Quid refertur? Auguſt. Epiſc. Eccl. Cathol. *dixit*: Perſonas primo die Judicii eſſe firmatas, & ſequenti etiam die interlocutionis tuæ. *& cùm diceret*, *& alia manu*: Recognovi: Marcel. V. C. Tribunus & Not. *dixit*: Aliud quęſitum eſt.

August. Epis. Eccl. Cath. *dixit*: Interlocutionis tuæ forma declaravit. Sed quia dicit cum a.
peregrinis Chriſtianis non ſe habere aliquam rationem, ſed hoc totum quod agitur inter Afros agi; Afrorum Chriſtianorum Catholicorum hæc vox eſt: Nos univerſo orbi Chriſtiano com- E
munione coheremus: hanc Eccleſiam eligimus retinendam, quam in eis ſcripturis invenimus. *& alia manu*: Recognovi. Emerit. Epiſc. *dixit*: Sic ſemper eligere & mutare conſueſti. *& alia manu*, Emeritus Epiſc. ſalva appellatione recognovi.

August. Epis. Eccl. Cath. *dixit*: Nos et.
eam Eccleſiam retinemus, quam in illis ſcripturis invenimus, in quibus etiam cognovimus Chriſtum Scripturæ quippe noſtrę, quarum auctoritati utrique ſubdimur, Chriſtum & Eccleſiam tanquam ſanctum commendant conjugium, Chriſtum ſponſum, illam ſponſam. Ubi illum cognoſcimus, ibi & illam invenire debemus. Si itaque nunc exorti eſſemus, & cogitaremus

in Africa cui communioni Chriſtianorum ſociari deberemus, proculdubio eam tenere debuimus, quam in ſcripturis inveniremus, & criminatrices opiniones hominum repudiare, ad ſola eloquia divina, quæ mentiri neſciunt, nos tenere. Hoc fecerunt Chriſtiani Afri, & appellantur & merito ſunt Catholici, ipſa ſua communione nomen teſtantes. Catholon enim *ſecundùm totum* dicitur. Qui autem à toto ſeparatus eſt, partemque defendit ab univerſo præciſam, non ſibi uſurpet hoc nomen, ſed nobiſcum teneat veritatem. *& alia manu*, Recognovi.

cii. GAUDENTIUS EPISCOPUS *dixit :* Catholicum nomen putant ad Provincias vel ad gentes referendum, cùm hoc ſit Catholicum nomen, quod ſacramentis plenum eſt, quod perfectum, quod immaculatum, non ad gentes. Nam doceat ſibi omnes gentes communicare, & plenus eſt Catholicus. Sed prius eſt tamen, ut doceant quid petierint, quid meruerint. *& alia manu :* Gaudentius Epiſcopus ſalva appellatione noſtra recognovi. Petilianus Epiſcopus *dixit :* Utrum debeant edere quæ popoſcimus necne ſtatuere dignare, ut ſcilicet. *cum diceret : & alia manu*, Petilianus Epiſcopus ſine appellationis noſtræ præjudicio recognovi : Alypius Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ *dixit :* Aut interloquere, aut jube nos ſatisfacere poſtulatis. *& alia manu*, Recognovi.

ciii. MARC. V. C. TRIB. ET NOT. *dixit :* Ad tranſacta recurritur. & adjecit, Catholici nominis doceatur aſſertio, & illud quod pars è diverſo ſiſtens credidit proſequendum, utrum in omnibus gentibus eadem Catholica eſſe oſtendi poſſit Eccleſia.

civ. EMER. EPISC. *dixit :* Si proponit, doceat. *& alia manu :* Emeritus Epiſcopus recognovi. Petilianus Epiſcopus *dixit :* Dignare pronuntiare de ſuprà comprehenſis. *& alia manu :* Petilianus Epiſc. ſalva appellatione noſtra recognovi. Emeritus. Epiſc. *dixit :* Si proponit, doceat. Nam ſi proponere noluerit, quemadmodum docebit ? *& alia manu :* Emeritus Epiſcopus ſalvo effectu appellationis interpoſitæ recognovi.

cv. PETILIANUS EPISCOPUS *dixit :* Pronuntia de ſingulis. *& alia manu :* Petilianus Epiſcopus ſine præjudicio appellationis noſtræ recognovi. Poſſidius Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ *dixit :* Quod poſtulaverunt doce me. *& alia manu :* Recognovi. Petilianus Epiſcopus *dixit :* Hoc nobis debet tua perſona. *& alia manu*, Petilianus Epiſcopus ſine præjudicio appellationis noſtræ recognovi.

cvi. EMERITUS EPISCOPUS *dixit :* Petimus ut nulla ſit mora, ut aut proponentis aut reſpondentis poſſit eſſe perſona. Igitur quoniam approbandum eſt, & de cauſa jam in judicio ventilandum, Edicant utrum petunt aut reſpondent, ut cùm eorum intentionem in judicio videro, valeam reſpondere. *& alia manu :* Emeritus Epiſcopus ſalva appellatione noſtra recognovi.

cvii. MARC. V. C. TRIB. ET NOT. *dixit :* Juſta poſcuntur, ſanctitas veſtra dignetur edicere, utrum petitoris loco in judicio adſtare videatur.

cviii. AUGUSTINUS EPISC. ECCL. CATHOL. *dixit :* Tuæ ſublimitatis eſt judicare. nos ad eorum criminationes refellendas ingreſſi ſumus. Solent Eccleſiam quam tenemus crimine traditionis arguere. *& alia manu :* Recognovi.

cix. EMERITUS EPISC. *dixit :* Quis me in judicium vocavit ? ad cujus ſuggeſtionem conflictum voluit fieri Imperator ? *& alia manu :* Emeritus Epiſc. ſalvo effectu appellationis recognovi.

A AUGUST. EPISC. ECCL. CATHO. *dixit :* Solent Eccleſiæ quam tenemus, crimina traditionis objicere, & neſcio quorum peccatis eam contendere eſſe deſtructam & extinctam. *& alia manu :* Recognovi.

EMERIT. EPISC. *dixit :* Non hoc à te petii : fac ſatis judicaris. *& alia manu :* Emeritus Epiſcopus ſalvo effectu appellationis recognovi. Auguſtinus Epiſc. Eccl. Cath. *dixit :* Atque his criminationibus fallere corda ſimplicium, de quorum ſalute ſatagimus, his nos permoti, convenimus eos, ut nobiſcum conferrent, & quod intendunt utrum probare poſſent in Eccleſiam cui intendunt oſtenderent. Quam conventionem noſtram quoniam recuſaverant, cùm autem nuper
B in comitatum veniſſent quidam illorum apud acta etiam præfectoria dixerunt audiri ſe velle, diſcuti velle amplectentes nos, aliquando eorum de collatione conſenſum, petendum ab Imperatore credidimus, ut collatio ad hoc fieret, ut ea crimina quæ ſolent dicere in univerſam Eccleſiam aut probarent ut veritas appareret, aut non probarent, ut nihilominus veritas appareret. Hęc crimina ſi volunt aut poſſunt oſtendere, proferantur, & demonſtrentur. Si autem non poſſunt aut nolunt, jam tuæ ſublimitatis eſt de re tota ſicut ratio ipſa indicat, judicare. *& alia manu :* Recognovi.

C MARC. V. C. TRIB. ET NOT. *dixit :* Accepiſtis proſecutionem partis adverſæ. Si quid objicitis, jam jamque proponite. cxi

PETIL. EPISC. *dixit :* Pronuntiet priùs nobilitas tua utrum rectè petamus quæ petimus, necne. tum demum eis ad ſingula reſpondebimus. *& alia manu :* Petilianus Epiſcopus ſine præjudicio appellationis noſtræ recognovi. cxii

MARC. V. C. TRIB. ET NOT. *dixit :* Rectè vos petere proſecutionis veſtræ textus oſtendit : & rectè reſpondiſſe partem è diverſo ſiſtentem, eorundem ſimiliter proſecutionibus declaratum eſt. Adſertum eſt enim quòd criminibus neſcio quibus Eccleſiam quam tenent, à vobis hodieque adſerant inceſtari. Quæ ſi qua ſunt, debetis edicere. Si verò non ſunt, eſt neceſſe ut ad hæc
D reſpondere dignentur. cxiii

EMERITUS EPISCOPUS *dixit :* Sic igitur cauſa, hæc judicii forma eſt, ſic veritas inquiritur, ut de perſona taceatur. Dicit me neſcio quo auctore crimina in Eccleſiam ventilare, & quaſi per famam quandam honorem ſuum meritumque deſtruere, quicquid velit, quo nomine velit, quo poteſt argumento, huic ipſi cauſę nomen imponat, neceſſe eſt, ut quia iterum provocat, petitor adſiſtat. Utrum ergo dixerim necne, utrum verè diserim an ne confixerim, cum ipſius propoſitione cognovero ; cum ea quæ mihi objicit vera eſſe, & ex me prolata conſtiterit, tunc demum neceſſe eſt eorundem me intentionibus reſpondere. cxiv
E Videt ergo prudentia tua ſine provocante reſpondentis eſſe ſuperfluam perſonam, nec poſſe quenquam dici reſpondentem, niſi primò fuerit provocator. Ergo ſi provocatoris loco, hoc eſt quod dicitur petitoris adſiſtit, inſtituat actionem, cui reſpondere debeam. Sæpiſſime enim dicunt, nos ſuperfluis moratoriis uti, ne ad negotium veniatur. Ergo cùm iſte cardo ſit cauſę, ut ia qui alterum in judicium vocat, inſtituere actionem debeat, & provocare ad reſponſionem, advertat prudentia tua, eos proſequi debere, utrum nobis vel quam inſtituant actionem, ut reſpondere poſſimus. *& alia manu :* Emeritus Epiſcopus ſalvo effectu appellationis noſtræ recognovi.

CXV. Marc. v. e. trib. at not. *dixit* : Edicat pars Catholica utrum è diverſu ſiſtentibus objiciendum aliquid credit.

CXVI. August. Episc. Eccl. Cath. *dixit* : Nos collationem poposcimus ubi objecta diluamus, nun ubr objiciamus diluenda. quandoquidem cùm illi objecta probare non potuerint, quid ſint, quid remaneant, nobis nun dicentibus manifeſtum erit umnibus, & à tua ſublimitate judicabitur. Nunc ingreſſi ſumus diluere criminationes eorum, quas ſolent Eccleſiæ quam tenemus objicere: mandatum quoque ipſorum boc continet; Adverſus traditores & perſecutores nuſtros. Quondam autem Primianus, ſi dignatur, frater noſter, conventus pro ipſa collatione reſpondit: Indignum eſt ut in unum convenuant filu martyrum & progenies traditorum. Hæc crimina diluenda ſuſcepimus, ut hæc crimina diluantur iſtam collationem popoſcimus. Conceſſa eſt, aut probentur aut purgentur. *& alia manu*, Recognovi.

CXVII. Marc. V. C. trib. at nut. *dixit* : Mandati ſeries traditorum partem è diverſo ſiſtentem eſſe profitetur. Collationem verò, ſi tamen proſecutiu Catholicæ partis veritate ſubnixa eſt, ab utriſque partibus cunſtat eſſe poſtulatam. Unde nunc id quud mandato videtur expreſſum, ſanctitas veſtra probationibus fulcire dignetur. Accepiſtis enim ex eorum proſecutionibus magis à vobis aliqua objici, & ea objecta ſe velle diluere.

CXVIII. Patilianus Episcopus *dixit* : Pronuntiare dignare de perſona, tunc itur in cauſam. *& alia manu* : Petilianus Epiſcopus ſine præjudiciu appellationis noſtræ recognuvi.

CXIX. Altpius Episcop. Eccl. Cath. *dixit*: Jam nun eſt nuſtrarum partium, de hoc aliquid ſuperfluu reſpondere. *& alia manu* : Recognovi. Poſſidius Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ dixit: Interlocutiones ſuperiores ſublimitatis tuæ recitentur, & agnoſcant quid poſtulant. *& alia manu* : recognovi.

CXX. Marc. V. C. Trib. et nut. *dixit* : Si collationem ab utriſque partibus conſtat eſſe poſtulatam, cunſtat eum eſſe petitorem, qui crimen intendit.

CXXI. Emeritus Episcopus *dixit* : Doceat ab utriſque partibus cullationem eſſe in judicio flagitatam: *& alia manu* : Emeritus Epiſcopus recognovi.

CXXII. Altpius episc. Eccl. Cathol. *dixit* : Docemus. *& alia manu* : recognovi.

Marcel. V.C. trib. et nut. *dixit* : Huc pars Catholica docere debebit.

Aueou. Episc. *dixit* : Catholicos nos eſſe ſeriptum ſit. *& alia manu* : Adeodatus Epiſcopus proſecutiunem meam ſalvu appellationis effectu recognuvi.

Fortunatian. Episc. Eccl. cath. *dixit*: Donatiſtas vos eſſe ex Primiani mandato docemus. *& alia manu* : Recog.

CXXIII. Aueuuatus Episcopus *dixit* : Cæcilianiſtas vos eſſe ſcriptum ſit. *& alia manu* : Adeodatus Epiſcopus proſecutionem meam ſalva appellatione recognovi.

CXXIV. Furtun. Episc. Eccl. Cath. *dixit* : Si præcipis, geſta recitamus, in judicio habita Præfecturæ, ubi ſe pars adverſa audiri tantopere flagitavit: Et ideo, ſi præcipis, recitentur. *& alia manu* : recognovi.

Marcallinus vir clariss. tribunus et notarius *dixit* : Geſta habita in judicio illuſtrium poteſtatum, ſuſcepta ab A Officio recitentur. Petilianus Epiſcopus *dixit* : Contra hæc ſerva quæ competunt. *& alia manu* : Petilianus Epiſcupus ſine præjudiciu appellationis noſtræ recognovi.

CXXV. Marcellinus vir clarissimus trib. et not. *dixit* : Salva erunt. Petilianus Episc. *dixit* : De perſuna pronuntia. Quid petierint, quid ſuggeſſerint Clementiſſimo Imperatori, quidve mentiti ſint, hoc prodatur. Hîc prununtia utrum id ſuperfluè flagitem, necne. tum demum itur in cauſam. *& alia manu* : Petilianus Episc. ſalvu meritu appellatiunis noſtræ recognovi.

CXXVI. Marc. vir claris. trib. at nut. *dixit* : Collationem fuiſſe poſtulatam miſſis legatis ſermu cæleſtis uſtendit. hanc fieri evidenti ſanctione præcepit, quâ judicem reſidere pariter conſtitu- B tum eſt. Excedere me hujus præceptionis formam etiam ſanctitas veſtra umninu nun poſſe, mecum melius recognoſcit.

CXXVII. Petilianus episcopus *dixit* : Pronuntiare te conſtanter convenit. Vir nobilis, utrum proferri debeant illa quæ clanculu habentur, quæ rubore compreſſa ſunt mentientium: aut certè ſi ſuperfluè petimus, hoc prununtia. *& alia manu* : Sine præjudicio appellationis noſtræ recognuvi.

CXXVIII. Furtun. Episc. Eccl. Catho. *dixit* : Si quid eſt quod cuntra nos ubi meritos eſſe pars adverſa deſignat proferre poterit, jam proferat, ne ſuperfluis nos accuſationibus agens, populos adhuc uſque, cui conſulere volumus, decipiatur. Et ideo ſi nobilitas tua præcipit, apud C Præfecturam geſta habita recitentur. *& alia manu*, Recognovi. Petilianus Epiſcopus *dixit* : Ordine ſuo cuncta legantur. Legantur primò quæ petimus. *& alia manu*, Petiltaons Epiſcupus ſine præjudiciu appellationis noſtræ recognovi.

CXXIX. Emaritus Episcupus *divit* : Hoc eſt quod volebamus in judiciu prodi, utrum Imperialibus auribus intimari nos in judicio Præfecturæ vel voluntarius adſtitiſſe, vel quæſiſſe conflictum. Si enim iſta dixiſſes, puſſem te digeſtorum fide in judicio confutare. Si autem non dixiſſes, intelligat is qui cognitor datus eſt de omnibus ſe Imperatoriæ nutiuni referre uportere. D Igitur quoniam evidentiſſimè comprubamus iſtos ducere minimè valuiſſe, vel ea quæ Imperaturis auribus intimaſſe ſe dicunt, vel utrum ierint, vel quando ierint, vel cum quu mandatu ierint, hoc ipſum poteſtas tua judicare dignetur: Ut ſi putant perſonam noſtram tanquam petitorum de actorum confectiune quæ apud illuſtriſſimas poteſtates in judicio habita ſunt comprobare, cùm excitatione geſtorum fuerit apprubatum, judicare digneris. *& alia manu*, Emeritus Epiſcupus ſalva appellatione noſtra recognuvi.

CXXX. Marc. v. c. Trib. et Not. *dixit* : Ad ea ex quibus conſtat eſſe tranſitum, regreſſum fieri minimè oportere ſat clarum eſt. Unde ut evidenter petitoris perſona monſtretur, illuſtrium poteſtatum geſta relegantur.

CXXXI. E Patilianus Episcupus *dixit* : Nebula eſt iſta quæ ubtenditur. Nam ab initiu ipſos eſſe petitures, certo locu monſtrabimus, cùm dignaberis de his quæ jamdudum petivimus atque petimus prununtiare. *& alia manu* : Petilianus Epiſcopus ſine præjudicio appellationis noſtræ recognovi.

CXXXII. Marcellinus V.C. Trib. et Nut. *dixit* : Etiam ſanctitas veſtra quæ uffert per ordinem relegentur. & adjecit, Patimini nunc interim quæ poſtulata ſunt ab officiu recitari.

cxxxiii. PETILIANUS EPISCOPUS *dixit*: Pronuntia, & patior recitari. *& alia manu*: Petilianus Epiſcopus ſalvo merito appellationis noſtræ recognovi.

cxxxiv. MARC. V. C. TRIB. ET NOT. *dixit*: Petitoris perſona nunc aperte poterit demonſtrari, cùm hoc geſtis evidentiſſimis fuerit approbatum.

cxxxv. PETIL. EPISC. *dixit*: Pronuntia me rectè an non rectè petiſſe, quod diutius flagitavi. Res enim nobis cum populo eſt, tecum: tu quoque cum populo voluiſti habere rationem, qui de judicio tuo voluiſti judicari. *& alia manu*: Petilianus Epiſcopus ſine præjudicio appellationis noſtræ recognovi.

cxxxvi. ALYPIUS EPISC. ECCL. CAT. *dixit*: Legantur geſta. *& alia manu*: Recognovi.

cxxxvii. MARCEL. V. C. TRIB. ET NOT. *dixit*: Pronuntiare me poſtulat ſanctitas tua, cùm ab aliqua parte geſta neceſſaria probationibus publicentur. unde hoc fieri patiatur ſanctitas tua: tum demum, utrum de parte negotii pronuntiari debeat, exiſtimabo.

cxxxviii. PETILIANUS EPISCOPUS *dixit*: Aliud oſtendit, cùm aliud poſtulem. Conſcientia ipſa publica tenet, nec tacebo ulterius, nec differam, vir nobilis, te ipſum populo fuiſſe edictis frequentibus pollicitum, quicquid auditurus eſſes inter diſceptantes ſcilicet partes, te rurſum edictis ſubſequentibus prolaturum. Tu hoc videris, tuæ exiſtimationis eſt cauſa, utrum tam facilè me cogere debeas de cauſæ meritis diſputare, cùm id mihi adverſarius meus negaverit, quod ego magnopere poſtulo eſſe prodendum. Ipſe videris, ipſe hoc quomodo volueris extimes. Ego tamen tuam deſidero providere pronuntiationem, quid hoc loco ſentias. Mihi hoc expedit, nolo a populo denotari, quòd prætermiſerim id, & eundem locum prætermiſerim, ubi occultè video tegi mendacium quod debeat publicari. Proinde tu, vir nobilis, qui mediam tenes hoc loco perſonam, aſſume illam puram innocentemque conſtantiam, nec dubites pronunciare quod licet. Neque enim fas eſt, ut, cùm mihi ſatisfactum non fuerit, ego cogar ad intima cauſæ deſcendere. Unde quidem magnopere præſumo, ſed ea quæ expeto non debeo prætermittere. *& alia manu*: Petilianus Epiſcopus ſalvo merito appellationis noſtræ recognovi.

cxxxix. MARCELLINUS VIR CLARISSIMUS TRIBUNUS ET NOTARIUS *dixit*: Ut diligentius adverti poſſit, quid debeat judicari, patimini geſta recitari.

cxl. PETIL. EPISC. *dixit*: Non is eſt ordo geſtorum, ut hæc primitus recitentur. *& alia manu*: Petilianus Epiſcopus ſalva noſtra appellatione recognovi. MARC. Vir Clariſſimus Tribunus & Notarius *dixit*: Nihil debet partibus denegari. ADEODATUS Epiſcopus *dixit*: Si nihil partibus denegandum, tandem nobis cedendum eſt quod flagitavimus. Oſtendant legationem. Neque enim nudis verbis hæc potuit concipi legatio; ſcripta ſunt, demonſtrentur, prodantur in publicum: videamus utrum hæc contra nos vera, an falſa ſint ficta. *& alia manu*, Adeodatus Epiſcopus perſecutionem meam ſalva appellatione recognovi. MARC. Vir Clariſſimus Tribunus & Notarius *dixit*: Jam pronuntiavi atque judicavi, formam me excedere non poſſe Imperialis oraculi. Nec enim in judicio meo legatorum certum eſt diſcuti debere perſonas. Unde geſta relegantur ut quis petitoris loco adſiſtat, clariùs demonſtretur. ADEOD. Epiſcopus *dixit*: Hoc Imperator non præcepit ut geſta illuſtrium poteſtatum in judicio prodantur, & tamen datur adverſæ parti licentia prodendi. Produnt ipſi quæ volunt, nobis non ſinitur accipere quod poſcimus. *& alia manu*: Adeodatus Epiſcopus proſecutionem meam ſalva appellatione recognovi. MARC. Vir Clariſſimus Trib. & Notarius *dixit*: Et ſanctitas tua quæcunque geſta obtulerit, vel prolaturam ſe eſſe promittit, neceſſe eſt ut eadem relegantur. ADEOD. Epiſcopus *dixit*: Quæcunque cauſæ neceſſaria ſunt, negari non debent. *& alia manu*: Adeodatus Epiſcopus proſecutionem meam ſalva appellatione recognovi.

MARC. V. C. TRIB. ET NOT. *dixit*: Patere igitur, ut hoc quod cauſæ propriæ neceſſarium dicit pars è diverſo ſiſtens, ab officio recitetur. ADEOD. Epiſcopus *dixit*: Concedere non poſſum, ut ea quæ volunt in judicio ventilent, niſi ea quæ de ipſo flagitavi in judicio deprompſerit. *& alia manu*: Adeodatus Epiſcopus proſecutionem meam ſalva appellatione recognovi. AUR. Ep. Ec. Cat. *dixit*: Nos iſta de archivis accepimus. Si quid eſt quod & tu accipere potuiſti, ſi recitandum popoſceris, & à nobis fuerit contradictum, iniquos deputa, & vicem redde. *& alia manu*: Recognovi. MARC. Vir Clariſſimus Tribunus & Notarius *dixit*: Suſpicionem judiciis facis, quod ea non pateris, cùm & tibi fas ſit univerſa quæ ingeſſeris publicare. Unde tandem aliquando ea quæ oblata ſunt recitentur. PETIL. Epiſcopus *dixit*: Noluiſſe pronuntiare poteſtatem tuam quod petimus, acta contineant. Ulterius non poſſumus aliquid dicere, maximè cùm videam poteſtatem tuam aliud velle, cùm ego aliud flagitem. Pronuntia ſuperfluè me poſtulare quod peto, ſit quod teneam, ſit quod populus noverit: tum demum ad neceſſaria cauſæ deſcendam. *& alia manu*: Petilianus proſecutionem meam appellatione incolumi recognovi. MARC. Vir Clariſſimus Tribunus & Notarius *dixit*: Non poſſum de eo judicare, quod necdum eſt adprobatum. PETIL. Epiſcopus *dixit*: Utrum rectè petam prodi oportere id quod clanculo Imperatori ſuggeſſerint, hoc pronuntia. *& alia manu*, Petilianus Epiſcopus hanc proſecutionem meam appellatione incolumi recognovi. MARC. Vir Clariſſimus Tribunus & Notarius *dixit*: Clanculo Imperatori nihil ſuggeſtum eſſe, ad univerſos judices datæ ſanctionis, & ad meam quoque mediocritatem, ipſius recitatione monſtratum eſt: Unde cùm ex lectione geſtorum agnovero quid debeam judicare, ſine dubio judicabo.

MARTIALIS EXCEP. *recitavit*: Exemplum actorum habitorum ſub die tertia Calendas Februarias Ravennæ. Domino noſtro Arcadio P. A. & Probo quartum Conſule. *& cum recitaret*, Petilianus Epiſcopus dixit, Si jubes contra hoc advertit ſublimitas tua, non adhuc ſatisfactum petitionibus noſtris, ut exceptione eorum conſtaret ipſos eſſe petitores, ipſoſque intendere oportere, quæ objicienda eſſe putaverunt. *& alia manu*: Petilianus Epiſcopus proſecutionem meam appellatione incolumi recognovi. MARC. Vir Clariſſimus Tribunus & Notarius *dixit*: Jam nunc ex lectione geſtorum, qui petitor adſiſtat evidenter aperteque monſtrabitur. PETIL. Epiſcopus *dixit*: Sunt longe primitus geſta confecta, quibus ſpectabilis viri Proconſulis. *& cum diceret, & alia manu*, Petilianus Epiſcopus recognovi: POSSIDIUS Epiſc. Eccl. Catho. *dixit*: Proſecutiones ſuas formidat, ideo geſta recitari non permittit. *Et cum diceret: & alia manu*, Recognovi: PETIL. Epiſcopus *dixit*: Sunt geſta habita in judicio cxli

Proconſulari, habita etiam in judicio Vicariæ Præfecturæ, quibus nobis plurima intendiſſe monſtrat. Sunt etiam alia quæ de Clementino Imperatore idem ſcilicet mentientes longè antè petiverunt, adſiſtentes ac ſupplicantes, ſcilicet Theodoſio & Ennodio, illos ſcilicet quos præcurſores ac navigatores ſemper habent, furiæque ſuæ legatos, qui expetant ſanguinem, expetant proſcriptiones, incutiant metus, pericula ingerant, homines per provincias diverſas occidant. Hæc omnia igitur principio præcipe recitari: tum demum eos invenies petitores. *Et alia manu*, Petilianus Epiſcopus proſecutionem meam ſalva appellatione recognovi.

CXLII. Possidius Episc. Eccl. Cath. *dixit*: Qua impatientia & tumultu agant, ſit teſtatum his geſtis, interlocutione nobilitatis tuæ: cauſam enim ſatis timent. ad cujus meritum omnino deſcendere nolunt. Non ſint vacua omnia quæ à partibus noſtris in proſecutionibus tanta dicta ſunt de Eccleſiæ Dei promiſſionibus & exhibitionibus. Quid tergiverſantur? quid neſcio quæ forenſia rimantur? Jam dignetur nobilitas tua pronuntiare faciem defenſionis eorum. *& alia manu*: Recognovi.

CXLIII. Petil. Episc. *dixit*: Ordine ſuo à principio cuncta recitentur: tum demum invenies petitorem. *& alia manu*: Petilianus Epiſcopus proſecutionem meam appellatione incolumi recognovi.

CXLIV. August. Episc. Eccl. Cath. *dixit*: Si à principio, ex quo ad Imp. Conſtantinum miſerunt cauſâ criminum Cæciliani, jube recitari. *& alia manu*: Recognovi. Fortunatianus Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ dixit: Quia voluiſtis de prioribus geſtis mentionem facere. Et cùm diceret: *& alia manu*, Recognovi:

CXLV. Marcellinus V. C. Tribunus et Notarius: *dixit*: Hæc geſta quæ recitari poſtulat ſanctitas veſtra, poſteriora ſunt his geſtis quæ obtulit pars Catholica, an priora?

CXLVI. Petilianus Episc. *dixit*: Non eſt equidem pars Catholica, niſi quæ hujus conflictationis ſumpſerit palmam. Igitur cupimus recitari quæ in judicio Proconſulari & Vicariæ Præfecturæ, ab ipſis ſunt ante longius prompta atque petita. *& alia manu*: Petilianus Epiſcopus proſecutionem meam appellatione incolumi recognovi. Possidius Epiſcopus Eccl. Cath. *dixit*: Si de cauſa præſumeres, ad cauſæ meritum venires. *& alia manu*: Recognovi.

CXLVII. Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius *dixit*: Sine præjudicio Catholicos dico, ſequens nuncupationem Clementiſſimi Principis. Unde ea geſta quæ antiquiora ſunt, ſi placet, ab Officio recitentur.

CXLVIII. Possidius Episcopus Eccl. Cath. *dixit*: Offerimus antiquiſſima, quæ petimus ſuſcipi ab Officio. præcipiat nobilitas tua & recitari.

CXLIX. Petilianus Episc. *dixit*: Si hoc poteſtati tuæ mandatum eſt, ſi non receſſerunt ab his quę jamdudum promiſerant ſe legaliter agere oportere, redde nobis illam primam objectionem, cujus viſi quodammodo ſumus ſub hujus exceptionis ratione feciſſe jacturam. Si igitur ad legem ſe retinet, pervidet prud t. nullatenus eos harum chartularum quas proferunt, facere poſſe mentionem: Et nunc etiam atque etiam flagito, ut promant quid eligant, utrum forenſi actione mecum agant, an legali concertatione diſceptent. *& alia manu*: Petilianus Epiſcopus proſecutionem meam incolumi appellatione recog.

Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius *dixit*: Suſcipiat officium quæ ab utriſque partibus offeruntur, & conferat tempus, ut quæ priora eſſe conſtiterint, eadem recitentur. CL.

Petilianus episcopus *dixit*: Senſim in cauſam inducimur. *& alia manu*, Petilianus Epiſcopus proſecutionem meam appellatione incolumi recog. CLI.

Possidius Episc. Eccl. Cath. *dixit*: Quod petiſtis, offerimus, non vos pœniteat petiiſſe. Antiqua geſta voluiſtis recitari, hæc in manibus habemus, jubeat nobilitas tua quod offerimus recitari. *& alia manu*: Recognovi. CLII.

Petilianus Episcopus *dixit*: Me id petiſſe adhuc recalent geſta, ut ea quæ Imperatori mentiti ſunt, proferant, legant quæ objecerunt, contra hæc hujuſmodi nebulas, ut vellent acta relegere quæ ſunt habita in judicio præfecturæ, his quæ ego longè prætuli, antiquiora. Igitur, vir nobilis, ſi tenor ſe ita habet cauſæ ſicut ab initio videtur eſſe formatus, aut jacturam chartularum iſtarum publicarum faciant, & ad legalem diſceptationem veniant; aut ſi his rebus oti deſiderant, faciant legis divinæ jacturam. *& alia manu*: Petilianus Epiſcopus proſecutionem meam appellatione incolumi recog. CLIII.

Marcellinus vir clarissimus Tribunus et Notarius *dixit*: Proconſularia geſta & habita in judicio Illuſtrium Poteſtatum, officium diligenter inſpiciat, ut ea quæ priora ſunt, primitus recitentur. CLIV.

Augustinus episco. Eccl. Cath. *dixit*: Ad ea quæ proſecuta eſt modò pars diverſa, paucis advertat ſublimitas tua: Nos Eccleſiam Catholicam retinere, ipſa noſtrę communionis teſtificatione monſtramus, quam Eccleſiam probare diſcedimus, ſi permittant, non rumoribus humanis, neque errantibus opinionibus, ſed divinis eloquiis declaratam. Ut autem leges, vel geſta vel quæcunque de archivis prolata offeramus in hac collatione recitanda, ipſi cogunt, qui talibus agunt. Nam ſi remotis hujuſcemodi omnibus chartis nollent Eccleſiam niſi in ſcripturis adverti, nihil vellemus, nihil aliud optaremus. Crimina dicunt traditionis: ea crimina traditionis, aut non probant archivis & nihil dicunt, aut probant, & archivis nos viciſſim agere compellunt. Itaque providet prudentia tua, diſtinguendas eſſe cauſas, quando cogamur publicis legibus agere; quando autem velimus & optemus negotium Eccleſię, non niſi divinis eloquiis terminare. *& alia manu*: Recognovi. CLV.

Petilian. Episc. *dixit*: Quid elegerit dicat. Ambo enim tenere non poterunt. *& alia manu*: Petilianus Epiſcopus proſecutionem meam incolumi appellatione recog.

Marc. V. C. Trib. et not. *dixit*: Apertiſſimam perſecutionem partis adverſę fuiſſe ſat clarum eſt: in qua id videtur oſtenſum, ut ſi traditionis crimen objicitur, quod ſine dubio legibus divinis non poteſt approbari, ſed geſtorum fide diligentius inveniri, tum demum geſtis publicis omnia peragantur. Sin verò cauſa fidei cœperit agi, tunc ad ea quę veteris & novi teſtamenti exemplis docenda ſunt, venietur. Unde ſanctitas veſtra, ſi petitionem ſuam proſecutionemque adverſę partis vult profeſſionibus roborari, evidenter oſtendat, utrum traditionis crimen, quod probari nullatenus poteſt, niſi quibuſdam evidentiſſimis documentis, agi in judicio deſideret, an tantum fidei cauſam cupit in judicio mediocritatis meæ diſquiri atque terminari. CLVI.

CLVII. Emeritus Episcopus *dixit:* Quæ ad cauſam pertinent, ſæpius me replicare non pudet. Adeo enim & in prima fronte negotii poſtulavimus, ut mandatum legatorum ſuorum luce clarius demonſtraret, ne, cum hęc in judicium mitterentur, fortè tenuerent. Poſſunt enim dicere, Alia mandavimus, non eadem cenſuimus, nec petenda ab Imperiali præcepto conſenſimus. Sicut enim nunc. *& cum diceret, & alia manu:* Emeritus Epiſcopus ſalva appellatione recognovi:

CLVIII. Marc. V. C. Trib. et Not. *dixit*: Hęc univerſorum ſubſcriptionibus conſtat eſſe mandata.

CLIX. Emeritus Episcopus *dixit*: Quoniam duo ſunt negotia, duo debent eſſe mandata: mandatum quod in negotio pręſenti recitatum actis inſertum eſt; mandatum veró quod legatis videtur traditum nullo modo recitatum eſt. Debemus ergo advertere, utrum & hoc ante ut Imperialibus auribus deferretur, ab iiſdem videtur eſſe conſcriptum, ut cum utraque mandata in judicio fuerint recitata, utrum unam habuerint voluntatem, judicare digneris. *& alia manu*: Emeritus Epiſcopus ſalvo effectu appellationis recognovi.

CLX. August. Episcopus ecclesiæ Cat. *dixit*: Jam toties conclamavimus, mandatum quod injunctum eſt Legatis Epiſcoporum, ab Epiſcopis flagitant ſibi recitari. Hoc eſt aliena requirere, ad cauſam non pertinentia. Mandatum quod nobis propter collationem cum his faciendam injunctum eſt, hoc recitatum eſt, hoc eis ſufficiat. Quid ſi enim aliqua legatis mandata ſunt ad cauſam quidem iſtam non pertinentia, ſed quę ipſos ſcire nolumus? Sufficit quód Imperator collationem nos petiſſe ſuo teſtimonio declaravit. Hæc conceſſa eſt, ad hanc venimus, hæc aliquando agatur, ſi veritati aures hominum patent. *& alia manu*, Recog.

CLXI. Adeodatus Episcopus *dixit*: Conſeſſus es quæ olim tacuiſti. Oſtendiſti te multa adverſus nos mandaſſe, quæ ſcire non facilè debeamus. Unde advertit ſublimitas tua, quid ex ejus proſecutione debeamus advertere, quid illud mandatũ continet, quod contra nos mandatum ſcire non facilè debeamus. *& alia manu:* Adeodatus Epiſcopus proſecutionem meam ſalva appellatione recog.

CLXII. Aug. Episcopus Eccl. Cathol. *dixit*: Non hoc dixi, non advertiſti, aut diſſimulas te audiſſe quod dixi. Audi, planiùs hoc dicimus, ne fortè culpâ meâ non intellexeris, dum id obſcuriùs aliquantum dixi ſtudio brevitatis, quod percipere nequiveris. Notum eſt omnibus multas cauſas habere Eccleſiam, & ſuam, & privatarum perſonarum ſibimet commiſſarum: & poteſt fieri, ut ad Epiſcoporum interceſſionem multa pertineant. ſecreta nobis committuntur negotiorum & cauſarum alienarum: in quibus noſtra interventio ſæpe poſtulatur, propter quæ auxilium ab Eccleſia poſcitur. Hæc prodenda non ſunt, ne proditores inveniamur. Sufficit tibi, quód collationem me petiſſe in cauſa tua ipſe teſtis eſt clementiſſimus Imperator. nihil ultra quęras, ſi negotia aliena non quęris. Negotio tuo ſufficit, quod de ipſa Imperatoris lege recitatum eſt, quod noſtro mandato ſubſcriptionibuſque firmatum eſt. *& alia manu*: Recognovi.

CLXIII. Adeod. Ep. *dixit*: Non poſſunt in uno mandatu diverſa mandari negotia. Sed ſi forſitan eadem quę adverſus nos mandaſtis, etiam adverſus alias Provincias mandaſſe te conſtat, bene facis non prodere. Non te cogo in medium proferas. Quoniam me primum inſequi deſideras, ſervas hoc aliis Provinciis. Oſtendiſti quid feciſti, oſtendiſti quid celes, teneo tuum mendacium, teneo falſitatem. *& alia manu*: Adeodatus Epiſcopus ſalva appellatione recog.

Marcellinus V. C. Trib. et Notarius *dixit*: Proſecutione ſua, vir venerabilis, ſi dignatur ſanctitas tua diligenter advertere, non adverſum te aliquid ſe mandaſſe, ſed ea quæ ad te non pertineant, propria proſecutione ſignavit. Illud tantùm evidenter confeſſus eſt, collationem ſe omnimodis poſtulaſſe, & hanc fuiſſe conceſſam. Unde illius mandati, ne excedere videamur Imperialis præcepti formam, mentionem fieri video non debere. Quapropter ad ea quæ quæſivit, ſanctitas veſtra reſpondere dignetur, utrum traditionis crimen quod archivis publicis poterit monſtrari, agi in judicio velitis, an Eccleſiæ & fidei tantùm cauſam cupiatis inquiri. CLXIV.

Petilianus Episcopus *dixit*: Urbanè nobis eluditur, ut cùm ipſi ſint petitores, ſemperque noſtram pacem inquietaverint atque turbaverint, nos loco petitorum conſtituamur, cùm pacis & Eccleſiæ Dei poſſeſſores ſemper fuerimus ac ſimus. Peto igitur N. T. ut hunc ordinem ſerves. Oſtendant quid egerint, ibi invenies petitores. *& alia manu*, Petilianus Epiſcopus ſalva appellatione recognovi. CLXV.

Marcellinus vir clarissimus tribunus et notarius *dixit*: Si ſanctitas tua permitteret, vel permiſiſſet geſta recitari, jam olim qui petitoris locu adſiſteret, potuiſſet oſtendi. Unde vel nunc antiquiora, ut interfatus ſum, geſta recitentur. Petilianus Epiſcopus dixit, Ordinem ſerva geſtorum. *& alia manu*, Petilianus Epiſcopus proſecutionem meam appellationu incolumi recognovi. CLXVI.

Marc. V. C. Trib. et Not. *dixit*: Eorum geſtorum quæ à partibus offeruntur, ideſt Proconſularium & illuſtriſſimæ ſedis, tempora recitentur. CLXVII.

Possidius Episc. Eccl. Cath. *dixit*: Offerimus chartas antiquiores noſtris definitionibus profuturas. *& alia manu*, Recognovi. Montanus Epiſcopus dixit, Si jubes, de codice lego. *& alia manu*: Montanus Epiſcopus proſecutionem meam appellatione incolumi recognovi. CLXVIII.

Marc. V. C. Trib. et Not. *dixit*: Sicut ſtatui, ab officio recitetur. Navigius adjutor numerorum recitavit: Poſt Conſulatum D. N. Theodoſii perpetuó Auguſti, Idus Septemb. Carthagini. *& cùm recitaret*, CLXIX.

Alypius Episc. Eccl. Cathol. *dixit*: Antiquiora proferimus. *& alia manu*: Recognovi. Marcellinus vir Clarissimus Tribunus et Not. *dixit*: Iterim iſta quę antiquiora ſunt, geſta in ſede illuſtrium habita Poteſtatum, patimini relegantur. Navigius adjutor numerorum recitavit: Domino Arcadio Auguſto & Probo viro clariſſimo conſule. *& cùm recitaret*, CLXX.

Marcel. V. C. Trib. et Not. *dixit*: Quæ priora ſunt, ab Officio ſuggerantur. CLXXI.

Ruffinus scriba viri clarissimi curatoris, d. Ea ſunt priora quæ in codice oblata continentur. CLXXII.

Alypius Episc. Eccl. Cat. *dixit*: Ecce antiquiora proferimus. *& alia manu*, Recognovi. Ruſinianus Scriba viri clariſſimi curatoris dixit: Siquidem ſicut ſuggeſſimus conſulem contineant, Theodoſii Auguſti & Rumori- CLXXIII.

di viri clariſſimi, alia verò Conſulatum contineant Domini Arcadii vr. & Probi viri clariſſimi.

CLXXIV. Marc. V. C. Tria. et Not. *dixit*: Ea quæ antiquiora ſunt, recitentur. Navigius adjutor numerorum Officii viri Clariſſimi & ſpectabilis Vicarii recitavit: Æquitatem tuam petimus Septimine vir clariſſime Proconſulum ſumme ſubl. Multa contra divinas humanaſque leges ab hæreticis de parte Donati Eccleſia Catholica ſuſtinet, quæ ſi vel anterioribus vel recentioribus Imperialibus juſſis prohibenda & tollenda, poſtulanda vellemus, nequaquam audere deberent de noſtris actionibus conqueri, ſcientes ſe, cùm nulla tali lege adjuvarentur, ſchiſmaticos tamen ſuos Maximianiſtas, per judicum juſſa locis ac ſedibus eorum pellendos exturbandoſque curaſſe. Veruntamen nos ſaluti eorum & noſtræ eſtimationi pacificè conſulentes, propter charitatem qua Chriſtiani ſumus, leniter eos volumus admonere, ut errorem ſuum cogitando & agnoſcendo, non negligant; aut ſi putant ſe habere aliquid veritatis, non eam furioſis Circumcellionum violentiis contra publicam quietem, ſed tranquilla rationis redditione defendant. Unde petimus Sublim. t. ut cùm eos de hac re per magiſtratus ſive in civitatibus ſive in pertinentibus territoriis admonere voluerimus, copiam nobis præberi geſtorum, & eos ex allegatione noſtra honeſtè conveniri, præcipiat: quod conſecuti, agamus excellentię tuę apud Deum uberes gratias. Domino Theodoſ. perp. Auguſt. & Rumoriđo viro clar. Conſulibus, Idus Septembres, Carthagine. Septiminus vir clariſſimus Proconſul dixit, In quolibet loco Antiſtibus legis venerabilis ob quietis imperium geſtorum conficiendorum tribuitur facultas; hoc etiam tenore hujus præceptionis limitato, ut intelligant ſe deviæ plebis magiſtris ſalubriter petentibus propriæ perſuaſionis ratiocinia perſolvere, ut rebus in medio prolatis, amica legis moderatio ſervetur, ſuperſtitione ſuppoſa. Data ab univerſis Epiſcopis Catholicis ex Concilio Carthaginienſi. *Quum recitaret*,

CLXXV. Petilianus Episcopus *dixit*: Petitor eſt qui petit, an quid vocabitur? *& alia manu*, Petilianus Epiſcopus proſecutionem meam appellatione incolumi recognovi.

CLXXVI. Aug. Ep. Ecc. Cat. *dixit*: Hæc poſtulavimus, ſed præcedentibus veſtris criminationibus & accuſationibus. Nam proferimus antiquiſſima geſta, quibus veſtri majores, tunc in tempore ad Anulinum venerunt Proconſulem, & illi chartas in quibus dicerent majorum noſtrorum crimina eſſe conſcripta, obtulerunt, & rogaverunt, ut eaſdem ad Conſtantinum Imperatorem miſiſſet. Has offerimus, & petimus nobilitatem tuam ut eas ſuſcipi ex officio & ex ordine recitari præcipias. *& alia manu*: Recognovi.

CLXXVII. Marc. V. C. Trib. et Not. *dixit*: Libellus datus à vobis, evidenter oſtendit ſchiſmatis & hæreſeos crimen objectum; quod probare vos convenit.

CLXXVIII. Possidius Ep. Eccl. Cath. *dixit*: Omnia probabuntur, ſi ea quæ obtulimus, & ſuſcipi, & ex Officio recitari, præcipere fueris dignatus. *& alia manu*: Recog.

CLXXIX. Marc. V. C. Trib. et notarius *dixit*: Univerſa per ordinem recitentur. Emeritus Epiſcopus dixit, Ergo loco eſt petitoris. *& alia manu*, Emeritus Epiſcopus recognovi. Poſſidius Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ dixit, Cum chartæ fuerint recitatæ, petitor faciliùs invenietur. *& alia manu*: Recog.

CLXXX. Marc. V. C. Trib. et Not. *dixit*: Licet ex his geſtis petitorum loco adſtare videantur, tamen melius & evidentius approbabitur cum omnia fuerint recitata.

CLXXXI. Petilianus Episcopus *dixit*: Si in forenſem conflictum revertimur, conſtat eos legis divinæ feciſſe jacturam. Reſpondeant igitur etiam atque etiam quod exegi, utrum legibus publicis agant, an legis divinæ conflictum eligant, alterum de duobus. Utrumque enim tenere non poſſunt. *& alia manu*, Petilianus Epiſcopus ſalva appellatione recog.

CLXXXII. Marc. V. C. Trib. et Not. *dixit*: Hæc quæ ſanctitas veſtra obtulit relegenda, non ambigitur, quia in judicio viri ſpectabilis Proconſulis acta ſunt, ad forenſem diſceptationem abſque dubio pertinere. Unde, ſicut interfatus ſum, ut diligentius oſtendatur qui loco petitoris adſiſtat, etiam illa patimini recitari.

CLXXXIII. Petilianus Episcopus *dixit*: Contra iſta præſcribo, Si forenſis eſt actio, hujus temporis cauſam audire præceptus es, vir nobilis: ſi ſimpliciter & Eccleſiaſtico more res geritur, acquieſcam in ea quæ lege divina proferuntur, vel à me vel à parte diverſa: ſi autem annoſas antiquaſque chartulas cupiunt recitare, habeo pro me validas præſcriptiones, recito illud tempus, cujus ſub conteſtatione prætermiſſionem intentim feci. Lapſum cauſa incurrit, non poteſt rurſus audiri. *& alia manu*: Petilianus Epiſcopus ſalva appellatione recognovi. Auguſtinus Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ dixit, Crimina traditionis objiciunt. *& alia manu*, Recognovi. Petilianus Epiſcopus dixit, Hoc cauſæ eſt. *& alia manu*, Petilianus Epiſcopus ſalva appellatione recognovi. Auguſtinus Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ dixit, Redde vicem, auditus es cum proſequeretis nobis patientibus. Crimina traditionis Eccleſiæ quam tenemus, objicere conſueverunt. *& alia manu*, recognovi. Petilianus Epiſcopus dixit, Legaliter agit, an more forenſi? *& alia manu*: Petilianus Epiſcopus recognovi. Poſſidius Epiſcopus Eccleſiæ Catholicę dixit, Prior chartas obtuliſti. *& alia manu*: Recognovi. Petilianus Epiſcopus dixit, Redde mihi tempus; calculetur Officium de temporibus, utrum hodierna die cauſa dicenda ſit, ad forenſes deſcendimus actiones. *& alia manu*, Petilianus Epiſcopus appellatione incolumi recognovi.

CLXXXIV. Marcellinus V. C. Trib. et Not. *dixit*: Etiam veſtra ſanctitas in hac parte judicare debeter. Conſtat enim ex conſenſu utriuſque partis judicium fuiſſe dilatum. Cur nunc ſuperfluo temporis præſcriptionem objiciendam eſſe crederis, cum eam conſtet ex conſenſu partium fuiſſe ſecluſam? Unde nunc ea quę ad cauſam pertinent, peragi debere manifeſtum eſt.

CLXXXV. Petil. Episc. *dixit*: Quia ipſi ſe ad forenſia contulerunt, ideo forenſia poſtulavi. Reſpondeatur mihi ad ea quæ poſtulo. Forenſi more agit, an Eccleſiaſtico? *& alia manu*, Petilianus Epiſcopus appellatione incolumi recog.

CLXXXVI. Marc. vir clariss. Trib. et Not. *dixit*: Reſpondeatur objectis. Auguſtinus Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ dixit, Si patiatur, Eccleſiæ, quam tenemus, ſicut omnes noverunt, quorum ſolent animos ſuis ſollicitare criminationibus, etiam ſui mandati tenore declararunt, Eccleſiæ inquam quam tenemus, crimina ſolent traditionis objicere. *& alia manu*, Recognovi. Petilianus Epiſcopus partis Donati dixit, Profiteantur ad quæſita: profeſſionem petivimus, non conflictum. *& alia manu*: Petilianus Epiſcopus appellatione incolumi recognovi.

Aug.

CLXXXVII AUGUST. EPISC. ECCL CATHO. *dixit*: Si horum criminum jacturam faciunt, de chartis publicis nihil proferimus. Si autem in eadem criminatione perſiſtunt, chartis publicis docemus hanc cauſam olim eſſe finitam, nec tamen eos ab hujuſmodi objiciendis criminibus ceſſaviſſe. Unde nunc collationem iſtam popoſcimus, non ut illam cauſam quam traditionis Cæciliano & ejus collegis objiciebant, ſuſcipiamus denuo finiendam; ſed demonſtremus olim eſſe finitam, ut hoc cognoſcentes populi qui neſciunt, & iſtorum adhuc criminationibus commoventur, tandem aliquando cognoſcant, in qua Eccleſia Chriſtianæ ſalutis viam requirant. Si ergo de Eccleſia quæritur quæ ſit, quanta ſit, qualis ſit, ſola divina teſtimonia ad eam demonſtrandam ſufficient. Si homines appetunt, ſi hominibus crimina intendunt, quanquam Eccleſiæ cauſa ab hominum cauſa diſtinguenda eſt, nec in hominibus ſpes ponenda eſt Eccleſię, ſi boni ſunt; neque ſi mali ſunt, judicanda eſt Eccleſia deperiſſe: ſed tamen etiam ipſorum cauſam tanquam fratrum noſtrorum ſuſcipimus, & ſi nobis oſtendi potuerint criminoſi, hodie illos anathematimus; non tamen propter illos Eccleſiam à Deo promiſſam & exhibitam deſerimus aut relinquimus. Ipſi ergo eligant quod volunt. Non objiciant crimina hominibus, & chartæ ceſſabunt, ſola divina loquetur auctoritas; ſola Dei ſcriptura, cui utrique ſubdimur, in medium proferetur. *& alia manu*: Recognovi. Marcellinus vir clariſſimus Tribunus & Notarius dixit, Quid his refertur?

CLXXXVIII. EMERITUS EPISCOPUS PARTIS DONATI *dixit*: Prolixæ orationi reſpondere non poſſum: tamen ſummatim ut valeo, quæ ſuperfluè in judicium miſſa ſunt, ventilabo, cùm optationes à noſtris partibus propoſitas ne vel relectione confundant, ut neque velint eſſe petitores, neque ſe dicant reſponſores adſtare, intulerintque noſtris partibus proſecutionem, ut ſi forenſis regulæ ordinem tenent, conditionalis diei non omittam internis ſenſibus notionem. Si autem legalibus magis cupiunt in judicio conluctari, divinis ſcripturis non eis neceſſe eſt reſpondere. Primum eſt autem, quod in judicio flagitamus, ut quoniam de mandatorum ſuorum allegatione in judicio vacillant; quippe cùm unum legentes aliud negent, dicantque tamen ſe legatos ad Imperiales aures deſtinaſſe antea, ſecutumque eſt identidem, ut ex reſponſione geſtorũ dilucidè claruiſſet, utrum nos inquietatores eſſemus, an inquietati ad judicium veniremus, his tot propoſitionibus reſpondere nolentes, ad alia ſe neſcio qua argumentatione dejiciunt: Quæſo, vir nobilis, conſtituant gradum, dicant ſe quo ordine quave actione in judicio conſiſtant. Nos enim qui adducti ſumus ad diſceptationem, petitoris loco adſtare non poſſumus. ipſos neceſſe eſt proponere, ut eorum propoſitionibus pars noſtra valeat reſpondere. *& alia manu*: Emeritus Epiſcopus ſalva appellatione recog.

CLXXXIX. AUGUSTINUS EPISCOPUS ECCLESIÆ CATHOLICÆ *dixit*: Si petitoris loco adſiſtunt qui crimina objecta defendunt, tuæ nobilitatis eſt pronuntiare. *& alia manu*, recognovi.

CXC. MARCELLINUS VIR CLARISSIMUS TRIB. ET NOT. *dixit*: Etiam proſecutione viri venerabilis Petiliani id conſtat fuiſſe ſignatum, ut utrum pars Catholica, quod nomen ſine præjudicio dicere me multis interlocutionibus patefecit, jure publico agi vellet, an certè divinis teſtimoniis, evidenter oſtenderet. Sed denuo ad quæſita reſponſum eſt, ita ut evidentiſſime monſtraretur, ſi crimina non objicerentur, a documentis publicis diſcedendum, quæ probari non poſſe aliter niſi publicorum certum eſt atteſtatione geſtorum: Sin verò cauſa Eccleſiæ tractaretur, legalia tantùm teſtimonia proferentur. De quibus quid placeat, evidentiùs deſignetur.

CXCI. PETILIANUS EPISCOPUS *dixit*: Duo ſunt quæ præter cætera à diei hujus principio cœpimus ventilare. Unum, ut ipſi legiſſent quid Imperatori Clementi ſuggeſſerint: aliud, utrum diſceptationem legis divinæ tenere cupiant, an publicas leges. De utroque nihil mihi apertè reſponſum eſt. *& alia manu*: Petilianus Epiſcopus appellatione incolumi recognovi.

CXCII. POSSIDIUS EPISCOPUS ECCLESIÆ CATHOLICÆ *dixit*: Ad omnia eſſe reſponſum ſuperiora teſtantur geſta. *& alia manu*, Recognovi.

CXCIII. PETILIANUS EPISCOPUS *dixit*: Pervidet igitur ſublimitas tua, ſenſim nos ad cauſæ interna deduci: pervidet illa tua præſtantia vivacitas ſenſus, magis mihi interloquutionibus nobilitatis tuæ quàm reſponſionibus adverſariorum fuiſſe reſponſum. Igitur evidentius aliquid decernatur, evidentius conſtet: noverim, quid debeam reſpondere. Mihi enim, ſicut tua meminit nobilitas, idem à patribus meis mandatum eſt, ut objectis reſpondeam, non ut objiciam aliquid. Non enim loco petitoris adſiſto, ſed reſponſuri. Qui ſæpius apud Imperatoris aures & coram omni populo ſanè apud ſe conſtituto, in crimen nos invidiamque deducunt, ut hæreticos nominent, ut ſchiſmaticos quoque appellent, hoc doceant, hoc diluo, huic rei reſponſurus ſum, ſi modò ſe ad legalia convertant, ipſiuſque legis quærant reſponſa atque judicia. Si verò utraque miſcent, evidentiùs deſignetur. Noverim genus actionis, nemo me reprehendat in publico, nemo cauſæ bonæ infirmum eſſe judicet defenſorem, nemo judicet obliquum, nemo adverſarium doloſum & licentioſum, cui omnia permittant, ut cùm de his juſta atque evidentia requirantur, libeat illis delicatè quomodo voluerint, nebulas ac tenebras obtendere, ut veniri non poſſit ad cardinem veritatis. *& alia manu*: Petilianus Epiſcopus appellatione incolumi recog.

CXCIV. MARCELLINUS VIR CLARISSIMUS TRIBUNUS ET NOTARIUS *dixit*: Duo ſunt quæ ſanctitas tua credidit poſtulanda: unum, ut mandatum in quo legati delecti ſunt à parte è diverſo ſiſtente, relegeretur: aliud, utrum à divinis legibus recederent, evidentiſſimè demonſtrarent. Petilianus Epiſcopus dixit, Reſpondeant breviter ad utrumque. *& alia manu*, Petilianus Epiſcopus recognovi. Marcellinus vir clariſſimus Tribunus & Notarius dixit, Uni rei, quoniam mea intererat, ipſe reſpondi. Nec enim de his legatis poteram dubitare, de quorum legatione pronuntiaverat Clementiſſimus Imperator, ne in ejus injuriam refricari aliquid videretur. Aliud vero eorum conſtat proſecutionibus definitum, quibus id evidenter oſtenſum eſt, velle ſe à publico jure ſub ea conditione diſcedere, ſi de perſonarum criminibus taceretis. Unde quoniam hinc conflictus tantùm remanſiſſe

cognoſcitur, ut qui petitoris loco adſiſtat evidentiſſimè demonſtretur, quoniam geſta à veſtra parte oblata recitata ſint, patimini denuo etiam ea quæ à diverſa parte offeruntur, ab Officio recitari.

CXCV. Petilianus Episc. *dixit*: Cujus geſta ſunt quæ à partibus meis recitata ſunt? ſi abſentes eſſent è diverſo ſiſtentes, licuit tibi, vir nobilis, abſentum partes judiciario animo defenſare. Nunc præſentes ſunt: ipſi mihi reſpondeant, ipſi edicant, ipſi ad utraque quę propoſui, reſpondere non differant. *& alia manu*, Petilianus Epiſcopus recognovi. Poſſidius Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ dixit, Nec reſpondere nos permittis. Petilianus Epiſcopus dixit, Tuum eſt pronuntiare quid audias; illorum eſt agere cauſam, qui adverſus me loco petitoris. *& cùm diceret*, *& alia* B *manu*, Petilianus Epiſcopus recog.

CXCVI. Marcellinus V. C. Trib. et Notarius *dixit*: Hoc pronuntiavi ut ex geſtorum lectione hæc omnia poſſint diligenter agnoſci. Petilianus Epiſcopus dixit. Ipſi dicant, ipſi profiteantur. *Et alia manu*, Petilianus Epiſcopus incolomi appellatione recog.

CXCVII. Aug. Episc. Eccl. Cath. *dixit*: Jam diximus onde agamus potius, id eſt, utrum publicis documentis an divinis teſtimoniis: in veſtra eſt poſitum poteſtate. Si enim à criminibus hominum ceſſaris, & nos ceſſabimus à publicis documentis, & ſolam Eccleſiæ cauſam divinis teſtimoniis aſſeremus. Si autem ab hominum criminibus non C deſiſtitis, neceſſe eſt nos & à vobis publica documenta flagitare, & contra vos publica documenta proferre. Hoc autem cùm cognitori inſinuaremus, quia illi de corde non eſt excuſſum multiplicibus & ſuperfluis proſecutionibus veſtris, ideo vobis jam à nobis hæc acta eſſe ipſe reſpondebat, non partes noſtras agens, ſed ſuas, cui jam inſinuavimus, ejuſque cordi penitus infiximus quid dicamus. *& alia manu*, Recognovi.

CXCVIII. Adeod. Episc. *dixit*: Quo ordine agere debeas, in noſtra non eſt poſitum poteſtate, cùm ipſum venire in noſtra poteſtate non fuerit. *& alia manu*, Adeodatus Epiſcopus ſalva appellatione recognovi.

CXCIX. Aug. episc. eccl. Cathol. *dixit*: Ergo ad D interrogata reſpondete. Receditis à criminibus traditionis? Reſpondeant ad breve interrogatum noſtrum. Facitis jacturam criminum quę ſoletis objicere Cæciliano & collegis ejus, an in eadem criminatione perſiſtitis? *Et alia manu*: Recognovi. Marcellinus vir clariſſimus Tribunus & Notarius dixit, Ad quæſita reſpondete.

CC. Emeritus Episcopus *dixit*: Breve ſuum dicit eſſe poſtulatum, breve noſtrum debet eſſe reſponſum. Omnis actio duas ſolet ſuſcipere perſonas, petitoris & è diverſo reſpondentis. Cùm hæc cauſa ſuum ordinem teneat, conflictumque deſideret, quid eſt quod ante principia negotii, quaſi quædam mihi electio ex adverſa parte proponitur, ut dicam, utrum criminibus intentatis Cæciliani refrager, atque ab iiſdem quę objeceram ſileam, an objecta in judicio E valeam confirmare? Memento Judicum ſumme, ſicut adſoles, qui ſit ordo dicendi. Nemo enim adverſum ſe adſtanti dicit, Elige tibi utrum me accuſas necne. Nemo dicit, Intentaturus es crimen, an nihil mihi in judicio oblaturus es, & intentionibus tuis mutum quoddam ſilentium imponens, inanis ac ſine ratione de tam longinquis regionibus veniſſe dicaris, cùm ad hoc ego adſiſtam, ut ſi me ipſe dixerit illa diſiſſe quæ graviter ferre aut imperialibus auribus, aut in

A ſuo mandato ſubſcripſit, tum demum eligam atque reſpondeam, utrum velim intentionibus ejuſdem ſecundùm proſecutionis ſuæ tenorem legum confirmatione robuſtus accedere, an me ab hac actione removere. Videt prudentia tua me reſpondere non poſſe, cùm incertum dixerit, cùm nihil tale propoſuerit cui debeam revocare reſponſum. Dico enim eum utrum petitor an reſponſor ſtet. Ille mihi dicit, Si Cæciliani cauſam intermiſeris, tunc petitor ſum; ſi autem non prætermiſeris, neceſſe eſt me repondere ad ea quæ videntur objecta. Si times Cæciliani cauſam, metuiſque tibi aliquid objectum, tu proponere, tu inſtituere actionem in judicio debebis. Adtrahe me & in publicum colloca. Dic me aliquod tibi crimen quod ad aures Imperatorias detuliſti, per B publicam conſcientiam commendaſſe. Cùm ego autem de te magis expetam quod audieris, quid me dixiſſe, quid me inſinuaſſe judiciis intimes, cur metuis? cur vetens actionem iſtam in judicio firmare? Nimirum illud attendis, ne petitoris ſuſcipiens perſonam, eaque in judicium mittis, aut accepta, aut dicta, aut ab aliquo promulgata docere in judicio compellaris. Attende, vir nobilis, in quo ſtatu ſit iſta cauſa, cùm ego qui pulſor, petitionem illorum promi in judicium petam, eoſque, qua poſſum poſtulatione, deprecer ſemper, ne moratoriis ad negotii cardinem venire minimè permittamur. Non ergo ex noſtra parte eſt quod adhuc uſque nihil de negotio geſtum eſt, cùm, ſi C perſonam ſuam judiciis adſtruere voluiſſent, neceſſe nos erat objectis illico reſpondere. *& alia manu*, Emeritus Epiſcopus ſalva appellatione recognovi.

Augustinus Episcopus Ecclesiæ Catholicæ *dixit*: O breve reſponſum! Quàm multum dicitur, ubi inveniri non poteſt quid dicatur! Breviter reſpondi ego poſtulationibus tuis. Voluiſti ex me ſcire, utrum legalibus teſtimoniis divinis agam, an publicis geſtis. Reſpondi, ſi recedis à criminibus quæ non poſſunt niſi geſtis publicis declarari, recedo à publicis geſtis, & ſolis divinis teſtimoniis aſſeram cauſam Eccleſiæ quam defendo. Si autem tu ab illis criminationibus non vis recedere, nec ego recedam ab eis documentis quibus te oſtendam falſa D crimina vel nobis vel ipſi Eccleſiæ quam retinemus, objicere. *& alia manu*: Recognovi. CCI.

Marcellinus V. C. Tribunus et Notarius *dixit*: Ad hæc plenè conſtat eſſe reſponſum: Quæ autem pars loco petitoris adſiſtat ſciri omnino non poterit, niſi ex recitatione geſtorum: quæ, ut ſtatui, quoniam à parte veſtra quæ oblata ſunt, conſtat eſſe recitata, tandem aliquando perlegantur. CCII.

Petilianus Episcopus *dixit*: Nemo duo elegit de duobus. Cùm ergo propoſuerim ut alterum elegiſſet, ille ſibi ambo evidentiùs vindicavit. Non timeo, non recuſo: ſi hoc poteſt eſſe retinendum, ſerva mihi primitus tempora legum, ſtatuatur dies. Reſpondeat officium de die cauſæ, cognoſcatur lapſos fuiſſe: hinc judica, hinc E debes ferre ſententiam. Siquidem contra me ſententiam ferres, ſi fortè defuiſſem. *& alia manu*: Petilianus Epiſcopus ſalva appellatione recog. CCIII.

August. Episc. Eccl. Cath. *dixit*: Si die decimo quinto venerunt, ut ad quartumdecimum occurrerent, quare octavo Kalendas mandatum conſtituerunt? *& alia manu*: Recognovi. CCIV.

Petilianus Episcopus *dixit*: Non inquietaſti, ſcivi te lapſum, ſuperfluè ingreſſus ſum judicium, qui intrare non debui poſt diem la- CCV.

pſi negotii. *& alia manu* : Petilianus Epiſcopus appellatione incolumi recognovi.

ccvi. Aug. Episcopus Eccl. Cathol. *dixit* : Quare ad Kalendas ſe promiſit adfuturum eſſe Primianus? *& alia manu*, Recognovi. Alypius Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ dixit, Hoc jube recitari. Quamvis iſta tranſacta ſint; quamvis ad illuſionem populorum has nebulas iniciat pars diverſa, tamen etiam hoc petimus, præcipuas recitari, ut ſic ſaltim cognoſcant, quàm impudenter hæc iterum repetant quæ jam ante tranſmiſſa ſunt. *& alia manu*. Recognovi.

ccvii. Petilianus Episcopus *dixit* : Dum non vis deſignare alterum de duobus ambo tenens, facis me eadem repetere. *& alia manu* : Petilianus Epiſcopus appellatione incolumi recognovi.

ccviii. Fortunatian. Ep. Eccl. Cat. *dixit*: Sciunt ſe in cauſa Eccleſiæ nihil habere: ideo moratoriis agunt. Quapropter, quoniam illa jam tranſacta ſunt, ut cognoſcatur quis ſit petitor, jube antiqua geſta recitari. *& alia manu*, Recog.

ccix. Petil. Episc. *dixit*: Si legibus publicis uti vis, præſcribo ne legas. *& alia manu*: Petilianus Epiſcopus appellatione incolumi recog.

ccx. Marcellinus vir Clarissimus Tribunus et Notarius *dixit* : Contra conſenſus proprios quod legibus inhibetur, venire deſideras: & conſenſu enim partium conſtat primum dilatum fuiſſe judicium, ut alio die, vel tertio, vel certè poſt editionem geſtorum, negotium tractaretur. Unde, ut quis loco petitoris adſiſtat diligentius declaretur, geſta recitentur.

ccxi. Petil. Episc. *dixit* : Servarem conſenſum, ſi & ipſi ſervarent. *& alia manu* : Petilianus Epiſcopus appellatione incolumi recognovi. Marcellinus vir clariſſimus Tribunus & Notarius dixit, Recitentur geſta. Adeodatus Epiſcopus dixit, Contra hæc ſerva quæ competunt. *& alia manu* : Adeodatus Epiſcopus appellatione incolumi recognovi.

ccxii. Marcel. V. C. Trib. et Not. *dixit* : Ea quæ rationi & æquitati competere potuerint, ſalva erunt.

ccxiii. Adeodatus Episcopus *dixit* : Si enim conſenſus ſervandus eſt, & retinendi ſumus ad conſenſum noſtrum, debent etiam nobis ipſi fidem ſui conſenſus, qui ſe legibus divinis acturos eſſe promiſerunt. *& alia manu*, Adeodatus Epiſcopus appellatione incolumi recognovi.

ccxiv. August. Episc. Eccl. Catho. *dixit* : Sed cauſam Eccleſiæ, non cauſam Cæciliani & collegarum ejus quibus crimina intenditis; Ecce pollicemur, & toties pollicemur, quoties exactum fuerit à nobis, & cùm non exigitur, offerimus. Eccleſiæ cauſam non niſi divinis teſtimoniis firmamus, docemus, oſtendimus; Cæciliani autem & quorumlibet hominum, non niſi his documentis quibus ſolent iſta vel demonſtrari, vel purgari. *& alia manu*, recog.

ccxv. Marc. V. C. Trib. et Not. *dixit* : Iſta frequentius dicta ſunt. Unde quoniam conſtat primitus petitoris perſonam debere diſquiri, geſta recitentur. Martialis exceptor recitavit: Incipit relatio Anolini Proconſulis, ubi oſtendit Donatiſtas Cæciliani cauſam ad Imperatorem Conſtantinum detuliſſe. *& cùm recitaret*,

ccxvi. Montanus Episc. *dixit* : Ut quid iſte titulus legitur? *& alia manu*, Montanus Epiſcopus ſalva appellatione recognovi. Marcellinus vir clariſſimus Tribunus & Notarius dixit, Neuter titulus actis inſeretur. Martialis exceptor recitavit: Auguſtis noſtris Anolinus vir clariſſimus Proconſul Africæ. Scripta cæleſtia Majeſtatis veſtræ accepta atque adorata, Cæciliano & his qui ſub eodem agunt, quique clerici appellantur, devotio mea apud acta parvitatis meæ inſinuare curavit. *& cùm recitaret*,

Petilianus Episcopus *dixit* : Unde hoc profert; ex publico ſcrinio, an de ſuo? *& alia manu*: Petilianus Epiſcopus recog. ccxvii.

August. Epis. Eccl. Cath. *dixit* : Legat, & tunc de nobis exigat hujus lectionis firmitatem. *& alia manu*: recog. ccxviii.

Marc. V. C. Trib. et Not. *dixit* : Ante lectionem unde proferas evidenter oſtende. ccxix.

Aug. Episc. Eccl. Cat. *dixit* : Si inde dubitant, archiva Proconſulis requirantur. *& alia manu*, recognovi. Marcellinus vir clariſſimus Tribunus & Notarius dixit: Quoniam in archivis publicis ea quæ recitantur, ineſſe dixiſti, ſicut cœperat Officium omnia relegere debebit. Martialis exceptor ex ſuperioribus geſtis recitavit; Eoſdem hortata eſt, ut unitate conſenſu omnium factâ munere Majeſtatis veſtræ liberati eſſe videantur, Catholica cuſtodita ſanctitati legis debita reverentia, ac divinis rebus inſerviant. Verùm poſt paucos dies extiterunt quidam, adunata ſecum populi multitudine, qui Cæciliano contradicendum putarent, quique faſciculum in aluta ſignatum, & libellum ſine ſigno obtulerunt dicationi meæ, atque impendio poſtularunt, ut ad ſacrum ac venerabilem comitatum nominis veſtri dirigerem. Quæ, manente Cęciliano in ſtatu ſuo, ſubjectis eorumdem actis, quo cuncta Majeſtas veſtra poſſit dignoſcere, parvitas mea dirigere curavit. Tranſmiſi libellos duos, unus in aluta ſignatus ita: Libellus Eccleſię Catholicæ criminum Cæciliani, traditus à parte Majorini. Item alios ſine ſigillo cohærens eidem alutę. Datum die decimo ſeptimo Kalendarum Maiarum Carthagini, Domino Conſtantino Auguſto III. Conſule. Quo recitato, ccxx.

Petilianus Episcopus *dixit* : Quis eſt iſte qui agit? Ceciliani filius eſt, an non? *& alia manu* : Petilianus Epiſcopus ſalva appellatione recognovi. ccxxi.

Aug. Episcopus Eccl. Cath. *dixit* : Ne vobis dicatis patrem in terra: ſimul audivimus, ſimul legimus, ſimul populis prædicamus. Quid de me quęris utrum ſim filius Ceciliani? Cęcilianus, ſi innocens fuit, gaudeat de ſua innocentia me congaudente, non in ejus innocentia me ſpem meam ponente. Si autem nocens fuit, quod fortaſſe diſcuſſa cauſa, vel ſic vel aliter declarabit, ſuſtinuit eum Eccleſia quam teneo, ut à ſimilitudinibus Dominicis non recedam, ſicut paleam in area, ſicut in eiſdem paſcuis hędos, ſicut in eiſdem retibus piſces malos; non tamen propter malos nos aut aream dominicam deſerere debemus, aut retia dominica nefaria animoſitate diſſenſionis abrumpere, & in mare ante tempus littoris proſilire. *& alia manu*, recognovi. Marcellinus vir clariſſimus Tribunus & Notarius dixit, Sicut ſtatutum eſt, omnia relegantur. ccxxii.

Emeritus Episcopus *dixit* : Jube nos proſequi. *& alia manu*, Emeritus Epiſcopus recognovi. Marcellinus vir clariſſimus Tribunus & Notarius dixit, Agite. Emeritus Epiſcopus dixit, Recitata ſcriptura quam pars adverſa protulit. *& cùm diceret*, *& alia manu* : Emeritus Epiſcopus recognovi. ccxxiii.

CCXXIV. FORTUNATIANUS EPISC. ECCL. CAT. *dixit*: Quis poſſit eſſe petitor, his geſtis poterit inveniri. *& alia manu*, Recognovi.

CCXXV. EMERITUS EPISCOPUS *dixit*: Recitata ſcriptura quam pars adverſæ protulit, conſors meus juſta proſecutione ſignavit, nomen ſibi imponere debere eum qui cauſam defendit in judicio Cæciliani. Sed artatus is nobis è diverſo veniens, quaſi quodam lubrico fugere atque elabi conatur, duas in judiciis inſerens perſonas & geminas actiones. Dicit enim, Si Cęciliani perſona pro objectis criminibus poterit deſtrui, Eccleſię inquit nihil oberit; cùm unius hominis perſona deſtructa adſtare videatur in fide. Quid ergo opus eſt, vir ſublimis, Cæciliani cauſam in medium mittere, ſi nihil obeſt is, ſi nihil adverſus eos facit? aut cur in judicio defenditur vel accuſatur? Cùm enim dicat, neque ſibi obeſſe ejuſdem reatum, neque poſſe aliquam nebulam vel maculam Eccleſiæ innectere: vides ergo ſuperfluè Cęciliani nomen in judicium miſſum, cùm hac quaſi peremptoria præſcriptione excuſatus eſſe videatur, ut ſi reus ſit, ab Eccleſia videatur extraneus; ſi innocens, quaſi objectis criminibus purgatus atque liberatus, bene in Eccleſia ſua ſtetiſſe videatur. Judica, vir ſublimis, unum eos tenere debere. Si Cæciliani cauſam defendunt, ſuperbire ſe & proſequi ea, quæ in judicio adverſus Cæcilianum de veritate promuntur. Si autem dicunt obeſſe ſibi omnino non poſſe quid fecerit Cæcilianus, quid opus eſt Cæciliani cauſam in medium mittere, cùm eis obeſſe non poſſit ſi fuerit in judicio reus maniſeſtiſſimus deprehenſus. *& alia manu*: Emeritus Epiſcopus ſalva appellatione recognovi. Marcellinus vir clariſſimus Tribunus & Notarius dixit, Doceatur à parte diverſa quod quęritur.

CCXXVI. AUG. EP. EC. CAT. *dixit*: Cæciliani cauſam vel collegatum ejus ſolent ipſi Eccleſiæ Catholicæ objicere, vel, ut ſine controverſia loquar, ipſi Eccleſiæ quam tenemus. Proinde ut video, magnum volunt adferre compendium. Si hanc cauſam non objiciunt Eccleſiæ quam tenemus, dicant, quid ei objiciant. Si enim nihil, quare ſeparamur? Si aliquid præter cauſam Cæciliani, id ipſum offerant, id oſtendant. *& alia manu*: Recognovi.

CCXXVII. PETILIANUS EPISCOPUS *dixit*: Tu quis es? filius es Cæciliani, an non? tenet te crimen Cęciliani, an non? ſi fuerit? *& cùm diceret*: *& alia manu*: Petilianus Epiſcopus appellatione incolumi recognovi:

CCXXVIII. AUG. EPISCOP. ECCL. CATH. *dixit*: Ego in Eccleſia ſum, in qua Cæcilianus fuit. *& alia manu*, Recognovi.

CCXXIX. PETILIANUS EPISC. *dixit*: Unde cœpiſti? quem habes patrem? Alioquin ſi patrem tuum damnaveris, hęreticum te eſſe profiteris, qui nec originem vis habere, nec patrem. *& alia manu*, Petilianus Epiſcopus appellatione incolumi recognovi.

CCXXX AUG. EPIS. ECCL. CAT. *dixit*: In Eccleſia ſumus, in qua Cæcilianus Epiſcopatum geſſit, & diem obiit. Ejus nomen ad altare recitamus, ejus memoriæ communicamus, tanquam memoriæ fratris, non tanquam patris aut matris. Quæris autem à me unde communio mea ſumat exordium. Dominus ipſe Chriſtus aſſerit exordium communionis meæ dicens, Oportebat Chriſtum pati & reſurgere à mortuis tertio die, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam & remiſſionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Hieruſalem. Cœpit iſta prædicatio ab Hieruſalem: inde ſe ab illuſtriſſimo exordio diffudit, diffundens Eccleſiam quam tenemus. Primò per vicina, deinde per longinqua, etiam in Africam venit. In hanc oculos aperuimus, hanc in divinis eloquiis & teſtimoniis, ſicut ipſum Dominum Chriſtum & redemptorem noſtrum comperimus: ab illo Deo patre, ab hac Eccleſia matre, nullius me hominis crimina, nullius calumniæ ſeparabunt. *& alia manu*: Recog.

PETILIANUS EPISC. *dixit*: Cæcilianus tibi pater aut mater eſt, ut dixiſti? *& alia manu*: Petilianus Epiſcopus appellatione incolumi recognovi. CCXXXI.

AUG. EPISC. ECCL. CAT. *dixit*: Jam audiſti quia frater erat. *& alia manu*: Recognovi. Petilianus Epiſcopus dixit, Frater non eſt, qui generat filios. *& alia manu*: Petilianus Epiſcopus appellatione incolumi recognovi. CCXXXII.

MARCELLINUS VIR CLARISSIMUS TRIBUNUS ET NOTARIUS *dixit*: Nec patrem, nec matrem ſibi eſſe Cæcilianum apertiſſima proſecutione ſignavit. Auguſtinus Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ dixit, Cæcilianus non eſt pater meus. Si bonus eſt, frater meus eſt bonus; ſi malus eſt, frater eſt malus. Tamen propter ſacramenta frater eſt, ſive bonus, ſive malus. *& alia manu*, Recognovi. Marcellinus vir clariſſimus Tribunus & Notarius dixit, Ut nec patrem ſuum nec matrem Cæcilianum fuiſſe diligentius demonſtretur, ejuſdem proſecutio ſuperior relegatur. CCXXXIII.

PETILIAN. EPISC. *dixit*: Satis illos defendis per Deum. *& alia manu*, Petilianus Epiſcopus appellatione incolumi recog. CCXXXIV.

AUG. EPISC. ECCL. CATH. *dixit*: Ecce dico, quoties voluerint, dico, Cæcilianus non eſt pater meus, quia audio Dominum meum dicentem, Ne vobis patrem dicatis in terra: unus eſt pater veſter Deus. Dico Cæcilianum fratrem: bonum fratrem, ſi bonus; malum fratrem, ſi malus eſt; quoniam propter communia ſacramenta frater meus eſt. Si autem judicium de illo meum vis audire, etiam innocentem credo, appetitum falſis criminationibus exiſtimo, ſed tanquam homo de homine exiſtimans, non tanquam certum aliquid credens. Tu ſi objicis Eccleſiæ crimina Cæciliani, adſiſto, defendo tanquam fratris, oſtendens non pertinere ad Eccleſiam, nec ad ejus cauſam, nec ei præjudicare; & ſic demonſtro nihil te objicere Eccleſiæ Catholicæ, etiamſi veræ fortaſſe, quod nullo modo poteris demonſtrare, ſint crimina Cæciliani. Si autem nec ipſa vera potueris demonſtrare, etiam te judice vides ubi remanſeris, & quid rejecta tandem animoſitate erroris eligere debeas, ut nobiſcum teneas veritatem, nobiſcum amplectaris damnato errore, charitatem. *& alia manu*, Recognovi. CCXXXV.

PETIL. EPISC. *dixit*: Ipſa illa ſunt ambigua, quibus ab hodierni diei percurrit principio, nec tamen ſe alterum tenere aliquando profeſſus eſt, cùm utraque magno amplexu retineat, utrumque metuens dimittere vel tenere. Tandem aliquando expreſſiùs dicat, utrum patris loco habeant Cæcilianum, ex quo deducta eſt iſta progenies. Non enim poteſt aliqua res ſine generatore ſuo naſci, aut ſine capite incipere, aut ſine radice ſua creſcere. Videt igitur nobilitas tua ſe originem non habere ſæpius proteſtatum. Si igitur originem non habet, ipſe eſt magis hæreticus, qui non habet patrem, qui habitum patrem judicio ſuo damnavit. Aſtipuletur igitur, ut ſi criminoſum patrem ejus conſtiterit, eum crimina teneant; ſi autem inno- CCXXXVI.

centem, neceſſe habeat eſſe filius innocentis: ita A quoque è diverſo neceſſe habeat ut ſit filius criminoſi, ſi conſtiterit criminoſum. *& alia manu*: Petilianus Epiſcopus appellatione incolumi recognovi.

CCXXXVII. AUGUSTINUS EPISC. ECCL. CATHOL. *dixit*: Habeo caput, ſed Chriſtus eſt. Marcellinus vir clariſſimus Tribunus & Notarius dixit, Diligentius demonſtretur, utrum patrem veſtrum Cæcilianum, aut matrem, ſicut quæſitum eſt, eſſe dicatis. Auguſtinus Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ dixit: Habeo caput, ſed eſt per cujus Apoſtolum audio. *& cùm diceret*; *& alia manu*, Recognovi.

CCXXXVIII. PETILIANUS EPISCOPUS *dixit*: Quis te ordinavit ut Epiſcopus eſſes? *& alia manu*, Petilianus Epiſcopus recognovi ſalvo appellationis B effectu.

CCXXXIX. MONTANUS EPISCOPUS *dixit*: Et quid eſt, quod dicit Apoſtolus Paulus, Si decem millia pædagogorum habueritis in Chriſto, ſed non multos patres, per Chriſtum enim ego vos generavi per Evangelium. Cumque ſtreperent,

CCXL. ALYPIUS EPISC. ECCL. CATHOL. *dixit*: De tumultu teſtatum ſit. *& alia manu*, Recognovi.

CCXLI. MARCELLINUS V. C. TRIBUNUS ET NOTARIUS: *dixit*: Ad quæſita reſponde.

CCXLII. AUGUSTINUS EPISCO. ECCL. CATH. *dixit*: Habeo caput; ſed Chriſtus eſt, cujus Apoſtolum audio dicentem, Omnia veſtra, vos autem Chriſti, Chriſtus verò Dei. C Nam & ubi ſe patrem dixit Apoſtolus, ne ipſius paternitatis velut baſem humanam infirmitatem crederemus, addidit, per Evangelium ego vos genui. Semen ergo & vena ſeminis mei de Evangelio ducitur: Honorificentiæ cauſâ Patres appellamus eos qui nos, vel tempore, vel meritis præceſſerunt. Aliud eſt cùm quærimus ad fidem quem habeamus patrem, ad ſalutem æternam quem habeamus patrem, ad retinendam Eccleſiam, & percipienda Dei promiſſa, quem habeamus patrem. Nam illud honoris eſt, ut quotidie ſenibus dicamus, Pater; quo- D tidie etiam quibuſdam non nobiſcum in una Eccleſia, nec in iiſdem ſacramentis conſtitutis, dicimus, Frater. Sodomitis etiam dixit Loth, Fratres; utique ad leniendum eorum animoſitatem, non ad cognitam fraternitatem, & quaſi unius hæreditate conſortium. Tollantur ergo iſta, diſtinguamus vocabula quæ hominibus propter honorem debentur, & vocabulum quod propter ſalutem requirimus. Pro ſalute æterna, pace Apoſtoli dixerim, imò jubente Apoſtolo dixerim, non pater meus Apoſtolus eſt ad ſalutem æternam qui mihi dicit, Ego plantavi, Apollo rigavit, ſed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus. De hoc Dominus dixit, E Nolite vobis dicere patrem in terra. Utique ſcivit dicturum Apoſtolum; per Evangelium ego vos genui. Non enim Domino dicente, Ne vobis dicatis patrem in terra, contrarius futurus erat Apoſtolus dicens, Etſi multos habeatis patres, per Evangelium ego vos genui: Sed quia diſtinxit ad quam rem patrem nobis conſtituerit Dominus, & pro qua honorificentia eum Apoſtolum poſſemus patrem accipere, ideo ſic locutus eſt, ut ejus oratio non eſſet contraria Dominicæ veritati. Patres igitur quoſcunque agnoſco in terra, honorificentiæ cauſâ agnoſco. Patrem ſalutis meæ non teneo niſi Deum; de quo mihi Dominus dixit. Ne vobis patrem dicatis in terra; & quis quotidie dicimus, Pater noſter qui es in cælis. *& alia manu*, Recognovi.

PETILIANUS EPISCOPUS *dixit*: Quis dicitur qui eum ordinavit? dicat, quis eum ordinavit. *& alia manu*: Petilianus Epiſcopus appellatione incolumi recognovi. Marcellinus vir clariſſimus Tribunus & Notarius dixit, Ordinator ejus inquiritur. Unde quis eum ordinaverit evidentius deſignetur. Poſſidius Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ dixit, Quem? CCXLIII.

FORTUNATIAN. EPISC. ECCL. CATH. *dixit*: Quid ad cauſam pertineat veritatis uniuſcujuſque Epiſcopi ordinator, non ſatis agnoſcimus. Teſtimoniis divinis, pater Deus eſt edoctus. *& alia manu*, Recognovi. Petilianus Epiſcopus dixit, Qui vocatur qui eum ordinavit edicat. *& alia manu*, Petilianus Epiſcopus appellatione incolumi recognovi. Alypius Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ dixit, Ordinavit quem ?mulciadſtamus, multi adſertionem cauſæ ſecundùm tenorem mandati ſuſcepimus. cujus ordinatorem quærit, aut quare quærit, exponat pars diverſa, ut videamus utrum dignum ſit ad hæc reſpondere. *& alia manu*, Recognovi. CCXLIV.

ADEODATUS EPISCOPUS *dixit*: Auguſtinus hæc dixit. Dicat, quis eum ordinavit. *& alia manu*, Adeodatus Epiſcopus ſalva appellatione recognovi. Poſſidius Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ dixit, Non modo Auguſtini cauſam ſuſcepimus defendendam, qualemcumque ipſe habet. *Et cùm diceret. & alia manu*, Recognovi: Adeodatus Epiſcopus dixit, Hoc eſt in judicium cauſæ deſperatæ, ut cùm nos flagitemus alia, alia reſpondeantur; ut quoniam objectis reſpondere non poſſunt, quærant alia quibus nebulas innectant. Dicat igitur Auguſtinus quis eum ordinaverit. *& alia manu*, Adeodatus Epiſcopus ſalva appellatione recognovi. Auguſtinus Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ dixit, Superflua quæri video. *& cùm diceret, & alia manu*, recognovi: CCXLV.

MARCELLINUS VIR CLARISSIMUS TRIBUNUS ET NOTARIUS *dixit*: Ad interrogata reſpondere dignare. CCXLVI.

AUGUST. EPISC. ECCL. CATH. *dixit*: Superflua quæri video à fratribus noſtris è diverſo ſiſtentibus, & ad ipſa ſuperflua non denego reſponſionem; dum tamen Eccleſiæ cauſa, cui reſponderi nihil poteſt, in fundamento tutiſſimo collocetur. Ego, cujus ordinatorem requiris, homo ſum Chriſtianus, fidelis, quod Deo teſte loquor, Catholicus. Unde adhuc ambigimus quis dignus hoc nomine vocitetur. Ego illam Eccleſiam defendo, hanc aſſero qualicumque voce; in qua quicquid fuero, illa Eccleſia eſt. Video quo tendas, humanas calumnias conſectaris: & quæ ſoleatis jactare & dicere, non alienum eſt ab auribus vel à cordibus noſtris. Megalius me ordinavit, Primatus Eccleſiæ Numidiæ Catholicæ, eo tempore quo ille me potuit ordinare. Ecce reſpondi. Proſequere, profer quæ præparas, ibi etiam calumnioſus appareas. Ecce dixi ordinatorē meum; profer jam calumnias tuas. *& alia manu*, Recog. CCXLVII.

MARC. V. C. TRIB. ET NOT. *dixit*: Accepiſti proſecutionem. Unde quid competat, reſpondere dignare; licet hæc, quæ de perſonis aguntur, cognitionem differre non debeant. CCXLVIII.

EMERITUS EPISCOPUS *dixit*: Si nulla eſt actio perſonarum, cur Cæciliani in judicio faciunt mentionem? Aut enim juſte timent, quòd eum deſiderant excuſare; aut ſi ſuperflua actio adverſus Cæcilianum intenta, liberant mores, vitam purgant, hoc ipſum debent legalibus teſtimoniis approbare. Dicimus etenim multis legalibus documentis, ſacerdotum vitia, ac probros CCXLIX.

mores, & nefariam converſationem, maculam aut rugam inferre ſemper Eccleſiæ. Unde enim eſt quod Apoſtolus ait, Non habentem maculam neque rugam: & iterum, Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe? Multis etiam documentis lex divina diffunditur, quibus immaculata vita paſtoris debeat cæleſtibus teſtimoniis approbari. Sed ne per longitudinem proſecutionis audientię faſtidium faciam, aut fortè prætermittam quæ competunt cauſæ, quoniam habemus in manibus divinorum ſacramentorum collectam undique uniformitatem, idipſum poteſtas tua adverſum eorum mandatum, quod legaliter ſe ſcripſiſſe dixerunt, jubeat recitari, ut poſt adſertionem noſtræ proſecutionis lectionemque libelli, ſive literarum quas in judicio petimus recenſendas, B univerſa quæ noſtris partibus competunt, ſpecialiter peragamus. *& alia manu*, Emeritus Epiſcopus ſalva appellatione recognovi.

CCL. MARC. V. C. TRIB. ET NOT. *dixit*: Conſtare quidem primitus volueram, ut quis loco petitoris adſtaret, ex recitatione geſtorum evidentiſſime monſtraretur. Sed ſi vultis ab hac me parte diſcedere, evidenter oſtendite ut ea quæ offertis, debeant recitari.

CCLI. MONTANUS EPISCOPUS *dixit*: Interim jube recitari, & reſpondebimus. *& alia manu*, Montanus Epiſcopus ſalva appellatione proſecutionem meam recognovi. Marcellinus vir clariſſimus Tribunus & Notarius dixit, Recitentur. Romulus exceptor recitavit: Fl. Marcellino viro C clariſſimo ſpectabili Tribuno & Notario Januarius & cæteri Epiſcopi veritatis Catholicæ quæ perſecutionem patitur, non quæ facit. Quia apud acta nobilitatis tuæ fratribus collegiſque noſtris defenſionem mandavimus. *& cùm recitaret*:

CCLII. MARC. V. C. TRIB. ET NOT. *dixit*: Quantū ex iſtius epiſtolæ quæ profertur principiis demonſtratur, denuo aliud video proceſſiſſe mandatum, cùm poſt confirmationem perſonarum, ea omnia quę partibus competitorum veſtro nomine debuerant judiciis intimari, quoniam ab illis poſt mandatum ſemel factum, conſtat tranſiſſe negotium.

CCLIII. EMERITUS EPISC. *dixit*: In mandato ſuo legalia quæque ſe poſuiſſe dixerunt. Hęc eadem D legalia nos ſcripturis legalibus convincimus. nihil abſque mandato eſt, imo, ut audientiam prudentia tua præbeat, hoc rogamus. *& alia manu*, Emeritus Epiſcopus ſalva appellatione recognovi. Marcellinus vir clariſſimus Tribunus & Not. dixit, Non hæc proferri prohibui, ſed rectius erat ut veſtro nomine qui adſiſtitis, proferrentur. Emeritus Epiſcopus dixit, Cùm actio nobis competat, ſcriptura mandati, nihil intereſt, utrum ex noſtra perſona an ex eorum qui mandaverunt, dummodo hoc ipſum jubeas recitari. *& alia manu*: Emeritus Epiſcopus ſalva appellatione recognovi.

CCLIV. MARCELLINUS VIR CLARISSIMUS TRIBUNUS ET NOTARIUS *dixit*: Recitentur. Ego enim ne E quod juris eſſet, omitterem, id videor interfatus. Romulus exceptor recitavit: Magnum juſti cognitoris indicium eſt, quòd uni parti conceſſerit. *& cùm recitaret*;

CCLV. EMERITUS EPISCOPUS *dixit*: Non legit, non diſtinguit ſenſus. *& alia manu*: Emeritus Epiſcopus recognovi.

CCLVI. AUGUST. EPISCOPUS ECCLESIÆ CAT. *dixit*: Ipſi legant; concedamus eis quod ipſi nobis concedere noluerunt. Marcellinus vir clariſſimus Trib. & Notarius dixit, Eccleſiaſtici Notarii ea relegant, ut apertius deſignetur, quæ à venerabilibus viris conſtat oblata. Poſſidius Epiſcopus A Eccleſiæ Catholicæ dixit, Scriptum ſit, ipſos petiſſe, ut à ſuis Notariis geſta quę proferunt, recitentur. *& alia manu*, Recognovi. Marcellinus vir clariſſimus Tribunus & Notarius dixit, Nihil intereſt a quo relegantur. Petilianus Epiſcopus dixit, Non de fide dubitatur Officii, ſed de pronuntiatione. *& alia manu*, Petilianus Epiſcopus recognovi.

MARCELLINUS VIR CLARISSIMUS TRIBUNUS ET NOTARIUS *dixit*: Superflua eſt iſta cauſatio. Unde, ut diligentius omnia cognoſcantur, ab Eccleſiaſticis Notariis, quod oblatum eſt, recitetur. Alypius Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ dixit, Legantur, concedentibus nobis, quod ipſi nobis concedere noluerunt. Habetdeum Epiſcopus dixit, Ego lego. Marcellinus B vir clariſſimus Tribunus & Notarius dixit, Lege. CCLVII.

HABETDEUM EPISCOPUS *dixit*: Flavio CCLVIII. Marcellino viro clariſſimo & ſpectabili Tribuno & Notario, Januarianus & cęteri Epiſcopi veritatis Catholicæ, quæ perſecutionem patitur, non quæ facit. Quia apud acta nobilitatis tuæ fratribus collegiſque noſtris defenſionem mandavimus, magnum juſti cognitoris indicium eſt, quod uni parti conceſſerit, alteri non negare, ne uni parti favere, alteram premere videatur. Quod te pro tua prudentia & longè proſpicere, & longius condecet pręcavere, maximè cùm populos edictis invites de audientiæ tuę libramine judicare. C Adverſarii igitur Traditores perſecutoreſque noſtri cùm elucubratum volumen ſui mandati, diuque conceptum & expoſitum actis ingererent, ſine præjudicio equidem noſtro libenter audiſti. Quod ut huic epiſtolæ noſtrę concedas, impendio poſtulamus: Non quo illorum prava perverſaque doctrina nos terreat, ſed ne labor ſit defenſoribus noſtris, contra librum illorum prolixum, & contra proſecutiones eorum confligere, cùm nec dies totus cauſæ ſufficiat, nec vox aut latera defenſioni, ut libet cum libro, & defenſio cum defenſione concertet. Quare igitur hanc epiſtolam noſtram petimus accipi atque inſeri jubeas; tunc deinde cauſam audire digneris. Adverſarii enim noſtri decurſis teſtimoniis quibus Eccleſia D cum laude ſui ubique diffunditur, id prius mandant ſuis defenſoribus peragendum, ut contra nos qui Eccleſiæ defendimus puritatem, iſto modo agant, ut eandem Eccleſiam habituram in ſe permixtos ſimul bonos & malos uſque in finem ſeculi, dicant eſſe prædictam. Cujus rei cauſam nos magis oſtendimus, Eccleſiam Domini in ſcripturis divinis ſanctam & immaculatam fore ubique nuntiatam. Per Eſaiam, Exurge Sion, indue fortitudinem tuam Hieruſalem civitas ſancta: non adjiciet tranſire per te incircumciſus & immundus. Et iterum, Dic filiæ Sion, Ecce tibi ſalvator adveniet, habens mercedem & opus ante faciem ſuam, & vocabit illum populum ſanctum, E redemptum à Domino. Tu autem vocaberis, Deſiderata civitas, & non derelicta. Et iterum, Confortamini manus diſſolutę, & genua debilia confortamini. Qui eſtis puſillanimes, nolite timere, Dominus noſter judicium retribuet, & ipſe veniet, & ſalvos faciet nos: Tunc aperientur oculi cęcorum, & aures ſurdorum audient, plana erit lingua mutorum, & claudus ſaliet ſicut cervus: Quoniam rupta eſt in deſerto aqua, & fons in terra ſitienti. Et adjecit, Illic via munda, & via ſancta vocabitur, & non tranſibit illic immundus, neque erit illic via immunda. Etiam illic non erit leo, neque ex beſtus malis aſcendet in illa, neque invenientur in illa, ſed ambulabunt illic re-

dempti & electi, De qua in Canticis Canticorum ex perſona Domini ſcriptum eſt: Tota ſpecioſa es ſoror mea, & reprehenſio non eſt in te. Quod Paulus Apoſtolus apertiſſimè demonſtravit, dicens; Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſemetipſam tradidit propter eam, ut eam ſanctificaret, purgans eam lavacro aquæ in verbo, & adjungens ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid ejuſmodi, ſed ſanctam & immaculatam. Et iterum, Deſponſavi enim vos uni viro virginem ſanctam aſſignare Chriſto. His ergo tot & tantis documentis de Eccleſiæ puritate, quæ per ſpiritum promittebatur, ſpretis atque contemptis, malos in illa inter bonos eſſe manſuros, per zizaniorum ſimilitudinem incompetenter affirmant, cùm ipſam ſimilitudinem Dominus interpretatus ſit Apoſtolis ſuis, dicens: Qui ſeminat bonum ſemen, filius eſt hominis. ager autem eſt hic Mundus, bonum autem ſemen, ii ſunt filii regni: Zizania autem, filii ſunt maligni. Inimicus autem qui ſeminat ea, Diabolus eſt: meſſis autem, conſummatio ſeculi: meſſores autem, Angeli ſunt, & cætera. Ager, inquit, eſt Mundus; non ergo Eccleſia, ſed Mundus, in quo boni ſimul & mali uſque ad meſſem, id eſt uſque ad divinum judicium, reſervantur. Quia nec poteſt à Domino interpretata immo corrumpere. Quoniam ſi Apoſtoli ipſius Domini comites, in Eccleſia Zizania, id eſt filios Diaboli pullulantes, in ſanctorum communione dimittendos eſſe didiciſſent, nunquam Simonem, Eraſtum, Filetum, Alexandrum, Deman, Hermogenem, cæteroſque conſimiles, Eccleſiæ liminibus ejeciſſent. Imo, ſi ita eſſet, vacaret totum præconium ſcripturarum divinarum, quo jubentur, polluti è medio ſanctorum ſacerdotum diligentia ſeparari: dicente Domino per Moyſem: Legitimum, inquit, æternum in progenies veſtras. dividere inter ſanctos & profanos, inter mundos & immundos. Quod alibi neglectum in perſona ſacerdotum Spiritus increpat, dicens: Sacerdotes ejus repulerunt legem meam, profanabant ſancta mea, inter mundum & immundum non dividebant, & inter ſanctum & pollutum non ſeparabant. Ad hanc parabolam illud quoque adverſarii ſubjungunt, paleas cum frumentis debere ſimul in Eccleſia permanere. Quod Hieremias repercutit, dicens. Quid paleis ad frumentum? & Paulus Apoſtolus, Quæ particula eſt fideli cum infideli, aut quæ communio luci ad tenebras. & Salomon, Si communicabit lupus agno aliquando, ſic peccator juſto. Piſces etiam bonos & malos uno retiaculo uſque ad litus, id eſt juſtos & injuſtos, uſque in finem ſeculi ſimul contineri & protrahi confirmant; non intuentes hoc de reis latentibus dictum, quoniam retiacolum in mari poſitum quid habeat, à piſcatoribus, id eſt à ſacerdotibus ignoratur, donec extractum ad litus ad purgationem boni ſeu mali prodantur. ita & latentes & in Eccleſia conſtituti, & à ſacerdotibus ignorati, ſi divino judicio proditi, tanquam piſces mali, à ſanctorum conſortio ſeparantur, ſicut Dominus in Evangelio de latenti reo qui per obreptionem ſacerdotes fefellerat, per figuram loquitur, dicens: Intrans, inquit, Rex videre recumbentes, vidit illic hominem non habentem veſtimentum nuptiale: & ait illi, Amice, quomodo huc veniſti? ille autem obmutuit: & dixit Rex miniſtris ſuis, Auferte illum manibus & pedibus, & mittite illum in tenebras exteriores: illic erit ploratio & ſtridor dentium. Secundùm hanc igitur rationem, fruſtra dixerunt bonos

A propter malos ſacrilega ſeparatione non deſeri; ſed malos propter bonos pia unitate tolerari; cùm propter hanc profanam percommixtionem commoveri & ſejunctionem maximam provocare alio loco Dominus indignatus, oſtendat. Pro eo, inquit, quòd facta eſt mihi omnis domus Iſrael permiſtio, omnes æramentum, argentum, ferrum, ſtagnum & plumbum, in medio camini ardentis permiſtum. Propterea dicit, Hæc dicit Dominus: Propter quod facti eſtis omnes in permixtione una, ideo ego recipio vos in medio Hieruſalem, ſicut recipitur æramentum, & argentum & ferrum, & ſtagnum & plumbum in medio camini, ad inſuflandum in igni ut conflетur. ita recipiam vos in ira mea. & concremabo, &

B inſuflabo in vos inſuflatione ignis iræ meæ. & conflabimini in medio ejus, & ſcietis quia ego ſum Dominus, qui effudi iram meam ſuper vos. Contra hæc & talia quibus Eccleſia Dei à contaminatione permixtorum immundorum defenditur, clarum eſt, adverſarii qua conſcientia patrocinantes erroribus malos nolint à bonorum communione diſcerni. Sequuntur enim apertiſſimè blaſphemantes, ut dicant, Eccleſiam malorum delictis etiam manifeſtorum non poſſe maculari, adhibentes exempla Prophetarum, qui licet eos increparent pro delictis, tamen ſe ab eis corporaliter non ſepararunt; cum oſtendamus longè aliud fuiſſe illud tempus in quo frequentare Baptiſmum toties quoties peccabant, permittebantur. Tamen etiam ſic, inveniuntur eidem Prophetæ à malorum communione ſe abſtinuiſſe, quando

C Sofonias Propheta, qui ad Hieroboam in ſchiſmate poſitum miſſus, nec panem nec aquam jubetur accipere: qui circunventus, violato præcepto, à leone conſectus eſt. Helias etiam & Heliſæos altaribus ſchiſmatis Samariæ nunquam communicaverint, neque conſenſerint, qui magis in ſolitudine morabantur. Oſee quoque Propheta, oſtenditur non interfuiſſe myſteriis eorum quorum ſacrificia deteſtatur & damnat, dicens: Sacrificia eorum tanquam panis luctus: omnis qui tetigerit ex eis, inquinabitur. Amos denique quando potuit Samariæ myſteriis miſceri? de quo Pſeudopropheta ita regi invidiam facit, dicens: Conglobationes facit adverſum te Amos, in medio domus Iſraël. Non poteſt terra ſupportare

D ſermones ejus, & ob hoc inſuper expellitur. Iam verò in ipſa Hieruſalem quomodo poterant Prophetæ ſacrificiis peccantium hominum communicare, quæ ipſi divino ſpiritu pleni damnabant? Eſaia dicente, Quo mihi multitudinem ſacrificiorum veſtrorum? dicit Dominus. plenus ſum. Holocauſtomata arietum, & adipem agnorum, & ſanguinem taurorum & hircorum nolo; nec ſic veniatis in conſpectu meo. Quis enim exquiſivit iſta de manibus veſtris? calcare aulam meam non adjicietis. ſi attuleritis ſimilaginem, vanum. Incenſum, abominatio eſt mihi. Neomenias veſtras, & ſabbata & diem magnum non ſuſtineo. Jeju-

E nium & ferias, & dies faſtos veſtros odit anima mea. Facti enim eſtis mihi in abundantia multa. Jam non parcam peccatis veſtris. Cùm extenderitis manus, avertam oculos meos à vobis: & ſi multiplicaveritis preces, non exaudiam vos. Manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt. Et iterum, Facinoroſus autem qui ſacrificat mihi vitulum, quaſi qui canem occidat; & qui ſimilam offert, quaſi ſanguinem porcinum; & qui thus in memoriam, quaſi blaſphemus. Aggæus etiam non modò ſacrificia, ſed ipſam gentem peccatricem penitus execratur, dicens: Sic & populus iſte, & ſic gens iſta: & ſi quis illuc acceſ-

ſertt, inquinabitur. Et Malachiel, Vos ò ſacerdotes qui profanatis nomen meum, & dixiſtis, In quo profanavimus nomen tuum? & ponentes in altario meo panes pollutos; & dixiſtis, In quo polluimus illos? in eo ut diceretis, Menſa Domini benedicta eſt, & qua ſuperponebantur annullaſtis. & ita in omnibus Prophetis invenies: quoniam ſi communicaſſent eis quos tantis vocibus condemnabant, prævaricationis crimen incurrerent. Quod ergo inter eos erant, commorationis fuit, non communionis. In defenſionem deinde ſceleris ſui auctoritatem ſibi exemplo Iudæ traditoris aſſumunt, quo eum dicant à Domino, & præcognitum aſſumptum, & cognitum toleratum; cùm utique ſine præjudicio preſcientiæ ſuæ, Dominus Chriſtus Judam in Apoſtolorum numerum aſſumpſerit: cognitum ſibi, non hominibus, hac ratione pertulerit, qua & hodie perferre videtur occultos. Scriptum eſt enim; Quę occulta ſunt mihi, quæ manifeſta vobis & filiis veſtris, in Pſalmis, nonne Deus inquiret iſta? ipſe enim ſcit latentia cordia. In Regnorum, Homo videt in faciem. Deus autem videt in corde. & Apocalypſi, Et ſcient omnes Eccleſiæ quoniam ego ſum ſcrutator renum & cordis. Denique Domino cum diſcipulis recumbente & dicente, Unus ex vobis me tradet; atque reſpondente eodem Juda, Nunquid ego ſum Domine, & ab eodem Domino audiret, Tu dixiſti, detectum ſe protinus videns confuſus abſceſſit, ſed cum ipſa poſtmodum turba ad tradendum Dominum venit. Vacant ergo cum ſuo Iuda patrono inimici dominicæ veritatis, qui ſuo more defendere reos manifeſtiſſimos elaborant: Item ad defenſionem pollutæ permiſtionis ſuæ verba Apoſtoli objiciunt, quibus ait, Sive per occaſionem, ſive per veritatem miſerebor, quoniam filii fornicationis ſunt, quia fornicata eſt mater ipſorum, dedecoravit eos quæ peperit eos; & in Eſaia, Quomodo veſtimentum conſperſum in ſanguine non erit mundum, ita nec tu eris mundus, quia terram meam perdidiſti, & plebem meam occidiſti: non manebis in æternum tempus, ſemen nequam. Para filios tuos interfici peccatis patris ſui, ut non exurgant. Et in Regnorum libro tertio; Et depoſuit Salomon Abiathar de ſacerdotio Domini, ut impleatur verbum Domini, quod loquutus eſt de domo Heli in Selon. Iam verò quod dicunt Baptiſmum Chriſti ita defendi ſicut defenditur ipſa Catholica ubique & apud omnes eſſe, decretis patrum noſtrorum martyrum beatiſſimorum compendio brevitatis excluditur. Illud autem quàm incautè in memores ſui inimici veritatis oppugnant, & apud fures & raptores quoſlibet extraneos datum Baptiſma ſuſcipi debere adhibito incompetenti ad hanc rem teſtimonio Pauli Apoſtoli, quo ſcriptum eſt, Qui veritatem Dei injuſtitiam detinent, hoc in loco furtum furtivo voluerunt defendere teſtimonio: Apoſtolus enim de gentilibus agens, & incredulos increpans, ita loquutus eſt dicens, Revelabitur enim ira Dei de cælo ſuper omnem impietatem & injuſtitiam hominum eorum, qui veritatem Dei injuſtitiam detinent, quoniam quod cognoſcibile eſt, Dei manifeſtum eſt in illis. Deus enim illis manifeſtavit. Etenim quę inviſibilia ſunt ejus à conſtitutione mundi per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque virtus ejus & divinitas; ita ut ſint inexcuſabiles; quia cùm cognoviſſent Deum, non ut Deum honorificaverunt, aut gratias egerunt, ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & intenebratum eſt inſipiens cor illorum: Dicentes enim ſe eſſe ſapientes, infatuati

A ſunt & immutaverunt claritatem Dei incorrupti, in ſimilitudine imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium: propter quod tradidit illos Deus in concupiſcentia cordis illorum in immunditiam. Unde ſecundum hunc ſenſum etiam gentilium inquinata myſteria ſe ſuſcipere profitentur. Secuti autem ſunt errorem ſuum evidentiſſimia accumulare blaſphemiis, quo dicant eos qui hæreticorum Baptiſma reprobant, poſſe Chriſtum reprobare, quod eum dæmonia confeſſa ſunt. Hoc loco non ſolùm ſanctorum martyrum decretis inſultant, ſed magis parati ſunt dæmoniorum, quia Chriſtum confeſſi ſunt, communioni miſceri. Quod autem ſubtili brevitate ita dixerunt, eum qui foris Baptiſatus fuerit, ſuſcipi debere non ut quod deeſt,
B adſit, ſed ut quod ineſt, proſit, in utroque ſeipſos circumveniſſe monſtrantur. Omnia enim hæc, ut ſuprà dictum eſt, ſanctorum martyrum ſententiis evacuantur: unde enim fieri poteſt, ſi una eſt Eccleſia & indiviſus eſt Chriſtus, ut foris poſitus Baptiſmum conſequatur? Quod vero ſibi a nobis objici dicunt, Manus citò nemini impoſueris, neque communicaveris peccatis alienis; & quaſi reſpondentes occurrunt, moribus potius debere homines quàm corpore ſeparari, ad hoc non modo moribus, ſed etiam corpore malis debere disjungi, multis admodum teſtimoniis legalibus approbamus. In Numeris, Diſcedite à tabernaculis hominum iſtorum duriſſimorum, & ne tetigeritis ab omnibus quæ ſunt eis, ne ſimul pereatis & vos in omnibus peccatis eorum. Item Eſaias,
C Diſcedite, diſcedite: exite inde, & immundum nolite tangere: diſcedite de medio eorum qui fertis vaſa domini. Item Apoſtolus, Vos enim eſtis templum Dei vivi: dicit enim ipſe, Quoniam habitabo in eis, & in eis ambulabo, & ero illorum Deus, & ipſi erunt mihi populus. Propter quod diſcedite de medio eorum & ſeparamini, & immundum ne tetigeritis, & ego recipiam vos, & ero vobis in patrem, & vos eritis mihi in filios & filias, dicit Dominus omnipotens. Illud verò quale eſt, ut cùm nos eis objiciamus perſecutiones & immanes crudelitatea, quibus ipſi & majores eorum nos patreſque noſtros per annos centum vel amplius ſine ceſſatione afflixerint atque vexa-
D verint, illi iſto non erubeſcant uti ſuffugio, quod dicant ab aliquibus noſtrorum Maximianiſtis fuiſſe perſecutiones inlatas, cùm utique longè aliud ſit uſurpata Eccleſiaſtica & conpauperum civiliter repetere voluiſſe, nec ullum ad communionem noſtram nolentem invitumque coëgiſſe, & aliud ſit aperto furore, per univerſum populum Chriſtianum, omnia mala crudeliter exercere. Quis enim neſciat iſtos Traditores perſecutoreſque noſtros, ab ipſo exordio condemnatæ Traditionis commenticiis, precibus, cunctis in noſtram necem hujus ſęculi principibus ſupplicaſſe, atque ad ſuam communionem contra Dei præcepta minis & proſcriptionibus coartaſſe? Nam, ut omittamus quantus ſanguis Chriſtianus effuſus ſit per Leontium, Urſatium, Macarium,
E Paulum, Taurinum, Romanum, cæteroſque executores, quos in ſanctorum necem a principibus ſæculi meruerunt, quando plurimi venerabiles ſacerdotes occiſi, alii in exilium relegati, Chriſtianitas latè vexata, ſacrata; ſtuprata virginitas, proſcripti divites, ſpoliati pauperes, ablatæ baſilicæ, atque acti in fugam profugi ſacerdotes? Noſtro nunc tempore quanta commiſerint nullus ignorat. Epiſcopis ingeſſerunt exilia, Chriſtianis fugientibus præcipitia, oppreſſerunt populos, prædati ſunt clericos, invaſerunt baſilicas,

intulerunt

intulerunt conſentite nolentibus plagas : poſtremo in uno tantùm oppido Bagaienſi, eorum cauſâ multorum Chriſtianorum ſanguis effuſus eſt : & nec ſic ſatiati in hodiernum ceſſare contenti ſunt. Unde quia ad hoc tantę immanitatis eorum acerbiſſimos titulos de ſcripturis divinis, quibus iſta flagitia prohibentur, ſuperfluum ſit documenta ſubnectere, cùm talia nec mundanis legibus permittantur, ſatis ſit eorum nos errori reſpondiſſe, & quæ ſuperfluò reſponderunt, divinis teſtimoniis eluiſſe. *& alia manu*, Dominus te incolumem conſervet, quod optamus. Recognovi.

CCLIX. Marc. V. C. Trib. & Not. *dixit* : Id quod lectum eſt geſtis præſentibus adhærebit; & adjecit, Quoniam in hac præbitam patientiam conſtat, ea quæ dudum ſunt oblata recitentur, & ad hæc omnia pars è diverſo ſiſtens reſpondere cogantur.

CCLX. Emeritus Episcopus *dixit* : Prius teſtimoniis teſtimonia revincant : tunc ad ea quæ ſublimitas tua judicaverit, veniendum eſt. *& alia manu*, Emeritus Epiſcopus ſalva appellatione recognovi.

CCLXI. August. Epis. Eccl. Cath. *dixit* : Permitte nos, Vir ſublimis, pro cauſa Eccleſiæ non diutius ſuperfluis immorari. atque utinam fratres noſtri è diverſo ſiſtentes hanc Epiſtolam ante illos omnes moratorios ſermones ſuos protuliſſent, ut jam de Eccleſia unde cauſa vertitur aliquid ageremus. Animadvertit ergo nobilitas tua in hac Epiſtola, duo quędam genera vel objectionum, vel rerum inſerta, quibus reſpondere debeamus. Unum, de divinis ſcripturis & ſanctæ legis eloquiis : alterum, de criminationibus humanis, quæ objicienda neſcio qui invidioſiùs potius quàm veriùs putaverunt. ad hæc duo paucis, ſi Dominus adjuverit, reſpondebimus, ne prolixum ſermonem tantæ prolixitati reddamus. Quęſtio eſt de Eccleſia utrum permixtos malos uſque in finem habitura prædicta eſt, an omnino omnes bonos, omnes ſanctos atque immaculatos in hoc ſeculo, iſto etiam tempore uſque in finem ultimum ſeculi. Utraque teſtimonia divina ſunt, & utique repugnantia eſſe non debent, nec omnino poſſunt, ſi intellectorem inveniant. Aream eſſe Eccleſiam non ego dixi, non quiſquam noſtrûm, ſed Evangelium loquitur. ubi ſcriptum eſt, venturum qui ventilabrum ferat in manu ſua, & mundaturum aream ſuam; frumenta recondet in horreo. *& cùm diceret, & alia manu*, Recognovi.

CCLXII. Emeritus Episcopus *dixit* : Non legit aream. *& alia manu* : Emeritus Epiſcopus recognovi. August. Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ *dixit* : Joannes dixit, Mundabit aream ſuam, frumenta recondet in horreo. *& cùm diceret, & alia manu*, Recognovi : Marcellinus vir clariſſimus Tribunus & Notarius dixit, Hoc quod poſtulat, relegatur.

CCLXIII. Petilianus Episcopus *dixit* : De occultis reis hoc dixit Evangeliſta, non de evidentibus, quos tu vis tecum eſſe permixtos. *& alia manu* : Petilianus Epiſcopus recognovi.

CCLXIV. Aug. Episc. Eccl. Cat. *dixit* : Proſecutio noſtra pro ipſorum epiſtola habeatur. legi cœpit, nullus à nobis relatus eſt ſtrepitus, nulla interturbatio, nulla interruptio : permittat ut finiam quod cœpi eloqui, & ſic reſpondeat. Quare non nobis rependitur quod prærogavimus? Animadvertit N. T. patientiam noſtram cùm tam longa recitaretur epiſtola. & cùm diceret. *& alia manu* : Recognovi, Emeritus Epiſcopus dixit : Nos A gravari cùm ſe dicit eſſe patientem, & non debet de ſe referre ſententiam de quo alius judicat. *& alia manu*, Emeritus Epiſcopus recognovi.

Aug. Epis. Eccl. Cat. *dixit* : O ſi eſſes & tu patiens donec finiam quod proſequor! Ergo ut dicere cœperam, divina ſunt teſtimonia de zazaniis & tritico, ea quæ intelligere conati: verumtamen de retibus aliquando confeſſi ſunt, quod malos & bonos habitura eſt Eccleſia, ſed eos dixerunt eſſe ſacerdotibus incognitos, & ideo non præjudicare bonis quoniam ignorarentur. Ego autem poſſem qualibuſcumque facultatulæ meæ aſſertionibus oſtendere, illum eſſe veriorem intellectum, quòd Eccleſia habeat & bonos & malos, zizania ſcilicet & triticum, mundumque ipſum appellatum eſſe pro Eccleſiæ nomine : B quando quidem Dominus ipſe dicit, Non ut judicem mundum, ſed ut ſalvetur mundus per ipſum, cum ſciamus Dominum non ſalvare niſi Eccleſiam. *& alia manu* : Recognovi. CCLXV.

Emeritus Episc. *dixit* : Mundus te non cognovit. Ergo Deum Eccleſia non agnovit, ſi mundus Eccleſia eſt. Et iterum dixit, Ut reus fiat totus mundus Deo. & iterum dixit, Si de mundo eſſetis, mundus quod ſuum eſſet amaſſet; ſed nunc quoniam de mundo non eſtis, propterea odit & perſequitur vos mundus : & iterum, Ipſi de mundo ſunt, & mundus obaudit eis. & iterum, Si quis dilexerit mundum, non eſt charitas patris in illo. *& alia manu*, Emeritus Epiſcopus ſalva appellatione recognovi. CCLXVI.

Aug. Episc. Eccl. Cath. *dixit* : Omnia C iſta poſſemus & nos dicere, & velut contraria primo propoſita ſolvere. itaque ſine cauſa interrumpunt iſto ſtrepitu; quia epiſtolę ipſorum poſſemus talia facere, ne recitaretur. patienter audiant, admoneantur ſubl. t. facere, quod ſponte facere debuerunt, patienter audiant. non eſt res levis quæ tractatur à nobis. Suſcepimus hodie reſpondere, ſi Deus adjuverit, prolixæ epiſtolæ eorum, nec rogare ut edatur nobis & conſideremus & poſtea reſpondeamus ſicut ipſi de mandato noſtro fecerunt. Præbeant nobis aliquam patientiam, per incolumitatem tuam. *& alia manu*, Recognovi. CCLXVII.

Marc. V. C. Trib. et Not. *dixit* : Iuſta D poſtulantur. Patientiam ejuſdem proſecutioni certum eſt debere commodari.

Emeritus Episcopus *dixit* : Ipſe ſibi obſtrepit, dum longa proſequitur. *& alia manu*, Emeritus Epiſcopus recognovi. CCLXVIII.

Alypius Episc. Eccl. Cath. *dixit* : Si reſpondere volunt, removeatur epiſtola, & ſinguli reſpondeamus : ſin autem, permittant reſponſionem. CCLXIX

Adeodatus Episcopus *dixit* : Poſſumus præbere patientiam. & cum diceret, & alia manu, Adeodatus Epiſcopus recognovi : August. Epiſc. Eccleſię Cathol. *dixit* : Quando legebatur epiſtola, ſic habebamus tanquam ipſi proſequerentur: proſecutioni ipſorum præbuimus ſilentium. nolo enim dicere patientiam, quia id calumniantur. E præbeant nobis & ipſi ſilentium. *& alia manu*, Recognovi. Adeodatus Epiſcopus dixit, Poſſumus præbere patientiam : quam quidem præbemus, ſi ea quæ pars diverſa aſſerit, habeant firmiſſimam rationem. Nam cum aliter lex interpretetur quàm eſt, quis ferat, quis patiatur ſilentio adferri præjudicium? *Et alia manu*, Adeodatus Epiſcopus recognovi. Vincent. Epiſcopus. Eccl. Cathol. *dixit* : Serva tibi quod reprebendas ſi aliquid contradicitur. *& alia manu*, Recognovi. Marc. Vir Clar. Trib. Et Not. *dixit* : Promiſ- CCLXX.

ſa patientia præbeatur. Montanus Epiſcopus *dixit* : Quando omnia in animo retinentur, ſi non ad ſingula reſpondeamus. *& alia manu*, Montanus Epiſcopus recognovi.

CCLXXII. MARCEL. V. C. TRIB. ET NOT. *dixit* : Tenorem univerſæ epiſtolæ patienter conſtat auditum. conſequens eſt, ut reſponſione ad ſingula patienter audire dignemini.

CCLXXIII. AUGUST. EPISC. ECCL. CATHO. *dixit* : Ideo & illa conſcripta ſunt, & hæc excipiuntur. ſi quid memoriam fallit, & ego poſſum petere, ut mihi de epiſtola recitetur, & ipſi poſſunt, ut illis ex codicibus recitetur. Præbeatur ſilentium, agamus aliquid. Ut ergo dicere cœperam, ipſis admonentibus, invenimus in ſcripturis mundi nomen in malo, mundi nomen in bono. Nam mundi nomen in malo, ſicut ipſi dixerunt, Et mundus eum non cognovit : &, Si qui dilexerit mundum, non eſt charitas patris in illo, & cætera. Mundi autem nomen in bono, Ut credat mundus quoniam tu me miſiſti, non enim credere malorum eſt. Mundi nomen in bono, Non venit ut judicet mundum, ſed ut ſalvetur mundus per ipſum. Non ſalvabitur niſi Eccleſia in mundo. Cùm ergo & in bono mundus, & in malo mundus, unde iſta ſcripturarum rixa? ſi intellectore careat. Adhibe lumen intelligentiæ, vide mundum in malo omnes dilectores temporalium per univerſas gentes : vide mundum in bono, omnes fideles & ſpem gerentes æternæ vitæ per univerſas gentes. Deus erat in Chriſto, inquit, mundum reconcilians ſibi, ſi reconciliari poteſt Deo deteſtatus ille mundus de quo dictum eſt, quia non eſt charitas Chriſti in eo qui dilexerit mundum, judicent qui loquuntur. Audiat ergo patienter nobilitas tua, viden ſcripturam ſanctam commixtos bonos & malos, ſicut ipſi de retibus jam confeſſi ſunt, præſignaſſe Eccleſiam. & cum diceret, cumque ſtreperetur, Alypius Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ dixit, Scriptum ſit, quia perſtrepunt.

MARC. V. C. TRIB. ET NOT. *dixit* : Alypius Epiſc. Eccleſiæ Cat. dixit, Ubi eſt promiſſa patientia, quæve viciſſitudo rependitur? nonne indicant, quemadmodum diffidant? *& alia manu*, Recognovi.

CCLXXIV. PETILIANUS EPISCOPUS *dixit* : Quid ſit Mundus, quid ſit Eccleſia, apertiſſime definitum eſt ab ipſo auctore mundi atque factore, per quem omnia facta ſunt, & ſine quo nihil eſt factum. Ipſe enim Dominus dixit, Mundus hic ager. Poſſet dicere, Mundus, Eccleſia eſt. Quis igitur hominum audet definire quid mundus ſit, cùm ipſe dominus hujus factor atque opifex jam dignatus fuerit definire? *& alia manu*, Petilianus Epiſcopus recognovi.

CCLXXV. MARCELLINUS V. C. TRIB. ET NOT. *dixit*: Qui mundus ſit, qui ſalvandus dicitur, evidenter oſtendite.

CCLXXVI. PETILIANUS EPISCOPUS *dixit* : Homo dictus eſt mundus, ubi dixit, Mundum reconcilians ſibi. non enim ſibi Deus belluas, ſed homines voluit reconciliari. *& alia manu*: Petilianus Epiſcopus recognovi.

CCLXXVII. MARCEL. V.C. TRIB. ET NOT. *dixit* : Ex his omnibus qui mundi nomine nuncupantur, dicis Eccleſiam poſſe conſtare, poſtea declaratam; an certè renuis?

CCLXXVIII. EMERITUS EPISCO. *dixit* : Tollis nos à manifeſta præſcriptione. Ait Dominus Chriſtus in Evangelio, Ager mundus eſt, *& cùm diceret, & alia manu*, Emeritus Epiſcopus recognovi.

MARCELLINUS V. C. TRIBUNUS ET NOTARIUS : *dixit*; Patimini ergo, ut ad omnia quæ epiſtolæ textus continet, reſpondeant, & tunc pleniſſime de omnibus judicabo.

HILARUS EXCEPTOR *dixit* : Quoniam à diluculo partes egerunt, & codices binos implevimus, ſi jubet P. T. alii nobis Exceptores ſubrogentur, ut ad conferendum exeamus, datis nobis cuſtodibus. *Vitalis Notarius Eccleſiæ Catholicæ dixit* : Hoc & ego ſuggero, quod & Exceptor N.T. adſtans ſuggeſſit. CCLXXIX.

MARC. V. C. TRIB. ET NOT. *dixit* : Sicut etiam ſuperiore judicio factum eſt, hi qui ſe tabulas impleſſe commemorant cum cuſtodibus exeant, in eorum loco aliis ſubrogatis. *cumq; id fieret*, CCLXXX.

AUGUST. EPISCOPUS ECCL. CATH. *dixit* : Mundus ergo, non enim aliter & nobis videri potuit, in hominibus intelligitur. non utique ita ſtulti ſimus, ut belluas etiam & quæcunque irrationabilia animantia ad ſalutem, quam Chriſtus promiſit, pertinere dicamus. Prorſus hoc dicimus, Mundus in maligno poſitus eſt, homines ſunt : Ut credat mundus, quia tu me miſiſti, homines ſunt : Mundum reconcilians ſibi homines ſunt, & cætera quæ in malo dicta ſunt, homines illi, homines illi. Per totum enim mundum utrique mali mixti bonis. Sic & Eccleſia quam confeſſi ſunt, retium nomine declaratam habere malos. ſed dixerunt latere piſcatores, conſtat jam quòd habeat bonos & malos : de latendo & de non latendo quæſtio eſt, utrum pertinuerit ad pietatem bonorum etiam malos cognitos tolerare, ne desererent bonos, an propter malos totum deſerere voluerint, quibus mali quid in Eccleſia apparuerit, ipſa quæſtio eſt. hoc probamus. Dicimus enim nos, non negligendam quidem Eccleſiaſticam diſciplinam, & ubicunque fuerint proditi mali, coërcendus eos eſſe ut corrigantur; non ſolùm ſermone correctionis, verùm etiam excommunicationibus, degradationibus, ut humilem locum ſalutis in Eccleſiam quærant ad medicinam ipſorum fieri, non odio, ſed ſtudio ſalutis fraternæ : ſicut quodam loco etiam ipſe Apoſtolus evidentiſſime declarat dicens, Si quis non obaudit verbo noſtro, per epiſtolam hunc notate, & nolite commiſceri cum eo. CCLXXXI.

. . . .

Deſunt cognitionis tertiæ capita CCCIII.

SEQUITUR CAPUT D. LXXXV. *& ultimum ejuſdem cognitionis, id eſt. Edictum, ſive ſententia quæ in vet. exemplari ad finem ſecundæ inſerta fuit.*

FLAVIUS MARCELLINUS V. C. Tribunus & Notarius dixit.

VELLEM quidem, quod & omni de votorum intentione nunc cupio, ut quanta ex demonſtratione veritatis & tandem proditi erroris orta lætitia eſt, tanta ex converſione ſuperſtitionis antiquæ, & in melius mutatæ ſententiæ gratulatio naſceretur. Magna enim gaudia eſſe quis dubitet, cùm inveteratæ ægritudini provenit inſperata curatio, cauſamque exultationis in talibus majorem facit ſanitas reſtituta, quàm ſemper retenta? Sed quia obſtinatio mentium perditarum, quas pravæ ſimul perſuaſionis vincula nexuerant, ad viam ſalutis oſtenſæ aut redire diſſimulat, aut, quod eſt deterius, im-

pedentia teſot midat, exſerenda jam legum eſt & exercenda ſententia, ut quos ad bonam valetudinem leniora, poſt apertam cominos veritatem, medicamina non tevocant, acrior reſtituat curationis intenrio. Cui enim ratio proxima, ſicut geſtorum ſeries ſubjecta, demonſtrat, ſicut divinorom quoque voluminom indita exempla teſtantur, non liquidò declaret, alieni, etiam ſi probari potuiſſet, ſceleris noxa, alium fieri reum omnino non poſſe: & univerſalis Eccleſiæ ſtatum Cæciliani ioſimolatione, de quo nihil reprehenſibile potuit approbari, non debere ſubverti, nec abſentiam eorum qui ſe à corpore Eccleſiæ ſeparant. lata adverſus eum præjudicare valuiſſe ſententia: ſicot nec à Maximianiſtis recenti tempore in abſentem Primianom prolata damnatio eidem nocere prævaloit? Cui etiam illud ad correptionia caoſam non omni ex parte ſufficiat, tot judiciis patefacta Donato auctore ſchiſmatis comprobatio, Cæciliani perſolutio atque purgatio, ultimaque ſententia triumphabilis memoriæ Conſtantini, qua evidentiùs docetur expreſſa & Cæciliani innocentia, & Donati ſociorumque ejos calumnioſa criminatio? Felicis quoque Aptugnenſis ordinatoris ejus Proconſularis ſententiæ documentis oſtenſa purgatio? Unde, ſi hæc tam perſpicua & manifeſta inveterato oequeunt mederi morbo, putris eſt vulneris ſanies reprimenda, ut libertate præcluſa, ſibi tantùm oocere, quia hoc potius elegit, incipiat. Per hæc enim fiet, ut velit aliquando ſanari. Declaratæ igitur veritati detecta falſitas colla ſummittat. Unde univerſoa ordinis viros, domioos etiam fundorum, actores, condoctores tam domus divinæ, quàm etiam privatarum poſſeſſionum, ſenioreſque omnium locorum, hujus edicti auctoritate commoneo, quatenus memores legum, dignitatum, æſtimationis, ſalutiſque propriæ, Donaniſtarom conventicula in omoibus civitatibos & locis prohibere contendaot, ita ut Eccleſias, quas eis humanitate mea abſque imperiali præcepto uſque ad diem ſententię conſtat indultas, Catholicis tradere ſine ulla dilatioue feſtinent, ni malunt tot ſanctionum laqoeis inretiri: quas quidem, ſi unitati Catholicę conſentire voluerint, eorum eſſe ſat certum eſt. Majore autem cauſa atque ſolertia poſt detectam modis omnibus unitatem ſuperſtitionemque convictam, à propriis debent facinoris intentione depelli. Hi autem qui poſt verita legum, eorum ſe cœtibus miſcuerint, indubitanter intelligant, pœnam ſe Imperiali arbitrio præſtitutam ulterios vitare oon poſſe, quos principe loco poſt agnitæ Catholicę reverentiam legis, ad prophanos eorum cœtus communionemque rediſſe ſat clarum eſt. Quod ut antè oon fieret, patientiæ tantùm conſideratione, & ſpe correptionis aliqua ex parte diſtuleram. Hactenus igitur ioimicos fidei Chriſtianis legibus inſultaſſe ſufficiat, maximè cùm eorum notas certum ſit eſſe perſonas, quid neceſſe eſt tot ſanctionum quem nulla emendatio ſubſecuta eſt, nexibus ſubdi? Ipſam verò Catholicorum Epiſcoporum, etiam poſt victoriam veritatis, noverint Dooatiſtæ manere ſententiam, ot completis collationibus, quas eis & ante oblatas publica conſcientia retinetur, & nunc offerri ſine dubitatione ſat certū eſt, ſeſe ſuſcipi poſſe cognoſcant. Superioris aorem edicti fidem in omnibus certum eſt reſervari. Unde unuſquiſque Donati communionis Epiſcopus ad loca propria ſine ulla debet inquietudine ac moleſtia remeare, quatoous in propriis conſtitutus, aot ad unam veramque Eccleſiam revertatur, aut ſatis legibus facere ſine diſſimulatione non differat. Ii autem qui in præſidiis ſuis Circumcellionum turbas ſe habere cognoſcont, ſciant, niſi eorum inſolentiaoi omnimodis comprimere & refrenare geſtierint, maximè ea loca fiſco mox occupanda. Siquidem tam Catholicę legi, quàm quieti publicę, ut eorum conquieſcat inſania, in hac parte conſulitur. Geſtorum autem relectio quæ profertur, ſuperiùs memoratum à Donatiſtis errorem ſchiſmatis extitiſſe, atque Cæcilianum & cęteros, qoos improbè crediderant accuſandos, fuiſſe purgatos, Sanctitatem veſtram pleniſſimè poterit edocere.

PROPONATUR.

Explicit edictum.

EX LIB. XVI. *COD. THEODOS.*

IMPP. HONORIUS ET THEODOSIUS AA. JULIANO PROCONSULI AFRICÆ. *Notione & ſollicitudine Marcellini ſpectabilis memoriæ viri, contra Donatiſtas geſta ſunt ea quæ tranſlata in publica monumenta habere volumus perpetuam firmitatem. Neque enim morte Cognitoris perire debet publica fides.* D. III. KALEN. SEPT. ROM. CONSTANTIO ET CONSTANTE COSS.

INCIPIUNT GESTA

QUIBUS CONSTAT TRADITOREM Silvanum, qui cum cæteris ordinavit Maiorinum cui Donatus ſucceſsit.

CONSTANTINO Maximo Auguſto & Conſtantino juniore nobiliſſimis Cæſarib. Conſulibus. Idibus Decembribus. Sexto Thamugodienſi inducto, & applicito Victore Grammatico, adſiſtente etiam Noudinario Diacono, Zenofilus vir clariſſimus Conſularis dixit, Quis vocaris? Reſpondit, Victor. Zenofilus V. Clariſſimus Conſularis dixit. Cujus conditionis es? Victor dixit, Profeſſor ſum literarum Romanarum, Grammaticus Latinus. Zenofilus V. C. Conſul. dixit, Cujus dignitatis es? Victor dixit, Patre Decurione Conſtantinienſium, avo milite, in comitatu militaverat. Nam origo noſtra de ſanguine Mauro deſcendit. Zenofilus vir Clariſſimus Conſul. dixit, Memor fidei & honeſtatis tuæ ſimpliciter deſigna, quæ cauſa fuerit diſſenſionis inter Chriſtianos. Victor dixit, Ego diſſenſionis originem neſcio: unus ſum de populo Chriſtianorum. Siquidem cùm eſſem apud Carthaginem, Secundus Epiſcopus cùm Carthaginem tandem aliquando veniſſet, dicuntur inveniſſe Cæcilianum Epiſcopum, neſcio quibus non rectè conſtitutum. illi contra alium inſtituerunt. Inde illic apud Carthaginem cœpta diſſenſio eſt: & inde originem ſcire diſſenſionis plenè non poſſum, quoniam ſemper civitas noſtra unam Eccleſiam habet, & ſi habuit diſſenſionem, neſcimus omnino. Zenofilos vir clariſſimus Conſul. dixit, Silvano communicas. Victor reſpondit, Ipſi. Zenofilus V. C. Conſul. dixit, Cur ergo intermiſſo eo, cujus innocentia probata eſt. & adjecit, Adſeveratur præterea te aliud certiſſimè ſcire, quòd Silvanus traditor ſit: de eo confitere. Victor reſpondit, Hoc neſcio. Zenofilus vicarius Conſularis Nundinario Diacono dixit, Negat Victor ſcire, quod Silvanus traditor ſit. Nundinarius Diaconus dixit, Scit ipſe, nam tradidit codices. Victor reſpondit, Fugeram hanc tempeſtatem: &, ſi mentior, peream. Cùm incurſum pateremur repentinæ perſecutionis, fugimus in montem Bellonæ. Ego ſedebam cum Marte Diacono, & Victor presbyter, cùm ab eodem Marte quærerentur codices omnes, negavit ſe habere. Tunc Victor dedit nomina omnium lectorum. Ventum eſt ad domum meam. cùm abſens eſſem, aſcenſum eſt à magiſtratibus, & ſublati ſunt codices mei. Cùm ego veniſſem, inveni codices ſublatos. Nundinarius Diaconus dixit, Tu ergo reſpondiſti apud acta, quoniam dediſti codices. quare negantur hæc quæ prodi poſſunt? Zenofilos vir clariſſimus Conſul. Victori dixit, Simpliciter confitere, ne ſtrictiùs interrogeris. Nundinarius Diaconus dixit, Legantur acta. Zenofilus V. C. Conſul. dixit, Legantur. Et dedit Nundinarius, & exceptor recitavit. Diocletiano VIII. & Maximiano VII. Conſulibus XIIII. Kalendas Iunias, ex actis Munatii Felicis. *& Auguſt.*

A F. P. P. Curatoris coloniæ Cirthenſium. Cùm ventum eſſet ad domum in qua Chriſtiani conveniebant, Felix F. P. P. Curator Paulo Epiſcopo dixit, Proferte ſcripturas legis, & ſi quid aliud hîc habetis, ut præceptum eſt, ut juſſioni parere poſſitis. Paulus Epiſcopus dixit, Scripturas lectores habent, ſed nos quod hîc habemus, damus. Felix F. P. P. Curator Paulo Epiſcopo dixit, Oſtende lectores, aut mitte ad illos. Paulus Epiſcopus dixit, Omnes cognoſcitis. Felix F. P. P. curator Reipublicæ dixit, Non eos novimus. Paulus Epiſcopus dixit, Novit eos Officium publicum, id eſt, Edeſios & Iunius Exceptores. Felix F. P. P. Curator Reipublicæ dixit, Manente ratione de lectoribus quos demonſtrabit officium, vos quod habetis date. Sedente Paulo Epiſcopo, Montano & Victore, Deuſdedit & Memorio presbyteris, adſtante Marte cum Helio Diacono Marcuclio, Catullino, Silvano & Caroſo ſubdiaconis, Januario Meraclo, Fructuoſo, Miggine, Saturnino, Victore & cæteris foſſoribus, contra ſcribente Victore Aufidii, in brevi ſic: Calices duo aurei: Item calices ſex argentei: urceola ſex argentea: cucumellum argenteum: lucernæ argenteæ ſeptem cereoſala duo: Candelæ breves æneæ cum lucernis ſuis ſeptem: Item lucernæ æneæ undecim, cum catenis ſuis: tunicæ muliebres LXXXII. maſortea XXXVIII. tunicæ viriles XVI. caligæ viriles paria XIII. Calligæ muliebres paria XLVII. Coplæ ruſticanæ XIX. Felix F. P. P. Curator Reipublicæ Marcuclio Silvano, & Caroſo foſſoribus dixit, Proferte hoc quod habetis. Silvanus, & Caroſus dixerunt. Quod hîc fuit, totum hoc ejecimus. Felix F. P. P. Curator Reipublicæ Acuclio Silvano, & Caroſo dixit, Reſponſio veſtra actis hæret. Poſteaquam perventum eſt in bibliothecam. inventa ſunt ibi armaria inania. ibi protulit Silvanus capitula argentea, & lucernas argenteas, quod diceret ſe poſt orcam eas inveniſſe. Victor Aufidi Silvano dixit: Mortuus fueras ſi non illas inveniſſes. Felix F. P. P. Curator Reipublicæ Silvano dixit, Quære diligentiùs ne quid hîc remanſerit. Silvanus dixit, Nihil remanſit, totum hoc ejecimus. Et cùm apertum eſſet triclinium, inventa ſunt ibi dolia IIII. & orcæ ſex. Felix F. P. P. Curator Reipublicæ dixit, Proferte ſcripturas quas habetis, ut præceptis Imperatorum & juſſioni parere poſſimus. Catulinus protulit codicem unum pernimium majorem. Felix F. P. P. Curator Reipublicæ Marcuclio & Silvano dixit, Quare unum tantummodo codicem dediſtis? Proferte ſcripturas quas habetis. Catulinus & Marcuclius dixerunt, Plus non habemus, quia ſubdiacones ſumus: ſed lectores habent codices. Felix F. P. P. Curator Reipulicæ Marcoclio & Catulino dixit, Monſtrate nobis le-

I.3 contra Creſc. cap. 13. & ep. 164. & 165.

Idem Aug. lib. 4. c. 56.

ctores. Marcuclius & Catulinus dixerunt, Non ſcimus ubi maneant. Felix F. P. P. Reipublicæ Catulino & Marcuclio dixit, Si ubi maneant non noſtis, nomina eorum dicite. Catulinus & Marcuclius dixerunt, Nos non ſumus proditores: ecce ſumus: jube nos occidi. Felix F. P. P. Curator Reipublicæ dixit, Recipiantur. Et cùm ventum eſſet ad domum Eugenii, Felix F. P. P. Curator Reipublicæ dixit Eugenio, profer ſcripturas quas habes, ut præcepto parere poſſis. & protulit codices quatuor. Felix F. P. P. Curator Reipublicæ Silvano & Caroſo dixit, Demonſtrate cæteros lectores. Silvanus & Caroſus dixerunt: Jam dixit Epiſcopus, quia Eduſius & Junius exceptores omnes [illegible]unt. Ipſi tibi demonſtrent ad domos eorum. Eduſius & Iunius exceptores dixerunt, Nos eos demonſtramus, Domine. Et dum ventum fuiſſet ad domum Felicis Sartoris, protulit codices quinque. Et cùm ventum eſſet ad domum Victorini, protulit codices octo. Et cùm ventum fuiſſet ad domum Projecti, protulit codices v. majores, & minores II. Et cùm ad Grammatici domum ventum fuiſſet, Felix F. P. P. Curator Victori Grammatico dixit, Profer ſcripturas quas habes, ut præcepto parere poſſis. Victor Grammaticus obtulit codices II. & quiniones quatuor. Felix F. P. P. Curator Victori dixit, Profer ſcripturas, plus habes. Victor Grammaticus dixit, Si plus habuiſſem, dediſſem. Et cùm ventũ fuiſſet ad domum Eutici Cæſarianenſis, Felix F. P. P. Curator Euticio dixit, Profer ſcripturas quas habes, ut præcepto parere poſſis. Euticius dixit, Non habeo. Felix F. P. P. Curator Euticio dixit, Profeſſio tua actis hæret. Et cùm ventum fuiſſet ad domum Coddeonis, protulit uxor ejus codices ſex. Felix F. P. P. Curator Reipublicæ dixit, Quære, ne plus habeatis. profer. Mulier reſpondit, Non habeo. Felix F. P. P. Curator Reipublicæ, Bovi ſervo publico dixit, Intra & quære, ne plus habeat. Servus publicus dixit. Quęſivi, & non inveni. Felix F. P. P. Curator Reipublicæ Victorino, Silvano, & Caroſo dixit, Si quid minus factum fuerit, vos contingit periculum. Quibus lectis, Zenofilus V. C. Conſul. Victori dixit, Confitere ſimpliciter. Victor reſpondit, Non fui præſens. Nundinarius Diaconus dixit, Legimus Epiſtolas Epiſcoporum factas à Forte: & legit exemplar libelli traditi Epiſcopis a Nundinario Diacono. Teſtis eſt Chriſtus & Angeli ejus, quoniam tradiderunt quibus communicaſtis, id eſt, Silvanus à Cirtha traditor eſt, & fur rerum pauperum. Quod omnes vos Epiſcopi, Preſbyteri, Diacones, Seniores ſcitis de quadringintis follibus Lucillæ clariſſimę feminæ, pro quo vobis conjuraſtis ut fieret Majorinus Epiſcopus: & inde factum eſt ſchiſma. Nam & Victor Fullo, veſtri pręſentia & populi, dedit folles viginti, ut factus eſſet preſbyter, quod ſcit Chriſtus & Angeli ejus. & recitatum eſt exemplum epiſtolæ. Purpurius Epiſcopus Silvano coepiſcopo in Domino ſalutem. Venit ad me Nundinarius Diaconus filius noſter, & petiit has literas deprecatorias à me, ad te, Sanctiſſime, dirigerem, ut ſi fieri poſſet, pax inter te & ipſum ſit. hoc enim volo fieri, ut nemo ſciat, quid inter nos agatur. Si volueris ſcripto tuo * ut & ego ſolus ibi in re præſenti veniam, & diſſenſionem ipſam deinter vos amputem. Manu ſua enim mihi tradidit libellum rei geſtę, pro qua cauſa fuerit tuo præcepto lapidatus. Non eſt verum, ut pater caſtiget filium contra veritatem. & ſcio quia vera ſunt, quę in libello mihi tradito ſunt conſcripta. Quære remedium, quo-

A modo poterit ibi malignitas iſta extingui, antequam flamma exurgat, quæ pòſt demum extingui non poterit ſine ſanguine ſpiritali. Adhibete conclericos & ſeniores plebis Eccleſiaſticos viros, & inquirant diligenter, quæ ſunt iſtæ diſſenſiones, ut ea quæ ſunt ſecundum fidei pręcepta, fiant. Non declinabis ad dextram vel ad ſiniſtram. Libenter autem commodare nolis malis inſtructoribus qui nolunt pacem. Omnes nos occidetis. & alia manu, Vale. Item & exemplum epiſtolæ * clericis & ſenioribus Cirthenſium in Domino æternam ſalutem. Clamat Moyſes ad omnem Senatum filiorum Iſrael, dixitque illis, quæ Dominus jubeat fieri ſine conſilio ſeniorum nihil agebatur. Ita ne & vos,
B Cariſſimi, quos ſcio omnem ſapientiam cœleſtem & ſpiritalem habere, omni veſtra virtute cognoſcite quæ ſit diſſenſio hæc, & perducite ad pacem. Dicit enim Nundinarius Diaconus, quòd nihil vos lateat, unde hæc diſſenſio eſt inter cariſſimum noſtrum Silvanum & ipſum. Tradidit enim mihi libellum, in quo omnia ſunt conſcripta. Dixit enim & vos non latere. Ego ſcio quia auris non eſt bonum. Quærite remedium quomodo extinguatur hæc res ſine periculo animæ veſtræ, ne ſubitò cùm perſonam accipitis in judicio, ruatis. Iuſtum judicium inter partes judicate ſecundum gravitatem veſtram & juſtitiam. Cavete vobis ne declinetis in dextram, neque in ſiniſtram. Dei res agitur, qui ſcrutatur cogi-
C tationes ſingulorum. elaborate, nemo ſciat. quę ſit conjuratio hæc. veſtra ſunt, quæ libello continentur, non eſt bonum. Dicit enim Dominus ex ore tuo condemnaberis, & ex ore tuo juſtificaberis. Item alia recitata. * fratri cariſſimo Fortis in Domino æternam ſalutem. Venit ad me filius noſter Nundinarius Diaconus, & retulit ea, quę inter te & illum contigerint. ut prę malivoli interceſſu, qui vult animas veſtrorum à via veritatis avertere. Cùm audirem mente defectus ſum, quòd talis diſſenſio inter nos venit. Dei enim ſacerdos ut ad hoc veniat quod non nobis expediat * fiat, Nunc ergo petite
D eum, ut, quod poteſt, cum ipſo pax Domini ſalvatoris Chriſti ſit. Non ad publicum veniamus, & à gentibus damnemur. Scriptum eſt enim: Videte ne dum mordetis, & cauſamini inimicitiam, ab invicem conſumamini. Ergo petite Dominum, ut tollatur de medio noſtrûm hoc ſcandalum, ut poſſit res Dei cum gratiarum actione celebrari, Domino dicente, Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis. Quæ pax poterit eſſe, ubi diſſenſio eſt & æmulationes ſunt. Nam cùm ego à milite eſſem abſ * * * ſeparatus & in illo veniſſem, cum injuria tali, Deo commendavi animam meam, & remiſi tibi, quia Deus videt mentes hominum & eorum, ſive à te ad illos perductus ſum, ſed Deus nos
E liberavit, & tecum ſervimus. Ergo, ſicuti dimiſſum eſt nobis, & vos reconciliamini paci, ut in nomine Chriſti poſſimus cum gaudio pacem celebrare. Nemo ſciat. Fratribus, & filiis, clero & ſenioribus, Fortis in Domino æternam ſalutem. Venit ad me filius meus Nundinarius Diaconus veſter, & retulit ea quæ contra vos ſunt geſta, nec non utique debuit à vobis componi ne ventum eſſet ut talem inſaniam paſſi, à quibus lapidarentur pro veritate, quod & vos & nos ſcimus, ſicuti nobis retuliſtis & ſcriptum eſt, Non eſt ſapiens quiſquam inter vos, qui poſſit judicare inter fratres? ſed frater cum fratre judicio contendit, & hoc apud infideles, ſicuti vos nunc in judicio contenditis. Sic ad hoc exitum

eſt ut gentibus demus tale exemplum, ot qoi per
nos Deo credebant, ipſi nobis maledicant, cùm ad
publicum pervenimus? Ergo, ne ad hoc venia-
tur, vos qui ſpiritales eſtis, facite ut nemo ſciat,
ut cum pace paſcha celebremus, & hortemini
eos paci reconciliari, & diſſenſio noo ſit, ne
cùm ad publicom ventum fuerit, incipiaris &
vos periclitari ſi hoc ſactum ſuerit, & poſtea vo-
bis impotetis. Dabitis quam plurime, tu poſſeſ-
ſor Donati presbyter, ſinguli Valeri, & Victor
qui omnia ſcitis, actutum date operam ut pax
ſit vobiſcum. Item alia recitata * In
Domino æternam ſalutem. Pervenit ad nos Nun-
dinarius filius tuus, non tantùm ad me, ſed &
ad fratrem noſtrum Fortem, & gravem quere-
lam referens. Mitor gravitati tuæ, ſic te egiſſe
cum filio, quem tu nutriſti & ordinaſti. Si enim
B ædificium terræ ſtructum ſi., non additur qoid
cœleſte, quod per manom ſacerdotis ędificatur.
Sed non eſt tibi mirandum, ſcriptura dicente,
Perdam ſapientiam ſapientum, & prudentiam
prudentium reptobabo & iterum dicit, Potius
dilexerunt homines tenebras magis quàm locem,
ſicuti & to facis. Sufficiat vobis, omnia ſcite. ſo-
per quod & pater noſter Fortis tibi ſcripſit.
Nuoc petierim de caritate tua, frater benigniſſi-
me, ut ſupleas dictum Eſaiæ Prophetæ, Expel-
lite malignitatem de animis veſtris, & venite,
diſputemus, dicit Dominus. Et iterum, Proji-
cite malum de medio veſtrûm. Sic & to fac. Sub-
juga & averte ſeditiones, quæ noluerunt eſſe pa-
cem inter te & filium tuum: ſed filius tuos Nun-
dinatius in pace tecom Paſcha celebret, ne res
C ad publicum veniat præterea jam omnibus nobis
nota. Rogaverim te frater benigniſſime, me-
diocritatis meæ compleas petitionem. Nemo
ſciat. Item alia recitata, Fratri Forti Sabinus
in Domino æternam ſalutem. Quę ſit caritas
juxta omnes collegas, certus ſum peculiariter,
tamen ſecundum Dei voluntatem qui dixit,
Quoſdam diligo ſuper animam meam, Silvanum
te coluiſſe certus ſum. Quare non dubitavi hæc
ſcripta ad te dare, quia ſcripta tua ad eum facta da-
ri feci propter nomen Nundinarii. & qui impigre
agit, ſemper res Dei impetu procedit. Ne præ-
tendas excuſationem. Occupatio namque oos
diebus iſtis ſtringet, & incunctanter com-
movet circa hæc uſqoe ante diem ſolem-
D niſſimum Paſchæ, ot per te fiat pinguiſſi-
ma pax, ut digni cohæredes Chriſti invenia-
mur, qui dixit, Pacem meam do vobis, pacem
meam relinquo vobis. Et iterum, Peto ut fa-
cias. & alia manu, Opto te in Domino bene va-
lere, & noſtri memorem eſſe. Vale. Sed rogo
te, Nemo ſciat. Quibus lectis Zenofilus V. C.
Conſularis dixit, Et actis & literis quæ recitatæ
ſunt, traditorem conſtat eſſe Silvanum, & Vi-
ctori dixit, Simpliciter confitere, utrum ſcias
eum aliquid tradidiſſe. Victor dixit, Tradidit,
ſed non me pręſente. Zenofilus V. C. Conſul.
dixit, Quid adminiſtrabat tunc Silvanus in clero?
E Victor reſpondit, Sub Paulo Epiſcopo orta eſt
perſecutio, & Silvanos ſubdiaconus fuit. Non-
dinarius Diaconus reſpondit, Quando ventum
eſt illic, ait, ut factus eſſet Epiſcopus, reſpondit
populus alius, fiat, exaudi Deus. Zenofilus V.
C. Conſul. Victori dixit, Dictum eſt à populo,
Silvanos traditor? Victor dixit, Ego ipſe lucta-
tus ſum. Epiſcopos Zenofilus V. C. Conſul. Vi-
ctori dixit, Ergo ſciebas traditorem? de boc
confitere. Victor reſpondit, Traditor fuit. Nun-
dinarius Diaconus dixit, Vos ſeniores clamaba-
tis, Exaudi Deus civem noſtrum, ille traditor

* Silvano Epiſcopo.

A eſt. Zenofilus V. C. Conſol. Victori dixit, Cla-
maſti ergo populo, quòd traditor eſſet Silvanus,
& non deberet fieri Epiſcopus? Victor dixit,
Clamavi & ego, & populus: Nos enim civem
noſtrum petebamus integrum virum. Zenofilus
V. C. Conſul. dixit, Qua cauſa putabatis eum
non mereri? Victor dixit, Integrum petebamus,
& civem noſtrum. ſciebam enim cauſam impe-
ratorom ad hoc nos eſſe venturos. dum enim * *
talibos committitur * Item inductis
& adplicitis Victore Samſurici, & Saturnino
foſſorib. Zenofilus V. C. Conſul. dixit, Quis
vocaris? Reſpondit, Saturninus. zenofilus vi-
carius dixit, Cojus condirionis es? Saturninus
reſpondit, Foſſor. zenofilus V. C. Conſul. di-
xit, Silvanom ſcis eſſe traditorem? Saturninus
B dixit, Scio lucernam tradidiſſe argenteam. ze-
nofilus vir clariſſimus Conſul. Saturnino di-
xit, Quid aliud? Saturninus reſpondit, Aliod
neſcio, niſi quia depoſt orcam eam ejecit. Et
remoto Saturnino zenofilus V. C. Conſul. dixit
adſtanti, Et tu, quis vocaris? Reſpondit, Victor
Samſurici. zenofilus v. c. conſul. dixit, Cojus
conditionis es? victor dixit, Artifex ſum. zeno-
filos v. c. dixit, Tabulam argenteam quis tradi-
dit? victor reſpondit, Non vidi. qood ſcio, hoc
dico. zenofilus v. c. conſul. dixit victori, Licet
jam conſtiterit ex reſponſione eorum qoi ſuprà
ſunt interrogati, tamen tu confitere, utrum Sil-
vanus traditor ſit. victor dixit, Secundo petito.
quomodo hoc dimiſit ut duceremur ad Cartha-
ginem, ore ipſius Epiſcopi audivi. Data eſt mihi *
lucerna argentea, & capitulata argentea, & has
C tradidi. zenofilus v. c. dixit victori Samſurici, A
quo andiſti? victor dixit, A Silvaoo Epiſcopo.
zenofilus v. c. conſul. victori dixit, Ab ipſo au-
diſti quòd tradidiſſet? victor dixit, Ab ipſo au-
divi quòd ſuis manibos tradidiſſet illas. zenofi-
lus v. c. dixit, Ubi audiſti? victor dixit, In ba-
ſilica. zenofilus v. c. conſul. dixit, Apud Con-
ſtantinam? victor dixit, Ibi cœpit alloqui po-
pulum dicens. De quo dicunt me traditorem eſſe?
de lucerna & capitulata? zenofilos vicarius Con-
ſul. Nundinatio dixit, Quid aliud putas ex his
eſſe quærendum? Nundinarius dixit, De cupis
fiſci, quis illas tulit. zenofilus vicarius Conſul.
Nundinario dixit, In templo Serapis fuerunt, &
tulit illas Purpurius Epiſcopos: acetum qood ha-
D buerunt, tulit illud Silvanus, Epiſcopus, Donatius
presbyter, & Locianus. zenofilus v. c. conſul.
Nundinario dixit, Sciunt id factum qui adſi-
ſtont? Nundinatius reſpondit, Sciunt. Diaconus
Saturninus dixit, Dicebant majores noſtri quia ſo-
blatæ ſunt. zenofilus v. c. conſul. dixit, A quo ſu-
blatæ dicuntur? Saturninos dixit, A Purporio Ep.
& acetum à Silvano & Donatio & Luciano preſb.
& Luciano Diacono. Nundinarius dixit, viginti
folles dedit, & factus eſt presbyter victor. Sa-
turninus dixit, * & cùm diceret, ze-
nofilos v. c. conſul. Saturnino dixit, Cui dedit?
Saturninus dixit, Silvano Epiſcopo. zenofilus v.
E c. conſul. Saturnino dixit, Ergo ut fieret preſ-
byter, Silvano Epiſcopo viginti folles præmium
dedit? Saturninus dixit, Dedit. zenofilus v. c.
Conſul Saturnino dixit. Ante Silvanum poſi-
tum eſt? Saturninus dixit, Ante cathedram E-
piſcoporum. zenofilus v. c. conſul. Nundinario
dixit, A quo pecunia ſublata eſt? Nundinarius
dixit, Ipſi Epiſcopi diviſerunt eam inter ſe. ze-
nofilus v. c. conſularis Nundinario dixit, Do-
natum deſideras exhiberi? Nundinatius dixit U-
trique veniat, de quo clamavit populus biduo
pòſt * pare, Exaudi Deus, civem oo-

ſtrum volumus. zenoſilus v. c. conſul. Nundi- [A] nario dixit, Certè clamavit hoc populus? Reſpondit, Clamavit. zenoſilus v. c. conſul. Saturnino dixit, Traditorem clamavit Silvanum? Saturninus dixit, Utique. Nundinarius dixit, Quando factus eſt Epiſcopus non illi communicavimus, quia dicebatur proditor eſſe. Saturninus dixit, Quod dicit verum eſt. Nundinarius dixit, Vidi quia Mutus harenarius tulit in collo. zenoſilus v. c. conſul. Saturnino dixit, Sic factum eſt? Saturninus dixit, Sic. zenoſilus v. c. conſul. dixit, Vera ſunt omnia quæ dicit Nundinarius, quia ab harenariis factus eſt Epiſcopus Silvanus? Saturninus dixit, Vera Nundinarius dixit, proſtibulæ illic fuerunt. zenoſilus v. c. conſul. Saturnino dixit, Harenarii illum geſta- [B] verunt? Saturninus dixit, Ipſi eum tulerunt, & populus. Nam cives in area martyrum fuerunt incluſi. Nundinarius Diaconus dixit, Nunquid populus Dei ibi fuit? Saturninus dixit, In caſa majore fuit incluſus. zenoſilus v. c. Conſul. dixit, Certè omnia quæ dicit Nundinarius vera ſunt. Saturninus dixit, Vera. zenoſilus v. c. conſul. dixit, Tu quid dicis? Victor dixit, Vera ſunt omnia Domine. Nundinar. dixit, Purpurius Ep. tulit centum folles. zenoſilus v. c. conſul. dixit Nundinario, De quadringentis follibus, quos putas interrogandos? Nundinarius dixit, Lucianus Diaconus exhibeatur, quia ipſe totum ſcit. zenoſilus v. c. conſul. Nundinario dixit, Hi ſciunt? Nundinarius dixit, Non ſciunt. zenoſilus v. c. conſul. dixit, Exhibeatur Lucianus. [C] Nundinarius dixit, Sciunt iſti acceptos eſſe quadringentos ſolles: quia Epiſcopi eos diviſerunt, neſciunt. zenoſilus v. c. conſul. Nundinario, & victori dixit, Scitis acceptos eſſe folles à Lucilla? Saturn. & victor dixerunt, Scimus. zenof. v. c. conſ. dixit, pauperes non acceperunt? Dixerunt, Nemo nihil accepit. zenoſilus v. c. Conſ. Saturnino & victori dixit. Nihil de fano Sarapis ſublatum eſt? Saturninus & victor dixerunt, Purpurius tulit cupas, & Silvanus Epiſcopus, & Donatus, & Superius presbyteri, & Lucianus Diaconus tulerunt acetum. zenoſilus v. c. conſul. dixit, Reſponſione victoris Grammatici, & vi- [D] ctoris Samſurici, & Saturnini claruit vera eſſe omnia, quę ſuggeſſerit Nundinarius. ſubmoveantur & exeant. zenoſilus v. c. conſul. dixit, Quos alios putas interrogandos? Nundinarius dixit, Caſtum Diaconum, ut dicat ſi non eſt traditor. Ipſe illum ordinavit. Et inducto, & applicito Caſto Diacone, zenoſilus v. c. conſul. dixit, Quis vocaris? Reſpondit, Caſtus. zenoſilus v. c. conſularis Caſto dixit, Cujus conditionis es? Caſtus dixit, Nullam dignitatem habeo. zenoſilus v. c. conſul. Caſto dixit, Licet nunc per victorem Grammaticum, quam etiam per victorem Samſurici & Saturninum venerunt in confeſſionem quæ Nundinarius objecit: tamen etiam [E] tu confitere, utrum traditor ſit Silvanus. Caſtus reſpondit. Dicebat quòd invenerit lucernam poſt occam. zenoſilus v. c. conſul. dixit Caſto, Etiam de cupis de fano Sarapis ſublatis & aceto confitere. Caſtus reſpondit, Purpurius Epiſcopus tulit cupas. zenoſilus v. c. conſul. dixit: Acetum quis? Reſpondit Caſtus, Quod tulerunt inde acetum Silvanus Epiſcopus, Donatus & Superius presbyteri. zenoſilus v. c. conſul. Caſto dixit, Confitere quod folles dedit victor, ut presbyter fieret? Caſtus dixit, Obtulit Domine ſaccellum. & quid habuerit, neſcio. zenoſilus v. c. conſul. Caſto dixit, Cui datum eſt ſaccellum? Caſtus dixit, Ille tulit eum in caſa majore. zenoſilus v. c. conſul. dixit Caſto, Populo non eſt diviſa pecunia? Caſtus reſpondit, Non eſt data, nec vidi. zenoſilus v. c. conſul. Caſto dixit, De follibus, quos Lucilla dedit, populus minutus nihil accepit? Caſtus dixit, Non vidi accipere neminem. zenoſilus v. c. conſul. Caſto dixit, Quo ergo pervenerunt? Caſtus dixit, Neſcio. Nundinarius dixit, Utique vel audiſti, vel vidiſti ſi dictum eſt pauperibus, Dat & vobis de re ſua Lucilla. Caſtus dixit, Non vidi aliquem accipere. zenoſilus v. c. conſul. dixit, Manifeſta eſt Caſti confeſſio, quod ſolles quos Lucilla donavit, populo diviſos eſſe neſciret, & ideo amoveatur. Et applicito Creſcentiano ſubdiacono, zenoſilus v. c. conſul. dixit, Quis vocaris? Reſpondit, Creſcentianus. zenoſilus v. c. conſularis Creſcentiano dixit, Simpliciter ſicut & cæteri confitere, utrum ſcias traditorem Silvanum. Creſcentianus dixit, Priores qui fuerunt clerici, ipſi retulerunt ſingulis. zenoſilus vir clariſſimus Conſularis Creſcentiano dixit, Quid retulerunt? Creſcentianus dixit, Referebant quod traditor eſſet. Zenoſilus v. c. Conſularis Creſcentiano dixit, Dixerunt illum traditorem? & adjecit, Qui dicebant? Creſcentianus dixit, Qui cum illo converſabantur in plebo, dixerunt quod aliquando tradidiſſet. zenoſilus v. c. Conſul. Creſcentiano dixit, De Silvano dicebant? Creſcentianus dixit, Utique. zenoſilus v. c. Conſul. Creſcentiano dixit, Cùm factus fuiſſet Epiſcopus, præſto fuiſti? Creſcentianus dixit, Præſens cum populo fui, incluſus in caſa majore. Nundinarius Diaconus dixit, Campenſes & Harenarii fecerunt illum Epiſcopum. zenoſilus v. c. Conſul. Creſcentiano dixit, Mutus Harenarius certè eum ſuſtulit. Dixit, Manifeſtè. zenoſilus v. c. Conſularis Creſcentiano dixit, Cupas de ſano Sarapis ſcis eſſe ſublatas? Creſcentianus disit, Plures dicebant quòd Purpurius Epiſcopus ipſe ſuſtulerit cupas, & acetum quod ad ſenecem noſtrum Silvanum perveniſſet & filii Ælionis dicebant. zenoſilus v. c. Conſularis Creſcentiano dixit, Quid audiſti? Creſcentianus dixit, Acetum ſublatum à ſene Silvano, & Donato, & Superio presbyteris, & Luciano Diacono. zenoſilus v. c. Conſularis Creſcentiano dixit, Ex quadringentis follibus, quos Lucilla donavit, populus aliquid accepit? Creſcentianus dixit, Nihil inde nemo accepit, neſcio, nec quis illos erogaverit. Nundinarius dixit, Aniculæ nunquam inde aliquid acceperunt? Creſcentianus dixit, Nihil. zenoſilus v. c. Conſularis dixit, Certè quotiens aliquid tale donatur, omnes inde populares publicè accipiunt. Creſcentianus dixit, Non audivi, vel vidi dediſſe illum aliquos. zenoſilus v. c. Conſularis Creſcentiano dixit, Nihil Ergo datum eſt de cccc. follibus populo? Creſcentianus dixit, Nihil. utique perveniſſet aliqua partiuncula ad nos. zenoſilus v. c. Conſularis dixit, Quo ergo ſublati ſunt? Creſcentianus dixit, Neſcio, Nemo nihil accepit. Nundinarius dixit, victor quot folles dedit, ut fieret presbyter? Creſcentianus dixit, Vidi allatos cophinos cum pecunia. zenoſilus v. c. Conſularis dixit Creſcentiano, Cui dati ſunt cophini? Creſcentianus dixit, Epiſcopo Silvano. zenoſilus v. c. Conſularis dixit, Silvano dati ſunt? Creſcentianus dixit, Silvano. zenoſilus v. c. Conſularis dixit, Populo nihil datum eſt? Reſpondit, Nihil. Neceſſe eſt ut & nos aliquid acciperemus, ſi diſtribuerentur ſicut ſolet. zenoſilus v. c. Conſul. Nundinario dixit, Quid aliud de Creſcentiano putas eſſe requirendum? Nundinarius dixit, Ipſum eſt. zenoſilus vir

claiiſſimus Conſularis dixit, Quoniam de omnibus Creſcentianus ſubdiaconus ſimpliciter confeſſus eſt, ſubmoveatur. Item inducto & applicito Ianuario ſubdiacono, zenofilus v. c. Conſularis dixit, Quis vocaris? Reſpondit * * * *

Vide Optat. Milevit. lib. 1. Auguſtin. in Brevicul. collat. 3. c. 23. & 24. Ad Donatiſt. poſt collat. c. 33. Contra Creſconium lib. 7. c. 28. & 70. lib. 4. c. 56. De unitate Eccleſiæ. c. 18. Ep. 68. 152. 162. 165.

* * * * * *

IN municipio Autumnitanorum. Gallienus Duumvir dixit, Quoniam præſens es Cæciliane, audi literas domini mei Ælii Paulini * agentis Vicariam Præfecturam, quid jubere ſit dignatus ſecundùm epiſtolam ad nos datam, quę declarare te compellit, & ſcribam quem habuiſti tunc temporis adminiſtrationis tuæ, & tabularium. Sed quoniam tabularius ejus temporis vitâ functus eſt, & omnes actus adminiſtrationis tuæ, ſecundùm fidem literarum ejuſdem mei Domini, tecum perferre debebis, & ad Coloniam Carthaginenſem, cum ſcriba tuo proficiſci neceſſe eſt. Pręſens eſt curator, ſub cujus præſentia vos compellimus. quid ad hoc reſpondes? Cæcilianus dixit, Mox ad me epiſtolam Ælii Paulini * agentis Vicariam Præfecturam pertuliſtis, ſtatim ad ſcribam Miccium miſi, venit, ut acta ipſius temporis confecta mihi obtuliſſet, & uſque adhuc inquirit. & quoniam non modicum tempus eſt, ex quo Duoviratum adminiſtravi. anni ſunt xi. Itaque cùm invenerit, parebo tanto præcepto. Galienus Duovir dixit, Tua intereſt, juſſioni parere: Vides enim juſſionem eſſe ſacram. Cæcilianus dixit, Devotus ſum tanto præcepto. Item, cùm paulò poſt ſcriba Miccius ſuperveniſſet, Fuſcius Duoviru dixit, Audiſti & tu Micci, quòd & tu unà cum Cæciliano neceſſarius es ire ad officium * vicatium, inſtructionem ejus temporis ut vobiſcum perferatis. Ad hæc quid dicis? Miccius reſpondit, Magiſtratus ſupplero anno omnes actus ſuos domum ſuam tulit. ſi in ei in cera poſſit inveniri inquiro: & cùm quæreret, Quintus Sicenna Duumvir dixit, Quod cognovit officium? reſpondit, * Apronianus dixit. Si omnes actus ſuos tulerat magiſtratus, unde acta, quę tunc emiſſa erant, vel confecta tanto tempore? Et cùm diceret, Ælianus Proconſul dixit, Et mea interrogatio, & ſingularum perſonarum reſponſio actis continetur. Ageſilaus dixit, Sunt præterea & aliæ epiſtolę hujc rei neceſſariæ. intereſt ut legantur. Ælianus Proconſul dixit, Lege Cæciliano audiente, ut agnoſcat an ipſe dictaverit. Ageſilaus recitavit * & Anniano conſulibus xiii. Kal. Septembr. in jure apud Aurelium, Didymum, Speretium ſacerdotem Jovis Optimi Maximi Duoviru recitavit. Splendidæ coloniæ Carthaginienſium Maximus dixit, Loquor nomine ſeniorum Chriſtiani populi Catholicæ legis. Apud maximos Imperatores, cauſa agenda erit contra Cæcilianum & Felicem, qui principatum ejuſdem legis omnia conatur invadere. Contra ipſos documenta criminum ejus conquiruntur. Nam cùm perſecutio eſſet indicta Chriſtianis, id eſt, ut ſacrificarent, aut quaſcumque ſcripturas haberent, incendio traderent, Felix qui tunc Epiſcopus fuit Authumnis, conſenſum adtuletat, ut de manu Galati ſcripturæ traderentur, ut igni concremari poſſent, & erat tunc temporis magiſtratus Alfius Cæcilianus, quem præſentem videre dignaris. Et quoniam ejus temporis officium incumbebat, ut ex juſſione Proconſulari omnes ſacrificarent, & ſi quas ſcripturas haberent, offerrent ſecundum ſacram legem. quæſo, Secundus ſenex eſt & ſenem vides, * & non poteſt ad comitatum ſacrum pergere: apud acta deponat, utrumne jam de pactione ſecundùm ab eodem habita, literas dedit, & utrum ea quæ in literis contulerit, vera ſint: ut horum actus & fides in judicio ſacro detegi poſſit. Adſtanti Cæciliano Speretius Duumvir dixit, Audis quæ apud acta ſint depoſita. Alfius Cæcilianus dixit, Zamæ eram proper lineas comparandas cum Saturnino. Et cum veniremus illò, mittunt ad me in prætorio ipſi Chriſtiani, ut dicerent, Sactum præceptum ad te pervenit? Ego dixi, Non, ſed vidi jam exempla. Et Zama, & Furnis dirui baſilicas, & uri ſcripturas vidi. Itaque proferte ſi quas ſcripturas habetis, ut juſſioni ſacræ pareatur. Tunc mittunt in domum Epiſcopi Felicis ut tollerent inde ſcripturas, ut exuri poſſent ſecundùm ſacrum præceptum. Sic Galatius nobiſcum perrexit ad locum, ubi orationes celebrare conſueti fuerant. Inde cathedram tulimus, & epiſtolas ſalutatorias, & oſtia omnia combuſta ſunt ſecundùm ſacrum præceptum. Et cum ad domum ejuſdem Felicis Epiſcopi mitteremus, renuntiaverunt Officiales publici, illum abſentem eſſe. Nam cum poſteriori tempore adveniret Ingentius ſcriba Augenti, cum quo Ædilatem adminiſtravi, dictavi epiſtolam eidem collegæ, quam feci ad eundem Epiſcopum Felicem. Maximus dixit, Præſens eſt. eadem epiſtola ei offeratur ut eam recognoſcat. Reſpondit, Ipſa eſt. Maximus dixit. Quoniam recognovit epiſtolam ſuam, hanc lego, & oro, plena actis inſeratur. Et recitavit. Cæcilianus Parenti Felici ſalutem. Cum Ingentius collega meus Augentianum amicum ſuum conveniret, & inquiſiſſet anno Duoviratus mei, an aliquæ ſcripturæ legis veſtræ ſecundum ſacram legem aduſtæ ſint. * quam Galatius unus ex lege * veſtra publicè epiſtolas ſalutatorias de baſilica protulerit. Opto te bene valere. Hoc ſignum * quod deprecatorium ad me miſerant Chriſtiani & ipſe cujus eſt prætorium. & dixiſti Tolle clavem & quos inveneris in cathedra libros, & ſuper lapide codices, tolles illos. Sane, vide officiales ne tollant oleum & triticum. Et ego dixi tibi, Tu neſcis quia ubi ſcripturæ inveniuntur, ipſa domus diruitur? Et dixiſti, Quid ergo facimus? & dixi ego vobis, Tollat aliquis de veſtris in area ubi orationes facitis, & illic ponantur. & ego venio cum officialibus, & tollo. & nos illo venimus, & omnia tulimus, ſecundùm ſacrum præceptum. Maximus dixit, Quoniam ejus epiſtolæ lectio apud acta recitata eſt, quam ipſe agnovit ſe miſiſſe, quæ dixit, quęſumus actis hęreat. Speretius Duoviru dixit, Quæ dixiſti ſcripta ſunt. Ageſilaus dixit, Ad pręſente epiſtola recognovit, reſiduam partem quam nunc legit falſa eſſe dicit. Cęcilianus dixit, Domine, uſque ad hoc dictavi uſque quo habet, Opto te, parens cariſſime, bene valere. Apronianus dixit, Semper ſic falſum, per terrorem, per ſcenam, per irreligioſam mentem actum eſt ab his qui Catholicæ Eccleſiæ conſentire noluerunt. Nam Paulino hic adminiſtrante vices Præfectorum, ſubornatus eſt quidam privatus homo, qui modicum curſoris haberet, qui ad Catholicæ unitatis veniret, atque eos indiceret & terreret. Detecta igitur factio eſt. Nam componebatur Felici religioſiſſimo

religioſiſſimo Epiſcopo per mendacium, ut vide- A tur ſcripturas prodidiſſe & exuſſiſſe. Ingentius quidem, cùm hoc totum quicquid agebat obeſſet ſanctitati & religioni Cæciliani, ſubornatus eſt, ut veniret cum literis Felicis Epiſcopi ad Cæcilianum Duovirum, & ei confingeret à Felice ſe eſſe mandatum. Dicat ipſa verba quibus hoc eſt confictum. Ælianus Proconſul dixit, Dic. Apronianus dixit, Dic, inquit, amico meo Cæciliano, quod codices accepi pretioſos deificos XI. quiaque me nunc convenit ut illos reſtituam, dic quòd anno Magiſtratus tui eos exuſſeris, ne reddam illos. Qua de re igitur de Ingentio quærendum eſt, quatenus hæc machinata ſint ac fabricata, & quatenus voluerit circumſcribere magiſtrum ad mendacium, ut Felicem aſpergeret B infamia. dicat à quo miſſus ſit. veruntamen ſi- * mulationem iſtam in conſcientiam Felicis, quò * Cæciliani podori & initio derogaret. Eſt enim quidam qui per Mauritaniam & Numidiam legatus miſſus ſit ex adverſa parte. & adſtante Ingentio Ælianus Proconſul dixit, Cujus præcepto ea ſuſcepiſti agenda, quæ tibi objiciuntur? Ingentius dixit, Ubi? Ælianus Proconſul dixit, Quoniam fingis te non intelligere quod interrogaris, dicam apertiùs: quis te ad magiſtratum Cæcilianum miſit? Ingentius dixit, nemo me miſit. Ælianus Proconſul dixit, Quomodo ergo veniſti ad magiſtratum Cæcilianum? Ingentius dixit, Cum veniſſemus, & agerent cauſa Mauri ab Utica Epiſcopi, qui Epiſcopatum ſibi redemit, C ad urbem aſcendit Autumnitanus Epiſcopus Felix, ut tractaret, & dixit, Nemo communicet, quia falſum admiſit. Et dixi illi ego è contra, Nec tibi, nec illi, qui traditor es. Dolui enim cauſam Mauri hoſpitis mei, quia communicaveram cum illo in peregre, quia evaſi perſecutionem. Exinde ibi in patria ipſius Felicis, duxi mecum tres ſeniores, ut viderent an verum tradidiſſet, an non. Apronianus dixit, non ita venit ad Cæcilianum quærere de Cæciliano. Ælianus Proconſul Cæciliano dixit, Quomodo ad te venit Ingentius? Cæcilianus reſpondit, Domi ad me venit. prandebam cum operariis. venit il- D luc. ſtetit in janua. Cæcilianus ubi eſt, dixit. reſpondit, hîc. ego dico ei, quid eſt? Omnia rectè? Omnia, dicit. Reſpondi illi, Si non faſtidis prandere, veni, prande. Dicit mihi, Revertor huc. venit illuc ſolus. dicere mihi cœpit, Ecce ſic mihi curare & inquirere an aduſta fuerit ſcriptura anno Duoviratus mei. Dico illi ego, Moleſtus es mihi, tu homo ſollicitus es: laxa hinc te à me. Et ſprevi illum à me. Et venit illo iterato cum collega meo, cum quo fui Ædilis. Ait mihi collega meus. Felix noſter Epiſcopus miſit huc hominem, ut facias illi literas. quia accepit codices pretioſos, & noluit revocare illos. ſcribas illo, quòd anno Duoviratus tui combuſti ſunt. Et dixi E ego, Hæc eſt fides Chriſtianorum? Ingentius dixit, Domine veniat & Auxentius. Et ego honorificus ſum, & honor meus pereat, & ejus literas habemus. Ælianus Proconſul Ingentio dixit, Revinceris alio titulo. Ælianus Proconſul dixit ad officium, Apta illum. Cumque aptaretur, Ælianus Proconſul dixit, Suſpendatur. Cumque ſuſpenderetur, Ælianus Proconſul Cæciliano dixit, Quomodo ad te Ingentius venit? Reſpondit, Miſit huc me Felix, dixit, noſter, ut ſcribas illo, quia eſt unus perditus neſcio qui, habens penes me codices pretioſos, & nolo illos reſtituere. Itaque fac literas, quia aduſti ſunt, ne revocem illos. Et ego dixi, Chriſtiani fides hæc eſt? Et cœpi illum corripere. Et aſs

collega meus, Scribe illù Felici noſtro. Et ſic ego epiſtolam dictavi quę paret uſquequo dictavi. Ælianus Proconſul dixit. Audi ſine metu recitationem epiſtolæ tuæ. Recognoſce quouſque dictaveris. Ageſilaus recitavit. Opto te, parens chariſſime, multos annos bene valere. Ælianus Proconſul Cæciliano dixit, Hucuſque dictaſti? Reſpondit, Hucuſque. reliquum falſum eſt. Ageſilaus recitavit. Hoc ſigno quod de prætorium ad me miſiſti niſi ego & tu & cujus eſt prætorium. & dixit, Tolle clavem, & quos invenies in cathedra libros, & ſuper lapide codices, tolle illos. ſanè vide, officiales ne tollant oleum & triticum. Et ego dixi. Tu neſcis. quia ubi ſcripturæ inveniuntur. Et dixiſti, Quid ergo faciemus? Et dixi ego vobis, Tollat aliquis de vobis in areis ubi orationes facitis, & illic ponantur. Et ego venio cum officialibus & tollo, & nos illo venimus, & omnia tulimus ſecundùm placitum, & aduſſimus ſecundùm ſacrum præceptum. Maximus dixit, Quoniam ejus epiſtolæ tenor etiam apud acta recitatus eſt, quam ipſe agnoviſſe ac miſiſſe dixit, quæſumus hoc actis tuis hæreat. Speretius dixit, Quæ dixiſtis ſcripta ſunt. Cæcilianus reſpondit, * Cillo eſt falſum, quouſque eſt epiſtola mea, quouſque, dixi, Bene vale parens chariſſime. Ælianus Proconſul dixit, Quem dicis addidiſſe ad epiſtolam? Cæcilianus dixit, Ingentium. Ælianus Proconſul dixit, Profeſſio tua actis hæret. Ælianus Proconſul Ingentio dixit, Torqueris, ne mentiaris. Ingentius dixit, Erravi, huic epiſtolæ ego addidi. dolens cauſâ Mauri hoſpitis mei. Ælianus Proconſul dixit, * . Maximus ſemper Auguſtus & Licinius Cæſar, ita pietatem Chriſtianis exhibere dignantur, ut diſciplinam corrumpi nolint, ſed potius obſervari religionem iſtam, & coli velint. Noli itaque tibi blandiri, quòd cùm mihi dicas, Dei cultorem te eſſe, ac propterea non poſſis torqueri. Torqueris, ne mentiaris, quod alienum Chriſtianis eſſe videtur: & ideo dic ſimpliciter ne torquearis. Ingentius dixit, Jam confeſſus ſum ſine tormento. Apronianus dixit, Dignare de eo quærere, qua auctoritate, quo dolo, qua inſania circuierit Mauritanias omnes, Numidias etiam qua ratione ſeditionem commoverit Catholicæ Eccleſiæ. Ælianus Proconſul, Ad Numidias fuiſti? Reſpondit, Non, Domine. ſit qui probet. Ælianus Proconſul dixit, Nec in Mauritania? Reſpondit, Negotiari illò fui. Apronianus dixit, Et in hoc mentitur, Domine. Nam ad Mauritaniæ ſitum non niſi per Numidias pergitur. quatenus dicit ſe in Mauritania fuiſſe, non fuiſſe in Numidia. Ælianus Proconſul dixit, Cujus conditionis es? Ingentius reſpondit, Decurio ſum Ziguenſium. Ælianus Proconſul dixit ad officium, Submitte illum. quo ſubmiſſo, Ælianus Proconſul Cæciliano dixit, Falſa dicis quæ dixiſti. Cæcilianus reſpondit Non Domine. Is qui ſcripſit epiſtolam, jube veniat. Amicus ipſius eſt. Ipſe dicet, quouſque dictavi epiſtolam. Ælianus Proconſul dixit, Quis eſt ille, quem venire deſideras? Cæcilianus dixit, Augentium, cum quo fui Ædilis. Non poſſum probare niſi per ipſum Augentiũ qui ſcripſit epiſtolam. quouſque dictavi illi, ipſe dicere poteſt. Ælianus Proconſul dixit, Conſtat ergo falſam eſſe epiſtolam. Cæcilianus reſpondit, Conſtat Domine, non mentior in ſanguine meo. Ælianus Proconſul dixit, Cum Duoviratũ egeris in patria tua, oportet fidem verbis tuis habere. Apronianus dixit. Nec novũ eſt illius hoc facere Cęterũ & actis, addiderunt quod voluerunt. Iam artificium eſt il-

Auguſtin. lib. 3. contra Creſc. c. 70.

Optatus lib. 1. p. 43.

lis. Ælianus Proconſul dixit, Ex profeſſione Cæciliani, qui acta falſata eſſe dicit, atque epiſtolæ plurima addita, manifeſtum eſt qua voluntate hæc geſſerit Ingentius: Et ideo recipiatur in carcerem. Eſt enim arctiori interrogationi neceſſarius. Felicem autem religioſum Epiſcopum liberum eſſe ab exuſtione inſtrumentorum deificorum manifeſtum eſt, cùm nemo in eum aliquid probare potuerit, quod religioſiſſimas ſcripturas tradiderit, vel exuſſerit. Omnium enim interrogatio ſupraſcripta manifeſta eſt, nullas ſcripturas deificas vel inventas, vel corruptas, vel incenſas fuiſſe. hoc actis continetur, Quod Felix Epiſcopus religioſus, illis temporibus, neque præſens fuerit, neque conſcientiam accommodaverit, neque tale aliquid fieri juſſerit. Ageſilaus dixit. De his, qui ad poteſtatem veſtram inſtruendam venerunt, quid jubet poteſtas tua? Ælianus Proconſul dixit, Revertantur ad ſedes ſuas.

Explicunt Geſta purgationis Felicis Epiſcopi Autumnitani ordinatoris Cæciliani Carthaginis.

INCIPIT EXEMPLUM Epiſtolæ Conſtantini.

CONSTANTINUS AUGUSTUS Ablavio. Jamquidem antehac cum perlatum fuiſſet ad ſcientiam meam, apud Africam noſtram plures nefario furore vanis criminationibus contra ſe invicem ſuper obſervantia ſanctiſſimæ legis Catholicæ diſcedere cœpiſſe, dirimendæ diſſenſionis hujuſmodi cauſâ, placuerat mihi ut ad urbem Romam tam Cæcilianus Carthaginienſis Epiſcopus, contra quem vel maximè univerſi ſæpe me convenerant, quàm etiam aliqui ex his qui ei quædam objicienda crediderant, præſentiam ſui exhiberent. Nam etiam ad ſupradictam urbem Romam noſtram quoſdam Epiſcopos ex Galliis ire præceperam, ut tam hi pro integritate vitæ ſuæ, atque laudabili inſtituto, ſed & ſeptem ejuſdem communionis, quàm etiam urbis Romæ Epiſcopi, atque illi qui cum iiſdem cognoſcerent, poſſent rei quæ videtur eſſe commota, finem debitum adhibere. Qui quidem ea quæcunque in præſentiarum fuerant geſta, cuncta ad ſcientiam meam, etiam actis habitis retulerunt, verbo inſuper adfirmantes quòd judicium ſuum pro rerum fuiſſet æquitate depromptum, eoſque potiùs cauſæ obnoxios eſſe dicentes, qui contra Cæcilianum quædam putaverunt commovere: adeo ut iſtum poſt judicium habitum, Africam ipſos remeaſſe prohiberent. Inde propter hæc omnia probabili rerum æſtimatione ſperaverunt, quòd omnibus omnino ſeditionibus & contentionibus quæ aliis hominibus videbuntur ſubitò commotæ, finis debitus fuiſſet impoſitus. Sed cùm dictationis tuæ ſcripta legiſſem, quæ ad Nicaſium & cæteros ſuper iiſdem ſimulationibus gravitas tua mittenda crediderat, evidenter agnovi, quòd neque reſpectus ſalutis ſuæ, neque, quod eſt majus, Dei omnipotentis venerationem ante oculos ſuos velint ponere: ſiquidem ea agere perſiſtant, quæ non modò ad ipſorum dedecus infamiamque pertineant, ſed etiam his hominibus detrahendi dent facilitatem, qui longè ab hujuſcemodi ſanctiſſima obſervantia ſenſus ſuos noſcuntur avertere. Nam id quoque te ſcire convenit, quod ex iiſdem venerunt adſerentes, quòd minus dignus idem Cæcilianus cultu ſanctiſſimæ religionis habeatur. & contra id quod iiſdem reſponderam, fruſtra eos id jactare, quippe cùm res fuiſſent apud urbem Romam ab idoneis ac probatiſſimis viris Epiſcopis terminatæ, obnixè ac pertinaciter reſpondendum æſtimaverunt, quod enim omnis cauſa non fuiſſet audita, ſed potius iidem Epiſcopi quodam loco ſe clauſiſſent, & prout ipſis aptum fuerat, judicaſſent. Quare cùm hæc tot & tanta nimium obnixas diſſenſiones protrahere perviderem, ita ut nullo modo finis iiſdem dari poſſe videatur, niſi & Cæcilianus idem, & ex his qui contra eum diſſident, tres aliqui in judicium eorum, qui contra Cæcilianum ſentiunt, conſenſumque debent, ad Arelatenſe oppidum venire, injungendum ſolertiæ tuæ duxi, ut mox has literas meas acciperes, tam Cæcilianum ſupradictum, cum aliquibus ex his quos ipſe delegerit, ſed & de Byzacenæ, Tripolitanæ, Numidiarum, & Mauritaniarum, & provinciis ſingulis quique aliquantos ex ſuis perducere debebunt, quos ipſi putaverint eligendos, ſed etiam aliquos ex his qui contra eundem Cæcilianum diſſentiunt, data evictione publica, per Africam & Mauritaniam, inde ad Hiſpanias brevi tractu facias navigare: & inde nihilominus hujuſmodi his in ſingulis Epiſcopis ſingulas tractorias tribuas, ut ipſi ad ſupradictum locum intra diem Kalendarum Auguſtarum poſſint pervenire, celeriter intimaturus iiſdem, ut antequam proficiſcantur, debeant diſponere quatenus abſentibus ipſis, & diſciplina competens habeatur, & nulla fortè ſeditio, vel aliquorum altercantium, quæ ad maximum dedecus ſpectet, oriatur. De ſecreto plena cognitione ſuſcepta finis adhibeatur. Qui cùm præſentiam ſui exhibuerint univerſi, qui nunc in contentione eſſe noſcuntur, quique non immeritò finem debent accipere maturum, ut protinus poſſint terminari atque componi. Nam cùm apud me certum ſit, te quoque Dei ſummi eſſe cultorem, confiteor gravitati tuæ, quòd nequaquam fas eſſe ducam, ut ejuſmodi contentiones & altercationes diſſimulentur à nobis, ex quibus forſitan commoveri poſſit ſumma divinitas, non ſolùm contra humanum genus, ſed etiam in meipſum; cujus curæ, nutu ſuo cæleſti, terrena omnia moderanda commiſit, & ſecus aliquid hactenus incitata decernet. Tunc enim revera & pleniſſimè potero eſſe ſecurus, & ſemper de promptiſſima benevolentia potentiſſimi Dei proſperrima & optima quæque ſperare, cùm univerſos ſenſero debito cultu Catholicæ religionis ſanctiſſimum Deum concordi obſervantiæ fraternitate venerari. EXPLICIT.

INCIPIT CONCILIUM Epiſcoporum Arelate celebratum & directum Silveſtro Epiſcopo Romanorum.

Vide Euſeb. lib. 10. Hiſt. cap. 5. 6. & 7.

DILECTISSIMO Papæ Silveſtro, Marinus, Acratius, Natalis, Theodorus, Proterius, Vocius, Verus, Probatianus, Cæcilianus, Fauſtinus, Surgentius, Gregorius, Reticius, Ambitauſus, Terminatius, Merocles, Pardus, Adelfius, Hibernius, Fortunatus, Ariſtaſius, Lampadius, Vitalis, & Maternus, Liberius, Gregorius, Creſcens, Avitianus, Daſius, Orantalis, Quintaſius, Victor, Victor, Epictetus, in Domino æternam ſalutem. Communi copula caritatis & unitate matris Eccleſiæ Catholicæ vinculo inhærentes, ad Arelatenſium civitatem, piiſſimi Imperatoris voluntate adducti, inde te, religioſiſ-

ſime Papa, cum merita reverentia ſalutamus; ubi graves ac pernicioſos legi noſtræ atque traditioni effrænatæ mentis homines pertulimus, quos & Dei noſtri præſens auctoritas, & traditio ac regula veritatis ita reſpuit, ut nulla in illis aut dicendi ratio ſubſiſteret, aut accuſandi modus ullus, aut probatio conveniret. Ideo, judice Deo & matre Eccleſia quæ ſuos novit & comprobat, aut damnati ſunt, aut repulſi. Et utinam, Frater dilectiſſime, ad hoc tantum ſpectaculum intereſſes. Tanti feciſſes profecto, credimus, quia in eos ſeverior fuiſſet ſententia prolata, & te pariter nobiſcum judicante, cœtus noſter majori lætitia exultaſſet. Sed quoniam recedere à partibus illis minimè potuiſti, in quibus & Apoſtoli quotidie ſedent, & cruor ipſorum ſine intermiſſione Dei gloriam teſtatur, non tamen hæc ſola nobis viſa ſunt tractanda, Frater chariſſime, ad quæ fueramus invitati, ſed & conſulendum nobiſmet ipſis conſuluimus: & quàm diverſæ ſint provinciæ ex quibus advenimus, ita & varia cõtingunt quæ nos cenſemus obſervare debere. Placuit ergo præſente Spiritu ſancto & Angelis ejus, ut & his qui ſingulos quos • monebat, judicare, proferremus de quiete præſenti. Placuit etiam, antequam à te qui majores dioceſes tenes, per te potiſſimum omnibus inſinuari. Quid autem ſit quod ſenſerimus, ſcripto noſtræ mediocritatis ſubjunximus. Ad id primo loco de vita noſtra atque utilitate tractandum fuit, ut qui unus pro multis mortuus eſt, & reſurrexit, ab omnibus tempus ipſum ita religioſa mente obſervetur, ne diviſioni vel diſſenſioni in tanto obſequio devotionis poſſint exſurgere. Cenſemus ergo Paſcha Domini per orbem totum una die obſervari. De his quoque qui quibuſcunque locis ordinati fuerint miniſtri, ut in ipſis locis perſeverent. De his agitur enim qui arma projiciunt in pace, placuit abſtineri eos à communione. De Circiſſariis agitatoribus qui fideles ſunt, placuit eos quandiu agitant, à communione ſeparari. De Theatricis, ipſos placuit quandiu agunt, à communione ſeparari. De his qui in infirmitate ſunt conſtituti & credere volunt, placuit eis manum imponi. De Præſidibus autem qui fideles ſunt, & ad præſidatum conſiliunt, ita placuit, ut cùm promoti fuerint, literas quidem accipiant eccleſiaſticas communicatorias, ita tamen ut in quibuſcunque locis geſſerint, ab Epiſcopis ejuſdem loci cura illis agatur: Et ſi cœperint contra diſciplinam agere, tunc demum a communione excludantur. Et de his quidem qui in Republica agere volunt ſimiliter. De Africa autem quod propria lege ſua utantur, ut rebaptizent, placuit ut ad Eccleſiam ſi aliquis hæreticus venerit, interrogent eum ſymbolum: & ſi perviderint eum in Patre & Filio & Spiritu ſancto eſſe baptizatum, manus tantum ei imponatur. Quod ſi interrogatus ſymbolum, non reſponderit Trinitatem, tunc meritò baptizetur. & cætera. Tunc tædians juſſit omnes ad ſedes ſuas redire.

EPISTOLA IMPERATORIS CONSTANTINI, *Ubi dixit quia pars Donati, quomodo forenſes, ſic litigant, ut denuntient & appellent, & Imperatorem deſiderent audire poſt Epiſcoporum judicata.*

CONSTANTINUS AUGUSTUS Epiſcopis Catholicis chariſſimis fratribus ſalutem. Æterna & religioſa, incomprehenſibilis pietas Dei noſtri, nequaquam permittit humanam conditionem diutius in tenebris oberrare, neque patitur exoſas quorundam voluntates uſque in tantum pervadere, ut non ſuis præclariſſimis luminibus denuo pandens iter ſalutare, eas det ad regulam juſtitiæ converti. Habeo quippe cognitum multis exemplis. hæc eadem ex meipſo metior. Fuerunt enim in me primitus, quæ juſtitia carere videbantur, nec ulla putabam videre ſupernam potentiam, quæ intra ſecreta pectoris mei gererem. Equidem hæc, ut dixi, æquam fortunam debuerunt ſortiri, ſcilicet omnibus malis redundantem: ſed Deus omnipotens in cælis per ſæcula reſidens, tribuit quod non merebar. Certò jam neque dici, neque enumerari poſſunt ea, quæ cæleſti ſua in me famulum ſuum benevolentia conceſſit, ſanctiſſimi Antiſtites Chriſti ſalvatoris Fratres chariſſimi. Gaudeo igitur equidem ſpecialiter, gaudeo quod tandem habita juſtiſſima dijudicatione, eos ad meliorem ſpem fortunamque revocaſtis, quos malignitas Diaboli videbatur à præclariſſima luce legis Catholicæ miſerabili ſua perſuaſione avertiſſe. O verè victrix providentia Chriſti Salvatoris, ut etiam his conſuleret, qui jam deſciſcentes à veritate, quodammodo adverſus ipſam arma inducentes, gentibus ſe copulaverunt. quia ſi vel nunc vera fide voluerint obſequia ſanctiſſimæ legi deferre, intelligere poterunt quantum ſibi nutu Dei ſit proviſum. Et hoc quidem, ſanctiſſimi fratres, ſperabam etiam in eis, quibus ingenita eſt maxima durities animi, poſſe reprehendi. ſed non profuit apud eos recta dijudicatio, neque in eorum ſenſus ingreſſa eſt divinitas propitia. Revera enim non immeritò ab his procul abſceſſerit Chriſti clementia, in quibus manifeſta luce claret, hujuſmodi eſſe, ut eos etiam à cæleſti proviſione exoſos cernamus. quæ in ipſos tanta veſania perſeverat, cùm incredibili arrogantia perſuadeant ſibi, quæ nec dici, nec audiri fas eſt, deſciſcentes à recto judicio dato, quo cæleſti proviſione meum judicium eos comperi poſtulare. quæ vis malignitatis in eorundem pectoribus perſeverat. Quotiens à me jam ipſo improbiſſimis aditionibus ſuis ſunt condigna reſponſione oppreſſi? qui utique ſi hoc ante oculos habere voluiſſent, minimè hoc ipſum interpoſuiſſent, meum judicium poſtulant, qui ipſe judicium Chriſti expecto. Dico enim, ut ſe veritas habet, ſacerdotum judicium ita debet haberi, ac ſi ipſe Dominus reſidens judicet. Nihil enim licet his aliud ſentire, vel aliud judicare, niſi quod Chriſti magiſterio ſunt edocti. Quid igitur ſentiunt maligni homines, officia, ut verè dixit, Diaboli? Perquirunt ſæcularia, relinquentes cæleſtia. O rabida furoris audacia! ſicut in cauſis gentium fieri ſolet, appellationem interpoſuerunt. Equidem gentes minora interdum judicia refugientes, ubi juſtitia deprehendi poteſt, magis ad majora judicia auctoritate interpoſita ad appellationem ſe conferre ſunt ſolitæ. quid hi detractores legis, qui renuentes cæleſte judicium, meum putaverunt poſtulandum, ſic ſentire de Chriſto ſalvatore? Ecce jam proditores, ecce ſine ulla acriori diſquiſitione, ipſi per ſemet prodiderunt facinora ſua. quæ ab ipſis ſentitur humanitas, qui in ipſo Deo immanes proſilierunt? Equidem, Fratres chariſſimi, licet hæc in ipſis videantur deprehenſa, nihilominus vos, qui Domini ſalvatoris ſequimini viam, patientiam adhibete, data his adhuc optione quid putent deligendum: ac ſi eos in iiſdem videris perſeverare, protinus cum his quos Dominus dignos cultu ſuo indicavit, proficiſcimini, & redite ad proprias ſedes, meique memotote, ut mei Salvator noſter ſemper

Optato lib. 1.

Collatio Carthagienſis.

miſereatur. Cæterum direxi meos homines, qui eoſdem infandos deceptores religionis protinus ad comitatum meum perducant, ut ibi degant, ibi ſibi mortem pejus pervideant. Dedi quoque literas competentes ad eum, qui Vicariam Præfecturam per Africam tuetur, ut quotquot hujus inſaniæ ſimiles invenerit, ſtatim eos ad comitatum meum dirigat, ne ulterius ſub tanta claritate Dei noſtri ea ab ipſis fiant, quæ maximam iracundiam cæleſtis providentiæ poſſint incitare. Incolumes vos Deus omnipotens tribuat votis meis, & veſtris, per ſæcula Fratres chariſſimi.

Item Epiſtola Conſtantini ad Epiſcopos partis Donati, de ſuper nomine Cæciliani.

Constantinus Augustus Epiſcopis. Ante paucos quidem dies, juxta poſtulatum veſtrum, hoc mihi placuerat, ut ad Africam reverteremini, ut illic omnis cauſa, quæ vobis adverſus Cæcilianum competere videtur, ab amicis meis quos elegiſſem, cognoſceretur, atque finem debitum reciperet. Verùm diu mihi cogitanti, & in animo meo non immeritò volventi, id potiſſimum viſum eſt, ut quoniam ſcio quoſdam ex veſtris turbulentos ſatis & obſtinato animo rectum judicium & integræ veritatis rationem minimè reſpicere, ac per hoc venire forſitan, ut ſi ibidem cognoſcatur, non ut conderet & veritatis ratio expoſtulat, res finem accipiat, atque aliquid tale eveniat, nimia veſtra obſtinatione, quod & divinitati cæleſti diſpliceat, & exiſtimationi meę, quam ſemper inlibatam cupio perſeverare, plurimum impediat, placuit mihi, ſicut dixi, ut Cæcilianus, juxta prius tractatum, huc potius veniat, quem credo juxta literas meas mox adfuturum. Polliceor autem vobis, quòd ſi præſente ipſo de uno tantùm crimine vel facinore ejus per voſmetipſos aliquid probaveritis, id apud me ſit, ac ſi univerſa quæ ei intendiſtis, probata eſſe videantur. Deus omnipotens perpetuam tribuat ſecuritatem.

Ubi promittit Conſtantinus ad Africam ſe venturum, ut inter Cæcilianum & Donatum de ſchiſma hic in Africa facta. Celſo Vicario ſubſcripſit.

Celſo Vicario Africæ. Perſeverare * Menalium eum quem jamdudum ſuſceperat inſania, cæteros qui à veritate Dei digreſſi, errori ſe praviſſimo dederunt, proxima etiam tuę gravitatis ſcripta teſtata ſunt, quibus inhęrentem te juſſioni noſtræ de merito ſeditionis ipſorum, eoque tumultu quod apparabant, inhibitum eſſe memoraſti, Frater chariſſime. Unde quoniam ex eo patuit ipſos nefarias res cogitaſſe. quod enim cùm ſtatuiſſem inter ipſos, & Cæcilianum, pleniſſimè ſuper allegationibus diverſis requirere, præſentia mea ſuſceptam fugam ſubtrahere laboraverunt, hoc ipſo turpiſſimo facto confeſſi, ad ea ſe redire properare, quæ & antea fecerant, & nunc agere perſeverant. At quum conſtet minime unumquemque propria penitus delicta lucrari, etiamſi pauliſper eorum fuerit coercitio dilata, mandandum gravitati tuæ duxi, ut interim quidem eoſdem omittas, & diſſimulandum ſuper ipſos eſſe cognoſcas: Verùm lecta hac epiſtola, tam Cæciliano, quàm iiſdem palam facias, quod cum favente pietate divina Africam venero, pleniſſimè univerſis tam Cæciliano, quàm his qui contra eum agere videntur, lecto dilucido judicio demonſtraturus ſum, quę & qualis ſummæ divinitati ſit adhibenda veneratio, & cujuſmodi cultu delectari videatur: adhibito etiam diligenti examine, ea quæ nunc aliqui ex inde inlecebris mentis ignorantiæque occultarę

A ſe putant, pleniſſimè ſum reperturus, atque in lucem facturus venire. eaſdem perſonas quę res iſtiuſmodi concitant, faciuntque, ut non cum ea qua oportet, veneratione ſummus Deus colatur, perdam atque diſcutiam. Cumque ſatis clareat neminem poſſe beatitudinem Martyris eo genere conquirere quod alienum à veritate religionis & incongruum eſſe videatur, eos quos contra fas & religionem ipſam recognovero, reoſque violentes competentis venerationis dedeprehendero, ſine ulla dubitatione, inſaniæ obſtinationiſque temerariæ faciam merita exitia perſolvere. Scire itaque pro certo quæ habere debeant, ad pleniſſimam fidem, ſalute etiam teſte invocata, quod tam ſuper plebe, quàm ſuper B clericis his qui primi ſunt, ſum diligentiſſimè quæſiturus, idque judicaturus quod veriſſimum & religioſiſſimum eſſe manifeſtum ſit: demonſtraturus etiam iiſdem, qui & qualis divinitatis cultus adhibendus ſit. Nam nequaquam me aliter maximum reatum effugere poſſe credo, quàm ut hoc quod improbè fit, minimè exiſtimem diſſimulandum: cùm nil potius à me agi pro inſtituto meo, ipſiuſque principis munere oporteat, quàm ut diſcuſſis erroribus omnibuſque temeritatibus amputatis, veram religionem univerſos, concordemque ſimplicitatem, atque meritam omnipotenti Deo culturam præſentare perficiam.

Item exemplum Epiſtola Præfectorum prætorio ad Celſum Vicarium.

Petronius, Annianus & Iulianus Domicio Celſo Vicario Africæ. Quoniam Lucianum, C Capitonem, Fidentium & Naſutium Epiſcopos, & Mammarium presbyterum qui ſecundùm cæleſte præceptum Domini Conſtantini Maximi invicti ſemper Auguſti ad Gallias cum aliis legis ejus hominibus venerãt, dignitas ejus ad lares proprios venire præcepit, angarialem his cum annonaria competentia uſque ad Arelatenſem portum ſecundùm imperatum æternitatis ejuſdem clementiſſimi principis dedimus, Frater, qua inde Africam navigent. Quod ſolertiam tuam literis noſtris ſcire conveniat. Optamus te, Frater, feliciſſimum bene valere. Hilarius princeps obtulit XIII. Kelendas Maias. Triberis.

Item exemplum epiſtolæ Conſtantini ad Catholicam.

D Constantinus Augustus Univerſis Epiſcopis per Africam, & plebi Eccleſiæ Catholicæ. Quod fides debuit, quantum prudentia valuit, prout puritas potuit, tentaſſe me per omnia humanitatis & moderationis officia optimè ſcitis, ut, juxta magiſteria legis noſtę, pax illa ſanctiſſimę fraternitatis, cujus gratiam Deus ſummus famulorum ſuorum pectoribus immiſcuit, ſtabilita per omnem concordiam teneretur. Sed quia vim illam ſceleris infuſi, paucorum licet, ſenſibus pervicaciter inhærentem, intentionis noſtræ ratio non potuit edomare, favente adhoc ſibi huic nequitiæ patrocinio, ut extorqueri ſibi omnia non ſi E nerent, in quo ſe delinquiſſe gauderent. Spectandum nobis eſt, dum totum hoc per paucos ſeditio in populum omnipotentis Dei miſericordia mitigetur. Inde enim remedium ſperare debemus, cùm omnia bona vota, & facta referuntur. Verùm dum cæleſtis medicina procedat, hactenus ſunt conſilia noſtra moderanda, ut patientiam percolamus, & quidquid inſolentia illorum pro conſuetudine intemperantiæ tentat aut facit, id totum tranquillitatis virtute toleremus. Nihil ex reciproco reponatur injuriæ: vindictam enim, quam Deo ſervare debemus, inſipientis eſt manibus

uſurpare: maximè cùm debeat fides noſtra confidere, quidquid ab hujuſmodi hominum furore patietur, Martyrii gratiâ apud Deum eſſe valiturum. Quid eſt enim aliud in hoc ſæculo in nomine Dei vincere, quàm inconditos hominum impetus quietæ legis populum laceſſentes, conſtanti pectore ſuſtinere? Quod ſi obſervaverit veſtra ſinceritas, citò videbitis per gratiam ſummæ divinitatis, ut langueſcentibus eorum inſtitutis vel moribus, qui ſe miſerrimæ contentionis vexillarios præbent, ſciant omnes non debere ſe paucorum perſuaſione pereuntes ſempiterno letho dare, quò poſſint pœnitentiæ gratia, ſemper vitæ æternę, correctis erroribus ſuis, integrati. Valete voto communi per ſæcula jubente Deo, Fratres chariſſimi.

Exemplum Epiſtolæ Conſtantini, cum ſcripto Epiſcoporum Numidarum, ubi hæretici tulerunt baſilicas, ut ad aliam baſilicam faciendam ſibi locum, vel domum eis dent.

CONSTANTINUS Victor Maximus ac Triumphator ſemper Auguſtus Zeuzio, Gallico, Victorino, Sperantio, Januario, Felici, Creſcentio, Pantio, Victori, Babbutio, Donato Epiſcopis. Cùm ſummi Dei, qui hujus mundi auctor & pater eſt cujus beneficio vitam carpimus, cœlum ſuſpicimus, humana etiam ſocietate gaudemus, hanc voluntatem eſſe conſtet, ut omne humanum genus in commune conſentiat, & quodam ſocietatis affectu, quaſi mutuis amplexibus glutinetur: non dubium eſt hæreſes & ſchiſma à Diabolo, qui caput eſt malitiæ, proceſſiſſe. Et ideo quicquid ab hæreticis geritur, ejus inſtinctu fieri, qui eorum ſenſus, mentes, cogitationeſque poſſidet, nulla dubitatio eſt. Nam cùm ejuſmodi homines in ſua poteſtate redegerit, iiſdem uſquequaque dominatur. Quid autem boni efficere inſanus, perfidus, inreligioſus, profanus Deo contrarius, Eccleſiæ ſanctæ inimicus poteſt, qui à Deo ſancto, vero, juſto, ſummo, atque omnium Domino recedens qui nos conſtituit & in hac luce produxit, qui ſpiritum ad vitam, quam carpimus, dedit, & qui nos id quod ſuum eſſe voluit, & omnia ſua voluntate perfecit, ad Diaboli partem pronò errore decurrit? Sed quia ſemel poſſeſſus animus à malo, neceſſe eſt doctoris ſui operibus inſtare, ea perficiat quæ æquitati & juſtitiæ contraria videantur, idcirco hi qui à Diabolo poſſeſſi ſunt, ejus falſitati & nequitiæ obſequuntur. Non autem miratum eſt, à bonis improbos diſcedere. Nam ſic rectè proverbio ſignatum eſt, Pares cum paribus congregari: qui malo impiæ mentis infecti ſunt, neceſſe eſt à noſtra ſocietate diſſideant. Homo ſiquidem malus, ut ſcriptura loquitur, de malo theſauro profert mala: bonus verò ex bono profert bonum. Sed quia, ut dictum eſt, hæretici & ſchiſmatici, qui bonum relinquentes & malum ſectantes, ea perficiunt quæ Deo diſpliceant, Diabolo, qui eorum pater eſt, adprobantur adhærere, rectiſſimè & ſapienter gravitas veſtra facit, & ſecundùm ſanctum fidei præceptum, ab eorum perverſis contentionibus temperando, & iiſdem remittendo quod idem ſibi indebitum atque alienum uſurpare contendunt: ne, ſicuti eſt eorum perverſitas maligna & perfida, ad ſeditiones uſque prorumperent & inter turbas atque concentus ſui ſimiles incitarent, atque ita aliquid exiſteret, quod ſedari non oporteret. Sceleratum quippe eorum propoſitum ſemper requirit Diaboli opera perficere. Et ideo eum à ſacerdotibus Dei per patientiam cum ipſo ſuo patre ſuperant. ſibi hi qui cultores Dei ſummi gloriam, illi verò damnationem comparant, & condigna ſupplicia. Ex hoc quippe majus Dei ſummi exiſtat juſtiuſque judicium, quod eos æquo animo tolerat, & patientia condemnat, his omnia quæ ab ipſis proceſſerunt, ſuſtinendo. Deus ſiquidem ſe omnium vindicem promiſit. Et ideo cùm vindicta Deo permittitur, acrius de inimicis ſupplicium ſumitur. Quod vos nunc famulos & ſacerdotes Dei libenter feciſſe cognovi, & ſatis gratulatus ſum, quod de impiis & ſceleratis, ſacrilegis & profanis, perfidis & inteligioſis, & Deo ingratis, & Eccleſiæ inimicis nullam vindictam poſcitis, & ut iidem potius ad veniam pertineant, poſtulatis. Hoc eſt verè ac penitus Deum noſſe, hoc eſt præceptis inſiſtere, hoc eſt feliciter credere, hoc eſt verè ſentire, hoc eſt ſcire, quod major vindicta in contrarios Eccleſiæ provocetur, cùm iiſdem in ſæculo parcitur. Acceptâ igitur Epiſtolâ ſapientiæ & gravitatis veſtræ, comperi hæreticos ſivè ſchiſmaticos eam baſilicam Eccleſiæ Catholicæ, quam in Conſtantina civitate juſſeram fabricari, ſolita improbitate invadendam putaſſe, & frequenter tam à nobis quàm à judicibus ex noſtra juſſione commonitos, & reddere, quod ſuum non erat, noluiſſe, vos autem imitatores patientiæ Dei ſummi, eorum malitiæ placida mente, ea quę veſtra ſunt, relinquentes, & potius locum vobis invicem alium fiſcalem ſcilicet poſcere. Quam petitionem, more inſtituti mei, libenter amplexus ſum, & ſtatim ad Rationalem competentes dedi, ut domum bonorum noſtrorum tranſgredi faciat, cum omni jure ſuo, ad dominium Eccleſiæ Catholicę, quam prompta liberalitate donavi, ac vobis tradi protinus juſſi. In quo tamen loco ſumpto fiſcali baſilicam erigi præcepi. Ad Conſularem quoque ſcribi mandavi Numidię, ut ipſe in ejuſdem Eccleſiæ fabricatione in omnibus ſanctimoniam veſtram juvaret. Lectores etiam Eccleſiæ Catholicę, & hypodiacones, & reliquos quoque inſtinctu memoratorum quibuſdam pro moribus ad munera, vel ad Decurionatum vocati ſunt, juxta ſtatutum legis meę ad nullum munus ſtatui evocandos. Sed & eos, qui ducti ſunt hæreticorum inſtinctu, juſſimus protinus moleſtis perfunctionibus abſolvi. De cętero etiam legem meam ſuper Eccleſiaſticos Catholicos datam cuſtodiri, mandavi. quæ omnia ut veſtrę patientiæ palam fierent, harum literarum teſtificatione perſcripta ſunt. Et utinam quidem hęretici vel ſchiſmatici aliquando ſuę ſaluti providerent, & deterſis eorum tenebris ad viſionem verę lucis oculos aperirent, & à Diabolo ſecederent, & ad Deum qui unus & verus, qui omnium judex eſt, vel ſerò confugerent. Sed quia conſtat eos in ſua malitia manere, & in ſuis facinoribus mori velle, ſufficit iiſdem commonitio noſtra, & præcedens aſſidua cohortatio. Si enim juſſionibus noſtris obtemperare voluiſſent, ab omni malo liberarentur. Nos tamen, Fratres, ſequamur quæ noſtra ſunt, mandatis inſtemus, cuſtodiamus divina pręcepta, ex bonis actibus vitam noſtram ab erroribus vindicantes, favente Dei miſericordia, per rectum limitem dirigamus.

Expliciunt Geſta Purgationis Cæciliani Epiſcopi & Felicis ordinatoris ejuſdem: nec non Epiſtolæ Conſtantini Imperatoris.

DEO GRATIAS.

***FRAGMENTVM EX HISTORIA PASSIONIS S.S.** Datvi, Saturnini, Felicis Ampelii & aliorum Martyrum Africanorum ſub Anulino Proconſule, à Donatiſta quodam ſcripta, ex quo intelligetur quàm impudentes eius ſectæ calumniæ adverſus Menſurium & Cæcilianum fuerint. Quod quia ad ſuperioris etiam Collationis hiſtoriam ſpectat, & ea ipſa apertè falſi convincitur, huic tuta adjici poſſe viſum eſt.*

*

QUoniam nos ſchiſmatis tempus admonuit, confeſſionibus tantis ac talibus Martyrum decreta conjungere, & cōſtitutiones ſanctiſſimas amicorū Dei geſtis ſuperioribus catenare, neceſſariò breviter cuncta quæ martyres in carcere ex auctoritate legis divinæ ſanxerunt, ſervandaque poſteris reliquerunt, diſcutiam: nec lapſorum ſuperbiam atque audaciam traditorum in hac ipſa mea feſtinatione prætercam. Coegit enim me tranſcendere nihil geſtorum fides, amor legis, Eccleſiæ ſtatus, ſalus publica, vita communis. his enim de rebus Eccleſia Catholica ſic poterit recognoſci, ſi labes peſtifera Traditorum, nefandis actibus ſuis ſententiaque Martyrum, omnibus ſeculis declaretur. Poſtquam igitur ſupradictos martyres Chriſti exoptatus carcer recepit, confeſſores, qui illuc priores detruſi fuerant, victricibus palmis triumphales dexteras venientibus adiungebant. Veniebant præterea ad eundem locum & ex diverſis provinciæ partibus alii quoque quam plurimi confeſſores, inter quos erant Epiſcopi, Preſbyteri, Diaconi, cæterique Clerici, qui legem domini aſſerentes, Collectam Dominicumque conſtanter & fortiter celebrabant: quippe ſcripturas dominicas divinaque teſtamenta de flamma atque de incendio conſervantes, ſeipſos diris ignibus cruciatibuſque diverſis, Machabæico more pro divinis legibus obtulerunt. Ea igitur tempeſtate, cùm horridus carcer craſſæque tenebræ intra ſe clauſos retinerent teſtes fideliſſimos Dei, & ingentia catenarum pondera devota membra vincirent, cùm debilitaret fames, fatigaret ſitis, frigus quateret, turba comprimeret, latera ipſa recenti ungularum laceratione diſrupta ferverent, inter catenas & ferrum inſtrumentaque tormentorum, ex auctoritate legis divinæ, quod ſibimet poſteriſque martyribus conſervarent, celebratores concilium, cæleſtia decreta condebant. Verè enim vivus ille Spiritus ſanctus, confeſſorum mentes æternis aſpirando & divinis colloquiis exercebat. Sed poſt crudelem tempeſtatem ac perſecutionis horribiles minas, quibus Chriſtianam religionem tyrannica rabies infeſtaverat, quo iterum purior ac ſerenior Chriſtiani nominis pax æterna Increſceret, nec defuit traditorum omnium calidiſſima fraus, conſpiratioque peſtiferorum naufragorum diabolica arte compoſita, quæ ſub prætextu religionis religionem impugnaret, fidem everteret, divina jura turbaret: maximè cùm etiam Menſurius, Carthaginenſis quondam Epiſcopus recenti ſcripturam traditione pollutus, ſceleris ſui amentiam, pejore cœpiſſet ferocia publicare: quippe qui combuſtorum veniam librorum à Martyribus poſcere ac implorare debuerat, ut delicta ſua majoribus flagitiis cumularet, eo animo ſæviebat in Martyres quo divinas tradiderat leges. Et enim hic tyranno ſævior, carnifice crudelior, idoneum ſceleris ſui miniſtrum Diaconum ſuum elegit Cæcilianum, idemque lora & flagra cum armatis ante fores carceris ponit ut ab ingreſſu atque aditu cunctos qui victum potumque in carcerem Martyribus afferebant, gravi affectos injuria propulſaret. Et cædebantur

A à Cæciliano paſſim qui ad alendos martyres veniebant, ſitientibus intus in vinculis confeſſoribus pocula frangebantur ante carceris limina: cibi paſſim lacerandi canibus ſpargebantur, jacebant ante carceris fores martyrum patres matreſque ſanctiſſimæ, & ab extremo conſpectu liberorum excuſſi, graves nocte dieque vigilias ad oſtium carceris exercebant. Erat fletus horribilis, & acerba omnium, qui aderant, lamentatio: prohibere pios martyrum complexus, & divelli à pietatis officio Chriſtianos, Cæciliano ſæviente tyranno

B & crudeli carnifice. Interea martyres Chriſti non carceris ſqualor, non viſcerum dolor, non denique ulla rerum penuria commovebat: ſed meritis & confeſſione jam domino vicini, direxerant in poſteros ſalutem, quæ communem Chriſtiani nominis progeniem ab omni recidiva communione Traditorum ſecerneret, tali ſub comminatione: Si quis traditoribus cōmunicaverit, nobiſcum partem in regnis cæleſtibus non habebit. Et hanc ſententiam ſancti Spiritus auctoritate cōſcriptam, tali comparatione firmabant. Scriptum eſt, inquiunt, in Apocalypſi, Quicumque adjecerit ad

C librum iſtum apicem unum aut unam literam, adjiciat illi Deus innumerabiles plagas, & quicumque deleverit deleat partem ejus Dominus de libro vitæ. Si ergo additus apex unus, aut litera dempta una, de libro ſancto radicitus amputat, & ſacrilegum facit, & ſubvertit auctorem, neceſſe eſt omnes eos, qui teſtamenta divina, legeſque venerandas omnipotentis Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti ignibus tradiderunt exurendas, æternis gehennæ ardoribus, inextinguibili igne torqueri. Et ideo, ut ſuprà diximus, ſi quis traditoribus communicantes, ſinguli ad paſſionis glo-

D riam feſtinabant, ſupremaque teſtatione unuſquiſque martyrum cruore proprio conſignabat. Exinde Eccleſia ſancta ſequitur martyres, & execratur perfidiæ Traditores. Igitur cùm hæc ita ſint, quiſnam eſt divini juris peritiâ pollens, fide præditus, devotione prælatus, religione ſanctus, qui judicis Dei memor, veritatem ab errore diſcernat, à fide perfidiam diſiungat, ſimulationemque fictam à certa & integra ſanctitate recludat, ſeparet à ſtante lapſum, ab integro vulneratum, à juſto reum, ab innocente damnatum, à cuſtode legis proditorem, à confeſſore Chriſti nominis negatorem, à martyre Domini perſecutorem, & unum atque idem eſſe exiſtimet, &

E Eccleſiam martyrum, & conventicula traditorum? Nemo ſcilicet, quoniam hæc inter ſe ita repugnant contrariaque ſibi ſunt, ut lux tenebris, vita morti, ſanctus Angelus Diabolo, Chriſtus Antichriſto, Paulo Apoſtolo dicente, *Quaſi filiis dico, dilatamini & vos, & nolite conjungi cum infidelibus. Quæ eſt enim participatio juſtitiæ ad iniquitatem? aut quæ communicatio luminis ad tenebras? quæ particula eſt fideli cum infideli? quæ eſt autem conventio templi Dei cum ſimulachris? Vos autem templum Dei vivi eſtis. dicit enim, quia inhabitabo in eis & inambulabo, & ero illorum Deus, & ipſi erunt mihi populus. Propter quod, diſcedite de medio eorum & ſeparamini, dicit*

Deus omnipotens, & immundum ne tetigeritis. & ego recipiam vos & ero vobis in patrem, & vos eritis mihi in filios & filias, dicit Dominus omnipotens. Quamobrem fugienda bonis, & vitanda eſt ſemper religioſis conſpiratio Traditorum, hypocritarum domus, phariſęorumque ſententia: ut etiam adoptiones filiorum filiarumque Dei in ſancta Eccleſia ſpiritaliter nati, digni ſuccedant: & non alienis facinoribus immerſi, pro luce tenebras, pro vita mortem, interitum ſibi pro ſalute acquirant. Talis eſt enim Eccleſia Domini, quæ una ſemper ſingularisque, contra ſeſe, & in partes dividi non poteſt: ſed poſt teterrimam perſecutionis noctem, turbineſque peſtiferos tyrannorum, ad deceptionem innocentium, prædamque populorum Diabolus verſutiâ calliđiſſimæ fraudis adinvenit, ut quos aperta perſecutionis clade transvorare non valuit, nec in ſacrilego ſæculo Idolorum ſervitio mancipandos delictorum nexibus in perpetuam perniciem potuit retinere, eos pollutis traditionibus jungens ſibi, ſub prætextu ſanctiſſimæ religionis extinguat. Denique iſti falſi ſacrorum ritus fictaque myſteria, non tam in ſalutem, quàm in perniciem miſerorum celebrantur: cùm erigit altare ſacrilegus, celebrat ſacramenta prophanus, baptizat vulneratus, veneratur martyres perſecutor, legit Evangelia traditor, hæreditatem cœli promittit divinorum teſtamentorum combuſtor. Suos increpat Dominus & objurgat in Evangelio dicens, *Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, qui circumitis mare & aridam, facere unum proſelytum: & cùm factus fuerit, facitis eum filium gehennæ plus quàm eſtis vos.* Et Propheta, pollutorum ſacrificia reſpuens, ait, *Sacrificia eorum tanquam panis luctus omnis, qui tetigerit illum, inquinabitur.* Sed & per Aggæum clariſſimum prophetam, *Interroga,* inquit, *ſacerdotes legem. Si acceperit homo carnem ſanctam in ſummo veſtimenti ſui, & tetigerit ſummitas veſtimenti ejus aliquam partem panis, vini, aut olei, ſi ſanctificabitur?* & dixerunt ſacerdotes: *Non.* Et dixit Aggæus, *Si tetigerit inquinatus in anima horum aliquid, ſi inquinabitur? & dixerunt ſacerdotes, Inquinabitur.* & dixit Aggæus, *Sic & populus hic, & gens hæc coram me, dicit Dominus, & omnis qui acceſſerit illic, inquinabitur.* Fugienda ergo & execranda pollutorum omnium congregatio vitioſa, & appetenda omnibus beatiſſimorum Martyrum acceſſio glorioſa: quæ eſt Eccleſia ſancta, una, & vera catholica, ex qua Martyres profecti ſunt, & à quibus divina teſtamenta ſervata ſunt. Hæc etenim ſola perſecutionis infeſtæ impetum fregit, hæc legem Domini, uſque ad effuſionem ſanguinis, conſervavit: in hac virtutes ſancti Spiritus præſentiâ frequentantur, Baptiſma à Salvatore perficitur, vita perpetua reparatur. Semper enim illis propitius Deus adeſt. Dominus Chriſtus collætatur, & gaudet Spiritus Sanctus, in confeſſoribus victor, in martyribus triumphator. Poſtremò cùm nec Menſurius, nec miniſter ejus Cæcilianus ab hac immani crudelitate ceſſare vellent, Anulino Proconſule aliiſque perſecutoribus interim circa alia negotia occupatis, beati martyres iſti, corporeis alimentis deſtituti, paulatim & per intervalla dierum, naturali conditioni, famis atrocitate cogente, ceſſerunt, & ad ſiderea regna cum palma martyrii migraverunt, præſtante Domino noſtro Jeſu qui cum Patre regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

S. AUGUSTINUS IN LIBRO DE GESTIS CUM EMERITO. *Præſentibus vobis fratrem & coepiſcopum meum Deuterium Cæſariæ obſtringo, ut quemadmodum fit apud Carthaginem, apud Tegaſtem, apud Conſtantinam, apud Hypponem, apud omnes diligentes Eccleſias, ſic etiam deinceps facere non pigreſcat, ut annis omnibus, per jejuniorum dies, id eſt, quadrageſimam ante Paſcha, quandò vobis maximè jejunantibus plus vacat audire, eadem geſta Collationis per annos ſingulos univerſa à capite in finem ex ordine recitentur.*

POSSIDIUS IN VITA S. AUGUSTINI.
Et de his omnibus pro pace Eccleſiæ geſtis, Auguſtino Dominus & hìc palmam dedit, & apud ſe juſtitiæ coronam reſervavit. Iam jamque ac magis, juvante Chriſto, de die in diem augebatur & multiplicabatur pacis unitas, & Eccleſiæ Dei fraternitas, Et id maximè factum eſt per Collationem, quæ ab univerſis Epiſcopis Catholicis apud Carthaginem cum eiſdem Donatiſtarum Epiſcopis poſtmodum facta eſt, id jubente glorioſiſſimo & religioſiſſimo Imperatore Honorio: Propter quod perficiendum, etiam à ſuo latere Tribunum & Notarium Marcellinum ad Africam judicem miſerat. In qua controverſia illi omnimodis confu-
A *tati, atque de errore à Catholicis convicti, ſententiâ cognitoris notati ſunt, & poſt eorum appellationem, piiſſimi Regis reſponſo injuſti, inter hæreticos condemnati ſunt. Ex qua ratione ſoliti amplius eorum Epiſcopi cum ſuis clericis & plebibus communicaverunt, & qui pacem tenuerunt Catholicam, multas eorum perſecutiones uſque ad membrorum amputationem & internecionem pertulerunt. Verùm totum illud bonum, ut dixi, per ſanctum illum hominem conſulentibus noſtris Epiſcopis & pariter ſatagentibus, & cœptum & perfe-*
B *ctum eſt.*

OROSIUS LIB. VI.

In his diebus præcipiente Honorio, & adjuvante Conſtantio Comite, pax & veritas per univerſam Africam Eccleſiæ Catholicæ reddita eſt: & corpus Chriſti, quod nos ſumus, redintegrata diſceſſione ſanatum eſt, impoſita executione ſancti præcepti Marcellino, Tribuno viro imprimis prudenti & induſtrio, omniumque ſtudiorum bonorum appe-
C *tentiſſimo: quem Marinus apud Carthaginem, incertum zelo ſtimulatus an auro corruptus, occidit: qui continuo revocatus ab Africa, factuſque pœnitens, vel ad pœnitentiam conſcientiæ ſuæ dimiſſus eſt.*

HISTORIA
CARTHAGINENSIS
COLLATIONIS

SIVE

DISPVTATIONIS DE ECCLLESIA
olim habitæ inter Catholicos &
Donatiſtas.

AVTORE FRANC. BALDVINO. I. C.

R. D. IOANNI TILIO,

EPISCOPO MELDENSI,

Franc. Balduinus

S. D.

CVM hiſce diebus Optatum noſtrum, quem ope tui codicis iterum emandatum rurſus edere inſtituo, fortè relegerem, diu multumque cogitavi, quid ſibi vellet quod ait, Rempublicam non eſſe in Eccleſia, ſed Eccleſiam eſſe in Republica. Vt autem graviſſimæ hujus ſententiæ rationem & cauſam videor mihi tandem aſſecutus, ſic reſpiciens temporum noſtrorum conditionem, vel potius confuſionem, judicavi rectè dici quoque poſſe, Rempublicam magis eſſe in Eccleſia, quàm ſit Eccleſia in Republica. Eſt enim Reipublicæ tanquam corporis, ipſa Eccleſia veluti anima: ut ſi hæc ſapiat, illi bene eſſe: ſi inſaniat, malè eſſe ſtatuamus. Et verò ſine Eccleſia bene conſtituta, neque ullus Reip. ſtatus ſtabilis eſſe poteſt, neque ut quiſquam eſſe poſſit, valde optandum eſt, ſi modò quis eſſe debeat finis rerum humanarum, meminerimus. Fuiſſe autem ſemper maiores Eccleſiæ quàm Reip. bene conſtituendæ difficultates non negamus, neque in iſta corrupti orbis terrarum colluvione miramur tam magnas ſemper fuiſſe, cùm etiamnum acerrimè diſceptetur, quid & ubi Eccleſia ſit, & quænam aut ea ſit, aut eius forma eſſe debeat. Hæc verò quæſtio tantò maior eſt, quò maioris ponderis & momenti rem eſſe conſtat: & Eccleſiæ ſalute, Reip. ſalutem contineri, (ut & illius perturbationem huius quoque perturbatio ſequitur) neceſſe eſt, ut agnoſcamus: quò magis & utramque ſalvam eſſe velimus, & utriuſque ſervandæ rationem teneamus, quicunque proſpicimus, qualis alioqui utrique impendeat calamitas. Neque verò, qualis quantaque nunc utriuſque non ſolùm perturbatio, ſed etiam confuſio ſit, quæritur: Scimus enim pluſquam etiam vellemus, eſſe triſtiſſimam & miſerrimam. Verùm quæritur, ecquæ tantorum malorum depulſio, non ſolùm optari, ſed etiam ſperari poſſit. Audio enim attonitos gubernatores, ſi qui ſapiant, id ſolicitè quærere, quos alioqui non ſolùm terret, ſed etiam deſperatione quadam fractos & debilitatos percellit hæc tempeſtas eiuſque intemperies. Sed cùm meminerim non minores olim fuiſſe fluctus, ex quibus tamen emerſerit & Reſpub. & Eccleſia, conſilio & virtute ſuorum deffenſorum liberata: non exiſtimo deeſſe conſilium, ſi ſibi & ſuo muneri non deſint ipſi rectores, quibus mandatum eſt, operam ut dent, ne quid vel hæc vel illa detrimenti capiat. Exemplum enim & veluti formulam atque adeò legem officii, & conſpirantis cum religione ſapientiæ, quæ turbas omnes & olim compoſuerit, & nunc componere poſſit, ipſa veteris Eccleſiæ atque Reipublicæ hiſtoria ſuppeditat. Ergo ſemper iudicavi, imprimis conſulendam eſſe ſapientem & religioſam Antiquitatem: neque præterea tantùm mihi arrogo, ut de re tanta ſententiam dicere meam velim: neque ſi tantùm mihi ſumam, ſim ferendus. Illud modò dicam: ſi quales olim Marcellinos Auguſtinoſque habuit Africa, nunc haberet Gallia, magnam ſperari poſſe levationem eorum malorum, quibus nunc Reſpu-

blica premitur. Qnid antem magni illi viri & veluti Heroes fecerint, tumultuantibus in Africa Donatiſtis, & qnam ſecuti ſint rationem eorum revincendorum, nt magis intelligerem, tu ipſe feciſti, qui mihi Collationis Carthaginenſis Acta quædam nondum evulgata communicaſti. Eornm verò lectio me impulit, ut eam hiſtoriam altiùs repeterem, & diligentiùs perſequerer, & familiariùs exponerem, cùm hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, cuius ſtudioſum eſſe me non inficior, non ignobilem partem eſſe ſentirem, & eius memoriam hiſce temporibus valde utilem eſſe poſſe exiſtimarem. Ad qnem autem eam referrem, diutius deliberandum non eſſe exiſtimavi, cùm tu occurreres, qui auctor & adiutor fuiſti, nt aliquam huic commentario operam darem: & idoneus imprimis ſis Index harum rerum & antiqnitatum Eccleſiaſt. neque non ad Auguſt. quandam imitationem te compares: denique venit in mentem, non ſolùm Remp. & Eccl. plurimum tibi debere, ſed & privatim me tibi multis nominibus devinctum eſſe: neque tibi modò, ſed & Archigrammateo fratri tuo, & Dominis à S. Andrea, fratribus, tuis affinibus, viris clariſſimis atque doctiſſimis. Neq; ſanè teſtificandæ meæ erga te & tuos obſervantiæ rationem meliorem eſſe iudicavit, quàm huiuſce conſilii relationem: neque ſi de privato noſtro iure Civili ocioſam & humilem & tritam aliqnam ex ſubtili pulvere vel fori vel auditorii alicuius diſputationem repeterem, exiſtimavi gratiorem tibi fore eius muneris editionem: veritus ſum potius, ne tunc audirem vetus illud,

Non hoc iſta ſibi tempus ſpectacula poſcit.

Vale, Lutetiæ Pariſiorum Calend. April. 1566.

LECTORI.

De Ænea ſpectante Carthaginenſem picturam belli Trojani ſcripſit olim bonus Poëta,

Animum picturâ paſcit inani

Multa gemens.——— Ego verò ut Æneidem illam aliquando relegens, quam mihi puero in ludo prælectam fuiſſe memini, & meorumq; caſuum conditionem comparans variè afficior, multùm ipſe & terris jactatus & alto: ſic in iſta Eccleſiæ propè deploratæ calamitate & communibus Reipublicæ miſeriis, quibus non minus quàm privatis ærumnis commoveor, mœſtum animum utcunque paſco veterum hiſtoriarum recordatione, in quibus multa etiam occurrunt, quæ me gemituſque meos conſolentur. Cùm autem id agens fortè incidiſſem in quædam monumenta Eccleſiæ Carthaginenſis, in quibus, non ut ille in Templo Didonis, pictam belli Trojani hiſtoriam, ſed Eccleſiaſticæ cujuſdam de Eccleſia cum Donatiſtis diſputationis nobiliſſimam deſcriptionem legebam, ſic ejus me lectio recreavit, ut ſimul cogitans de noſtrorum temporum certaminibus ſæpe ingemuerim. Memini, cùm Ratis-bonæ in Germania Carolus v. Imp. comitia, in quibus de Religione quæſitum atque diſputatum eſt, haberet, laudatum fuiſſe vetus exemplum illius Carthaginenſis (ut vocata eſt) Collationis: & aliquot pòſt annis, cùm in Galliam reverſus etiam incidiſſem in Conventum illum Poſiacum, in quo non diſſimilis Collatio rurſus inſtituta eſſe dicebatur, non diſſimulavi extare in Africanæ Eccleſiæ hiſtoria veteri exemplum memorabile, in quod hæc ætas intueri deberet. Sed quid? Neque Marcellini Præſides, neque Auguſtini antiſtites nunc rurſus occurrunt, ut Creſconii Grammatici, & Petiliani cauſidici. Tantò verò magis eſt neceſſe, ut recurratur ad conſilium præſidiumque bonæ Antiquitatis, cujus ea eſt auctoritas, ut audaciſſimos etiam adverſarios ſæpe terreat. Feci itaque perlubenter, ut illius Carthaginenſis (cujus modò memini) Collationis Acta, quæ nondum edita mihi communicavit Jo. Tilius Meldenſis Epiſcopus doctiſs. evolverem, & cum Auguſtini Breviculo conferrem. Nam & in iis aſperſa ſunt multa Juris noſtri veluti emblemata, & actionem diſceptationemque continent de Eccleſia propè civilem: & ut cognitor atque judex eſt Marcellinus, magnum Juriſprudentiæ decus, ſic actores ſunt non imperiti judiciorum forenſium. Imò Petilianus, qui malarum partium patronus eſt in hac cauſa, verſutior fuit cauſidicus, & forenſium cautionum atque cavillationum peritior, quàm cauſa poſtularet. Non enim cùm ad gubernationem Eccleſiæ Donatiſtarum tranſiiſſet, oblivisci potuit veteris ſuæ conſuetudinis & artis. Solebat jactare potentiam quondam ſuam in advocatione forenſi, ut Auguſtinus ait. Sed bene habet, talem rabulam non modò incidiſſe in Marcellinum, ſed incurriſſe in ipſum Auguſtinum, qui importunum latratum canis impuri & impudentis, juſta gravique reſponſione comprimeret: quique etiamnum eodem exemplo compeſcere poſſet alios ejus generis ordiniſque togatos non leguleios, ſed nebulones. Nam & tales etiamnum ardeliones ſimili intemperie incitantur, ut allatrent, quorum linguæ, quia meritoriæ ſunt, meretricias quoque nunc eſſe videmus. Non auſim cum Petiliano conferre bonum illum Theodorum, quem quidam væſanum vocant, alii narrant in Poſiaca (ut ipſe vocavit) velitatione, viſum eſſe valde verſutum, ſi non veteranum, at certè veteratorem. Illud modò dico: cùm in Carthaginenſi veluti arena multa eſſent, quæ Petilianum debilitarent, multa verò in Poſiaca, quæ adjuvarent Theodorum, factum tamen eſſe, ut hic non minus quàm ille in luto hæſerit, cùm ventum eſſet ad quæſtionem de Eccleſia, in qua rurſus occurrebat Auguſtinus, tanquam ſcopulus. Imò cùm Theodorus ille ante primam veluti concionem, confeſſionem ſuæ ſcilicet fidei, tam ſuo, quàm multorum Gallorum, qui tamen eam nunquam legerant, nomine offerret, principio profeſſus eſt, ſe damnare & deteſtari ſectas omnes & hæreſes, quæ olim in Eccleſia damnatæ eſſent abs ſanctis doctoribus, abs Hilarii & Athanaſii temporibus uſque ad Ambroſium & Cyrillum. Riſerunt quidam, in illo conventu, tam ineptam, quæ tamen tam diu & valde elaborata afferebatur, proferri orationem, quæ conjungeret Ambroſium cum Cyrillo, & ſignificaret, magnum quoddam temporis intervallum fuiſſe inter Athanaſium, Hilariumve & Ambroſium, cùm tamen ipſe Theodorus, mirificus Chronologus, nuper ad Polonos ſcribens, ſcripſerit Hilarium fuiſſe σύγχρονον Auguſtini. Sed ta-

Aug. lib. 3. contra Petil. cap. 57.

les ſolœciſmos, quos ſcholaſtica ferula caſtigaret, barbato magiſtro tum facilè condonarunt boni auditores, quàm mirati ſunt, ſic eum loqui & ſcribere, ut non modò non videretur damnare hæreſes, quæ ante tempora Hilarii damnatæ ſunt, ſed etiam ſignificaret approbare ſe omnia veteris Eccleſiæ judicia à temporibus Hilarii uſque ad Cyrillum. Sed qui ſedato animo tam confuſam & inconditam confeſſionem audiebant, judicarunt quandam eſſe trepidationem hominum ad religioſæ Antiquitatis tribunal velut evocatorum: & optarunt, ut cum ad ſe rediiſſent, tam ſibi conſtarent, ut ſimpliciter agnoſcerent, Eccleſiæ jam inde ab Apoſtolicis temporibus perpetuam conſenſionem, ubi ubi occurrit, magnæ eſſe auctoritatis: & verò cum ad eam revocatus eſſet bonus Theodorus, ſine fraude poterat lis tranſigi, ſi bona ille fide egiſſet. Nam & ut minus dubitaret, proferebatur quod ab ejus magiſtro in inſtitutione ſcriptum erat, Auguſtinum meritò objeciſſe Donatiſtis ſucceſſionem Eccleſiæ continuatæ: non enim dubium eſſe, nihil interea, ne quidem Romæ, mutatum in doctrina ipſa fuiſſe. Sed cum proſpiceret cautus Theodorus, quò recideret, ſi id confiteretur: neque tamen tam adhuc audax eſſet, ut id aperte inficiari auderet, eluſit, obſcurè & confusè neſcio quid ſubmurmurans, in quo neque confeſſio neque inficiatio intelligeretur. Sic enim & Petilianus, cum urgeretur ut cùm Eccleſiam jampridem degenerando defeciſſe cauſabatur, notaret tempus & definiret conditionem ejus Apoſtaſiæ, neque quid tunc liquidò diceret, haberet, cauſatus eſt ſeſe jam longa diſputatione raucum factum eſſe, & ea excuſatione ſilentii uſus aufugit. Theodorus magis glorioſus miles eſt, quàm ut fugere dignaretur. Sed cùm triumphantem ſequerentur clientes, nonnulli, qui minus erant væſani, rogabant nihil ne eſſet quod Petilianus reſpondere potuerit Auguſtino objicienti vaticinia Prophetarum de Eccleſia toto orbe diffundenda & propaganda, eaque ad ſuum etiamnum tempus referenti. Theodorus ingenioſior vates naſuto cachinno excepit, *Parturient montes, naſcetur ridiculus mus.* Familiares monuêre, nimis apertum eſſe hoc Lucianicum ludibrium. Ergo bonus Poëta, ut aliquid ſimularet, tanquam nova Sybilla, ſubjecit: ſaltem Donatiſtas, quibus Auguſtinus opponebat Prophetias de futura Eccleſia, potuiſſe illum Auguſtino objicere Virgilianum verſiculum, *Oſtendent terris hanc tantum fata, nec ultra Eſſe ſinent*, Cùm infinitum id rurſus eſſe diceretur & ineptum, ubi quæritur, quando & quomodo Eccleſia aſpectabilis eſſe deſierit: ſenſit acutus Theodorus rurſus ſe premi. Ubi autem diu ſe torſiſſet, putavit callidè ſe elabi poſſe, cum in poſtrema ſua Præfatione nuper ſcripſit, jampridem defeciſſe Eccleſiæ ſucceſſionem tantopere olim laudatam: nam & jampridem improbos bonis ſucceſſiſe. Dicebam nullam eſſe hanc reſponſionem, & alteram eſſe ineptiam, ubi perinde loquitur, ac ſi de perſonarum, & non potius de rerum ſucceſſione quæreretur, cum tamen in Poſiaca diſputatione profeſſus eſſet, nihil ſe morari ſucceſſionem perſonarum, ſed doctrinæ & rerum ſucceſſionem quærere. Verùm quale rurſus ludibrium eſt, quòd toties rogatus de tempore defectionis, nihil aliud ingeminat quàm ſuum illud *Iampridem*? Imò verò cum diutius reprimere non poſſet indignationem erumpentem, audio eum in eadem illa ſua præfatione militari, quam, ut me terreret, Evangelio præfixit, iratum exclamare, cùm multa alia indigna, ut Eccleſiam illam, quam cum Auguſtino defendimus, jugularet, tum verò iſta, veteribus Epiſcopis nunquam in mentem veniſſe, neque Judaïzandum, neque (ut loquitur) Gentiliſſandum eſſe: & Chriſtianam propterea religionem citò & turpiter degeneraſſe in ceremonias vanas, in ludicras liturgias, in manifeſtam ſuperſtitionem, & denique in ἀθεΐαν. Equidem obſtupui, talia ſcribere τὸν Theodorum, & quod de ſua factione dicere potuit, contorquere adverſus veterem Eccleſiam: ut quam jampridem defeciſſe dixit, diceret non minus citò, quàm turpiter degeneraſſe. Sed quid nunc non audet impietas Lucianica? Petilianus cum ſuis Donatiſtis clamitabat Eccleſiam, quam Auguſtinus prædicabat, eſſe Apoſtaticam: & ab iis Catholicos non pro Chriſtianis, ſed pro paganis, habitos eſſe, teſtes ſunt Optatus & Auguſtinus: Atqui Petilianus antiſtitum modò mores accuſabat, non etiam Eccleſiæ illius doctrinam & ritus. Theodorus indignè ferens hunc accuſatorem ſive ineptum ſive nimis pudentem: vel etiam prævaricatorem eſſe ſuſpicatus, putavit (ut eſt homo ingenuus) nihil eſſe diſſimulandum, & tandem agendum eſſe aſperiùs: neque quia in Poſiaca ſua velitatione moderatior fortè fuiſſet, ſemper eſſe indulgendum. Quidni verò? Sic ipſe Gaudentius, alter Donatiſtarum patronus, qui in Carthaginenſi Collatione contenderat, ſuam factionem eſſe Eccleſiam Catholicam: poſteaquam ſenſit id ſe evincère non poſſe, quod Auguſtinus ſuæ Eccleſiæ aſſerebat, auſus eſt palam dicere, humanum eſſe figmentum, quicquid de Catholica Eccleſia dicitur. En quò evadunt reciduntve homines væſani

Equidem minimè omnium vellem, cùm Eccleſiæ corpus defenditur, defendi

etiam excuſari vel nævos & maculas & labes. Imò verò hæc hominum peccata graviſſimè accuſanda ſunt. Sed vellem, quem ipſi Prophetæ in ſua actione modum ſervarunt, ipſi obſervaremus, cùm illos legimus divinos præcones Eccleſiæ, ſimul & Cenſores & vitiorum acerrimos accuſatores: ſicuti etiam dicemus in expoſitione Collationis Carthaginenſis. Interea fateor, neque poſſe quenquam negare ſcio, qualis quantuſque miſeræ ſituque obſitæ Eccleſiæ nunc ſqualor ſit, qualis deformitas contaminatæ, quanta pessumeuntis inclinatio: qualis denique quantaque deſperatio veluti depoſitæ. Ergo fateor eò rem recidiſſe, nihil ut nobis ſuperſit, quàm ut illam Hieremiæ triſtiſſimam everſæ deſertæque Hieroſolymæ vaſtitatem lugentis ingeminemus querimoniam, *Expandit Sion manus ſuas: ſed nullus eſt, qui conſoletur eam.* Verùm in mediis ejus ruinis nondum oblivisci potuimus quod Pſalmus ait, ſervos Domini etiam diligere rudera & pulverem Sionis, cujus eos miſeret. Tantùm verò abeſt, ut iis blandiamur, quos tam domi quàm foris illi inſultare videmus, ut etiam ſæpe in mentem veniat quod alter Propheta Ezechiel paulò ante illam calamitatem ſcripſit ſeſe à Deo juſſum eſſe, perfoſſo potius pariete & veluti aperta feneſtra ſpectare quid in Templo agerent homines impii atque nefarii, ut eorum abominationes execretur. Sed una ſimul me res conſolatur. Eodem enim loco Deus cùm horribilem vindictam ſeſe ſumpturum eſſe denunciat, ſimul ſignificat ſeſe interea eorum miſereri velle, qui cum Propheta lugebant, averſi ab illa prophana vel ſacrilega colluvione. Jubet ergo, ut ultor angelus frontem eorum, qui gemunt, inſigniat, quò magis dignoſcantur atque diſcernantur ii, quibus parcendum erit, cùm terribilem aliorum ſtragem edet.

Redeo ad actionem Donatiſtarum. Nam & multa mihi nunc in mentem veniunt, cùm apud Optatum lego, eos abs Conſtantino aliquando petiiſſe judices in Gallia: quibus neſcio cur magis confiderent: cumque ex Auguſtino intelligo eam Arelatenſis in Gallia Synodi, cujus judicio mandavit Conſtantinus alteram ejus cauſæ & provocantium Donatiſtarum cognitionem, fuiſſe & fidem & integritatem, ut ii ſtatim ſenſerint fruſtra & ſtultè ſeſe ibi ſperaſſe aliquid ſive favoris ſive patrocinii. Nam iterum damnati ſententiam retulerunt qualem merebatur eorum protervia: neque tunc in Gallia minus quàm centum pòſt annis in Carthaginenſi foro offenderunt. Quid verò cùm talia legimus, nunc cogitare poſſimus, aliis cogitandum relinquo. Nam & quid nunc agatur, & quò res reciderint, nimis notum eſt: & talibus malis (inquit Auguſtinus) magis debentur prolixi gemitus, quàm prolixi libri. Sed cùm olim legimus Donatiſtas vi & audacia armatos, fuiſſe etiam eruditos mentiendi artifices, miramur eam eorum fuiſſe impudentiam, ut non modò ſemper jactarint ſeſe viciſſe, ubi victi erant: ſed etiam in Collatione Carthaginenſi, Optati librum, qui narrabat eorum damnationem, protulerint tanquam teſtem ſuæ victoriæ & abſolutionis, cùm eum ſic mutilaſſent atque corrupiſſent, ut omnia invertiſſe viderentur. Quid verò dicemus, majorē etiamnum eſſe impudentiam multorum fabulatorum væſanæ factionis, qui quidvis in rem ſuam, & aliorum fraudem fingunt, cùm mendacia & fictiones ſuas venditant pro hiſtoriis & veris narrationibus? Certè fieri non poteſt, quin qui proſpiciunt, quantum hæc impoſtura & erroris & caliginis offundet miſeræ poſteritati, doleant hoc agi, ut (utar verbis legis) veritas rerum, erroribus Geſtorum vicietur. Olim Auguſtinus dicebat mirari ſe, Donatiſtas habere in corpore ſanguinem, qui nunquam erubeſcerent toties in manifeſto mendacio deprehenſi. Quid dixiſſet de pallida impudentia hominum & falſariorum & ſanguinariorum? Cùm Creſconium Donatiſtam Grammaticum refelleret, dubitabat, num exclamare poſſet illud, frontem periiſſe de rebus. Sed qui de Pelagianis agens ſcripſerat, hæreticorum frontem non eſſe frontem, an dubitaret, ſi videret verecundiam væſanæ hæreſeos? An non etiam illud Ezechielis ingeminaret, *Frons meretricis facta eſt tibi: noluiſti erubeſcere?* Quid porrò, quid ſi videret patulas aures imperitæ multitudinis impoſtores audientis? Dixit olim, ſectatores ipſius Petiliani, qui mentienti magiſtro applaudebant, non habere aures in corde, ſed cor in auribus? Quid verò, quid cordisupereſſe iis putaret, qui non niſi putidis & contumelioſis fabulis paſcuntur? Ecce, nondum ſatiati famoſis libellis famoſiſſimæ ſuæ Bezæ, etiam Acta Colloquii Poſiaci contaminarunt, ut in iis multa fingerent, quæ res ipſa clamat eſſe falſiſſima, meque etiam, qui vix interfui, immiſcerent, & (quod eſt ridiculum) narrarent in eo propè fuiſſe meas partes, quales alicujus ſcilicet *morti* eſſe poſſent, ne dicam quales ipſius Marcellini fuerunt in Carthaginenſi. Quid? Æneas ſpectans picturam cujus antè memini, *Se quoque principibus permixtum agnovit Achivis.* Sed quibus oculis legerem, me principibus & gubernatoribus diſputationis Poſiacæ propè præfuiſſe? Credo equidem faceros nugatores, ut rideant & ludant, talia fingere. Sed nimis otioſi ſunt, quibus vacat tam valde ineptire & nugari in re ſeria. Imò quia audierant, Donatiſtas

Auguſtin. Epiſt.

olim cavillatos eſſe, Marcellinum precio corruptum in Collatione fuiſſe, etiam finxerunt neſcio qua liberalitate & munificentia Navarrica cumulatum me fuiſſe. Hîc verò cur non ſeriò dolerem eos ludere & mentiri?

Credo equidem, ſi optimus princeps diutius vixiſſet, ſpem non fefelliſſet, quam dederat, fore ut majores melioreſque meos labores remuneraretur. Nunc cur eo mortuo, nobis inſultent adverſarii, non nihil fortaſſe cauſæ eſt, præſertim cùm jam tandem perfecerint, quod jampridem multis inſidiis tentarunt, ut quam ſpem meæ familiolæ eſſe putabam, ſummam calamitatem eſſe experirer, cumulatam nova hiſce diebus & propè incredibili injuria, direptiſque etiam meorum ſtudiorum ſubſidiis. Sed de tali remuneratione gratiave viperina aliàs querar. illud modò dico, tali beneficio hanc commentationem, cui, cùm id factum eſt, operam dabam, abruptam fuiſſe non minus quàm alteram, cujus alioqui acceſſione hanc inſtituebam augere, cùm quidem eodem etiam tempore fortè rogatus, ut quæ in Conſtitutionum Codice primæ occurrunt leges de religione & Eccleſia, eas leges publicè interpretarer, pluribus diebus in juris auditorio Pariſienſi id egiſſem, præſertim cùm is eſſet auditorum concurſus & frequentia (nam aliquot millia doctiſſimorum hominum convenêre) eaque attentio & aſſiduitas, ut meipſum excitarit, ut ſapientiſſimi & fortiſſimi, & (quod imprimis dicendum erat) religioſiſſimi Principis, hoc eſt, Theodoſii conſilia Conſtantinopolitano quoque Concilio confirmata, optimaſque conſtitutiones de Eccleſia concilianda atque in integrum reſtituenda pluribus verbis exponerem. Ergo nunc optabam, ſi per Davos, qui interturbant omnia, licuiſſet, illud exemplum Theodoſii patris & conſilium, quod Orientis Eccleſiam ſervavit, conferre cum ea ratione, quam Honorius filius triginta pòſt annis ad Africanam Eccleſiam liberandam inivit. Eſt enim utrumque imprimis memorabile exemplum, quod nunc quoque in ſimili Reip. attonitæ periculo ſequantur, qui Remp. cum Eccleſia ſalvam eſſe volunt. Scio talia nunc irrideri, atque etiam eſſe odioſa. Sed non quia multi nunc etiam virtutem irrident tanquam fabulam aut inane nomen, propterea virtutis omnem & effigiem proculcabimus & memoriam abjiciemus. Imò verò quia homines nequam virtutem nunquam ne pictam quidem viderunt, invitis etiam obtrudenda eſt, & tantò ea magis ingerenda, quam Antiquitas olim coluit, *Virtutem ut videant, intabeſcantque relictâ*. Saltem mihi venia detur, ſi legibus & exemplis bonis ex Eccleſiaſtica quoque hiſtoria repetitis, & ſanctioris Juris prudentiæ monumentis delectari me non diſſimulo, præ quibus propè jam mihi ſordent alia ſubtiliora ſcilicet myſteria, quæ Juris Civilis eſſe dicuntur, & eo titulo ambitioſè jactantur. Per me ſanè licet, ut juris periti, qui volent, ſe abjiciant vel ad captandas in ſcholis gloriolas inanium λεπτολογιῶν, vel ad opes in foro colligendas, vel etiam ad magiſtratus ſi non miſerè ambiendos, at certè damnoſè emendos: liceat modò mihi, bona eorum gratia, iis in ſolidum relinquere atque concedere, quod tanti faciunt, ut, quod negligunt, potius amplectar.

HISTORIA CARTHAGINENSIS COLLATIONIS

ſive

DISPUTATIONIS DE ECCLESIA,

OLIM HABITÆ INTER CATHOLICOS & Donatiſtas.

Autore Fr. Balduino J. C.

Dicturos de nobiliſſima Catholicorum cum Donatiſtis Collatione Carthaginenſi, pauló altiùs rem repetam ex veteri memoria Eccleſiæ Africanæ. Nam & in Carthaginenſibus Conciliis indicandis variè abs doctiſſimis etiam viris peccatur, hanc Eccleſiaſticæ hiſtoriæ partem paulo negligentiùs exponentibus.

Balſamon Græcus interpres Nomocanonis, annotat, primum poſt Apoſtolorum tempora Concilium fuiſſe illud Carthaginenſe, cui Cyprianus præfuit, cùm quæreretur de Baptiſmo hæreticorum. Sed id non minùs ineptè dicitur, quàm quod conſarcinatores Latinæ farraginis Conciliorum, & Magdeburgenſes exſcriptores Centoniarum hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, aiunt primum Concilium Carthaginenſe fuiſſe illam Donatiſtarum Synodum, in qua Cæcilianus Carthaginenſis abſens damnatus eſt. Si quæratur primum poſt Apoſtolorum tempora Concilium, dicerem potiùs fuiſſe illam Cæſarienſem in Palæſtina Synodum, quæ de Paſchatis die diſputavit tempore Commodi Imp. ſicuti & pauló póſt Romæ, & in Gallia, & in Achaia, & in Arabia Synodos propterea conveniſſe teſtis eſt Euſebius lib. 5. cap. 23. & lib. 6. cap. 36. & 37. Deinde ante Cyprianum alia fuit Synodus Carthaginenſis de Baptiſmo hæreticorum. Cyprianus ad Jubaïanum, *Multi* (inquit) *jam anni ſunt & longa ætas, ex quo ſub Agrippino bonæ memoriæ viro, convenientes in unum Epiſcopi plurimi hoc ſtatuerunt*, &c. Auguſtinus tamen lib. 4. de Baptiſ. c. 6. non multis, ſed paucis annis ante Cyprianum hoc accidiſſe ait: ut intelligamus non adeó multis antè annis id factum eſſe. Sed neque unum ea de re Cypriani tempore Concilium Carthaginenſe fuit: imò veró tria fuiſſe, indicat Cyprianus ad Jubaïanum. Quod autem ex iis celeberrimum eſt, quo & Donatiſtæ potiſſimùm abutebantur, olim etiam quidam dixerunt falſum & fictum eſſe: neque ab eorum opinione omnino alienum ſeſe eſſe Auguſtinus aliquando ſignificavit lib. 1. contra Creſcon. cap. 32. Sed tamen in epiſt. 48. ingenuè agnoſcit, & ex ipſo ſtylo liquere fatetur, confictum non eſſe. Cæterùm ſi in Cypriani temporibus prædicanda

A eſt aliqua Synodus Africana ſive Carthaginenſis, illa potius laudanda eſſet, quam Cyprianus lib. 4. epiſt. 8. narrat conveniſſe adverſos eos, qui Circumciſionis exemplo abutentes, nolebant infantes baptizari ante octavum diem. Sed & illi Africani Epiſcopi, qui cum Cypriano conjunctè ſcripſere ad Cornelium Papam Rom. de pace lapſis pœnitentibus danda, laudabilis Synodi Carthaginenſis adverſus Novatum eo tempore ſpeciem edidere, ſicuti & eodem tempore quandam Romanam Synodum, cui Afri quoque interfuerint, idem definiſſe, teſtis eſt Euſebius libro ſexto capite 43. Operæpretium autem eſt,] Priuſquam ad Donatiſtas deſcendamus, ali-

B quid etiam dicere de Novatianis. Nam & his illi veluti ſucceſſere, & inter eos ſimilia multa fuerunt, & multi etiam olim doctiſſimi homines hic multa confuderunt, quæ diſcernenda ſunt. Adeò Africanæ hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, quæ meliori memoria digniſſima eſt, perturbatio magna eſt. Sic Epiphanius & Theodoretus aiunt Donatiſtas fuiſſe Novatianæ hæreſeos: imò quod de Donatiſtis propriè dicendum erat imperitè ad Novatianos refert Epiphanius, cùm hos ait Romæ appellatos eſſe Montenſes. Certè licet in anabaptiſmo convenirent, tamen in ceremoniis Ba-

C ptiſmi non conveniebant. Utebantur etiam chriſmate Donatiſtæ, non utebantur Novatiani: neque pœnitentiæ adverſarii erant Donatiſtæ, ut Novatiani, neque ſecundas, ut hi, nuptias damnabant. Saltem ipſe Creſconius Donatiſta cùm negaret ſeſe hæreticum eſſe, & hæreticos enumeraret, cum quibus nihil haberet commune, Novatianos etiam commemorat: neque Auguſtinus, cùm ei reſpondit, aliquam Novatianæ hæreſeos notam ei inurit, lib. 2. contra Creſco-

D nium cap. 3. Habuit tamen Novatianum ſchiſma ſimilia multa cum ſchiſmate Donatiſtarum: ſed Novatiani non ita crudeliter graſſati ſunt, & in Italia atque Oriente regnarunt potius quàm in Africa.

Ut autem quidam olim temerè confundebant Donatum Numidam cum Donato Carthaginenſi, ſic etiam multi Novatum cum Novatiano. Certè Theodoretus de Fab. hæretic. ſcribit de Novato, quæ de Novatiano potius ſcribenda erant, & Epiphanius ait Novatum fuiſſe Romæ tempore perſecutionis, cùm id potius dicendum videatur de Novatiano. Denique & Zonoras No-

vatum hæreſiarcham dicit fuiſſe Romanæ Eccleſię presbyterum, eodem errore. Sed qui Cyprianum, vel etiam Hieronymum in Catal. vel Paciani epiſtolas nuper editas legerunt, facilè animadvertunt quid Novato, quid Novatiano propriè aſcribendum ſit: & tantò propterea magis miror auctores Centuriatum hiſtoriæ Eccleſiaſticę ſcripſiſſe Novatianum a Novato creatum fuiſſe Diaconum Carthaginenſem invito Cypriano. Feliciſſimum potius dicere debuerant. Sanè Novatus Cypriani Epiſcopi Carthaginenſis presbyter fuit: qui cùm in Italiam veniſſet, Novatianum Romanum presbyterum veluti antipapam Romæ creari curavit, cùm electionem Cornelii, quam impedire non potuerat, legitimam non eſſe cavillaretur: ſicuti Donatus Numida, cùm Cæciliani Epiſcopi Carthaginenſis ordinationem accuſaret, Majorinum, cui Donatus alter ſucceſſit ordinari curavit, ut teſtis eſt Auguſt. in lib. de hæreſ. qui etiam propterea adjicit eum in urbe Carthaginenſi primum erexiſſe altare contra altare: ſicuti Cyprianus ſimili formula uſus, antea dixerat Novatianos idem feciſſe, ſed Romę. Atque hoc illud eſt ſchiſmatis ſummum malum, quod ut in Donatiſtis, ſic & antea in Novatianis accuſatum eſt, magis quàm hæreſeos crimen. Certè Dionyſius Alexandrinus ſcribens ad Novatianum, eumque ſui officii admonens, ait, eum quidvis facere debuiſſe, potius quàm Eccleſiam ſchiſmate ſcindere: neque tam idololatriam, quàm ſchiſma fugere debuiſſe. quia cùm hanc fugit, ſibi tantùm cavet: cùm verò illud, univerſæ Eccleſiæ conſulit. Teſtis eſt Hieronymus in Catal. Et verò Novatiani, ſi ſchiſmatis rei non fuiſſent, ſuæ de lapſis deque hæreticorum Baptiſmo opinionis novum & inſolens exemplum non eſſe dicere fortaſſe potuiſſent. Quid enim? Ipſe Cyprianus in epiſtola ad Antonianum ſcribit, apud ſuos (ut ait) anteceſſores in ſua provincia quoſdam Epiſcopos non putaviſſe dandam pacem mœchis, & in totum clauſiſſe contra adulteria locum pœnitentiæ. Quid verò ut eos utcumque excuſet, adjicit? *Sed tamen* (inquit) *à coëpiſcoporum ſuorum collegio non receſſerunt, neque catholicæ Eccleſiæ unitatem vel duritiæ vel cenſuræ ſuæ obſtinatione ruperunt.* Atque id quidem etiam Auguſtinus Cypriano ſubſcribens diligenter obſervavit epiſt. 48. Omitto quod ipſe Tertullianus jam olim videatur in lib. de pudicit. acerrimè defendiſſe, quod hic Cyprianus ait quoſdam ante ſe Epiſcopos putaviſſe. Sed Tertullianus Eccleſię unitatem rupit, vel duritię, vel cenſuræ ſuæ obſtinatione.

Porro quod Novatiani Baptizatos in Eccleſia, quam ut pollutam accuſabant, & à qua tanquam prophana deſciverant, non habebant pro baptiſatis, proptereaque rebaptizabant: faciebant quod hæreticos antea ſolos non eſſe, indicat Cyprian. in epiſt. ad Iub. & ad Pomp. & Aug. l. 5. de Bapt. cap. 10. Sed tamen principio quodam nitebantur, quod plerique in Africa Catholici ſequebantur, & Africanis (ut dixi) quibuſdam Conciliis confirmatum eſſe videbatur. Ergo ut Novatus baptiſmum abs Cypriano adminiſtratum non habebat ratum: ſic neque Cyprianus eum, cujus miniſter fuiſſet Novatus aut Novatianus. Cæterum hoc interfuit, quod Cyprianus ab iis, qui Baptiſmum non eſſe iterandum credebant, ſic diſſenſit, ut tamen propterea non refugerit eorum communionem, neque unitatis vinculum ruperit, neque alicujus ſchiſmatis auctor fuerit. Ergo Auguſtinus Cypriani quidem errorem de baptiſmo reprehendit, ſed laudat illam unitatis charitatem, qua peccatum cooperiri ait, & rebaptiſantes tempore Cypriani, nec tamen ab unitatis (ut loquitur) compagine recedentes profitetur eadem dilectione pacis ad veniam pertinere, qua Cyprianus ipſe tolerabat admiſſos in Eccleſiam ſine alio quàm hæreticorum baptiſmo: ut quemadmodum propter unitatis cuſtodiam (ſic enim loquitur) Cyprianus ignoſcebat iis, quos alioqui in baptiſmo non iterando errare putabat: ſic Cypriano revera erranti in baptiſmo iterando, ignoſceretur propter eandem unitatis, in qua nihilominus manſit, charitatem. Novatianis verò ſchiſmaticis, qui hoc errore imburi ab Eccleſia defecerant, non ignoſceretur, & multò minus Donatiſtis. Nam & horum quàm illorum opinio, quamvis ſimilis eſſet, minus excuſationis habebat: quia Donatiſtæ non ignorabant, in concilio œcumenico errorem illius Africani concilii, quod Novatiani obtendere potuiſſent, fuiſſe damnatum. Inter tempora Novati & Donati Sabellius Afer & veluti medius majus aliquid audet. & Eccleſię caput ipſum, hoc eſt Chriſtum ipſum petit, quem non niſi hominem eſſe clamitabat: atque ut Trinitatis myſterium tolleret, non modò unicam divinitatis οὐσίαν, ſed etiam hypoſtaſin unicam eſſe contendit: & hęc, *Pater*, *Filius*, *Spiritus ſanctus*, non perſonas, ſed voces & verba eſſe docuit. Denique repetiit quod eodem tempore Paulus Samoſatenus antiſtes Antiochenus inculcabat. Capitalis fuit hæc hęreſis, ſed Africanam Eccleſiam minus perturbavit quàm factio Donati: & quia Paulus Samoſatenus in Antiochena ſynodo ſtatim damnatus fuit, Afri Catholici non putarunt eſſe neceſſe, ut ad Sabellium damnandum cogerent novum concilium: & verò Sabellianiſmus latè in Africa graſſatus eſſe non videtur. Saltem Sabellii non minus quàm Praxeæ aut Marcionis, non ſolùm vitia, ſed & nomina Africanis provinciis propè ignota ſuo tempore fuiſſe Optatus lib. 1. ſcribit. Prætereo quod Calvinus in ſua Inſtitut. ſcribit Sabellium poſt Arium fuiſſe. Conſtat enim Sabellium mortuum eſſe priuſquam natus eſſet Arius. Sed novum non eſt doctiſſimos etiam viros in Africanæ Eccleſiæ hiſtoria inſcitè peregrinari.

Sabellium Pentapolis emiſerat: & ecce paulo poſt in vicina Ægypto Arius, ex Numidia verò (altero Africæ extremo) Donatus majores dant turbas, ille in Alexandrina, hic in Carthag. Eccleſia. Et quidem ut Optat. l. 3. de Donato agens ait, in Africa de ſcintilla conflatum eſſe incendium: ſic & Euſeb. l. 2. de vita Conſtant. quemadmodum ex modica ſcintilla ingens ignis accenditur, Arianum incendium pervaſiſſe ipſam quoque Libyam. Sed de Donatiana tragœdia nunc tantùm quærimus, quę & prior fuit, & minus ſubtilis. Originem & veluti protaſim diligenter exponit Optat. l. 1. ex quo etiam Auguſt. hanc hiſtoriam repetere nos jubet l. 1. contra Parm. c. 3. ut & quædam in Optati libris deſiderantur, quæ ex Auguſtino repetenda ſunt.

Ac quidem imprimis obſervo, quod Auguſtinus ſcribit lib. 7. de bapt. cap. 7. poſt Cypriani paſſionem annis quadraginta factam eſſe illam Codicum in Africa traditionem, cujus quæſtio Donatiani ſchiſmatis prima veluti ſi non cauſa, at certè occaſio fuiſſe dicitur. Idem Auguſt. lib. 3. contra Creſcon. cap. 27. indicat Imp. Diocletianum VIII. & Maximianum VII. Conſules fuiſſe, cùm edixerunt, ut Chriſtianorum libri flammis abolerentur. Deſcribit Euſebius lib. 8. tragœdiam poſtremæ illius perſecutionis. Sed de Africa tantùm ait innumerabilem in ea fuiſſe martyrum multitudinem. Theonas Maximiani

in orbe Carthaginenſi illo tempore extructas fuiſſe ait, ut & Diocletiano Romæ aliç extruebantur, quibus attollendis ſerviebant multa millia Chriſtianorum, veluti ad metalla damnatorum. Sed nunc quæritur de Chriſtianis in Africa lapſis, & Codicum ſacroſanctorum traditionis reis, deque Eccleſiæ Carthaginenſis ſtatu & conditione. Ac quidem Optatus narrat quoddam tunc fuiſſe Concilium Cirtenſe, quod reos illos utcunque abſolvit. cùm etiam iidem eſſent propè judices, qui & rei. Factum id eſt in Numidia, cujus erat Cirta urbs nobiliſſima & potentiſſima, quondam (ut ait Mela) domus Regum Jubæ & Syphacis. & poſtea Colonia Romanorum, quam Plinius ait vocatam eſſe Sittianorum: olim etiam caput Regni Maſæſulorum, ut ſcribit Livius lib. 30. Porro illius de quo nunc loquor Concilii Cirtenſis annum eundum fuiſſe indicat Auguſtinus, cùm eoſdem, quos dixi, Conſoles nominat. Præerat Secundus Tigiſitanus Numidiæ Primas. Iidem vero qui Cirtę convenerant, poſtea cum aliquot aliis ejuſdem generis in urbe Carthaginenſi conveniunt: & quàm in Cirtenſi conventu fuerant molles & indulgentes, tam in hoc Carthaginenſi ſeveri videri voluerunt: Cæcilianumque Carthaginenſem Epiſcopum, quem vel Traditionis reum faciebant, vel à Traditore ordinatum eſſe clamitabant, inauditum & abſentem damnant, atque abdicare jubent: creant verò quendam Majorinum, quem illi opponant. Auguſtinus in Brevic. hoc Concilium Carthaginenſe contra Cæcilianum fuiſſe Epiſcoporum ſeptuaginta narrat. ſed injuſtum & iniquum: cujus etiam contra Cęcilianum ſententia poſtea reſciſſa fuit. Itaque dixi indignum fuiſſe, quod Magdeburgenſes in ſuis Centuriis referrent inter Concilia Eccleſiaſtica, & fingerent primum fuiſſe Carthaginenſe. Hoc autem illud fuit, quod (ut narrat Auguſtinus in Brevic.) poſtea Donatiſtæ in Collatione Carthaginenſi, de qua dicturi ſumus, potiſſimum laudabant. ſed ſine die & Conſule, ut primum eſſe videretur, in quo de Traditione judicaſſent: quia opponebatur Cirtenſe, in quo fuerant indulgentiores. Sed quod ſive prius, ſive poſterius ſibi jus dixerant, idem profectò jus aliis in eadem cauſa dicere debebant: neque erant ferendi: qui quod in aliis crimen ne convictum quidem, tam acerbè vindicabant, in ſeipſis etiam confeſſis impunè eſſe volebant. Cęterũ Carthaginenſe illud fuiſſe Cirtenſi poſterius indicat Optatus lib. 1. cum ait. Non poſt longum tempus Carthaginem veniſſe, qui Cirtæ antea convenerant, & ſimili phraſi utitur Auguſtinus contra Donat. poſt Collat. cap. 33. Cæterum eodem tempore oportet aliud fuiſſe multo majus Carthaginenſe Concilium Donatiſtarum Epiſcoporum, cùm Auguſtinus Epiſt. 48. teſtetur ducentos & ſeptuaginta (adeo ſtatim crevit Donati factio) Carthaginem conveniſſe annis quadraginta ante Macariana tempora. Hæc autem tempora fuiſſe tempora Conſtantis Imperat. colligo ex libro tertio Optati. Si ergo retro numeremus annos quadraginta, intelligimus id factum eſſe antequam Conſtantinus rerum potiretur ſaltem in Italia aut Africa. Cum autem audio jam tum numerari ab Auguſtino Donatiſtas Epiſcopos cclxx. in illo eorum Concilio Carthaginenſi, neque multò plures conveniſſe centum poſt annis ad Collationem contra Catholicos meminerim, ut poſtea dicam, ſuſpicatus ſum mendoſum eſſe numerum in Auguſtino, præſertim cùm vix credibile videatur tam multos tam citò fuiſſe antiſtites Donatiſtarum. Itaque ſuſpicabar poſſe de-

Hiſtoria Collationis Carthag.

A trahi ducentos, ut ſeptuaginta tantùm relinquatur. quot diximus eo tempore conveniſſe contra Cęcilianum: & fortaſſe crediderit aliquis idem fuiſſe Concilium. Sed nihil hic temerè audeo vel affirmare, vel mutare. Illud valde memorabile eſt, quod Auguſtinus adjicit in illo Carthaginenſi tot Donatiſtarum Concilio, poſt longam deliberationem dierum 75. decretum fuiſſe, ut Traditoribus etiam non rebaptiſatis communicaretur. Quod quidem magis convenit cum iis, quæ in Cirtenſi ſua ſynodo decreverant, quàm cum iis, quæ in Carthaginenſi contra Cæcilianum. Porrò quid conſecutum ſit, cùm Cæciliani cauſam ad Conſtantinum Imperat. ſeptem poſt annis Donatiſtæ retuliſſent, & Conſtantinus modò judi-

B ces Epiſcopos Romæ dediſſet: modò deinde alios Arelati, & denique ipſe, cùm eſſet Mediolani, de ea judicaſſet, repetere oportet partim ex Optat. partim ex Aug. Nam in Optato deſiderantur, quæ de judicio Arelat. & Conſtant. ſententia Mediolanenſi, qua Cæcilianus poſtremo abſolutus eſt, ſuggerit Auguſtinus in epiſt. 162. & libr. 3. contra Creſcon. cap. 17. ne quis alioqui ex Optatò temerè colligat, ſic Conſtantinum rejeciſſe appellationem Donatiſtarum de Melchiadis ſententia conquerentium, ut nullos præterea dare judices voluerit: aut ſimpliciter tunc pronuntiarit à re bene judicata temere appellari, ſicuti quidam tradidit. Imò verò ſciamus Conſtantinum dediſſe judices hujus appellationis, non quidem ipſum Arelatenſem Epiſcopum (quod temerè putavit Calvinus, cùm non obſervaſſet eum jam

C Romæ cum Melchiade judicem fuiſſe) ſed alios epiſcopos, qui Arelati convenerant. Porro ſi quis roget de tempore, quo Donatiſtæ non contenti ſuo Carthaginenſi Concilio appellarunt Conſtantinum: in Optati libro primo ſcriptum eſt, Conſtantino iiii. & Licinio iii. Coſſ. Romę de hac cauſa judicatum eſſe ab iis, quos Conſtantinus primum judices dedit. Auguſtinus verò habet, factum id eſſe Conſtantino tertium, & Luciano iterum Conſulibus. Non dubium eſt, *Luciano* mendoſè ſcriptum eſſe pro *Licinio*: ſed in Optato rurſus mendoſè ſcriptum eſſe exiſtimo iiii. pro iii. & iii. pro ii. ſicuti in numeris facilis eſt lapſus librariorum. Ut autem magis probem, quod dixi, facit quod Auguſt. in lib. con-

D tra Donatiſtas poſt Collat. cap. 33. ait ſequenti anno Conſules fuiſſe Voluſianum & Anianum. Vivebat ergo etiamnum Diocletianus, ſed jampridem abdicatus, cum primùm ab Donatiſtis appellatus eſt Conſtantinus. Nam Diocletianus mortuus eſt Voluſiano & Aniano Coſſ. decimo anno poſt ſuum edictum de abolendis Chriſtianorum libris. Ut autem toto illo decennio Donatus ſui ſchiſmatis fundamenta jecit, ſic novem poſt annis hæc cauſa Conſtantinum etiam fatigavit: quem Auguſt. poſtremo narrat, cùm ipſe Conſul eſſet cum Criſpo, literas dediſſe, quibus Donatiſtarum exilium ſolvebat, & eorum fu-

E rorem Deo relinquebat. Adeo Donatiſtarum factio coërceri reprimive non poſſe videbatur.

Porro tribus aut quatuor annis poſt datas illas nimium Donatiſtis indulgentes literas, Conſtantinus adverſus Arium, de quo reprimendo magis ſollicitus erat, coëgit Nicænum Concilium, cui etiam interfuiſſe ipſum Cęcilianũ, Acta indicant: Ac quidẽ cum ex Libya & Thebaide plures eo veniſſent: tamen ex Africa tota hunc ſolum adfuiſſe, affirmavit etiam in quinta Synodo Benignus Epiſcopus Heracleæ Synodi Acta teſtantur. Cæterum Niceni patres cum toti eſſent in Arianis refellendis, neſcio quomodo

Donatiſtas miſſos facere. Neque tamen non aliquid de iis actum eſſe Niceæ ſuſpicor. Cur autem id ſuſpicer, cùm eorum neque Niceni canones, qui circumferuntur, neque acta, quæ vulgò habentur, meminerint, multi fortaſſe mirabuntur. Sed in Auguſt. libris obſervavi, quod vulgo non obſervatur. Ut de Eccleſia, ſic de Baptiſmo magna adverſus Donatiſtas quæſtio fuit. Hi enim Carthaginenſe Concilium Cypriani opponebant, cùm Baptiſmum adverſariorum, quos judicabant alienos eſſe ab Eccleſia, ratum non habebant, & propterea in ſuo cœtu eum iterabant: quod & Arianos feciſſe teſtis eſt Ambroſius de Baſil. traden. Quid Nicænum Concilium? In eo reprobatum fuiſſe quod placuerat Carthaginenſi Concilio Cypriani Auguſtinus ſæpe ſignificat, cùm Carthaginenſi huic Concilio provinciali opponit Concilium (ut vocat) plenarium totius orbis & univerſæ Eccleſię & omnium Gentium: quod quidem poſt Cypriani paſſionem, antequam ipſe Auguſtinus natus eſſet, conveniſſe ſcribit lib. 2. de Baptiſ. cap. 9 ſed de Niceno aliàs plura. Sed cùm in Nicæno Concilio actum ſit de Novatianis, & de Lapſis, & illis faciliùs quàm his pœnitentibus venia data ſit, tacitè de Donatiſtis & eorum dogmate, rurſus actum ſatis eſſe videtur. Nunc Donati hiſtoriam & veluti tragœdiam perſequamur.

Primus ut dixi Donatiſtarum Epiſcopus Carthaginenſis, qui Cæciliano ſeſe oppoſuit, & altare contra altare erexit, fuit Majorinus. Huic ſucceſſit Donatus alter, qui hoc ſchiſma valde confirmavit. Nam & multa eum ſcripſiſſe ad ſuam hęreſim pertinentia, teſtatur Hieronymus in Catal. Sed & eodem tempore Vitellium Afrum hujus factionis acerrimum defenſorem fuiſſe, Gennadius in ſuo catalogo illuſtrium ſcriptorum teſtis eſt. Interea verò Catholicum aliquem ſcriptorem Donatiſtas refutaſſe non legi. Credo noſtros (ut dixi) in Arianis refellendis totos fuiſſe. Ergo in Africa magis atque magis invaleſcebant Donatiſtæ: & verò Donatus ille Carthaginenſis eò evaſit, ut non modo tanquam aliquis Hannibal Imperatores Romanos ſuperbè contemneret, ſed & tanquam deus aliquis à ſuis coleretur, & per ejus nomen, tanquam numen, juraretur: denique illi Deus de cœlo reſpondiſſe crederetur. Teſtes ſunt Auguſt. & Optatus. Sanè tamen Hieronymus, in ſuo Chronico, hunc Donatum Carthagine tandem pulſum eſſe ſignificat: licet mendoſos videatur index temporis, ubi annis triginta floruiſſe ſignificat: tyrannum fuiſſe Optatus notat. Itaque tali duce incitati Donatiſtæ nil non audebant. Ac quidem Ariani alicujus ſui Imp. Conſtantii aut Valentis præſidio armati, audebant in Catholicos ſęvire: Donatiſtæ verò non modò non adjuvantibus, ſed etiam reclamantibus Principibus ſtatim imitati ſunt Arianorum ſævitiam; cùm tamen non niſi ſuorum Circumcellionum audaciâ & furore ſepti eſſent. Ipſe Imperator Conſtans ad eos coërcendos in Africam aliquando miſit Macarium ſuum præfectum qui ſeverè animadvertit in Donatiſtas. Sed talis animadverſio non potuit tollere inſaniam, quæ animos multorum occupaverat: & Catholici maluiſſent ſine armis agi, & ratione atque diſputatione diſcuti errorem, qui pręcipites Donatiſtas agebat, ut Optatus ſatis ſignificat. Cęterum Donatiſtarum audaciam tandem armavit Julianus Apoſtata, & iis Baſilicas reſtituit, quas Conſtantinus antea abſtulerat. Teſtis eſt Auguſtinus l. 2. contra Petilianum, cap. 92. qui & ſæpe teſtatur, illum Apoſtatam propterea laudatum eſſe à Donatiſtis. Memorabile autem eſt, quod Honorius Imp. edixit, reſcriptum, quod abs Juliano impetrarunt propoſito programmate publicandum eſſe, ut Donatiſtarum deſperatio fucata perfidia omnibus innoteſcat. lib. 37. C. Th. de hæret. Vellem extaret etiamnum illud reſcriptum. Sed qualecunque fuerit, Apoſtata fovebat quoſcumque audiebat eſſe aut apoſtatas aut Eccleſiæ hoſtes.

Ergo magis atque magis Donatiſtæ inſoleſcere cœperunt. Donato autem Carthaginenſi ſucceſſit Parmenianus, qui ſuam rurſus ſectam novis libellis propagavit atque confirmavit. Tum verò in Numidia excitatus tandem aliquis noſtrorum eſt, qui illi reſponderet. Is fuit Optatus Milevitanus Epiſcopus, qui teſtatur ſe illi reſcribere & reſpondere, ut ſit inter abſentes quædam veluti collatio. Ac multos quidem deſitaſſe, ut ad eruendam veritatem, partium conflictus haberetur. Sed Donatiſtas & acceſſum prohibuiſſe, & aditus intercluſiſſe, & conſeſſum vitaſſe, & colloquium denegaſſe. Itaque non niſi per literas cum iis agi potuiſſe. [Parmeniani tractatum vocat Optatus quem refellit. Scripſit autem præterea hic Parmenianus ad Thychonium epiſtolam, quam Auguſtinus tribus libris refutavit.]

Poſt Parmenianum Carthaginenſis Donatiſtarum Antiſtes fuit Primianus ille, qui abs ſuo Maximiano Diacono, quem damnarat, accuſatus effecit, ut Donatiſtę inter ſeſe veluti committerentur, & novo ſchiſmate ſuum ſchiſma diſtraherent, alteraque pars alteram veluti diſcerperet: ut & Arianos in plures ſectas tandem diſſectos fuiſſe accepimus. Ergo adverſus Primianum in urbe Carthaginenſi quadraginta tres Donatiſtæ Antiſtites convenerunt, qui ſuo eum pręjudicio, ut ait Auguſtinus, prędamnarunt. Deinde alterum fuit Cuburſuſſitanum pluſquam centum ejus generis Epiſcoporum Concilium, qui Primianum magis atque magis damnarunt. Teſtis eſt Auguſtinus lib. 5. contra Creſcon. cap. 6. Integram autem & ſolemnem ejus Concilii ſententiam recitat in Pſalm. 36. Et quidem ipſum Maximianum in urbe Carthaginenſi contra Primianum ab ejuſdem erroris centum Epiſcopis ordinatum eſſe Auguſt. ait in lib. de Hæreſ. Quo anno & conſule factum id ſit, minus liquet. Sed utcunque tamen conjicere licet, cùm quidem paulò pòſt ſecutum ſit contrarium Concilium Bagaitanum, idque conveniſſe uno anno ante mortem Theodoſii. Aug. ſignificet l. 3. contra Creſcon. c. 56. Fuit autem hoc Bagaitanum in Numidia Concilium trecentorum & decem antiſtitum Donatiſtarum, qui reſciderunt ſententiam contra Primianum pro Maximiano latam, & illos centum qui non Donatiſtæ, ſed jam Maximianiſtæ vocabantur, male judicaſſe pronunciarunt, & Primianum in integrum reſtituerunt. Formulam ſententiæ Bagaïenſis recitat Auguſtinus lib. 3. contra Creſcon. cap. 53. Eſt autem valde neceſſe, rem illam totam diligenter cognoſcere. Nam & illud demum eſt, quo probat Auguſtinus Donatiſtas ſuo veluti gladio jugulatos eſſe: & in collatione Carthaginenſi propterea id illis imprimis objecit, & poſtea congreſſus in Mauritania cum Emerito, recitanſque geſta Collationis auditores valde eſt obteſtatus, ut attentè cognoſcerent illam de Maximianiſtis hiſtoriam, quam & eo loco diligenter curſim exponit. Sanè cùm in Collatione Carthaginenſi Donatiſtarum veluti Dux & ſignifer fuiſſe dicatur Primianus Carthaginenſis eorum antiſtes: credo, cum

ipſum eſſe quem defendit ſynodus Bagaitana. A Nam & inter hanc atque illam Collationem non niſi anni ſedecim interſunt. Poſtremò obſervandum eſt Donatiſtas, ut ſui Bagaienſis Concilii ſententiam exequerentur, Theodoſianam de hæreticis legem protuliſſe, cujus auctoritate Maximianiſtas, tanquam hæreticos expellerant aut coërcerent. Atqui ea lex adverſus omnes Donatiſtas, ut & reliquos hæreticos lata erat. verùm cùm ei non parerent Donatiſtæ, Maximianiſtas tamen obnoxios eſſe volebant, ut etiam occuparent eorum Baſilicas. Ea lex erat, ut qui Eccleſiæ Catholicę non communicarent, nihil Eccleſiæ nomine poſſiderent, ſed potius Unitati id reſtituerent, ut ait Auguſtinus tractatu ſexto in Joannem, & libro 2. contra Petilian. Mitto alias B Theod. leges in hæreticos; quarum Aug. ſæpe meminit, & inter quas duæ nobiliſſimę fuerunt duobus aut tribus annis ante Bagaitanum illud Concilium latæ: Prior, quæ ſeveriſſima eſt, lata Titiano & Symmacho Coſſ. extat in Cod. Juſtin. lib. 3. C. de Apoſt. Altera lata ſequenti anno, hoc eſt, Arcadio 11. & Rufino Coſſ. de multa decem librarum auri, extat in Cod. Theodoſ. Cæterùm & ſi vix ulla harum legum executio eſſet, Donatiſtæ tamen invidioſè odioſéque clamabant, ſeſe injuſtè vexari, & ſuam cauſam non jure agi, ſed vi opprimi. Ac quidem cùm paulò poſt mortem Theodoſii Gildo comes Africę dux perduellium omnia miſceret in Africa, ut ſuam Tyrannidem ſtabiliret, præcipuus ejus ſatelles Optatus quidam latrociniis infamis, ſic ſeſe dedit partibus Donatiſtarum, ut circumcellionum etiam furorem ſuperare videretur, ſicut C Auguſtinus hujus Optati Gildoniani ſæpe meminit. Sed ita agendo ſuam ſectam magis atque magis infamabat, & (ut verbo Auguſtini utar) maculabat. Ergo Donatiſtæ eo tempore potius uſi ſunt Petiliano, qui ex cauſidico factus eorum antiſtes Cirtenſis, & deinde Cæſarienſis, acerrimus fuit ſuæ factionis patronus. Sed bene habet: incidit in Auguſtinum, qui, quo anno mortuus eſt Theodoſius, factus Epiſcopus Hipponenſis, fortis & aſſiduus Eccleſiæ Catholicæ vindex fuit, & reſtitantes adverſarios tandem pertraxit ad Collationem: quæ optima eſſe viſa eſt D eorum convincendorum ratio.

[Sed priuſquam de ea dicamus, aliquid rurſus repetendum eſt de aliis Carthaginenſibus Conciliis. Nam & video multa de iis tradi & falsò & præpoſterè & confusè. Ac imprimis quidem falſum & fictum planè eſſe videtur, quod ſcriptores Centuriarum hiſtoriæ Eccleſiaſticæ narrant Concilium quoddam Carthaginenſe, quod vocant ſecundum, conveniſſe Valentino & Theodoſio Coſſ. Nam neque hi conſules ſimul fuerunt: neque quiſquam veterum meminit alicujus Concilii Carthaginenſis temporibus Theodoſii magni, niſi illius, quod dixi fuiſſe Donatiſtarum. E Quod verò adjiciunt, Cæſario & Attico Coſſ. Concilium Carthaginenſe aliquod fuiſſe, minus repudio, quia Balſamon id indicat, ſed cur tertium illud vocent, viderint. Certè falluntur, cùm illi Concilio aſcribunt Canones, qui potius alteri multò celebriori Concilio Carthaginenſi, quod aliquot pòſt annis habitum eſt, aſcribendi ſunt, ut ex Photii Nomocanone intelligi poteſt. Repudiandum etiam eſt, quod fingunt de alio Concilio Carthaginenſi, quod quartum vocant, & duobus annis poſt ſuperius, quod vocant tertium, hoc eſt, Honorio IIII. & Eutychiano Coſs. conveniſſe narrant. Nam etſi Balſamon fateatur iis Conſulibus aliquid in Eccleſia Carthaginenſi decretum fuiſſe de mittendis legatis ad Imperatorem: tamen neſcio unde repetuntur tam multi Canones, qui huic Concilio aſcribuntur. Ut autem moleſtè fero multa fingi de hujus generis Conciliis Carthaginenſibus, ſic miror præteriri Carthaginenſem cum Donatiſtis Collationem, quæ in eorum hiſtoria imprimis commemoranda erat. Sed & paulò poſt coiit nobiliſſimum contra Pelagianos Concilium Carthaginenſe, quod Auguſtinus Africanum vocat. De eo poſtea viderimus. Nunc ordo poſtulat, ut agamus de Collatione.]

Iam annis propè centũ Donatiſtæ ſic omnia permiſcuerant, ut in Africa diſcerni vix poſſet quænã eſſet Eccleſia: cùm quidẽ altare contra altare paſſim erectum eſſet, & utraque pars de Eccleſiæ titulo & poſſeſſione contenderet. Ergo jampridem multi optabant ut aliqua legitima diſceptatione hæc quęſtio definiretur, & populus id non minùs quàm res ipſa poſtulabat, *Scimus* (inquit Auguſtinus in libr. poſt. coll.) *quàm multi veſtrùm & fortè omnes, aut penè omnes dicere ſoletis. O ſi in locum unum convenirent! O ſi aliquando conferrent, & illis diſputantibus veritas appareret!* Sed quàm propterea Catholici optabant cum Donatiſtis congredi, tam congreſſum refugiebant Donatiſtæ. Auguſtinus in Epiſt. 166. ad Donatiſtas: *Veſtri* (inquit) *Epiſcopi conventi à nobis nunquam nobiſcum pacificè conferre voluerunt, quaſi fugientes cum peccatoribus loqui.* Sanè cùm aliquando diceretur quidam Epiſcopus Donatiſta, dixiſſe velle ſe bonis viris ſedentibus conferre cum Aug. Auguſtinus nihil non fecit, ut ei ultro occurreret, atque etiam currentem incitaret, Epiſt. 47. Denique cùm non impetraret, quod tantopere optabat, curat ut clerici ſui Hipponenſes Januarium Carthaginenſem Donatiſtarum Archiepiſcopum ſollicitent. Extat eorum epiſtola, quæ inter Auguſtini epiſtolas eſt 68. Ea autem imprimis urget, ut quoniam jam olim in hac cauſa appellatus eſt Imperator, hujus auctoritate inſtituatur publica Collatio: quia & ille demum ſit, qui cùm legibus jam latis non teneatur, liberiùs poterit & collationem indicere, & de re tota ſtatuere: cùm Præfectis, qui legibus jam latis ſerviunt, tantum non liceat. Et quia Donatiſtę eo, quem dixi, prætextu recuſarunt cum noſtris congredi: Hipponenſes Clerici eò ſe demittunt, ut etiam allegent Chriſtum ipſum cum diabolo de lege locutum eſſe: & cum Paulo non ſolùm Iudeos, ſed & Epicureos contuliſſe. Donatiſtæ rurſus excipiebant, Dialecticas diſputationes non convenire Chriſtianæ religioni, & Auguſtinum nihil aliud eſſe quàm contentioſum diſputatorem, qui fugiendus potius & cavendus, quàm refellendus revincenduſque eſſet. Quid huic cavillationi reſponderit Auguſtinus, legi poteſt primo ejus libro contra Creſconium. Idem libro quarto, *Studium*, inquit, *pro veritate certandi, quia ſæpe voluimus cum veſtris conferre, ut errore ſublato, fraterna charitas pacis vinculo necteretur, contentionis & animoſitatis vitioſo nomine reprehendis.* Sed notat hoc Donatiſtas obtendiſſe, quia (ut ait) mallent cauſam malam cooperire excuſatione, quàm diſputatione finire. Et in eodem libro, *Puto*, inquit, *quod facillimè intelligas, non devitanda contentionis cauſa, quæ nulla eſt, cùm veritas quæritur, vel non pro vana gloria litigatur, ſed cauſa mala diffidentia, vos nobiſcum nolle conferre.*

[Hîc verò operæ precium eſt obiter obſervare, diſputationes in cauſa religionis modo bonas

& utiles, modò perniciosas eſſe. Certè quidnam ſit, quo de quæritur, videndū eſt, & modus ſemper eſt tenendus. Tertullianus de Præſcript. negat cum hæreticis diſputandum eſſe. Sed Niceni patres nihilominus cum Arianis ſemel diſputare non recuſarunt. Cùm autem in Conſtantinopolitano quodam conventu rurſus Arianorum cauſa agenda eſſet, Theodoſius laudavit eorum conſilium, qui, ne toties actum ageretur, non tam diſputationibus novis, quàm veterum præjudiciis & auctoritate urgendos adverſarios eſſe dicebant. Poſtremò Auguſtinus, cum quibus & quatenus, & quando, & quomodo diſputandum eſſet, rectè vidit. Qua de re quid ſtatuerit, intelligere licet, ex his quæ ſcribit l. 2. de Civitate Dei, cap. 1. & lib. 2. de peccat. mer. & remiſ. c. ult. & in Enchirid. cap. 69. & in epiſt. 111. & 121. Tandem ex ſententia Concilii Chalcedonenſis ſapientiſſima & religioſiſſima lege lata, vetuit Martianus Imper. ne quis de fide Chriſtiana publicè turbis (ut ait) coadunatis & audientibus tractet: neque res judicatas & rectè diſpoſitas diſputando atque contendendo revolvat, ne ex hujuſmodi certamine profanet veneranda myſteria, lib. 3. C. de ſumma Trinit. Sed hoc demum edictum fuit de myſteriis fidei, & poſt quatuor Concilia Oecumenica, & cùm jam in tertio, hoc eſt, in Epheſino decretum eſſet, ut Symbolo fidei nihil adjiceretur: denique cum infinitis ea de re diſputationibus, earumque petulantię & procacitati frænum injiciendum eſſet. Cæterùm ut nihil hoc ad cauſam Donatiſtarum, ſic neque ad ætatem aut perſonam Auguſtini. Et verò hic unus demum oſtendit, quænam eſſet hęc ratio tuendę veritatis: & quomodo ea utendum eſſet, expertus quoque ſępe fuerat: ſed nunquam magis, quàm in illa, de qua nunc loqui inſtitui, cum Donatiſtis Collatione.]

Prima Auguſtini, necdum Epiſcopi, ſed tantùm presbyteri publica hujus generis conflictatio fuit duobus diebus cum Fortunato Manichęo in urbe Hipponenſi. Aderant notarii, qui ſingula exciperent atque conſignarent. Populus auditor erat diſputationis. Sed alioqui nullus Judex aderat. Etſi autem planè converſus non fuerit infelix ille Fortunatus: at ſaltem perculſus in eo certamine fuit.

Altera in eadem urbe fuit tribus diebus Auguſtini diſputatio non diſſimilis cum Felice Manichęo: ſed exitu feliciore. Acrior fuit & celebrior eodem in loco cum Maximino Epiſcopo Ariano, ſed minimè eodem ſucceſſu. Extant harum Collationum acta in libris Auguſtini. Fuit & alia cum Paſcentio Comite Ariano in urbe Carthaginenſi; ſed prima ejus coitio moleſtior fuit, quia adverſarius notarios conſignatores adeſſe principio nolebat, pactiſque conventis minimè ſtabat. Tandem tamen legem Collationis accepit, neque ſolùm notarios adhiberi paſſus eſt, ſed & Laurentium quondam judicem tulit, & ab eo ſententiam ferri non recuſavit. Teſtis eſt Auguſtinus epiſt. 174. & 178. Sed nulla vel utilior vel nobilior tametſi fuerit de quæſtione minus ſubtili & magis populari, quàm cum Donatiſtis Collatio fuit. Ac jam anteà privatim & obiter Auguſtinus cum Fortunio quodam Donatiſta Epiſcopo congreſſus fuerat in populari quadam turba. Cumque hæc ſuo ſtrepitu ipſos quoque notarios exceptores interturbaret, & diſputatio propterea abrupta fuiſſet, Rogarat Auguſt. ep. 163. ut in aliquo receſſu tuto & tranquillo hęc peragerentur. Sed multo magis quod optabat, impetravit, cùm inſtituta fuit Collatio Carthaginenſis. Poſſidius, qui interfuit, ſcribit eam potiſſimum ab Auguſtino procuratam fuiſſe magno cum Eccleſiæ bono, adjuvante (ut ait) glorioſiſſimo & religioſiſſimo Imperatore Honorio, qui ad id perficiendum etiam à ſuo latere Tribunum & Notarium Marcellinum, in Africam, judicem miſit. Nempe ex conſilio Auguſtini miſerant Catholici Afri legatos in Italiam ad Honorium, qui hoc poſtularent. Videbant enim ſine principis auctoritate atque præſidio, neque conventum talem indici, neque adverſarios ad eum cogi, neque ut diſputationem non eluderent, contineri poſſe. Sanè ut Conſtantinus civilibus concil is civitatum & provinciarum Africæ, liberam tribuerat poteſtatem, ut ſua deſideria ad principem deinde referrent. l. 1. C. Th. de legat. & decr. legat. Sic Theodoſius & Honorius deſcripſerunt formam talium conciliorum provincialium & extraordinariorum. lib. 12. & 13. C. Th. eod. tit. Sed jam agebatur de deſiderio Eccleſiæ Africanæ, & de auctoritate conventus aut concilii Eccleſiaſtici.

Ne quis autem miretur cauſam hanc Eccleſiaſticam ad Principes relatam, & ab his ejus cognitionem magiſtratui civili demandatam eſſe, meminerit extraordinarium quoddam & ſingulare exemplum fuiſſe propter neceſſitatem, quæ legem non habere dicitur: proptereaque ad conſequentiam trahi non debere. Id ipſe Auguſtinus indicat lib. 3. contra Julianum. Pelagiani poſt Epiſcoporum concilia Provincialia, provocabant ad neſcio quam (ut vocant) œcumenicam ſynodum, & ab Imperatore literas eo nomine impetrarant. Catholici id recuſant, cùm intelligerent id peti non minùs inſidiosè quàm ambitiosè. Pelagiani objiciebant exemplum, de quo agimus. Auguſtinus iis reſpondens, *Nec verò*, inquit, *vos & alios decipiatis, velut talem vocem habentes adverſus nos, qualem nos adverſus Donatiſtas, quos ad Collationem nobiſcum venire per imperialia juſſa compulimus. Illorum enim furor occupaverat Africam totam, nec prædicari à Catholicis veritatem contra ſuum patiebantur errorem, violentis aggreſſionibus, latrociniis, rapinis, ignibus, cædibus, multa vaſtantes, cuncta terrentes. Cum quibus apud Epiſcopos, quos communes non habebamus, nihil agere poteramus. Quod verò ante centum fermè annos Majores noſtri cum iis egerant, jam populorum memoriam non tenebat. Hæc igitur neceſſitas compulit, ut ſaltem geſtis noſtra Collatione confectis, eorum contunderemus inverecundiam, & reprimeremus audaciam.* Hæc ille. Etſi autem hoc genus Collationis quodammodo extraordinarium fuerit, & in Africa magis quàm alibi, fuerit uſitatum, tamen memini Epiphanium ſcripſiſſe non diſſimilem diſputandi præſentibus notariis, qui geſta exciperent, poteſtatem conceſſam ab Imperat. Conſtantino fuiſſe Photino hæretico jam alioqui in Sardicenſi ſynodo damnato: & quidem inter auditores ejus diſputationis & arbitros abs Conſtantino datos, Epiphanius nomerat quendam Marcellinum. Fuit autem illa inter Photinum & Baſilium Ancyranum Collatio de quæſtione multò ſubtiliori quàm quæ cum Donatiſtis habita eſt. Nam caput, hoc eſt, Chriſtum ipſum oppugnabat Photinus: Donatiſtæ verò non niſi corpus, hoc eſt, Eccleſiam. Adde, contra Donatiſtas fuiſſe quandam veluti mixtam cauſam, cui etiam ineſſet quædam civilis quæſtio facti de Cæciliano & ejus ordinatore Felice: quam & ipſi Donatiſtæ olim priores retulerant ad Conſtantinum, quamque hic Imperator partim ſuis in Africa Præfectis,

partim Eccleſiaſticis in Gallia & Italia Antiſtibus mandarat, Poſtea crevit Donatiſtarum intemperies, qui pro offenſione jactabant victoriam, neque tamen in jus ſive ad Collationem trahi poterant niſi imperio magiſtratus: quique in Collatione, ut ad rem venirent, cogi non poterant, niſi ejoſdem poteſtatis præſidio & auctoritate: Denique quorum furor militaris & Circumcellionum gladiis armatus coërceri non poterat, niſi terrore Principali. Erant mirabiles pragmatici, magiſque verſipelles & verſuti calumniatores, quàm ulli unquam fuerint in ſuo foro cauſidici. Erant etiam gladiatores magis ſanguinarii, quàm ulli in caſtris educati milites, qui non ex jure manu conſertum, ſed mage ferro (ut ait Ennius) rem repetunt. Et veró ni Marcellinus aliquis cum ſua Apparitione adfuiſſet, periculum erat ne Collationem efficerent, qualis pauló poſt mortem Auguſtini fuit Epheſina illa furioſa ſynodus, quę λῃστρικὴ appellata fuit. Certè non dubitaſſent Auguſtinum tractare, ut in ea ſynodo Flavianum tractarunt Neſtoriani. Quid enim? Poſſidius, bonus imprimis auctor, narrat, Donatiſtas, cùm ad moderatam diſputationem provocarentur, furioſè exclamaſſe, Auguſtinum tanquam lupum eſſe opprimendum, & eos, qui eum trucidaſſent, abs Deo veniam facilè impetraturos eſſe. Credo, propter has cauſas Honorium voluiſſe ſuum Marcellinum cum armata Apparitione adeſſe huic Collationi. Alioqui ſanè voluiſſet Auguſtinus tale præſidium abeſſe. Nam & in epiſt. 203. cùm Donatiſtas provocat, *Ceſſabit* (inquit) *à noſtris partibus timor temporalium poteſtatum: ceſſet etiam à veſtris partibus terror congregatorum Circumcellionum.* Et in epiſt. 173. provocans Criſpinum Donatiſtam ad Collationem, *Mappalienſes* (inquit) *ambos nos audiant, ita ut ſcribantur quæ dicimus, & à nobis ſcripta eis Punicè interpretentur, & remoto timore dominationis eligant quod voluerint.*

Denique proſpiciebat quod Catholici meritò exprobrarunt improbo illi Epheſino & armato Concilio, quod reprobabant. Nam fuit hæc eorum, qui Flaviani cauſam poſtea egerunt in Chalcedonenſi Synodo, exceptio, *Ubi gladii & fuſtes, qualis Synodus eſt?* Interea patres qui ad Chalcedonenſem Synodum convenere, cùm metuerent Eutychianorum tumultus & arma, rogarunt per legatos Leonis Papæ Imperatorem Martianum, ut adeſſet ad vim inhibendam, alioqui ſine tali præſidio nolle ſe convenire dixerunt & proteſtati ſunt, ut teſtis eſt Liberatus Carthaginenſis cap. decimo tertio.

Poſtremò & illud obſervandum eſt, ut Donatiſtæ actum agebant, ſic Marcellinum juris minimè aut novi aut dubii arbitrum fuiſſe: & facti potius quàm juris fuiſſe quæſitorem, & quidem cognitionem illi potius quàm juriſdictionem mandari: denique judicem cum formula dari: ut olim rerum privatarum judices privari à Prætore dabantur. Sed neque hìc ſedere voluit Marcellinus, niſi ſi aſſiderent collocutores: cùm tamen in judicio civili ſolus ſedest judex, ſtare autem jubeantur litigatores. Denique proteſtatur, quod Conſtantinus in Nicæno concilio proteſtatus erat ſedens in imo ſubſellio. Et tamen ut Collatio diverſa fuit abs forenſi aliquo judicio, ſic & ab Eccleſiaſtico concilio, in quo potius judices ſunt Antiſtites. Quàm autem demiſsè, temperanter, modeſtè, hìc ſe geſſerit Marcellinus, Acta ipſa meliùs oſtendent. Nullam autem hìc fieri mentionem Epiſcopi Romani, non mirabitur, qui, quæ jam dixi, expendet. Eum certè reverebantur & obſervabant Afri, tametſi in concilio Milevitano & Carthaginenſi, cùm ſuam in utroque ſententiam de Pelagianis ad eum retuliſſent, dicantur tranſmarinas alioqui appellationes inhibuiſſe. Sed neque prætereundum eſt quod obſervant, quo tempore hæc Collatio poſtulata eſt, eo tempore Innocentium Epiſcopum Rom. Urbe abs Gothis capta longè aliud domi habuiſſe quod ageret. Et quid ſi dicam eum Honoriano reſcripto mandatæ Collationis veluti ſubſcripſiſſe? Certè Oroſius narrat eum Ravennæ fuiſſe, quo tempore Romam invaſerunt Gothi. Si tunc Ravennæ fuit, fuit cum Imp. Honorio. Adjiciam quod magis mirari aliquis poſſet, Felicem quendam, qui ſe urbis Romæ Epiſcopum eſſe jactabat, in hac collatione cum Donatiſtis fuiſſe; Acta ſignificant, ubi & Romana neſcio quæ Nobilitas ſimul adeſſe dicitur. Sed ſuſpicor aliquem Donatiſtam pſeudoepiſcopum, qui Romæ ſuis Donatiſtis Montenſibus (ut ibi appellabantur) præfuerat, urbe capta, Gothos fugientem cum ſuis in Africam trajeciſſe, & ſeſe Collationi Carthaginenſi, in quam fortè incidit, cupidè & ambitioſè immiſcuiſſe. Nam & Donatiſtis tempeſtivè ſummiſſum videbatur tale auxilium.

Porrò cùm audimus Marcellinum Tribunum & Notarium præfuiſſe huic collationi, intelligimus virum ſapientem & religioſum, & poteſtatè magna præditum, magiſtratum dico ſpectabilem & clariſſimum (nam hiſce titulis ornabantur Tribuni Notarii, & Auguſtinus ipſe in epiſt. 159. & 160. iis ornat hunc Marcellinum) operam dediſse huic cognitioni. Tribunus etiam & Notar. fuiſſe dicitur Dulcitius ille, cui poſtea in Africa demandatam quoque fuiſſe curam legum & juſſionum Imperialium contra Donatiſtas ſcribit Auguſt. Et Ambroſ. in epiſt. 31. ait miſſum ad ſe eſſe ab Imper. Valentiniano Dalmatium Tribunum & Notarium, qui ad conſiſtorium evocaret Ambroſium in cauſa Religionis. Omitto, Claudianum Poëtam ejus temporis, Tribuni & Notarii titulo ornari in Epitaphio, quod Romæ in foro Trajano proſtabat. Extat l. xii. Cod. Titulus vii. de Primicerio & Notariis, ubi & de Tribunis Notariis agitur. In Theodoſii legè ſcriptum eſt: *Præcipua eſt noſtra pietatis intentio circa Notariorum nomen.* Deinde in lege Leonis Imp. *Præclaram nobilemque militiam ſpectabilium Tribunorum Notariorum, diverſis beneficiorum titulis muniendam credimus & augendam.* Videntur hi Notarii fuiſſe, qui nunc dicuntur Secretarii Regum, in Gallia. Theodoſius in l. 12. C. de excuſ. mun. Notarii (inquit) noſtri à ſordidis muneribus excuſentur.

Qualis autem quantuſque vir fuerit hic Marcellinus, quàm æquus arbiter, quàm moderatus judex, ipſa hujus collationis acta melius indicant. Dicerem quod Oroſius dicit, virum imprimis prudentem fuiſſe & induſtrium, omniumque bonorum ſtudiorum appetentiſſimum. Sed unius Auguſtini teſtimonio contentus ſum, ut intelligam virum magnum, & Juriſconſultum minimè prophanum fuiſſe. Scripſit Auguſtinus ad eum non ſolùm libros de peccatorum meritis & remiſſione contra Pelagianos, & de ſpiritu & litera: ſed & eruditiſſimos illos de Civitate Dei, inchoatos pauló poſt urbem captam, hoc eſt, circa tempus collationis Carthaginenſis: ſed & epiſtolas duas v. & vii. ex quibus apparet, in media Reipub. gubernatione Marcellinum de religione imprimis ſollicitum fuiſſe, & ſubtiliſſimas etiam in eo genere quæſtiones intellexiſſe: imò

quemdam veluti ἐγχειριδιώτην fuiſſe, qui Auguſtinum incitaret. Adde ejuſdem Auguſtini ad eum epiſtolas duas, CLVIII. & CLIX. ubi quoque ſcriptum eſt, cauſas Eccleſiaſticas ejus excellentiæ potiſſimùm injunctas fuiſſe. Non erat, ut ille apud Ciceronem ridiculus L. Gellius, qui cùm in Aſiam iturus, Athenas veniſſet, putavit ſeſe ſtatim omnes omnium Philoſophorum, quos ad ſe vocavit, controverſias obiter definire poſſe, cùm tamen ne eas quidem intelligeret. Noſter Marcellinus non divini minùs quàm humani Juris peritus erat. Et verò tales Iuriſconſulti, tales (inquam) politiciviri, tam digni ſunt, quibus hæc cura mandetur, quàm hujus temporis prophanos neſcio quos Ulpianos, religionis irriſores & proculcatores, potiùs quàm procuratores, Eccleſia Chriſti meritò exectatur. Auguſtinus epiſt. 50. ad Bonifacium Comitem, *Laudo*, inquit, *& gratuler, & admiror, fili dilectiſſime Bonifaci, quod inter curas bellorum & armorum vehementer deſideras ea neſſe, quæ Dei ſunt.* Sed quantò magis id dicere potuit de Marcellino togato? Extat & Hieronymi epiſtola ad hunc Marcellinum, quæ teſtis eſt hunc virum ſubtiliſſimas Eccleſiæ quæſtiones, veluti de origine animæ ſollicitè propoſuiſſe, & ad diſcendum magis paratum fuiſſe quàm erat Hieronymus ipſe ad reſpondendum: ac ne hoc quidem ſtudium remiſiſſe in media Reip. perturbatione, cùm Hieronymus ei reſcribens, fateatur ſeſe orbis Romæ vaſtatione confuſum non poſſe literis operam dare.

Nolo hoc loco præterire, quod ipſe Auguſtinus in lib. poſt Collat. cap. 24. ait Donatiſtas à Primate ſuo per Tractoriam fuiſſe evocatos. Tractoria verbum eſt juris noſtri, ſicuti & in eadem propè ſignificatione, *Evectio*, quo etiam verbo utitur Auguſtinus lib. 5. Confeſſ. Significat autem libellum vel diploma ut miſſis aut evocatis detur viaticum de publico, & ut uti poſſint curſu publico. Extat l. 211. Cod. Titul. de Tract. ubi interpres præterea refert quoddam fragmentum cujuſdam edicti Conſtantini facientis mentionem Tractoriarum & Evectionis publicæ dandæ Donatiſtis propter cauſam Cæciliani. Supereſt ut quæramus, quo anno habita ſit Collatio Carthaginenſis. Quod quidem quò magis neceſſe ſit imprimis ſcire, tantò magis miror nuſquam ab Auguſtino expreſſum aut notatum eſſe. Nec ſpes ulla erat, aliunde id poſſe intelligere. Sed tantò magis mihi gratulatus ſum, cùm in Actis manuſcriptis, atque adeo ſtatim in prima pagina legi habitam eſſe *P. C. Varanis Kal. Iun.* Sic tandem intelleai habitam eſſe Kalendis Iunii, poſt Conſulatum Varanis, hoc eſt, anno CHRISTI quadringenteſimo undecimo, poſt captam urbem Romam proximo. Sanè anno CHRISTI quadringenteſimo decimo, Kalendis Ianuarii, nulli fuiſſe dicuntur creati Conſules ordinarii, & propterea in quibuſdam Faſtis reperio eum annum hoc modo notari P. C. Imp. Theodoſii Iunioris A. III. & Imp. Honorii A. VIII. Sed tamen conſtat eo anno, Kalendis Februarii in Oriente creatum eſſe Varanem Conſulem, Romæ verò circa Kal. Iulias Tertullum. Et propterea in Chronico Proſperi & Caſſiodori ſcriptum eſt, Varane & Tertullo Coſſ. captam à Gothis Urbem Romã fuiſſe. Sed Tertulli rarior & obſcurior fuit memoria. Itaque in Chron. Marcellini ſcriptum eſt, Varane ſolo Coſ. captam illam fuiſſe. Scio hujus nominis variam eſſe ſcripturam. Nam modo hunc Varonem, modo Vararim, modo Varanum nominari audio. Puto tamen rectius Varanem.

Sequenti anno fateor Theodoſium Aug. IIII. Coſ. indicari in Chronico Proſperi, Caſſiodori, & Marcellini. Sed Proſper addit Varanem non ſolùm Urbe à Gothis capta ſolum fuiſse Orientalium partium Conſulem, ſed & in ſequenti anno obſervatum id eſse. Ergo in Actis quæ dixi, ſcriptum eſt P. C. Varanis, hoc eſt, Poſt Conſulatum Varanis, ad indicandum eum annum qui ſecutus eſt illius Conſulatum.

Captam à Gothis fuiſse Urbem Romam IX. Kal. Septemb. verius eſt. Eodem autem anno paulò poſt ab Imp. Honorio indictam & impetratam fuiſse Collationem Carthaginenſem obſervavi, quia ejus hac de re reſcriptum extat in illis, quæ dixi actis, quod datum dicitur Ravennæ pridie Idus Octobres. Conſul non aſcribitur, negligentia librarii. Sed aſcribi poteſt debetque *Varanes.* Sic quod in hac Hiſtoria imprimis quærebatur, & aliunde cognoſci non poterat, liquet de tempore Collationis: quod quidem tantò diligentius inveſtigavi, quia & maximum operæpretium ſit imprimis obſervare tempus, quo Honorius ab Africis Catholicis tam valde interpellatus eſt contra Donatiſtarum intemperiem. Deſidebat Ravennæ in ſumma rerum ſuarum non ſolùm perturbatione, ſed etiam deſperatione, præſertim jam mortuo Stilicone. Gothi Romam ceperant, totamque Italiam vaſtabant, omnibuſque Imperii Romani provinciis imminebant. Neque tamẽ propterea infelix attonituſque Honorius non audit Eccleſię Africanę preces. Multas & ipſe paterno exemplo jam leges tulerat adverſus Donatiſtas. Sed tam ſuas quàm paternas leges veluti ſuſpendi patiat, cùm audit aliter cum Donatiſtis nunc agendum eſse. Aliquot ante annis ediderat quod ad earum executionem pertinebat, ne eas Donatiſtæ putarent refriaiſse aut ſaltem tepuiſse, ut loquitur in l. 46. C. Th. de Hæret. Sed & eo quoque tempore juſſerat, ut publicè proponeretur quod in Africam miſerat Edictum de unitate l. 2. C. Th. de relig. Verùm Donatiſtarum ſchiſma ſolis Edictis tolli non poſse audiebat: & Africanę Eccleſię tamen unitatem omnibus modis reſtitui optabat.

Denique Eccleſiæ illius curam majorem geſſiſse videtur, quàm ſuæ Romę atque Italiæ. Qua in re facilè admirabilem Dei providentiam agnoſcet, qui quanta hujus principis alioqui ſive ſocordia ſive ignavia, ſive (ut Ciceronis verbo utar) non curantia quantaque eorum temporum confuſio fuerit, recordabitur. Nempe fecit Deus, ut Honorius hic audierit viros bonos, & ab iis ſibi dictari paſsus ſit reſcripta, quæ conſignaret. Ergo in mandato hujus Collationis diceres Theodoſium potius quàm Honorium loqui. Ambroſius ait, Theodoſium, magis de Eccleſiæ, quàm animæ ſuę ſalute ſollicitum fuiſse. Non dicam Honorium filium fuiſse omnino ejuſdem animi. Sed in hac ſaltem Donatiſtarum cauſa fecit, quod pater feciſset: & edicta emiſit plena paternę pietatis. Vivo Stilicone ſolebant multi calumniari leges, quæ in Africam mittebantur, tametſi Honorii nomen præ ſe ferrent, tamen magis abs Stilicone, quàm abs Theodoſii filio mitti, ut Auguſtinus narrat epiſt. 129. Nunc mortuo Stilicone dici tale aliquid non potuit. Idem Auguſtinus ep. 166. ſcribit Donatiſtas conqueſtos eſse de legibus filiorum Theodoſii. Sed ipſe reſpondet nihil eas aliud quàm repetere atque confirmare judicium Conſtantini, Valentiniani, Gratiani, Theodoſii: ſimulque deteſtatur Iulianum Apoſtatam, qui (ut ait) permiſerit libertatem perditioni partis Donati, cùm eo modo putaret Chriſtianum nomen

nomen poſſe perire de terris ſi ſacrilegas diſſenſiones liberas eſſe permitteret. Donatiſtæ contrà hoc nomine prædicabant Julianum illum, & apud eum ſolum ſolam juſtitiam locum habere propterea jactabant. Auguſtinus nihil injuſtius, nihil indignius, nihil pernicioſius eſſe ait. *Et quæ* (inquit) *pejor mors animæ, quàm libertas erroris?* Interea tamen ne Donatiſtæ queri poſſent, aut ſibi injuriam fieri, aut ſeſe inauditos damnari: placuit, rurſus in Collatione tandiu audiri quandiu vellent: & interea liberos eſſe. Sed alioqui ſemper in Africa permittere altare contra altare, majorem Eccleſiæ deformitatem eſſe judicavit Imp. Honorius, quam eo tempore Romæ erat in urbis everſione atque vaſtitate.

Nunc veniendum eſt ad Acta, ſive (ut appellabantur) geſta Collationis: quæ quidem olim ſtudioſè excepta, conſcripta, collataque fuerant, ſed temporis injuria, poſteritatiſque negligentia interciderant. Ergo cùm nuper majorem melioremque eorum partem, beneficio Jo. Tilii nactus eſſem, exiſtimavi magnum mihi quendam theſaurum oblatum eſſe. Nam etſi ex Auguſtino ſumma capita facilè repetere liceat: tamen multa, quæ ille præteriit, deſiderabam, & memineram quam valde olim Eccleſia voluiſſet integra hæc Acta legi, eorumque memoriam conſervari. Nam & ipſe Auguſtinus in lib. de geſtis cum Emerito narrat, apud omnes (ut ait) diligentes Eccleſias Africanas quotannis ea à capite ad finem uſque ordine recitata fuiſſe, quo tempore populo maximè integrum erat audire. Fateor non modò leptologica, ſed & propè battologica poſſe videri: quia recitentur omnes Donatiſtarum cavillationes, ac ne verbum quidem ullum prætermittatur. Sed Eccleſiæ & Reipub. intererat, ſingula eo modo conſcribi atque exponi. Et tamen ne eorum fortè longitudo lectores deterreret, Auguſtinus epitomen etiam conſcripſit, quam vocavit Breviculum: & rurſus eadem de re ſcripſit in lib. poſt Collat. & denique ex ſynodo Cirtenſi eandem narrationem repetit. epiſt. 152. quam quidem epiſtolam indicat, cùm ad Marcellinum ſcribens de hiſce ſuis laboribus in epiſt. 158. *Mihi* (inquit) *fuit Breviatio geſtorum Collationis noſtræ ſatis operoſa, cùm viderem neminem velle tanto aggeri literarum legendo ſe committere: ſicut mihi fuit etiam epiſtola ad ipſos laicos Donatiſtas de hac eadem Collatione noſtra.* Scribit autem ad Marcellinum, ut publicentur geſta in cauſa quorundam crudelium Donatiſtarum in judicio convictorum. Nam & talia recitari per omnes Eccleſias optat non minus quàm geſta ipſius Collationis. Adeo hiſtoria Donatiſtarum viſa eſt digna, quæ inculcaretur. Obiter autem admoneo, falli Eraſmum, qui in argumento ejus ad Marcellinum epiſtolæ annotat, Auguſtinum ab Marcell. petere, ut quæ adverſùs Donatiſtas in Concilio Epiſcoporum decreta ſunt, publicentur. Certè in Concilio Epiſcoporum non decernebatur quod pro tribunali Marcellini. Porrò ut gaudebat Auguſtinus Marcellinum Collationis cognitorem fuiſſe, ſic & Bonifacium Comitem optabat ejus hiſtoriam cognoſcere. Itaque ad eum ſcribens epiſt. 50. *Quoniam* (inquit) *valde prolixa ſunt geſta, & tibi aliis rebus Romanæ paci neceſſariis occupato, multum eſt ut legantur, breviarium eorum tibi legi poterit.* Quid multis? Exiſtimavit in iis ſitam eſſe Eccleſiæ victoriam. Itaque in epiſt. 204. ad quendã Donatiſtam. *Præſtitit* (inquit) *miſericordia Dei, ut & nos & Epiſc. veſtri tam frequenti numeroſoque conventu Carthaginem veniremus, atque inter nos de ipſa diſſenſione ordinatiſſimè conferremus. Geſta conſcripta ſunt.*

Hiſtoria Carthaginenſis Collationis

A *noſtra etiam ſubſcriptiones tenentur. Lege, vel patere ut tibi legantur: & tunc elige quod volueris.*

Sanè cùm nuper incidiſſem in Acta Concilii Conſtantinopolitani ſecundi, quod Juſtiniani noſtri tempore fuit, & quintum œcumenicum eſſe dicitur, & in iis fortè occurriſſet quoddam caput tanquam fragmentum Geſtorum Collationis Carthaginenſis, quod tum in illo Orientali Concilio prolatum fuit annis pluſquam centum & quadraginta poſteaquam fuerat ſcriptum in Africa: exiſtimavi me nactum eſſe aliquid, quod minimè in hoc commentario negligendum eſſet. Eſt autem ejuſmodi. *Ex Geſtis, quæ apud Marcellinum V. C. Tribunum & Notarium acta ſunt, cap. clxxxvii. Auguſtinus Epiſcopus Eccle-*
B *ſiæ Catholicæ dixit: Non in hominibus ſpes ponenda eſt Eccleſiæ, ſi boni ſunt, neque ſi mali ſunt, judicanda eſt Dei Eccleſia periiſſe. Sed tamen ipſorum cauſam tanquam fratrum noſtrorum ſuſcipimus: &, ſi nobis oſtendi potuerint criminoſi, hodie illos anathematiſamus: non tamen propter illos Eccleſiam à Deo promiſſam & exhibitam deſerimus & relinquimus.*

Hoc fragmentum & cap. clxxxvii. Geſtorum Collationis deerat etiam in Tiliano exemplari, quod multis aliis modis mancum & mutilum eſt. Sed interea dum expectabimus, ut aliquando integra illa Geſta repetiantur & edantur, præcipuam partem hujuſce Collationis exponamus.

C Ac imprimis quidem obſervo magnum & celebrem fuiſſe Conventum cùm Catholici Epiſcopi ducenti & octoginta ſex, Donatiſtæ verò ducenti ſeptuaginta novem conveniſſent. Et tamen paulò ante multò plures Donatiſtæ convenerant in Bagaienſi Concilio adverſus ſuos Maximianiſtas, alteram Donatiſtarum ſectam. Adeo in Africa invaluerat Donati ſoboles: neque non de ſua multitudine illi gloriabantur non minùs quàm aliàs de ſua paucitate. Auguſtinus vanitatis eos redarguere vult, quia jactarent ſeſe eſſe pluſquam quadringentos in Africa antiſtites. Sed ſi ſuos Maximianiſtas ſibi adjungi patie-
D bantur, revera erant pluſquam quadringenti. Maximianiſtas autem, qui non minus optabant huic Collationi intereſſe, quàm reliqui Donatiſtæ eam refugiebant, non modò Donatiſtæ rejecerunt, ſed & Catholici excluſerunt. Cur id factum ſit, indicat Auguſtinus in libro tertio contra Julianum. *Cupientes* (inquit) *exiguitatem ſuam nomine ſaltem certaminis conſolari, & ideo videri aliquid apud eos, quibus contemptibiles erant, quia inire nobiſcum ſinerentur examen interpellantes eos & libellum dantes provocanteſque contempſimus. Magis enim de certamine nominari deſiderabant, quàm formidabant in certamine ſuperari: nec ſperabant victoriæ gloriam, ſed*
E *famam requirebant Collationis, quia multitudinis non habebant.*

Hæc ille: qui inde probat non eſſe conſequens, ut qui conferre in aliquo judicio volunt nec ſinuntur, putari debeant de veritate confidere: idque objicit Pelagianis, qui cùm jam damnati in Concilio Epiſcoporum fuiſſent, jactabant quaſdam literas Imperatorias, quibus ad novam Collationem Catholicos provocabant, eamque Catholicis recuſantibus, victores ſe eſſe ſtolidè gloriabantur.

Porrò quàm ultro ſeſe offerebant Maximianiſtæ, qui repulſi ſunt, tam reliqui Donatiſtæ, qui reſiſtebant, invitabantur: & ut in his evocandis cogendiſque multum negotii fuit: ſic etiam, cùm jam veniſſent, in pertrahendis ad Collationẽ, ejus

Q

„ tam Charitati veſtræ & commemorem rem dul-
„ ciſſimam & ſuaviſſimam, quam Domino adju-
„ vante ſumos experti. Cùm ante ipſam Collatio-
„ nem inter nos aliqui fratres, de hac re colloque-
„ remur: quia pro pace Chriſti Epiſcopi debent eſſe
„ aut debent non eſſe: quod vobis fatendum eſt,
„ circumſpicientes omnes fratres & Coepiſco-
„ pos noſtros, non facilè nobis occurrebant, qui
„ hoc vellent ſuſpicere, & de hac humilitate Do-
„ mino ſacrificare: dicebamus ut fieri ſolet: *ille*
„ *poteſt, ille non poteſt: ille conſenſit hoc, ille non*
„ *tolerat*: loquentes magis pro ſuſpicionibus no-
„ ſtris, qui corda illorum minimè videre potera-
„ mus. Quando autem ventum eſt, ut hoc pa-
„ lam fieret, in Concilio univerſorum tam fre-
„ quenti penè trecentorum Epiſcoporum, ſic pla-
„ cuit omnibus, ſic exarſerunt omnes, ut parati eſ-
„ ſent Epiſcopatum pro Chriſti unitate deponere: &
„ non perdere, ſed Deo tutiùs commendare. Duo
„ ibi vix inventi ſunt, quibus diſpliceret. Unus an-
„ noſus ſenex, qui hoc etiam dicere liberiùs auſus
„ eſt: alter voluntatem ſuam tacito vultu ſignifi-
„ cavit. Sed poſteaquam illum liberiùs hoc dicen-
„ tem obruit omnium fraterna correptio, illo mu-
„ tante ſententiam, vultum etiam ille mutavit. Hæc

Auguſtinus. Quæ quidem tantò magis recito, quod in Actis Collationis ſint prætermiſſa, & tamen memorabile exemplum ſit, & imprimis ſit utile, quoties de pontificatu certatur, & ambitio contendentium, perturbandæ Eccleſiæ cauſa eſt.

Redeo ad geſta Collationis. Ut citius ad rem veniretur, & de gravioris cauſæ ſtatu ageretur, Catholici voluerunt disjungere atque ſeparare cauſam Cæciliani, & eam quæſtionem miſſam facere, quæ facti magis erat, quàm juris. Nam & privata & perſonalis erat ea cauſa, quæ cum altera (ut ita dicam) reali & generali, nempe de Eccleſia, nihil habebat commune. Itaque non recuſabant ultrò hoc largiri, quod tamen falsò prætexebant Donatiſtæ, Cæcilianum fuiſſe Traditorem. Nam ne tum quidem ab Eccleſia Catholica, quæ ei communicaſſet, Donatiſtas deſciſcere debuiſſe, noſtri aiebant. Nihil certè erat facilius quàm probare Cæcilianum talem non fuiſſe, & rectè fuiſſe abſolutum: & Donatiſtarum propterea calumnias retegere, impudentiamque propè incredibilem. Sed tamen Donatiſtæ in ea cavillatione perſtabant, potius quàm ad juris quæſtionem de Eccleſia pertrahi ſe paterentur. Sic enim multa confusè miſcendo tenebras offundere, ut elaberentur, volebant. Cumque aliàs in ore habere ſolerent forenſem illam præſcriptionem, *Nec cauſa cauſa, nec perſona perſonæ præjudicat*: tamen indignè ferebant eam exceptionem ſibi objici, ubi Cæciliani cauſam cum Eccleſiæ cauſa ita conjungebant, ut hanc ex illa pendere vellent. Certè Auguſtinus epiſt. 204. ait, nihil in Actis Collationis fuiſſe quod Donatiſtæ magis deleri voluiſſent. Fuit ſanè vetus illud hæreticorum artificium, ut, fruſtrationis ergò, cùm ſuum dogma tueri non poſſent, ſuos mores, quos laudabant, allegarent: aut cùm adverſariorum doctrinam refellere non poſſent, mores eorum accuſarent. Sed hæc diverticula ſunt eorum, qui eludere volunt. Sanè ante Collationem Petilianus Auguſtinum, cum quo certabat, multis conviciis propterea impetebat, ut jam de Auguſtini perſona potius quàm de Eccleſia, de qua inſtituta erat diſputatio, quæreretur. *Me* (inquit Auguſtinus) *facit cauſam, cùm defeciſſet in cauſa*. Item, *Relicto negocio publico, privata quadam ſimultate, hominis unius vitam male-*

A *dicis opprobriis inſectatus eſt, quaſi homo ille eſſet cauſa, quæ inquiritur*. Sed ut Auguſtinus indicat quorſum id faceret aſtutus adverſarius, ſic obſtat, ne ille tali aſtu eludat: & injuriam privatam pati mavult, quàm aliò excurrendo, deſerere cauſam publicam. Ergo & Creſconio Donatiſtæ reſpondens, *Deſine* (inquit) *ſalibus. Unus homo ſum: Eccleſia inter nos agitur cauſa, non mea*. Sicque etiam conſtrinxit Pelagianos, qui in diſputatione captabant, quod Donatiſtæ: *Quod* (inquit lib. 3. contra Julianum) *ad mores noſtros pertinet, quemadmodum vivamus, in promptu eſt eis, cum quibus vivimus. Nunc de Catholico agitur dogmate*. Manichæi, quamvis minus eſſent Rhetoricis illis artibus eruditi; tamen non
B diſſimilia rurſus diverticula quæſierunt: neque ſolùm mores alienos accuſarunt, ſed etiam cùm eſſent impuriſſimi, ſuos prædicarunt. Sic Fortunatus Manichæus de fide rogatus, de ſua ſuorumque vita reſpondet. Quid Auguſtinus? In lib. contra Fortun. *Alia* (inquit) *eſt quæſtio de fide, alia de moribus*. Acquidem aliàs, Donatiſtarum Manichæorumque mores accuſavit, & ſuorum conſtantiſſimè defendit. Sed non patitur cauſam religionis cum tali actione permiſceri. Sic & Hieronymus contra Rufinum imprimis hoc agit & urget, ut non conjungantur captioſè, quæ disjungenda ſunt. *Non eſt* (inquit) *neceſſe, ut in Eccleſiaſticis tractatibus rem tribunalem ventilemus*. Item, *Quis noſtrorum, omiſſâ cauſâ, in ſuperflua criminum objectatione ver-*
C *ſatus eſt? Quæ non charta Eccleſiaſtica, ſed libelli Judicum debent continere? Aut quid refert ſi cauſâ cadat, & crimine ſuperet? Iſta machina hæreticorum ſunt, ut convicti de perfidia, ad maledicta ſe conferant*. Hæc ille. Eſt autem operæpretium talia diligenter obſervare, quia hoc quoque tempore videmus, eos, qui de religione contendunt, intempeſtivè, ut omnia miſceant, tranſilire ad criminationem perſonarum. Sanè quò magis geſta Collationis Carthaginenſis conſidero, tantò magis ſentio, tam ad rem principalem Catholicos venire ſtatim voluiſſe, quàm Donatiſtas id refugiſſe: qui (quem-
D admodum ſæpe Auguſtinus dixit) hoc unum agebant, ut nihil ageretur. Nam & Carthaginem tantùm veniſſe videntur, ut redirent. Dixit etiam aliquando Auguſtinus in libris contra Julianum Pelagianum, frontem hæreticorum non eſſe frontem. Id verò de incredibili Donatiſtarum impudentia multò magis dici potuit debuitque. Sanè cùm refelleret Creſconium Donatiſtam Grammaticum, ſignificat propè eſſe ut exclamet illud Perſii, *Frontem periiſſe de rebus*. Et alio loco dixit ſe mirari Donatiſtas habere in corpore ſanguinem, & tamen nunquam erubeſcere. Dicerem, quàm crudeles fuerunt ſicarii, tam vafros fuiſſe pragmaticos. Sed Acta, de quibus loquor, teſtabuntur, ſtrophas eorum
E non tam erudito aliquo artificio tectas, quàm meretricia quadam protervia communitas fuiſſe. Sunt in libris juris explicata hæc verba legis, *Si calvitur*. Sed vix unquam magis quid illud ſit, apparuit, quàm in Donatiſtarum tergiverſatione atque fruſtratione. Ergo Marcellinus interlocutiones penè ſexcentas, ut eorum ludificationi occurreret, interponere coactus fuit, prius quàm ad rem eos reſiſtantes revocare, & ad cauſam principalem judicandam venire potuerit. Et verò oportuit non minus civilis, quàm divini juris peritum fuiſſe, ut hic præſtaret quod erat neceſſe. Nam Donatiſtæ cùm ſimularent ſeſe cauſam agere velle tantùm ex

ſacris literis, ſicuti Theologos decebat: tamen præſcriptiones infinitas ex forenſi technologia repetebant, quæ ſine juris civilis cognitione refelli non poterant. Miraretur aliquis, eos, cùm undique conquirerent omnes (ut vocant) declinatorias exceptiones, tamen non excepiſſe, quod Ambroſius antea exceperat ad Valentiniani junioris conſiſtorium, aulica fraude Juſtinæ evocatus, ut in eo cum Arianis diſputaret. Sed diſſimilitudinem obſervare facilè licet: & Donatiſtæ ſibi gratulari debebant, ſeſe ad aulam Honorii vel tranſmarinum aliquod tribunal, ſicuti antea evocari curarant Cæcilianum, nunc non evocari. In Actis ſcriptum eſt, hanc Collationem habitam eſſe in Secretario Thermarum Gargilianarum, quod in urbe Carthaginenſi videtur fuiſſe auditorium aliquod nobile. Cyprianus reus dicitur ad Paternum Proconſulem Carthaginenſem adductus fuiſſe in quoddam Secretarium. Et in Codice Conſtitutionum ſæpe vocatur Secretarium judicum, ut Conſiſtorium principis. Secretarium Prætorii vocat Auguſtinus libro 3. contra Creſcon. cap. 56. In Hipponenſi Balneo Soſii. ſub præſentia populi ſeſe contuliſſe cum Fortunato Manichæo ſcribit in libro contra Fortun. In Trullo palatii conveniſſe Synodum Conſtantinop. non eſt ignotum. Quod dico, ne quis hìc offendatur Thermis Gargilianis. Nunc ad rem.

Cùm primùm ſeſe ſtiterunt Donatiſtæ, cavillati neſcio quid fuerunt, de tempore, quod præſtitutum fuerat jam elapſo. Sed interlocutus eſt Marcellinus de prorogatione: & tenebat illud Ulpiani: *Qui pro tribunali cognoſcit, nonnunquam tempus judicati prorogat*, &c. l. 2. De re judic. Credo equidem lubenter etiam Donatiſtæ ſubmurmuraſſent illud e medio jure civili, moram purgari non poſſe, ubi lapſu temporis commiſſa eſt. Sed hiſce cavillis non erat nunc locus. Ceterùm cùm ordo Collationis imprimis poſtularet, ut utrinque certi deligerentur actores, idque Marcellinus ediceret, & Catholici probarent, Donatiſtæ rurſus reclamabant, qui cùm propè trecenti conveniſſent, volebant omnes diſputare; quod profectò ſine tumultu & confuſione fieri nõ poterat. Ergo Marcellinus interloquitur, obſervandum hìc eſſe, quod in publicis actionibus & Corporibus cuſtoditur, ut per certas, ſicuti ait, & ordinatas & firmatas perſonas omnia peragantur: ſicuti noſter Ulpianus ſcribit, Quibus permiſſum eſt corpus habere collegii ſive ſocietatis nomine, eorum proprium eſſe, ad exemplum Reipublicæ habere actorem ſive Syndicum, per quem, quod communiter agi fierique oporteat, agatur & fiat. l. 1. Quod cujuſque univerſ. nom. Ergo tandem placuit & convenit, ut ſeptem ex numero Catholicorum, & totidem ex parte Donati deligerentur, qui ſuæ univerſitatis nomine & mandato cauſam agerent, & diſputationem pertexerent in hac Collatione. Eorum autem ſeptem princeps veluti fuit hinc Auguſtinus, illinc Petilianus: ut & antea hi ſcriptis adverſariis conflictati inter ſeſe fuerant, & erat in ſuo quiſque ordine præſtantiſſimus. Et Petilianus, qui aliquando cauſidicus fuerat, jactare ſolebat ſuam quondam potentiam in advocatione forenſi, ut ait Auguſtinus lib. 3. contra Petil. cap. 17. Sed res ipſa oſtendit nihil aliud quàm ineptum rabulam fuiſſe, qui, quam in Collatione cauſam de Eccleſia impotenter ageret, ne intelligeret quidem: ut impudentes & garruli cauſidici in foro educati temerè & imperitè & confuſè balbutire ſolent de religione.

Porro quia Catholici ab Imperatore petierant

A Collationem, Donatiſtæ volebant initio ſibi edi & nomina Legatorum & preces. Quærebant enim, quod in eo quoque genere arroderent. Marcellinus nihil hoc ad rem pertinere pronunciat: & reſpondet, Reſcripto pragmatico preces inſeri non ſolere. Petitam ab Imperatore eſſe Collationem non omnino audebant Donatiſtæ reprehendere: quia & ipſi priores aliquando id petiiſſent, & cauſam Cæciliani olim ad Conſtantinum retuliſſent. Sed clam tamen neſcio quid ſubmurmurabant. *Nobis* (inquit Auguſtinus in libro poſt Collat.) *invidiam concitant, quòd apud Imperatorem cauſam agamus Eccleſiæ. Hinc illa Primiani Donatiſtæ vox: Illi portant multorum Imperatorum ſacras: nos ſola portamus Evangelia.*

B Dixi ea de re quippiam in annotat. ad Optatum, ubi & alteram ex Auguſtino recitavi exprobrationem Petiliani, *Quid nobis cum Regibus ſæculi, quos nunquam Chriſtianitas niſi invidos ſenſit.* Si & doctior & acutior fuiſſet Petilianus, fortaſſe potuiſſet id ita urgere, ut Auguſtino difficilior fuiſſet reſponſio. Et quid ſi ex Tertulliani Afri apologet. objeciſſet illud, Cæſares credidiſſent Chriſto, ſi & Chriſtiani potuiſſent eſſe Cæſares? Sed Donatiſtæ obtuſiores fuiſſe videntur, quàm ut potuerint valde pungere premereque adverſarios. Saltem fuiſſent minus aulici, ut adverſarios, ſi qui nimis aulici erant, juſtiori exprobratione caſtigaſſent. Fateri enim cogimur, optandum eſſe ut aulicis ſtrophis religio non involvatur ac polluatur, quales nimium ipſis Donatiſtis familiares fuere. Quid dicam Africanam Eccle-

C ſiam, quæ antea domi ſuæ nullos aut Imperatores aut Reges viderat, paulò pòſt ſenſiſſe quid ſit tales habere in ſuo ſinu, quales habuit Vandalos. Tunc igitur tunc ad eorum tribunal citata, in quo Ariani antiſtites regnabant, ſubſcripſiſſet Donatiſtis exclamantibus apud Optatum, *Quid Epiſcopis cum palatio?* Nunc redirem ad Donatiſtarum Collationem fugitantium circuitiones atque tergiverſationes. Sed quis omnes enumeret? Interea ſedati judicis fuit, quicquid tandem illi dicerent, tametſi ſæpius eadem ocioſè & fruſtra inculcarent, patienter id audire: quod quidem Marcellinum feciſſe, Acta teſtantur. Sanè mira fuit illa eorum cavillatio: quòd ubi proferebatur Eccleſiaſticum Concilium cum ſuo die &

D Conſule: propter adjectam hanc temporis notationem, cauſabantur fictum eſſe Concilium. Rurſus cùm aliquod Conſtantini reſcriptum iis objiciebatur, cur fortè adjectus non erat Conſ. index ipſius anni: propterea cavillabantur falſum & fictum quoque eſſe. Quid Marcellinus? De Conciliis nihil dicit. Nimis enim notum certumque erat, diem & Conſulem his aſcribi, ut ficta non eſſe intelligantur. Sed pronunciat, non nocere tamen veritati legum & reſcriptorum, ſi omiſſa ſit hæc temporis notatio. *Cognitor* (inquit Auguſtinus) *interlocutus eſt, evidentiſſimis legibus definitum eſſe, imperialia conſtituta, etiamſi*

E *Conſules non legerentur, in dubium non vocari.* Scio Conſtantinum reſcripſiſſe, auctoritate carere perſonalia beneficia, quæ ſine die & Conſule proferuntur, l. 4. C. diverſ. reſcript. Sed talium beneficiorum alia ratio eſt: & ipſe Juſtinianus, licet hoc reſcriptum in ſuum Codicem retulerit, tamen præfatus eſt id dici non poſſe de Conſtitutionibus. Nam nullam dubitationem inde emergere vult, quod quædam ſine die & Conſule compoſitæ legantur. Sanè cùm quæreretur de quadam epiſtola ſive cautione, reſpondit noſter Cervidius Scævola, non ideò nullius eſſe momenti quòd ſine die & Conſule ſit. l. 34. De pignor.

Et quod in Pandectis non extat, invenitur quoddam fragmentum ex libris regularum noſtri Modeſtini, nihil nocere teſtamento, ſi dies & Conſul adjecti non ſint. Adjici tamen ſæpius ſolebant: licet ubi teſtamentum aperiebatur, diem & Conſulem (inquit noſter Ulpianus) non patiebatur Prætor deſcribi vel inſpici, ne quid falſi fiat, lib. 2. Quemadmodum teſtamentum aper. Sed quis mirabitur Donatiſtas in Collatione omnia fruſtrationis diverticula captaſſe, quæ ne forenſis quidem cauſidicus in mala cauſa inveniſſet? Etiam poſt rem judicatam exceptiones obtendebant, & quidem ex jure civili repetitas eſſe fingebant: de quibus aliquid poſtea dicam. Denique in iis quæ ad rem principalem alioqui non pertinebant, plus & temporis & verborum conſumptum fruſtra hic fuit, quam in ea quæſtione de qua ſola Collatores agere debebant.

Age, nunc de cauſa principali iterum cognoſcatur, & quis ejus ſtatus fuerit, videamus. Ut duobus verbis dicam, quæſtio fuit de Eccleſia: an hæc eſſet penes Catholicos, an verò penes Donatiſtas. Sed tantò difficilior dijudicatio fuit, quòd utrobique propè eadem alioqui ſonaret doctrina, & forma ſimilis conſpiceretur: imò & eædem formulæ audirentur, ſicuti & Optatus lib. 1. ſignificat. Neque temere eſt, quod Auguſtinus in lib. de vera relig. cap. 5. non modo in ſchiſmaticis id obſervat, ſed etiam in quibuſdam hæreticis, ut Arianis & Photinianis. Manichæos verò & nonnullos alios ait etiam ritu ſacramentorum diſpares eſſe voluiſſe, ut minus mirandum ſit, quòd hos, minus quàm illos, Eccleſia Catholica ferre potuerit. Cùm ergo Donatiſtæ pares eſſe viderentur doctrina & ritibus, difficilior cum iis fuit de Eccleſiæ agnitione quæſtio: & aliis indiciis fuit opus quàm doctrinę & ſacramentorum. Et verò ſi Donatiſtæ cum Eccleſia Catholica communicarent tam in doctrina fidei, quàm in ritibus & ceremoniis, tametſi cum perſonis non communicarent, quas tanquam pollutas refugiebant, non niſi cujuſdam moroſitatis ſchiſma fuiſſe videtur. Sed in ſua actione ſic variarunt, ut ſibi ipſis non conſentirent, & in Collatione miſcerent inconſtanter quędam repugnantia. Alioqui dicerem eò recidiſſe certamen, ut quod in ſymbolo omnes profitebantur, Eccleſiam unam eſſe ſanctam & Catholicam, in Collatione Carthaginenſi variè agitatum ſit: cùm noſtri urgerent vaticinia prophetarum, quę Catholicam promittunt: Donatiſtæ verò opponerent vaticinia, quæ ſanctam deſcribunt Eccleſiam. Fateor cauſam hanc adverſus Petilianum, & nervoſiùs & planiùs egiſſe Auguſtinum lib. de Unit. quàm in ipſa Collatione: quia ſcriptionem non interrumpebat adverſarius, ut orationem: Sed eadem ſemper cauſa fuit. Obſervemus autem, Catholicos aliam non admiſiſſe, quæ inſtitutam diſputationem perturbaſſet.

Poterant fortaſſe Donatiſtis odiosè objicere aliquid Arianiſmi. Sed nolunt aliò excurrere, & malunt amicè confiteri, ſibi cum iis rem eſſe, non de capite, id eſt, Chriſto, ſed de corpore, id eſt, Eccleſia. Quinimo quæſtionem de anabaptiſmo, cujus erant rei Donatiſtæ, hîc etiam omittunt: & cum iis agunt perinde atque cum Luciferianis, qui eodem tempore in ipſa etiam Africa ſeparatos ab Eccleſia Catholica ſuos cœtus habebant, neque tamen hæretici, ſed potius ſchiſmatici erant: multò tamen quàm Donatiſtæ modeſtiores. Quandam cum his Collationem quodam Carthaginenſis cum Donatiſtis Collationis exemplo, Hieronymus deſcribit. Auguſtinus utroſque conjunctim damnat. Nam in lib. de agone Chriſtiano cap. 30. poſteaquam de Donatiſtis egit: *Nec eos*, inquit, *audiamus, qui quamvis neminem rebaptizent, præcidere ſe tamen ab unitate, & Luciferiani dici quàm Catholici maluerunt. Quòd non rebaptizant, non reprobamus: ſed quòd etiam ipſi præcidi à radice voluerunt, quis non deteſtandum eſſe cognoſcat? Hi ſunt, de quibus Apoſtolus dicit: Habentes ſpeciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes. Hanc illi non habent, quia præciſi ab unitate ſunt,* &c. Sed & Proſper Auguſtini diſcipulus, lib. 2. de promiſſ. & prædict. cum Donatiſtis Luciferianos comparat, & utroſque ait, Chriſti corpus, id eſt, Eccleſiam, humanis calumniis inſectatos eſſe: ut alii hæretici, Eccleſię caput, id eſt, Chriſtum ipſum, inſectabantur. Denique Hieronymus diſputans contra Luciferianos ſimul damnat Donatiſtas, quos vocat Montenſes, ſicuti eo tempore Romæ vocabantur, & pronunciat apud eos non Eccleſiam Chriſti, ſed Antichriſti eſſe ſynagogam. Donatiſtæ clamitabant, Eccleſiam Catholicam (ut loquebatur) apoſtataſſe, & cum aſylo Romuli eam compararunt, ut ait Auguſtinus lib. 2. contra Creſcon. cap. 13. Luciferiani dicebant de Eccleſia factum eſſe lupanar, ut Hieronymus contra Lucif. narrat. Utrorumque ſimilis erat ratio: quia lapſi, vel hæretici, qui reſipiſcerent, recipiebantur. Sed ſchiſmatis juſtam excuſationem hanc non eſſe, Catholici reſponderunt. Lucifer Caralitanus in Sardinia Epiſcopus, acerrimus erat Nicęnæ fidei defenſor, & ab Athanaſio, Hilario, Hieronymo, propterea laudatus eſt. [Et nunc legimus ejuſdem Luciferi ad Conſtantium Imp. libros editos, qui reſtantur, quàm acer hæreticorum hoſtis eſſet Lucifer.] Sed injuſti tamen ſchiſmatis non minus quàm Donatus, reus fuit, cùm dolens Arianis facilè ignoſci, & exiſtimans eorum communione Eccleſiam polluti, ſeceſſit, & Catholicam communionem deſeruit, inque ſua demum Sardinia, ut Donatus in Africa, hoc eſt, in ſuo cœtu, Eccleſiam ſupereſſe dixit. Sic Luciferiani ad Donatiſtas acceſſere, & ut propiùs accederent, in Africam trajecerunt. Sed mihi venit in mentem quod Ambroſius narrat in oratione de obitu fratris ſui Satiri. Laudat fratrem illum ſuum, qui cùm in Africam fortè trajeciſſet, ubi erat Eccleſia quędam Luciferiana, noluit cum ea communicare, quę cum Catholica non communicabat. *Quamvis enim*, inquit Ambroſius. *Lucifer pro fide exulaſſet, & fidei ſuæ reliquiſſet hæredes, tamen non eſt fides in ſchiſmate; & licet fidem erga Deum teneret, tamen erga Dei Eccleſiam non tenebat, cujus patiebatur velut artus dividi, & membra lacerari. Etenim cùm propter Eccleſiam Chriſtus paſſus ſit, & Chriſti corpus Eccleſia ſit, non videtur ab his exhiberi Chriſto fides à quibus evacuatur ejus paſſio, corpuſque diſtrahitur.* Hæc Ambroſius.

Feci non invitus, ut obiter de Luciferianis aliquid intererſererem, quod & Donatiſtarum conditionem illuſtret. Nam & ubi illos damnari audimus, multò magis hos damnandos eſſe intelligimus. Sanè Auguſtinus epiſt. 48. graviter reprehendit eorum errorem, qui exiſtimabant nihil intereſſe, in qua quiſque parte Chriſtianus ſit, ſed ubi fidem teneat. Objicit autem, hoc uni Deo congruere, ut in unitate colatur. Narrat etiam lib. 1. contra Parmen. Tichonium illum, qui inter Donatiſtas moderatiſſimus ſimul & do-

ctiſſimus erat, ingenuè quidem agnoviſſe, Eccleſiam Catholicam toto orbe diffuſam eſſe: ſed negaſſe (quod tamen erat conſequens) Donatiſtas peccare, qui illi non communicabant. Rectè quidem ſolet laudari illud Chriſti tanquam proverbium: *Ubicunque fuerit corpus ſive cadaver, illic congregabuntur & aquilæ*: ut intelligamus, cùm de religione quæritur, in Chriſtum nos intueri, ad eumque accurrere debere, ſicuti corvi aut vultures ad cadaver convolant.

[Audio Calvinum eo loco annotaſſe quicunque Chriſto cohærent eſſe extra ſchiſmatis periculum. Sed ut capiti cohæreamus, corpori inſitos nos eſſe oportet. Neque ſanè caput ſine corpore eſt, ut neq; corpus ſine capite eſt.] Et verò Chriſtus eodem loco, corporis quoque ſui, hoc eſt, Eccleſiæ Catholicæ, cujus veluti ductu ad eum accurramus, gloriam & lucem, quam ſpectemus, nobis commendat, cùm de ſuo novo regno, & ejus repentina admirabilique propagatione loquens ait, *Sicut fulgur exit ab Oriente & apparet ad Occidentem*, &c. Ergo & Auguſtinus lib. 1. Evangel. quæſt. cap. 38. *Orientis* (inquit) *& Occidentis nomine totum orbem voluit ſignificare, per quem futura erat Eccleſia.* Tunc addit: *Conſtituta ergo auctoritate Eccleſia per orbem terrarum clara atque manifeſta, conſequenter diſcipulos Chriſtus admonet atque omnes fideles, ne ſchiſmaticis credant, qui occultè congregant ſanguam in Penetralibus & paucos in deſerto*, &c.

Ut redeam ad geſta Collationis: nihil jam eſt quod magis obſervare imprimis oporteat, quàm quod Auguſtinus in lib. de Unit. contra Petilianum ſcribit. *Quia* (inquit) *cum Donatiſtis quæſtio nobis eſt, non de capite, ſed de corpore: id eſt, non de ipſo ſalvatore Ieſu Chriſto, ſed de ejus Eccleſia: ipſum caput, de quo conſentimus, oſtendit nobis corpus ſuum, de quo diſſentimus.* Rectè. Sed ſi illi, ut nos, caput illud oſtentent: ubi potius corpus eſſe exiſtimabitur? Auguſtinus monet, Capitis verbis, hoc eſt ſacris literis id ſatis indicari. Quibus? Quæ Eccleſiam oſtendunt eſſe Catholicam. Ubi cum iis hæreticis, cum quibus de capite, id eſt, de Chriſto, ejuſve ſive eſſentia & natura, ſive officio aut beneficio, imprimis quæſtio erat, & deinde de corpore, id eſt, de Eccleſia, ut cum Arianis: Catholici ſimpliciter contendebant, ad dignoſcendum corpus, inſpiciendum eſſe caput, & de capite potiſſimum agebant. At ubi cum Donatiſtis res erat, qui de illo capite conſentiebant: alio, ut neceſſe fuit, argumento corpus, de quo ſolo controverſia erat, penes ſe eſſe contenderunt. Difficilis in tanta aliioqui ſimilitudine fuit hæc dijudicatio. Sed ſufficere viſa eſt illa, quam dixi, indicatio. Ergo etſi Donatiſtæ cum Capite fortaſſe oſtentarent alicujus corporis, hoc eſt, ſuæ ſocietatis & conſpirationis ſpecioſiorē ſive faciem ſive colorem, hoc eſt, ritus & mores minus viciosos: tamen prævaluit altera Catholicorum probatio, qua penes ſe, Chriſti corpus, id eſt, Eccleſiam, eſſe evicerunt: & ſimul apud Donatiſtas non eſſe oſtenderunt. Nam & eſſe unicam conſtat. Fruſtra autem de capite gloriantur, qui de corpore non ſunt. Nam ubi alterum non eſt, neutrum eſt, cùm & totus Chriſtus, caput & corpus ſit, ut ait Auguſtinus. Hinc protritum illud ejuſdem contra Donatiſtas: *Extra Eccleſiam non eſt ſalus.* Sanè Paulus Eccleſiam appellat Chriſtum. Cumque Jehova ſit proprium nomen Dei, tamen etiam attribuitur non modo altari Hieroſolymitano, ſed & novæ Hieruſalem, id eſt, Eccleſiæ. Hæc autem obiter dico, ut magis intelligamus, quanta de re quæratur, cùm de Eccleſia quæritur, & cum Donatiſtis agi de re magna omninoque adeo maxima, meminerimus.

Poſteaquam autem jam intelligimus τὸ κρινόμενον, quæramus τὸ κριτήριον: tametſi & hoc jam judicaverimus, illud nolo præterire quod Chryſoſtomus in homil. 49. in 24. cap. Matth. fatetur ſuo tempore fuiſſe difficillimum cognoſcere & diſcere & diſcernere Eccleſiam in tanta confuſione ſimilitudinis, cùm hæretici oſtentarent quæ Catholici oſtendebant. Unicum vero reliquum fuiſſe indicium ex ſcripturis. Sed quomodo? Auguſtinus id explicat.

Donatiſtæ in Collatione rogabant, quibus teſtimoniis, divinis an humanis ageretur, & quo judicio lis definiretur? Noſtri ſacram ſcripturam, & teſtem & judicem ſibi fore reſpondent. Sed quomodo ea utantur, & quid inde repetant, ut evincant quod volunt, obſervandum etiam eſt. Cùm Auguſtinus de Baptiſmo ab hæreticis, id eſt, extra Eccleſiam adminiſtrato, adverſus Donatiſtas diſputat, non tantùm allegat ſcripturam, ſed Apoſtolicam traditionem & Eccleſiæ uſum, conſuetudinem, teſtimonium, auctoritatem, ut lib. 2. de Baptiſmo, cap. 7. & lib. 4. cap. 6. & lib. 5. cap. 23 & lib. 1. contra Creſcon. cap. 31. 32. 33. Sciebat Optatum quæſtionem de unico Baptiſmo contra Donatiſtas voluiſſe definire ex nudis ſacris literis. Sed infeliciter id eum tentaſſe agnoſcebat: neque ingenuum eſſe judicavit, locos ſcripturæ detorquere. Ergo quod Optatus de Baptiſmo dicturus contra Donatiſtas provocaverat ſacras literas, & quod ex teſtamenti tabulis de voluntate teſtatoris judicandum eſſe Juriſconſulti aiunt, huc retulerat: id Auguſtinus in Pſalm. 21. ita imitatus eſt, ut tamen in quæſtione de Eccleſia potius hoc diceret. Nam in graviori hac cauſa ſentiebat ſcripturam liquidiùs probare quod aiebat. Atque ita etiam in libro de unitate Eccleſ. contra Petilianum, *Non audiamus* (inquit) hęc dico, hęc dicis: *ſed audiamus*, hęc dicit Dominus. *Sunt certè libri Dominici, quorum auctoritati utrique conſentimus, utrique credimus, utrique ſervimus. Ibi quæramus Eccleſiam, ibi diſcutiamus cauſam noſtram.*

Non recuſarunt hanc legem Donatiſtæ: ſed in hypotheſi diſſenſio erat, & cùm utrique ſuas veluti theſes ex ſacris literis repeterent, minimè conveniebant in fine, uſu, interpretatione. Catholici enim cùm ſuam Eccleſiam eſſe Catholicam, hoc eſt, toto orbe diffuſam, liquere non dubitarent, ſatis ſuperque eſſe ſtatuunt, ſi probent ſacris literis Catholicam commendari. Ordiuntur autem à veteris Teſtamenti libris. Non enim hos repudiabant Donatiſtę, ut Manichæi. Et ut à principio res repetatur, promiſſio facta Abrahæ imprimis proponitur. (nam & ex illo fœdere dependet quicquid deinde in univerſa Eccleſia admiramur) Deinde vaticinia Prophetarum de vocatione gentium, quæ Chriſto exhibito futura eſt, accumulant. Nam & ea conveniunt cum promiſſione facta Abrahæ.

Eſt autem diligenter obſervandum, quod Auguſtinus graviter obſervavit & religioſè monet concione ſecunda in Pſalm. 30. neminem, Prophetas apertiùs de Eccleſia quàm de Chriſto locutos eſſe: idque propterea, quòd viderent in ſpiritu (ut ait) homines contra Eccleſiam facturos eſſe particulas, & de Chriſto non tantam litem habituros, ſed de Eccleſia magnas contentiones excitaturos. Ergo illud, de quo majores lites futuræ erant, planiùs & apertiùs prædictum eſſe. Proponit hujus rei exemplum ex Geneſeos

cap. 22. ubi poſt Iſaacum è morte ereptum promittitur Abrahæ ſemen infinitum, atque eo modo Eccleſia apertè prędicatur, cùm Chriſtus non niſi figuratè. Tandem concludit, penè ubique Chriſtum in aliquo involuto ſacramento prędicatum eſſe à Prophetis: Eccleſiam verò apertè, ut eam viderent & qui futuri erant contra illam.

Quid Donatiſtæ? Auguſtinus in lib. de Unit. cap. 9. ait eos non auſos quidem eſſe planè dicere falſa eſſe, quæ ex Prophetis recitabantur vaticinia de futura amplitudine Eccleſiæ Chriſtianę toto orbe diffuſæ, hoc eſt, Catholicę: ſed excepiſſe tamen, non eſſe ea impleta, quia homines noluerint. Hîc verò multò magis inſurgit & clamat Auguſtinus, nihil hoc aliud eſſe, quàm dicere, Prophetiam eſſe falſam, & Prophetas fuiſſe Pſeudoprophetas. Fateor perverſitate ingratorum hominum factum eſſe, ut multę Dei promiſſiones, non dico irritę fuerint, ſed fuerint quodammodo impeditæ, quatenus erant conditionales appendices fœderis. Sed quod attinet ad principalem, quæ pura fuit, promiſſionem, veluti de Meſſia exhibendo, & ejus regno inſtaurando atque propagando: Apoſtolus profitetur eam non potuiſſe impediri hominum indignitate. Fateor etiam multa de Eccleſię excellentia & majeſtate Prophetas prædixiſſe, quę in cęlis impleantur. Sed in terris ſaltem inchoari nemo negaverit. Apud Iſaïam Deus loquens de Eccleſiæ amplificatione, cum jurejurando ait, *Mihi flectetur omne genu.* Id autem Paulus refert ad finem mundi, & poſtremum (ut vocatur) judicium. Sed interea, non negat quin ſuo etiam quodam modo id fiat in Eccleſia Chriſtiana.

Cùm Donatiſtę negare non poſſent aliquam Catholicam Eccleſiam extare, ſuæ Eccleſiæ hunc titulum arrogarunt: & cùm adverſarios negabant eſſe, quod dicebantur, Catholicos: tum verò in Collatione ſeſe nuncuparunt Epiſcopos & defenſores Catholicæ Eccleſiæ & veritatis. Hîc verò cœpit eſſe quæſtio facti, potiùs quàm juris: & tantò rurſus difficilior, quòd Donatiſtæ doctrinam fidei Catholicam retinere etiam videbantur, neque apoſtaſiæ in eo genere accuſabantur. Adverſus alios hæreticos veluti contra Manichęos & Arianos facilior fuit hujus quæſtionis dijudicatio. Sanè Lactantius lib. 4. cap. 30. ſcribit. ſingulos cœtus hæreticorum exiſtimaſſe ſuam eſſe Eccleſiam Catholicam. Saltem id jactarunt, cùm viderent primam hanc eſſe Eccleſiæ Chriſtianæ conditionem. Sed cùm ad probationem ventum erat, erant ridiculi. Imò etiam eveniebat, ut noſtris tandem concederent, quod temerè imprudentes, iis eripere voluerant. Aug. contra ep. Manich. cap. 4. *in Catholica* (inquit) *Eccleſia gremio me tenet ipſum nomen Catholicæ: quod non ſine cauſa inter tam multas hæreſes ſic iſta Eccleſia ſola obtinuit, ut cùm omnes hæretici ſe Catholicos dici velint: quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniatur, nullus hæreticorum, vel Baſilicam ſuam, vel domum audeat oſtendere.* Idem Auguſtinus in lib. de Vera relig. cap. 7. *Tenenda eſt*, inquit, *ejus Eccleſiæ communicatio quæ Catholica eſt, & Catholica nominatur, non ſolùm à ſuis, verùm etiam ab omnibus inimicis. Velint enim nolint, ipſi quoque hæretici & ſchiſmatum alumni, quando non cum ſuis, ſed cum extraneis loquuntur, Catholicam nihil aliud quàm Catholicam vocant. Non enim poſſunt intelligi, niſi hoc eam nomine diſcernant, quod ab univerſo orbe nuncupatur.* Sed & rurſus in lib. de Util. credend. cap. 7. ſcribit quidem omnes hæreticos velle videri & dici Catholicos: ſed unam tamen eſſe (ut omnes concedunt) Catholicam Eccleſiam, multitudine refertiorem, ſi totum orbem conſideres, & veritate ſinceriorem cæteris omnibus. Ex quo (ut ait) liqueat judicantibus arbitris, quos nulla impedit gratia, cui ſit Catholicum nomen tribuendum, quod omnes ambiunt. Sed & poſtea audiemus ex Victore Uticenſi Arianos in quadam Carthaginenſi Collatione imprimis de hoc titulo litem moviſſe.

Sanè Novarianos aliquando id irriſiſſe, quia (ut aiebant) ſub Apoſtolis nemo Catholicus vocabatur, obſervavi in quadam epiſtola Paciani Barcinonenſis ad Sympronianum Novarianum. Quid autem ut hoc nomen tueretur, reſponderit Pacianus, magnus olim in Eccleſia antiſtes, eadem epiſtola ſuggerit: quam & Donatiſtæ legiſſe potuerunt. Prętereo quid paulo ante Auguſtinum ipſe Imp. Theodoſius lege latâ edixerit ea de re lib. 1. cap. de ſumma Trinit. Nunc videamus quid Donatiſtæ obtenderent, ut hunc titulum ſibi arrogarent, noſtris autem detraherent. Creſconius Donatiſta clamitabat, Eccleſiam, cui Auguſtinus communicabat, non eſſe Catholicam, quia totus ei orbis non communicaret, cùm quidem multæ adhuc gentes barbaræ, quæ in Chriſtum nondum crediderant, & multæ hęreſes ſub nomine Chriſti, alienæ à ſocietate communionis Auguſtini eſſent? Auguſtinus libro tertio contra Creſcon. cap. 63. arripit, quod ipſe Creſconius confeſſus erat, totum quotidie mundum verti in nomen Chriſtianum: & reſpondet, Eccleſiam ad reſidua occupanda quotidie diffundi.

Fortunius Donatiſta audiens illam demum Eccleſiam eſſe Catholicam, quę toto ſe terrarum orbe diffunderet, auſus eſt dicere, ſuam ubique terrarum eſſe communionem. Auguſtinus epiſt. 163. ut ei reſpondeat, rogat, num poſſit, epiſtolas Formatas, quò velit, dare. Sic enim faciillimè terminari poſſe hanc quęſtionem. Erant hæ Epiſtolæ communicatoriæ, certâ formulâ conceptę, quas ultro citroque mittebant Epiſcopi ut teſtes & veluti teſſeras ſuæ conſenſionis. Sic Optatus libr. 2. contra Donatiſtas, ait ſuos cum Damaſo communicare, cum quo totus orbis commercio Formatarum concordat. Donatiſtæ jactabant ſaltem magnam eſſe multitudinem ſuæ ſectę, & ut eam oſtentarent, tam multi certatim confertimque concurrerant Carthaginem ad Collationem: conqueſtique etiam ſunt, injuriam ſibi fieri ab iis, qui eos non eſſe multos dixerant. Sed tamen cùm præ Catholicis pauci eſſe viderentur, paucitatem nihilominus ſuam voluerunt eſſe indicium Eccleſię, quia (ut eorum patronus Creſconius dicebat) in paucis frequenter ſit veritas: errare autem multorum ſit. Auguſtinus lib. 3. contra Creſcon cap. 66. reſpondet bonos veroſque Chriſtianos, qui per ſeipſos multi ſunt, in comparatione malorum falſorumque itidem paucos eſſe. Idem lib. 2. contra adverſ. leg. cap. 12. cùm audiſſet quendam Manichæum commendare ſuorum paucitatem, quia (ut dicebat) paucorum ſit ſapientia: reſpondet hoc omnibus hæreticis adverſariis Eccleſiæ Catholicæ, quæ per omnes terras copioſa fertilitate diffunditur, in ſua cujuſque propria vanitate commune eſſe. Omnes de ſua paucitate gloriari, & ſeducere multitudinem ſi poſſint, velle. Sanè Socrates hiſt. Eccleſ. lib. 5. cap. 10. narrat Arianos primùm gloriatos eſſe de ſua multitudine. Ubi verò abs Theodoſio repreſſi & civitatibus ejecti eſſent,

jactaſſe in deſertis ſuis ſynagogis illud, *Multi vocati, pauci electi.*

Cùm ſentirent Donatiſtæ ſeſe numero & multitudine non poſſe evincere nomen Catholicorum, confugiunt ad aliam cavillationem. Nam Acta Collationis narrant, Gaudentium dixiſſe, hoc eſſe Catholicum quod ſacramentis plenum eſt, quod perfectum, quod immaculatum. Sic & Auguſtinus in Brevic. ſcribit, Donatiſtas reſpondiſſe, Catholicum nomen non ex univerſitate Gentium, ſed ex plenitudine ſacramentorum eſſe inſtitutum. Verùm inepta & inanis erat hæc argutiola. *Acutum aliquid ſibi dicere videbantur* (inquit Auguſt. epiſt. 49.) *cùm Catholica nomen non ex totius orbis communione interpretantur, ſed ex obſervatione præceptorum omnium & ſacramentorum.* Auguſtinus reſpondet, aliam eſſe hujus vocis ſignificationem: & tamen ſe non in ea hærere, ſed divinis oraculis inniti promittentibus Eccleſiam toto orbe diffuſam. Et verò ille idem Gaudentius tandem eò recidit, ut cùm urgeri ſe ſentiret, indignabundus exclamarit, Catholicam Eccleſiam humanum eſſe figmentum. Teſtis eſt Auguſtinus lib. 2. contra Gaudent. Majori colore dixiſſent, Catholicum nomen eſſe prophanum & civile, quo leges utuntur, cùm ſignificant Procuratorem Cæſaris l. pen. C. de bon. proſcr. Sanè ante Auguſtinum, Optatus lib. 2. contra Donatiſtas diſputans non ſolùm urget, Eccleſiam eſſe Catholicam, & ita appellari, quę ſit toto orbe terrarum diffuſa: ſed & alias (ut vocat) Eccleſiæ dotes, quibus & ornatur & dignoſcitur, indicat: tametſi id faciat frigidè & obſcurè. Prætereo, quæ paulò poſt Auguſtinum Vincentius Lirinenſis ea de re acutius ſcripſit. Sed illud dico, cùm Apoſtolica Eccleſia defenditur, non defendi apoſtolicam colluvionem quorundam nebulonum, qui *ἀποστάται* potius dicendi ſunt. Ergo Donatiſtæ poſtremo Catholicis Apoſtaſiam objecerunt, cujus tamen ipſi potius rei erant. Auguſtinus in lib. de Agone Chriſt. cap. 29. *Cùm*, inquit, *Donatiſtis objicis locos ſcripturæ de Eccleſia toto orbe diffundenda, dicunt, jam iſta omnia fuiſſe completa, antequam eſſet pars Donati: ſed poſtea totam Eccleſiam periiſſe, & in ſola Donati parte reliquias ejus manſiſſe contendunt.* Quid ad hæc Auguſtinus? *O linguam*, inquit, *ſuperbam & nefariam!* Idem in libro de Unit. contra Petilianum narrat, Donatiſtas quidem confeſſos tandem eſſe, quæ Prophetæ prædixerunt de Eccleſiæ amplitudine: ſed excepiſſe, poſtea orbem terrarum, ut loquebantur, apoſtataſſe: defeciſſeque ex omnibus Gentibus Chriſtianam religionem, excepta parte Donati: ſicut in Enoch, in Noha, in Abrahamo, Iſaac & Jacob, & in duabus tribubus Juda, olim remanſit Eccleſia. Specioſa erat hęc Donatiſtarum replicatio, qui & apoſtaſiam quaſi Catholicam dici poſſe objiciebant, ſi longè & latè diffuſa occupet orbem terrarum. Sed in Apoſtaſia probanda imperitè hærebant, qui eam non ex doctrina fidei, ſed ex hominum moribus & degeneri nequitia ęſtimari volebant, homines profectò præpoſteri & moroſi & importuni, potiuſquam acres aut acuti.

Non potuit hæc controverſia melius dijudicari, quàm ex ſucceſſione. Ergo Catholici reſponderunt legitimam jam inde ab Apoſtolis ſucceſſionem ſibi ſuffragari: neque tantùm doctrinæ, ſed & ordinationis: neque ſolùm ordinationis, ſed etiam religionis. Certè ubi talis ſucceſſio eſt, defectio non eſt, imò verò eſt continuatio: ut neque ii, quibus ita ſucceditur, deceſſiſſe omnino

A videntur. Uſi antea erant hac defenſione Irenæus & Origenes adverſus ſui tēporis hæreticos, & ipſe quoque Tertullianus Afer de Præſcrip. hæretic. Optatus eandem opponit Donatiſtis lib. 2. & ejus exemplo Auguſtinus, qui & Manichęis eundem veluti arietem objicit quinquies, aut ſexies in libris contra Fauſtum, & in lib contra epiſt. Manich. & in lib. de Util. cred. & in lib. 1. contra adverſ. leg. cap. 20. Sed cùm adverſus Donatiſtas agitur, difficilior hæc ratio eſt: quia & Donatiſtę ſe cum veteri optima Eccleſia Romana conſentire contendebant, & non niſi à degeneri defeciſſe. Sic jam cauſæ quædam tranſlatio erat, ut non tam de Africana quàm de Ro-

B mana Eccleſia deinceps quæreretur, & rurſus multiplex quæſtio facti oboriebatur. Non negabant Donatiſtæ Africanas Eccleſias tanquam colonias reſpicere debere Romanam tanquam metropolim, ut & Tertullianus Afer de pręſcript. *Videamus*, inquit, *quid Eccleſia Romana didicerit, quid docuerit, cum Africanis quoque Eccleſiis conteſſerarit.* Ergo Donatiſtæ, aſtutè curarant, ut aliquam Romæ Eccleſiam haberent. Sed non potuerunt efficere, ut jam inde ab Apoſtolorum temporibus viderentur ibi habuiſſe Epiſcopum ſuę ſectæ. Ergo revocati ad originem evaneſcebant. Originem autem, cùm de ſuc-

C ceſſione ageretur, inſpiciendam eſſe, ipſe quoque Tertullianus pręmonuerat in lib de Præſcrip. Sanè Acta Collationis teſtantur, Petilianum anticipatione quadam uſum, etiam Auguſtino & ejus collegis ultro litem moviſſe de origine & ſucceſſione. Rogaſſe enim, quis eos ordinaſſet? quem patrem & auctorem haberent? unde cœpiſſent? Auguſtinum autem reſpondiſſe, ab ipſo Chriſto indicari exordium ſuæ communionis & originem ſuæ Eccleſię, quę ab Hieruſalem diffuſa eſt per omnes gentes continuo quodam progreſſu. Sic ſe Chriſtum habere caput, Deum, Patrem: matrem, Eccleſiam talem. Rogant Donatiſtæ, quis Auguſtinum ordinaſſet. Auguſtinus fatetur fuiſ-

D ſe Megalium Primatem Numidiæ. Donatiſtæ aliquid vitii in ea ordinatione notare & reprehendere volebant. Sed futilis eorum cavillatio fuit, quæ non extorquebat Afris Catholicis defectionem ſuæ cum Eccleſia Rom. communionis, in qua hi exultabant.

Optatus lib. 2. diſputans contra Parmenianum Donatiſtam, enumerat jam inde à Petro continuam ſucceſſionem Epiſcoporum Rom. cum quibus Africi Catholici communicabant. Tum verò inſultans Donatiſtis, *Vos*, inquit, *veſtræ cathedræ originem edite.* Reſpondebant, ut erant inſulſi, Donatiſtæ, ſe quoque in Urbe Roma habere Antiſtitem. Optatus replicat primum, quem ibi habuerunt, vel potius quem eò miſerunt, fuiſſe quendam Victorem, eumque Afrum, qui ante Donatum non fuerit. Ergo & Auguſti-

E nus in quodam Pſalm. contra Donatiſtas, *Numerate*, inquit, *Sacerdotes ab ipſa Petri ſede: & in ordine eorum patrum, quis cui ſucceſſit, videte.* Sed & in lib. Quęſt Veteris & Novi Teſta. cap. 110. (qui liber Auguſtino aſcribitur) *Ordinem*, inquit, *ab Apoſtolo Petro cœptum, & uſque ad hoc tempus per traducem ſuccedentium Epiſcoporum ſervatum perturbant, ordinem ſibi ſine origine vindicantes, corpus ſine capite.*

Donatiſtę, ut Romanorum Epiſcoporum illam ſucceſſionem, quam Afri Catholici cum iis communicantes jactabant, interruptam & vitioſam eſſe oſtenderent, neque tamen confuſè ea de re declamitare viderentur, aliquando dixere, primos aliquos illos quidem inculpatè (ſic enim loquebantur)

Rom. Epiſcopatum geſſiſſe : ſed alios deinde diſſimiles fuiſſe : quos & incredibilibus calomnus inſectati ſunt, ut ait Auguſtinus in libro de unico Baptiſmn. Denique clamitarunt Marcellmoni, Miltiadem, Silveſtrum, non minous Traditores fuiſſe quàm Cæcilianum. Mirum verò, potius noo objeciſſe Liberii quandam deſertionem, & Damaſi qui ei ſucceſſit, ſeditioſam ordinationem, qoam & Pelagiani propterea exagitaruot. Nam id Auguſtinus ſignificat, cùm libro ſexto contra Iulian. inquit. *De conſtituendo Epiſcopo diſſenſionem populi Rom. inſultabundus objectas*: Notum aotem eſt ex Ammiano, qualis & quàm cruenta fuerit ea diſſenſio, cùm Damaſus crearetur Epiſcopus. Sed & Iulianus Pelagianus, cùm ſedis Romanæ auctoritate premeretur, etiam ipſum (ut ait eodem loco Auguſtinus) beatę memoriæ Zozimum, Apoſtolicę ſedis Epiſcopum, prævaricationis accuſavit. Verùm ubi talia objiciebantur, Catholici reſpondebant eſſe calumnias : & licèt vera crimina eſſent, tamen privata vicia perſonarum religioni & Eccleſię, quæ & talia peccata damnat, non obeſſe. Plus habuiſſet coloris, ſi Donatiſtæ objeciſſent, quod ipſe olim Tertullianus Afer in libro contra Prax. notaverat, ejus temporis antiſtitem Rom. propè Montaniſtam fuiſſe, & reliqua cumulaſſent, quæ ipſe Tertullianos ſuo ſchiſmati obtendit in libro de Pudic. & coorra Pſych. Sed uſi ſont pattono Petiliano, qui tam fuit ineptus, quàm fuerat olim acer & vehemens Tertullianus. Si Tertullianum alterum habuiſsent ſuarom partium in Collatione, magis ſudaſſet Aogoſtinus. Nonc languidos & molles vincere facile fuit. Nam & ſi quid objiciont, quid aliod quàm (ut ait Poëta) telum imbelle ſine ictu contorquent, vel (qood dicitur) plumbeum & obtuſum pugionem intentant? Ecce ne vagari in aëre viderentur, & agere, ſine ollo teſtimonio, aliquando (inquit Auguſtinus epiſt. 48.) veluti inſidiantes teſtimoniis divinis, tanquam jam periiſſet Eccleſia de orbe terrarum, objiciebant Hilarii quandam querimoniam de provinciis Aſiaticis, quæ Arium ſequebantor. Poterant, ſi doctiores acrioreſque fuiſſent, talem apoſtaſiæ exprobrationem exaggerare. Nam ipſe Hieronymus contra error. Ioan. Hieroſ. *Totum* (inquit) *Orientem, excepto Athanaſio & Paulino, Arianorum hæreſis poſſidebat*, Imo verò & Occidentem pervaſerat, & ipſum Epiſcopum Romanum infregerat. Quid multis? Baſilius epiſt. 60. fatetur ſeſe cogitaſſe principia eſſe illios apoſtaſiæ, cujus meminit Paulus ad Theſſ. Neque noo in Collatione Donatiſtæ objicere poterant, Urbem Romam à Barbaris captam eſſe, & Imperium Romanum jam peſſumire : ſicuti eo tempore Hieronymus ipſe alludens ad illum Pauli locum ad Theſſalon. & ruinam Romani Imperii, quæ Apoſtaſiæ regnum præceſſura credebatur, deplorans in epiſtola ad Geroontiani de Monog. inquit : *Qui tenebat, de medio fit : & non intelligimus Antichriſtum appropinquare?* Sed Donatiſtę agunt paulò remiſſiùs. Neque ſanè ſui ſchiſmatis excuſationem probabilem inde poterant repetere, cùm quidem jam tempore Conſtantini, quo & Imperium Rom. & Eccleſia Chriſtiana maximè florebat, ipſi defeciſſent ab Eccleſia. Neque Auguſtinus nunc laborat, ut illum Pauli ad Theſſalonicenſes de Antichriſto locum exponat: quod poſtea fecit ad Marcellinum noſtrum libro 20. capite 19. de Civitate Dei. Tantùm nunc diluit, quod ex Hilario Donatiſtę objecerant. Hilarii verba in lib. de Synod. hæc ſunt : *Audivi & vidi vitia præſentium non laicorum, ſed Epiſcoporum. Nam abſque Epiſcopo Eleuſio, & paucis cum eo, ex majori parte Aſiana decem provincia Deum neſciunt. Atque utinam eum neſcirent. Cum procliviori enim venia ignorarent quàm obtrectarent.* Si Donatiſtę hinc probare volebant Eccleſiam jam tum in orbe periiſſe, ineptè Aſiam pro toto orbe accipiebant. Quinimo in eodem libro Hilarius confitetur ſaltem Galliæ & Britanniæ Eccleſias in fide ſyncera perſtitiſſe. Neque verò minus Africanæ Eccleſiæ Arianiſmum rejecerant. Sed Augoſtinus alia defenſione utitur. Quanam? Ait, Hilarium decem provinciarum Aſianarum Zizania arguiſſe, non ipſum triticum : aut etiam ipſum triticum, quod defectu quodam periclitatur, quantò vehementiùs, tantò utiliùs arguendum eſſe putaſſe. Ait Donatiſtas calumniari docto viro, qui graviter increpabat, quo iterum parturirbat: & eodem modo potuiſſe dicere, nec tot Eccleſias Galatiæ tunc fuiſſe, quando dicebat Apoſtolus, *O ſtulti Galatæ, &c.* Ait, Eccleſiam aliquando obſcurari, & tanquam obnubilari multitudine ſcandalorum : ſed etiam tunc in ſuis firmiſſimis eminere : & aliquando molitudinem tranquillitate temporis quieta & libera apparare : aliquando tentationum & tribulationum fluctibus operiri atque perturbari. Tale autem tempus fuiſſe, de quo ſcripſit Hilarius. Addo, paulo poſt, tempore Theodoſii, Eccleſiam illam utcunque liberatam fuiſſe, ut rurſus eſset, qualis fuerat tempore Conſtantini. Addo, non diſſimilem viciſſitudinem olim viſam eſse & in regno Davidis. Sed interroptio, qoæ videtur continuitatem abrumpere, non tollit perpetuitatem. Cæterùm ut ad Donatiſtas redeam : Si ex Hilario aliqoid proferre volebant, quod Auguſtino objicerent in hac caoſa, cur non potius protulerunt quod Hilarius ſcripſit contra Auxentium de Eccleſia? Cur non urgent quod ſcripſit Rufinus, Eccleſiæ faciem jam eo tempore fœdam admodum fuiſse? Imo verò cur non objiciunt graviorem querimoniam Baſilii & horribilem, quam edit picturam Eccleſiæ (ut ita dicam confuſè) confuſæ? Cur non clamant Hieronymum confiteri, Eccleſiæ fæcem pro Eccleſia ſuperfuiſſe tempore hujus Collationis? Cur non ipſius Auguſtini ad ipſum Marcellinum verba ex epiſtola v. repetunt, *In iſta* (inquit) *Colluvie morum peſſimorum & veteris diſciplina deperdita, &c.* Verùm ſimplicem Hiſtoriam actionis Donatianæ perſequamur.

Cùm Donatiſtæ clamitarent Eccleſiam Catholicam apoſtataſſe (ut loquebantur) atqoe periiſſe, & hoc clamore eludere vellent Prophetarum vaticinia de Eccleſiæ gloria, amplitudine, perpetuitate : rogarunt Catholici in Collatione, Ubinam ſcriptum eſſet tam citò eſſe perituram: ut & Auguſtinus in lib. de Unit. quærit à Petiliano, Quando, quis, quomodo deleverit Eccleſias Apoſtolico labore fondatas? ſicuti & in epiſt. 161. ad Honoratum, rogat, Quomodo Chriſtus perdiderit hæreditatem Gentium ſibi promiſſam? Hæc enim interrogatio fuit, quę Donatiſtis minimè ut oportebat ad hoc certamen inſtructis, veluti os obſtruxit. Miror non objeciſse,

quod in Ezechiele vel in Daniele vel in Apocalypſi ſcriptum eſſe dicitur de Antichriſto, vel etiam in epiſt. ad Theſſalonic. An ſuo tempore nondum veniſſe tempus illius Antichriſti ſentiebant? Supererat alius locus Pauli ad Timotheum de Apoſtatis, qui noviſſimis temporibus emergerent. Sed ipſe Auguſtinus in libro de Unitate contra Petilianum, veluti præoccupat, & id pertinere ait ad purgamenta Eccleſiæ, & ad eos, qui ab Eccleſia deſecêre: ſicuti & in Manichæos locum illum retorquet l. 5. contra Fauſtum cap. 10. & lib. 30. & lib. 1. contra Felicem Manichæum capite 7. & in libro contra Secundinum, capite 2.

Venio ad id, quod Donatiſtæ in Collatione potiſſimum urgebant: ut cùm Catholica Eccleſia prędicaretur, ipſi ſanctam quoque eſſe debere viciſſim contenderent: qualem adverſariorum, hoc eſt Catholicorum Eccleſiam, non eſſe clamitabant. Catholici agnoſcebant quid ſibi deeſſet, & qualis illa eſſe deberet. Sed in hac vita perfectam non fore fatebantur: futuram verò in cælis: & hoc quotidie agi, ut maculæ deleantur, & rugoſa eſſe deſinat. Sed integram reformationem in hac hominum Colluvione non extare. Ergo Auguſtinus ut Fulgentio Donatiſtæ ſic reſpondit, glorioſe garrienti de ſuæ Eccleſiæ perfectione, ſic in epiſt. 50. ad Bonifacium, *Abſit*, inquit, *ut quiſquam noſtrûm ita ſe juſtum dicat, ut ſine peccato ſe eſſe jactare audeat in hac vita, ſicuti Donatiſtæ in noſtra Collatione dixerunt, in ea ſe eſſe Eccleſia quæ non habeat maculam aut rugam, aut aliquid ejuſmodi*. Fuit tamen non diſſimilis jactatio Pelagianorum, ut indicat Auguſtinus lib. 4. ad Bonifacium cap. 7. & lib. 2. de bono perſ. capite 5. & libr. 5. contra Iulianum. Sed quàm ſit ventoſa vanitas hæreticorum, non eſt ignotum.

Porrò cùm Catholici in Collatione diſtinxiſſent Eccleſiam quæ eſt in cælis ab ea quæ eſt in terris: Donatiſtæ calumniati ſunt, eos fingere duas eſſe Eccleſias: nec meminiſſe, unam modò eſſe. Catholici talem calumniam facilè refutarunt, cùm replicarunt, & oſtenderunt, eandem ipſam unam & ſanctam Eccleſiam, nunc eſſe aliter, nunc autem aliter eſſe futuram ut ait Auguſtin. Collat. 3. cap. 4. Ego non dubitarim tres gradatim agnoſcere formas & ſpecies Eccleſiæ; primam Moſaicam ſive Iudaicam, ſecundam Catholicam, tertiam cęleſtem, & quidem ſecundam priori multò excellentiorem, & tertiam ſecundâ rurſus multò meliorem promitti à Prophetis: & tamen talis profectus non interrumpit continuationem unius Eccleſiæ: neque obſtat, quin & prima illa Eccleſia, quę & ſecundæ præmonſtratio quædam erat, valde laudata ſit. Unde & Pſalmus 74. de Sione & Hieroſolymis, Glorioſa (inquit) de te dicuntur, ô urbs divina.

Redeo ad Donatiſtas, qui reperito ab illius memoria exemplo, ſpecioſè jactabant, ſeſe eſſe tanquam duas illas Tribus, quæ non defecêre, cùm aliæ decem Tribus Iſraelis abs Iudæ regno deſciverant, ſecutæ Jeroboamum. Sed Catholici meritò invertebant hanc comparationem: & quamvis faterentur multas eſſe maculas & labes ſuæ Eccleſię, tamen quandiu illa Chriſtum habebat caput, Schiſma Donatiſtarum eſſe impium contendebant. Sed & Auguſtinus lib. contra Fulgent. cùm audiret Catholicos à Donatiſtis vocari Samaritanos, probat ipſos potius Donatiſtas eſſe tanquam Samaritanos. Hinc autem pendebat judicium de exemplo communionis ex veteri Iudęorum Eccleſia repetito, de quo in Collatione maximè certatum eſt: tametſi non diſſimilem utramque partem in ea contentione parum caviſſe videri. cùm neutra in exemplo Prophetarum, quod allegat, ſatis obſervat diſcrimen, quod Prophetæ tamen omnes inculcant. Adeo fervor contentionis interdum confusè miſcet, quę diſcernenda erant. Itaque tantò magis excutiendum nunc eſt hoc caput Collationis, ut cùm ventum ſit ad præcipuum cauſę ſtatum, utriuſque partis rationes propiùs expendamus.

Acta Collationis teſtantur Catholicos ſuam (ut vocant) Notariam, & Donatiſtas ſuam propoſuiſſe atque oppoſuiſſe, cùm ſcriptis potius quam verbis agerent & contenderent. Notariam eo ſæculo ſive etiam Notoriam vocabant ſcripturam, quæ aliquid notum faciebat vel indicabat: neque alioqui ſic appellatur à nobis vel notariis. Ut autem hoc verbo Auguſtinus quoque in hiſtoria hujus Collationis utitur eo modo, quem dixi, ſic & alibi magis civiliter in hiſtoria Donatiſtarum, Notoriam ſive Notariam vocat ſcriptum ab Irenarchis elogium de reis Donatiſtis, ut in epiſt. 159. & 160. Atque ita etiam uſurpatur in Iure civili, ut in l. Divus. De Cuſtod. reor. l. ab accuſatione. §. accuſatores. Ad Senat. Turpil. l. ea quidem, C. de accuſat. l. 31. C. Th. de Epiſcop. & cleric. Apud Vopiſcum duobus locis Notoria generaliter dicitur Epiſtola. Sed redeo ad Notariam vel Notoriam Catholicorum in hac Collatione propoſitam, in qua Acta teſtantur ſcriptam & propoſitam imprimis fuiſſe hanc Theſim.

Propheta populum peccatorem, & Dominum multis execrabilibus abominationibus offendentem tam ſeveris vocibus arguebant, & flagellis correptionis duros atque indomitos animos, uſque ad inimicitias adverſum ſe horribiles excitabant: nec tamen ſe ab eo populo, in quo utique etiam boni inter malos erant, corporali diſcrimine dividebant; melius judicantes per patientiam ferre malos, quàm per calumniam relinquere bonos.

Donatiſtarum reſponſio in illis Actis longior eſt: ſed concluſio eſt hęc de Prophetis, quorum mentio facta erat: *Quod inter eos, quos damnabant, fuerunt, commorationis fuit, non communionis.*

Quid deinde replicarint Catholici, breviter exponit Auguſtinus in Breviculo Collationis tertiæ diei, his verbis, *De Prophetis, quia dixerant Donatiſtæ in literis ſuis, non eos communicare illis, in quos mala tanta dixerunt, reſponderunt Catholici, Quod unum Templum fuerit, quo univerſi utebantur: nec quenquam Prophetarum, qui tanta dixerunt in malos conſtituiſſe ſibi aliud Templum, ſacrificia, ſacerdotes.* Idem Auguſtinus in lib. contra Donatiſt. poſt Collar. cap. 10. *Adhuc* (inquit) *audens commemorare Prophetica & Apoſtolica teſtimonia, quibus nos univerſaliter in illa Collatione reſpondimus, oſtendentes ipſos Prophetas ſanctos cum iniquis in uno templo, ſub iiſdem ſacerdotibus inter eadem ſacramenta verſatos, nec tamen à malis fuiſſe pollutos, quia noverant, inter ſanctum & immundum, non ſicuti iſti ſentiunt corporaliter populum dividendo, ſed bene judicando & bene vivendo, diſcernere.* Idem paulò pòſt propius accedens ad Donatiſtarum objectionem, ait, *Quod juſſus eſt quidem Propheta nec panem manducare, nec vinum bibere in Samaria, quò miſſus fuerat, ut corriperet eos qui vaccas conſtituerant adorandas more idolorum Ægyptiorum, hoc omnino facere debuit quod preceperat Dominus, cui tunc eo modo illos corripere placuit*

ut nihil ibi tangeret Propheta quem miſerat. Nunquid enim in Eccleſia non ſit quotidie, quando eos, quos acriùs corripimus, etiamſi in eorum poſſeſſione ſumus, nihil ibi apud eos contingimus, ut ſentiant quantum eorum peccata doleamus? Nunquid tamen ideo plebis diſceſſio facienda eſt, ut ſicut mollis herba, indiſcretè eradicentur infirmi, qui de pectoribus hominum, & ignotis factis, etiamſi nobis ſint cognita, iudicare non poſſunt? Nam in ipſa Samaria & Helias & Heliſaus erant, & ſi ipſi in ſolitudine, non tamen devitandorum ſacramentorum causâ, ſed quia perſecutionem ab impiis regibus patiebantur. Nam illic erant non utique in ſolitudine, ſeparata, qua ipſe ignorabat Helias, ſeptem millia virorum, qui non curvarunt genu ante Baal. Hæc ille. Hîc verò neceſſe eſt, ut ingenuè dicam, quod ſentio. Cùm diligentiùs conſidero quæ jam recitata ſunt, videntur mihi tam Catholici quàm Donatiſtæ inconſideratè confundere diſcrimen, quod olim fuit inter Iudam & Iſraelem, interque Hieruſalem & Samariam. Nam ut Donatiſtæ confusè contendunt, Prophetas propter hominum vitia non communicaſſe ſacrificiis ſive Hieroſolymitanis ſive Samaritanis: ſic Catholici non minus confusè contrà contendere videntur, tam his quàm illis ſacrificiis illos communicaſſe, & tametſi moribus ſeſe ſeparatent, tamen in altaribus fuiſſe conjunctos. Atqui, ut ipſe Auguſtinus lib. 17. de Civit. Dei, cap. 22. rectè dixerat, in Iſraele omnes reges fuiſſe reprobos, non etiam in Iuda: ſic dicere debuit de Sacrificiis: & quidem ſacrificiis Hieroſolymitanis communicaſſe Prophetas & communicare debuiſſe, quandiu illorum legitima erat forma: tamerſi ſacerdotum & populi magna eſſet alioqui corruptio, & damnanda hypocriſis. Sed ſacrificiis Iſraelis ſive Samariæ, neque Prophetas communicaſſe, neque communicare debuiſſe: cum quidem non eſſet legitimum altare extra templum: tamerſi ſacerdotum & populi vita fuiſſet minimè vitioſa. Et verò Prophetæ aliter reprehendunt ſacrificia Iudæ, aliter Iſraelis. In illis enim reprehendunt hypocriſim & impietatem perſonarum: in his verò formam quoque & ſubſtantiam ipſorum ſacrificiorum, Auguſtinus in libro poſt Collat. ait, Quæſtionem hanc in Collatione fuiſſe evidenter ſolutam. Ego verò (ut nihil diſſimulem) cogor dicere fuiſſe evidentem utriuſque partis quendam errorem, & quidem juris & facti errorem quandiu non adhibetur diſtinctio, quam dixi. Itaque miror cùm in Collatione Carthaginenſi adeſſent tam multi præclari Antiſtites, neminem obſervaſſe diſcrimen illud, quod toties & tam evidenter Prophetæ inculcant.

Rectè Donatiſtæ aiunt Eliam & Eliſæum nunquam communicaſſe altaribus Samariæ, & propterea in ſolitudine moratos eſſe. Itaque miror Auguſtinum reſpondere, Eliam & Eliſæum non fuiſſe in ſolitudine devitandorum Samariæ Sacramentorum causâ. Habitarunt etiam in Bethel. Sed nunquam aut ibi ſacrificarunt, aut ejus loci ſacrificiis communicarunt. Denique & ſingulare & extraordinarium fuit, quòd in monte Carmelo Elias ſemel ſacrificaverit. Saltem cùm Auguſtinus ait Eliam aut Eliſæum non devitaſſe ſacramenta Samariæ, diſtinguendum eſſet inter ſacramenta Circumciſionis & ſacramenta Sacrificiorum. Sacrificia certè in Samaria omnino vitanda & fugienda erant: quia non niſi in Templo Hieroſolymitano fas erat ſacrificare. Sed Circumciſio ſimiliter templo alligata non erat.

Rectè rurſus Donatiſtæ de Prophetis Oſea & Amos dixere, quod de Elia & Eliſæo, quia ſimiliter illi Prophetæ agebant cum Iſraelitis, & tamen clamabant, *Ne eatis in Gilgal, ne aſcendatis in Bethaven*: hoc eſt, ne communicetis ſacrificiis Iſraelis ſive Samariæ. At non ſimiliter dixiſſent, *Ne aſcendatis in Hieruſalem*. Ergo male Donatiſtæ ſubjiciunt: *Iam verò in urbe Hieroſolyma quomodo poterant Propheta ſacrificiis peccantium hominum communicare, qua divino ſpiritu pleni damnabant.* Atque in his prophetæ damnabant non tam ſacrificii formam, quam ſacrificantis hypocritæ perſonam.

Sed & ubi Donatiſtæ concludebant, *Commorationis fuiſſe non communionis, quòd Propheta fuerint inter eos, quos damnabant*: Rurſus diſtinguendum fuit inter Iudam & Iſraëlem. Prophetæ quidem etiam oriundi ex Iuda, migrarunt in Iſraelem, ut ibi commorantes, non quidem altaribus Samariæ communicarent, ſed ut ea damnarent: ſicuti fecere Amos & Ozeas. Levitæ autem, qui in Iſraëlis Tribubus habitabant, inde omnes fugerunt in Urbem Hieroſolymam, ubi tantùm ſacrificare fas erat.

Donatiſtæ, ut refellerent quod Catholici in Collatione dixerant, moribus non corporibus bonos à malis ſeparari debere, allegarunt illud Iſaiæ: *Diſcedite, diſcedite, exite de medio eorum. Mundamini, &c.* quia & Paulus id repetit in ep. ad Corint. Sed quod ad Iſaiam attinet, conſtat prima illa ejus verba tantùm hoc velle & agere, ut Iudæi ſint parati ad diſcedendum ex Babylone ſtatim atque dies Liberationis venerit. Interea autem etiam monet, ut ſint mundi: ne ſcilicet communicent idolis Chaldæorum: quod Apoſtolus ad ſuos Corinthios repetit, ne & ii communicent idolothytis, &c. Sed alioqui non jubet, ut patriam ſuam relinquant, & ex idololatrarum urbibus fugiant. Alioqui ex mundo exire eos oporteret, ut alibi ait. Quod autem Iudæi ex Babylone diſcedere jubebantur, peculiarem rationem habet, quæ ad alios trahenda non eſt. Auguſtinus in lib. de Unitate capite 12. narrat, Petilianum clamitaſſe, decem Tribus diviſas eſſe & traditas ſervo Salomonis, nempe Ieroboamo: duas verò remanſiſſe filio Salomonis, deinde comparationem fingendo dictitaſſe: *Sic & nunc totus mundus apoſtatavit: nos autem tanquam duæ illæ tribus permanſimus in templo Dei*, id eſt, *in Eccleſia*. Quid ad hæc Auguſtinus? *Oſtendant (inquit) ſcriptum eſſe, ſe eſſe tales, ſicut ſcriptum eſt, illas duas Tribus tales fuiſſe: & tunc nihil reſiſtimus.* Sed ſucceſſio, de qua dixi, oſtendebat potius Catholicos eſſe tales. Schiſma verò indicabat Donatiſtas potius eſſe ſimiles decem Tribubus. Olim quidem decem illæ Tribus Iſraëlis penes ſe eſſe Eccleſiam, potius quàm in Hieruſalem, contendebant. Sed nunquam id evicerunt, neque ollus unquam Propheta id iis conceſſit. Cùm abductæ in ſervitutem eæ eſſent & iis ſucceſſiſſent Samaritæ, duravit eadem contentio: adeo ut æmulum templum in monte Gariſim ædificatum ſit, quale Hieroſolymis fuerat à Iudæis reducibus non multò antè inſtauratum. Ac quidem quæſtio tunc quoque agitata eſt, utrum eſſet templum legitimum: tandemque eſt relata ad judicium Ptolomæi Ægypti Regis: & quidem terribili conditione, ut qui advocatus causâ caderet, morte mulctaretur. Sed audita Moſis lege, & probata Pontificum Iudæorum continua ſucceſſione, rectè judicatum eſt pro templo Hieroſolymitano. Teſtis eſt Joſephus lib. 13. c. 6.

Eſtque profectò Hiſtoria illa memorabilis, & idoneum exemplum, quod hîc laudatur. Sed ſimul miremur, Samaritanos tamen ſibi nihilominus arrogaſſe quod ſolebant: quod etiam fecere cùm eorum templum Garizitanum fuiſſet dirutum: adeo ut Chriſti tempore eam litem etiamnum perduraſſe audiamus. Nihil dicam de altero Templo apoſtatico, quod in Ægypto ad exemplum Hieroſolymitani conditum ab ipſis Judæis eſt, connivente Rege Ptolomæo. Nunc enim me contineo in exemplo veteris diſſenſionis inter Samariam & Hieruſalem. Neque poteſt in hoc argumento exemplum illuſtrius ex hiſtoria veteris Eccleſiæ repeti: in quod quidem cum intuemur, tam horribilis etiam ſchiſmatis, quod tamdiu duravit, memoria nos percellat, neceſſe eſt. Neque dubium eſt, quin Auguſtinus multa proſpiciens inde colligeret, quod in ſchiſmate Donatiſtarum gemens deploraret, ut triſtiſſimam Eccleſię calamitatem defleret. [Legerat quod Nazianzenus de ſuis temporibus & Arianorum intemperie loquens & ſuſpirans conquerebatur, non modò Eccleſiam diſtractam eſſe, ut olim Joda & Iſrael, ſed per domos ſingulas populum Chriſtianum eſſe diſſectum. Legerat quod ille ad Deum converſus precari ſolebat, *O Domine, ſit aliquis finis hujus belli Eccleſiaſtici. Ne ſit amplius Iuda & Iſrael: Hieruſalem & Samaria: Roboam & Ieroboam.* Non dubito, quin Auguſtini ſimiles preces fuerint & ſimilia vota ſuſpiriaque. Ut autem Oſeas & Hieremias prædixerant fore, ut Joda & Iſrael rurſus aliquando coaleſcerent ſub uno capite (quod quidem ubi Eccleſia Chriſtiana primum coaluit, factum eſſe dubium non eſt) vix audebat ſperare rurſus facilè id futurum eſſe, cùm novum in Eccleſia ſchiſma invaluiſſe videbat. Certè idem Nazianzenus, qui vidit, quam Theodoſius Eccleſiarum ἕνωσιν procurabat, gaudio exultans aliquando exclamavit, *Non amplius invicem σχίζομεν & ἀρχόμεν. Iudas & Iſrael unum ſibi ponunt principatum: omnes facti ſumus Chriſtiani*: Sed Auguſtinus tam felix non fuit, ut id omnino viderit: tametſi Collatio Carthaginenſis ad eam unitatem reſtituendam multum momenti attulerit.]

Redeo ad eum locum, in quo Auguſtinus negat, Donatiſtas eſſe, quod dici volunt, hoc eſt, tanquam Tribum Judę. Adjicit enim per conceſſionem, etſi id eſſent, tamen legere debere Prophetas, qui dicunt Iſraelem averſatricem juſtificatam eſſe peccatis Ioda prævaricatricis. Hoc certè Ieremias cap. 3. & Ezechiel cap. 16. dixere, ut & ſuos Iudęos caſtigarent, Eccleſiæ titulo nimis indignè abutentes: neque dubito quin & ipſe Auguſt. peccatis ſuorum minime indulgens, ſæpius ſuo populo id exprobrarit. Illud miror quòd in eodem ſuo lib. de Unit. contra Petilianum, cùm hanc quæſtionem tractat, adjicit, partem illam veteris populi, hoc eſt, Iſraëlem, deputandam non eſſe, tanquam hæreſis fuiſſet. Deum enim decem illas Tribus juſſiſſe ſeparari, non ut religio, ſed ut regnum divideretur. Cùm hæc lego, fateor (ne quid iterum diſſimulē) me hęrere & ſubſiſtere. Deus quidem juſtè meritóque decreverat, Ieroboam fore regem, ut puniret peccatum Salomonis. Sed nihilominus Iſraël peccavit, cùm perfidiosè talem ſibi regem aſcivit, ut à regno Davidis & templo deficeret. Sed & ipſe Auguſtinus libro contra Creſconium capite 31. ait Samaritanos fuiſſe veluti hæreticos Iudęorum. Audio, quod contra Petilianum ait, Deum juſſiſſe, ut regnum Iuda divideretur, non etiam religio. Non enim juſſiſſe fieri ſchiſma: *Sicuti*, inquit, *ſæpe in orbe terrarum regna dividuntur, & tamen Chriſtiana unitas non dividitur, quia in utraque parte invenitur Eccleſia Catholica.* Verùm (ſi mihi fas eſt ingenuè dicere quod ſentio, ut quod verum eſſe puto, verecunde quidem, ſed tamen liberè exponam, nullo Auguſtini præjudicio impeditus) exiſtimo obſervandum eſſe, aliam fuiſſe rationem Regni Iudaici ſive Davidici, aliam eſſe aliorum regnorum. Nam in Regno Davidis ſic incluſa fuit Eccleſia, ſicque cum eo conjuncta, ut non potuerit dividi, quin religio divideretur, hoc eſt, quin qui ab eo deſciſceret, ſchiſmatis reus eſſet. Nam qui ab eo deficiebat, ab Eccleſia quoque ipſa deficiebat. Certè orabatur pro hoc regno, ut pro Eccleſia. Pſalm. 77. & 118. & David propterea dicebatur primogenitus inter Reges, Pſalm. 89. At (inquies) Deus tamen dicitur diviſiſſe regnum Davidis. Fateor, ſed longè alio fine, quàm ipſe Ieroboam ſchiſmaticus, aut quæ eum ſecutę ſunt decem Tribus, quarum longè aliud fuit, quàm Dei conſilium. Hæc obiter dicta ſunto. Concluſio Auguſtini contra Petilianum eſt, fuiſſe etiam in Iſraële Prophetas. Audio. Sed tunc fateor Donatiſtas rectè dixiſſe, commorationis illud fuiſſe non communionis. In Iuda verò non modò commoratos eſſe, ſed etiam communicaſſe, dicendum etiam eſt, ut antè admonui.

Hic ego veniam audaciæ peterem, ſi pauló liberius videor notare in Auguſtino & ejus collegis, non ſatis ab iis obſervatum eſſe diſcrimen Iudæ & Iſraelis. Sed pudoris potius quàm petulantię ullius veſtigium in meo facto agnoſcet æquus & veritatis ſtudioſus judex. Certè ut mihi integrum non fuit diſſimulare quod ſentiebam, ſic agnoſco factum eſſe quodam impetu diſputationis, ad Donatiſtarum moroſiſſimam importunitatem reprimendam, ut Catholici in Collatione minus diſtinxerint Iudam ab Iſraële, cùm Prophetas quantumvis ſeveros vitiorum reprehenſores minimè omnium fuiſſe ſchiſmaticos oſtendere vellent, & Donatiſtas valde reprehenderent, qui ſui ſchiſmatis exemplum repetebant à Prophetis, quos fugiſſe ſuæ gentis ſacrificia confusè clamitabant, contrario quodam modo Iudæ & Iſraëlis diſcrimen confundentes. Cæterum minimè alioqui Auguſtinum ignoraſſe quod dixi, imò verò tale diſcrimen diligenter alias indicaſſe, teſtis eſt ejus liber 17. de Civit. Dei.

Ut autem novis hodie Momis, qui totam Collationem Carthaginenſem propter μυριομορφον ἁμάρτημα irridere, & bonis Patribus inſultare vellent, frænum aliquod injiciam, venit in mentem quod ipſe Calvinus novorum cenſorum princeps, cùm ſexcentis alioqui in locis annotaſſet, illud à Prophetis toties indicatum diſcrimen, tamen neſcio quomodo ejus oblivиſci videtur, ubi in diſputatione incaluit. Certè cum primum iratus in me ſcriberet, etiam illud invertiſse videtur. Ait: *Quin Hieroſolymis vera fuerit Eccleſia, quo tempore ſacerdotes à legitimo Dei cultu deflexerant, minime ambigitur. An verò ejus Eccleſia auctoritas vigere & valere debuerit apud pios, ex Prophetis patet, qui ubique clamant longiſſimè ab impia eorum factione recedendum.* Idem pauló pòſt ait, negari non poſse, apud Iſraëlitas, qui Ieroboamum ſecuti ſunt, fuiſse aliquam Eccleſiam. Addo locum alterum, qui nunc mihi in mentem venit. Nota eſt querimonia Eliæ Prophetæ conquerentis ſeſe relictum eſse ſolum. Eam propriè pertinuiſse ad ſtatum Iſraëlis potius

quàm Iudæ Auguſtinus rectè obſervavit & admonuit lib. 17. de Civitate Dei cap. 22. Calvinus tamen in præfatione ſuæ inſtitutionis, ex illa querimonia liquere generaliter contendit, nullam temporibus Eliæ fuiſſe Eccleſiam aſpectabilem. Atque ipſa hiſtoria ſacra teſtatur Eliam tantùm loqui de regno Iſraëlis ubi habitabat: in regno autem Iudæ eo tempore fuiſſe illuſtrem Eccleſiam regnante Ioſaphat, quem & tanquam alterum Davidem fuiſſe ſignificat. Imò verò idem Calvinus in ipſa ſua Inſtitutione videtur confuſè dicere, quod Donatiſtæ in Collatione dicebant hac in parte. Allegat, Prophetas de Iudæis & Iſraëlitis ſui ſeculi paſſim clamaſſe, prophana eſſe conventicula, quibus non magis conſentire liceat, quàm Deum abnegare: vel ſi illæ Eccleſiæ fuerunt, ab Eccleſia Dei alienos fuiſſe, in Iſraële quidem, Eliam, Micheam, & ſimiles: in Iuda autem Ieſaiam, Ieremiam, Oſeam. Concludit autem neceſſe fuiſſe, ab eorum cœtuum conſenſione deſciſcere, quæ nihil aliud erat quàm impia adverſus Deum conſpiratio. Quis non videt hæc confuſè dici, ubi diſtinguendum erat inter Iudam & Iſraelem? Et verò in eadem paulò antè pagina ſibi veluti contradicens, dixit quod & volumus, & ad Donatiſtas refellendos dicimus. Fateor, *inquit*, Prophetas omnes, qui Hieroſolymis fuerunt, cùm res illic eſſent admodum corruptæ, nec ſeorſum ſacrificaſſe, nec ſeparatos ab aliis cœtus habuiſſe ad orandum. Habebant enim Dei mandatum, quo in templum Salomonis convenire jubebantur. Sacerdotes Leviticos, quos, quia ſacrorum Antiſtites ordinati erant à Domino, necdum abdicati, utcunque indigni eo honore eſſent, locum illum adhuc tenere noverant. Sed neque ad ullum ſuperſtitioſum cultum adigebantur. Idem rurſus in eadem paulò antè ſua Inſtit. Horrendę, *inquit*, ſunt illæ deſcriptiones, quibus, Iſaias, Ieremias, Ioel, Habacuc & alii, Eccleſiæ Hieroſolymitanæ morbos deplorant. In plebe, in magiſtratu, in ſacerdotibus, omnia uſque adeo corrupta erant, ut clamet Iſaias, à vertice capitis uſque ad calcem pedis, nihil eſſe illic ſanum. Religio partim contempta, partim contaminata. In moribus paſſim referuntur furta, rapinæ, perfidiæ, cædes, & ſimilia ſcelera. Neque tamen propterea aut novas ſibi Eccleſias erigebant, aut nova altaria extruebant Prophetæ, in quibus ſeparata ſacrificia haberent: ſed qualeſcunque eſſent homines, quia tamen reputabant, Dominum apud eos verbum ſuum depoſuiſſe, & ceremonias inſtituiſſe, quibus illic colebatur, in medio impiorum cœtu puras manus ad illum extendebant. Certè ſi putaſſent aliquid inde contagionis ſe contrahere, centies potius mortui fuiſſent, quàm paſſi fuiſſent illuc ſe pertrahi. Nihil ergo eos retinebat, quominus diſceſſionem facerent, quàm ſervandæ unitatis ſtudium. Quòd ſi religio ſanctis Prophetis fuit, ob plurima & maxima ſcelera non unius aut alterius hominis, ſed propemodum totius populi, ſe ab Eccleſia alienare: nimium nobis arrogamus, ſi protinus audemus ab Eccleſiæ communione deficere, ubi non omnium mores vel noſtro judicio vel Chriſtianæ etiam profeſſioni ſatisfaciunt.

Iam Chriſti & Apoſtolorum ſeculum quale fuit? Neque tamen impedire potuit deſperata illa Phariſæorum impietas, & quæ tunc paſſim regnabat, diſſoluta vivendi licentia, quin iiſdem ſacris cum populo uterentur, & in unum cum reliquis templum ad publica religionis exercitia convenirent. Unde id? niſi quia ſciebant malorum ſocietate minimè pollui qui, pura conſcientia, iiſdem ſacris communicarent? Si quem parum movent Prophetæ & Apoſtoli; ille ſaltem Chriſti authoritati acquieſcat. Bene ergo Cyprianus: Etſi videntur, inquit, in Eccleſia Zizania, aut vaſa impura, non eſt tamen cur ipſi de Eccleſia recedamus: nobis modò laborandum, ut frumentum eſse poſſimus. Nobis danda opera, & quantum licet innitendum, ut vas aureum & argenteum ſimus. Cæterum fictilia vaſa confringere ſolius Domini eſt, cui & virga ferrea data eſt: nec quiſquam ſibi quod proprium eſt ſoli filio, vendicet, ut ad aream ventilandam & purgandam paleam ſufficiat, Zizaniaque omnia humano judicio ſegreganda. Superba eſt iſta obſtinatio, & ſacrilega præſumptio, quam ſibi furor pravus aſſumit, &c. Fixum igitur utrumque iſtorũ maneat, nihil excuſationis eum habere, qui æternam Eccleſiæ communionem ſponte deſerit, ubi Dei verbum prædicatur, & ſacramenta adminiſtrantur: deinde nihil obſtare vel paucorum vel multorum vitia quominus illic ritè ceremoniis à Deo inſtitutis, fidem noſtram profiteamur: quia nec alterius ſive paſtoris, ſive privati, indignitate læditur pia conſcientia, nec minus pura ſunt & ſalutaria Domini myſteria homini ſancto & recto, quia ſimul ab impuris attrectentur. Hæc ille: quæ nunc non invitus deſcribo, ut adverſarii quoque confeſſione, cauſam, quam ago, peragam: & tali ſubſcriptione confirmem concluſionem Carthaginenſis Collationis contra Donatiſtas. Itaque non gravabor ex eadem inſtitutione repetere ea quę paulo ante ſunt ſubſcripta. Nam ex Auguſtino repetita videntur, & Donatiſtas veluti jugulant. Fuerunt, *inquit*, ſemper, qui falſa abſolutæ ſanctimoniæ perſuaſione imbuti, tanquam aërei quidam Dæmones jam facti eſſent, omnium hominum conſortium aſpernarentur, in quibus humanum adhuc aliquid ſubeſse cernerent. Tales olim erant Cathari, & qui ad eorum veſaniam accedebant, Donatiſtæ. Tales hodie ſunt ex anabaptiſtis nonnulli, qui ſupra alios volunt videri profeciſse. Alii ſunt, qui inconſiderato magis juſtitiæ Zelo, quam in ſana illa ſuperbia peccant. Dum enim apud eos, quibus Evangelium annuntiatur, ejus doctrinæ non reſpondere fructum vident, nullam illic eſse Eccleſiam, ſtatim judicant. Iuſtiſſima quidem eſt offenſio, & cui plus ſatis occaſionis hoc miſerrimo ſeculo præbemus. Nec excuſare licet maledictam noſtram ignaviam, quam Dominus impunitam eſse non ſinet: ut jam gravibus flagellis caſtigare incipit. Væ ergo nobis, qui tam diſſoluta flagitiorum licentia committimus, ut propter nos vulnerentur imbecilles conſcientię. Sed in hoc viciſſim peccant illi, quos diximus, quòd offenſioni ſuę modum ſtatuere neſciunt. Nam ubi Dominus clementiam exigit, omiſſa illa, totos ſe immoderatę ſeveritati tradunt. Quia enim non putant eſse Eccleſiam, ubi non eſt ſolida vitę puritas, & integritas, ſcelerum odio à legitima Eccleſia diſcedunt, dum à factione improborum declinare ſe putant. Allegant Eccleſiam Chriſti ſanctam eſse. Verùm ut ſimul intelligant eſse ex bonis & malis permixtam, illam ex ore Chriſti parabolam audiant, in qua reti comparatur, quo piſces omne genus colliguntur, neque ſeliguntur, donec in litore ſint expoſiti. Audiant agri eſse ſimilem, qui bona fruge conſitus, zizaniis inimici fraude inficitur quibus non expurgatur donec in aream advecta fuerit meſſis. Audiant denique aream eſse, in qua ſic collectum eſt triticum, ut ſub palea deliteſcat, donec vanno

& cribro repurgatum in horreum tandem reconditur. Quòd ſi hoc malo ad diem uſque judicis laboraturam Eccleſiam pronuntiavit Dominus, ut improborum permixtione oneretur, fruſtra nullo nævo inſperſam quærunt. Hæc illæ. Quæ ſi nondum ſufficiunt ad contundendam noſtrorum cenſorum ſive contumaciam ſive moroſitatem, adjiciam quod idem eorum Magiſter ſcripſit adverſus Anabaptiſtas.

Vidimus (*inquit*) quæ vitia in Eccleſia Judaïca Prophetæ reprehendunt: aut potius contra quas abominationes vociferentur; Neque verò reprehenſiones illæ competunt in unum genus hominum: ſed palam denunciant, à primoribus ad plebem uſque, à ſummis ad infimos omnia ſic corrupta & depravata fuiſſe, ut vix unicum
B
membrum ſanum reperiri poſſit. Hæc enim ſunt ipſorum verba. An verò propterea deſierunt cum populo iniquo & perverſo convenire, ut adorarent Deum, ut offerrent ſacrificia, ut audirent doctrinam legis? An ſeorſum templum, aut altare extruxerunt? ut pura Eccleſia potirentur? Si polluitur fidelis, quod in precibus cum iniquis communicet, in audienda doctrina, in ſacramentis recipiendis: Prophetæ omnes polluti fuerunt, ac veluti Duces, qui cæteros exemplo ſuo in exitium ducerent. Nunc ad Chriſtum Dominum noſtrum & ipſius Apoſtolos veniamus. Primum ſcimus qualis eo tempore fuerit Eccleſiæ Hieroſolymitanæ ſtatus. Tamen cum cæteris Dominus Ieſus circumcidi voluit. Deinde purga-
C
tionis die ad templum afferri, ut ex ſolito more Deo offerretur. Si allegent, ſancti viri manibus ſuſceptum fuiſſe: reſpondeo, id totius Eccleſiæ nomine factum: quæ tamen ſporcitiâ multâ & abominandis vitiis ſcatebat. Si rurſum objiciant, infantem fuiſſe, nec ab eo propriè facta: reſpondeo ita infantem fuiſſe in humana natura, quam à nobis acceperat, ut interim providentia ſua divina regeretur, qua nunquam ſiviſſet ſe ulla actione contaminari, quæ filiorum Dei puritati repugnaret. Quinetiam vir factus, ac quod amplius eſt, cùm prædicaret verbum Dei, ac officio ſuo fungeretur, eam viam perſecutus eſt uſque ad extremum diem vitæ. Si offenditur Deus ab eo, qui precandi & teſtificandæ fidei ſuæ gratiâ
D
in cœtum aliquem ingreditur, à quo ſcelerati non arcentur: quid ſibi voluit Dominus noſter, quale exemplum præbuit, cùm templum Hieroſolymitanum ingrederetur, ut unà cum ſcribis & Phariſæis, & populo tunc perditiſſimo ſacra faceret? Protinus, ſat ſcio, excipient, Chriſtum in templum non aſcendiſſe, niſi ut vitia & ſcelera reprehenderet, quæ tum admittebantur: non ut cum eorum ſacrificiis & cæteris teſtificationibus fidei participaret. Verùm falſam eſſe hanc ſolutionem, facile eſt commonſtrare. Non abs re dicit Paulus eum ſubditum legi factum (de Chriſto ſemper intelligo) ut ab ejus ſervitute omnes,
E
qui ei ſubjiciebantur, redimeret. De ceremoniali lege nominatim verba facit. Cùm igitur ad templum, ac præcipuè diebus feſtis & ſolemnibus, accedebat, quamvis eò veniret, ut meliorem promovendi Evangelii, & corrigendis impiorum vitiis, occaſionem nanciſci poſſet: tamen non deſinebat ſeſe legis obſervatorem oſtendere, quæ lege jubentur, faciens, veniens in templum adorandi & ſacrificandi cauſâ. Quod ipſe ore ſuo confirmavit, cùm Samaritanam conveniret. Loquens enim ex omnium Judæorum perſona, ait: Scimus id quod adoramus: at vos, quod adoratis neſcitis: quia ſalus ex Judæis eſt. Haud certè ab illis ſe ſegregat, cùm loquitur de adora-

A
tione, quæ etiam ſacrificia continentur: verùm ſeſe redigit in communem ordinem cæterorum. Id quod ratio ab eo adjuncta, magis etiam confirmat: nempe, quia ſalus ex Iudæis eſt. His enim verbis nihil aliud intelligit, quàm cultum, qui Hieroſolymis exhibebatur Deo, ipſi gratum fuiſſe, tantùm ob fœdus, quod cum populo illo inierat. Ex quibus perſpicimus, eum, qui ſacramentis à Deo inſtitutis cum iniquis communicat, ipſorum congreſſu non pollui, modò ipſe crimine vacet, puraque conſcientia ſit præditus. Idem Apoſtoli magiſtri exemplum ſecuti fecerunt. Verùm ne proliviores ſimus, quàm par ſit, Paulo uno contenti ſimus. Omitto quod quemcunque in locum veniret, ſine ulla difficultate in Syna-
B
gogam Iudæorum ingreſſus eſt, ut oraret Deum, & de ſcriptura tractaret. Omitto etiam, quòd ei religio non fuit ſeſe in templo exhibere, ut ibi Deum adoraret, & ceremoniis legitimis unà cum reliquis uteretur: quamvis ſumma eſſet ſacerdotum & ſcribarum, qui tum illic erant, improbitas, & nequitia. Non quòd illa ad rem non faciant: ſed quia clariore probationum genere, quæ calumniis minùs eludi poſſunt, non caremus. Nempe quòd conqueritur eos qui ipſum adjuvare debuerant, Chriſti honore, & Eccleſiæ prorogatione poſthabitis, privatis commodis ſuis ſtuduiſſe. Neque tamen legimus ipſum, ne pollueretur, ſe ab eorum cœtu ſegregaſſe.

Item, cum vitia illa horrenda, quibus Corin-
C
thii & Galatæ laborabant, reprehendit: non vetat eos, qui puri ſunt & immunes, ullam cum cæteris communionem habere quoad bene purgata fuerint omnia: ſed tantum adhortatur, ut vitia, quæ ſuo quæque loco reprehendit, corrigant nulla mentione facta de ejuſmodi ſegregatione, qualem iſti Fanatici introducere volunt.

Quid verò neceſſe eſt adeo diſputare? cùm Apoſtolus ipſe alio in loco tractans, quo quiſque modo præparari debeat ad recipiendam, ut decet, Cœnam Domini, non jubet unumquemque proximi ſui vitia examinare: ſed ita loquitur, Probet ſeipſum homo, ac ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Nam qui edit & bibit indignè, ju-
D
dicium ſibi ipſi edit & bibit. In quibus verbis duo ſunt obſervanda, Primùm indignè panem Domini edere, non eſſe cum iis, qui indigni ſunt, communicare: ſed non rite præparare ſeipſum, nec expendere fidem propriam & pœnitentiam. Alterum, cùm cœna recipienda eſt, ne initium faciamus ab aliis, quo examinemus ipſos, ſed noſmetipſos probemus. Et certè ſi accuratè conſiderentur omnia: qui ita otio abundant, ut inquirant in alios, ſæpius in re ſua ſunt negligentes & obliviosi. Hactenus ille.

Viſum fuit ſuperiores aliquot paginas ex ejus viri commentariis deſcribere, cujus ore & con-
E
feſſione Donatiſtas quoque damnari, & ſimiles hypocritas atque ardeliones accuſari, lubenter audio, ut tantò magis os obſtruatur malè feriatis quibuſdam ejus diſcipulis, quorum ſeveram ſcilicet cenſuram, hoc eſt, væſanam intemperiem, notari atque coerceri neceſſe eſt. Nunc ut ad Collationem revertar: ejus Acta ſignificant, Donatiſtas etiam objeciſſe quidpiam, ex Aggei Prophetæ cap. 2. de fugienda contagione malorum, tametſi Augoſtinus ſcribat non niſi poſt Collationem id eos allegaſſe. Quæſtio autem fuit de hiſce verbis, *Quicunque acceſſerit ad illum, inquinabitur*, &c. quæ leguntur in interpretatione LXX. Sed ſi Catholici obſervaſſent, ab interpretibus illis adjecta videri: ſaltem non extare in

contextu Hebraico: magna moleſtia reſpondendi facile ſe liberaſſent.

Donatiſtæ non tam fuerunt vel ingenioſi, vel acres, vel facundi, vel vehementes: quàm alii quidam in accuſanda Eccleſia, à qua defecerant. Imò multa, quæ ſuo ſchiſmati ſpecioſè obtendere poterant, neſcio quomodo præteriiſſe videntur. Saltem hodie novi Cenſores, & illorũ alioqui propè patroni, Eccleſiæque accuſatores, aiunt eos prævaricatos poſſe videri, & bonam cauſam malè egiſte, ipſque ſuum ignoraſſe: ignoraſſe conditionem Eccleſiæ, à qua defecerant: ignoraſſe ejus maculas & vitia. Aiunt, Aerium, Jovinianum, Vigilantium, Fauſtum Manichæum, & ſimiles diligentiùs notaſſe quæ reprehenderent: & quia hos reprehenſores Eccleſia damnarit, iterum ream eſſe debere. Sed nunc nihil attinet ſuggerere Donatiſtis novam criminationem: tametſi facilè quoque ſit eam refellere. Poſſem etiam exaggerare populi Carthaginenſis extremam corruptionem, & horrenda infoiraque ſcelera, quæ Salvianus Epiſcopus Maſſilienſis deſcripſit lib. 8. de provident. Sed ne ea quidem ſufficiebant ad excuſandum ſchiſma Donatiſtarum. Sanè cùm multa vulgo malè fieri fatebatur & deplorabat Auguſtinus, in iis ſugiendis conſentientem habuere Donatiſtæ. Sed quæ Eccleſia rectè probabat, graviter defendit diluens adverſariorum calumnias: & ut multa illi exprobrarentur, tamen Eccleſiam Chriſti eſſe conſtantiſſimè contendit, præſertim cùm auctores illa bonos haberet, & promiſſa laudataque eſſet à Prophetis, qualis poſt Chriſtum exhibita eſt, totoque orbe diffuſa: neque aliam oſtendere Donatiſtæ poſſent, ad quam vaticinia illa Prophetarum referri poſſent. Itaque deficere ab ea Eccleſia Catholica non debuiſſe Donatiſtas, concludit: & (quod mirum eſt) eadem eſt nunc eorum concluſio, qui alioqui illius quoque temporis Eccleſiam acerrimè accuſant, & ſibi licere propterea volunt, quod tamen Donatiſtis negant. Quæ porrò Donatiſtæ dicebant, ut ſuam factionem probarent eſſe veram Eccleſiam Chriſti, putidiora ſunt quàm ut pluribus refelli debeant: audiamus tamen.

Jactabant in Collatione, ſeſe Antiſtites & defenſores eſſe ſinceræ Eccleſię, quæ (ut aiebant) perſecutionem patitur, & non facit. Crucem enim & patientiam, eſſe quædam inſignia Eccleſiæ profitebantur. Sed Auguſtinus contendit eos facere potius quàm pati: vel ſi quid interdum patiuntur, juſtè eos pati quod injuſtè faciunt. Imò in ſua Epiſtola 50. probat non eſſe conſequens, ut Eccleſia vera ſit, quæ perſecutionem patitur, non quæ facit: & refutat Donatiſtas, qui non quærunt cauſas, quare quiſque faciat perſecutionem, vel quare patiatur: ſed hoc putant eſſe ſignum veri Chriſtiani, ſi perſecutionem patiatur, non autem faciat.

Sanè quia aliquando ab Imperatore miſſus erat Macarius Præfectus ad coercendam Donatiſtarum inſolentiam, Parmenianus Donatiſta Catholicis exprobrans (ut vocabat) Macarianam vim, invidioſè clamitaverat: *Non poteſt dici Eccleſia, quæ cruentis morſibus paſcitur, & ſanctorum ſanguine opimatur.* Sed Optatus lib. 2. juſta recriminatione id in adverſarium retorſerat, *Et oſtendam* (inquit) *partem veſtram cruentis morſibus paſtam, & ſanguine Chriſtianorum opimatam, &c.* Poſtea tamen Petilianus Donatiſta multò & odioſius & verboſius repetitam Parmeniani ſui ſive querimoniam ſive exprobrationem ingeminavit. Sed Auguſtinus futiles calumnias & inania

A maledicta eſſe oſtendit: imò verò probat, Donatiſtas impudenter aliis objicere, quod ipſi committebant.

Jactabant Donatiſtæ ſuos martyres: & Parmenianus invidioſè noſtris eos antea objecerat. Sed Auguſtinus graviter talem jactationem refutaverat lib. 1. contra Parm. cap. 7. Nihilominus tamen Petilianus eandem cantilenam canit. Ergo Auguſtinus eandem reſponſionem repetit, oſtenditque, non pœnam, ſed cauſam efficere martyres. Et tamen Donatiſtas occidi negat. Imò verò ipſos ſeſe furioſè præcipitare, ſibique mortem ultro conſciſcere probat. Legatur ejus epiſtola quinquageſima ad Bonifacium: & adjungatur Cyprianus Chriſti martyr, qui multò ante tempora Donatiſtarum, etiam dixerat, extra
B Eccleſiam non poſſe eſſe martyrem, neque in morte coronari poſſe, ſicuti & multis poſt Auguſtinum ſeculis ipſe Bernardus oſtendit etiam Diabolum habere ſuos martyres: & eleganter ait, mirum non eſſe, ſi qui poteſt homines impellere ut ſibi ipſis mortem inferant, poſſit iis perſuadere, ut patiantur ſeſe ab aliis occidi. Sanè & Euſebius lib. 5. cap. 6. ſcribit jam olim Montaniſtas jactaſſe ſuos quoque martyres, & ad hanc gloriam, tanquam ad ſacram anchoram, confugiſſe, ut ſuam ſectam commendarent atque celebrarent. Sed res ipſa loquitur fuiſſe fatuam *αὐθάδειαν*.

Porro quia Donatiſtę audiebant, Eccleſiam Catholicam, non modo ſanctis martyriis, ſed & illuſtribus miraculis fuiſſe ornatam: jactarunt
C etiam ſuæ partis neſcio quæ miracula, quaſi certa indicia teſtimoniaque Eccleſię. Sed acutè Auguſtinus ea retorquet, ut potius pro ſignis Antichriſti, vel pſeudoprophetarum habeantur.

Quid non auſi ſunt Donatiſtæ, quid non tentarunt, ut Eccleſiam penes ſe eſſe probarent? Jactarunt etiam Angelum cæleſtem apparuiſſe, qui eorum cauſam confirmaret. Sed Auguſtinus in epiſt. 165. altiùs aſſurgit, & illi etiam, ſi quis fuiſſet, audet denunciare anathema, fretus vaticiniis Prophetarũ Catholicam Eccleſiam promittentium, *Et has*, inquit, *promiſſiones tenenti, ſi ſibi Angelus de cælo diceret, Dimitte Chriſtiani-*
D *tatem orbis & tene partes Donati, anathema eſſe deberet.* Donatiſtæ tandem eo evaſerunt, ut etiam dicerent Deum ipſum de cælo reſpondiſſe Donato: propè ut de ſuo auctore dicerent, auditam eſſe Dei vocem illam, *Ipſum audite.* Verùm quod, ubi miracula jactarunt, reſponſum audierunt, idem nunc eis Auguſtinus objicit. *Aut falluntur*, inquit, *aut fallunt. Et contra iſtos, ut ita loquar, mirabiliarios: cautum me fecit Deus meus, dicens: In noviſſimis temporibus exurgent pſeudoprophetæ, facientes ſigna & portenta, ut in errorem inducant, ſi fieri poteſt, etiam electos. Ecce prædixi vobis. Ergo cautos nos fecit ſponſus, quia & miraculis decipi non debemus.*

Redeo ad Acta Collationis, ut audiam ecquid
E tandem de Donatiſtis pronunciarit Marcellinus. Nihil enim alioqui actum eſſet. Auguſtinus in Breviculo ait eum pronunciaſſe confutatos eſſe à Catholicis Donatiſtas, omnium documentorum manifeſtatione. Integram ſententiam, quæ longior eſt, & edicti formam habet, continent Acta, de quibus loquor. Eſt autem in ea imprimis memorabile, quod jubet fidem publicam evocatis Donatiſtis datam (vulgo ſalvum conductum vocant) ſervari, ut iis liberum & integrum ſit tutò domum redire. Sed interea non

poſſe ſe diutius differre legum contra eos latarum executionem profitetur, proptereaque jubet, ut eorum cœtus diſſolvantur, & Baſilicę, quas occuparant, Catholicis reſtituantur.

Poſſidius, qui etiam interfuit, ait Donatiſtas ſententia Cognitoris notatos eſſe, & poſt eorum appellationem, piiſſimi Regis reſponſo juſtè inter Hæreticos eſſe condemnatos. Nempe ſententiam Marcellini conſecuta eſt lex Imperatoria. Nam & quę in Codice Theodoſiano lib. 44. de Hæret. extat Honorii conſtitutio contra Donatiſtas, data Ravennæ Conſtantio & Conſtante Coſſ. non niſi duobus poſt Collationem Carthaginenſem annis edita eſt. Atque ita quidem olim ſolebant Chriſtiani Imperatores ſancire Decreta Conciliorum. Præfatur autem Honorius Imp. ſeſe hactenus pepercisse Donatiſtis, quos (inquit) patientia clementiæ noſtræ ſervavit. Id verò non ſatis intelligeretur, niſi meminerimus quam patienter & benignè paulò antè auditi in Collatione fuiſſent. Neque tamen planè novum eſt, quod Honorius jubet eos eſſe inteſtabiles, nullamque poteſtatem ullius (ut loquitur) ineundi, habere ait. Certè Theodoſiana quoque lex fuit, qua iis vel faciendi teſtamenta, vel per donationes alicui quid conferendi facultas adimitur, vel ex donationibus teſtamentiſve aliquid capiendi, ut ipſe Auguſtinus recitat ad finem lib. 1. contra Parmenian. Sed & ad jus civile pertinet, proptereaque minus præterire poſſum, quod eodem loco narrat Auguſtinus, cùm homo quidam nobilis Imperatoribus ſupplicaſſet, quia ſoror ejus, quæ de parte Donati fuerat, cùm defungeretur, in aliquos communionis ſuæ plurima contuliſſet, præceptum eſſe, ut omnia fratri teſtituerentur. Hîc ergo locum non habuit lex Papia de caducis, ex qua fiſcus capiebat, quod relictum erat ei, qui capere non poterat. Sed etſi frater ille fuiſſet præteritus vel exhæredatus, jure communi potuiſſet reſcindere ſororis teſtamentum, in quo turpes & infames perſonæ (quales erant Donatiſtæ) fuiſſent inſtitutæ. Sed quia nunc de jure Civili diſputandi locus non eſt, prætereo quod pluribus verbis ea de re dici poſſet. Moneo tamen Lectorem, ut conferat quam hujus legis depravationem poſtea in Africa edidit Hunnericus Vandalus, ut Victor Uticenſis lib. 3. narrat. Illud pręterea ex lib. 16. Cod. Theodoſ. Tit. 5. c. 5. didicimus, quod huc omnino referendum eſt, non multò poſt Collationem mortuum fuiſſe Marcellinum, proptereaque quæſitum fuiſſe, an ejus morte Acta Collationis labefactarentur. Imperatorem verò Honorium duobus circiter menſibus poſt ſuperiorem legem ſuo ea edicto iterum confirmaſſe. Sic enim Ioliano Proconſuli Africæ reſcribit. *Notione & ſolicitudine Marcellini ſpectabilis memoriæ viri contra Donatiſtas geſta ſunt ea, quæ tranſlata in publica monimenta habere volumus perpetuam firmitatem. Neque enim morte cognitoris perire debet publica fides. Dat. iii. Kalend. Septemb. Rom. Conſtantio & Conſtante Coſſ.* Sed ad hujus legis ſive reſcripti ſententiam intelligendam, neceſſaria fuit Collationis hiſtoria, quam expoſui. Et ut fragmenta colligam, quæ diſperſa diſſectaque non intelliguntur: nunc adjiciam quod Honorius ſcribit, & ad hunc locum pertinet, inquit lib. 7. cap. 42. *His diebus præcipiente Honorio, pax & unitas per univerſam Africam Eccleſiæ Catholicæ reddita eſt, & corpus Chriſti (quod nos ſumus) redintegrata diſciſſione ſanatum eſt, impoſita executione ſancti præcepti Marcellino Tribuno viro imprimis prudenti & induſtrio omniumque ſtudiorum bonorum appetentiſſimo: quem Marinus comes apud Carthaginem incertum, zelo ſtimulatus, an auro corruptus, occidit: qui continuo revocatus ex Africa, factuſque privatus, vel ad pœnam, vel ad pœnitentiam, conſcientiæ ſuæ dimiſſus eſt.* Hæc Oroſius. Quæ quidem indicant quis fuerit ſive fructus, ſive exitus Collationis cum Donatiſtis; & quid eam conſecutum ſit, ut & iis ſatisfiat qui quærunt, ecquid illa profuerit? Ac quidem primùm reſpondeo de Donatiſtis, quod Hieronymus de Luciferianis eorum propè ſociis, nempe vinci poſſe, perſuaderi non poſſe. Et tamen multos, qui ſanabiles erant, reſipuiſſe ipſe Auguſtinus teſtatur in lib. de Geſt. cum Emer. ubi de hac Collatione loquens, *Donatiſtas (inquit) in nomine Chriſti in gremium Catholicum magna ex parte ſuſcepimus, ita ut penè omnes communioni Catholicæ ſociatos eſſe gaudeamus.* Idem Auguſtinus in epiſt. 50. ad Bonifacium, ait, *Maximè poſt Collationem quæ inter nos & Epiſcopos eorum apud Carthaginem fuit ex magna parte correcti ſunt.* Ergo effecit hæc Collatio quod vix unquam efficere potuerunt maxima & optima alioqui Concilia. Sed vellem etiam quod Auguſtinus optabat, effeciſſet ut Catholici mali, quorum depravatio irritabat Donatiſtas, horum tumultibus correcti & emendati fuiſſent. At quàm potius facti ſint deteriores, bonus eſt teſtis Salvianus Maſſilienſis in lib. de provid. & judic. ubi Carthaginenſium incredibilem inſaniam & projectam nequitiam deſcribit. Ergo non multò poſt Collationem accidit, ut hoſtes Donatiſtis longè immaniores in Africam inundarint, qui terribile divinæ ultionis adverſus deploratam improbitatem exemplum ediderunt, exciſis pluſquam quadraginta Eccleſiis, & ipſa denique Carthagine everſa: morienſque Auguſtinus talem calamitatem ita deflevit, ut tamen in ea gemens juſtum Dei judicium agnoſceret, ſicuti Poſſidius narrat. Interea gratulandum eſt Donatiſtis, ſi qui ſanabiles erant, nullum ſcandalum obſtitiſſe, quominus ad eam redirent, quam in Collatione Eccleſiam agnoverant. Sanè Poſſidius, qui Collationi, ut dixi, interfuit, teſtatur, potiſſimùm per hanc Collationem factum eſſe, ut Auguſtino palmam Deus dederit, & indies augeretur pacis unitas & Eccleſiæ confraternitas, & multi Donatiſtarum Epiſcopi ad pacē Catholicam redierint, & quidvis eo nomine ab Donatiſtis paſſi ſint. Interea tamen idem Poſſidius adjicit, non defuiſſe qui calumniosè dicerent non fuiſſe permiſſos Donatiſtas apud poteſtatem, quæ cauſam audivit, dicere omnia pro ſuis partibus, quoniam Catholicę communionis Cognitor ſuæ favebat Eccleſiæ. Sed inanem fuiſſe hanc cavillationem Poſſidius oſtendit. Alii fingebant precio corruptum Marcellinum fuiſſe. Sed hoc eâdem impudentiâ dicebant, qua olim cùm appellaſſent Conſtantinum, & is Cæcilianum abſolviſset damnaſſetque Donatum, cavillati ſunt corruptum fuiſse Imperatorem. Atque ut intelligamus nihil non eos captaſse, quod calumniarentur, etiam conqueſti ſunt noctu Marcellinum judicaſse. Ipſi cavillando in Collatione jam diem conſumpſerant, ut in tenebris effugerent, Iudex volens ſuâ patientiâ iis pręcidere omnem in poſterum occaſionem juſtę querimonię, adjiciebat clepſydram, & patiebatur eos quidvis dicere, potius quàm actionem interrumperet. Sed tamen tandem ſententiam tulit, cùm illi dixiſsent, & dixiſse ſe confeſſi eſsent: neque, quia ſeriùs judicaverat, propterea rem judicatam eludi paſſus eſt. Gellius libro decimo quarto ſcribit Senatuſconſultum nec ante exortum, nec poſt occaſum ſolem factum.

ea um

tatum fuiſſe. Imo & cùm de judiciis ageretur, in XII. Tab. ſcriptum fuit. *Sol occaſus ſuprema tempeſtas eſto.* Sed non eadem fuit omnium decretorum ratio: neque ſemper ea lex ſervata eſt. Nam & ſæpe Romani imitati ſunt Areopagitas, qui non niſi noctu judicabant, & ipſe noſter Iuſtinianus in Novella 82. jubet pedaneos ſuos judices ſedere pro tribunali à ſummo diluculo uſque ad veſpertinum crepuſculum, ſive ut loquitur, ἐν δείλῃ ὀψίᾳ, neque quicquam obſtat, quin ſi cauſa poſtulet, judex poſſit diutius etiam ſedere. Denique & teſtamenta & contractus noctu poſſe fieri, dubitandum non eſſe lex ait. Libro 22. §. penultim. de Teſtament. L. non minorem, C. de Tranſact. Noſter quidem certè Auguſtinus reſpondens Donatiſtis exclamat: *Quis ferat victos homines conqueri, quòd noctu contra eos eſt prolata ſententia: quaſi non ſæpe judices audiendi neceſſitas teneat, ut uſque ad multam partem noctis ſedere cogantur? An ideò non eſt verum, quod dicitur, quia per noctem dicitur? &c.*

Interfuerat Collationi Emeritus Donatiſta: Sed ingenuè non fatebatur ſeſe in ea victum eſſe, & neſcio quos calumniarum fumos ſpargebat in ſua Cæſarienſi Mauritania. Eò itaque cùm profectus eſſet Auguſtiuus, non recuſavit veluti actum agere, & Geſta Collationis rurſus exponere atque tueri. Ait id ſe feciſſe Honorio XII. & Theodoſio VIII. Coſſ. Itaque apparet ſeptem annis poſt Collationem id accidiſſe, atque adeo eo ipſo anno, quo in Carthaginenſi Concilio, cauſa Pelagianorum agebatur, & ut in Milevitano judicata fuerat anno priori. Auguſtinus lib. 2. retract. ſimpliciter ait aliquanto poſt Collationem, cùm quædam orta eſſet neceſſitas pergendi in Mauritaniam Cæſarienſem, ſeſe egiſſe cum illo Emerito: neque alioqui cauſam illius ſuæ profectionis exprimit. Sic & in epiſt. 207. *Eò* (inquit) *nos injuncta nobis à Zoſimo Apoſtolicæ ſedis Epiſcopo Eccleſiaſtica neceſſitas deduxerat.* Et Poſſidius qui interfuit Cæſarienſi illi actioni, non minus quàm Collationi Carthaginenſi, Tantum ait, ſedis Apoſtolicæ literas compuliſſe Auguſtinum cum aliis Epiſcopis venire in Mauritaniam ob terminandas alias Eccleſiæ neceſſitates: cumque incidiſſet in Emeritum ejus loci Donatiſtarum Epiſcopum, cum eo iterum congreſſum eſſe, ut is liberè diceret pro ſua parte, quæcunque vellet, quia quidam dictitabant cum in Collatione prohibitum eſſe omnia dicere. Quid ibi geſtum ſit, ipſe Auguſtinus conſcripſit, ut Geſta Cæſarienſis illius collocutionis cum Actis Carthaginenſis Collationis conjungerentur. Ridiculum eſt, quod Exſcriptores Centuriarum hiſtoriæ Eccleſiaſticæ nuper annotarunt, illi Cæſarienſi repetitioni interfuiſſe Imperatores Honorium & Theodoſium, quia hanc iis Conſulibus habitam Auguſtinus dicat.

Supereſt, ut obſervemus eodem tempore conveniſſe adverſus Pelagianos nobiliſſimum illud Concilium Carthaginenſe: cui tamen pauciores Epiſcopi Catholici interfuerunt, quàm interfuerant Collationi. Nam in hac CCLXXXVI. in illo verò CCVII. numerantur.

Proſper in ſuo Chronico ait Pelagium anno Chriſti CCCCXV. publicaſſe ſuum dogma, hoc eſt, ſtatim poſt Donatiſtas in Collatione repreſſos. Anno autem CCCCXX. habito apud Carthaginem Concilio CCXVII. Epiſcoporum, miſſa eſſe ad Pontificem Zoſimum Synodalia decreta, quibus probatis per totum mundum hæreſis Pelagiana damnata ſit. Sed rem totam ſatis non explicat Proſper. Ex Auguſtini verò ſcriptis repetere licet, quod imprimis hìc obſervandum eſt.

Propter Pelagium, tempore Innocentii Pontif. cui Zoſimus ſucceſſit, eodem tempore conveniſſe videntur duo magna Concilia, Carthaginenſe & Milevitanum: illud Carthaginis & Africæ, hoc Numidiæ paſſim vocat Auguſtinus epiſt. 47. & 91. & 94. & 106 & 110. 157. Fateor, cùm Pelagiani cauſam ſuam judicari vellent in univerſali Concilio Orientis & Occidentis, Auguſtinum id iis negaſſe, reſpondiſſeque rariſſimas fuiſſe hæreſes, propter quas damnandas fuerit neceſſaria congregatio Synodi. Sed tamen cùm id ſcribebat Auguſtinus lib. 4. contra duas epiſt. Pelag. cap. ult. jam viderat duas ſaltem provinciales Synodos congregatas ad damnandam hæreſim Pelagianam. Nam id ſcribit ad Bonifacium Pont. Rom. & multò poſt illas Synodos ſcripſiſſe ſe non diſſimulat: & verò earum præjudicio fiebat, ut tantò magis Pelagianis negaretur quod præterea calumnioſè poſtulabant. Credo equidem eos cavillatos eſſe, quod Palladium quendam Arianum in Aquilejenſi Synodo eludendi cauſâ cauſatum eſſe legimus, cùm eam Synodum refugere ſe diceret, quia univerſalis non eſſet. Sed quod Ambroſius, qui ei Concilio præerat, reſpondit Palladio, Auguſtinus Pelagianis reſpondere potuit: tametſi Ambroſius hoc plus haberet, quòd in Nicæno Concilio damnata eſſet hæreſis Ariana. Porro memorabile eſt quod Auguſtinus præterea ſignificat, Pelagianos Collationem poſtulaſſe, qualis cum Donatiſtis fuerat. Sed meritò Catholicos eam refugiſſe, ne actum agerent.

Cæterùm etſi Auguſtinum Concilio Milevitano potius quàm Carthaginenſi interfuiſſe dicamus, tamen cùm Milevitanum citiùs finitum fuerit, & Carthaginenſe diutius durarit, non negamus, & huic intereſſe tandem illum potuiſſe. Ineptum tamen eſt, quod Scriptores Centuriarum annotant, Auguſtinum ei præfuiſſe, ex eoque ad Innocentium ſcripſiſſe Aurelium potius dicere oportuit: ſicuti & is primo loco nominatur in epiſtola ejus Concilii ad Innocentium, in qua Auguſtinus non nominatur: tametſi epiſtola relata ſit inter Auguſtini epiſtolas num. XC. ſicuti & reſponſum Innocentii ſubjectum eſt, numero XCI. Cæterùm tam ex Milevitano Concilio, quàm deinde ex urbe Carthaginenſi Auguſtinus cum ſuis Collegis reſcripſit eadem de re ad eundem Innocentium epiſt. 92. & 95. & extat ad utramque reſponſum Innocentii epiſt. 93. & 96. Auguſtinus lib. 1. contra Julianum cap 2. ſimpliciter ait, Innocentium Africanis reſpondiſſe Conciliis, quod antiquitus Apoſtolica ſedes & Romana Eccleſia cum cæteris tenet.

Porro cùm Patres Concilii Carthaginenſis in ſua ad Innorentium epiſtola narrent, fermè ante quinquennium fuiſſe in Eccleſia Carthaginenſi agitatam cauſam Cæleſtii, apparet non modò Pelagianam hæreſim publicatam fuiſſe citius qoàm Proſper annotet, ſed & damnatam ibi eſſe, quo tempore Donatiſtarum cauſa eodem in loco agitabatur; tametſi Auguſtinus in Donatiſtis refellendis tunc occupatus, Pelagianos nondum aggreſſus eſſet. Sanè lib. 2. Retract. cap. 33. ſignificans Cæleſtium Pelagii diſcipulum fuiſſe ibi damnatum ante ſuum magiſtrum, *Cæleſtius* (inquit) *diſcipulus ejus jam propter tales diſſenſiones apud Carthaginem in Epiſcopali judicio, ubi ego non interfui, excommunicationem meruerat.*

Patres Milevitani Concilii (inter quos Sylvanus

primoloco, Auguſtinus octavo numeratur) in A ſua ad Innocentium epiſtola aiunt ſeſe ad eum de Concilio Numidiæ ſcribere de Actis contra Pelagium, imitantes Carthaginenſis Ecclesiæ provinciæque coepiſcopos. Ergo jam editum erat decretum Concilii illius Carthaginenſis contra Pelagianam hæreſim. Reſponſum autem Innocentii Pontif. ad patres Milevitanos datum eſſe dicitur VI. Kalend. Februar. Honorio & Conſtantio Coſſ. Ego puto legendum, *Conſtante & Conſtantio Coſſ.* ſicuti & in Codice hi Conſules conjunguntur. Fuit quidem hic Conſtantius 2. Coſ. cum Honorio Imp. Sed tunc Innocentius erat mortuus, ut ex Chronico Proſperi apparet. Cæterum Conſtantem & Conſtantium Coſſ. fuiſſe anno CCCCXVI. indicat idem Proſper: ut ſi eo anno reſponderit Innocentius Milevitanis Patribus, neceſſe ſit Concilium Carthaginenſe contra Pela- B gianos inchoatum eſſe ſtatim poſt Collationem contra Donatiſtas. Porro Auguſtinus in epiſt 47. loquens de damnatione hæreſeos Pelagianæ, ait non modò de Concilio Carthaginis provinciæ & Numidiæ ſcriptum ad Innocentium Papam fuiſſe, ſed & aliquantò diligentiùs à quinque Epiſcopis. Hi fuerunt Aurelius, Alypius, Auguſtinus, Evodius, & Poſſidius, qui etiam (excepto Evodio) ut cum Donatiſtis in Collatione committerentur, electi fuerant. Eſt autem memorabile, quod Auguſtinus in epiſt 110. narrat, duobus Conciliis Numidiæ & Carthaginis, curam ſcripturarum ſibi ab Epiſcopis impoſitam eſſe. Unde conjicere licet, quanti tum fieret hic Antiſtes: & tamen ſuperavit expectationem. Verùm illud modò dico, Aurelium Carthaginenſis Concilii, cui præfuerat, & Auguſtinum Milevitani, cui interfuerat, ſententiam contuliſſe, & tribus aliis adjunctis eandem rurſus cauſam egiſ- C ſe, ex urbeque Carthaginenſi ad Innocentium diligentiùs ſcripſiſſe. Eſt epiſt. 95. cujus principium eſt: *De Conciliis duobus provinciæ Carthaginenſis & Numidiæ ad tuam Sanctitatem à non parvo Epiſcoporum numero ſubſcriptas literas miſimus.* Nempe eas miſerat Aurelius ex Carthaginenſi, Auguſtinus verò ex Milevitana Synodo.

Poſtea mortuo jam Innocentio videntur plures, quàm antea, Carthaginem rurſus conveniſſe Epiſcopi, qui eandem cauſam diſcuterent. Auguſtinus, ut priùs Concilium Carthaginenſe vocat Concilium provinciæ Carthaginis, ſic iſtud alterum, quod ad Zoſimum Innocentii ſucceſſorem D ſcripſiſſe narrat, vocat Concilium Africanum. in epiſt. 47. Sed ejuſdem Concilii quandam fuiſſe, ut vocat, continuationem, pluribus ex Africa concurrentibus, & iis, qui antea Milevitano interfuerant, cum iis qui Carthaginenſi, convenientibus, meritò aliquis dixerit. Sicuti & rurſus quoddam poſterius plenarium Concilium totius Africæ eandem ob cauſam conveniſſe Auguſtinus ſignificat in epiſtola 47. Neque diſſimilis quædam fuit Conſtantinopolitani Concilii, quod fuiſſe ſecundum univerſale aiunt, conditio, cùm Patres modò dimitterentur, modò revocarentur. Cæterùm cùm hiſtorici iſta confusè narrant, neque E quicquam diſtinguunt, multa imperitè miſcent, quæ diſcernenda ſunt, & credulum lectorem ſæpe fallunt.

Proſper annotat Concilium Carthaginenſe ad Zoſimum ſcripſiſſe Honorio XII. & Theodoſio VIII. Coſſ. anno Chriſti CCCCXX. Acta indicant, iis Coſſ. in eo Concilio pronunciatum fuiſſe contra Pelagianam hæreſim, & Auguſtinum interfuiſſe ſignificant. Cæterùm ipſe Auguſtinus narrat ſeſe iiſdem Coſs. XII. Calend. Octobris Cæſareæ in Mauritania congreſſum eſſe cum Emerito Donatiſta, & Carthaginenſis cum Donatiſtis Collationis judicium defendiſse. Adeo nihil non & faciebat & præſtabat optimus Antiſtes, de Eccleſiæ ſalute ſollicitus.

Porro ad Zoſimum ex Africano Concilio ſcriptum, & à Zoſimo reſcriptum ad univerſos totius orbis Epiſcopos fuiſſe ait Auguſt. epiſt. 47. Sed ejus ſcripti reſcriptive nihil extat. Addit Auguſtinus, *Et quod poſteriori Concilio plenario totius Africæ contra errorem Pelagii breviter conſtituimus.* Sed nihil præterea de eo plenario Concilio, cui ſe magis interfuiſſe ſignificat, quod dicam habeo, niſi quod ea quæ circunferuntur Acta Concilii Carthaginenſis, ut Pelagii non meminerunt, ſic indicant poſtremò agitatam fuiſſe aliam, cujus apud Auguſtinum nulla eſt mentio, cauſam Apiarii Preſbyteri, & in ea quæſtionem de jure provocationis adverſus Legatos Zoſimi, ſcriptumque ea de re fuiſſe ad Bonifacium Zoſimi ſucceſſorem: ut ſi ita ſit, neceſse ſit, hoc Concilium multis annis duraſse. Sed vereor, ne multa & confusè & falsò jactentur ea de re. Non inficior quæſtionem ejus generis aliquam agitatam: ſed fideliter & ſimpliciter recitanda eſſet: non autem contumelioſis additionibus contaminanda. Bonus Beza jubet nos de ea judicare ex Græco, potius quàm ex Latino textu. Sed an exiſtimat, Acta Africana Græcè potius quàm Latinè ſcripta primùm fuiſſe? Rectè ſanè Africani Patres de Nicænis Canonibus judicandum eſſe putarunt ex archetypis & authenticis libris Græcè ſcriptis. Sed eadem ratione dicam de Africanis Canonibus judicandum eſſe ex archetypis Latinè ſcriptis. Non minus ineptum eſt, quod idem Beza in eadem ſua confeſſione, hoc Concilium Carthaginenſe, in quo illam quæſtionem falſi judicatam eſſe ſtomachosè narrat, vocat tertium: & paulo poſt ſui immemor vocat Sextum: & poſteaquam Bonifacium pro Zoſimo impotenter accuſavit, exclamat decretum in hoc Concilio Carthaginenſi fuiſſe, ut qui Romam provocaret, abdicaret, ſive (ut ait) deponeretur. Sed unde hauſit hoc decretum? Nam ne ea quidem, quæ laudat, Acta ejus meminerunt: Nempe abs ſuo magiſtro, qui eâdem in hoc genere temeritate fingit Zoſimum, & ejus ſucceſſores voluiſse, ut quod in Milevitano Concilio decretum fuiſse ait, abrogaretur in Carthaginenſi. Atqui Veteres non narrant in Milevitano aliquid decretum eſse contra voluntatem Romani Antiſtitis. Imo Innocentius, ejus Concilii Acta contra Pelagianos, quæ ad eum miſsa ſunt, vehementer laudat. Et paulo poſt Auguſtinus epiſt. 95. cùm ad eum ſcriberet ex ſententia ſuorum collegarum de Pelagiana hæreſi jam damnata in Conciliis duobus Carthaginenſi & Milevitano, petit nihilominus, ut in urbem Romam Pelagius citatus trahatur. *A tua*, inquit, *veneratione acciendus eſt Romam, & diligenter interrogandus.*

Sed quid dubitaret Beza affirmare, cùm etiam in eodem ſuo libello doceret Concilium Milevitanum, ante mille ducentos annos habitum eſse: hoc eſt, ante tempora Auguſtini? & ex ſui præceptoris dictatis repetat Concilium Aquileienſe, cui præfuit Ambroſius, fuiſse univerſale? Quid dici poſset impudentius? Illud poſtremo dicam de Concilio Carthaginenſi ſive Africano: in ejus Canonibus aliquid inveniri quod ad Donatiſtas pertineat. Quicquid tamen illud ſit, mancum, & mutilum & confuſum eſse, dependere ex præjudicio Collationis Carthaginenſis.

Jam vero velim, ut cum Carthaginenſi Colla-

tione Catholicorum quæ habita eſt cum Donatiſtis. conferatur altera, quę fuit Arianorum cum Catholicis, annis circiter 70. poſt ſuperiorem, indicta ab Hunnerico Vandalo, non minus crudeli tyranno, quàm furioſo Ariano, ut eam deſcribit Victor Uticenſis lib. 2. & 3. Sic enim etiam intelligetur diſcrimen, quod hîc obſervari utile eſt. Ac principio quidem, Edictum illius Hunnerici evocantis Catholicos, quos vocat Homuſianos, ſpecioſè compòſitum eſt non minus quàm fuerat ipſius Honorii Imp. vel Marcellini Donatiſtas evocantis. Eugenius Epiſcopus Carthaginenſis audiens mandata Hunnerici, reſpondet tam ſuo quã ſuorum in Africa Catholicorum nomine, ſeſe minimè recuſare refugereve Collationem, quam imperabat Hunnericus: ſed petere. ut etiam vocentur tranſmarini Catholici: quia ſine iis non poſſit agere communem cauſam, præſertim talem tantamque. Id autem obtendebat, ut cùm tranſmarini adeſſent, in quos ſævire non auderet Hunnericus, ne Imperatorem eorum offenderet, tanto liberior eſset diſputatio. Alioqui ne fas non fuiſse provinciales coïre conventus ad diſputandum, Victor ipſe fatetur. Et vero Eugenius cum ſuis ad diem venit, ut cum Arianis conferret, ſicuti Hunnericus mandarat. Cæterum cùm tyrannus in ſuo edicto pollicitus Catholicis eſset omnia tuta, fidem ſtatim infregit, & iis, qui venerant, manum injicit: ſævit in doctiſſimos, eoſque etiam necat. En quale fuerit principium illius Collationis. Qui tamen ſuperſtites erant, non diffugiunt, imo ut diſputatio ſine tumultu tranſigere- A tur, eligunt ex ſuo ordine quoſdam, qui pro omnibus loquantur: ſicuti in altera Carthaginenſi Collatione factum fuerat. Cæterùm cùm Ariani æquo jure ſe ad diſputationem comparare deberent, volunt, ut eorum neſcio quis Patriarcha Cyrillus, ſit judex: & eum magno ſatellitio armatum collocant in alto ſuggeſtu. Catholici conqueruntur de tali forma iniquiſſimi judicii: ſed fruſtra. Imò accuſantur, quod ſe vocent Catholicos, & magnis adverſariorum clamoribus prope obruuntur. Tum verò noſtri, iis ultro largiuntur, ut Catholicorum nomen veluti ſuſpendatur, donec quæſtio definita ſit: & ut ad rem veniant, edunt ſcriptam ſuæ fidei confeſſionem, quam tueri inſtituunt. Quid Ariani? Cùm viciſſim ſuam edere deberent, tantùm clamant noſtros eſſe ſeditioſos, & inflammant ſuum Hunnericum. Hic ſtatim contra noſtros edicit, quod Chriſtiani Imperatores in Donatiſtas edixerant. En qualis cataſtrophe illius Collationis fuerit. Sed legatur hiſtoria tota apud Victorem Uticenſem, & ex eo cognoſcatur, qualis tunc eſſet ſtatus Eccleſiæ Carthaginenſis. Nulla tunc mentio Donatiſtarum. Nam hi in Africa Arianis ceſſiſſe videntur. Neque tamen alioqui deſierant. Nam & Gregorii Pont. temporibus multos paſſim fuiſſe, ex ejus epiſtolis apparet. Libera tandem fuit Eccleſia Africana, & pulſis Vandalis reſtituta ſuæ libertati Imperioque Rom. & licet tempora valde barbara atque tenebricoſa eſſent, tamen non deſiit cogere pias Synodos, religionis tuendæ cauſâ, ut apparet ex Carthaginenſibus contra Monothelitas.

FINIS.

FACVNDI
EPISCOPI
HERMIANENSIS,
PROVINCIÆ AFRICANÆ,

PRO DEFENSIONE TRIVM CAPITVLORVM CONCILII. Calchedonenſis,

LIBRI XII.

Ad Juſtinianum Imperatorem.

IACOBI SIRMONDI SOCIET. IESV PRESBYTERI curâ & ſtudio primùm in lucem editi Notiſque illuſtrati, ac denuò impreſſi & in meliorem ordinem redacti.

Cum Prefatione PHILIPPI PRIORII, in quâ operis totius ratio perſpicuè explicatur.

ACCEDIT,

Ejuſdem FACUNDI *Epiſtola Fidei Catholicæ è tomo tertio Spicilegii D. Lucæ Acherii M. B. Congr. S. Mauri.*

FRANCISCO
BARBERINO
S. R. E.
CARDINALI
AMPLISSIMO,
SEDIS APOSTOLICÆ BIBLIOTHECARIO.

*R*Edit *in Vrbem poſtliminio Facundus noſter, & Vaticanam ex qua prodierat auſpiciis tuis repetit, Illmo Cardinalis. Redit autem, non ut ſuſceptam Trium capitulorum cauſam approbet, quam Synodi poſtea decreto exploſam atque conclamatam non ignorat: ſed ut à ſe tum ſuſceptam defenſamque oſtendat, cùm defendere licebat. hoc eſt, cùm facti auctorem ducemque haberet Vigilium Papam, quem in eadem cauſa, eademque in ſententia præeuntem non ſequi nefas erat. Quamquam ergo qui hos eius libros ſeverius carperent non defuerunt: tamen adeo verendum nihil habet, ut culpam apud æquos iudices ſuſtineat hac in parte, ut laudem poſſit non iniuria ſperare. utinam parem & ex altera liceret! Nam de libello ad Mutianum, quem Vigilio iam iratior effudit, cùm prudentiſſimi Pontificis pacis ſtudio ſeſe inflectentis conſilium moderationemque capere non poſſet, laudem ille profectò nullam captat. veniam Cardinalis, vel indulgentia, vel interceſſione tua flagitat non præmium. Tu verò illum, quæ tua eſt lenitas & clementia, tui etiam, ut ſpero, nominis tutela præſidioque honeſtari non abnues. quo & Vrbi gratior appareat, & beneficii tui fructum ad exteras gentes alacrior iuſſu ac miſſione tua circumferat. Tum ut illa Punicæ facundiæ copia qua pollet, dum æternam in Eccleſia fixamque Conciliorum auctoritatem, atque in ſanciendis Conciliis primam & maximam Romanæ ſedis poteſtatem celebrat: dum hæreticorum artes, ingenia, dolos aperit, quibuſque illos machinis retundi, quibus viribus proſterni ac debellari conveniat, exponit: dum ſub Iuſtiniani denique perſona Chriſtianos principes conteſtatur, ne imperii ſui decorem alieni, id eſt ſacri officii uſurpatione fœdatum velint, diſtinguantque quibus in cauſis uti poteſtate, & in quibus exhibere debeant obedientiam Chriſtiani: hæc inter aliaque rerum eximiarum do-*

cumenta, tui ſimul nominis objectu, quanti patrui quantus Romæ fratris filius purpuram, qua ornari alii ſolent, vita moribuſque ſuis ornet, admoneat. Hîc tu verò me plura meditantem nutu ipſo iam revocas, ſentio: atque iſta ſingulari animi tui modeſtia, cui ipſi præcipua laus debetur, laudari te vetas. ſed ignoſce. Vocem premere, ſtylumque iuſſi poſſumus. ut tacitos de te ſenſus premant, quorum ante oculos adſidue verſaris, vel quorum animos nuper, cùm Legatus eſſes, virtutum tuarum admiratione compleſti, aut quibus de te fama demum ipſa nuntiavit, optare forſitan potes, Ill^mæ Cardinalis, imperare omnino vel impetrare non potes.

Ill^mæ & R^mæ D. T.

Addictiſſimus devinctiſſimuſque;
JACOBUS SIRMONDUS.

PHILIPPI PRIORII PRÆFATIO AD LECTOREM.

INTER errores & graviſſimas hæreſeon tempeſtates, quibus variis temporibus agitata fuit Eccleſia, certiſſimum eſt, Neſtorianum dogma, damnum ingens ac detrimentum religioni intuliſſe; ſive rei de quâ agebatur, magnitudinem ſpectes, ſive artes & ſtrophas quibus error propagatus eſt, quarum machinis diſſenſionum ſemina latè pullularunt. Et ſi benè calculum ponas (Lector) dubium nullum tibi ſupererit, nulla quippe forſan vehementior unquam procella Chriſtianorum rebus incubuit, nec majori partium ſtudio umquam pugnatum eſt. Hinc Neſtorius Antiochenus, inde Cyrillus Alexandrinus ſanctitate clarus., Theophilo avunculo ſucceſſor datus, & magnis in Eccleſiam meritis notiſſimus. Neque etiam deerant Neſtorio dotes eximiæ, quibus, ſi mens læva non fuiſſet, neque ſe tranſverſum agi paſſus eſſet, non mediocri ornamento Eccleſiam, famamque ſuam bene agendo & ſentiendo illuſtrare poterat. Gregorio Nazianzeno in ſede Conſtan-

-tinopolitanâ ſuffectus Nectarius, locum dederat Chryſoſtomo. Hunc exceperat Arſacius Nectarii frater, cui ſubrogatus Atticus Siſinnium ſucceſſorem habuit. Siſinnio ſublectus fuit Neſtorius Arianorum hoſtis infenſiſſimus, qui ſtatim atque ad id muneris evectus eſt, magnam de ſe opinionem concitavit, & omnium oculos in ſe convertit. Utinam cum Cyrillo pari moderatione in arenam deſcendere contigiſſet, & religionis amor, non autem victoriæ cupido illius animum ad pugnam accendiſſet! Neminem hic arguere, neminem vel leviter perſtringere animus eſt: Quamquam non deſunt qui hæreticum negent Neſtorium, & Cyrillum accuſent, quod Imperatoris gratiâ fretus, & aulicis artibus, in illas eum calamitates conjecerit è quibus emergere nunquam potuit. Sed quum hujus loci non ſit de iis verba facere & controverſiam illam dirimere, in aliud tempus illam rejicimus, pauca hæc dixiſſe contenti, ut ad Facundi Hermianenſis Epiſcopi in Africâ libros accedamus, in quibus Tria capitula contra Juſtinianum Imperatorem acerrimè defendit. Quæ ut plenius intelligantur repetenda eſt tantiſper illorum temporum hiſtoria, ut quæ ſint illa capitula cuivis facile ſit determinare. Quo tempore inter ſanctum Cyrillum & Neſtorium decertabatur, (ſtrenuum enim tunc defenſorem Cyrillum ac vindicem nacta eſt Eccleſia,) varia opuſcula conſcripta ſunt, quibus modo purgandi ſe partes Neſtorius, modo accuſandi adverſarium aſſumebat: Cyrillus pariter ab Apollinarii errore ſe defendebat, premebatque Neſtorium quavis ſponſione, & cùm nulla concordiæ ſpes affulgeret, ad Eccleſiam itum eſt. Congregata itaque Synodus Epheſina, quæ tertia generalis, circa annum quadringenteſimum trigeſimum primum, in qua à patribus pluſquam ducentis damnatus eſt Neſtorius, dejectuſque de ſede Conſtantinopolitanâ, & à Theodoſio Auguſto in Oaſin amandatus, ubi vitam egit morte ipſa acerbiorem, donec vermiculante linguâ miſerabilem in modum de vitæ ſtatione decederet. Pulſo itaque & condemnato Neſtorio, libelli tres potiſſimum ab ejus fautoribus editi ſunt, ut alio quàm Neſtorii nomine faciliùs venenum ſuum inſtillarent; Tres verò hi libelli tria ſunt illa capitula de quibus agitur. Primum opus fuit Theodori Mopſueſteni Epiſcopi, ea tempeſtate celebris propter egregias cum Eunomio & Apollinario diſputationes; qui cùm unicam in Chriſto naturam aſſererent, eorum tamen dogma ita refellere credebatur, ut duas naturas adſtruendo binas quoque perſonas admittere videretur, in quo Neſtoriani dogmatis fibra deprehenditur. Alterum Theodoreti fuit Epiſcopi Cyrenſis in Syriâ, qui cùm anathemata duodecim à Cyrillo vibrata perſpiceret contra Neſtorii fautores impugnatoreſque concilii Epheſini, iis totidem anathematiſmos oppoſuit. Poſtremum erat Ibæ epiſcopi Edeſſeni epiſtola ad Marim Perſam in qua Rabulam ſuum deceſſorem & Cyrillum reprehendebat, ac

Neſtorium

Neſtorium & Theodorum Mopſueſtiæ laudibus immodicis extollebat. Cum verò poſteà in concilio Calchedonenſi ſive quarto generali Neſtorianiſmi adhuc mentio fieret, judicio poſtulatus eſt Ibas, qui Beryti ſtatim in Phœniciâ abſolutus eſt, & damnatus anteà Theodoretus ſedi ſuæ pariter reſtitutus eſt. Quod Concilio Calchedonenſi labem aliquam & maculam aſperſit, cujus auctoritate id factum credebatur. Ideo enim Dioſcorus & Eutychiani dogmatis aſſertores Synodum Calchedonenſem reſpuebant, quod ab eâ Theodoretus & Ibas reſtitui viderentur. Unde Theodorus Cæſaræenſis in Cappadociâ Epiſcopus, Origenis & Acephalorum fautor, Juſtiniano Imperatori auctor fuit, tria illa capitula proſcriberet, ne deinceps ſugillandi Concilii Calchedonenſis, in quo approbata fuerant, occaſio ulla supereſſet. Annuit Imperator Theodori poſtulatis, capitula condemnat; Idem quoque præſtat Mennas Conſtantinopolitanus Anthimi ſucceſſor, ac cæteri deinde Patriarchæ idem præſtitere, & Vigilius ipſe Romanus Pontifex, qui tamen eorumdem poſtcà ſuſcepit patrocinium. Sed neque felici fato, neque diuturnâ pace uſa ſunt Capitula. Nam in concilio ſecundo Conſtantinopolitano, ſive generali quinto, coacto Juſtiniani juſſu, condemnata ſunt iterum, anno quingenteſimo quinquageſimo tertio. Varii ſane motus inde orti ſunt, & graves in Eccleſia contentiones pepererunt hi libelli. Qui enim tria capitula oppugnabant, Calchedonenſem Synodum tueri ſe profitebantur; qui autem pro iiſdem ſtabant, Vigilium ſequi ſe jactabant, quem ea comprobare ejurata priſtina condemnatione habebant pro comperto. Sed totum illud diſſidium Imperatori tribuebatur, qui tamen eccleſiaſticæ concordiæ tantum, & pacis conciliandæ ſpe illa condemnaverat. Adverſus hunc Facundus in hiſce duodecim libris ſtylum acuit, & in bilem ſolvitur aliquando contra Juſtinianum, quamvis illius ſub nomine alium impetere certo certius ſit. Ex iis omnibus videre facile eſt tempora quædam extitiſſe in quibus pro capitulis pugnare liceret, in aliis tamen prohibitum. An verò Facundus ſcopum attigerit in hac materia, aliiſque de quibus obiter loquitur, an extra culpam ſit, & omnium calculo comprobandus, non eſt temerè judicandum. Quamvis enim antiquorum ſcripta commendationem & laudem maximam mereantur, nemo tamen ſanus, vel quantumvis mediocriter in antiquitate verſatus diffitebitur, lapſos aliquando veteres, atque ut in eleganti corpore nævi ſæpe deprehenduntur, in vetuſtis & optimis ſcriptoribus, duriuſcula quædam & cum religionis Chriſtianæ dogmatis haud ex omni parte convenientia occurrere, quilibet poteſt obſervare, quæ tamen eis vitio minime tribuuntur. Quis enim generoſos illos impetus, & religionis athletas fortiſſimos auderet condemnare, ſi in quibuſdam cæſpitaſſe conſtet, aut parum catholicè locutos? Quæ cùm ſeriò apud teipſum perpendes, ſic ſtatuendum exiſtimabis: Satius eſſe hæc condonare optime de eccleſia meritis auctoribus, quàm eorum lapſus pervicaciter & acri contentione

defendere. Quod ad editionem ſpectat, textus hic ut in editione prima repræſentatur, cum notulis ſine ulla mutatione. Ac quamvis nonnulla ſint quæ explicationem ampliorem poſtulare videantur, nunquam tamen adduci potui, etſi non ſemel rogatus, ut quidquam de meo adderem quo lux difficilioribus locis affunderetur. Hanc enim qualemcunque præfationem ſi boni conſulas, lucem non mediocrem allaturam arbitratus ſum, nihilque ſupereſſe quod à tua ſagacitate expugnari non poſſit. Illud eſt quod te nolui neſcire (Lector) ne antequam ad hunc ſcriptorem te accingas, quod ſit ejus conſilium ignores, & quanti facienda ſit ejus auctoritas facili negotio poſſis deprehendere.

LECTORI.

FACUNDI Epiſcopi libros ex codicibus Vaticanis, hoc eſt ex eo illorum apographo damus, quo in Annalibus ſuis uſus eſt, quodque moriens juris noſtri eſſe voluit laudatiſſimus Cardinalis Baronius. Ex indice porro capitum, quibus libros ſingulos diſtinximus, (nam libros auctor in capita non diviſerat) illico agnoſces habere illum affatim, unde poſſit rerum quas tractat utilitate, copia, varietate, animum ſtudiumque tuum non immeritò retinere. Nec verò fraudi eſſe poſſe trium capitulorum cauſam, quam defendit: in qua, ſi vetum loqui placet, honeſtius fuerat cum Vigilio cadere, quàm vincere cum Juſtiniano. Quòd ſi Vigilium perpetuo ducem ſequi maluiſſet, quàm Vigilium, poſtquam Juſtiniano cedendum cenſuit, cùm Afris ſuis reprehendere, nemo illum de ſuſcepta capitulorum defenſione, ad quam Vigilius ipſe ultro poſtea rediit, jure accuſandum judicaret. Sed Facundum collegaſque, ut Vigilio repugnarent, fefellit error quo tenebantur, quemque Victoris & Iſidori de Facundo teſtimonia declarant, quod perſuaſum haberent, non poſſe abſque injuria fidei Synodique Calchedonenſis everſione, capitula condemnari. promde damnati non patiebantur. At contra Vigilius liberam eſſe controverſiam intelligens, & quæ utram in partem vergeret, ad fidei doctrinam nihil attineret, (quod ipſum poſt Vigilii tempora Gregorius magnus, Pelagius, & alii ſæpe teſtati ſunt) ea interdum libertate uſus eſt, quam cauſa concedebat: ſemper alioquin ad defendenda, ut par erat, & probanda capitula propenſior. Nam & principio, cùm mali labes orta eſt Conſtantinopoli, eorum dãnationi vehementius obſtitit. & quamquam Judicatum poſtea in eorum condemnationem protulit, ut ſchiſmati occurreret, publicamque concordiam ſententiæ ſuæ jactura redimeret: tamen ubi aliter eveniſſe quàm ſperabat, atque hac ejus moderatione turbari capitulorum defenſores, abuti adverſarios animadvertit; tum ſuppreſſo Judicato ad priſtinam defenſionem mox rediit, in eaque conſtitit. Cumque id agi ſentiret, ut per vim extorqueretur ab invitis condemnatio, ſuſpectam habens Synodum Græcorum intereſſe noluit; & ſuam de capitulis non damnandis ſententiam edito Conſtituto graviter expoſuit. Synodo denique, cùm capitula damnaſſet, ne provincias, quæ plurimæ reclamabant, iterum offenderet, aſſenſum negavit. Ex quibus apparet, nullam in hac Vigilii conſilicrum varietate inconſtantiam fuiſſe, quod viſum eſt nonnullis: ſed ſtatam potius fixamque in tuenda Eccleſiæ, quam regebat, pace concordiaque conſtantiam. Cujus ipſius pacis ſtudio Vigilii ſucceſſores, cùm paucos jam contra niti viderent, ut una omnium in Eccleſia mens & vox eſſet, aſſenſerunt & ipſi tandem, & Synodo incertæ ad id tempus auctoritatis concilii generalis vim nomenque confirmatione ſua præbuerunt. Quo autem ordine per ſingulos annos hæc geſta ſint, & quo rerum eventu, ad operis calcem Synopſis oſtendet.

VETERUM SCRIPTORUM
DE FACVNDO TESTIMONIA.

Iſidori de viris illuſtribus Cap. XVIII.

F*ACVNDVS Afer, Ermianenſis Eccleſiæ Epiſcopus, duodecim libros pro defenſione trium Capitulorum ſcripſit: quorum ſtylo elicuit præfata tria capitula in præſcriptione Apoſtolicæ fidei, & Calchedonenſis Synodi impugnatione fuiſſe damnata. id eſt epiſtolam Ibæ Edeſſeni Epiſcopi ad Marim Perſam, & Theodorum Mopſveſtenum Epiſcopum, & Theodoreti Cyri Epiſcopi dicta. Claruit poſt Conſulatum Baſilii anno x. regnante Iuſtiniano Imperatore.*

Victoris Epiſcopi Tonnonenſis in Chronico.

P*Oſt Conſulatum Baſilii V. C. anno x. Libri duodecim Facundi Hermianenſis Eccleſiæ Epiſcopi refulſere. quibus evidentiſſimè declaravit tria capitula in præſcriptione fidei catholicæ & Apoſtolicæ Calchedonenſis Concilii fuiſſe damnata.*

Caſſiodori Senatoris in Pſalmum CXXXVIII.

F*ACVNDVS venerabilis Epiſcopus, hæreticorum penetrabili ſubtilitate deſtructor, nuper ad Iuſtinianum principem ſcribens de duabus naturis domini Chriſti duos libellos, cautè nimis luculenterque tractavit. Quos vobis tranſcriptos reliqui, ut nec antiquis egeatis tractatoribus, nec modernis.*

INDEX CAPITUM.

LIBRI PRIMI.

1. QVOD Iuſtinianus in confeſſione fidei ſuæ, unum de Trinitate crucifixum, B. Mariam verè & propriè matrem Dei, & Chriſti duas eſſe naturas rectè profeſſus ſit. pag. 3

2. Quod Eutychiani ſub trium capitulorum nomine Concilium Calchedonenſe fraudulenter oppugnent. quibus antequam reſpondeat, fidei ſuæ confeſſionem exponit. 5

3. Quod unus de Trinitate paſſus contra Neſtorianos aptius dicatur, quàm una de Trinitate perſona. Perſonarum nomen in Trinitate Sabellii cauſa uſurpari cœptum. & de baptiſmo in nomine domini Ieſu. 6

4. Quod B. Maria verè ac propriè ſit mater Dei, contra quoſdam catholicos, & contra Neſtorianos. examinantur Hilarii, Auguſtini, & Leporii presbyteri teſtimonia. 10

5. Quod Chriſti duæ ſint naturæ, non una compoſita, contra Eutychianos & Semieutychianos. De Iulio Papa, & de Cyrillo Alexandrino, quorum ſcripta objiciunt adverſarii. 14

6. Quod Eutychiani unam Chriſti compoſitam naturam adſtruentes Neſtorianos adjuvent. & quod perperam utantur exemplo humanæ naturæ ex anima & corpore cōpoſitæ. 18

LIBRI II.

1. QVod damnationem trium capitulorum adverſarii Concilii Calchedonenſis conſcripſerint, & Imperatoris titulo prænotarint. 20

2. Quod epiſtola Ibæ, quamvis eam Concilium orthodoxam non pronuntiaſſet, damnari abſque Concilii reprehenſione non poſſit. 22

3. Quod epiſtolam Ibæ ideo damnarint, quia duas in Chriſto naturas confitetur. Quo conſilio Epiſcoporum ſubſcriptiones exigant. & cur damnantium communionem ipſi refugiant. 24

4. Quod falsò damnatam à ſe jactent epiſt. quia Cyrill. malè tractarit, cū acerbius tractatus ſit à Gennad, & Iſid. quos non reprehendunt. 28

5. Quod temerè damnetur epiſtola poſt examen Synod. Calchedonēſis, cujus decretis ad dinihil debere Leo Papa, & Epiſcopi Oriētis cōfirmāt. 30

6. Quod fruſtra Vigilii Papæ reſponſum expectare ſe dicant, qui à Leonis deceſſoris ſui veſtigiis minimè receſſurus ſit. 31

LIBRI III.

1. QVod Theodori Mopſveſteni ſcripta cùm denotant, Synodi Calchedonenſis & Leonis Papæ judicium reprehendant. 35

2. Quod Theodorus ut Neſtorii doctor accuſari nequeat, cùm rectam de Chriſto fidem contra Samoſatenu & Neſtorii errorem teneat. & de ſymbolo quod Theodori dicebatur. 37

3. Quod Theodorum imperitè arguant, quod Chriſtum in paſſione formidaſſe & turbatum fuiſſe dixerit, cùm Chriſtus & martyres ad mortem reipſa trepidarint. 39

4. Quod Theodorum immeritò calumnientur, quaſi in expoſitione hiſtoria centurionis Chriſtum purum hominem eſſe docuerit. 43

5. Quod falso Theodorum accuſent, quaſi perſonarum Trinitatem cum Sabellio negarit, unamque Patris & Filii & Spiritus ſancti perſonam eſſe docuerit. 44

6. Quod Theodorus prophetias de Chriſto non evacuarit, etſi aliquas interdū etiā moraliter exponat. & quod cōſtāter à Cyrillo laudatus ſit. 46

LIBRI IV.

1. QVod Cyrillum ſequi non debeant, ſi Theodorum aliquando culpaſſe concedatur, cùm in iis non ſequantur, quæ contra Chryſoſtomum ſcripſit. 51

2. Quod in Theodori damnatione Cyrillum ſequi non debeant, cùm illum in Diodori damnatione meritò non ſequantur, quem patres & principes orthodoxi commendant, ſoli Apolinariſtæ hæretici cum Iuliano apoſtata vituperat. 53

3. Quod vigilius Papa ex itinere ſcribens Ibæ ac Theodori damnationem improbarit, atque emendari juſſerit. & quod diverſæ provinciæ Vigilium ne hoc pateretur conteſtatæ ſint. 60

4. Quod contra Synodum Calchedonenſem factam eſſe trium capitulorum damnationem, ipſi etiam qui conſenſerunt primates & Epiſcopi Orientis agnoverint. quos redarguit quod Imperatori non reſtiterint. 62

LIBRI V.

1. QVod epiſtolam Ibæ orthod. revera pronuntiarit Synodus Calc. falſoque dicant adverſarii ab ea non fuiſſe ſuſceptam. 64

2. Quod falſo dicant Ibam negaſſe in judicio Epiſcoporum Photii & Euſtachii epiſtolam illam ſuam eſſe. 67

3. Quod falſo dicāt Theodoret. in Conc. Calc. niſi poſt damnationem Eutych. atque Dioſc. non ſediſſe. quodque Synodi auctoritati non obſit, ſi in ea ſedeant qui ab hæreſi reſipuerunt. 69

4. Quod Leo Papa non ſolam definitionem fidei Synodi Calchedonenſis, ſed omnia ejus acta & decreta confirmarit, excepto faſtu Anatolii quem redarguit. Epiſtolæ autem Ibæ approbationem non excluſit. 73

5. Quod poſt decreta Conciliorum diſputare non liceat, nec audiendi ſint Eutychiani, ſi Concilii de Ibæ epiſtola definitioni reſiſtant. 77

LIBRI VI.

1. QVod Synod. Calc. epiſt. Ibæ pronuntiās orthod. rectè judicarit, & S. ſcripturæ morem ſecuta ſit, quæ de multis ex majore ac meliore parte ſolet ferre ſententiam. 80

2. Quod Synodus epiſtolam Ibæ orthodoxam pronuntiarit propter duarum in Chriſto naturarum confeſſionem, quam continet, non propter falſam de B. Cyrillo ſuſpicionem. 83

3. Quod Synodus epiſtolam Ibæ damnare non potuit, quin Cyrillum itidem hæreſeos damnaret. quodque Cyrillus Neſtorio reſpondens de induſtria parcius de duarum naturarum diſcretione locutus ſit. 84

4. Quod Ibas malè de Cyrillo ſuſpicans, non Cyrilli fidem, ſed quam Cyrilli eſſe falſo putabat, in epiſtola ſua reprehenderit, & Cyrilli de Chriſti incarnatione fidem reipſa probarit. 88

5 Quod Synodum quo minus epiſtolam Ibæ orthodoxam pronuntiaret, morari non debuit falſa illius de Cyrillo ſuſpicio, cum Cyrillum ipſum, quo minus Orientalium confeſſioni ſubſcriberet, par illorum ſuſpicio non retardarit. 91

LIBRI VII.

1. QVod Ibas in epiſtola ſua unam Chriſti virtutem cùm dixit, duas in Chriſto naturas non negavit, ſed unicā perſonā aſſeruit. 97

2 Quod Ibas dicens Neſtorium ſine judicio & inquiſitione damnatum, non damnationem ejus improbarit, ſed hoc tantùm, quod expectati non fuerint Orientales. 98

3. Quod Ibas judicio falli potuerit in Neſtorio, ſicut Anatolius in Dioſcoro, Athanaſius in Timotheo, Synodus Palæſtina & Zoſimus Papa in Pelagio & Cæleſtio. 99

4. Quod epiſtolam Ibæ mutilam produxerint, ea omittentes, ex quibus conſtaret Neſtorium ab illo excuſatum non fuiſſe. 100

5. Quod falſo dicāt Ibam à Synodo cōpulſum anathematizare Neſtor. & quod nunquam illi excuſationē Neſtorii accuſatores objecerint 102

6. Quod Ibas de Cyrilli capitulis malè ſuſpicatus ſit, ſanti Synodo viſum non fuiſſe, ut propterea ejus epiſtolam condemnandā cenſeret. 106

7. Quod templū & habitās in eo rectè dictū ſit. & quod propter Theodori laudes condemnari à Synodo Ibæ epiſtola non debuit, cùm idem à Chryſoſtomo & à Nazianzeno laudatus ſit. 108

LIBRI VIII.

1. QVod Ioannis Antiocheni & Orientalium teſtimonio antiqui patres plurimi conſona iis ſcripſerint, quæ in Theodoro Mopſveſteno culpantur. 113

2. Quod falſo dicitur Proclus Theod. nomen perſtrinxiſſe, cū ex ejus ſcrip. id apertè refell 115

3. Quod Synodus Orientis ad Theodoſium Imperat. & Theodoſius ad Synodum, de non condemnando Theodoro ſcripſerint. 116

4. Quod Synodus eadem Orientis ad Cyrillū etiā de non damnando Theodoro ſcripſerit 118

5. Quod Domnus Antiochenus Theodorum laudet in ſynodica ad Theodoſium Imp. & quod iidem omnes patres doceant mortuis in Eccleſiæ pace defunctis non eſſe inſultandum. 121

6. Quod officere Theodoro non debeat, ſi contra illum poſtea ſcripſerit Cyrillus. & quod damnari Theodorus ſine Diodoro non poſſit. 124

7. Quòd ſi ſuſpectus de hæreſi fuiſſet Theodorus, ejus temporis patres id minimè diſſimulaſſent. & quod illorum potiùs, quàm Cyrilli unius de Theodoro ſententiæ credendum ſit. 125

LIBRI IX.

1. QVod ex ſcriptis Theodori probetur ipſum fuiſſe catholicum. & ex unius Pſalmi XLIV. expoſitione refellantur omnia, quæ contra ejus doctrinam objecta ſunt. 130

2. Quod Theodorus verè Chriſtum non hominē tantū, ſed etiam Deum natura eſſe faſſus ſit. 132

3. Quod Theodorus in duabus Chriſti naturis unicā ejus perſonam agnoverit, alienuſque fuerit ab errore tum Iudæorum, tum Manichæorū. 134

4. Quod Theodorus ad oſtendendam tantum unitatem perſonæ in Chriſto, non ad confundendas ejus naturas, ſimilitudine uſus ſit hominis ex anima & corpore compoſiti. 139

5. Quod obſcura & ambigua patrum dicta ex apertis eorum dictis interpretari oporteat quod propoſitis aliquot exēplis declarat. 141

LIBRI X.

1. QVod reprehendenda Synodus non ſit, quia Theodorum non damnarit, tametſi in ejus ſcriptis quædam ſint culpanda: cum fieri potuerit, ut eam laterent, vel illa melius interpretāda, aut ab inimicis ejus immiſſa crederētur. 147

2. Quod etſi aliquando errarit, damnari ut hæreticus non potuerit, quia pertinax non fuit, cùm ultro quædā quæ nocabantur correxerit 150

3. Quod tametſi Theodorus in quibuſdam erraſſet, laudari ab Iba potuerit propter alia quæ rectè ſcripſit. 152

4. Quod Theodorum Synodus, ſi apud eam accuſatus fuiſſet, damnare poſt mortem in Eccleſiæ pace defunctum non debuerit. 154

5. Quod Athanaſium nemo damnat propter excuſationē quā ſuſcepit Dionyſii Alex. & quod multo facilius ſit Theodorum defendere. 157

6 Quod Baſilius Gregorii Thaumaturgi, & Hilarius Antiocheni ac Sirmienſis Concilii dicta quædā duriora excuſarint. & Theodorū eode modo excuſare Synodo licuerit, ſi hoc ſuſcepiſſet. 159

7. Quod adverſarii in una damnationis Theodori brevi ſententia quatuor in magna vitia incurrerint. 162

LIBRI XI.

1. QVod multi patres antiqui ſimilia dixerint iis quæ in Theodoro reprehenduntur, atque in primis Euſtathius Antiochenus. 164

2. Quod apud B. Athanaſium quædam reperiantur non minus difficilia his, quæ in Theodoro reprehenduntur. 167

3. Quod Amphilochius Iconienſis ſimilia etiā iis ſcripſerit, quæ in Theodoro reprehendūtur. 169

4. Quod in Greg. lib. adverſus Eunomiū ſimilia extent iis quæ in Theod. lib. reprel. ēdūtur. 170

5. Quod apud Ioannem Chryſoſtomum quædam etiam ſimilia ſint iis quæ in Theodori ſcriptis reprehenduntur. 173

6. Quod in ſanctis patribus, ſi quid errant, excuſanda ſit intentio, ne hæretici credātur 174

7. Quod Cyrilli quoque plurima ſint Theodori dictis quæ reprehenduntur ſimilia. quorum decem profert exempla. 176

LIBRI XII.

1 QVod hæreticum faciat non ignorantia, ſed obſtinata defenſio falſitatis. & quod hæretici non ſtatim judicandi ſint qui in aliquibus erraverint. 182

2. Quod retractari non debeant ea quæ in Synodo ſemel ſunt conſtituta. 187

3. Quod principium ſit in cauſis fidei obedientiam exhibere, non ea ſibi uſurpare, quæ ſunt propria ſacerdotum, docet exemplo Marciani & Leonis Imperatorum. 189

4. Quod Zeno Imp. de rebus fidei decernere præſumens Eccleſiam diuturno & gravi ſchiſmate turbavit. 193

5. Cōcluſio totius operis, cū parænesi ad Iuſtinianū ut Theodoſii exemplo errorē agnoſcat. 195

FACVNDI
HERMIANENSIS ECCLESIÆ
EPISCOPI
PROVINCIÆ AFRICANÆ,
PRO DEFENSIONE TRIVM CAPITVLORVM CONCILII Calchedonenſis,

LIBRI XII.
Ad Juſtinianum Imperatorem.
PRÆFATIO.

A CUM in præjudicium ſancti Concilii Calchedonenſis impugnatores ejus Acephali per quoſdam ſubriperent, ut epiſtola Ibæ Edeſſeni Epiſcopi, quam ad ſe delatam memorata Synodus catholicam judicavit; ſed & Theodorus Mopſveſtenus, ejuſque doctrina, quæ in eadem epiſtola Ibæ laudata eſt; nec non & quædam Theodoreti Cyrri Epiſcopi ſcripta, qui in prædicto Calchedonenſi Concilio epiſtolam dogmaticam Papæ Leonis aſſeruit, ſub anathemate damnarentur: hoc opus ſuadentibus fratribus ad *a* Imperatorem Conſtantinopoli ſcripſi. Quo necdum finito ac pertractato, adductus eſt *b* Romanus Epiſcopus: in cujus examine cùm geſtis ſu-
B per hac cauſa diſceptaremus, mediante conflictu interrumpi acta præce-

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

a HERMIANENSIS. In Africæ provincia Byzacena, cujus civitatis ante Facundum Epiſcopi leguntur Maximianus in Collatione I. Carthaginenſi numero CXXCVII. & Donatus in elencho M . Epiſcoporum, qui Carthaginem ex præcepto Regis Hunerici, anno ejus regni ſexto, pro reddenda ratione fidei venerunt. Poſt Facundum verò, Benadus in concilio Byzaceno, cujus extat epiſtola in Synodo Romana Martini I. Secretario II. Epiſtolæ autem inter ceteros ſubſcribit *Benadus gratia Dei Epiſcopus ſanctæ Eccleſiæ Hermianenſis.*

b ROMANVS EPISCOPVS. Vigilius. Anaſtaſium Bibliothecarium meritò rejicit Baronius, qui Vigilium Conſtantinopolim perveniſſe ſcripſerit in vigilia Natalis Domini anno exeunte DXLVI. Hoc enim fieri non potuiſſe liquidò probat: ſed quando pervenerit, non docet. Docet autem Appendix à nobis edita Marcellini Comitis Papam Vigilium ingreſſum eſſe Conſtantinopolim VIII. Kalendas Februarias, poſt Conſulatum Baſilii anno VI. id eſt Chriſti DXLVII. Jam tum ergo Facundus in hujus operis ſcriptione verſabatur, poſt centum ferme annos, ut lib. II. cap. I. narrat, à Synodo Calchedonenſi.

pit; & ab univerſis Epiſcopis, qui aderamus, expetiit, ut ſcripto quiſque A
reſponderet quod ei de his capitulis videretur. Cùm ergo per Magiſtrum
officiorum ſub gravi neceſſitate reſpondere conſtringerer, vix mihi ſep-
tem dierum induciæ datæ ſunt, in quibus etiam erant duo feſti. Unde
ut omnia dicerem, quæ magis neceſſaria judicabam, ex his libris ali-
quanta decerpſi: quia non occurrebam omnia nova dicere, ſiquidem tria
millia verſuum excedit illa reſponſio. Sanè quoniam, ſicut dixi, nec-
dum à me pertractati fuerant iidem libri, quædam teſtimonia pro men-
doſitate codicum, ex quibus ea poſueramus, vel pro incuria tranſlato-
rum, aliter continebant, quæ ſic etiam in illam reſponſionem tranſcri-
pta ſunt. Idcirco igitur præloqui ac præmonere curavi, ut neminem, B
qui memorata reſponſione perlecta hos contigerit libros, offendat iſta di-
verſitas: ſed illic ignoſcat feſtinanti, & huic potius credat. Nam & ali-
qua ibi cum perturbatione prolata, moderatiùs hîc ordinatiuſque tracta-
ta ſunt.

FACVNDI EPISCOPI HERMIANENSIS,

PRO DEFENSIONE TRIVM CAPITVLORVM,

LIBER I.

CAPUT PRIMUM.

Quod Juſtinianus in confeſſione fidei ſuæ, unum de Trinitate crucifixum, B. Mariam verè & propriè matrem Dei, & Chriſti duas eſſe naturas rectè profeſſus ſit.

A CONFESSIONEM ᶜ tuæ fidei, clementiſſime Imperator,
magni Concilii Calchedonenſis definitionibus conſonantem,
& approbavi ſemper, & adverſus multorum contradictiones
aſſerui. Nam cùm duæ nunc ferveant hæreſes ab eodem Con-
cilio refutatæ, quæ contentione quidem contraria, ſed dete-
ſtatione ſimili, myſterium divinæ incarnationis oppugnant, Ne-
ſtorianorum dico, & Eutychianorum: quid ſalubrius, vel quid
evidentius adverſus utramque hęreſim dici potuit, quàm quod
ipſe confeſſus es, unum de Trinitate pro nobis crucifixum?
quem magnum Deum te credere docuit Apoſtolus dicens: *Apparuit enim gratia Dei* Tit. 2. 11.
ſalvatoris noſtri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem & ſæcularia deſide-
B *ria, caſtè & juſtè & piè vivamus in hoc ſæculo, expectantes beatam ſpem, & adventum gloriæ*
magni Dei ſalvatoris noſtri Ieſu Chriſti. Propter quod etiam beatam virginem Mariam ve-
rè & propriè matrem Dei eſſe dixiſti. Non enim alium ſcis Deum verbum, & alium
Jeſum Chriſtum, quem in duabus naturis unum eundemque pronuntiaſti conſubſtan-
tialem eſſe patri ſecundum deitatem, & conſubſtantialem nobis eundem ſecundum
humanitatem: & de quo conſequenter etiam hoc dixiſti: Nam ſicut eſt in deitate per- « Cod. de
fectus, ita idem in humanitate perfectus eſt. Quæ omnia certum eſt te juxta Calche- « ſumma Trinit. l. 6.
donenſis Concilii ſententiam protuliſſe. Nam unum eſſe de Trinitate Dominum Je-
ſum Chriſtum, ex ejuſdem ſynodi allocutione, quam ad Martianum principem fecit,
evidenter oſtenditur. Ubi cùm beati Leonis Eccleſiæ Romanæ præſulis epiſtolam
contra hæreticorum maledicta defenderet, poſt aliquanta ſic ait: Facile eſt adverte- « Poſt
C re, quòd ambiguitate quæſtionis exorta, patrum interpretationibus noſtram confeſ- « acta
ſionem coaptaſſe cognoſcimur, ſatisfacientes quòd in nullo diſcordem intelligentiæ « Concilii.
eorum detulerimus animum, ſed his utamur teſtibus ad noſtræ fidei firmitatem. Sic «
Athanaſii ad Epictetum amplectimur literas: ſic tanquam propriam Gregorii ad Cle- «
donium epiſtolam ubique pręferimus. Et quid oportet plura dicere? Si enim per «
epiſtolas Eccleſiæ dogmata declarari pro unaquaque quæſtione, dignum culpa judi- «

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

ᶜ CONFESSIONEM TVÆ FIDEI. Eam innuit, quam Juſtinianus Conſtantinopoli edidit, diverſaſque in provincias miſit tertio ſuo Conſulatu, anno Chriſti DXXXIII. Quæ & Græcè Latinèque extat Cod. de ſumma Trinitate L. VI. & tria capita, quæ Facundus hoc loco commemorat, iiſdem verbis explicat, de duabus in Chriſto naturis, uno de Trinitate crucifixo, & beata Virgine κυρίως καὶ κατ' ἀλήθειαν Deipara.

» cant, ipſum imprimis beatiſſimum Cyrillum quilibet poterit denotare, qui literis ſuis A
» quod ſentiebat Orientalibus expreſſit: nec non & magnum Proclum huic vitupera-
» tioni ſubjiciet, qui eiſdem Orientalibus volumen ad Armenos pro fidei congruentia de-
» ſtinavit. His autem conſociabitur ad culpam & ſapientiſſimus Joannes Antiochenus
» Epiſcopus, qui hæreticorum maledicta rejiciens, & apoſtolicæ doctrinæ dogma decla-
» rans, totius Orientis confeſſionem, velut ex uno ore, ſanctiſſimo Proclo, & ei qui
» per idem tempus mundi regebat gubernacula, deſtinavit. In hoc autem volumine
Ed. Rom. pag. 138. ad Armenos, quod, ut memorata ſynodus ait, magnus Proclus Orientalibus quo-
» que pro fidei congruentia deſtinavit, ita confeſſus eſt: Nec enim dicentes filium
» paſſum, ratione deitatis eum pati potuiſſe ſentimus; ſiquidem divina natura nul-
» lam prorſus recipit paſſionem: ſed confitentes Deum verbum unum ex Trinitate in-
» carnatum, tribuimus intelligendi materiam his qui fideliter ſciſcitantur cur incar-
» nari dignatus eſt. Scribens etiam beato Joanni Antiocheno, cui & illa, quæ ſcripſe-
Liberat. cap. 10. rat ad Armenos, pro ſervanda communis fidei ſocietate direxit, ut ſicut unum atque B
idem omnes corde credebant ad juſtitiam, ſic etiam una & eadem ore omnium
» confeſſio fieret ad ſalutem, ſic ait: Dicentes autem iterum paſſibilem Deum, id
» eſt Chriſtum, confitemur eum non eo paſſum quod erat, ſed quod factum eſt, id eſt
» propria carne, & ita prædicantes nullo modo fallimur: quoniam quidem & unum ex
» Trinitate ſecundum carnem crucifixum fatemur, & deitatem paſſibilem minimè blaſ-
» phemamus. Et hanc ejus ſanam doctrinam ſapientiſſimus Joannes Antiochenus cum
Orientali concilio ſuis literis approbavit: in quibus eum memorata ſynodus Cal-
chedonenſis teſtatur hæreticorum maledicta rejeciſſe, & apoſtolicam declaraſſe doctri-
» nam. Qui reſcribens eidem beato Proclo dixit: Tomum qui ad Armenos factus eſt
» à reverentiſſimo noſtro filio diacono Theodoſio, qui dignus eſt tuis diſpoſitionibus
» miniſtrare, ob eam quæ ineſt ei ſuper ætatem diligentiam, & petivimus, & cum
» omni delectatione ejus fecimus mentionem. Faciebat autem nobis delectationem
» non pulcritudo compoſitionis ſola, neque argumentationum multitudo contra utram- C
» que partem adverſantium pertractata, quantum ipſa ſacrorum dogmatum cautela
» ſimul & pietas. Pietas quidem, quia regalem divinarum ſcripturarum in his quæ
» dicebantur, verbum veritatis rectè confitens, pergebas non ſine teſtimoniis ſcriptu-
» ræ præſumens aliquid ex poteſtate propria prædicare: cautela verò, quia cum divi-
» nis ſcripturis etiam patrum dicta, ad probandum quæ dicebantur, proponebas. Scri-
bens etiam B. Cyrillo ſupradictus Joannes cum eadem ſynodo Orientis, ita ſe tomum
» ipſum ad Armenos approbaſſe perhibuit: Sanctiſſimo, inquit, Epiſcopo Proclo to-
» mum rectè revera & piè habentem, quem ad Armenos ſcripſit, nobis deſtinante, &
» noſtrum quærente conſenſum, omnia facta ſunt à nobis, & in nullo minus fecimus.
Apparuit igitur, religioſè Imperator, quòd ſecundum ſententiam ipſius magnæ
ſynodi confeſſus es unum de Trinitate pro nobis crucifixum: quandoquidem in eis
epiſtolis hæc tua confeſſio continetur, quibus tantam auctoritatem detulit, ut ea- D
Poſt acta Concilii. rum exemplo defendendam B. Leonis epiſtolam judicaret. Illud etiam quòd B. Ma-
riam verè & propriè matrem Dei eſſe dixiſti, in eadem ſynodi allocutione inveni-
» mus eſſe firmatum, ubi dictum eſt: Verùm non latuit indormitabilem oculum natu-
» ræ communis inimicus, ſed tanquam luminaria confeſtim patres noſtros, his quos
» tenebrarum pervaſerat error, oſtendit; qui cunctis reſerarent intelligentiam fidei,
» & incarnationis diligenter beneficia prædicarent: quomodo diſpenſationis ſacra-
» mentum ſit ab initio ex vulva diſpoſitum: quomodo & Dei genitrix ſit virgo vocitata
» propter eum qui virginitatem ejus dignatus eſt etiam ſacrare poſt partum, vulvam-
» que, ut decebat Deum, integritate ſignare: quomodo ſecundum veritatem mater
» Dei dicta ſit propter carnem, quam ex ſe omnium domino miniſtravit. Ecce &
hoc oſtenſum eſt, quoniam eadem ſancta ſynodus docuit, quòd illa virgo Dei geni-
trix ſecundum veritatem vocata ſit, propter carnem, quam ex ſe omnium domino
miniſtravit. Nec intereſt, utrum ſecundum veritatem, id eſt, verè Dei mater vo- E
cetur; an verè & propriè, ſicut ipſe confeſſus es. Nam quod Joannes Apoſtolus
dicit verum Dei filium, ipſum Paulus proprium dicit. Sic enim ſcribit: *Scimus quo-*
1. Joan. 5. 20. *niam Dei filius venit, & dedit nobis intellectum, ut ſciamus quod eſt verum, & ſimus in vero*
Rom. 8. 31. *filio ejus Jeſu Chriſto.* Hic autem ſcribens Romanis ait: *Si Deus pro nobis, quis con-*
tra nos? qui etiam filio ſuo proprio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum. Non
igitur eſt aliud, quòd dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Joannes verum Dei
filium vocat, quàm quòd eum proprium Dei filium Paulus appellat. Et ideo non
aliud putandum eſt etiam, quòd ſancta Calchedonenſis ſynodus beatam Mariam ve-
rè matrem Dei eſſe confeſſa eſt, quàm quòd eam ipſe confeſſus es verè & propriè
matrem Dei. Quòd ſi cui minus hoc ſufficit, & adhuc eam verè & propriè Dei
matrem dubitat appellare, pleniorem de hoc ipſo rationem, quam inferiùs redde-

A mus, expectet. Quia verò ſimul ſecundum Calchedonenſe concilium, etiam in duabus naturis dominum Jeſum Chriſtum confeſſus es, ipſius Concilii definitione monſtratur: in qua ſtatuit unum eumdemque Chriſtum, filium Dei unigenitum, in duabus naturis, ſine confuſione, ſine converſione, ſine diviſione, & ſine ſeparatione eſſe noſcendum; nuſquam naturarum differentia per unitatem penitùs amputata, magis autem ſalva proprietate utriuſque naturæ. His igitur omnibus probatur confeſſio fidei tuæ magni Concilii diffinitionibus conſonare. Propter quod etiam nos & congratulati ſemper ejus rectitudini ſumus, & pro ea de te maximè gloriati. Quid enim priùs laudetur in homine? quid excellentiùs decet in Principe, quàm catholica fides, quæ totius noſtri boni eſt fundamentum, & ſine qua nihil in nobis eſt bonum? Omne enim quod non ex fide, peccatum eſt.

CAPUT II.

B *Quod Eutychiani ſub trium capitulorum nomine Concilium Calchedonenſe fraudulenter oppugnent. quibus antequam reſpondeat, fidei ſuæ confeſſionem exponit.*

SEd rogo, clementiſſime Imperator, ut rationes meas vel gratanter, vel patienter accipias. Nam demonſtrare propoſui, quoniam pro ejuſdem fidei quam tenes defenſione, & propter Calchedonenſium cuſtodiam decretorum, quibus & manifeſtata eſt & firmata, his qui nuper contrariam eis ſententiam protulerunt, conſentiendum eſſe non duxi. Inquietus enim & impudens hæreticorum ſpiritus, qui facilis & promptus ad impugnanda vetera conſtituta, in confuſionem ſuam ſemper extollitur, quia ſæpe fruſtratus eſt, cùm evidenti contradictione Calchedonenſis decreta Concilii ſubvertere niteretur; obliqua nunc & obtecta malignitate ſubrepens, C intelligi non poſſe credidit ſuæ factionis inſidias. Invenit autem deſideratam occaſionem ex furore quorumdam, qui ſub nomine Chriſtiano latenter in Eccleſia gentile Origenis dogma ſectantur. Et quia per inſtantiam tuæ religionis ejuſdem profani dogmatis iterata damnatio eſt: hinc ejus ſectatores exarſerunt adverſus Eccleſiam, quærentes eam quacunque poſſent immiſſione turbare. Et hoc totum publicam notitiam non effugit: præſertim cùm & *d* Domitianus Ancyrenſis quidem civitatis Epiſcopus provinciæ primæ Galatiæ, qui fuit ipſius Origenianæ hæreſis manifeſtus aſſertor, per libellum, quem ad beatiſſimum Papam Vigilium ſcripſit, Deo extorquente confeſſus eſt, quòd ejus complices Origeniani, cùm viderint non ſe poſſe proprium dogma defendere, neque ſibi quicquam ſpei de conflictu reſtare, ad ultionem eorum quæ contra Origenem geſta ſunt, hæc Eccleſiæ ſcandala commoverunt. Horum igitur ſatellitio fungens Eutychianorum perfidia, ea quæ per ſe contra Calchedonenſe Concilium nequicquam ſæpe tentaverat, per ipſos latenter aggreſſa eſt, qui nobis non videbantur in hac parte ſuſpecti. Nec tamen & illi magnam D Synodum palàm reprehendere præſumpſerunt: magis autem ſub quodam colore defenſionis, quam tuæ pietati commendabat fallax eorum promiſſio, robur ejus infirmare conati ſunt. Jactabant enim, ſicut optimè noſti, quòd omnes Eutychiani, qui decretis ejus offenduntur, communicarent Eccleſiæ, ſi epiſtola venerabilis Ibæ Edeſſeni Epiſcopi ad Marim Perſam ſcripta, quam prædicta Synodus, cùm pro ea memoratus Ibas tanquam injurioſus in B. Cyrillum accuſaretur, pronuntiavit orthodoxam, damnaretur quidem ut Neſtoriana, ſed approbata fuiſſe à Synodo negaretur. Hoc agentes aſturè, ut dum neſcios & ignaros advocant, quòd per falſam & impudentiſſimam negationem defendi Synodus poſſit, quæcunque mendacia Eutychiani in reprehenſione ipſius epiſtolæ dictarent, nemine jam reſiſtente, vel hinc ſatagente, ſcriberent noſtrorum, quod valde lugendum eſt, ſubſcriptionibus affirmanda: ut cùm poſtea, quod facillimum erat ſola geſtorum prolatione, ſuſcepta fuiſſe ab illo Concilio monſtraretur, nil jam ſupereſſet, quod Eutychianis de Neſtoriano E dogmate ſemper illud infamantibus reſpondere poſſemus. His igitur ita fraudulenter agentibus, ac neſcio quam promittentibus unitatem, quæ ſi etiam ſequeretur, confuſio potiùs dicenda erat, illud execrandum horrendumque conceſſum eſt, ut epiſto-

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

d DOMITIANUS ANCYRENSIS. De quo iterum lib. 4. cap. 4. ubi & libelli hujus verba proferentur. Quod autem hìc adſtruit ex libello Domitiani, adfirmat etiam Liberatus Diaconus in Breviario: incenſos videlicet damnati Origenis dolore Origeniſtas ad Trium Capitulorum damnationem impuliſſe Juſtinianum; duòque architectum ex eadem ſecta fuiſſe Theodorum Cappadocem Cæſarienſem Epiſcopum, qui Imperatori ſuggerabat hoc modo ad ſuſcipiendam Synodum Calchedonenſem, Eccleſiæque communionem adduci Acephalos poſſe. Editæ ſunt poſt Synodum 5. Græcolatinæ de utroque argumento epiſtolæ duæ Juſtiniani. Prioris adverſus Origenem initium eſt, Ἡμῖν μὲν ἀεὶ σπουδὴ, *Nobis ſemper ſtudio fuit*. poſterioris de tribus capitulis, Εἰδότες ὡς οὐδὲν ἄλλο. *Scientes quod nihil aliud*.

la, quam ſancti illi venerabiles patres orthodoxam probaverunt, non ſola ſaltem, A
ſed cum ſuis approbatoribus eſſet anathematizata. Et ideo tam nefariæ occurſurus audaciæ, quoniam ſatis ipſorum Eutychianorum cõſuetudinem habemus expertam, quòd omnibus pro veritate ſibi reſiſtentibus Neſtorianorum crimen imponant; fidem meam in primis, quam de ſalutifera incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti teneo, non ſolùm ſimplici ſermone aperire, quod in tuæ confeſſionis approbatione jam feci, ſed etiam documentis neceſſariis affirmare, atque adverſus impugnantes defendere ſtatui: ut eorum calumnias quanta valeo manifeſtatione veritatis evitem, quorum fraudes mendaciaque detegere, & errores propoſui refutare. Id autem facio, ne animos quorumque ſimplicium, qui nos ignorant, noſtri nominis infamatione, à veritate agnoſcenda, quam inſinuaturi ſumus, avertant. Nam & hoc bene compertum eſt, quòd non ſolùm Eutychiani de ſua vanitate convicti Neſtorianos, verùm etiam ipſi Neſtorani, quos non minùs redarguit fidei noſtræ defenſio, è contra nos de Eutychiana hæreſi criminantur. Et licet iſta nec expaveſcamus, nec quaſi nova miremur: B
quoniam ſic aliquando etiam patres noſtros Ariani velut Sabellianos, Sabelliani ve-
a Rom. 12. 17. rò velut Arianos mendaciter infamabant: oportet nos tamen, ſicut monet Apoſtolus, providere bona, non tantùm coram Deo, ſed etiam coram omnibus hominibus, & criminationes detrahentium, præſertim in cauſa fidei, prævenire. Et hæc quidem dicta ſint ad ſatisfactionem eorum, qui cùm eam neceſſitatem ignorent, etiam ea quæ dicuntur minus vigilanter attendunt. Intelligentiores autem profectò cognoſcent, quid & defenſioni præſentis cauſæ proficiat defenſio fidei, quæ mihi cum tua pietate communis eſt. Si enim probavero eam rectè ac prudenter Neſtorianis Eutychianiſque reſiſtere, quam ſuprà jam docuimus magnæ Synodi Calchedonenſis definitionibus convenire; nimis abſurdum videbitur, ut Neſtoriana credatur epiſtola, quam illa Synodus approbàvit, quæ ipſis ſuis definitionibus Neſtorianorum fallaciæ
tam ſolerter occurrit. Deinde cùm propter hæc eam, vel in ſententia ſuper epiſtola Ibæ C
prolata, vel in ceteris hinc atque inde Neſtoriani & Eutychiani calumnientur, omnis eorum vana fiet intentio, & fruſtra ſe laborare cognoſcent, ſi cùm fidem noſtram aſſerimus, illi decreta ipſius Synodi viderint confirmari, pro quibus infirmandis fallaci & longo circuitu auctoritatem ejus in aliis auferre conantur. Quoniam igitur cùm defenſori, tum etiam cauſæ defenſioni, propoſitus ordo conducit, tria quæ ſuperiùs commemorata ſunt breviter in hoc volumine defendemus. Quid enim nos contra calumniantes Eutychianos manifeſtiùs probat à fallacia Neſtorianorum penitus alienos, quàm ſi duo hæc aſſeramus, id eſt, unum de Trinitate pro nobis crucifixum, & beatam Mariam rectè vocari & verè & propriè matrem Dei? Vel quid nos item contra calumniantes Neſtorianos, ab Eutychianorum diſcordia longiùs abeſſe demonſtret, quàm ut illud quoque tertium adſtruamus, quia idem Dominus
noſter Jeſus Chriſtus in duabus naturis, hoc eſt, in divinitate atque humanitate D
perfectus eſt.

CAPUT III.

Quod unus de Trinitate paſſus contra Neſtorianos aptiùs dicatur, quàm una de Trinitate perſona. Perſonarum nomen in Trinitate Sabellii cauſa uſurpari cœptum. & de baptiſmo in nomine domini Ieſu.

SAne tacendum non arbitror, quod ſint *e* etiam catholici, qui ſicut credimus neſcientes hoc antè memorata Synodo confirmatum, ſuperfluè contra de verbo contendant: quia videtur eis quòd dici non debeat unum de Trinitate pro nobis crucifixum, ſed potius unam de Trinitate perſonam. Hos ergo tanquam propinquos
priùs nobis ſociare debemus, ut ipſi quoque nobiſcum hanc confeſſionem teneant, E
in qua non poteſt, ſicut pleriſque videtur, Neſtorianorum dolus abſcondi: ne cùm inaniter de verbo contendunt, rei controverſiam minùs examinatè definiant. Nam cùm dominum noſtrum Jeſum Chriſtum ſic perhibeant unam eſſe de Trinitate perſonam, ut & Dei ſubſiſtentiam unam eſſe non denegent, quæ naturarum adunatione, id eſt divinitatis & humanitatis, exiſtat; eundem eſſe dicentes Deum, quem ho-

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

e ETIAM CATHOLICI. Unum de Trinitate crucifixum quibus dici non placebat, id maximè ſpectabant, ne divinitatem paſſam cum Eutychianis dicere viderentur. Alii contrà, ut Joannes Maxentius, eos qui unam de Trinitate perſonam dicerent, in ſuſpicionem vocabant, quaſi quartam cum Neſtorio perſonam inducerent. Ceterùm piè rectéque utrumque, atque uno & eodem ſenſu dici, docet cum Facundo ejuſdem ævi gentiſque auctor Ferrandus diaconus Carthaginenſis in epiſtola ad Anatolium diaconum Romanum: & ante utrumque Joannes II. Papa in epiſtola ad Avienum, Senatorem, Liberium, & alios.

A minem, nec aliter Deum, aliter hominem, ſed & hoc & illud ſimiliter, id eſt na-
turaliter, de verbo contendere mihi videntur. Siquidem hoc etiam ſuo ſermone de-
monſtrant. Si enim dicamus, inquit, unum de Trinitate pro nobis crucifixum, ſi
quis interroget, quid unum dicamus, non poſſumus reſpondere Deum, aut filium,
quia non tres ſunt in Trinitate Dii, vel filii, ex quibus unus crucifixus dicatur: &
ideo rectè dicimus unam de Trinitate crucifixam eſſe perſonam, quoniam tres ſunt
in Trinitate perſonæ, ex quibus una crucifixa dicatur. At hæc non generalis eſt lo-
quendi regula, ſed quædam privata lex, quam ſibi ſua contentione fecerunt. Nam
in tantum neceſſe non eſt tres intelligi Deos, aut filios, ſi unus de Trinitate cruci-
fixus dicatur, ut ita in Geneſi ſcriberetur: *Ecce factus eſt Adam unus ex nobis.* Quod Gen. 3. 22.
utique non ex ſolius perſona patris, neque ex ſolius filii, vel Spiritus ſancti, dictum
accipitur, ſed tota ipſa Trinitas, id eſt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, illic indu-
B citur loqui, ideo pluraliter *ex nobis* dictum eſt. Cur igitur non ibi ſcriptura dicit,
Ecce factus eſt Adam una perſona ex noſtris perſonis, ſed potiùs, *Ecce factus eſt Adam
unus ex nobis?* Nunquid unus Deus ex nobis, quaſi * ex tribus? aut unus pater ex * Ex tribus
nobis, quaſi ex tribus patribus? aut unus filius, vel ſpiritus ſanctus ex nobis, qua- Diis? aut
ſi ex tribus filiis, vel ſpiritibus ſanctis? Quis hoc vel inſanus dixit? Nullus autem unus pa-
de Trinitate melius loqui poteſt, quàm ipſa de ſe locuta eſt Trinitas. Non ergo ſe- ter
quitur, ut cùm dicitur unus de Trinitate dominus Jeſus Chriſtus, unus Deus, aut u-
nus filius ſubaudiatur ex tribus Diis, aut filiis. Tres tamen ſunt, Pater, & Filius, &
Spiritus ſanctus, ex quibus unus rectè dicitur dominus Jeſus Chriſtus. Nam & Joan-
nes Apoſtolus in epiſtola ſua de Patre & Filio & Spiritu ſancto ſic dicit: *Tres ſunt qui* 1. Joan.
teſtimonium dant in terra, ſpiritus, aqua, & ſanguis, & hi tres unum ſunt: in ſpiritu ſi- 5. 7.
gnificans patrem, ſicut Dominus mulieri Samaritanæ ſecundum ipſius Joan- Joan. 4.
nis Evangelium loquitur, dicens: *Crede mihi, quia veniet, hora quando neque in mon-* 21.
C *te hoc, neque in Hieroſolymis adorabitis patrem. Vos adoratis quod neſcitis, nos adora-
mus quod ſcimus; quia ſalus ex Iudæis eſt. Sed venit hora, & nunc eſt, quando veri adorato-
res adorabunt patrem in ſpiritu & veritate. nam & pater tales quærit qui adorent eum. Spiri-
tus eſt Deus, & eos qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare.* In aqua verò
Spiritum ſanctum ſignificans, ſicut in eodem ſuo Evangelio exponit verba Domini Joan. 7.
dicentis: *Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, ſicut dicit ſcriptura,* 37.
flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Ubi ſubſecutus adjecit: *Hoc autem dicebat de
ſpiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Nondum enim erat ſpiritus datus, quia Ieſus
nondum fuerat glorificatus.* In ſanguine verò filium ſignificans, quoniam ipſe ex ſancta
Trinitate communicavit carni & ſanguini. Non ergo ait Joannes Apoſtolus, lo-
quens de Patre & Filio & Spiritu ſancto, tres ſunt perſonæ, quæ teſtificantur in terra,
ſpiritus, aqua, & ſanguis, & hi tres unum ſunt. Quid ergo pro Ioanne reſpondent
D Apoſtolo? Qui ſunt hi tres, qui in terra teſtificari, & qui unum eſſe dicuntur? num
Dii? num patres? num filii, aut Spiritus ſancti? Non utique. ſed hi tres, Pater &
Filius & Spiritus ſanctus ſunt, tamen etſi non invenitur unum nomen, quod de om-
nibus communiter maſculino genere prædicetur, ſicut communiter de illis perſonæ
prædicantur genere feminino. Aut ſi forſitan ipſi, qui de verbo contendunt, in eo
quod dixit: *Tres ſunt qui teſtificantur in terra, ſpiritus, aqua, & ſanguis, & hi tres unum
ſunt*, Trinitatem, quæ unus Deus eſt, nolunt intelligi, ſecundum ipſa verba quæ po-
ſuit pro Apoſtolo Ioanne reſpondeant. Nunquid hi tres, qui in terra teſtificari,
& qui unum eſſe dicuntur, poſſunt ſpiritus, aut aquæ, aut ſanguines dici? Quod ta-
men Ioannis Apoſtoli teſtimonium B. Cyprianus Carthaginenſis antiſtes & martyr Tomo 2.
in Epiſtola, ſive libro, quem de Trinitate ſcripſit, de Patre & Filio & Spiritu "
ſancto dictum intelligit. Ait enim: Dicit Dominus, *Ego & pater unum ſumus*; & ite- " Joan.
rum de Patre & Filio & Spiritu ſancto ſcriptum eſt, *Et hi tres unum ſunt.* Proinde " 10. 30.
conſiderare debent, qui verborum captionibus ſupervacuè ſtudent, quia non ſimul 1. Joan.
E & conjunctè dicimus unum filium ex Trinitate crucifixum, ut tres aut duos filios in- 5. 7.
ducere videamur: ſed priùs dicentes, quod magna Synodus confirmavit, unum ex
Trinitate incarnatum, vel paſſum, vel crucifixum, cùm interrogati fuerimus, quem
unum de Trinitate dicamus, rectè poſtea reſpondemus, filium. Non autem rectè
ſimul diceretur unus filius ex Trinitate incarnatus, aut paſſus, aut crucifixus. Sed
non eſt conſequens, ut quæ ſimul non rectè dicuntur, etiam ſigillatim non rectè
dicantur. Ac ne hoc diſſimulent intelligere, aut fortaſſe non poſſint, verborum
ſuorum vel convincantur vel admoneantur exemplo. Nam & ipſi, cùm rectè dicant
unam ex Trinitate perſonam crucifixam, ſecundum quod ille etiam vir beatus, &
doctrinæ admirabilis, Auguſtinus in opere, quod ſcripſit de prædeſtinatione & per- De bono
ſeverantia ſanctorum, docet: Fidelis, qui in eo veram naturam credit & confitetur perſever.
humanam, id eſt noſtram, quamvis ſingulariter ſuſcipiente Deo verbo, in unicum " cap. 24.

„ Dei filium ſublimatam: ita ut qui ſuſcepit, & quod ſuſcepit, una eſſet in Trinita- A
„ te perſona. Cùm igitur & ipſi, quemadmodum docuimus, juxta doctrinam patrum rectè dicant, unam ex Trinitate perſonam crucifixam; & item interrogati cujus eandem dicant eſſe perſonam, rectè reſpondeant, filii: non tamen quod ſingillatim rectè dicunt, etiam ſimul & conjunctè rectè dicere poterunt, id eſt, unam perſonam filii ex Trinitate crucifixam, quaſi duæ perſonæ ſint filii. Sicut ergo, quamvis non rectè ſimul dicatur, una perſona filii ex Trinitate crucifixa, & rectè item de ipſa perſona ſingillatim dicitur quòd filii ſit: ita quamvis non rectè ſimul dicatur, unus filius ex Trinitate crucifixus, rectè tamen ſingillatim dicitur, unus ex Trinitate crucifixus: & item de ipſo uno quòd filius ſit. Quocirca, rectè dicitur & unus ex Trinitate crucifixus, & una ex Trinitate perſona. Sed unam dicere perſonam Neſtorianorum nova ſubterfugia minùs excludit: qui convicti innumeris teſtimoniis patrum, quòd Deus verbum & aſſumptus homo una perſona ſit, pro auctoritatis dignitate ab eis hoc vel exiſtimant dictum, vel exiſtimare ſe fingunt. B Ut ſic homo Jeſus Chriſtus dicatur verbi geſſiſſe perſonam, ſicut etiam geſſit Apoſtolus, qui ſcribens ad Corinthios dicit: (2. Cor. 2. 10.) *Nam & ego quod donavi, propter vos, in perſona Chriſti, ut non circumveniamur à ſatana:* non ut unus idemque eſſet Deus & homo. Cùm vero & unus ex Trinitate, & una ex Trinitate perſona pro nobis crucifixa rectè dicatur, hanc utilitatem, qua fraus Neſtorianorum à ſancta & magna Synodo ſufficienter excluſa eſt, intelligere & approbare jam debent, qui dici nolebant unum de Trinitate pro nobis incarnatum, vel paſſum, vel crucifixum. Qui etiam ſi nulla invitaret utilitas, neque hoc eſſet tantæ Synodi auctoritate firmatum, modeſtiùs facerent adquieſcere ſapienti Gregorio, (Gregor. Nazianzenus Orat. 39.) qui de vocabulorum diverſitate diſſidendum non eſſe decrevit. In eo enim ſermone, cujus eſt titulus De luminibus, ita locutus eſt: Deum cùm nomino, uno lumine illuſtramini,
„ ſimul & tribus. Tribus quidem, ſecundum uniuſcujuſque proprietates, ſive ſubſi- C
„ ſtentias, ſicut placet aliquibus dicere, ſive perſonas. Nihil enim pro vocabulo-
„ rum diverſitate diſſidendum eſt, cùm ad eundem ſenſum omnium diverſitas provo-
„ cet intellectum. Dum igitur & magna nos ad hanc confeſſionem invitet utilitas, & non inaudita & nova ſit iſta vox, de qua nobis deliberare ſit liberum an admitti debeat, quam divinarum ſcripturarum teſtimoniis convenire etiam à tantis patribus confirmatum eſſe docuimus, nihilque de verbo ſit diſſidendum; placere omnibus debet, ut unus ex Trinitate, vel de Trinitate, crucifixus pro una perſona dicatur. Quamquam ſi quis rem diligenter attendat, & altiùs cauſam repetat, inveniet quòd non ſic diximus, unus pro una perſona, ſed potiùs una perſona pro uno ex Trinitate dicatur. Nam ſic Eccleſia Chriſti, etiam cùm nec dum ad diſtinctionem patris & filii & ſpiritus ſancti uteretur nomine perſonæ, tres credidit & prædicavit, patrem & filium & ſpiritum ſanctum, ſicut teſtimonio Joannis ſuprà docuimus, quo dictum D eſt: (1. Ioa. 5. 7.) *Tres ſunt qui teſtimonium dant in terra, ſpiritus, aqua, & ſanguis, & hi tres unum ſunt:* perſonarum autem nomen, non niſi cùm Sabellius impugnaret Eccleſiam, neceſſariò in uſum prædicationis aſſumptum eſt; ut qui ſemper tres crediti ſunt & vocati, pater & filius & ſpiritus ſanctus, uno quoque ſimul & communi perſonarum nomine vocarentur. Deinde etiam ſubſiſtentiæ dictæ ſunt, quoniam Eccleſiæ placuit, ad ſignificandam Trinitatem, & hoc nomen diſtinctioni perſonali tribuere. Quæſtio itaque aliquando de novo nomine perſonæ & ſubſiſtentiæ fuit, utrum ad ſignificandam Trinitatem, quæ Deus eſt, deberet admitti, ſicut & ipſius Trinitatis nomen admiſſum eſt: non de eo quod ſemper tenuit & prædicavit Eccleſia, quia
„ tres ſunt qui teſtificantur in terra, & hi tres unum ſunt. Unde etiam memoratus vir
„ Auguſtinus in quinto decimo de Trinitate libro: Clarum, inquit, eſt in ſubſtan-
„ tia veritatis, non ſolùm patrem filio non eſſe majorem, ſed nec ambos ſimul aliquid
„ majus eſſe, quàm ſolum ſpiritum ſanctum; aut quoſlibet duos in eadem Trinitate E
„ majus eſſe aliquid, quàm unum; aut omnes ſimul tres, majus aliquid eſſe, quàm
„ ſingulos. Nec ait vir cautiſſimus & ſapientiſſimus, ambas perſonas ſimul aliquid eſſe majus in ſubſtantia veritatis, quàm ſolum ſpiritum ſanctum, quod quidem rectè ſi vellet diceret: ſed potius ambos. neque ait quaſlibet duas perſonas in eadem Trinitate majus eſſe aliquid, quàm unam: ſed quoſlibet duos in eadem Trinitate majus eſſe aliquid quàm unum. neque dixit omnes ſimul tres perſonas majus aliquid eſſe, quàm ſingulas: ſed omnes ſimul tres majus aliquid eſſe, quàm ſingulos. Quod ſi hujuſmodi locutiones ex dictis probatiſſimorum patrum velim colligere, ante me tempus, quàm exempla, deficiet. Nihil eſt igitur quod de verbo reprehendamur, dicentes unum de Trinitate incarnatum, ſive paſſum, ſive crucifixum. Quod etiam ſancta Calchedonenſis Synodus divinarum ſcripturarum auctoritate, & antiquiſſimorum patrum teſtimoniis informata, videns à magno Proclo ad Armenos utiliter ſcriptum,

& à

A & à ſapientiſſimo Joanne Antiocheno & ceteris Orientalibus Epiſcopis in Concilio
approbatum, convenienter ipſa quoque firmavit. Et ideo hanc religioſam & ne-
ceſſariam vocem ſuſcipientes, qui de verbo ſuperflue contendebant, ita jam nobiſ-
cum Neſtorianos urgere debent ac premere, ut non tantùm unam ex Trinitate per-
ſonam dicant; quod illi malè, ſicut jam diximus, interpretantur: ſed etiam unum
ex Trinitate paſſum, quod nulla fraude poſſint eludere. Quibus Neſtorianis hoc mo-
do gravius inſiſtimus, ſi eis dicamus, certum eſt accipere vos nobiſcum, quia Trini-
tatem, quæ unus Deus eſt, ſignificavit Apoſtolus dicens: *O altitudo divitiarum ſapien-* Rom. 11.
tiæ, & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus! Quis 33.
enim cognovit ſenſum domini, aut quis conſiliarius ejus fuit? aut quis prius dedit illi, & re-
tribuetur ei? Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia, ipſi gloria in ſecula. Ex
ipſo dicens, ex patre: per ipſum verò, per filium, ſicut alibi dicit: *Nobis tamen* 1. Cor.
unus Deus pater, ex quo omnia, & nos in illo: & unus dominus Ieſus Chriſtus, per quem 8. 6.
B *omnia, & nos per ipſum.* In ipſo verò, in ſpiritu ſancto. De quo Salomon ait;
Quoniam ſpiritus Dei replevit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia ſcientiam habet Sap. 1. 7.
vocis. Nec aliud eſt in ipſo eſſe omnia, niſi ab ipſo omnia contineri. Quæ cùm
ita ſint, quomodo non unus ex hac Trinitate eſt dominus Jeſus Chriſtus, cùm,
ſicut oſtendimus, idem dicat Apoſtolus: unus dominus Jeſus Chriſtus, per quem 1. Cor.
omnia, & nos per ipſum? Item cùm ipſe dominus Jeſus Chriſtus, hanc Trinita- 8. 6.
tem nobis inſinuans, in Evangelio diſcipulis ſuis dixerit: *Euntes docete omnes gentes,* Matth.
baptizantes eos in nomine patris & filii & ſpiritus ſancti: quomodo Petrus Apoſto- 28. 19.
lus Judæos exhortans diceret: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrùm in* Act. 2. 38.
nomine Ieſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum, & accipietis donum ſpiritus ſancti? aut
quod ſimul in eiſdem Actis Apoſtolorum legitur, quidam diſcipuli, quos ejus coa- Act. 19.
poſtolus Paulus Epheſi reperit baptiſmo tantùm Joannis imbutos, ab eo admoni-
ti baptizarentur in nomine domini Jeſu, ſi non unus eſſet ex Trinitate, in qua
C tantùm baptizari præceptum eſt, dominus Ieſus Chriſtus? Quòd autem *f* in no-
nomine domini Ieſu hi quos memoravimus baptizati narrantur, non ex eo creden-
dum arbitror, quia non in nomine patris & filii & ſpiritus ſancti baptizati ſunt,
ut etiam in ipſis ſervaretur verbis à Domino conſtituta forma baptiſmi. Sed quia
hoc erat inſinuandum quòd baptiſmo novo fuerint baptizati; ſufficere judicatum
eſt ad diſcretionem ipſius novi baptiſmi ſolum nomen domini Ieſu memorare,
quod neque in baptiſmo Ioannis, neque in aliis baptiſmis Iudaici ritus interſere-
batur. Ceterum illis ſacratis verbis, id eſt, in nomine patris & filii & ſpiritus
ſancti, baptizati mihi videntur. Nec mendaciter dictum, quod abſit, exiſtimo:
Baptizetur unuſquiſque veſtrùm in nomine Ieſu Chriſti, aut quia baptizati ſunt quidam in
nomine domini Ieſu. quoniam certiſſimè in nomine Ieſu baptizabant Apoſtoli, &
ſi non in ſolius domini Ieſu, id eſt filii, nomine baptizabant, verùm etiam in pa-
D tris & ſpiritus ſancti. Ac per hoc arbitror, quod cùm baptiſma celebraretur, in ip-
ſis quoque ſacratis verbis ſervabatur illa forma baptiſmi: in narratione verò ſuffi-
ciebat, ad diſcretionem aliorum baptiſmatum, ſolius domini Ieſu facere mentio-
nem. Propterea verò credo, quòd de omnium trium perſonarum commemoratio-
ne, domini Jeſu nomen ad inſinuandum novum baptiſmum magis aſſumptum eſt,
quoniam ipſi conſepelimur per baptiſmum in mortem. Veruntamen non dicere-
tur, niſi, ut jam aſſeruimus, unus eſſet ex Trinitate dominus Ieſus Chriſtus. His
igitur atque aliis quamplurimis informatus, priùs quàm hoc à magna ſynodo Cal-
chedonenſi approbatum eſſe cognoſcerem, unum de Trinitate credidi dominum
Ieſum Chriſtum. Qui Deus ex Deo natus ante ſæcula, idem in plenitudine tem-
porum homo ſit natus ex virgine; & qui patris exiſtens unigenitus, factus ſit uni-
genitus matris: ut geminæ gigas ſubſtantiæ, ſicut intellexit & cantavit Ambroſius,
utriuſque veræ nativitatis proprietate credatur; ſitque conſubſtantialis patri ſecun-

E

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

f IN NOMINE DOMINI JESU. Alia fuit ſententia S. Ambroſii, qui in libro de Spiritu ſancto cap. III. Apoſtolos cenſuit in nomine domini JESU tantummodo baptizaſſe: plenum tamen fuiſſe myſterium, quia qui unum dixerit, Trinitatem ſignavit. Quod ipſum in libro de Trinitate Latinè tantùm edito ſcripſerat ſanctus Athanaſius. *Numquid prævaricatores*, inquit, *mandati Salvatoris Apoſtoli effecti, & contra traditionem eius baptizarunt tantam multitudinem? Non enim ſcriptum eſt baptizaſſe eos in nomine patris & filii & ſpiritus ſancti, ſed tantùm in nomine Domini* JESV. *Numquid ergo prævaricati ſunt? Abſit. Nam licet filii nomen tantummodo dicatur, habet tamen & patrem & ſpiritum ſecum pronunciatum.* In eadem quoque ſententia eſt Ferrandus idem diaconus in epiſtola ad Anatolium.

dum divinitatem, & conſubſtantialis matri ſecundum humanitatem. & ſicut ideo A
conſubſtantialis patri creditur, quia proprius ejus & verus eſt filius, ſic etiam matri
propterea conſubſtantialis credatur, quia proprius etiam ejus & verus eſt filius.

CAPUT IV.

Quod B. Maria verè ac propriè ſit mater Dei, contra quoſdam Catholicos, & contra Neſtorianos. examinantur Hilarii, Auguſtini, & Leporii presbyteri teſtimonia.

VErbi autem & proprii filii quis niſi abſurdiſſimus neget vere & proprie eſſe matrem? quod æquè monſtravimus magnæ ſynodi Calchedonenſis ſententiæ convenire, & nos ſecundo partitionis loco promiſimus aſſerturos. Inſinuandum verò
eſt, quòd hanc quoque confeſſionem, qua beatam Mariam vere & proprie dicimus
matrem Dei, g quidam etiam communicantes Eccleſiæ putent non debere ſuſcipi, B
cùm Neſtorium fateantur, propter quòd eam matrem negabat, debuiſſe damnari.
Quibus antequam Neſtorianis reſpondeamus reſpondendum puto, ſicut & in ſuperiore quæſtione jam factum eſt: quod omnino ſtultum ac turpe ſit, & condemnationem probare Neſtorii, & beatam Mariam negare, quòd vere & proprie ſit mater
Dei. Nam ſi qua hinc eſſe potuit quæſtio, cùm ipſo Neſtorio ſimul excluſa eſt,
qui eam matrem Dei eſſe negabat. Hoc enim & ad credendum difficile, & dignum
controverſia videbatur, utrum Deum illa virgo genuerit: ceterùm quòd vere & proprie genuerit, quicquid eſt ille quem genuit, nulli dignum diſceptationis apparet.
Qui ergo concedunt, quia Deum virgo genuit, quod incapabile eſt, & unius ſingulariter matris: cur eam negant vere & proprie genuiſſe, quod commune omnibus
matribus, & nullius dignum eſt quæſtionis? Et audent inſuper hoc, quod dicimus
B. Mariam verè & propriè matrem Dei, Eutychiano dogmati deputare: non intel-
1. Tim. 1. 7. ligentes neque quæ loquuntur, ſicut dicit Apoſtolus, neque de quibus affirmant, C
In allocut. ad Martian. cùm ſancta Calchedonenſis Synodus, à qua ipſe damnatus eſt Eutyches, ſicut memo-
„ ravimus, dicat: Quomodo Dei genitrix ſit virgo vocitata propter eum qui virginita-
„ tem ejus dignatus eſt etiam ſacrare poſt partum, vulvamque, ut decebat Deum, in-
„ tegritate ſignare: quomodo ſecundum veritatem mater dicta ſit propter carnem,
„ quam ex ſe omnium domino miniſtravit. Cùm igitur, ut iſti patres docuerunt, propterea ſecundum veritatem mater dicta ſit, quia carnem ex ſe omnium domino miniſtravit, quod Eutyches negat: quomodo putatur Eutychiano dogmati deputandum, cui magis invenitur eſſe contrarium? Non enim poteſt beatam virginem vere
& proprie dicere matrem Dei, ſed nuncupative potius ac perfunctorie, quam non
credit carnem ex ſe omnium domino miniſtraſſe. Non ergo Neſtorianam tantum,
verum etiam Eutychianam hæreſim deſtruit iſta confeſſio, qua dicitur B. Maria vere & proprie mater Dei. Quòd ſi nos rectæ fidei eſſe non credunt, & aliquid ſuſpi- D
cantur in his verbis occulere, inquirant à nobis id ipſum quemadmodum volunt, &
interrogationibus ſuis quid ſentiamus eliciant. Si autem de rectitudine quidem fidei
noſtræ non dubitant: ſed putantes ipſam fidem rectam non rectis verbis pronunciari, dicunt quòd ſenſu quidem ſumus perfecti, non autem ſumus perfecti ſententia:
1. Cor. 1. 10. cùm Apoſtolus in utroque nos hortetur perfectos dicens: *Sitis autem perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſententia*: ipſi doceant quatenus illa virgo, quod non abnuunt, mater Dei dicatur, utrum vere & proprie, an nuncupative & perfunctorie. Quòd ſi
dicunt non eſſe conſequens, ut ſi vere & proprie non ſit, nuncupative & perfunctorie ſit mater Dei: ipſi dicant modum quo contra nos prædicanda ſit mater Dei. Omnis enim qui alterius prædicationi repugnat, dicere debet aliquid, quod aut contrarium ei ſit, aut diverſum. Sicut Arianis dicentibus, quòd minor patre ſit filius, contrà nos dicimus quòd æqualis ei ſit: ſicut Manichæis dicentibus quod phantaſtica, id
eſt, falſa caro fuerit ejuſdem filii Dei, contrà nos dicimus quòd in vera carne homo E
fuerit factus. Atque ita & illi viciſſim, impugnantes quod verum eſt, atque catholicum,
affirmant aliquid ſuum. Nec quiſquam aliter doctrinæ reſiſtit alterius, niſi contrà aliquid dicat: cùm verò aliquid contradixerit, tum demum ſi acceptabilis ſit illa contradictio diſquiritur. Horum verò, qui nos prohibent dicere vere & proprie matrem Dei
Mariam, nec dicunt ſecundum quem modum dicenda ſit mater Dei, non eſt quæren-

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

g QUIDAM COMMUNICANTES ECCLESIÆ. Tametſi de Maria Virgine, quin verè ac propriè dicenda ſit Deipara Θεοτόκος, ambigere inter Catholicos integrum non erat poſt Synodum Epheſinam, quæ liquidò id ſanxit contra Neſtorium: non defuiſſe tamen, qui de ea voce his temporibus immeritò contenderent, præter Facundum, oſtendit ex Juſtiniani literis Joannes Papa in eadem epiſtola ad Senatores.

A dum ſi acceptabilis ſit contradictio. Nam qui contra nihil dicunt, quomodo vel
dicere videantur? Et ideo non tam laborioſum ſtudio noſtro eſt eorum abſurditati
reſiſtere, quàm exiſtimationi periculoſum, ne videamur ſuperfluè non contradicenti-
bus reſpondere. Quamvis autem negantes hoc noſtrum quod dicimus, verè & propriè
eſſe matrem Dei Mariam, nihil hactenus affirmaverint ſuum: interrogandi ſunt ta-
men, utrum quod neceſſariò ſequitur, vel negare audeant quod nos prohibent con-
fiteri, ut addita negatione dicant eam non verè & propriè matrem Dei. Et jam
non dicam aures catholicorum, ſed frons illorum ferat, ſi poteſt, hanc profanam
& deteſtabilem vocem. Si autem non audent dicere, Non vere & proprie mater
eſt Dei, cur nos prohibent confiteri, quod negare non audent? Cognoſcant igitur
cum ſancta ſynodo, cujus ſe profitentur decreta ſuſcipere; quòd propterea beata
illa virgo ſecundum veritatem mater dicta ſit Dei, quoniam carnem ex ſe omnium
B Domino miniſtravit: & non ſe dicant Eutychianis repugnare, negantes vere &
proprie matrem Dei Mariam, cùm potiùs eis neſcii favere monſtrentur, reſiſtendo
ſententiæ ſynodi Calchedonenſis, in qua damnati ſunt, & negando quod eorum eſt
vanitati contrarium. Illud etiam caveant Neſtorianorum experti perfidiam, quibus
pro hac quoque confeſſione jam reſpondere debemus, ne quaſi pro naturarum diſ-
cretione dicentes quòd non homo Chriſtus Jeſus, ſed Deus verbum proprius & ve-
rus ſit filius Dei; aut quod non Deus verbum, ſed homo Chriſtus Jeſus proprius &
verus ſit filius hominis; videantur & ipſi non eundem credere Deum verbum quem
hominem, ſed alteram perſonam Dei, alteram hominis arbitrari. Porro ſi idem eſt
Deus qui homo, & idem homo qui Deus, tam recte dicitur Deus verbum proprius
& verus filius hominis, quàm recte dicitur idem ipſe mediator Dei & hominum ho-
mo Chriſtus Jeſus proprius & verus filius Dei: nec ulla confuſio naturarum ex hoc
inducitur, ſed perſonæ unitas intimatur. Neque enim confuſionem naturarum Joan- 1. Ioan. 5. 20.
C nes inducebat Apoſtolus dicens: *Scimus quoniam filius Dei venit, & dedit intellectum,* Rom. 8. 31.
ut ſciamus quod eſt verus * *& ſummus in vero filio ejus Ieſu Chriſto*: vel Paulus, cùm dice- * & ſimus in vero
ret: *Si Deus pro nobis, quis contra nos? qui etiam filio proprio non pepercit, ſed pro nobis om-*
nibus tradidit illum. Si autem Ioannes Chriſtum, id eſt unctum, verum Dei filium di-
cit, quem & veniſſe teſtatur, venire autem & ungi, quantum ad naturarum diſcre-
tionem ſpectat, humanitati potius, quàm deitati conveniunt: & ſi Paulus quem pro-
prium Dei vocat filium, ipſi patrem non pepercisse docet, ſed eum pro nobis om-
nibus tradidiſſe, & omnia ei donaſſe; quæ ſimiliter, cùm de naturis agitur diſtin-
guendis, deitati non poſſunt attribui: & neuter horum talia prædicans creditur con-
fudiſſe naturas, ſed unitatem magis expreſſiſſe perſonæ. reſpondeant Neſtoriani,
quomodo non eadem perſonalis unitatis ratio, ſine ulla naturarum confuſione, de
nobis flagitat, ut vere & proprie dicamus filium hominis Deum verbum, & bea-
tam virginem vere & proprie matrem Dei. Nam & ille centurio, qui corpus Do-
D mini gloriæ crucifixi ſervabat, cùm expirante mundi creatore, mundi videret ele-
menta turbari, filium Dei eum verum eſſe cognovit, ait enim: *Verè filius Dei erat* Matt 27. 54.
iſte. Cujus verba fidem beatus facit Hilarius, ita dicens: Qui cruci affixerant vere Lib. 3. de Trinitate
Dei filium confitentur: prædicationi conſentit effectus. Dominus dixerat: *Clarifica*
filium tuum. Non ſolùm nomine conteſtatus eſt filium, ſed & proprietate qua dici- Ioan. 17. 1.
tur *tuum.* Multi enim nos filii Dei: ſed non talis hic filius eſt. Hic enim & proprius
& verus eſt filius, origine non adoptione, veritate non nuncupatione, nativitate non
creatione. Ergo poſt clarificationem ejus veritatem confeſſio ſecuta eſt. Nam ve-
rum Dei filium centurio confitetur, ne quis credentium ambigeret quòd unus perſe-
quentium non negaſſet. Si igitur, Hilario quoque, doctiſſimo antiſtite & fortiſſimo
confeſſore, ſecundum doctrinam Apoſtolicam teſtante, proprius & verus eſt filius
Dei qui crucifixus eſt, non eſt dubium quin etiam Deus vere & proprie pater ſit
crucifixi filii. Quæ cùm ita ſint, quemadmodum nihil ex hoc metuendum eſt, ne
E cùm dicitur Deus vere & proprie pater filii crucifixi, ſequi videatur quòd illa hu-
manitas à verbo Dei ſuſcepta & crucifixa in deitatem converſa ſit, & natura huma-
na, quæ compoſita eſt, ſimplici naturæ patris conſubſtantialis effecta: ita non ſequi-
tur, cùm dicimus vere & proprie matrem Dei Mariam, ut deitas Verbi converſa
videatur in carnem, & natura divina, quæ ſimplex eſt, compoſitæ naturæ matris
conſubſtantialis effecta. Alioquin ſi blaſphemum & abſurdum eſt quòd B. Maria ve-
re & proprie dicitur mater Dei, ſine ulla diſceptatione blaſphemum & abſurdum eſt,
quòd Deus verbum vere & proprie dicitur filius hominis. Si autem & hoc blaſphe-
mum & abſurdum videtur, ut Deus verbum vere & proprie dicatur filius hominis;
conſequenter blaſphemum videbitur & abſurdum, ut idem ipſe mediator Dei & ho-
minum homo Chriſtus Jeſus vere & proprie dicatur filius Dei. Porro ſcriptura di-
vina, quæ nihil blaſphemum loquitur ve abſurdum, pro unitate perſonæ verum &

proprium Dei filium dicit mediatorem Dei & hominum, hominem Jeſum Chriſtum: qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus, in quo vero Dei filio ſumus, & cui proprio filio pater non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum. Rectè igitur etiam B. Maria, pro eadem unitate perſonæ, verè & propriè mater dicitur ipſius unigeniti Dei verbi. Ideoque ſapientiſſimus atque clariſſimus Eccleſiarum Chriſti magiſter Auguſtinus in opere memorato, quod conſcripſit de prædeſtinatione & per-

Rom. 1. 1. ,, ſeverantia ſanctorum: Clamat, inquit, Doctor gentium in capite epiſtolarum ſua-
De ,, rum, *Paulus ſervus Jeſu Chriſti vocatus Apoſtolus, ſegregatus in Evangelium Dei, quod an-*
præd. ,, *tè promiſerat per Prophetas ſuos in ſcripturis ſanctis de filio ſuo, qui factus eſt ei ex ſemine David*
ſanctor. ,, *ſecundum carnem; qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute, ſecundum ſpiritum ſanctificationis*
cap. 15. ,, *ex reſurrectione mortuorum.* Prædeſtinatus eſt ergo Jeſus, ut qui futurus erat ſecundum
,, carnem filius David, eſſet tamen in virtute filius Dei ſecundum ſpiritum ſanctifica-
,, tionis, quia natus eſt de Spiritu ſancto ex virgine Maria. Ipſa eſt illa ineffabiliter facta
,, hominis à Deo verbo ſuſceptio ſingularis, ut filius Dei & filius hominis ſimul, & filius
,, hominis propter ſuſceptum hominem, & filius Dei propter ſuſcipientem unigenitum
,, Deum veraciter & proprie diceretur, ne non Trinitas ſed quaternitas crederetur.

Igitur iſte vir doctus & ſuſceptum hominem veraciter & propriè docuit dici filium Dei: & ſuſcipientem Deum propter ſuſceptum hominem veraciter & propriè dici filium hominis. Si quo minus, neceſſe non erat dicere quod adjecit, *veraciter & propriè*, niſi ad hujus magni myſterii commendationem, per quod & Deus filius hominis & homo filius Dei factus eſt. Nam veraciter & propriè dici hominem filium hominis, & Deum filium Dei quis poſſit ambigere? Idem itaque & Deus verbum, qui etiam eſt mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Jeſus, ſecundum hujus viri ſancti doctrinam, tam veraciter & proprie dicitur filius hominis, quàm veraciter & proprie filius Dei. Si autem veraciter & proprie dicitur filius hominis Deus, neceſſe eſt ut reciprocè dicatur & B. Maria veraciter & proprie mater Dei. Cum verò hoc adjecit dicens, *ne non Trinitas, ſed quaternitas crederetur*, coëgit omnino ut B. Mariam veraciter & proprie matrem Dei eſſe dicamus, ne non Trinitatem, ſed quaternitatem credere videamur. Et ideo religioſæ ac neceſſariæ vocis hujus negatio non levis putetur, quam tanta blaſphemia conſequitur. Sane mirandum non eſt, quod Auguſtinus

De tem- veraciter & proprie dici pronunciat filium hominis Deum, cùm in quodam ſermone
pore de Epiphania, cujus principium eſt: Nuper celebravimus diem quo ex Judæis Domi-
ſerm. 33. nus natus eſt, hodie celebramus quo à gentibus adoratus eſt, ita loquatur: Magos
,, ſane ad ipſum proprie locum, ubi Deus verbum infans erat, ſtella perduxit. Quod
Qui ergo verbum ergo verbum Deum dicit infantem, quomodo non veraciter & proprie diceret prædicari filium hominis Deum? Nam ſi infans ille veraciter & proprie dicitur filius hominis, ipſe autem infans eſt Deus verbum, veraciter & proprie dicitur filius hominis
Ibidem Deus verbum. Rurſus in alio ejuſdem diei ſermone, cujus eſt principium: Ad par-
ſerm. 30. ,, tum virginis adorandum Magi ab oriente venerunt, ſic ait: Jam vero quod eadem
,, ſtella quæ Magos perduxit ad locum, ubi erat cum matre virgine Deus infans, &c.

Is ergo negare poteſt veraciter & proprie dici filium hominis Deum, qui hujus ſapientiſſimi viri doctrinæ repugnans, aut Deum negat infantem, aut vere & proprie filium eſſe hominis negat infantem. Quia ergo illud pietas, hoc autem humanitas negare non patitur, vere & proprie eſſe filium hominis Deum ſine dubitatione credendum eſt. Hoc autem conſtituto, non eſt dubium, quin etiam illa virgo viciſſim vere & proprie mater Dei eſſe dicatur. Item cum quidam *h* Leporius preſbyter apud Gallias, depravatus à vera & antiqua Eccleſiæ fide, eadem docere præſumeret, quæ poſtea Neſtorius docuit, atque inde pro tali errore depulſus, in Africam docendus

Gal. 6. 1. veniret, illic inſtructus, ut docet Apoſtolus, in ſpiritu manſuetudinis à ſpiritalibus patribus Aurelio Carthaginenſi, & prædicto Auguſtino, atque aliis Africanis Epiſcopis, praviſſimam novitatem ſui dogmatis abdicavit. Scripſit autem libellum ſatisfactionis idem Leporius ad Gallos Epiſcopos, quem memorati venerabiles patres Aurelius atque Auguſtinus & ceteri ſic probaverunt, ut ad faciendam veritatis fidem etiam ſuas ei ſubſcriptiones adjicerent. In quo libello poſt multum ſic dicit: Naſci-
,, tur ergo proprie de Spiritu ſancto & Maria virgine Deus homo Jeſus Chriſtus filius
,, Dei, ac ſic in alterutrum unum fit & verbum & caro, ut manente in ſua perfectione
,, naturaliter utrâque ſubſtantiâ, ſine ſui præjudicio, & humanitati divina communi-

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

h LEPORIUS PRESBYTER. Leporii libellum ſatisfactionis, cujus partem ex Caſſiano dedimus Tomo I. Conciliorum Galliæ, integrum poſtea nacti ſumus cum Aurelii, Auguſtini, aliorumque ſubſcriptionibus, quarum hîc mentio. Hunc ergo publici juris propediem futurum ſperamus.

cent, & divinitati humana participent. nec alter Deus, alter homo, ſed idem ipſe Deus qui & homo, & viciſſim homo qui & Deus, Ieſus Chriſtus filius Dei nuncupetur & vere ſit. Cùm itaque nefandus error, qui evacuans totnm ſalutis noſtræ myſterium cautus ſibi videtur ac diligens, in eccleſia Latinorum priùs apparens, non ſicut apud Græcos contentionibus augeretur, ſed ſatagendo magna & ſollicita patrum pietate, mox ut deprehenſus eſt, etiam à ſuo condemnaretur auctore: non aliter viſus eſt eiſdem ſanctis patribus abolendus, niſi ut de virgine Maria propriè Deum eſſe natum ſcripto confiteretnr ipſius auctor erroris. Ait enim, ſicut memoravimus: *Naſcitur ergo propriè de ſpiritu ſancto & Maria ſemper virgine Deus.* Atque ita Deus ab eo dicitur proprie natus ex virgine, ut etiam homo Jeſus Chriſtus viciſſim Dei filius nuncupari & verè eſſe dicatur. Unde & illud adjecit: *Ac ſit in alterutrum unum ſit & Verbum & caro.* Nec per hoc diſcretioni utriuſque naturæ præjudicium intulit, qui confeſſus eſt quòd manente in ſua perfectione naturaliter utraque ſubſtantia, ſine ſui præjudicio & humanitati divina communicent, & divinitati humana participent. non alterum dicens Deum, alterum hominem: ſed eundem ipſnm Deum, quem & hominem, & viciſſim hominem, quem Deum, Ieſum Chriſtum Dei filium nuncupari & verè eſſe confeſſus eſt. Si autem Dens verè eſt homo, nec aliunde verè homo niſi naſcendo de virgine, cur non dicatur Deus verè natus ex virgine? Et ſi Deus propriè factus eſt homo, nec aliunde propriè factus eſt homo niſi naſcendo de virgine, cur non dicatur etiam propriè natus ex virgine? Abſurdum nimis eſt, ut Deus, qui naſcendo de virgine vere & proprie factus eſt homo, non vere & proprie de illa natus eſſe dicatur: ut vera ſit res quam effecit illa nativitas, & ipſa rei ejus effectrix non ſit vera nativitas. Verùm nec illud minus abſurdum eſt, ut qui non offenditur propheta dicente: *Mater Sion dicit homo, Et homo factus eſt in ea, & ipſe fundavit eam altiſſimus*, & manſuetè & fideliter accipit, quòd ipſe altiſſimus, qui Sion fundavit, homo factus eſt in ea: & qui non offenditur Evangeliſta dicente, *Verbum caro factum eſt*: ſi audiat ea quæ ſunt hominis altiſſimo tribui qui factus eſt homo, & ea quæ ſunt carnis Verbo tribui qnod factum eſt caro, ſcandalum patiatur, tanquam non horum cauſam antè crediderit, quando altiſſimum factum hominem, & verbum carnem credidit factum. Plus eſt autem dicere altiſſimum hominem factum, quàm tribuere quæ ſunt hominis altiſſimo: & plus eſt dicere, verbum caro factum eſt, quàm tribuere quæ carnis ſunt Deo verbo. Cùm itaque ſpiritus Dei, ad commendandam nobis in hoc myſterio adunationem divinæ humanæque naturæ, hoc quod eſt amplius dicere congruentiùs & utiliùs judicavit, quia altiſſimus homo factus eſt, &, verbum caro factum eſt: cur qniſquam metuat hac auctoritate fundatus, ſine præjudicio utriuſque naturæ, ea quæ ſunt humanitatis altiſſimo, & quæ ſunt carnis verbo tribuere, propter ſacramentum ac diſpenſationem incarnationis ſuæ? De quo verbo Deo loquens idem Ioannes in epiſtola ſua, ei quæ carnis ſunt deputare non dubitat, utpote quem carne factum in ſuo Evangelio prædicavit. Nam ſicut ibi ſermonem inde exorſus eſt dicens: *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum*: & infrà: *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis.* Ita & in epiſtola ſua inde ſimiliter cœpit: *Quod erat ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis noſtris, quod inſpeximus, & manus noſtræ contrectaverunt de verbo vitæ, & vita palam facta eſt, & vidimus & teſtamur, & nuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud patrem, & palam facta eſt nobis.* Annuncians itaque nobis de verbo vitæ, quod erat ab initio, nec in his quæ memoravimus ſuſceptæ ab eo carnis nomen interſerens, de ipſo verbo dicit, quòd oculis ſnis illum inſpexerit, & manibus contrectaverit, non dubitans quæ ſunt carnis incarnato verbo tribnere. Quid ergo Neſtoriani, quaſi cautiores & diligentiores ipſo Ioanne Apoſtolo, imò ipſo Deo verbo, qui ſic de ſe in Ioanne loquebatur Apoſtolo, refugiunt quæ ſunt humaniatis Deo tribuere, & B. Mariam dicere vere & proprie matrem Dei, quam non refugiunt dicere vere & proprie hominis matrem, niſi quia non eundem credentes eſſe Denm, quem hominem, duos nobis filios, licet non verbis, rebus tamen volunt inducere? Nos autem ſcientes Apoſtolum dixiſſe: *Optabam enim ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis, qui ſunt cognati mei ſecundum carnem, qui ſunt Iſraëlitæ, quorum adoptio eſt filiorum, & gloria, & teſtamenta, & legiſlatio, & cultura, & promiſſa: quorum patres, & ex quibus Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula*, non alterum Chriſtum putamus, & alterum ſuper omnia Deum, ſed eundem Chriſtum credentes ſuper omnia Denm, ejus matrem beatam Mariam virginem vere & proprie dicimus matrem Dei.

Pſal. 86.5.

Ioa. 1. 14.

Ioan. 1. 1.

1. Ioan. 1.

Rom. 9. 5.

CAPUT V. A

Quod Chriſti duæ ſint naturæ, non una compoſita, contra Eutychianos & Semieutychianos. De Iulio Papa, & de Cyrillo Alexandrino, quorum ſcripta objiciunt adverſarii.

HÆc adverſus Neſtorianorum perfidiam dixiſſe ſufficiat, quæ nos, ſicut arbitror, à calumniis Eutychianorum ſatis ſuperque defendunt, qui cùm refelluntur a Catholicis, Neſtorianorum eis crimen affigunt. Et ideo jam illud tertium prædictis Eutychianis contrarium rectum eſſe monſtremus, quòd dominum noſtrum Jeſum Chriſtum confitemur in duabus naturis, id eſt divinitate atque in humanitate perfectum. Quo Neſtorianorum quoque calumnias evertemus, qui nos putant ad confuſionem duarum Chriſti naturarum dicere, quod unus ex Trinitate ſit dominus B Jeſus Chriſtus, & vere & proprie mater Dei Maria. Chriſtum igitur filium Dei, quemadmodum dictum eſt, in duabus prædicamus eſſe naturis. Nec dici patimur unam ejus ex divinitate & humanitate compoſitam eſſe naturam, ne patri, cujus ſimplex natura eſt, conſubſtantialis non ſit; & ſicut alterius eſt perſonæ, quàm pater, ita etiam alterius, id eſt diverſæ, dicatur eſſe naturæ. Verum neque nobis erit conſubſtantialis, niſi ejus duæ naturæ ſint: ut ſcilicet altera ſit, in qua conſubſtantialis eſt patri, altera verò in qua conſubſtantialis eſt nobis. At huic evidentiſſimæ rationi bruta Eutychianorum contentio refragatur, adfirmans Dei verbi unitatem incommutabiliter ſimplicem eum ſuſcepta humanitate in unam componi potuiſſe naturam. Quorum Eutychianorum duæ ſunt partes. una, quæ per totum ſequitur Eutychis principis ſui ſententiam: alia verò, quæ in quibuſdam ab eo diſſentiens, per ſuperbiam tamen dedignatur ad Eccleſiam pœnitendo reverti: ut de ipſis dictum videatur in Pſal. 34. 17. pſalmis, *Diſciſſi ſunt, nec compuncti ſunt.* Nam quia contentioſa vanitate præſumpſerunt longè diverſa, id eſt creatricem naturam creatamque confundere, traditi C figmentis & erroribus cordis ſui, quamvis ex eodem cœnoſo fonte manantes, juſtè meritóque diſciſſi ſunt. Sed illi, qui licet, ut diximus, recedentes in quibuſdam ab ipſius Eutychis auctoris & capitis ſui ſententia, ſequi tamen dedignantur Eccleſiæ catholicæ doctrinam, cujus caput eſt Chriſtus in duabus naturis, id eſt, in divinitate atque humanitate, perfectus, tanquam ſine capite remanentes, *ı* Acephali vocantur à Græcis, quos ſignificantius nos Semieutychianos poſſumus appellare. Hi ergo ſciſſorum Eutychianorum ſchiſmatici, dicunt, quoniam ſi & una prædicetur filii Dei natura, poteſt accipi eadem una natura ſecundum aliquid naturæ patris eſſe conſubſtantialis, & item ſecundum aliquid noſtræ: hoc eſt autem dicere, nec patris eam naturæ conſubſtantialem eſſe, nec noſtræ. Namque cùm aliquid habere dicitur hæc una filii Dei natura, quod patris natura non habeat, & rurſus aliquid quod noſtra D non habeat, non aliud eſt, quàm eam negare conſubſtantialem & naturæ patris & noſtræ. Ut enim nos rectè dicamus filium & patri eſſe conſubſtantialem & nobis, propterea utique quia licet unum dicamus eſſe perſonam, non tamen diffitemur quòd in quadam naturarum dualite ſubſiſtat, ut ſecundum unam conſubſtantialis patri dicatur, & ſecundum alteram nobis. Unam verò, quam ipſi dicunt Chriſti eſſe naturam, negant omnino in dualitate aliqua contineri; ne requiſiti cujus rei ſit illa dualitas, quia non poſſunt jam dicere naturarum, perſonarum dicere cogantur, quod nobiſcum contra Neſtorium negant. Et quia, cùm naturæ natura confertur, non poteſt ibi pronunciari conſubſtantialitas, niſi tota toti æquetur, ut definitionis nulla diverſitas intercedat: non autem poteſt una eſſe definitio naturæ ex divinitate & humanitate compoſitæ, ſi de filio ſic credatur, & ſimplicis naturæ patris, quæ tantùm divina eſt, aut noſtræ, quæ tantùm humana eſt. Non ergo erit filius & patri conſubſtantialis & nobis. Et ſi de filio ſic credatur, duas confiteri debent unius filii Dei naturas; quod innumeris teſtimoniis antiquorum patrum in defenſione magnæ E ſynodi Calchedonenſis, & convictione Eutychianæ vecordiæ, cum plurimis tum

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

ı ACEPHALI VOCANTUR. Alii alias hujus nominis cauſas tradunt, ut Leontius de ſectis cap. 5. Ado Viennenſis in Chronico, Nicephorus lib. 18. cap. 45. & alii. Ceterum conſtat Acephalos tandem, quæcumque ſit origo, univerſè appellatos monophyſitas omnes, qui unicam in Chriſto naturam ſtatuebant, & Synodum Calchedonenſem oppugnabant, licet inter ſe alii aliis erroribus diſcreparent. Scitè autem Anaſtaſius Antiochenus, περὶ τῆς Χριστοῦ οἰκονομίας, ad decem illorum corypbæos alludens, δεκακέρατον ὀρχήστραν, decem cornuum orcheſtram nuncupavit. ἀποβάλλεται, inquit, ὁ ἀγιώτατος ὁ Εὐτυχὴς, καὶ Διόσκορος, καὶ Θεοδόσιος, καὶ Πέτρος, καὶ Τιμόθεος, καὶ Ἰουλιανὸς, καὶ Γαϊανὸς, καὶ Βαρσανούφιος, καὶ Ἰάκωβος, καὶ ὁ τῆς ἐξάρχων τῆς δεκακεράτου ταύτης ὀρχήστρας, Σεβῆρος καὶ τοὺς λοιποὺς ἀκεφάλους τοὺς μίαν φύσιν ἀφυσικῶς ἐν Χριστῷ δογματίζοντας.

A etiam vos probaſtis. Ex quibus & nos adhuc aliqua proferimus, & ſi non multa nu-
mero, pondere tamen gravia: ut pote quæ ſynodi Epheſinæ ſint auctoritate firmata.
Ibi enim prolata ſunt contra Neſtorium, & ex his ibi convictus atque damnatus eſt.
Quia igitur utraque pars Eutychianorum ipſius ſynodi auctoritatem ſequi ſe dicit,
ſufficere confutationi eorum exiſtimo, ſi aliis omiſſis hoc ſolùm clareat, quòd ipſa
quoque duas firmaverit Chriſti eſſe naturas, cùm protulit adverſus Neſtorium ex
ſecundo libro beati Ambroſii ad Gratianum Imperatorem, dicens: Sileant igitur ina- cap. 4.
nes de ſermonibus quæſtiones: quia regnum Dei, ſicut ſcriptum eſt, non in perſua-
ſione verbi eſt, ſed in oſtenſione virtutis. Servemus diſtinctionem divinitatis & car-
nis. unus in utraque loquitur Dei filius, quia in eodem utraque natura eſt. Et ſi
idem loquitur, non uno ſemper loquitur modo. Intende in eo nunc gloriam Dei,
nunc hominis paſſiones. Quaſi Deus loquitur quæ ſunt divina, quia verbum eſt:
B quaſi homo dicit quæ ſunt humana, quia in mea ſubſtantia loquebatur, &c. Audiunt
hæc Ambroſii verba recitata in Epheſina ſynodo: cognoſcunt ex his condemnatum Actione 1.
eſſe Neſtorium, quibus dicitur, Servemus diſtinctionem divinitatis & carnis, &
quòd licet unus, tamen in utroque loquitur Dei filius, hoc eſt in utraque natura di-
vinitatis & carnis. unde ſecutus adjecit, quia in eodem utraque natura eſt. Et non
erubeſcunt apertè mentiri quòd ejuſdem ſynodi ſtatuta cuſtodiant, negantes Chri-
ſtum in duabus eſſe naturis, & confingentes quòd una potius natura facta ſit ex dua-
bus. Verùm advertant quid etiam ex dictis beati Gregorii Nazianzeni prolatum Epiſt. 1. ad Cledonium
ibi fuerit contra ipſius dogma Neſtorii. Si quis introducit duos filios, unum quidem
ex Deo patre, alterum autem ex matre, & non unum & eundem, adoptione frauda-
bitur, quæ promiſſa eſt rectè credentibus. Naturæ etenim duæ, Deus & homo,
quemadmodum & anima & corpus, non autem filii duo: neque enim hic duo homi-
nes, licet ſic Paulus quod interius eſt hominis & exterius appellaverit. Et ut breviter 1. Cor. 4. 16.
C dicatur, aliud quidem & aliud ex quibus ſalvator eſt: & licet non id ſit inviſibile
quod viſibile, & tempore carens quod ſub tempore, non tamen alius & alius. abſit.
Ambo etenim unum temperamentum, Deo quidem incarnato, homine autem deifi-
cato, vel quomodo quis nominare potuerit. Dico autem aliud & aliud. Aliter au-
tem in Trinitate eſt. Ibi etenim alius & alius eſt, ut non ſubſiſtentias confundamus,
non aliud & aliud: unum etenim tria & idem divinitate. Cùm igitur & hic audiant,
quia naturæ duæ ſunt Deus & homo, nec ut iſti volunt una dicatur ex utraque com-
poſita: cumque ſimul advertant, quia ſicut in Trinitate alius eſt pater, & alius eſt
filius, & alius ſpiritus ſanctus, & hæc tria nomina non unius perſonæ, quamvis unius
naturæ ſint, ita etiam in Chriſto non una ſit natura, quamvis una perſona ſit: quo-
modo Eutychiani, ſi Gregorio credunt, vel potius Epheſinæ ſynodo, non vident
quòd ejuſdem profanationis ſit, ſi una dicatur Chriſti eſſe natura, cujus profanatio-
D nis eſt, ſi una dicatur patris & filii & ſpiritus ſancti eſſe perſona? utrumque ſimile eſſe
prædicta ſynodus, teſte Gregorio, demonſtravit. Quid autem illos contra hæc evi-
dentiſſima patrum teſtimonia juvare poterit, quòd in aſſertionem vaniſſimi ſui erro-
ris dicunt, k Julium Romanum Epiſcopum neſcio ubi reſcripſiſſe quòd una ſit Chri-
ſti natura? cùm in eadem ſancta ſynodo Epheſina, hoc ſolùm ipſius beati Julii con-
tra Neſtorium recitatum fuerit ex epiſtola ad Proſdocium, in qua ait: Prædicatur Actione 1.
verò ad ſupplementum fidei & incarnatus ex Maria virgine filius, & habitans in ho-
minibus, non in homine operatus. hoc enim in prophetis fuerat, & Apoſtolis. per-
fectus Deus in carne, & homo perfectus in ſpiritu. non duo filii, unus quidem pro-
prius filius aſſumens hominem, alter verò mortalis ſuſceptus à Deo: ſed unus uni-
genitus in cœlo, unigenitus Deus in terra. Non aliud, præter hanc ad Proſdocium

E

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

k JULIUM ROMANUM EPISCOPUM. Epiſtolam ad Dionyſium, quam Julio Papæ aſcribebant Acephali, Julii revera fuiſſe credidit Gennadius in Scriptoribus Eccleſiaſticis cap. 2. ſubdititiam Facundus ſuſpicatur hoc loco, & apud Photium Eulogius Alexandrinus orat. 3. Leontius verò Byzantius, qui & epiſtolæ verba recitat quibus abutebantur Eutychiani, non Julii, ſed Apollinaris heretici eam fuiſſe docet cap. 8. de ſectis. Quod ipſum affirmat Anaſtaſius in Ecloge χ[illegible], & ante utrumque Hypatius Epiſcopus Epheſinus in Collatione cum Acephalis habita Conſtantinopoli: *B. Iulii famoſam illam epiſtolam manifeſtè Apollinaris oſtendimus fuiſſe, ſcriptam ad Dionyſium.* Quin & alteram item ad Proſdocium, ſeu Docium epiſtolam, cujus teſtimonio uſa eſt Synodus Epheſina, nec ipſam Julii fuiſſe vult Leontius, ſed Timothei diſcipuli Apollinaris. Sed hanc ſine controverſia Julio alii quoque aſſerunt: atque inter ceteros Ephræmius Patriarcha Antiochenus libro 3. de ſacris legibus apud Photium, ubi alterius ex eadem epiſtola ſententiæ partem delibat, quam integram profert Anaſtaſius idem presbyter in Ecloge, [illegible], capite 38. niſi quod Acacium vocat pro Docio. Sic enim habet. [illegible Greek text]

epiſtolam, ex dictis beati Julii in illa Synodo prolatum eſt, ſi qua forſitan alia ſcri- A
pſit, neque ex hac epiſtola aliquid amplius. Cur igitur non illud potius, quod de
unâ Chriſti natura iſti circumferunt tanquam ab ipſo B. Julio ſcriptum, vel quæque
ſimilia, quæ ſcripſiſſe autumant alios venerabiles patres, in Synodo recitata ſunt con-
tra Neſtorium? Nam ipſa magis ejus dogmati contraria viderentur Quid enim jam
controverſiæ remanſiſſet, quod una eſſet illius Dei hominis ſubſiſtentia, ſive perſo-
na, ſi probarentur patres quòd etiam unam prædicaverint ejus eſſe naturam? Igi-
tur ut omnis auferatur quæſtio, ſi non poſtea epiſtola illa confecta eſt, aut B. Iulii
eam non eſſe, ſicut magis credendum eſt, Synodus judicavit, aut etiam etſi ejus eſſe
credidit, quod ego non dico, ut aliam magis quàm ipſam ejuſdem ſancti Iulii contra
Neſtorium proferret, non ex eo quod incautè dictum eſt contrarium errorem judica-
vit eſſe vincendum. Hoc autem & adverſus cetera, quæ ex nomine aliorum antiquo-
rum Epheſinæ ſynodi patrum, vel falſa, vel male intellecta ventilant, nos reſpon-
dere cognoſcant: quoniam ſi vera fuerant, aut ſicut ipſi volunt intelligenda, eis pro- B
tinus Epheſina ſynodus Neſtorium refutaret. Nihil igitur habent, quod de magno
Calchedonenſi concilio Eutychiani vel Semieutychiani querantur: quoniam Chri-
ſtum in duabus eſſe naturis, ſecundum prioris Epheſinæ ſynodi, quam nobiſcum
ſuſcipiunt, ſtatuta firmavit. Sed nec ex ex dictis B. Cyrilli, quæ alia, ſicut creden-
dum eſt, intentione prolata ſimul malè intelligunt, contra horum evidentiam meri-
tò poſſunt objicere: quoniam vel ſi ab his teſtimoniis patrum, quæ in Epheſina Sy-
nodo firmata ſunt, diſſonare creduntur, non poſſunt præferri, ſive conferri decre-
tis ſynodalibus, quæ ſuſcepit univerſalis Eccleſia. Huc accedit, quia ipſius Epheſi-
næ ſynodi primus fuit idem B Cyrillus, qui non temere credendus eſt ſibi extitiſſe
contrarius. Quòd ſi etiam fuiſſet, non in eo ſequendus erat, quod privatim ſingu-
lis, ut ei viſum eſt, dixiſſe; ſed potius quod cum tractatu ac deliberatione Synodi do
cuiſſe communiter probaretur. Nam & cùm ſanctus Joannes Antiochenus, & ce- C
teri Orientales, atque aliarum provinciarum Epiſcopi, prædictum B. Cyrillum pu-
tarent, ſicut nunc Eutychiani putant, unius Chriſtum prædicare naturæ, & ob hoc
eum licet probabili zelo fidei, tamen improbè judicarent hæreticum: omnipotens
Deus, cujus ſapiens & mirabilis bonitas humanæ ignorantiæ malum poteſt in uſum
doctrinæ convertere, talem dedit exitum cauſæ, ut illa Orientalium aliarumque pro-
vinciarum antiſtitum falſa de B. Cyrillo ſuſpicio nihil nobis relinqueret ſuſpicandum.
Cùm enim poſtea redintegrandæ pacis Eccleſiarum cura ſuccederet, quoniam de
hac ſuſpicione non leve fuerat ſchiſma commotum; memorati Orientales per vene-
rabilem Paulum Emeſenum Epiſcopum ab eodem B. Cyrillo expetiverunt, ut ſi vel-
let omne ſcandalum, omnemque offenſionem de medio ſubmoveri, unum Deum
atque hominem Chriſtum in duabus naturis evidentiſſimè fateretur. Quod & il-
le gratanter amplexus atque confeſſus eſt: quippe qui ſibi conſcius erat non ſe ali-
ter & antea credidiſſe. Atque ita Deus omnipotens non ſolùm Orientalium, D
& aliorum patrum, atque ipſius B. Cyrilli rectam fidem manifeſtam omnibus fe-
cit, quia nec illi quicquam expetiverunt indignum, nec ille quod expetitum eſt de-
negavit: verùm etiam contra futuros Eutychianos multò promptiorem, multoque
evidentiorem reddidit doctrinæ catholicæ veritatem. Tantum verò contra hunc erro-
rem, quo Chriſtus dicitur unius eſſe naturæ, eorundem patrum Orientalium ſolici-
tudo ac diligentia vigilavit, ut in epiſtola, quam ei miſerunt, ipſius rectæ confeſſio-
nis, quam ab illo expectabant, verba conſcriberent, & præfato Paulo commenda-
rent Epiſcopo, ut ea B. Cyrillus in ſuam transferens epiſtolam eis reſcriberet, ne quid
remaneret ambiguum, unde quandoque rurſus quæſtio naſceretur. Quod etiam il-
le, ſicut jam diximus, optatò ſuſcipiens, ſeque non aliter & anteà credidiſſe teſta-
,, tus, ſic eidem ſancto Joanni Antiocheno reſcripſit: Quoniam verò ſuperflua & im-
,, portuna Eccleſiarum diviſio facta eſt, nunc maximè ſatisfactum eſt nobis, domino
,, meo reverentiſſimo Paulo chartam proferente habentem inreprehenſibilem fidei con- E
,, feſſionem, & hanc affirmante à veſtra ſanctitate compoſitam, & ab his qui illic ſunt
,, religioſiſſimis Epiſcopis. Habet autem ita conſcriptio, quæ & in his verbis inſerta
,, eſt huic epiſtolæ. *Et poſt aliqua:* Confitemur igitur dominum noſtrum Jeſum Chriſtum
,, filium Dei unigenitum, Deum perfectum & hominem perfectum ex anima rationa-
,, li & corpore. ante ſecula quidem de patre natum ſecundum deitatem, in ultimis verò
,, diebus eundem propter nos, & propter noſtram ſalutem, de Maria virgine ſecundum
,, humanitatem: conſubſtantialem patri eundem ſecundum deitatem, & conſubſtantia-
,, lem nobis ſecundum humanitatem. Duarum enim naturarum adunatio facta eſt:
,, propter quod unum Chriſtum, unum filium, unum Deum confitemur. Secundum
,, hanc inconfuſæ unitatis ſententiam, confitemur ſanctam virginem Dei genitricem
,, Mariam, propter quod Deus verbum incarnatus & homo factus, ex ipſa conceptione
adunavit

A adunavit ſibi quod ex ea ſumptum eſt templum. Evangelicas verò & Apoſtolicas de
Domino voces ſcimus viros divini verbi prædicatores alias quidem conjungentes tan-
quam de una perſona, alias verò dividentes tanquam de duabus naturis: & alias qui-
dem convenientes Deo ſecundum deitatem Chriſti, alias verò humiles ſecundum hu-
manitatem ejus tradentes. His veſtris ſacris vocibus intendentes, & ſic etiam noſ-
metipſos ſapere reperientes (unus enim Dominus, una fides, unum baptiſma) glo-
rificavimus omnium ſalvatorem Dominum, invicem nobis ac vobis congaudentes:
quoniam ſcripturis divinitus inſpiratis, & traditioni ſanctorum patrum noſtrorum
convenientem habent fidem, quæ apud nos, & quæ apud vos ſunt, Eccleſiæ.
Proinde cùm Cyrillus in hac confeſſione, per quam à ſe removit indignæ ſuſpicio-
nis invidiam, & cum Orientalibus, aliarumque provinciarum Eccleſiis adunatus eſt,
ſic duarum naturarum unitionem factam dicat in Chriſto, quia utique unius perſo-
B næ & ſubſtantiæ ſunt eædem duæ naturæ, ut Evangelicas & Apoſtolicas de Domi-
no voces alias quidem conjungendas fateatur, tanquam de una perſona, alias verò
dividendas, tanquam de duabus naturis: quomodo Eutychiani, vel Acephali, ex
ejuſdem B. Cyrilli dictis, non duas Chriſti naturas, ſed unam ex duabus compoſi-
tam nituntur adſtruere? Nam ſi Evangelicæ & Apoſtolicæ de Domino voces, non
de una compoſita, ſed tanquam de duabus naturis loquuntur, ſine dubio Chriſtum
in duabus naturis eſſe teſtantur. Proinde quædam dicta B. Cyrilli ſine ulla expoſi-
tione ac dijudicatione ſequenda ſunt, vel ſi ejus, ut diximus, alia veluti ab his diſſo-
nantia videantur? eane pro quibus, vel pro quorum ſimilibus, ſiniſtram ſuſpicionem
incurrit: an illa, ex quibus ab ipſa ſuſpicione purgatus eſt? Illa profectò ſine inter-
pretatione qualibet, ſicut perſpicue claret, indubitanter accipienda ſunt, quæ om-
nem ſuſpicionem dubitantibus abſtulerunt. Et ideo quæcumque & quantacumque
C ab eis falſa, vel malè interpretata, contra diffinitionem ſynodi Calchedonenſis,
etiam ex B. Cyrilli nomine proferantur, his quibus eſt in Epheſina ſynodo, ipſo
primùm decernente, Neſtorius improbatus, & quibus poſtea apud conſacerdotes
ſuos ipſe purgatus eſt, præferri vel conferri non poterunt. Hoc quoque conſidera-
tioni lectoris accedat, quod jam Neſtoriana hæreſe univerſam Eccleſiam ſcandali-
zante, & Eutychiana necdum exorta, Cyrillus iſta protulerit, & non mirabitur, ſi
minus contra Eutychianorum, quàm contra Neſtorianorum vigilavit errorem. Ve-
rùm nec illud arbitror omittendum, in quo & amplius prædictorum Orientalium
patrum pro catholicæ fidei conſervanda integritate libertas, & ipſius B. Cyrilli in
hoc ipſum manifeſtata confeſſio eſt. Nam cùm minùs utilitati Eccleſiæ ſufficere
videretur, ut ſolis epiſtolis, quæ ad paucorum poſſent pervenire notitiam, in hac
fide confeſſionem mutuò ſibi communicarent iidem Domini ſacerdotes, memoratus
venerabilis Paulus Emeſenus Epiſcopus illic in Alexandrina Eccleſia, ipſo præſente Conc.
D beato Cyrillo, de incarnatione Domini diſputavit, in quo ſermone inter alia dicit: Epheſ.
Quid eſt, *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis*, hoc eſt in noſtra natura? Vi- P. III.
de Joannem duas naturas prædicantem, & unum filium. aliud tabernaculum, & aliud Homil. 2.
quod in tabernaculo: aliud templum, & aliud quod inhabitat Deus. Attende quod Joan. 1, 14.
dicitur. non dixi alius & alius, tanquam de duabus perſonis, aut duobus Chriſtis,
aut de duobus filiis: ſed aliud & aliud, tanquam de duabus naturis. Quando ergo
dixit, *habitavit in nobis*, & prædicavit duas naturas, tunc intulit, *& vidimus glo-riam
ejus, gloriam quaſi unigeniti*. Non dixit duorum filiorum, ſed quaſi unigeniti. Poſt
hunc verò memorati venerabilis Epiſcopi Pauli ſermonem, ſanctus Cyrillus alloqui-
tur populum dicens: Beatus propheta Eſaias prædicans ſuaviloquia futurorum in Eſa. 12,
Chriſto magiſtrorum, dicit: *Haurite aquas cum lætitia de fontibus ſalvatoris*. Ecce igi- 3.
tur hauſimus aquam de ſancto fonte, dico autem de magiſtro prædicante, qui ſancti
ſpiritus epulis illuſtratus, diſſeruit nobis magnum & ſacrum ſalvatoris myſterium,
E per quod ſalvati ſumus credentes in eum, & cetera. Cùm igitur in duabus naturis
Chriſtum non ſola ſynodus Epheſina prædicandum eſſe perhibeat, verùm etiam B.
Cyrillus in ſua, per quam Orientalibus communicavit, epiſtola omnes Ægyptios
ſacerdotes eandem fateatur habere doctrinam, dicens, Scripturis divinitus inſpira-
tis, & traditioni ſanctorum noſtrorum, convenientem habent fidem, quæ apud nos
ſunt, & quæ apud vos ſunt, Eccleſiæ. inſuper etiam Paulum Emeſenum Epiſco-
pum coram ſe, & in ſua Eccleſia diſputantem de duabus Chriſti naturis, atque
idipſum repetitione creberrima, commendet & magnis extollat præconiis, populo
etiam qui ſermocinanti aderat acclamante, ſicut legitur, atque dicente, Bene di-
xiſti, Epiſcope orthodoxe, orbis eruditor, qui ſic credit diligitur: nec in his omni
bus aliquid audiamus de una, quæ compoſita dicitur, Chriſti natura. quomodo nunc
Eutychiani, quorum pars magna eſt Alexandriæ, non ſecundùm hanc orthodoxam
& antiquam orbis eruditionem credunt, Neſtorianæ eam hæreſi deputantes, quam

ſui dilexere majores? Deſinant igitur ab hac horrenda ſtultitia, qua dicentes Chri- A
ſtum unius compoſitæ eſſe naturæ, Deum ſe blaſphemare non intelligunt, cujus na-
turam credunt poſſe componi. Nec B. Cyrillum dicant ſibi contraria docuiſſe quo-
niam per hoc errori quidem ſuo nihil defenſionis afferunt: illi tamen maximum præ-
varicationis crimen impingunt.

CAPUT VI.

Quod Eutychiani unam Chriſti compoſitam naturam adſtruentes Neſtorianos adjuvent. & quod perperam utantur exemplo humanæ naturæ ex anima & corpore compoſitæ

SED & jam probare debemus, quomodo iidem Eutychiani, vel Semieutychiani,
qui contra Calchedonenſe, immò verò etiam contra Epheſinum concilium, duas
filii Dei negant eſſe naturas, è contrario Neſtorianos per hoc adjuvent, quorum fal-
ſitati ſe putant veritatis negatione reſiſtere. Aſſerentes enim quod una ſit filii Dei
natura, ipſi potius alterius ſubſtantiæ hominem Chriſtum Jeſum extra Dei filium di- B
cere convincuntur: quod nobis falsò imputant, qui duas unius dicimus filii eſſe na-
turas. Nam ſi quæratur ab eis, utrum filium Dei, quem unius dicunt eſſe naturæ,
conſubſtantialem patri fateantur, negare non poterunt. Deinde ſi hoc ab eis quæra-
tur, utrum ſimplicis naturæ ſit pater; hoc quoque ſimiliter fatebuntur. Igitur fi-
lium Dei, quem unius dicunt eſſe naturæ, patrique conſubſtantialem, etiam ſimpli-
cis, id eſt divinæ tantùm dicere compellentur; ac per hoc alterius erit ſubſtantiæ
homo Chriſtus Jeſus, cui ſeparatim deputetur humana natura. Atque ita cum duas
unius filii negant eſſe naturas, alteram ſubſiſtentiam filii Dei, & alteram aſſumpti
hominis arguentur inducere. Cujus probabilis rationis ſancta Epheſina ſynodus non
ignara cum Neſtorium condemnaret, quod Dei filium non ſolùm in duabus natu-
ris, quod ſanctum eſt, ſed etiam in duabus ſubſiſtentiis, quod profanum eſt, prædi-
cabat: non quod duas fateretur filii Dei naturas, ſed quod duas ſubſiſtentias men- C
tiretur, cum redarguit; nec teſtimoniis antiquorum patrum, quibus eum de pravi
dogmatis novitate convincit, unam filii Dei naturam eſſe monſtravit, ſed unam po-
tius eſſe perſonam. Et utique ad comprimendum & penitus extinguendum errorem
Neſtorii, qui duos nobis filios inducere conabatur, nihil utilius, ſicut jam diximus,
nihilque validius eſſet, ſi veritas ſineret, quàm ut unam eſſe filii Dei naturam, vel
teſtimoniis patrum probarent, vel ſua definitione decernerent. At quum Neſtorium
non ſolùm duas in illo myſterio naturas, verum etiam duas ſubſiſtentias prædican-
tem, non propter utrumque, ſed propter hoc ſolum ſynodus Epheſina redarguit,
quod unum filium in duas ſubſiſtentias divideret, vel ſi illa contra eum patrum teſti-
monia non proferret, quibus Chriſtus in duabus eſſe naturis oſtenditur, affirmaſſe
merito judicaretur duas unius filii Dei eſſe naturas, quod in Neſtorio, propter aliud
improbato, non pariter improbavit. Unde vel hac auctoritate oſtenſa coërciti Eu- D
tychiani, jam deſinant contra ſanam & neceſſariam confeſſionem Eccleſiæ diſputa-
re: quæ non tantum ſecundum Calchedonenſis, ſed etiam ſecundum Epheſinæ ſy-
nodi inſtituta, Chriſtum in duabus prædicat eſſe naturis. Non enim, vel ſi eis con-
ſtare poſſit, humanorum argumentorum ratiocinationi credere ſe debuerunt, ut u-
nam Chriſti contenderent eſſe naturam; ſed patrum potius auctoritati ſe ſubjicere,
in quibus ſpiritus Dei locutus eſt. Verùm hoc prudentia eorum non patietur, de
Rom. 8.9. qua dicit Apoſtolus *Quoniam prudentia carnis mors eſt: prudentia autem ſpiritus, vita & pax. quoniam prudentia carnis inimica eſt in Deum: legi enim Dei non ſubjicitur, nec enim poteſt*, ut in perſonæ quidem vel ſubſiſtentiæ unitate, auctoritatem nobiſcum divi-
nam ſequantur, quoniam tanti miraculi ſecretum humana ratio indagare non valet.
In hoc autem, quod putantes unam ex duabus factam eſſe naturam, à fundatiſſima
patrum auctoritate diſcedunt, videamus ſi, quemadmodum fidunt, vel ſecundum
ſapientiam mundi conſtare illis ſua ratio poteſt. Dicunt igitur, ſicut ex duabus na-
turis, id eſt ex anima & carne, una compoſita eſt humana natura, ſic ex deitate & E
humanitate una compoſita eſt Chriſti natura: & ideo ex duabus quidem, ſed non in
duabus naturis Chriſtum confitemur. Equidem nulla cauſa eſt, cur etiam unuſquiſ-
que homo in duabus negetur eſſe naturis, in carne ſcilicet atque anima. Quæ tamen
quia & una ex duabus compoſita, rectè hominis naturam dici certiſſimum eſt. po-
tuit enim hominis anima in unam naturam cum ſua carne componi. De Chriſti ve-
rò divinitate inconvertibiliter ſimplici, non ſine ingenti blaſphemia dicitur, quod in
unam naturam cum ſuſcepta humanitate componi potuerit. Deinde conſiderent,
quod ſive anima, ſive caro, adunationis ſuæ cauſa extiterunt, & non hunc habent
naturæ finem, ſingulariter ac ſeparatim conſiſtere: ſed ad ſui conjunctionem ten-
dunt, & invicem ſibi debent quodammodo ut exiſtant. Nam ſicut caro animæ

A facta eſt, ita & anima carni: & ipſe naturalis earum intentioni eſt finis, pariter eſſe. Non enim credendum eſt *l* Origenis deliramentis, qui ſuſpicatur humanarum animarum ſubſtantias longè antequam in corporibus eſſent, non ſolùm fuiſſe, verùm etiam peccaſſe, & prius quidem mentes, poſtea verò animas factas, cùm pro peccatorum ſuorum meritis in corpora truderentur. cùm dicat Apoſtolus: *Rebecca ex uno concubitu habens Iſaac patrem noſtrum*, &c. *Cum enim nondum nati fuiſſent, aut aliquid egiſſent bonum ac malum ſecundum electionem, ut propoſitum Dei maneret, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei, quia major ſerviet minori.* Paulo itaque melius & fidelius credimus docenti, quia cùm Jacob & Eſaü necdum nati fuiſſent, nihil egerunt bonum aut malum, nec ex operibus, ſed ex vocantis gratia ſunt diſcreti: quàm Origeni ſomnianti quòd, ut naſcerentur, ſupplicium fuerat neſcio cujus mali. Nam & cùm morte à ſuis corporibus animæ ſeparantur, ad ſui tamen conjunctionem ſimiliter ten- Rom. 9. 10.

B dunt, & propterea unam naturam humanam efficiunt. Quod de verbi Dei natura nefas eſt credere, quoniam aliquando non ſola ſubſtiterit, ſed humanæ naturæ adunatio cauſa ei fuerit exiſtendi, ut ipſa ſibi adunata quieſceret naturalis ejus intentio. Verùm neque de humana natura dici poteſt, quòd non poſſit ſine Dei verbi in unam naturam compoſitione ſubſiſtere: quam videmus ſpecie ſua contentam, non in aliquid tendere, cui ſic naturaliter adhæreſcat, ut unam cum illo naturam efficiat. Nihil igitur Eutychiani humanæ naturæ adjuvantur exemplo, ut unam aſſerant Chriſti eſſe naturam, vel ſi, remota patrum auctoritate, concedatur eis ſecundum argumentationes humanas de incarnationis divinæ myſterio diſputare, quod menſuram humanæ rationis excedit. Ad perſonæ verò unitatem, præcedente auctoritate divina, convenientius hoc refertur exemplum, ad quam & à ſanctis patribus relatum eſſe cognoſcimus. Propter quod etiam beatus vir Auguſtinus, in catholicæ doctrinæ ſinceritate ac prudentia diffamatus, in libro de fide, & ſpe, & caritate, qui penè

C ab omnibus, quibus notus eſt, Enchiridion appellatur, ita de Chriſto locutus eſt: cap. 36. „Nempe ex quo eſſe homo cœpit, non aliud cœpit eſſe homo quàm Dei filius, & „hoc unicus, propter Deum verbum, quod illo ſuſcepto caro factum eſt, utique Deus: „ut quemadmodum eſt una perſona quilibet homo, anima ſcilicet rationalis & caro; „ita ſit una perſona Chriſtus, verbum & homo. nec ait, ita ſit Chriſti una natura verbum & homo. Sed jam breviter quæ acta ſunt colligamus. Apparuit in primis, quod ſecundum magnæ ſynodi Calchedonenſis ſententiam confeſſus es, Imperator, & unum eſſe de Trinitate crucifixum pro nobis dominum Chriſtum, & vere & proprie matrem Dei Mariam, & eundem dominum noſtrum Jeſum Chriſtum in duabus eſſe naturis. Apparuit etiam, in declaratione ac defenſione ipſius fidei noſtræ, memoratam ſynodum hæc ipſa, pro divinarum ſcripturarum auctoritate & patrum teſtimoniis, definiſſe ſive firmaſſe. Ubi ſimul & illi licet qui communicantes Eccleſiæ,

D & auctoritatem venerantes ipſius ſanctæ ſynodi, tanquam dogmati Eutychiano contrarii, tamen per contentionem verbi ſuperfluam, negant debere dici unum ex Trinitate crucifixum, & vere proprie matrem Dei Mariam, inventi ſunt adverſus eandem ſynodum facere, & Eutychianos è contrario ſuis contentionibus adjuvare. Apparuit etiam, ipſos Eutychianos, qui tanquam contra dogma Neſtorii, duas unius filii Dei negant eſſe naturas, Neſtorianis per hoc indubitatam dare victoriam, & ſynodum Epheſinam reprehendere, quam acceptare ſe fingunt. Sic meretur cæcari, ut ſibi primùm contradicat, obvia veritati contentio, quæ nec rationis eſt capax, nec contenta eſſe patrum auctoritate dignatur.

Jacobi Sirmondi Notæ.

E *l* Origenis deliramentis. Nugas etiam & deliramenta verbis Epiphanii vocat Hieronymus epiſtola 60. & paſſim explodunt patres tum Græci, tum Latini, ut Antipater Boſtrorum Epiſcopus Diſſertationis in Origenem cap. 7. *ὁ ποιήσας τὸν ἄνθρωπον ἀπ' ἀρχῆς ἄρσεν καὶ θῆλυ ἐποίησεν αὐτούς· οὐ πρὸ τούτων γεγονότων αὐτούς. καὶ τὸ ἁμαρτεῖν ἀνθρώποις.* Et poſt alia Dei benedictionem tractans, qua hominum genus propagatum eſt, *ἐν ᾗ τὸ ἁμαρτάνειν καὶ ἀποθνήσκειν πληθυνθέν, εἰς ἣν τέκνων διδάσκει γενέσθαι. ἀλλ' ἐκ τῆς τοῦ θεοῦ εὐλογίας, εἰς ἣν πρεσβύτερος ἰδίων. εἰ γὰρ ἐκ παραβάσεως, καὶ ἐκ τῆς τοῦ καλοῦ ἀποφάσεως τὸ τῶν ἀνθρώπων πληθύνεται γένος· ἐκ εὐλογίας, ἀλλὰ κατάρας μᾶλλον ἂν δικαίως λεχθείη.* & cetera, quæ copioſè toto capite diſſeruntur.

 A

FACUNDI EPISCOPI HERMIANENSIS, B

PRO DEFENSIONE TRIUM CAPITULORUM,

LIBER II.

CAPUT PRIMUM.

Quod damnationem trium Capitulorum adverſarii Concilii Calchedonenſis conſcripſerint, & Imperatoris titulo prænotarint. C

QUONIAM integritatem fidei, quæ mihi, religioſe prin-
ceps, cum tua pietate communis eſt, & declaratam ſufficien-
ter arbitror, & defenſam; nihilque relictum eſt calumniis hæ-
reticorum, in quo vel nos male ſentire de myſterio divinæ in-
carnationis infament, vel magnam ſynodum Calchedonen-
ſem, cujus decretis eandem noſtram fidem conſonare mon-
ſtravimus: ſecuri jam pergimus occultas eorum fraudes & exe-
cranda mendacia ventilare, quibus per ſuos ſatellites atque
fautores prædictam ſynodum, ſub obtentu defenſionis, ex-
pugnare moliti ſunt. Confido enim, quòd non ſolùm tuæ ſerenitati, ſed omni D
Pſal. 35. 4. hæc legenti, qui talis non eſt, qualem notat ſermo propheticus dicens: *noluit intelli-
gere ut bene ageret*, luce clarius apparebit, quòd in evacuationem prædictæ ſynodi facta
ſunt quæ in ejus purgationem ſcripta eſſe jactantur. Unum ſolum petimus de tua cle-
mentia, cujus cognomine decoraris, ut quia in Eccleſiæ præjudicium multa per
ſubreptionem hæreticorum & acta & ſcripta ſunt, quæ zelus Dei nos impellit argue-
re, noſtra te reſponſio nihil offendat. Egerunt enim callidè per ſuos complices,
ſicut ſolent, adverſarii veritatis, ut ea ipſa quæ ſcribi fecerunt, etiam *a* titulo no-
minis tui prænotarentur: exiſtimantes quòd propoſito terrore tuæ perſonæ, condem-
nationem, vel etiam convictionem ſuæ temeritatis & falſitatis effugerent. Verùm
nos illa ſcripta nolumus tua dici, quæ ſcimus cognitæ nobis tuæ fidei contraria.
Nam ſi legibus veſtris bene atque utiliter cenſuiſtis, ut quæcumque veſtra reſcripta, E
contra ipſas quas promulgaſtis leges, in quibus vobis deſervitur, & quas vobis infrin-
gere licet, per ſubreptionem fuerint elicita, vacuentur, nec dicantur à vobis da-

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

a TITULO NOMINIS TUI. De hoc opere Juſtiniani Liberatus cap. ultimo. *Callida*, inquit, *fraude rogaverunt Acephali, ut dictaret librum in damnationem trium capitulorum. quo libro ejus edito, & toti mundo manifeſto, dum emendare princeps erubeſcit, irrevocabilis cauſa fieret. Et condidit librum pro delictis noſtris nobis omnibus notiſſimū.* Meminit etiam Vigilius in epiſtola damnationis Theodori Cæſarienſis. Non dubitabat ergo Facundus, quin hujus libri auctor eſſet Juſtinianus; ſed artificiosè diſſimulat, ut liberiùs impugnet. Nam totus deinceps in ejus reprehenſione verſabitur. Itaque falluntur, qui à Facundo impugnari putant edictum, ſeu epiſtolam Juſtiniani, de qua ſuperiore libro dictum eſt. Ut enim omittam epiſtolam multò pòſt editam fuiſſe, in ea certè illa non ſunt, quæ Facundus paſſim adfert ex libro, quem refellit.

A ta, quæ generalibus conſtitutionibus veſtris inveniuntur adverſa: quomodo illa, quæ adverſantur conſtitutionibus patrum tuorum, quibus te ſicut religioſum neceſſe eſt deſervire, & quas nec tibi nec omnibus tecum in commune hominibus licet infringere, non jure meritoque tua non eſſe dicimus? Obedientes itaque Petro Apoſtolo dicenti, *Deum timete, regem autem honorificate*, & pro Dei timore, quæ contraria ſunt Eccleſiæ Chriſti refellimus: & pro regis honorificentia, quæ refellenda ſunt, tua non dicimus. 1. Petri 2. 17. Sint igitur illorum, qui fruſtra putaverunt, quòd falſo tui nominis titulo munirentur quæ ratione ſtare non poſſunt: & illis potius imputentur, quorum & fraudulentis excogitationibus adinventa, & diuturnis elucubrationibus contra ſanctam Calchedonenſem ſynodum novimus eſſe compoſita. Nam quid opus erat, obſecro, quietem Eccleſiæ ſupervacuarum quæſtionum, ut non dicam noxiarum, concurſionibus agitare? Quid opus erat ejuſdem ſynodi retractare decreta, non ſolùm contra religionis reverentiam, ſed etiam contra ipB ſius humanitatis pudorem, quæ conſenſu totius Eccleſiæ per centum ferme annos, te cuſtode, hactenus inviolata manſerunt? Vel quid opus erat Theodori Mopſveſteni Epiſcopi, olim in Eccleſiæ pace defuncti, calumnioſè dicta diſcutere, & ſicubi lapſus putatur, vel etiam verbo humanitatis lapſus eſt, tanta adverſus eum furere contumelia, quanta, ſi adhuc in corpore degeret, eum affici non deceret, niſi reprehenſus priùs, atque convictus, poſt unam & ſecundam correptionem, pertinaciter veritati reſiſteret? Sed quia laudatur idem Theodorus in epiſtola venerabilis Ibæ, quam memorata ſynodus pronuntiavit orthodoxam, per hoc auctoritatem ipſius ſynodi ſolvendam hæretici crediderunt, ſi nunc eum, poſt centum & amplius defunctionis ejus annos, velut auctorem magiſtrumque Neſtorii condemnare facerent, & conſequenter etiam ipſam epiſtolam, quaſi hæretici laudatricem. Quid autem agent, quòd non ſolùm in ipſa laudatur epiſtola Theodorus Mopſveſtenus Epiſcopus, verùm etiam dum viveret, à ſanctis patribus, qui cum eò in verbi C prædicatione converſati ſunt, & approbatus & magna laude prædicatus oſtenditur, ſicut à Joanne Conſtantinopolitano, & Gregorio Nazianzeno, & poſt mortem à Joanne & Domno Antiochenſi, ac tota ſynodo Orientis apud Antiochiam congregata? Nunquid ergo & iſtos omnes venerabiles Eccleſiæ Chriſti doctores, vel dicta eorum anathematizari facient? Aliter enim videri non poteſt epiſtola Ibæ pro laude Theodori juſtè ſub anathemate condemnata, niſi & iſti omnes beatiſſimi patres, aut eorum ſaltem ſcripta, ſimiliter abdicentur, in quibus eundem Theodorum multo amplius, quàm in ea, docebimus eſſe laudatum. Sed nec illa quę dicuntur à Theodoreto Cyrri Epiſcopo contra B. Cyrillum neſcio quando ſcripta, ob aliud modò damnata ſunt, niſi ut per hoc quoque ſynodus Calchedonenſis quaſi notabilis videretur, quòd idem Theodoretus deliberationi ac definitioni ejus interfuit, atque epiſtolam Papæ Leonis, Eutychis dementiam confutantem, ibi D defendit, & quibuſdam minùs intelligentibus rectam eſſe monſtravit. Nam ut inferiùs oſtendetur, & alii quorum memoriæ communicamus, ſcripſerunt adverſus B. Cyrillum eundem: verumtamen in hoc anathemate denominati non ſunt, quoniam in Calchedonenſi Concilio non fuerunt. De quibus omnibus dicturus, hoc ordine totam cauſam tractare diſpoſui. Priùs evidentium documentorum prolatione demonſtrare, quòd in evacuationem memorati magni Concilii, & decretorum Papæ Leonis, hæreticorum fautores hæc egerint. Deinde quoniam fruſtra confingitur, ſupradictam epiſtolam venerabilis Ibæ ab eodem Calchedonenſi Concilio non fuiſſe ſuſceptam: ſed cùm oſtendi non poſſit, tali mendacio nos in ejus condemnationem adducere voluerunt. Poſtremò autem probabo, non poſſe juſtè culpari ſanctam ſynodum quòd eam pronuntiavit orthodoxam. Ubi ſimul inopinum quoddam, & quod difficile credes, Auguſte, monſtrabitur. Nam cùm Eutychiani memoratam ſynodum criminentur, quòd velut in approbatioE ne ipſius epiſtolæ B. Cyrillum hæreticum fuiſſe firmaverit, & Neſtorii excuſationem, Epheſini verò Concilii reprehenſionem receperit: ego contra doceam, quia ſi prædictam epiſtulam quaſi hæreticam improbaret, hinc potius B. Cyrillum crediſſe hæreticum, & Neſtorium excuſaſſe, atque Epheſinum reprehendiſſe Concilium videretur.

CAPUT II. A

Quod epiſtola Ibæ, quamvis eam Concilium orthodoxam non pronuntiaſſet, damnari abſque Concilii reprehenſione non poſſit.

SED jam primam diviſionis hujus partem tractare debemus. Dicimus igitur, quia vel ſi, ut quidam mentiti ſunt, epiſtolam venerabilis Ibæ minimè Calchedonenſis ſynodus approbaret, nec omnino ad ejus deferretur examen, ſic quoque in ipſius evacuationem pro Theodori laude damnaretur. Quod ex ejus allocutione, quam, ſicut priore libro docuimus, ad Martianum ſcripſit Auguſtum, cujus auctoritatem veſtra quoque pietas ſua lege firmavit, evidenter oſtenditur. Sed priuſquam allocutionis ipſius ſuper hac quoque cauſa teſtimonium proferamus, ſive expendamus, prædictam legem veſtram, quæ auctoritati ejus, ut diximus, atteſtatur, commemorare neceſſarium credo. Titulus autem, ſub quo continetur, iſte eſt: De ſumma Trinitate B & fide catholica, & ut nemo de ea publicè contendere audeat. Principium verò: „Imperator Juſtinianus Auguſtus Epiphanio ſanctiſſimo ac beatiſſimo Archiepiſcopo regiæ urbis hujus, & univerſali Patriarchæ. Scire volentes tuam ſanctitatem omnia quæ ad Eccleſiaſticum ſtatum reſpiciunt. Et poſt alia: Eadem verò ſancta Calchedonenſis ſynodus, & magni Procli ad Armenios ſcriptam epiſtolam de eo quòd oportet dicere Dominum Jeſum Chriſtum filium Dei, & Deum noſtrum, unum ſanctæ Trinitatis, per ſuam relationem ſuſcepit & confirmavit. Si enim prædictas ſanctas quatuor ſynodos egrediamur, aut ab his diſpoſita, damus facultatem hæreticis, qui depoſiti ab eis ſunt, & eorum dogmatibus, ſuam peſtilentiam iterum in ſanctas Dei Eccleſias oſtentare." Hæc in confirmationem prædictæ allocutionis ex lege veſtra protuliſſe ſufficiat. Cujus titulus, quo interdictum eſt, ut de fide catholica nemo publicè contendere audeat, utrum obſervetur, cùm de ſynodi univerſalis ſententia, poſt centum C ferè annos, in Eccleſia modò contenditur, tuæ pietatis eſt judicare: aut ſi nulla tranſgreſſione quatuor ſanctæ ſynodi, & ab his diſpoſita convelluntur, cùm epiſtola venerabilis Ibæ Edeſſeni Epiſcopi, quam magna ſynodus Calchedonenſis orthodoxam pronuntiavit, velut impia & Neſtoriana damnatur. Quid ergo prodeſt prævidiſſe quòd per hæc facultas daretur hæreticis, qui depoſiti ab eis ſunt, & eorum dogmatibus, ſuam peſtilentiam iterum in ſanctas Dei Eccleſias oſtentare, & minime providiſſe ne fieret? Sed ex illa jam allocutione quod intendimus probare debemus. Alloquens itaque Martianum Auguſtum prædicta ſynodus, & tam decretorum ſimul rationem, quàm epiſtolæ B. Leonis, patrum auctoritate confirmans, ita reſpondit adverſus Eutychianos, qui eam culpabant, quòd duas diffiniſſet Chriſti eſſe naturas: „Ambiguitate quæſtionis exorta, patrum interpretationibus noſtram confeſſionem coaptaſſe cognoſcimur: ſatisfacientes quod in nullo diſcordem intelligentiæ eorum detulerimus animum, ſed his utimur teſtibus ad noſtræ fidei firmitatem." Et ut oſtende- D ret, quòd non tam ipſam, quàm doctores antiquos Eccleſiæ, quorum ſententiam in hoc ſecuta eſt, prædicti culparent hæretici, commemoratis in eadem allocutione quorundam Patrum epiſtolis, etiam magni Procli volumen ad Armenios, cujus in veſtra lege meminiſtis, & epiſtolam ſapientiſſimi Joannis Antiocheni ſic memorat dicens: „Necnon & magnum Proclum huic vituperationi ſubjiciet, qui eiſdem Orientalibus volumen ad Armenios pro fidei congruentia deſtinavit. His autem conſociabitur ad culpam & ſanctiſſimus Joannes Antiochenus Epiſcopus, qui hæreticorum maledicta rejiciens, & Apoſtolicæ doctrinæ dogma declarans, totius Orientis confeſſionem velut ex uno ore, ſanctiſſimo Proclo, & ei qui per idem tempus mundi regebat gubernacula, deſtinavit. Non igitur admirandi Romanæ urbis Præſulis epiſtolam, velut innovationis offendiculum, criminentur, &c." In hac verò ſapientiſſimi Joannis Antiocheni, & totius Orientis confeſſione, ſanctiſſimo Proclo & Imperatori Theodoſio deſtinata, cujus exemplo ſynodus Calchedonenſis admirandi Romanæ urbis E Præſulis, id eſt, B. Leonis defendit epiſtolam, ut pote per quam memoratum Ioannem Antiochenum & hæreticorum maledicta rejeciſſe, & doctrinam Apoſtolicam declaraſſe teſtatur, per quam & illud confirmatum eſſe primo libro docuimus, quòd unus ex Trinitate ſit Dominus Ieſus Chriſtus, multo majori laude, quàm in epiſtola venerabilis Ibæ, Theodorus prædicatur. Nam Proclo quidem reſcribens ſuper confirmatione tomi ejus ad Armenos miſſi, idem *b* Ioannes cum ſynodo Orientis dicit

Cod. de ſumma Trin. l. 7.

Poſt act Cōcilii.

NOTÆ JACOBI SIRMONDI.

b JOANNES CUM SYNODO ORIENTIS. Liberatus idem cap. 10. de Armeniæ monachis agens, qui Theodorum Mopſveſtenum criminabantur. *Tunc*, inquit, *Ioannes Antiochenus Synodo congregata tres pro Theodoro Mopſveſteno dictavit epiſtolas. & unam quidem direxit*

A hæc: Non ſolùm nos viventes tales calumnias ab his qui conturbare volunt Eccleſias continuè ſuſtinemus: ſed & qui bene de vita profectus eſt B. Theodorus, & quinque & quadraginta annis clarè in doctrina præfulſit, & omnem hæreſim expugnavit, nullam alicubi detractionem ab orthodoxis in vita ſuſcipiens, poſt longi temporis hinc diſceſſum, & poſt multa certamina, & poſt decem millia libros adverſus hæreſes conſcriptos, & poſteaquam in conſpectu ſacerdotum & Imperatorum & populorum probatus eſt, periclitatur quæ hæreticorum ſunt ſuſtinere, & illis proximus prædicari. Theodoſio verò Imperatori, qui per idem tempus mundi regebat gubernacula, ſic dicit: Theodorus enim, quem quando dicimus, virum dicimus in epiſcopatu clarum finem habentem, & quinquaginta penè annis fortiter repugnantem cunctis hæreſibus, & in expoſitionibus, quas in omnibus Eccleſiis Orientalibus faciebat, & quibus in regia civitate valde eſſe comprobatus apparet, à nullo quoquam neque majorum, neque ſimilium, judicatus eſt hæreticus: è contrario autem ab omnibus ſacerdotibus, propter eam quæ illi aderat doctrinę gratiam, in ad-
B miratione ſemper eſt habitus, & ſuperiorem honorem gloria poſſedit. & non à ſacerdotibus tantummodo, ſed à ſacratiſſimo veſtro avo, dicimus ter beato, & à Deo imperii ſceptra ſumente, & vobis tranſmittente Theodoſio. qui in deſiderio viſionis viri factus, in Eccleſia ejus doctrinæ fuit auditor magnus ille Imperator: nec arbitratus eſt alterum ſe talem comperiſſe doctorem, ſuperadmiratus quidem ejus doctrinam, & colloquio delectatus atque obſtupefactus tunc, quem nunc ſpernunt aliqui, tanquam ſortem ſumentes probandi & reprobandi obeuntium doctorum quos volunt. Jam verò & à veſtro Imperio, pro ſui reverentia, & ſpiritali ſapientia, ei ſæpius atteſtatum eſt, & veſtris literis honoratus eſt. Itemque de illo inferius: Iſte ille eſt Flaviani magni Antiochenſium ſanctę Dei Eccleſiæ pontificis amantiſſimus diſcipulus, & B. Joannis Conſtantinopolitani Epiſcopi condiſcipulus, cujus memoriam redivivam feciſtis, maximam hinc gloriam pietatis veſtræ imperio facientes. Dicunt & alia, quæ tunc convenientius memorabuntur, cum & aliorum ſanctorum patrum teſtimo-
C nia, quibus eidem Theodoro ſimiliter atteſtati ſunt, proferemus. Et cum Joannes Antiochenus, & ceteri Orientales Epiſcopi, Mopſveſtenum Theodorum præconiis in eiſdem epiſtolis, quarum formam ſe attendiſſe in ſuis diffinitionibus Calchedonenſis ſynodus fatetur, tanquam Apoſtolicam declarantem doctrinam, ut epiſtolam B. Leonis acciperet: quomodo non in ejus evacuationem, pro laude Theodori, damnaretur epiſtola Ibę, vel ſi, ut dictum eſt, non eam pronunciaret orthodoxam, neque ad ejus deferretur examen? Nam ſi quia Theodorus, ut aiunt, Neſtorii quidem magiſter fuit, majore autem quàm ille impietate blaſphemavit, & ſi quia omnia Theodori dicta adverſus Chriſtum diaboli tranſgrediuntur inſaniam, ideo non ſolus ipſe juſte damnatur, ſed etiam quę illum laudavit epiſtola: ſynodus quoque Calchedonenſis juſtè damnabitur, quę non tantum maximos laudatores ipſius Theodori, prædictum Antiochenum, & ceteros Orientis Epiſcopos, ſuſcepit ut patres, verùm
D etiam ipſas quibus eum laudaverunt epiſtolas ſecutam ſe fuiſſe in ſuis definitionibus confitetur. Pervides igitur, clementiſſime Imperator, quoniam vel ſi nos quoque contra teſtimonium conſcientię denegemus epiſtolam venerabilis Ibæ orthodoxam fuiſſe judicatam in ſynodo, & huic mendacio etiam illud addamus, quòd nec ad ejus fuerit delata judicium, prędicta ſynodus à nobis non poſſit defendi, ſi eandem epiſtolam pro Theodori laude damnemus. Et illi quidem qui videntur in Eccleſia falſi fratres, qui utinam foris eſſent, modò negantibus non reſiſtunt, quin immò & laudantur. Quod ut nos ſeducerent fallaciter immiſerunt: ut poſtea nobis ab ipſis, vel ab his qui foris ſunt dicatur hæreticis, qui Theodorum juſtè damnaſtis, quod ejus omnia dicta diaboli tranſgrediantur inſaniam, & ideo conſequenter etiam Ibæ rejeciſtis epiſtolam, atque à ſynodo negaſtis eſſe ſuſceptam; crimini utique deputantes, ſi eam orthodoxam pronunciaſſe diceretur, quæ blaſphemum laudavit & impium:
E quomodo ipſam Calchedonenſem ſynodum recipitis, evidentiſſimè teſtantem illas epiſtolas Apoſtolicam declaraſſe doctrinam, & hęreticorum maledicta rejeciſſe; in quibus doctrina Theodori multò majore, quàm in Ibę epiſtola; prędicatione laudatur? Amplioris autem delicti eſt, quòd illarum epiſtolarum judicio atque auctori-

xit Theodoſio Imper. aliam Cyrillo Alexandrino, & tertiam Proclo Conſtantinopolitano Epiſcopo, laudans in eis Theodorum, & ejus exponens ſapientiam. Primæ ac tertiæ verba ſunt, quæ hoc loco recitantur; ſecundæ, quæ libro 7. capite 4. At Juſtinianus in Edicto has Theodori laudes non pluris faciendas docet, quàm ea quæ Joannes idem & Orientales contra Cyrillum fidemque orthodoxam ſcripſerant, & pro Neſtorio. [illegible] Ἰωάννου τοῦ Ἀντιοχείας, καὶ τῶν ὑπ' αὐτὸν [illegible] Θεοδώρου, καὶ τὴν αὐτοῦ [illegible] Κυρίλλου, [illegible] Νεστορίου [illegible]

tati ſe ſubdidit, quàm ſi male de ipſa, quod negaſtis, Ibæ epiſtola judicaret. Sed & A
hoc adjicient dicentes, iſta eſt quam magnificatis Apoſtolica Leonis veſtri doctrina: cujus epiſtolam ſynodus Calchedonenſis illarum epiſtolarum teſtimonio, vel exemplo, excuſare tentavit, quæ profanum Theodorum, & à vobis pro ſua impietate damnatum, maximis præconiis extulerunt. Hæc cùm objecerint, quid reſpondebimus, obſecro? quid dicemus noſtro judicio nobis ora claudentes, niſi hoc unum fortaſſe quod reſtat, & ad quod nos omnia compellunt, illam ſynodum non recta de fidei Chriſtianæ dogmatibus cenſuiſſe? Hoc enim conſequitur, ſi hæreſis crimen eſt laudaſſe Theodorum, in illis epiſtolis prædicatum, quarum ſe formam attendiſſe in ſuis decretis, quibus B. Leonis approbavit epiſtolam, prædicta ſynodus confitetur. Si autem volumus immutilatam nobis ejus auctoritatem manere, non dicemus Neſtorianam epiſtolam venerabilis Ibæ pro laude Theodori, quem in illis epiſtolis, quas tantùm prætulit, amplius invenimus eſſe laudatum. Sicut autem ipſarum epiſtolarum teſtimonio convincuntur, qui cùm teneantur Calchedonenſis auctoritate Concilii, à quo laudatæ ſunt, nolunt unum de Trinitate dicere Dominum Jeſum Chriſtum: ita & illi earum teſtimonio convincentur, qui ſimili fide probantes ejuſdem decreta Concilii, epiſtolam venerabilis Ibæ, quia Theodorum laudavit, tanquam Neſtorianam voluerunt abdicari. Et hæc adſerta ſunt, vel ſi, ut jam diximus, non eam ſynodus pronunciaret orthodoxam, nec apud eam recitata poſſet oſtendi. Quia verò fatentur quòd ibi recitata fuerit, adhuc eis amplius concedamus, & diſſimulemus ab hac quoque ſententia ſynodi, qua pronuntiavit quòd ſanctiſſimus Joannes Antiochenus, hæreticorum maledicta rejiciens, & Apoſtolicæ doctrinæ dogma declarans, totius Orientis confeſſionem, velut ex uno ore, ſanctiſſimo Proclo, & ei qui per idem tempus mundi regebat gubernacula, deſtinavit: ut ſicut negatur eadem ſynodus epiſtolam venerabilis Ibæ orthodoxam pronunciaſſe, ita C
etiam negetur memoratas ſapientiſſimi Joannis, & totius Concilii Orientalis epiſtolas, in quibus Mopſveſtenus Theodorus multo amplius laudatus eſt, approbaſſe, & earum formam in ſua definitione, quemadmodum docuimus, attendiſſe. Nunquid etiam ſic non in reprehenſionem ipſius ſynodi pro quacunque cauſa prædicta epiſtola videbitur? Nam ſi credendum eſt ad zelum Catholicæ fidei pertinere, quod poſt centum ferme annos tanquam Neſtoriana damnata eſt: ſancta illa ſynodus hæreſi Neſtorianæ cohibuit, quæ apud ſe recitatam eandem epiſtolam non damnavit. ſi tamen ſola illa ſynodus, & non tota Chriſti Eccleſia uſque quaque diffuſa, quæ decreta ipſius ſynodi in magna ſemper auctoritate ſuſcepit. Indubitatum eſt igitur, quod ſynodum Calchedonenſem non falſa negatio, ad deceptionem facilium ab hæreticis adinventa, ſed ſola poſſit defendere ratio veritatis: quam nos, diſcuſſis ipſorum hæreticorum fraudibus atque mendaciis, Deo adjuvante reddemus.

CAPUT III. D

Quod epiſtolam Ibæ ideo damnaverint, quia duas in Chriſto naturas confitetur. Quo conſilio Epiſcoporum ſubſcriptiones exigant. & cur damnantium communionem ipſi refugiant.

UT autem clementiæ tuæ magis appareat, quòd non forſitan minus occurrente ratione, qua illa defenderetur epiſtola, negatum ſit à ſynodo fuiſſe ſuſceptam, ſeu potius in præjudicium ipſius ſynodi facta ſint omnia, quæ in ejus purgatione elaborata dicuntur: conſidera quæſo, aut eos etiam qui talia conſcripſerunt interroga, cur tanta in ipſius epiſtolæ reprehenſionem ſcripta, cur tam multa vitia adſcripta ſunt, nec ab ipſis Ibæ accuſatoribus imputata; cur poſtremò velut impia & Neſtoriana damnata eſt. Non & iſtud defendendæ ſynodi neceſſitas flagitabat: cùm magis excuſari debuerit, ut etiam ſi metuendum putabatur, utroque defenſionis latere muniri ſynodus videretur, cùm dicerent & illam epiſtolam non fuiſſe ſuſceptam, & E
vel ſi ſuſcepta fuiſſet, ſynodum non eſſe culpandam. Nunc autem congerunt in ipſam epiſtolam multa crimina, adfingunt velut acceptabiles damnationis ejus cauſas, quod ab hæreticis expectatum eſt, & jactant non fuiſſe ſuſceptam, quod oſtendere nemo poteſt. Namque cum venirent ad locum ipſius epiſtolæ, ubi refert Ibas, &
„ dicit: Multi autem, ante oculos non habentes Dei timorem, occaſione Eccleſia-
„ ſtici zeli, inimicitias, quas occultas in cordibus ſuis habebant, ad effectum perducere
„ feſtinaverunt. Ex quibus unus exiſtit noſtræ civitatis tyrannus, quem nec tu ipſe
„ ignoras; qui occaſione fidei non ſolùm nunc viventes inſequitur, ſed & hos qui olim
„ ad Deum præceſſerunt. Quorum unus eſt B. Theodorus, præco veritatis & doctor
„ Eccleſiæ. qui non ſolùm in ſua vita colaphizavit hæreticos per veritatem ſuæ fidei,
„ ſed & poſt mortem ſpiritalia arma in libris propriis Eccleſiæ filiis dereliquit, ſicut

&

A & tuà reverentia eidem collocuta cognovit, & ex his quæ ſcripſit inſtructa eſt. Huoc præſumpſit qui omnia præſumit in Eccleſia palàm anathematizare. qui propter zelum Dei, non ſolùm propriam civitatem ab errore ad veritatem convertit, ſed & longè poſitas ſua doctrina inſtruxit Eccleſias. Cùm ergo ad iſtum locum, ſicut dixi: venirenr, ubi quemdam denotat idem venerabilis Ibas ad Marim Perſam ſcribens, quòd Theodorum anathematizare præſumpſerit: quamvis ipſius epiſtolæ verba non ita in ſuo libro poſuerint, ſicut habentur, ſed quæ voluerunt pro ſua voluntate decerpſerint: tamen non dubitaverunt & hoc addere dicentes, Oportet apertè inſpicere ad Marim epiſtolam, omnia quidem ſine Deo & impiè dicentem: illud tantummodo oſtendentem bene, quia ex illo Theodorus per Orientem in Eccleſia anathematizatus eſt. Vellem itaqoe mihi reſponderent, atque monſtrarent, non dico qni talia ſcripſerunt, (ipſi enim ſciunt quid egerunt) ſed iſti qui talibus ſubſcripſerunt, quomodo confirment quòd illa epiſtola ad Marim ſcripta omnia ſine Deo & impiè dicat. Num etiam confeſſionem duarum naturarum
B Chriſti damnaverit. An non in eadem epiſtola continentur hæc verba: Eccleſia enim ſic dicit, ſicut & tua ſanctitas novit, & ſicut à principio didicit, & confirmata eſt divina doctrina ex libris beatorum patrum, duæ naturæ, una virtus, una perſona, quod eſt unus filius dominus Jeſus Chriſtus. Liquet igitur, jamque quantum exiſtimo, etiam his quibus fortè aliud videbatur, quòd aſturè ad denegationem duarum Chriſti naturarum, ſub obtentu neſcio cujus novæ diligentiæ epiſtola illa damnata ſit. Nam quare dicerent quòd omnia ſine Deo & impiè dicat, niſi ut illud quoque complecterentur, quòd duas Chriſti confiteatur eſſe oaturas? Ac ne ſecundum aliquam loquendi conſuetudinem acciperetur, quod dixerunt omnia, non leviter, ſed cautè atque ſollicitè ſe id poſuiſſe exceptione addita monſtraverunt, adjicientes atque dicentes, Illud tantummodo oſtendentem bene, qnia ex illo Theodorus per Orienrem in Eccleſia anathematizatus eſt. Si igitur illo tantum-
C modo excepto, omoia ſine Deo & impiè dicit, in ipſis omnibus proculdubio etiam illud voluerunt inrelligi, quòd duas profeſſa eſt Chriſti eſſe naturas. Non aurem, ſicut jactant, hoc illa bene oſtendit epiſtola, quia ex illo Theodorus per Orientem in Eccleſia anathematizatus eſt, cum hoc ab uno factum referat: ſed hoc potius bene oſtendit, quod anathematizandus non ſit, qnem unus tantummodo anathematizare præſumpſit: cujus præſumptionem ſi quis approbat, ceteros Orientis Epiſcopos, qui hoc impium judicaverunt, ſine dubitatione condemnat. Ut autem alio quoque oſtendamus indicio, qnòd ad denegationem duarum Chriſti naturarum, quas in memorata epiſtola confeſſus eſt idem Ibas, adjecerunt ut dicerent eam omnia ſine Deo & impiè dicentem: recordare, quæſo, Imperator, quæ formula priùs data fuerit damnationis ipſius epiſtolæ, & quæ ſit modò compoſita. Nam priùs dictum fuerat: Si quis dicit rectam eſſe ad Marim impiam epiſtolam, quæ dicitur ab
D Iba eſſe facta, aut ejus aſſertor eſt, & non magis anathemati ſubjicit, ut pote malè tractanrem ſanctum Cyrillum, qui dicit quia Deus verbum factus eſt homo, & ejuſdem S. Cyrilli XII. capitulis detrahentem, & primam Epheſinam ſynodum impetentem, Neſtorium verò defendentem, laudantem autem Theodorum Mopſveſtiæ, anathema ſit. Nunc autem, ſubmotis his omnibus cauſis, nolo dicere utrùm veris aut qualibus, ne propter ipſas tantum videretur eſſe damnata, ac non etiam pro confeſſione duarum naturarum Chriſti, quam continet, poſtea talis data eſt fotmula ſubſcribendi, & ſic abſolutè fieri præceptum eſt: Si quis dicit rectam eſſe ad Marim impiam epiſtolam, aut eam defendit, & non anathematizat eam, anathema ſit. Cùm ergo & in ipſius conteſtatione libri pronuntiaverint, quòd omnia ſine Deo & impiè dicat, & in ſubſcriptionis formula, quam poſtea mutaverunt, abſtulerint alias qualeſcunque damnationis ejus cauſas, ut non pro aliquibus damna-
E ta, ſed pro omnibus videretur: quid aliud intelligendum eſt, niſi quia ſub prætextu falſæ diligentiæ confeſſionem duarum naturarum Chriſti deſtruere voluerunt? Emendaverunt, & alia, & adhuc emendant, in eodem neſcio quali ſuo libro: ſi tamen emendatio illa dicenda eſt, per quam non aufertur mendacium, ſed augetur. Unde ſi poſt hanc quoque reſponſionem noſtram mutaverint alia, nobis imputare non debent, quaſi falſè reprehenderimus, quæ ab eis aliter dicta ſunt. Si enim aliquando conſiſterent, & mutari atque mutare deſinerent, congrua dictis ipſorum inveniretur etiam noſtra reſponſio. Quod ſi quiſquam dolos eorum ex his quæ memoravimus inveſtigare non poſſit, quoniam non omnes habent ſtudium lectionis, cui ſola ipſius facti conſideratio non ſufficeret ad cognoſcenda factionis hæreticæ non experta conſilia? Primùm quòd ſubitò, & *nulla ſaltim provocante cauſa, ante centum fermè annos ab univerſali judicata Concilio ventilatur. Deinde quòd data formula ſubſcribendi, quam non liceret excedere, paſſim & ubicunque reperti, ad augendum

*nullo ſalt. prov. cauſa ante

numerum, alieno decreto ſnbſcribere compelluntur Epiſcopi, quod per diverſas circumlatum provincias omnium ſacerdotum videretur ſubſcriptione firmari. Nam ſcientes Eutychiani quoniam privata cujuſcunque voluntas univerſali ſynodo præjndicium, quod ſemper quæſierunt, inferre non poſſet; id egerunt per ſuos ſatellites, arte qua ſolet hæreticorum exercitata malitia, ut quaſi totius Eccleſiæ judicatn Neſtorianam eſſe epiſtolam comprobarent, de cujus receptinne univerſalem ſynodum criminantur. Nam alia cauſa nec videtur, nec dicitur, pro qua ſubſcribendum in multas provincias mitteretur. Quod ſi & hæc intelligere non poſſemus, quem ſanum tandem non ſollicitaret, ſi ei nec petenti, nec egenti, ingereretur antidotum, quod utique cnntra aliquid dari ipſum nomen ejus indicium eſt? Et propterea, ſi morbus non ſit contra quem detur, nnn ſine ſuſpicione auferendę ſalutis ingeritur. Quod tibi, religioſe Imperator, non aliena ratione ſuademus. nam veſtra ſunt iſta quæ dicimus. Tum enim cùm pro firmanda, vel amplius publicanda, condemnatione c Theodori Alexandrini, aliorumque ſimilium, beatiſſimo Ro- A B
„ mano Epiſcopn ſcripſiſtis, hoc etiam quod aſſerimus addidiſtis, ita dicentes: Ce-
„ terùm quod generale dicitis fieri debere Concilium, quæ hujus rei cauſa ſit igno-
„ ramus. Nullus ignotus prnceſſit hæreticus, nulla noſtris eſt temporibus nata perfidia,
„ nec aliquid in fide, quod retractari debeat, invenitur. & intuliſtis quod & nos in
„ hac cauſa dicimus: Qui enim ſanis ea adhibet quæ ſolent adhiberi vulneribus, non
„ reducere cupit, ſed expellere ſanitatem. Hæc tuą eſt ratio, ſereniſſime Imperator. à qua ſi non avertamus aſpectum, non aliud de cauſa præſenti poſſumus judicare, niſi quòd in condemnatione hujus epiſtolæ fautores hæreticorum non reducere cupierunt, ſed expellere ſanitatem. Ob hoc ergo non abducimur falſo titulo nominis tui, ut quæ huic ſanæ ratinni contraria cernimus, tuæ pietatis eſſe dicamus, aut talibus purgatam credamus ſanctam & univerſalem ſynodum, quaſi hactenus impnra remanſiſſet, & mendacii atque coactæ defenſionis indigeret verax & omnium catholicorum devotione honorata ſemper ejus auctoritas. Quando ſi ita pro ea reſpondendum bæreticis videretur, ut negaretur, quod epiſtolam venerabilis Ibæ pronuntiavit orthodoxam, nnn illorum hnc pnſſit Epiſcoporum ſubſcriptione ſive teſtimonio confirmari, quibus Eutychiani ſi crederent, non ſe à communione Eccleſiæ ſepararent. Propter quod nec aliquis unquam propriis teſtibus uſus eſt adverſus hæreticns: ſed divina potius auctoritate, atque neceſſaria ratione, & antiquorum patrum teſtimoniis, qunrum ſe nnbiſcum doctrinam accipere mentiuntur. At enim dicitur, quòd Eutychiani graviter beati Cyrilli doleant injurias, quas epiſtola continet, & propterea ſcandalizantur in ſynodo, à qua dicunt eſſę ſuſceptam. Quid ergo, ſi negaverimus eſſe ſuſceptam, credent nobis? aut nobis, id eſt catholicis crediderunt, & non ipſi potius viderunt eſſe ſuſceptam, ut hinc expoſtulent? Quod ſi etiam dicantur nobis crodidiſſe quia ſuſcepta eſt, quomodo nobis iterum credent, ſi dicamus quia ſuſcepta non eſt? Si autem non crediderunt teſtimonio noſtro, ſed ipſi quod manifeſtum eſt cognoverunt; numquid plus noſtris ſubſcriptionibus credituri ſunt, quàm ſuæ rationi? Non igitur hæreticornm doloſi fautores hoc illorum Epiſcoporum ſubſcriptionibus voluerunt efficere, ut convincerentur Eutychiani, qnod non fuerit à ſynodo epiſtola venerabilis Ibæ ſuſcepta: ſed ut ipſa potius eorum negatione videretur non fuiſſe ſuſcipienda. Verùm iſta putaverint Eutycbianns falſo noſtro teſtimonio credituros. cur igitur non ita ſaltim ſtatuerunt ut dicerent: Si quis dicit ſuſceptam eſſe à ſynodo Calchedonenſi ad Marim epiſtolam, anatbema ſit: ſed magis dicendum, Si quis dicit rectam eſſe ad Marim epiſtolam, aut impiam defendit, & non anathematizaverit eam, anathema ſit: niſi ut ſanctos, qui eam in concilium congregati non anathematizaverunt, immo & orthodoxam judicaverunt, pro hæreticorum voluntate damnarent? Et licet, ut nos ad condemnationem ejus inducerent, finxerunt quòd iidem patres, qui Calchedona convenerunt, non eam pronuntiaverunt orthodoxam, de quo poſtea diſquiremus: interea tamen certum eſt, quòd cùm apud eos recitaretur, non eam anathematizari ſubdiderunr. An quia non præteriti temporis verbo dixerunt, ſi quis non anathematizavit ad Marim impiam epiſtolam, ſed, ſi quis nnn anathematizat: ideo non pro condemnatinne ſynodi Calchedonenſis C D E

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

c THEODORI ALEXANDRINI. Monachi opinor illius è ſecta Severi Theopaſchitæ, qui contra Themiſtium Agnoetarum principem libros ſcripſit, de quibus Photius in Bibliotheca numero CVIII. Θεοδώρου μονάζοντος Ἀλεξανδρέως κατὰ Θεμιστίου. ἄμφω δὲ αἱρετικοὶ, ὁ τῆς Θεοπασχιτῶν μερίδος ὑπάρχων, Σεβήρῳ δὲ συνταττόμενος. Cetera Facundo debentur: quia de Theodoro ſilent alii, & Juſtiniani aut Pontificis Romani de eo litteræ non extant.

A hoc adinveniſſe putandi ſunt? Equidem ſi hoc à ſubſcribentibus *exigerentur fieri, exigerent f. aperta res
acta res eſſet, nec jam ſuſpicio, ſed manifeſta contradictio videretur. At hoc ſibi ne-
ceſſarium non eſſe duxerunt, cùm ſemper dicamus, Propheta dicit, Apoſtolus di-
cit, Evangeliſta dicit, & tantumdem valeat, quantum ſi dicamus, ille vel ille dixit.
Deinde ipſos qui Calchedona convenerunt patres, & apud Deum, & apud nos, in
ſuis dicimus conſtitutionibus vivere. quia, ſicut Dominus in Evangelio dicit: *Deus* Matt. xxi 32.
eorum non eſt Deus mortuorum, ſed Deus vivorum. Quòd etiam beatus Leo, Romanæ
præſul Eccleſiæ, ſcribens venerabili Anatolio, hujus regiæ civitatis Epiſcopo, ſic ac-
cipiendum inſinuat: Sancti, inquit, illi & venerabiles patres, qui in urbe Nicæna, «
ſacrilego Arrio cum ſua impietate damnato, manſuras uſque in finem mundi leges «
Eccleſiaſticorum canonum condiderunt, & apud nos, & in toto orbe terrarum, in «
ſuis conſtitutionibus vivunt. Si igitur omnes venerabiles patres in ſuis conſtitutioni- «
bus vivunt, profectò etiam qui in Calchedona convenerant, tanquam viventes, non
B ſolùm non anathematizaverunt, verùm etiam adhuc non anathematizant, nec un-
quam anathematizabunt epiſtolam venerabilis Ibæ. Quæ cùm ita ſint, certum eſt
quòd ad eoſdem patres voluerunt hoc anathema pervenire. Porro & hac ratione
ſubmota, non poteſt acceptabiliter dici, quòd non pro condemnatione ſynodi Cal-
chedonenſis ita inſtitutum eſt, ſed ut illi qui ſunt præſentes in corpore tantummodò
damnarentur, ſi anathema Epiſtolæ Ibæ non dicerent. Nam quomodo nos con-
demnare poſſumus, qui judices in cauſa non fuimus, illis patribus non condemna-
tis, qui prius in ſuo judicio recitatam eandem non condemnaverunt epiſtolam, &
quorum exemplo ſumus inducti, ut ei nos quoque non diceremus anathema? Ab
illorum enim damnatione procedere debet forma judicii, à quorum errore proceſſit
forma peccati: & ampliore ſupplicio digni ſunt qui auctores, quàm qui ſequaces
deprehenduntur erroris. Cùm vero hæc in condemnatione ſanctæ ſynodi, pro hæ-
reticorum voluntate cenſuerunt, & conſtituerint, ut ſi quis non anathematizat me-
C moratam venerabilis Ibæ epiſtolam, anathema ſit: conſidera quæſo cujus levitatis,
cujus confuſionis eſt atque dedecoris, ut nos ſibi communicare compellant, per-
manentes in ea ſententia, qua non ſolùm anathema ei non dicimus, ſed etiam ne-
gamus eſſe dicendum. Ubi omittimus dicere, quoniam ſi communicemus eis, qui
nobis jam dixerunt anathema, non ſolùm condemnationi Synodi Calchedonenſis
communicabimus, verum & ſententias in nos eorum, ipſa eorum communicatione
firmabimus. Id enim etiam ipſos fortaſſis velle dicitur. Sed hoc potius dicimus,
quoniam ſi ullus apud eos eſſet divinæ religionis, vel rationis humanæ reſpectus, ip-
ſis quoque profanum & nimis turpe videri debuit, communicando nobis anathema,
quod in nos decreverunt, in ſemetipſos ultro convertere. Unde ſatis apparet, quan-
ta ſit gravitas, & quanta integritas eorum, qui Calchedonenſis decreta concilii re-
tractare præſumunt. Proinde beneficio magis, quàm injuriæ deputent, quod eis non
communicamus, donec de medio tollant iſtud anathema, quod velut magnum chaos
D interjacens, dividit à populo ſpiritu paupere, in ſenſu paternæ fidei & ſententiæ
quieſcente, inquietos ac ſuperbiſſimos præſumptores, qui ſibi tantùm videntur
abundare ſapientia, ut ablactati ſuper matrem ſuam, Eccleſiæ inſtituta contem-
nant, cùm ſcriptum ſit: *Fili, cuſtodi legem patris tui, & ne repuleris inſtituta matris tuæ.* Prov. 6: 20.
Alliga autem illa circa tuam animam ſemper, & circunda collo tuo. rurſumque: *Audi fili diſ-* Prov. 1. 8.
ciplinam patris tui, & ne abjeceris inſtituta matris tuæ: coronam enim gratiarum accipies tuo
vertici, & torquem aureum circa tuum collum. O quantum malum, torquem aureum
mola aſinaria velle commutare: ut qui debemus, Dei patris diſciplina & lege ſerva-
ta, de reverentia quoque matris noſtræ inſtitutorum, coronam gratiæ accipere no-
ſtro vertici, & torquem aureum circa collum noſtrum; abjiciendo quæ mater ſancta
conſtituit, ſcandalum ejus filiis præbeamus, & incidamus in illud judicium, de quo
Dominus dicit: *Qui autem ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis, qui in me credunt, expe-* Matth. 18. 6.
E *dit ei, ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris. Væ*
mundo à ſcandalis. neceſſe eſt enim ut veniant ſcandala: verumtamen væ homini illi, per quem
ſcandalum venit. Si igitur unum puſillum ſcandalizare tam grave eſt, ut magis ex-
pediat ſcandalizanti, mola aſinaria collo ejus ſuſpenſa, in profundum maris demer-
gi, quanto magis totam Eccleſiam ſola inquietudine animi, & non tacendi libidine
conturbare?

A

CAPUT IV.

Quod falsò damnatam à ſe jactent epiſtolam, quia Cyrillum male tractarit, cùm acerbius tractatus ſit à Gennadio & Iſidoro, quos non reprehendunt.

QUALE verò illud eſt quod jactant, ideo ſe damnaſſe hanc epiſtolam, quòd
ejus conſcriptor videatur in ea de beato Cyrillo quod male ſenſiſſet, cùm
ſcripſerit adverſus eundem ſanctum Cyrillum, & XII. ejus capitula, beatæ quoque
memoriæ d Gennadius hujus regiæ civitatis Epiſcopus, nec ab iſtis reprehenſus in
hac condemnatione denominetur, qui multo vehementius & contumelioſius eum in
» ſua reſponſione tractavit? Nam ſic adverſus eum dicit: Væ mihi à malis. heu, heu;
» unde enim quiſquam in præſenti aliunde ſumat exordium? Quales Cyrilli Ægyptii,
» & quantas blaſphemias incurri, & quantas blaſphemias audivi: Quis revera det ca- B
» piti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum? & plorabo iſtud die & nocte:
» quoniam extendit lingua ejus mendacium, & non fidem: confortatus eſt ſuper ter-
» ram. ex certo pax peccatoribus deceptio: propter hoc enim obtinuit eos, inquit,
» ſuperbia eorum in finem: cògitaverunt & locuti ſunt in malignitate. iniquitatem
» in altum locuti ſunt: poſuerunt in cœlo os ſuum, & lingua eorum tranſivit ſuper
Pſal. 72. 9. » terram. Pſalmiſtæ iſta ſunt: Jeremiæ autem prophetæ illa prima. Euge ô beate
Hier. 9. 1. » Paule. *Exurgent*, inquit, *& ex vobis ipſis viri loquentes perverſa, ut abducant diſcipulos*
Act. 20. 30. » *poſt ſe*. Væ malo Alexandriæ, familiari ejus, & proprio jam iſti ſecundo. quæ cor-
» rupta ploremus, quæque corrumpit. ex toto jam myſterium iniquitatis; & vereor
Thren. 2. » ne fortè nunquam qui tenet de medio fiat. Euge Jeremiæ prophetæ. Item illi
» voci extaſis terribilis facta eſt ſuper terram: Prophetæ prophetant iniqua: ſacerdo-
» tes plauſerunt manibus ſuis, & populus meus dilexit ita. Quid enim minimum, aut
» quid mediocre in illis? omnem ſupereminentiam blaſphemiæ jaculatus eſt adverſus C
» ſanctos patres, adverſus eorum priores Apoſtolos, adverſus ipſum Salvatorem; in re-
» ſurrectionem meditatus eſt. Aſſumptam quidem humanitatem ex nobis & pro nobis
» injuriat: divinam ejus naturam, & impaſſibilem paſſionis ſubjacere contendit. Ecce
quanta & qualia ſanctus Gennadius in beatum Cyrillum effudit, & nulla hinc fit no-
minis ejus invidia, quoniam ipſe non interfuit Calchedonenſi concilio. Quin etiam
reſpondens primo ejuſdem ſancti Cyrilli capitulo, quo dixit, Si quis non confitetur
Deum eſſe ſecundùm veritatem Emmanuel, & propterea Dei genitricem ſanctam
virginem, genuit enim carnaliter carnem factum Dei verbum, anathema ſit; ita
Act. 23. 3. eum invectus eſt: Anathematizaturus eſt te Deus, paries dealbate. juſtiſſimum enim
» eſt te, ſimiliter Ananiæ Judæorum principi ſacerdotum linguam adverſus diſcipulos
» Chriſti moventem, ſimilem ab eis indignationem experiri. & cetera, quæ in eodem
» opere, ſi quis volet, inveniet. Cur igitur in hac ultione, ſicut dicunt, injuriarum
beati Cyrilli, non magis ſancti Gennadii nomen, & pro ſui loci auctoritate, qua-
ſi regiæ civitatis Epiſcopi, & pro maledictionum atque contumeliarum magnitudine D
ventilatur? Quod ſi hoc conſideraverunt, quoniam talia Gennadius de Cyrillo non
ſcriberet, niſi dicentis intentionem minùs intellexiſſet: hanc prudentem & piam con-
ſiderationem ego quoque ſuſcipio. Potuit enim & ipſe de Chriſtiana religione quæ
recta ſunt credens, non intellectum beatum Cyrillum bona intentione culpare, &
bonam damnare intentionem damnabile crediderunt. Quod ſi hoc etiam conſide-
raverunt, quoniam ſi ea, quæ ante centum annos à beato Gennadio ſcripta ſunt,
modò condemnarentur, in reprehenſione totius Eccleſiæ fieret, quæ hoc antè non
fecit: hoc quoque ſapienter atque modeſtè conſideratum eſſe, ſi quis ſapiens &
modeſtus, agnoſcet. Sed quare non amplius hoc ſuper epiſtola venerabilis Ibæ
conſideratum eſt, quæ, ut non dicam ab univerſali ſynodo approbata eſt, certè re-
citata illic oſtenditur, nec oſtenditur abdicata; niſi quia pro deſtructione ipſius ſy-
nodi, & non pro injuria ipſius Cyrilli, quaſi profana damnata eſt? Denique etiam E
dicta venerabilis Theodoreti Epiſcopi Cyrri, in quibus contraria dicitur ſcripſiſſe
beato Cyrillo, ſub hujus ultionis obtentu ſimiliter reprehenderunt, & ob hoc eum
volentes videri notabilem; quia ipſe inter alios patres affuit Calchedonenſi Conci-
lio, & beati Leonis epiſtolam, quam Eutychiani anathematizant, cùm ibi relege-
retur, dubitantibus Epiſcopis Illyricianis & Palæſtinis aſſeruit. Alioquin cur ad-
verſus Ibæ epiſtolam, & Theodoreti ſcripta, ſic evidenter agerent, aliorum nomi-

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

d GENNADIUS EPISCOPUS. Succeſſor Anatolii, ad quem ſcripta eſt Leonis epiſtola centeſima. Hujus locum alterum ex libro 2. ad Parthenium profert Leontius in locis communibus de origine animarum, Γενναδίου Κωνσταντινουπόλεως ἐκ τοῦ πρὸς Παρθένιον δευτέρου λόγου.

A nibus tacitis, quorum & dignitas potior, & opinio clarior, & ipſa quæ contra beatum Cyrillum, vehementiora, atque acriora cenſuntur? Nam vir etiam ſanctiſſimus, & magnæ in Eccleſia Chriſti gloriæ, *e* Iſidorus presbyter Ægyptius Peluſiota, quem duo millia epiſtolarum ad ædificationem Eccleſiæ multi ſcripſiſſe noverunt, qui etiam pro vitæ ac ſapientiæ ſuæ meritis, ut pater ab ipſo Cyrillo & honoratus eſt & vocatus, ſic ei ſcribit, quin potiùs reſcribit: Terrent me divinæ ſcripturæ exempla, & reſcribere quæ oportet compellor. Sive enim pater ſum, ſicut ipſe dixiſti, propter Heli condemnationem, qui filios peccantes non caſtigavit: ſive filius ſum tuus, ſicut magis novi, quòd magni illius Marci habitum geſtes, formido Jonathæ condemnationem, quòd patrem alloquentem ventriloquam non prohibuit: & prior mortuus in bello, eo qui peccavit, qui prohibere poterat. Ut autem neque ego condemner, neque ipſe à Deo condemneris, requieſce à contentione, nec ultionem propriarum injuriarum, quæ tibi à mortalibus hominibus debetur, exigas à vivente Eccleſia, & æternam ei diſcordiam ſub pretextu pietatis ædifices. Nec Iſidori B ſcripta, dicentis quòd æternam diſcordiam ſub prætextu pietatis Cyrillus ædificaret Eccleſiæ, cum magna invidia, quemadmodum Theodoreti Epiſcopi dicta, & venerabilis Ibæ epiſtola, denotantur. Scribit autem ad illum rurſus idem ſanctus Iſidorus dicens: Compaſſio quidem aciem oculorum obtundit: æmulatio verò excæcat omnino. Noli ergo ab utraque ſententiarum exſecutor fieri, ſed examini juſto cauſas permitte: quoniam & Deus, qui omnia ſcit antequam fiant, deſcendere & videre clamorem Sodomorum humaniter cum bonitate voluit; diligentis inquiſitionis nos docens argumentum. Multi namque te quaſi per comœdiam irrident ex his qui collecti ſunt in Epheſum, quòd privatam injuriam judicans, non quæ Chriſti ſunt orthodoxè requiſieris. dicunt, quòd *f* conſobrinus Theophili eſt, & imitans illius voluntatem. Sicut enim ille inſaniam apertam diffudit contra Theodorum, & noſtrum Joannem: ſic concupiſcit & iſte gloriari. licet inter examinatos, multum eſt C quod diſcrepet. Ecce & in hac epiſtola arguit illum, velut animi paſſione & æmulatione cæcatum, violenter magis, quàm juſto examine, cauſas agere atque irrideri à multis, quod injuriæ privatæ vindictam, non quæ Chriſti ſunt orthodoxè requiſierit apud Epheſum in cauſa Neſtorii, ſicut etiam Theophilus, conſobrinus ac deceſſor ejus in condemnatione Joannis Conſtantinopolitani hominum gloriam requiſiſſet. Ideo ſanctus quoque Gennadius de ipſo beato Cyrillo dixit, quemadmodum ſuprà docuimus: Væ malo Alexandriæ, familiari ejus, & proprio jam iſti ſecundò: primum volens intelligi Theophilum, ſecundùm verò Cyrillum. Et quanquam vir doctus diverſam cauſam Joannis & Neſtorii judicet, dicens; Licet inter examinatos multum eſt quod diſcrepet, in quo reprobat Neſtorium ipſum: tamen in utraque credidit æmulationis fuiſſe propoſitum. *g* Alias quoque ſimiliter ad eum ſcribit epiſtolas; quibus perhibet quod per ſuam mutabilitatem cæleſtia proderet, & contrarius ſibi-D metipſi in ſuis ſcriptis exiſteret: cupiditate vanæ gloriæ victus. Non igitur venerabilibus Iba & Theodoro coepiſcopis innocentiores in hac parte credendi ſunt Gennadius & Iſidorus viri probatiſſimi, ſed feliciores potius, quod ipſi non ſunt participes ſynodi Calchedonenſis inventi.

[1. Reg. 4.] [1. Reg. 13.] [1. Par. 10. 13.] [Gen. 18. 21.]

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

e ISIDORVS PELVSIOTA. Harum ad Cyrillum prior eſt CCCLXX. libri primi, poſterior CCCX. Quod verò Iſidori epiſtolas in univerſum numeras bis mille, videras fortaſſe codices Acœmetenſis monaſterii Conſtantinopolitani, in E quibus totidem continebantur, ut in veteri MS. adnotatum memini ab antiquo earum interprete his verbis: *Has omnes B. Iſidori Presbyteri & Abbatis Peluſiotæ recenſui & tranſtuli ex epiſtolis ejus duobus millibus, quæ ſunt per quingentas diſtributa in Acœmitenſis monaſterii codicibus vetuſtiſſimis quatuor.* Nec plures hactenus triplici editione in lucem prodiere, quàm bis mille tredecim. Ceterum ad decem millia ſcripſiſſe Iſidorum, atque in his ter mille ſcripturam ſacram expoſuiſſe, auctor eſt Suidas, vel quem Suidas exſcripſit, Ἰσίδωρος, inquit, πρεσβύτερος ὁ Πηλουσιώτης, &c. γέγραφεν ἐπιστολὰς ἑρμηνευτικὰς τῆς θείας γραφῆς Γ. καὶ ἑτέρας Ζ. καὶ ἄλλα πολλά. Sic enim habent codices emendati.

f CONSOBRINVS THEOPHILI. Iſidoro ἀδελφιδοῦ, quod eſt fratris vel ſororis filius. Sed fratris filium fuiſſe conſtat, non ſororis, ut Iſidori vertit interpres. ἀνεψιὸς vocat Theophanes in Chronico. ἀδελφιδοῦν verò etiam Socrates libro 7. capite 7. & Theodoretus libro 5. capite 35. & à Theodoreto viciſſim Theophilus Cyrilli θεῖος dicitur; non avunculus; ſed patruus. θεῖος πατρῷος, ut eſt apud Nicephorum libro 14. capite 25. Quare mendum etiam eſt in hiſtoria Tripartita libro 10. cap. 25. cùm Cyrillus Theophili conſobrinus appellatur, pro eo quod apud Theodoretum eſt ἀδελφιδοῦς, fratris filius. Paulò pòſt, ubi interpres legit Θεόδωρον, Græcè Θεόφιλον ſcriptum eſt, μανίαν σαφῆ κατεσκέδασε τοῦ Θεοφίλου, καὶ Σεβασμίου Ἰωάννου. ita ut de uno Joanne ſit ſermo, nullus de Theodoro.

g ALIAS EPISTOLAS. Deſignat epiſtolam 324. libri primi, cujus hoc exordium: χθές σε, θαυμάσιε, ... ἀεὶ, ὅτι φίλῳ ... τὰ ὀρθὰ, ... & quæ ſequuntur.

 A

CAPUT V.

Quod temerè damnetur epiſtola poſt examen Synodi Calchedonenſis, cujus decretis addi nihil debere Leo Papa & Epiſcopi Orientis confirmant.

HÆC ſi tranquillo animo, & meliore intentione conſiderare dignemini, illo
vobis aperiente cor veſtrum, & claudente ſubreptionibus impiorum, qui, ſi-
Apoc. 3. 7. cut ſcriptum eſt, *ſanctus & verus, habet clavem David, & qui aperit, & nemo claudit,
& qui claudit & nemo aperit*, ipſa rerum geſtarum evidentia cognoſcetis quòd in eva-
cuationem decretorum ſynodi Calchedonenſis, atque epiſtolæ Papæ Leonis, cujus
Theodoretus epiſcopus in eadem ſynodo fuit aſſertor, hæc omnia & ab hæreticis eſ-
ſe adinventa, & ab eorum fautoribus conſtituta: quæ niſi melioris emendatione ju- B
dicii reſciſſa fuerint, fruſtra, vel ſi credi poſſet, negatur quod epiſtolam venerabilis
Ibæ memorata Synodus approbavit. Cùm enim conſtet, quod ibi prædicto Epiſ-
copo ab accuſatoribus ſuis objecta ſit: proculdubio, ſicut ſuprà jam diximus, ſi nunc
juſtè damnatur, tunc maximè condemnari debuerat. Quia verò non oſtenditur fa-
ctum: videtur illa ſynodus, ut non dicam hæreſi cohibuiſſe, aliquid certè minus feciſ-
ſe, quod adjicere iſti deberent, atque ſupplere. Beatus autem Leo, fidelis ac fidens
propugnator Eccleſiæ, & hæreticorum non fictus aut trepidus impugnator, ſic ibi
eſſe dicit omnia definita, ut nihil eorum perfectioni adjici poſſe confirmet. Namque
cùm multis & variis machinationibus ejuſdem ſynodi auctoritatem, ſicut & nunc,
Eutychiani infringere vel minuere conarentur, & quæ ibi ſunt judicata diſcuti quære-
rent, ut ſub prætextu diligentioris tractatus, aut emendari in eis videretur aliquid,
Epiſt. 88. aut ſuppleri, prudenter ac fortiter eorum inſidiis reſiſtit, Leoni Auguſto ita ſcribens:
» Deteſtandum nobis eſt, perſeveranterque vitandum, quod fraus hæretica nititur ob- C
» tinere, nec in aliquam diſceptationem piè & plenè definita revocanda ſunt: ne adar-
» bitrium damnatorum ipſi de his videamur ambigere, quæ manifeſtum eſt per omnia
» propheticis, & Evangelicis, atque Apoſtolicis auctoritatibus conſonare. Unde ſi qui
» ſunt, qui ab his quæ cælitus ſunt conſtituta diſſentiunt, ſuis opinionibus relinquantur,
» & ab unitate Eccleſiæ, cum ea quam elegerunt perverſitate, diſcedant. Nam nullo
» modo fieri poteſt, ut qui divinis audent contradicere ſacramentis, aliqua nobis com-
» munione ſocientur. Jactent ſe in ſui eloquii vanitate, & de argumentationum ſuarum
» verſutia, quæ inimica eſt fidei, glorientur. Nobis placet Apoſtolicis obedire præceptis,
» dicentibus: *Videte ne quis vos decipiat per philoſophiam, & inanem ſeductioné hominum.* Nam
Coloſſ. 2. 8. » ſecundum eundem Apoſtolum, ſi quæ deſtruxi, hæc ædifico, prævaricatorem me conſti-
Gal. 2. 18. » tuo & eis me ultionum conditionibus ſubdo, quas non ſolùm auctoritas beatæ memoriæ
» principis Martiani, ſed ego etiam mea confeſſione firmavi. Quia, ſicut ſanctè veraciter- D
» que dixiſtis, perfectio incrementum, & adjectionem plenitudo non recipit. Pervidet
» igitur ſerenitas tua, quòd ſicut nihil in ejuſdem ſynodi decretis emendari, ita nec adjici
poſſit. Unde non ſolùm contra ipſam Synodum, verum etiam contra hujus Apoſtolici
viri ſententiam, convincuntur egiſſe, qui venerabilis Ibæ epiſtolam temere dãnaverunt.
Quoniam, vel ſi dicunt quòd nihil in ejus decretis emendare præſumpſerunt, negare
non poſſunt, quòd aliquid eorum plenitudini judicaverint defuiſſe: ut quod ipſa mi-
nus fecit in cauſa quæ ibi tamdiu tractata eſt, iſti quaſi prudentiore ac diligentiore
conſideratione ſupplerent. Quomodo igitur inſultationes hæreticorum valebimus de-
clinare dicentium, Ubi ſunt illa magnifica veſtri Leonis verba, quibus nimis arrogans
decretis ſynodi Calchedonenſis aiebat, Perfectio incrementum, & adjectionem pleni-
tudo non recipit? Ecce teſtimonio veſtro convincitur, quòd in vacuum ventoſa ver-
ba jactabat. Nam quæ in illa ſynodo judicata ſunt, vel ſi non emendatis, certè ſupple-
tis, atque perficitis, & quòd in eis non fuerit illa quę dicebatur perfectio & plenitu- E
do, monſtratis: nec poteſtis ulteriùs dicere, quòd non meritò à veſtra communione
diſceſſimus. An communicare debuimus illi ſynodo, in qua cùm Ibę à ſuis accuſatori-
bus objiceretur impia & Neſtoriana epiſtola, ſicut vos quoque eſtis confeſſi, & coram
omnibus legeretur, ut dicamus quod fruſtra negaſtis, & orthodoxa pronuntiata eſt.
quam in tantum probaſtis fuiſſe damnandam, ut ſerò ad noſtram ſententiam redeun-
tes, etiam poſt centum fermè annos, quo vos ab ejus crimine purgaretis, neceſſariò
anathematizandam eſſe vidiſtis? & non hæc immeritò dicent. Namque cùm iſti fau-
tores eorum, nos, qui judices in cauſa non fuimus, per condemnationem hujus epi-
ſtolæ à Neſtoriano crimine judicaverunt eſſe purgandos, conſequenter illos patres, in
quorum diſcuſſa judicio non condemnata eſt, ab eodem crimine judicaverunt non
eſſe purgandos. Ecce quale præjudicium nobis quæſierunt inducere: ecce quomodo
voluerunt adverſus Eccleſiam hæreticorum calumnias roborare. qui non ſolùm beati

A Leonis, verùm etiam *b* illis conciliis tantorum Epiſcoporum vel epiſtolis refragantur, in quibus de memorata ſynodo interrogati, Leoni principi reſponderunt dicentes: Neque unum iota, vel unum apicem, poſſumus aut commovere, aut commutare eorum quæ apud illam diffinita ſunt. & iterum: Quoniam ſicut ſoli nihil minus eſt ad demonſtrandum, quia ſol eſt: ſic & magnæ, & ſanctæ, & univerſali ſynodo Calchedonenſi, minus quidem bonorum nihil omnino eſt, neque additamento aliquo eget, neque detractione, ab ſpiritu ſancto veluti divino quodam ſale condita. Etenim qui in ea tunc damnati ſunt, indigni ſacerdotalis ordinis judicati, decreto ac judicio magni Dei velut impii condemnati ſunt. Qui vero in ea recepti ſunt, injuſtam & tyrannicam antea ſuſtinentes inſcriptionem, confeſtim decreto ſpiritus ſancti juſtè ſuſcepti ſunt: in quibus eſt & noſtrorum temporum ſecundus Abel beatus Flavianus. Dicunt & alia multa, quæ commemorare perlongum eſt. Quomodo igitur hæreticorum complices recipimus, nova & contraria decernentes, tanquam minùs religioni conſultum fuerit in his quæ definita ſunt ab illa ſynodo: cùm antiqui B patres unum iota, vel unum apicem, ſe in eis movere non poſſe pronuntient? aut quid putamus perfecto ſoli & toto mundo radianti deeſſe, quod debeat iſtorum adjectione ſuppleri, qui ſicut inſuperabilem ſplendorem ejus fruſtra obſcurare conantur, ita nihil poſſunt plenitudini ejus adjicere?

CAPUT VI.

Quod fruſtra Vigilii Papæ reſponſum expectare ſe dicant, qui à Leonis deceſſoris ſui veſtigiis minimè receſſurus ſit.

ET adhuc dicunt, quòd de tanta ſua præſumptione Eccleſiam quoque Romanam conſuluerint, & nunc ſententiam beati Vigilii præſulis ejus expectent. De quo quid ſentiant hujus temporis homines, ut eum tantum nefas definire præſumerent, quod ab intentione beati Leonis, ſub tantis ejus deceſſoribus, non ad id tem- C pus tentatum eſt, proculdubio intelligit & ipſe vir prudens. Nam quis hoc non intelligat vel imprudens? Si enim, ut dicunt, etiam conſulere hinc illum auſi ſunt, & ejus expectant in hac cauſa judicium: non video quemadmodum jam ab eis de ipſo non fuerit judicatum. Verum experientur quantum illos ſuſpicio ſua fefellerit. Quia ille, non in deſtructionem paternæ ſententiæ, ſed potius in defenſionem, atque ultionem, *i* primam accepit & maximam poteſtatem: nec aliquid contra veritatem, ſed pro veritate plus ceteris ſuis conſacerdotibus poteſt. Paulus enim dicit Apoſtolus: *Non enim poſſumus aliquid adverſus veritatem, ſed pro veritate.* Quid autem relictum eſt, quod de reſponſione Romani Epiſcopi ſperent: cùm ita jam dudum prædictus venerabilis Leo, vehementibus & crebris omnino ſententiis coercens illicitos auſus, (2. Cor. 13. 7.) inſidioſis prudenter occurrerit, ut nunc ejus ſucceſſorem, non quaſi dubiis in quæ- D ſtionibus expetamus judicem, ſed certiſſimæ tranſgreſſionis expectemus ultorem? Illa quippe multiplex & aperta prohibitio deceſſoris ejus, ſicut prævaricatoribus crimen auxit, ita nihil cujuſquam judicio dereliquit. Cui enim magis alteri, quàm Leoni, liceret pro tantis laboribus, quos propter memoratam ſynodum perſeverantiſſima virtute ſuſtinuit, aliquid in his quæ ab ea decreta ſunt retractare? Sed abſit, ut ille vir ſanctus licitum ſibi putaret, quod non expedire cernebat, & magni ſui certaminis palmam poſtquam vicit amitteret. Quid enim jam integrum, vel quid conſtare poſſit immobile, ſi tanti Concilii ſententia, vel ſicut imperfecta ſuppleri, vel ſicut dubia rurſum diſcuti videretur? Non autem in ſola fidei dubitatione, vel definitione, Conciliorum valet auctoritas: verùm etiam in omnibus, quæ pro pacis & unitatis obſervantia, cujus maxima ſapientibus cura eſt, modeſtè ibi fuerint ac bene compoſita. Hic ergo rurſus agnoſce, Auguſte ac venerabilis Imperator, in quan- E tum totius mundi præſidium divina ſis providentia præparatus, & quid auxilii matri tuæ Eccleſiæ debeas, quæ te filio maximè gloriatur, intellige. Non ſinantur, contra dexteræ omnipotentis triumphum, redivivis aſſurgere motibus extincta cer-

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

b ILLIS CONCILIIS. Omnium videlicet provinciarum Orientis, quæ Leonis Imp. juſſu in Synodos coactæ, de Timotheo Alexandrino, & de Synodo Calchedonenſi, quam Timotheani reſpuebant, quid ſentirent Leoni reſcripſerunt. Extant ſingularum epiſtolæ in unum codicem redactæ, poſt acta Synodi Calchedonenſis, qui codex encyclius dicitur apud Caſſiodorum, cujus rogatu in Latinam linguam converſus eſt ab Epiphanio ſcholaſtico. Quæ verò à Facundo laudantur, verba ſunt partim provinciæ Europæ num. 27. partim Sebaſtiani Epiſcopi Beroenſis Thraciæ II. num. 30.

i PRIMAM ET MAXIMAM POTESTATEM. Quam *principatum generalis Eccleſiæ* dixit Avitus Viennenſis in epiſtola de Symmachi Papæ judicio ad Senatores Urbis. De eo autem quod Vigilii ſententiam expectare ſe aiebant damnatores trium capitulorum, plura iterum libro 4. cap. III.

» tamina. præſertim cùm id damnatis jam dudum hæreticorum auſibus omnino non A
» liceat : & hic fructus piis laboribus debeatur, ut omnis Eccleſiæ plenitudo in ſuæ
» unitatis ſoliditate ſecura permaneat; nihilque prorſus de bene compoſitis retractetur.
» quia priùs legitimas, & divinitus inſpiratas conſtitutiones velle confligere, non pa-
» cifici eſt animi, ſed rebellis, dicente Apoſtolo, *Verbis enim contendere ad nihil eſt uti-*
2. Tim. 2. 14. » *le, niſi ad ſubverſionem audientium.* Nam ſi humanis perſuaſionibus ſemper diſceptare
» ſit liberum, nunquam deeſſe poterunt, qui veritati audeant reſultare. Et revera
quis erit contentionum atque certaminum finis, ſi de his, quæ totius Eccleſiæ con-
ſenſione firmata ſunt, ſemel licuerit ferre judicium? cur enim non rurſus & ipſum ju-
dicium judicetur? Et ideo prudentiſſimus vir, nullam penitus dans occaſionem quæ-
» rentibus, denunciabat dicens, Nihil prorſus de bene compoſitis retractetur. Ergo
ſi nihil, nec illud quod parvum putatur admiſit. Et tamen iſti, qui Romanum An-
tiſtitem impugnare poſſe præclari deceſſoris ſui ſententiam ſperant, gloriantur of- B
fenſiones ſe de illa ſynodo ſuſtuliſſe, dicentes quòd pro ea nobis Eutychiani
ſemper communicare noluerint. * quia ſi vel tanta illa ſynodus, qua numeroſior alia
Quaſi vel tanta illa pro fidei veritate non fuit, tam diuturna deliberatione ſtimulantibus etiam hæreti-
corum contradictionibus, quæ maximè ſolent in novitate fervere, quicquam præterire
potuerit negligenter; vel prædictus Leo, cùm toties pulſaretur ex his quæ ab ea
conſtituta fuerant aliquid retractare: nullas hujuſmodi noxias rationes, veriſimilem
ſpeciem prætendentes, & audiſſe, & immobili gravitate diſpoſuiſſe credendus eſt,
prudentiſſimè cavens, ne fortè qualibet occaſione aditu patefacto malè pulſanti-
bus, in Eccleſiam Chriſti inſidiantium furor irrumperet. Porro hi qui ſupra modum
ſunt diligentes, nolunt hæc omnia prudentiæ atque cautelæ magis, quàm negli-
gentiæ deputare. Sed quid facient, quòd omnis Eccleſia, Deo præſtante, poſitos
ſibi æternos patrum ſuorum terminos non excedit? Quorum æmulari exoptat negli-
gentiam potius, quàm iſtorum obſcuram diligentiam. Cujus autem rationis ſe- C
qui judicium debeamus, ſatis in promptu eſt. Utrum iſtorum, qui putaverunt,
quoniam ſi retractarent, immò reprehenderent patrum ſententiam, Acephali com-
municarent Eccleſiæ, quod non eſt penitus ſubſecutum, quod etiam ſi ſequeretur,
non erat adprobandum: an ſapientiſſimi Leonis, qui ſicut in aliis ſcriptis ejus
oſtenditur, nullum per hoc collidendis Eccleſiis modum poni, ſed data licentia
rebellandi, dilatari magis, quàm ſopiri, certamina prædixit: quod veraciter eſſe
dictum, evidenti rerum exitu, quin potius exitio, comprobatur. Credo quòd etiam
tacentibus nobis appareat, quid fuerit providentiæ divinæ, quid temeritatis hu-
manæ. Si verò beatiſſimus Leo, quamvis recentioris Concilii, & nulla antè ſui
deceſſoris aſſertione defenſi, quicquam in diſceptationem revocare non paſſus eſt:
quomodo ab his creditur quartus decimus ſucceſſor ejus ſanctus Vigilius novum
„ poſſe aliquid judicare? præſertim illo dicente, Nam ſecundum Apoſtolum, ſi D
„ quæ deſtruxi hæc ædifico, prævaricatorem me conſtituo, & eis me ultionum con-
„ ditionibus ſubdo, quas non ſolùm auctoritas beatæ memoriæ principis Martia-
„ ni, ſed etiam ego mea defenſione firmavi. ut pote qui noverat Apoſtolum hoc
Gal. 1. 8. „ dixiſſe: *Sed licet nos, aut angelus de cælo evangelizet vobis præter quàm evangelizavimus*
Epiſt. 65. *vobis, anathema ſit.* Nam ſi, ut ipſe beatus Leo Calchedonenſi Concilio, poſtquam
„ ejus geſta ſuſcepit, reſcripſit dicens, Et fraterna univerſitas, & omnium fidelium
„ corda cognoſcant, me non ſolùm per fratres qui meam vicem executi ſunt, ſed
„ etiam per approbationem geſtorum ſynodalium, propriam vobis communicaſſe
„ ſententiam: nec quicquam in eiſdem geſtis reprehendiſſe atque arguiſſe monſtra-
tur, niſi quòd referretur venerabilis k Anatolius, Conſtantinopolitanus Epiſ-
copus, priore, quàm Maximus Antiochenus, loco ſediſſe. quomodo, ſi hanc Ibæ
epiſtolam, quæ cùm Neſtoriana dicitur, ad cauſam utique dicitur fidei perti-
nere; vel tale aliquid, quod in illa ſynodo recitatum nec damnatum geſta conti- E
nent, anathematizari, aut ſaltim diſcuti pateretur, non ſemetipſum prævarica-
torem conſtitueret, dubitationi ſubjiciens quæ ſe jam dixerat approbaſſe? Et id-

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

k ANATOLIUS PRIORE LOCO. In actis Synodi Calchedonenſis poſt legatos ſedis Apoſtolicæ primus (rejecto nimirum & excluſo Dioſcoro Alexandrino, cujus cauſa diſceptabatur) perpetuo nominatur ſubſcribitque Anatolius, & poſt Anatolium Maximus Antiochenus. Nempe hunc ille ſibi locum deberi volebat ex decreto Synodi II. generalis, quæ ſedem Conſtantinopolitanam Romanæ proximam ſtatuerat. Sed decretum hoc Sedes Apoſtolica non agnoſcebat, ut alienum à Synodo Nicæna, quæ ſecundum locum Epiſcopo Alexandrino, tertium Antiocheno decernit. Quare Leo Pontifex cùm Synodum Calchedonenſem approbaret, hoc caput excepit, faſtumque & ambitum Anatolii multis ad Marcianum Auguſt. ad Anatolium ipſum, & ad Maximum Antiochenum epiſtolis redarguit. Qua de re iterum lib. 5. cap. 4.

circo,

A circo, ſi etiam nulla ejus interdictio præceſſiſſet, neque Imperatori Leoni pro ipſo concilio reſponderet, perfectio incrementum, & adjectionem plenitudo non recipit, hoc tantummodo provocatetut, quòd in illis geſtis ſolam Coonſtantinopolitani Epiſcopi præſumptionem argneric: profecto nihil in eis, quod Neſtorianum credi poſſit, ſucceſſoris ejus relictum judicio videretur. Quoniam ſi hæreticum aliquid continerent, quod delatum ad illius ſynodi judicium non inveniretur eſſe damnatum, Leo hoc priùs reprehenderet, cùm ad ejus deferretur examen. Unde ſi tanquam Neſtoriana debet ab omnibus illa epiſtola condemnari, quæ ab accuſatoribus oppoſita Ibæ Epiſcopo geſtis ſynodalibus continetur; non ipſa tantùm ſynodus, verum etiam Leo præſul Apoſtolicæ ſedis, à quo approbata ſunt, hæreſi Neſtorianæ cohibuit. Qui non ſola conſideratione veritatis, ſed etiam præcedentis facti ſui argueretur exemplo. Nam cùm ei beatus Flavianus Conſtantinopolitanus geſta dirigeret, in quibus Eutyches interrogatus reſpondit dicens: Confiteor ex duabus naturis fuiſſe dominum noſtrum an-
B te adunationem, poſt adunationem verò unam naturam confiteor: relectis eiſdem geſtis, idem vir religioſiſſimus & prudentiſſimus Leo, memorato Flaviano ita reſcribit: Miror tam abſurdam, tamque perverſam profeſſionem, nulla ju- Leo
dicantium increpatione reprehenſam, & ſermonem nimis inſipientem ita emiſ- epiſt. ...
ſum, quaſi nihil offenderet, eſſe auditum: cùm tam impiè duarum naturarum ante adunationem unigenitus Dei filius fuiſſe dicatur, quàm nefariè, poſtquam verbum caro factum eſt, natura in eo ſingularis aſſeritur. Quod ne Eutyches ideo vel rectè, vel tolerabiliter, exiſtimet dictum, quia nulla veſtra eſt ſententia confutatum, dilectionis tuæ diligentiam commonemus, cariſſime frater, ut ſi per inſpirationem miſericordiæ Dei ad ſatisfactionem cauſa perducitur, imprudentia hominis imperiti etiam ab hac ſenſus ſui peſte purgetur. Velim itaque inſtrui, quid contra Eutychianos poſſimus referre, cum dixerint, Cur Leo veſter in examine geſtorum, quæ apud Flavianum ſunt habita, adverſus Eutychem, ſicut
C putatis, diligens, in approbatione geſtorum ſynodi Calchedonenſis, adverſus Neſtorium negligens invenitur, ut Neſtorianam epiſtolam confirmaret, quæ ibidem continetur: niſi quia contrario Neſtorii præoccupatus errore, Eutychi reſiſtebat? Nam qua de cauſa profeſſionem ejus, qua dixit, Confiteor ex duabus naturis fuiſſe Dominum noſtrum ante adunationem; de qua in judicio Flaviani non fuerat accuſatus, abſurdam vocat atque perverſam, culpans quod nulla judicantium increpatione reprehenſa fuerit, quæ ipſi nimis inſipiens & impia videbatur: Neſtorianam verò epiſtolam, ad concilii Calchedonenſis examen ab accuſatoribus Ibæ delatam, ibique relectam, damnatam non fuiſſe diſſimulat, quam nunc anathematizantes anathematizandam illic fuiſſe fatemini? Nam vel ſi, quemadmodum imprudenter negaſtis, orthodoxa pronunciata non eſſet ab illo Concilio, damnari tamen debuit, ne videretur ignorantibus approbata. Cum igitur ſecundum has evidentes & inevitabiles rationes damnationis hujus epiſtolæ,
D tantum beati quoque Leonis crimen neceſſariò conſequatur, quid ab iſtis de judicio ſucceſſoris ejus expectetur ignoro: niſi, quod dictum quoque magni erroris eſt, & quod nunquam ſperare potuerunt hæretici, ut cum magna & univerſali Synodo Calchedonenſi, idem glorioſiſſimus auctor atque defenſor ejus Leo damnaretur. Sed quanta animadverſione ſit dignum, quòd hoc non tentare tantùm, verum etiam de ſucceſſore ejus auſi ſunt expectare, ipſius conſiderationi dimittimus, quem latere non poteſt, quàm graviter offendatur Eccleſia, ſi tantum nefas, quod abſit, reliquerit impunitum. Confidunt equidem, non bene ſentientes de obedientia, quam Chriſto debetis, & devotione, quam exhibetis ejus Eccleſiis, quòd contra vigorem, ac juſtitiam canonum defendi queant. Verum expedit illis metuere potius, ne forſitan experiantur, Domino regente cor veſtrum, quòd non in patrocinium, ſed in ultionem potius tranſgreſſionum poteſtatem deſuper habeatis. Deſinant itaque temeratores paternæ ſententiæ in
E neſcio quo aſylo confidere, quod eis non Romulus Chriſtianus, cujus ille Deus eſt pater, qui veraciter dicitur *Dominus fortis & potens, Dominus potens in bello*, Pſal. 23. 8.
ſed inanis ſua ſuſpicio fabricavit. Nec in tali facto de veſtra conſenſione præſumant, quoniam vobis ſubreptum eſt, in plurimis reipubl. diſpoſitionibus occupatis, ut conſentiretis hoc fieri: cùm multo amplius inde quoque plectendi ſint, quòd volentes objectu veſtræ perſonæ impunitam eſſe cohibentiam, quam præbuerunt hæreticis, non permiſerunt inſinuari vobis patrum decretis eſſe contraria quæ fiebant, ut eo modo, per auctoritatem veſtræ conſenſionis, etiam multos ſibi conſcios aggregarent: & quaſi multitudinem ſequeretur impunitas, ſe-

cundum quod viſum eſt cuidam dicere, quicquid multis peccatur inultum eſt. A minùs attendentes, quòd nec divino judicio poſſit peccantium multitudo reſiſtere: nec humano per multitudinem illudere temeritatis auctores. Nam futuro examini Dei relictis eis, qui vel factione illorum inducti, vel oppreſſione coacti ſunt, debitam ſententiam iidem factioſi præſumptores excipient, tanto graviorem, quanto plurioribus obfuerunt.

FINIS LIBRI SECUNDI.

A

FACVNDI
EPISCOPI
B
HERMIANENSIS.

PRO DEFENSIONE TRIVM CAPITVLORVM,

LIBER III.

CAPUT PRIMUM.

Quod Theodori Mopſveſteni ſcripta cùm denotant, Synodi Calchedonenſis & Leonis Papæ judicium reprehendant.

C

EXIGIT à nobis operis cura ſuſcepti, ut quod ſuperiore li-
bro demonſtrare cœpimus, in iſto multipliciter oſtendamus,
quoniam hæreticorum complices Theodorum quoque Mopſ-
veſtenum Epiſcopum, in Eccleſiæ pace defunctum, & à ſan-
ctis patribus, ſicut jam memoravimus, prędicatum, in de-
ſtructionem magnæ Synodi Calchedoneoſis, atque inſtituto-
rum beati Leonis, anatbemati ſubdiderunt. Et quia, ut in
ſuum conſenſum leves corde poſſent adducere, dicuot beatum
Cyrillum aliqua ejuſdem Theodori ſcripta eulpaſſe: hoc quo-
D que probemus, quòd etiam ſi verum ſit, contra ejus ſententiam fecerint, cujus ex-
emplo præſumptionem ſuam inaniter excuſare conantur. Ut quemadmodum eviden-
ter apparuerunt quòd fallaciter ſe jactaverunt, ob injuriarum ejus dolorem, epiſto-
lam venerabilis Ibæ damnaſſe; ita ſuo teſtimonio convincantur, & in damnationem
Theodori ejus impugnaſſe judicium. Ubi autem docuimus, quoniam vel ſi eandem
epiſtolam ſynodus Calchedooenſis oon pronunciaret orthodoxam, nihilominus in e-
jus evacuationem pro laude Theodori damnaretur: ibi utique ſimul oſtenſum eſt,
ipſum quoque Theodorum propterea fuiſſe damnatum. Unde & illud quoque ne-
ceſſe eſt ſequi, quod etiam de ſupradicta epiſtola venerabilis Ibæ jam diximus, quo-
niam ſi dicatur, ad veritatem atque judicium catholicæ fidei pertinere quod ſtatue-
runt iſti, dicentes, Si quis non anathematizat Theodorum Mopſveſtiæ, & ejus dog-
mata, eoſque qui aut ſimilia ei ſapuerunt, aut ſapiunt, anathema ſit; illa ſynodus
E catholica non fuiſſe firmabitur, quæ non illum damnavit, cùm ex epiſtola memo-
rata recitari laudes dogmatum ejus audiret. Verum nec Leo Romanus antiſtes ca-
rebit hoc crimine: qui cum geſta prædictæ ſynodi ſe diceret approbaſſe, non ar-
guit quòd ibi Theodori laudes non invenerit improbatas. Hoc autem, ubicumque
de ipſius ſynodi reprehenſione conquerimur, oportet advertere, quoniam non ſine
prædicto beato Leooe culpatur. Quid etiam illud quod de modo ipſius facti, quo
epiſtola illa damnata eſt, prudentium rationi conſiderandum propoſuimus, nonne
in coodemnatione quoque Theodori debet attendi, quoniam nec adverſus eum, vel
ſi adhuc in corpore degeret, & hæreticus probaretur, olim Neſtoriano errore dam-
nato, in quo præoccupatus fuiſſe dicitur, tam multorum Epiſcoporum erat quæri
ſententiam; quæ nunquam pro veterum hæreticorum damnatione, ſed aliquando
pro novorum excluſione fuit neceſſaria, ſi tamen admoniti errata corrigere deſpe-

xiſſent ? Ideo vero nunc quæſierunt hæreticorum fautores ab univerſali Eccleſia A
magiſtrum Neſtorii pronunciari Theodorum ; ut quia facilè monſtrare poſſunt,
non ſolum epiſtolam venerabilis Ibæ, laudes ejus continentem, à ſynodo, quod
falſe negatum eſt, approbatam ; verum etiam ſapientiſſimi Joannis Antiocheni, &
Orientalis Concilii literas, ad beatum Proclum & Imperatorem Theodoſium datas,
in quibus idem Theodorus multo amplius eſt laudatus, etiam per hoc prædictam ſy-
nodum Neſtorianam eſſe firmarent. Nam & ipſa ſubſcriptionis formula, quæ da-
ta eſt in condemnationem ejuſdem Theodori, non aliud videtur oſtendere, cum di-
» ctum eſt, Si quis non anathematizat Theodorum Mopſveſtiæ, & ejus dogmata, a-
» nathema ſit, quod in nullius heretici damnatione meminimus contigiſſe ; ut illi
quoque anathema eſſent, qui anathema ei non dicerent. Siquidem multorum he-
reticorum multos & dogmata latent, & nomina, qui anathema eſſe non debent,
quoniam non anathematizant eos quos neſciunt. Sed quemadmodum dictum eſt,
ut ad ſynodi Calchedonenſis injuriam pervenirent, quæ cum apud ſe recitarentur B
ex epiſtola venerabilis Ibæ laudes ipſius Theodori, neque ipſi, neque dogmatibus
ejus dixit anathema ; propterea talis data eſt contra conſuetudinem, contraque hu-
manitatem formula ſubſcribendi, quaſi nemo aliter probari Catholicus poſſit, niſi
Mopſveſteno Theodoro, & ejus dogmatibus anathema dixerit. Quod decretum ſi
recipimus, nihil eſt quod hæreticis pro ſynodo Calchedonenſi reſpondere poſſimus,
cum dixerint, Sic vobis viſum eſt illam ſynodum excuſare in libro cui conſenſiſtis,
ut diceretis, quòd non contenta facta ab Iba denegatione propter ad Marim epi-
ſtolam, neque etiam pro eo facta teſtificatione clericorum Edeſſenorum, ſed con-
firmans judicatum Photii & Euſtachii, petivit Ibam, ad deſtructionem & excluſio-
nem ad Marim impiæ epiſtolæ, anathematizare Neſtorium, & ejus dogmata. Et
revera ſic oportebat orthodoxam ſynodum facere, cujuſcumque eſſet illa epiſtola,
quæ Ibæ tanquam ſua erat objecta, ut ad removendam penitus ſuſpicionem, coge-
ret eundem Ibam Neſtorium anathematizare, cujus in eo mentio facta eſt. Quo- C
modo igitur prædicta ſynodus Calchedonenſis, ſi vere orthodoxa fuerat, expetens
Ibam anathematizare Neſtorium, & ejus dogmata quæ non laudaverat, non ex-
petivit ut maximè Theodorum anathematizaret, quem audierat apud ſe ex memora-
ta epiſtola recitari beatum præconem veritatis, & doctorem Eccleſiæ, & in ſua vita
colaphizaſſe hæreticos per veritatem ſuæ fidei, & poſt mortem ſpiritalia arma in li-
bris propriis Eccleſiis reliquiſſe ? An Theodorus, de cujus blaſphemiis dixiſtis,
quòd diaboli tranſgrediantur inſaniam, propter zelum Dei, ſicut ſcriptum eſt,
non ſolum propriam civitatem ab errore ad veritatem convertit, ſed & longè po-
ſitas ſua doctrina inſtruxit Eccleſias ? Quæ omnia cùm ex epiſtola objecta Ibæ ſy-
nodus Calchedonenſis audiret, non coegit eundem Ibam ſic laudatum anathema-
tizare Theodorum : ob hoc profecto, quia Neſtorii impium ſuſcipiens errorem, e-
jus quidem nomen occultavit, Theodori autem Mopſveſteni defendit, qui magi-
ſter Neſtorii fuit, quemadmodum in prædicto libro, cujus diffinitionibus ſubſcrip- D
ſiſtis, de talibus dictum eſt. Hæc cùm nobis oppoſita fuerint, quid contra re-
ferre valebimus, ſi orthodoxus non eſt, qui Theodoro Mopſveſtiæ, & ejus dog-
matibus, non dicit anathema ? Proinde cognoſcis, Auguſte, quod in reprehen-
ſionem ſynodi Calchedonenſis hec fuerint conſtituta, vel ſi recitatam ſolummo-
do, non etiam receptam ibi memoratam epiſtolam mentiamur. Et ideo compli-
ces hæreticorum, ſua ratione, ſuoque teſtimonio, ſicut diximus, convincuntur
adverſus magnam ſynodum talia decreviſſe. Nam ſi, ut fallaciter ſuadent, inde à
nobis excuſetur, quòd non contenta venerabilis Ibæ Epiſcopi negatione propter ad
Marim epiſtolam, neque facta pro eo teſtificatione clericorum Edeſſenorum, ex-
petivit ab illo anathematizare Neſtorium, quem in ipſa epiſtola non laudavit : in-
de non poterit excuſari, quia non expetivit, ut Theodorum maximè, cum ſuis ibi
dogmatibus prædicatum, anathematizaret, cum ſecundum iſtos non aliter proba-
ri catholicus poſſit. E

A

CAPUT II.

Quod Theodorus ut Neſtorii doctor accuſari nequeat, cùm rectam de Chriſto fidem contra Samoſatenu & Neſtorii errorem teneat. & de ſymbolo quod Theodori dicebatur.

QUID etiam illud, quod finxerunt eundem Theodorum à B. Leone, velut magiſtrum Neſtorii, denotatum? numquid ob aliud eos tam manifeſtum mendacium, ſine ullo reſpectu pudoris humani, formaſſe credendum eſt, niſi ut ipſius ſynodi cauſam, quòd ibi nec ipſe damnatus eſt, nec quæ illum prædicavit epiſtola, non ſolùm Neſtorii, id eſt catholici, verùm etiam magni teſtis gravaret auctoritas? Sic enim dixit: Oportet igitur manifeſtè intelligere, quia ſanctus Leo, confirmans « ea quæ in Epheſo acta ſunt adverſus Neſtorium à ſancto Cyrillo, & hæc cuſtodiri « præcipiens, definita quidem vocat XII. capitula ſancti Cyrilli, quibus Neſtorii ad- « judicatus eſt error: doctores autem anathematizat, Neſtorii quidem Paulum Samo- « ſatenum, & Theodorum Mopſveſtenum: Eutychis autem Manichæum & Apolina- « rem impios. cùm probari non poſſit, quia Theodorum Mopſveſtenum B. Leo ma- « giſtrum dixit eſſe Neſtorii. Sed proferant, vel epiſtolam, vel quamcunque aliam ſcripturam, in qua hoc eum dixiſſe confirmant. Nam & oportebat eos promere, ubi hoc B. Leo dixerit, ſi verum ſe dicere confidebant. Verum ne hoc dubium relinquatur, nos ipſius Theodori verbis doceamus, quantum ab errore Pauli Samoſateni fuerit alienus, qui tertiodecimo libro codicis, quem myſticum appellavit, Ange- « lus diaboli eſt, inquit, Samoſatenus Paulus, qui purum hominem dicere præſumpſit « dominum Jeſum Chriſtum, & negavit exiſtentiam divinitatis unigeniti, quæ eſt an- « te ſæcula. Item in opere, quod [a] contra Apolinarem edidit, tertio libro ita locutus eſt: Manifeſtum eſt enim, quòd Samoſatenus Paulus Epiſcopus quidem fuit An- «
C tiochenæ Eccleſiæ domini Dei, & [b] Theodori autem & Artemonis errore ægrotans, « qui purum hominem dixerunt eſſe dominum Jeſum Chriſtum, non eum cognoſcen- « tes Deum verbum, & in ſubſtantia propria filium Dei ante ſæcula ex Deo patre « æterno extantem. Numquid hunc talia de Paulo Samoſateno loquentem, & ta- « lia de Chriſto docentem, Leo Romanus cum ipſo Paulo doctorem diceret eſſe Neſtorii? Sed iſti ſic confidenter affirmant quòdcumque voluerint, quaſi hoc ſit verum probare, quod verba jactare. Ceterum abſit, ut hoc de illo ſanctiſſimo viro credamus. Quoniam etſi Theodorus in quibuſdam erraſſe monſtretur, non ideo mendaciter accuſandus eſt, in quibus culpabilis non eſt. Qui enim reprehendit & accuſat errorem non voluntarium, voluntario mendacio ſe implicare non debet: quoniam ſcriptum eſt: *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Non tantùm verò miramur Eu- Pſal. 5.7. tychianos per ſuos ſatellites ita mentiri, quantum quòd illis ſic temerè & ſic facilè
D creditur. Quomodo autem idem Theodorus dicitur, quòd hominem purum, id eſt hominem tantùm, non etiam Deum, dixerit Chriſtum, qui propterea Paulum Samoſatenum diabolum vocat, & Theodorum atque Artemonem hoc dicentes, fatetur non ſanam tenere doctrinam, ſed in ſuo errore potius ægrotare? Quid igitur ipſe credidit eſſe dominum Jeſum Chriſtum? hoc profectò, quod illos non cognoviſſe redarguit, id eſt Deum verbum, & in ſubſtantia propria filium Dei. quippe quem & ante ſæcula ex Deo patre æterne dicat extantem. Non ergo, ſicut in reprehenſione ſanctæ ſynodi fingitur, duos iſte credidit, aut duos docuit filios, quaſi alte-

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

[a] CONTRA APOLINAREM. Qui Theodori Mopſveſteni laudibus favent, ejus contra Arianos & Apolinariſtas certamina prædicant, ut Theodoretus libro 5. Hiſtoriæ capite ultimo.
E ἓξ δὲ καὶ τεσσαράκοντα ἐν τῇ ἐπισκοπῇ διετέλεσεν ἔτη, καὶ Ἀρείου καὶ Εὐνομίου παραταττόμενος φάλαγγι, καὶ τῆς Ἀπολιναρίου καταγωνιζόμενος λόχου. Hujus operis Theodori (nam aliud ſcripſerat contra Apolinariſtas) meminere Synodus 5. generalis, & Leontius Byzantius lib. III. contra Neſtorium & Eutychem. Ἀπολινάριοι porro Græcis conſtanter dicti, tum antiquior ille Hierapolitanus, qui ſub M. Aurelio vixit, apud Euſebium libro 4. capite 26. tum Laodiceni duo in Syria, quorum junior, id eſt filius, hæreſis auctor fuit, de qua Apolinariſtæ nuncupati. Pro Apolinariis Apollinares plerique apud Latinos vocant, diverſam vocis originem non animadvertentes.

[b] THEODORI ET ARTEMONIS. Legendum *Theodoti*. De Theodoto enim contrario ſermo eſt, qui primus Chriſtum nudum hominem docuit, eamque ob cauſam à Victore Papa damnatus eſt. Vetus auctor apud Euſebium libro 5. Hiſtoriæ capite 27. Βίκτωρ καὶ σκυτέα Θεόδοτον τὸν ἀρχηγὸν καὶ πατέρα τῆς ἀρνησιθέου ἀποστασίας ἀποκηρύξει τῆς κοινωνίας, πρῶτον εἰπόντα ψιλὸν ἄνθρωπον Χριστόν. Theodoti hæreſim ſecutus eſt Artemon. Artemonis Paulus Samoſatenus, ut idem auctor affirmat, & Epiſcopi Synodi Antiochenæ apud Euſebium eundem libro 7. capite 24.

rius ſubſtantiæ dicens hominem Chriſtum, & alterius Deum verbum. qui, ſicut ejus A
verba declarant, ipſum dominum Jeſum Chriſtum noo purum hominem, ſed etiam
Deum verbum eſſe cognovit: nec ſola auctoritate aut dignitate perſonæ, ſed in
ſubſtantia propria Deum & filium Dei; ſicut etiam in ſubſtantia propria hominem
& filium hominis. Quæ in his verbis occaſio, quæ ſuſpicio errori Neſtoriano relin-
quitur? Ecce eſt aperta, & omni ambiguitate carens Theodori fides, pro qua in
epiſtola venerabilis Ibæ, ſicut & à doctiſſimis patribus, laudatur. Non eſt igitur,
quod Eutychiani de Neſtoriano dogmate ſynodum criminentur, quia prædictam epi-
ſtolam, laudes Theodori continentem, pronunciavit orthodoxam. Sicut autem
non eſt dicendus Manichæus, quia in hoc teſtimonio dominum Jeſum Deum ver-
bum, & in ſubſtantia propria filium Dei, ante ſæcula ex Deo patre æterne extitiſſe
confeſſus, de ejus humanitate conticuit: ita velut Neſtorii doctor accuſari non de- B
bet, ubi de ejus humanitate diſputans, de divinitate non loquitur: aut ubi Apolina-
riſtarum hæreticorum contradictione cogente, naturas ampliùs dividit, quàm ut hæ-
redum ipſorum, id eſt Eutychianorum, calumniam poſſet effugere. Accipe porro
jam & aliud eorum mendacium, quod ſimiliter finxerunt in eodem libro ſuo dicen-
» tes: Oportet enim inſpicere animo, quia dicens Apoſtolus, qui perſonam verbi ſi-
Philip. 2. 6. » gnificavit in Dei eſſe forma, quod eſt in eſſentia patris, non dixit, quia qui erat in
» forma ſervi accepit, ut non præexiſtenti homini demonſtraret verbum unitum, ſe-
» cundum Theodori & Neſtorii inſaniam: nec tamen oſtendunt ubi Theodorus dixit,
quia homini præexiſtenti unitum eſt verbum. Nos igitur, etiam hoc in denotatio-
nem atque invidiam magnæ ſynodi mendaciter eos dixiſſe, ipſius Theodori verbis
ſimpliciter oſtendamus. Qui non, ſicut iſti confingunt, ante jam ſubſiſtenti homi-
ni verbum dixit unitum, ſed ab ipſa in matris utero plaſmatione, hominis naturam
cum Dei verbi natura in unam ſubſtitiſſe perſonam. Nam tertiodecimo de Incar- C
» natione libro, ſic dicit: Bonum eſt in hoc loco maximè concludere, quid virtutis
» habeant ea quæ dicta ſunt, ſive converſari, ſive baptizari, ſive crucifigi, ſive & mori,
» ſive & ſepeliri, & reſurgere. Non puro alicui hæc coaptantes homini dicimus. hoc
» enim in unaquaque dictorum demonſtratione addere non moramur, ut nullam ca-
» lumniantibus præbeamus malè loquendi occaſionem. ſed inhabitato quidem à Deo
» verbo ab ipſa in utero matris plaſmatione. inhabitato verò, non ſecundum commu-
» nem inhabitationem, neque juxta eam quæ in multis intelligitur gratiam: ſed juxta
» quandam excellentem, ſecundum quam etiam adunari dicimus utraſque naturas, &
» unam juxta adunationem effectam eſſe perſonam. Ecce dum volumus aliud eo-
rum mendacium prodere, etiam omnes hîc, aut penè omnes, eorum adverſus Theo-
dorum de incarnatione Chriſti calumnias videmus excluſas. Nam accuſant eum illi,
» quòd hominem purum dixerit Chriſtum. Ipſe autem dicit: Sive converſari, ſive bap-
» tizari, ſive crucifigi, ſive mori, ſive & ſepeliri & reſurgere, non puro alicui hæc D
» coaptantes homini dicimus. Si autem non puro alicui homini hæc coaptat: igitur
etiam Deum converſari, & baptizari, & crucifigi, & mori, & ſepeliri, & reſurge-
» re fatetur in carne ſuſcepta. ſuamque ſolicitudinem monſtrans, Hoc enim, inquit,
» in unaquaque dictorum demonſtratione addere non moramur, ut nullam calum-
» niantibus præbeamus male loquendi occaſionem. Et neque ſic amputare potuit
occaſionem quærentibus occaſionem. Item accuſant eum illi, quòd Beatam
Mariam Deum genuiſſe negaverit. Ipſe autem dicit, quòd ab ipſa in utero
plaſmatione Deus verbum adunatum ſibi hominem inhabitaverit, ſecundum quod
Joan. 1. 14. Evangeliſta dicit: *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis.* Item accuſant
eum illi, quòd ſic habitaſſe dixerit Deum verbum in aſſumpta hominis natu-
ra, ſicut habitavit in multis ſanctis atque prophetis, non ut adunatis utriuſque na-
turis una fieret ex earum adunatione perſona. Ipſe autem dicit, eum non ſecundum E
communem habitationem inhabitaſſe, ſed juxta quandam excellentem, ſecundum
quam etiam adunari dicimus utraſque naturas, & unam juxta adunationem effectam
eſſe perſonam Ubi ſimul & illud attendat pietas veſtra, quoniam confictum de B.
Leo epiſt. 66. Leone, quòd Theodorum dixerit doctorem fuiſſe Neſtorii. Nam cùm idem B. Leo
ſcribens Maximo Antiocheno doceat, quoniam catholicæ fidei petra, cujus cogno-
men B. Petrus Apoſtolus ſumpſit à domino, propterea Neſtorium anathematizet,
quòd verbi carniſque naturam in beatæ virginis conceptione ſejungens, unumque
Chriſtum in duos dividens, aliam deitatis, & aliam humanitatis voluerit eſſe perſo-
nam: non poſſet velut ejus magiſtrum Theodorum condemnare, qui jam dudum præ-
vertens ipſius errorem Neſtorii, contrà docet ab ipſa in utero matris plaſmatione
Dei verbi naturam cum ea quæ aſſumpta eſt in unam ſubſtitiſſe perſonam. Et hæc
quidem protulimus de Theodori ſcriptis, ex occaſione convincendæ falſitatis eorum,

A quos apertè mentiri non puduit: dum pro ejus perſona epiſtolam venerabilis Ibæ conantur excludere, & pro epiſtola venerabilis Ibæ Calchedonenſe concilium: Competenti verò loco tanta & talia proferemus, ut ſi non ipſos calumnioſos atque fallaces, alios certè pœniteat, qui eis facilè crediderunt. Quis autem commemorare poſſit, aut eorum omnes falſitates, aut omnia quæ in illo libro ſparſa ſunt, ad augendum crimen ipſius Theodori, & epiſtolæ Ibæ, in qua laudatus eſt, ut ex hoc magnæ ſynodo ſuſcitaretur invidia, quòd eam pronunciavit orthodoxam? Nam ſive cùm Neſtorii, vel neſcio cujus Cyri, ſive cùm Joannis Græci faciunt mentionem, nolunt eos ſine his convitiari: ſive cùm teſtimonia proferunt patrum, nolunt eos ſine alterius eorum vituperatione laudare. Adhuc tamen aliud magnum ac duplex eorum mendacium publicemus: quòd Calchedonenſe concilium, non Epheſini tantum, verum etiam ipſius Calchedonenſis judicio videri notabile voluerunt, dicentes: Theodori ſymbolum & in Epheſo ſub ſancto Cyrillo ſynodus, & in Calchedone condemnaverunt, atque anathemati ſubdiderunt, cum conſcripto-
B re ejus: cùm *c* in Epheſina ſynodo referatur quidam nomine Chariſius, preſbyter & œconomus Philadelphiæ, neſcio quos Antonium & Jacobum preſbyteros accuſaſſe de ſocietate Neſtorii, & docuiſſe quod non Eccleſiæ ſymbolum, ſed aliud, converſis Teſſareſcædecatitis hæreticis, qui non cum Eccleſia, ſed quartadecima luna Paſcha celebrabant, tradiderunt: nec ibi dicatur, vel ab ipſo Chariſio, vel à quoquam, illud ſymbolum Theodori fuiſſe. Beatus Cyrillus ſcribens Orientalibus dicit: Prolata eſt in ſancta ſynodo Epheſina diffinitio, veluti à Theodoro depoſita, ſicuti offerentes dicebant. nec affirmat eam Theodori fuiſſe: verùm neque cum ejus conſcriptore, ut iſti confingunt, refert eſſe damnatam: quia & nec juſtè fieret. *Lex enim noſtra*, ſicut in Evangelio ſcriptum eſt, *non judicat hominem, niſi audierit ab eo priùs, & cognoverit quid faciat.* Joan. 7. 51. Falſum ergo eſt & quod dixit, apud ſynodum Epheſinam Theodori ſymbolum cum ſuo ſcriptore damnatum. In Calchedone etiam non alibi mentio Theodori facta eſt, niſi ubi ex epiſtola venerabilis Ibæ recitatum
C eſt nomen ejus. Cognoſcant itaque, ſe nihil ſuis ſubreptionibus profeciſſe, quibus obtinere conati ſunt, ut Calchedonenſis ſynodus ſibi contraria videretur, approbans epiſtolam laudantem Theodorum, quem cum ſymbolo damnaverit ſuo. Ex his quidem ſatis ſuperque produntur fautores hæreticorum, ſicut epiſtolam venerabilis Ibæ, ita etiam Theodorum Mopſveſtenum Epiſcopum, in deſtructionem ſynodi Calchedonenſis, & decretorum Papæ Leonis, à quo ejuſdem ſynodi geſta ſunt approbata, anathemati ſubdidiſſe.

CAPUT III.

Quod Theodorum imperitè arguant, quod Chriſtum in paſſione formidaſſe & turbatum fuiſſe dixerit, cùm Chriſtus & martyres ad mortem reipſa trepidarint.

NUnc illa proferamus, in quibus etiam beati Cyrilli teſtimonium ſuo convin-
D cuntur impugnaſſe judicio. Nam affirmantes ipſum eſſe auctorem *d* neſcio cujus operis, in quo aliqua ſancti Diodori Tarſenſis Epiſcopi, ac Theodori dicta culpantur, negare non poſſunt, quin ibi dixerit: Scripti ſunt à magno Theodoro adverſus Arrianorum & Eunomianorum hæreſes viginti fortè & adhuc amplius libri, & alia præter hæc Evangelica & Apoſtolica ſcripta interpretatus eſt. Et hos quidem labores nullus auſus eſt increpare, ſed dextro decreto honorare ſtudium rectorum dogmatum, quod in eis eſt. Iſti verò è contrario, eundem Theodorum in Evangelii expoſitione reprehendunt: in quo labores ejus, quiſquis eſt auctor illius operis, perhibet quòd nullus auſus fuerit increpare, ſed dextro potius honorare de-

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

c IN EPHESINA SYNODO. Quæ hic narrantur extant in actione VI. Synodi Epheſinæ,
E cum exemplo [illegible] depravati hujus ſymboli, quod rurſum legitur in Synodo V. generali actione IV. De eodem noſter iterum cap. V. hujus libri.

d NESCIO CUJUS OPERIS. Scripſerat Cyrillus, ut auctor eſt Liberatus cap. X. tres libros adverſus Diodorum & Theodorum, quaſi Neſtoriani dogmatis auctores. Cujus operis fragmenta recitantur in actione V. Synodi ejuſdem, atque in his illa quæ Facundus commemorat, hoc titulo: *Ex ſecundo libro Cyrilli Epiſcopi Alexandriæ de eo quod unus eſt Chriſtus, contra Theodorum.* Sed longè diſcrepans & diverſa eſt Synodi lectio, ita ut Theodorum perſtringant Cyrilli verba, quæ hoc loco ad ejus laudem, poſtrema parte omiſſa, transferuntur. Sic enim habent: *Quos quidem labores nollet aliquis increpare, magis autem honoraret, ſi ineſſet eis dogmatum rectitudo.* Laudari ait potuiſſe libros Theodori, ſi nihil pravi docerent. mox verò quædam in his impia eſſe demonſtrat.

creto. & hinc eum impium vocant, quòd *e* Dominum in paſſione, & formidaſſe, A
» & turbatum eſſe dixerit: ita ut hoc quoque dicerent, Horremus etiam ſolam me-
» moriam blaſphemiarum ejus, & Deo ſupplicamus ut nobis fiat propitius, quòd om-
» nino in lingua talia ſuſtinemus aſſerentes, trepidare in paſſione eum poſſe, qui ſuis
» famulis, qui pro ejus nomine martyrium ſuſceperunt, talem donavit gratiam, ut
» eum gaudio, & promptitudine, & alacritate paſſiones adirent. Hæc autem re-
prebenſio & deteſtatio ſcriptorum Theodori, ſanam doctrinam B. Leonis ſynodi
Calchedonenſis auctoris impugnat, qui ſcribens Juvenali Hieroſolymitano Epiſcopo
Epiſt. 78. » dicit: Utere igitur, frater cariſſime, invictiſſimis catholicæ fidei documentis, &
» Evangeliſtarum prædicationem ſanctorum locorum, in quibus degis, teſtificatione
» defende. Apud te eſt Bethleem, in qua ſalutifer Davidicæ virginis partus illuxit,
» quem involutum pannis inter anguſtias diverſori præſepe ſuſcepit. Apud te eſt de-
» clarata ab Angelis, adorata à Magis, & per multorum infantium mortes ab Herode
» quæſita Salvatoris infantia. Apud te eſt, ubi pueritia ejus ejus adolevit, ubi ado- B
» leſcentia maturavit, & per omnia incrementa corporea in virum perfectum veri ho-
» minis natura profecit, non ſine cibo eſuritionis, non ſine ſomno quietis, non ſine fletu
» miſerationis, nec ſine pavore formidinis. Unus enim atque idem eſt, qui & in Dei
» forma operatus eſt miracula magna virtutis, & in forma ſervi ſubiit ſævitiam paſſio-
» nis. Si ergo de nobis hæretici quærunt, cur non & Leonem condemnemus prædi-
cantem, & prædicari cogentem, quòd Chriſtus non ſine pavore formidinis ſubiit
ſævitiam paſſionis, quid reſpondebimus, Theodoro nunc pro tali confeſſione dam-
nato, niſi aut Leonis eſſe illam epiſtolam denegemus, ad ſolitum mendacium confu-
gientes auxilium, aut & ipſum Leonem cum Theodoro concedamus eſſe damnan-
dum? En qualia in defenſionem concilii Calchedonenſis, & Romani Leonis, con-
ſcripta dicuntur, quæ nos ſuo præjudicio, & ipſam ſynodum, & Leonem damnare
compellunt: & qui pro Dei timore talibus noluerint admiſceri, & in Eccleſiæ præ-
judicio compoſita eſſe docuerint, digni dicuntur exilio, digni carceribus. Nihil au- C
tem mirum. nam talia ſemper mundus arguenti ſe retribuit veritati. Quid porro
eſt, quod in eodem libro, in quo Theodorus dicitur diaboli tranſgreſſus inſaniam,
quia dominum noſtrum in paſſione formidaſſe & turbatum eſſe confeſſus eſt, Atha-
naſius approbatur, quòd in *f* libro tertio adverſus Arrianos ſcribens de proprietati-
» bus duarum Chriſti naturarum, hoc etiam dicat, Etenim perturbari carnis pro-
» prium eſt: poteſtatem autem habere ponendi & ſumendi quando vult animam, non
» eſt hoc proprium hominis, ſed verbi virtutis eſt? Ecce ipſi non alibi, ſed in eodem
libro immemores ſui fatentur, quòd beatus Athanaſius veraciter in paſſione domi-
num dixerit eſſe turbatum. Cur ergo ſibi contrarii, in quo Athanaſium probant,
ut magno Concilio præjudicent, Theodorum damnant? Qui beatus Athanaſius ita
» locutus eſt etiam in libro quem de Trinitate conſcripſit: Verbum enim & filius Dei
» ſemper erat dominus Deus, & non poſt crucifixionem factus eſt dominus Jeſus
» Chriſtus: ſed, ut prædixi, humanitatem ejus effecit divinitas dominum & Deum. D
Matth. 26. 19. & 41. » Et quando dicit, *Pater, ſi poſſibile eſt tranſeat à me calix iſte: veruntamen non mea vo-*
» *luntas fiat, ſed tua: ſpiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma*, duas voluntates hîc
» oſtendit: humanam quidem, quæ eſt carnis, aliam verò quæ eſt deitatis: & huma-
» na quidem propter infirmitatem carnis recuſat paſſionem, divinitas ejus prompta eſt.
Cùm igitur ſanctus Athanaſius duas voluntates profiteatur in Chriſto, humanam
quidem propter infirmitatem carnis recuſantem paſſionem, aliam verò ejus, quæ
deitatis eſt, promptam: reſcire jam debent Eutychiani, quoniam ſicut eſt conſe-
quens, ut ſi juſtè damnatur pro tali confeſſione Theodorus, Romanus Leo non poſ-
ſit abſolvi; ita neceſſariò nec ipſe, quem venerari ſe dicunt, Athanaſius abſolva-
tur. Sed quid ego de Athanaſio loquar, quando nec ipſos Evangeliſtas dubita-
inceſſere, *paulo poſt* tendunt verunt * inceſſere? cùm per Theodori damnationem ad B. Leonis & ſynodi Cal-
chedonenſis injuriam tendant, quòd epiſtolam Ibæ, laudes ejus continentem, pro- E

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

e DOMINUM IN PASS. FORMIDASSE. Theodori verba in hanc ſententiam ex lib. 3. contra Apolinarem habet ſynodus actione IV. num. XI. *Et in magna*, inquit, *trepidatione per tempus paſſionis conſtitutus apparitione Angeli indiget confortantis eum ad patientiam & tolerantiam imminentium malorum.* Angeli etiam Chriſtum confortantis orationem effinxerat, cujus ibidem eſt mentio num. IV. & apud Leontium, qui Theodorum ex hoc capite multis exagitat lib. III. cap 37.

f LIBRO III. ADV. ARRIANOS. Infrà iterum pag. 116. ceterum in vulgatis oratio eſt IV. contra Arianos. alter verò qui ſequitur Athanaſii locus, depromptus eſt ex libro *περὶ ἐνσάρκου ἐπιδημίας τοῦ λόγου*, *De humana natura ſuſcepta à verbo.*

nunciavit

A nunciavit orthodoxam ? Nam rurius Theodoro Apolinariſtis reſiſtente, qui, ſicut
nuoc Eutychiani, humanam io Chriſto volebant evacuare naturam, & diceote ad
comprobationem ipſius humanæ Chriſti naturæ, quod imminente paſſionis articulo,
& impeoſiùs oravit, & ab Aogelo confortatus eſt, dicitur ab iſtis, Quomodo opus
habebat Angeli ſolatio Angelorum operator ? ſicut Apoſtolus dicit : *Quia in ipſo crea-* Coloſſ.
ta ſunt omnia quæ in cœlis, & quæ in terra, viſibilia, & inviſibilia. & adjiciunt etiam il- 1.16.
lud, quod ſuprà memioimus, dicentes, Aut quomodo trepidabat paſſionem, qui
ſuis famulis, qui pro oomine ipſius martyrium ſuſceperuot, talem donavit gratiam,
cum gaudio, & promptitudine, & alacritate adire paſſiones ? Quæ omnia non con-
tra Theodorum, nec contra epiſtolam venerabilis Ibæ, quæ Theodorum laudavit,
nec contra B. Leooem, qui ſimilia docuit; ſed potius contra Joaonem & Lucam Evan-
geliſtas ibi dixerunt. Nam & Joannes refert dicentem Dominum. *Nunc anima mea tur-* Joan. 12.
bata eſt, & quid dicam? Pater ſalvifica me ex hora hac. & Lucas antem : *App.ruit illi Ange-* 27.
Luc 22.43.
B *lus de cœlo confortans eum ; & factus in agonia, prolixius orabat, & factus eſt ſudor ejus, ſicut* & 44.
guttæ ſanguinis decurrentis in terram. Quocirca graviſſimas illas contumelias, quas Theo-
doro propter hanc ſeotentiam ingeſſerunt, volentes ex eis beatum Leonem, &
Calchedonenſe maculare concilium, quicumque ſanum ſapiunt, Evangeliſtis potius
ingeſta eſſe cognoſcant. Si autem recipimus iſtos dicentes, Quomodo opus habe-
bat Aogeli ſolatio Aogelorum operator ? ut nullius eum credamus in ſuſcepta na-
tura eguiſſe ſolatii, Apoſtolum quoque Paulum non recipiemus dicentem : *Noſtis enim* 2. Cor. 8.
gratiam domini Jeſu Chriſti : quoniam propter vos egenus factus eſt, cùm eſſet dives, ut illius 9.
inopia vos divites eſſetis. Sed refragantes omoibus quæ de illo ſcripta ſunt, dicemus
etiam nos, Quomodo opus habebat mammis & lacte materno panis Angelorum ?
aut quomodo opus habebat humanis ulnis, & ſinu geſtari, qui gerit omnia verbo vir-
tutis ſuæ ? aut quomodo opus habebat ſomno, qui non dormitat cuſtodiens Hieru-
ſalem ? Ut ita jam verboteous duas dicamus ejus eſſe oaturas, rebus ipſis evacuan-
tes, quod profitemur io voce : ſicut etiam Calchedoneoſe concilium nos dicimus ho-
C notare, cujus ſenteotiæ repugnamns. Non autem dicerent Evaogelio reſiſtentes,
Quomodo trepidabat paſſionem, qui ſuis famulis, qui pro nomine ipſius martyrium
ſuſceperunt, talem dooavit gratiam, cum gaudio & promptitudine, & alacritate
adire paſſioues, ſi ut homioes, aut ſaltum ut hominibus, de rebus loquerentur huma-
nis. Quid ergo ? oon trepidaverunt martyres mori ? neque naturali affectu com-
moti expaverunt ad mortem, quæ utique noo ex natura, ſed ex peccatis ſupplicium
eſt ? Et ita eos ſpe futurorum cum gaudio atque alacritate paſſiones adire credimus,
ut nullatenus trepidatione malorum præſentium movereotur ? oon utique. nam vel-
lent oon per mortem ad illud, quò tendebant, pervenire ſi poſſent. Propter hoc
etiam ipſe Domious Petro dixit : *Amen amen dico tibi : cùm eſſes junior cingebas te, & am-* Joan. 21.
bulabas ubi volebas : cùm autem ſenueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet 18. & 19.
quò non vis. Hoc autem dixit, ſicut Evangeliſta nos docuit, *ſignificans qua morte clarifi-
caturus eſſet Deum.* Audiunt dicentem veritatem, Alius cinget, & ducet quò non vis,
D & ipſi jactant inaniter, quòd nulla fuit in martyribus trepidatio paſſionis. Sic poſ-
ſuot dicere, quoniam & ſi quiſquam letali ulcere de vita deſperans, ſpoodente me-
dico quòd ei ferro poſſit reſtituere ſanitatem, ita ſpe futuræ ſalutis gaudeat, ut præ-
ſentem ſectionis moleſtiam non reformidet. Attendat verò quid etiam Paulus di-
cat Apoſtolus, de ipſa morte corporis loquens : *Scimus enim, quoniam ſi terreſtris do-* 2. Cor. 5. 1.
*mus noſtra hujus habitationis diſſolvatur, quòd ædificationem ex Deo habeamus domum non ma-
nufactam æternam in cœlis. Nam & in hoc ingemiſcimus habitationem noſtram quæ de cœlo eſt,
ſuperindui cupientes, ſi tamen & veſtiti, non nudi inveniamur. Nam & qui ſumus in ta-
bernaculo, ingemiſcimus gravati, eo quòd nolumus exſpoliari, ſed ſuperveſtiri, ut abſorbeatur
mortale hoc à vita.* Apoſtolus itaque domum, ſive tabernaculum vocans corpus, di-
cit quòd eo nollet exſpoliari ; ſed ſi fieri poteſt, & ſuperveſtiri potius immortalitate,
ut ad eam oon corporis exſpoliatiooe tranſiret. Sed neſcio quid dicunt, quia mar-
tyres quibus dictum eſt : *Cum autem perſequentur vos in civitate iſta, fugite in aliam*, non Matth.
E trepidabant mori, immò trepidabant non mori. Nollent, ſi fieri poſſet : ſed natu- 10. 23.
rali ſuæ voluntati, voluntatem Dei devotione & obedientia præferebant. Quod &
illa verba Domini ſigoificaverunt, quibus dum diceret : *Pater, ſi vis transfer calicem iſtum* Luc. 22.
à me, ibi ſtatim ſubjunxit, & ait : *Veruntamen non mea voluntas, ſed tua fiat.* Quod 42.
ergo ait, *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere : ſed po-* Matth.
tiùs eum timete, qui poteſt animam & corpus perdere in gehennam, non illud quod contra 10. 28.
naturam eſt imperavit, ut humanam mentem nulla mortis trepidatio taogeret : alio-
quin ſuum diceretur impugnaſſe præceptum, cùm ipſe daret de fuga cooſilium. Sed
ut timor timore vinceretur, dixit : *Nolite eos timere, qui occidunt corpus.* ideo ſecutus
adjecit, *ſed potiùs eum timete, qui poteſt animam & corpus perdere in gehennam.* Quid au-

F

tem hinc etiam, condiſcipulus prædicti Mopſveſteni Theodori, ſanctus Joannes Con- A
ſtantinopolitanus dixerit advertamus. Qui exponens eumdem locum Evangelii ſe-
» cundum Matthæum, ſic ait: Ipſe quidem intentiùs orat, ne videatur ſimulatio eſſe
» negotium, & ſudores defluunt propter eandem iterum cauſam. & ne hoc dicant hæ-
» retici, quoniam ſimulabat agoniam, ideo & ſudores ſicut guttæ ſanguinis, & An-
» gelus confortans eum apparuit, & mille timoris argumenta. Et ne quis dicat verbo-
» rum eſſe figmentum, propterea & oratio. & dicere quidem, ſi poſſibile eſt tranſeat,
» oſtendit humanitatem: dicere verò, veruntamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu,
» oſtendit quomodo per virtutis ſtudium & patientiam doceamur, & retrahente nos na-
» tura, ſubſequi Deum. Qui etiam in commento, quod in Joannis Evangelium fe-
cit, capitulo vigeſimoſexto, cujus eſt initium, Qui amat animam ſuam perdet eam,
» ita locutus eſt: Ut non dicant, quoniam ipſe alienus à doloribus humanis exiſtens,
» facilè de morte philoſophatur, & periculi expers nos admonet, oſtendit quia & ago- B
» niam propter utilitatem non recuſat. hæc autem diſpenſationis ſunt, non divinitatis.
Joan. 12. 27. » propterea ait, *Nunc anima mea turbata eſt.* Alioquin, niſi hoc eſt, quam conſequen-
» tiam habet quod dictum eſt, & dicere, *Pater ſalvifica me ex hac hora?* ſic perturbari, ut
» & liberationem quæreret, ſiquidem eſſet effugere? Hæc naturæ humanæ infirmita-
» tis ſunt. ſed non habeo quid dicam, inquit, liberationem poſcens: propter hoc ve-
» ni in horam hanc. quaſi diceret, vel ſi turbamur, ac perturbamur, non fugiamus mor-
» tem. Nam & ego nunc perturbatus, non dico ut fugiam: decet enim ferre quod
» ſupervenit. Non dico, libera me ex hora hac. ſed quid? pater, glorifica nomen
» tuum. & quidem perturbatione hoc cogente dicere, è contrario dico, glorifica no-
» men tuum, hoc eſt dum eam ad crucem: quod multum hoc quod humanum eſt de-
» monſtrat, & naturam non volentem mori, ſed præſentis avidam vitæ. oſtendens quo-
» niam non erat alienus ab humanis paſſionibus. Quomodo enim nec bibere crimen
» eſt, neque dormire, ſic neque præſentis vitæ habere deſiderium. Chriſtus autem C
» corpus mundum à peccatis habuit, non à carnalibus neceſſitatibus expeditum: alio-
» quin nec corpus fuit. Numquid Mopſveſtenus Theodorus, qui in beati Leonis &
ſynodi Calchedonenſis præjudicium condemnatur, ad aſſerendam Chriſti humani-
tatem, ſicut ejus condiſcipulus beatus Joannes, mille timoris argumenta in ipſius
paſſione confeſſus eſt? aut alicubi ab eis, quemadmodum iſte præclarus doctor Ec-
cleſiæ, ſic turbatum ac perturbatum in paſſione Chriſtum dixiſſe probatus eſt, ut
etiam liberationem quæreret, ſi quidem eſſet effugere? & alia multa, quæ naturam
ejus humanam non volentem mori, ſed præſentis avidam vitæ, Joannes inſinuare te-
ſtatur: quoniam ſicut potare crimen non eſt, neque dormire, ita nec deſiderium
habere vitæ præſentis. Quodque majus eſt, & quorumdam modò novitiæ doctri-
næ peremptorium, in hoc ſuam ſententiam claudit, Quoniam hæc paſſionibus
Chriſti ſubtrahere, nihil eſt aliud, quàm ipſam corporis ſubſtantiam ejus denega- D
» re, cùm dicit, Chriſtus autem corpus mundum à peccatis habuit, non à carnali-
» bus neceſſitatibus expeditum: alioquin neque corpus fuit. Quid autem ego alia de
hac re, vel prædictorum, vel aliorum venerabilium patrum teſtimonia proferam,
cùm jam ſibi ſufficienter in eodem ſuo libro ipſi reſponderint, ſancti Athanaſii teſti-
» monium contra ſe, quemadmodum ſuprà meminimus, proferentes, in quo ait, Et
» enim perturbari carnis proprium eſt: poteſtatem autem habere ponendi & ſumendi,
» quando vult, animam, non eſt hoc proprium hominis, ſed verbi virtutis eſt. Quid
igitur ibi è contrario quaſi aliquid magnum dicunt, beatum Athanaſium, in eodem ter-
» tio adverſus Arrianos libro, de Chriſto dixiſſe, Quem Deus exiſtens formidaret,
» aut cur mortem pertimeſceret, dum eſſet ipſe vita, & alios ex morte liberans, aut
» quomodo dicens, Nolite timere occidentem corpus, ipſe formidaret? Intelligant
hoc eum ſecundum ejus divinitatem dixiſſe adverſus Arrianos, qui ea quæ humanitatis
fuerant, ad divinitatis ejus injuriam transferebant. Nam quomodo non ſolùm in eo- E
dem opere, ſed in eodem etiam libro, utrumque diceret? niſi fortè ſimilem iſtis
Athanaſium credimus, ut ipſe quoque dicatur ita ſibi fuiſſe contrarius. Hoc &
de aliorum teſtimoniis patrum dixerim, quæ ibi ſe congeſſiſſe contra Evangeli-
cam ſententiam gloriantur. Sunt & alia multa in ipſo eorum libro, quibus ſe-
metipſos impugnant, adverſa ſibi loquentes, quæ nunc perſequi longum eſt, &
melius vobis relinquimus arguenda, quoniam hoc facillimè fieri poteſt: & illud opus
à quolibet elaboratum magis ornari debet titulo nominis veſtri, per quod callide
excogitata in præjudicium magnæ ſynodi falſitas refellitur.

A

CAPUT IV.

Quod Theodorum immerito calumnientur, quaſi in expoſitione hiſtoriæ centurionis Chriſtum purum hominem eſſe docuerit.

NUnc aliud aperiamus, in quo iterum ſuo teſtimonio convincuntur, beati Cy-
rilli, quod ſecutos ſe jactant, impugnaſſe judicium, cùm ad præjudicium ma-
gnæ ſynodi ſimiliter eundem Theodorum criminantur interpretantem Evangelium
ſecundum Matthæum dixiſſe, quia Chriſtum, g non tanquam filium Dei, & ante «
omnem exiſtentem creaturam, & eorum quæ ſunt opificem, adiit centurio pro pue- «
ri ſui ſalute. In hoc autem capitulo etiam fraudulenta falſitas eorum ſatis apparet. «
Nam inde ab eis Theodorus accuſatur, unde magis debet ab eorum accuſatione de-
B fendi. Non enim, ſicut fingunt, exponens hunc locum Evangelii, quid ipſe de
Chriſto ſentiret oſtendit, ſed potius quid centurio de illo putaverit. Immò & quid
ipſe ſentiret oſtendit. Nam qui centurionem dixit, quòd ignorantia non ut Deum,
& ante omnem exiſtentem creaturam, & eorum quæ ſunt opificem, Chriſtum adie-
rit, proculdubio ipſe non hominem tantummodo, ſicut Neſtorius, ſed etiam Deum,
& ante omnem exiſtentem creaturam, & eorum quæ ſunt opificem, Chriſtum eſſe
cognovit. Quomodo autem ipſi conſuetè, prout voluerunt, corruptam Theodori
ſententiam in libro ſuo poſuerint, oſtendemus, ac deinde quomodo ſe habeant ejus
verba, ſecundum ſcriptorum monumenta docebimus: ut in hac una cognuſcere va-
leatis quanta, per alias ejus ſententias immiſerint importuna, quæ ille non dixit,
quanta ſubtraxerint opportuna, quæ dixit. Sic enim dixerunt. Sed & reſiduas «
Theodori blaſphemias ſimili convincamus modo. Dicit enim ipſe impius Theodo- «
rus, adverſus Chriſtum inſaniens, & neque ab eo facta mirabilia tanquam à Deo «
facta dans, centurionis vocem, quam ad Dominum dixit in pueri curatione, con- «
C trariè interpretans in Evangelio ſecundum Joannem dicit hæc. Bene adjecit illud, «
Nam & ego homo ſum: Quaſi nihil mirabile, ſi iſtud poſſe habes homo, cùm ſis ac- «
cipiens à Deo. quoniam ego cùm ſim homo, accipio obedientes, ſemel habens ju- «
bendi poteſtatem ut voluero, per dantis munificentiam. Propter quod nihil ab re «
eſt, te & hanc ſumente à Deo poteſtatem, verbo tantùm jubente expelli paſſiones. «
Neque enim tanquam Dei filium, & ante omnem creaturam ſubſiſtentem, & om- «
nium quæ ſunt opificem, adierat centurio. Hæc ex eorum libro in noſtrum tran- «
ſtulimus. Et licet in his etiam verbis, quæ pro ſuo libitu compoſuerunt, non peni-
tus obſcurari potuerit dicentis intentio: quoniam, ſicut dictum eſt, non ſuam fi-
dem, ſed exiſtimationem in eis ignorantis centurionis expreſſit: tamen ut hoc evi-
dentius appareat, integra ipſius Theodori verba ponamus. Supplicabat autem ei,
inquit, ut curaret puerum. Ad quem Dominus dicit, ego veniens curabo eum. «
D Propterea maximè ipſe promptius ire promiſit, ut virtus centurionis cùm re- «
fugit appareret. Etenim, non ſum dignus, dicit, ut intres ſub tectum meum. Igi- «
tur verbo tantùm dic, & hoc curare ſufficiet. Primùm igitur reverentiam multam, «
ſecundò autem maximam fidem oſtendit. Deinde & cum prudentia fidem pro- «
priam monſtrans, Nam & ego homo ſum ſub poteſtate, habens ſub me milites, & «
dico huic vade, & vadit: & alio veni, & venit: & ſervo meo, fac hoc, & facit. Pru- «
dentiæ enim erat, ſecundum rationem quæ ei videbatur, talia credere de Chriſto. «
Homo enim & ego. ſed tamen, quorum accepi poteſtatem, horum ſum dominus, «
& quæ mihi videntur ea fiunt à meis ſubjectis. Ergo nihil ab re eſt, & te hanc ſu- «
mente à Deo poteſtatem, verbo tantum jubente expelli paſſiones. Neque enim «
tanquam Dei filium, & ante omnem creaturam ſubſiſtentem, & omnium quæ ſunt «
opificem, adierat centurio. Hæc enim neque diſcipulorum erat tunc ſcire ante cru- «
cem, ſicut in reliquis oſtendemus Domino adjuvante ſubtiliùs. ſed tanquam homi- «
E nem per virtutem adeptum à Deo majorem quàm eſt hominis poteſtatem. Unde ei di- «
xit, Nam & ego homo ſum. Hoc modo ſe habent verba Theodori. Jam nunc con- «
fer utrumque ſicut te dignum eſt, imperator, & invenies quanta ab eis fuerint ſup-
poſita, & quanta ſubtracta, ne veritas appareret. Maximè autem, quis non videat,
quia non ob aliud ſubtraxerunt quod ibi dictum eſt, Prudentiæ enim erat, ſecun- «
dum rationem quæ ei videbatur, talia credere de Chriſto; niſi ut in illis verbis centu- «

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

g NON TANQVAM FILIVM DEI. Hic etiam locus inter cetera Theodori relectus eſt in Synodi 5. actione 4. num. 52. ſed alia eſt interpretatio, ſicut & in Vigilii Conſtituto cap. 53. his verbis: *Nec enim tanquam filio Dei, & ante univerſam creaturam exiſtenti, & creatori eorum quæ ſunt, acceſſit centurio.*

nionis ignorantis exiſtimationem, quàm ſuam fidem, videretur Theodorus magis ex- A
„ preſſiſſe? vel illud extremum quod pertingere noluerunt, ubi ait: Hæc enim neque
„ diſcipulorum erat tunc ſcire ante crucem, ſicut inferius oſtendemus, Domino ad-
„ juvante, ſubtiliùs. Collige itaque pariter cum his verbis finem ſententiæ, & inve-
nies Theodorum, qui Chriſtum, non tanquam hominem per virtutem adeptum à
Deo majorem, quàm eſt hominis, poteſtatem, ſed verum Dei filium credidit, &
ante omnem creaturam ſubſiſtentem, & omnium quæ ſunt opificem. Nam quomodo
„ diceret, Nec diſcipulorum erat tunc ſcire ante crucem, niſi hæc ipſe ſciret, &
„ diſcipulos quoque poſt crucem crederet cognoviſſe? Quis porro iſtorum tantas frau-
des mendaciaque non horreat? Si non conſideratur quod ſcriptum eſt: *perdes omnes*
Pſal. 5. 7. *qui loquuntur mendacium*, & timor Dei contemnitur; pro humano ſaltim pudore, qui
facilè deprehendi poterant, manifeſto mendacio debuerant abſtinere, & tamen de
„ ipſo Theodoro loquentes dicunt, Horremus etiam ſolam memoriam blaſphemiarum B
„ ejus, & Deo ſupplicamus, ut nobis fiat propitius, quod omnino in lingua talia ſuſti-
„ nemus. Quanta conſcientiæ ſanctitas, & quanta ſinceritas? Quomodo ſe probant
blaſphemiarum, quæ ab alio dictæ ſunt, horrere memoriam, qui tanta, quæ non
ſunt dicta, confingunt? aut quomodo eis non propitietur Deus, ita ſimpliciter ac ve-
raciter invocatus? Iſti ſunt, qui docent novam, & tam Leoni Romano, donec ad-
vixit, quàm toti hactenus Eccleſiæ incognitam veritatem. Abjiciantur obſecro ta-
les, & profugentur ab auribus veſtris, nec eis ultra ſit liberum titulo veſtri nominis
ſua mendacia prænotare. Nam ſi hanc manifeſtam Theodori de centurione ſenten-
tiam, per quam magis eum, quomodo promiſeramus, oſtendimus ab eorum accuſa-
tione defendi, ſic impudenter accuſaverunt; ſic aliis ſuppoſitis quidem, aliis verò
ſubtractis, obſcurare conati ſunt, ut ea in contrarium ſenſum ſæva interpretatione
converterent: quid illos in ceteris feciſſe credendum eſt, ubi prædictus Theodo-
rus Apolinariſtis contradicens, quædam certativè magis, quàm modeſtè cautéque C
locutus eſt? Ac ſi beati Cyrilli, quemadmodum jactant, eos teneret auctoritas, non
ſolùm Evangelica ſcripta malè fuiſſe à Theodoro interpretata non dicerent, in qui-
bus ille perhibet, ſicut affirmant, labores ejus nullum fuiſſe auſum increpare, ſed
dextro decreto honorare ſtudium rectorum dogmatum, quod in eis eſt: verùm
etiam quæcunque in aliis ejuſdem Theodori ſcriptis ſimilia non culparent, ſed po-
tius ſe crederent minus eorum rationem potuiſſe cognoſcere; ne talibus temerè im-
probatis, conſequenter & illa, quæ in laboribus ejus à beato Cyrillo approbata eſſe
non denegant, culpare pro ſimilitudine viderentur. Si autem quia Neſtorianus er-
ror Chriſtum, non tanquam Dei filium, & ante omnem creaturam exiſtentem, &
omnium quæ ſunt opificem credit; ideo Theodorum condemnaverunt, velut ſimilia
ſapientem: neceſſario ſequitur, ut quia probatus eſt idem Theodorus, Chriſtum Dei
filium, & ante omnem creaturam ſubſiſtentem, & omnium quæ ſunt opificem cre- D
didiſſe, iniquè fuerit condemnatus, quaſi Neſtorii doctor, cujus errori multum vi-
detur fuiſſe contrarius. Cernis itaque, pie princeps, quomodo ſi nobis alia defuiſ-
ſent, hoc uno ſatis idoneè doceremus, etiam epiſtolam venerabilis Ibæ, quam ſyno-
dus approbavit, indignè pro laude Theodori fuiſſe damnatam.

CAPUT V.

*Quod falſò Theodorum accuſent, quaſi perſonarum Trinitatem cum Sabellio negarit, unam-
que Patris & Filii & Spiritus ſancti perſonam eſſe docuerit.*

QUID etiam, quòd æque ad exaggerandam invidiam ſanctæ ſynodo injuriam, in
qua dum recitarentur laudes ipſius Theodori, anathematizatus non eſt, dicunt
eum Trinitatē quoque negaſſe, & juxta Sabellium unam patris & filii & ſpiritus ſancti
credidiſſe perſonam? Numquid & hoc contra beati Cyrilli ſententiam dicunt, ſi ipſe in E
illo opere quædam ſcripta ſancti Diodori, & diſcipuli ejus Theodori, culpat? Nam qui-
cumque ſit, teſtificatur interea, quoniam Theodorus adverſus Arianorum & Eunomia-
norum hæreſes viginti & amplius libros irreprehenſibilter ſcripſit: quod non aliter
poſſet, niſi confitens Trinitatem, quoniam & evangelica, atque apoſtolica ſcripta
rectè interpretatus eſt: in quibus & Matthæus præcepiſſe dominum refert: *Euntes*
Matt. 28. *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filii & ſpiritus ſancti.* Et Paulus
2. Cor. 13. 13. Corinthiis dixit: *Gratia domini noſtri Jeſu Chriſti, & caritas Dei, & communicatio ſancti
ſpiritus, cum omnibus vobis* & ſimilia, per quæ nobis in Evangelicis atque Apoſtolicis
ſcriptis inſinuata eſt Trinitas. Cum igitur hæc, ut dicunt, beatus Cyrillus Theo-
dorum irreprehenſibiliter expoſuiſſe perhibeat, quomodo non contra ejus teſtimo-
nium affirmatur, quòd idem Theodorus negaverit Trinitatem, & unam trium do-
„ cuerit eſſe perſonam? Dixerunt enim, Verumtamen ut omnes Chriſtiani Theodo-

A ri inſaniam cognoſcentes non circumferantur impiis illius doctrinis, parva ex ejus
blaſphemiis conſcriptis, in confictо ab eo ſymbolo, præſenti noſtro indidimus li-
bro, quæ conſtant in ipſis ſermonibus: *h* Confitemur patrem perfectum perſona,
& filium ſimiliter, & ſpiritum ſanctum ibidem. Et hæc quidem Theodorus impius.
Oportet autem auditorem inſpicere, quia in ſancta Trinitatis perſona dicens ſimili-
ter & ibidem, unam perſonam oſtenditur dicere trium nominum ſanctæ Trinitatis,
ſecundum Sabellii inſaniam. Quoniam ergo dixerunt, Oportet autem auditorem
inſpicere, non mihi contemnendi videntur, ſed ut monuerunt inſpicienda nobis at-
que aperienda ſunt & illa verba, quæ dicunt eſſe Theodori, & ipſorum, quibus
ea refellere voluerunt: ut dinoſci facillimè queat, qui magis videantur loqui ſecun-
dum Sabellium. utrum ille, quiſquis eſt, qui dixit, Confitemur patrem perfectum
perſona, & filium ſimiliter, & ſpiritum ſanctum ibidem: an iſti, qui dicunt: Opor-
B tet autem auditorem inſpicere, quia in ſanctæ Trinitatis perſona dicens ſimiliter
& ibidem. Hi enim magis videntur juxta Sabellii errorem, quem quaſi redar-
guunt, loqui, qui dicunt in ſancta Trinitatis perſona, & non ſicut veritas habet,
in ſanctæ Trinitatis perſonis. Hæc autem priùs inconſideratè loquentes, poſtea
laborant oſtendere, & nobis tanquam hinc dubitemus probare conantur, quod tres
perſonæ ſint, pater & filius & ſpiritus ſanctus. Quibus hoc ego compendioſè reſ-
pondeo, quod iſtud ſymbolum, in quo negatam perhibent Trinitatem, priorum
teſtimonio affirmetur non eſſe Theodori. quia Trinitatem negare non poſſet, quem
beatus Cyrillus, ut ferunt, adverſus Arianorum & Eunomianorum hæreſes, viginti
fortè, & adhuc amplius libros, & alia præter hæc Evangelica & Apoſtolica ſcripta
interpretatum eſſe indicat: & hos quidem labores ejus nullum fuiſſe auſum increpa-
re, ſed dextro decreto honorare ſtudium rectorum dogmatum, quod in eis eſt. De-
nique idem Theodorus in epiſtola ad Artemium Alexandrinum presbyterum ſecun-
da, ſic dicit. Quos oportuit ſcire, quia patrem & filium & ſpiritum ſanctum ado-
C ramus, in iſtis divinam & æternam & increatam compleri dicentes Trinitatem. Quo-
niam ejuſdem eſſentiæ eſt unumquodque horum, hoc eſt æternæ omnium factorum
cauſæ, & revera divinæ. Et pater non propter aliud, ſed propter propriam eſſen-
tiam adorandus eſt. Ita etiam & filius, non pro alio hoc accipiens, ſed quia illius & ta-
lis eſſentiæ eſt, circa quam congruebat hæc impleri. Similiter etiam & ſpiritum
ſanctum ejuſdem eſſentiæ cognoſcentes, propter propriam eſſentiam adoramus. Sic
& tres perſonas dicimus, unamquamque perfectam, & ejuſdem eſſentiæ, æternæ ac
divinæ, & eorum quæ facta ſunt, cauſam arbitrantes eſſe, & tres adoramus perſo-
nas, unius eas eſſentiæ credentes revera divinæ. Quomodo itaque poſſibile eſt quar-
tam perſonam ſuper has addere illam quæ aſſumpta eſt ſervi formam? quam neque
ejuſdem ſubſtantiæ arbitramur eſſe, cui neque propter ſe cultus debetur, neque
propter propriam eſſentiam debere ſuſcipere adorationem agnoſcimus, neque ip-
D ſam ſolam apud ſe diviſè in propria perſona adoramus, ſicuti dividi eam putant.
Numquidnam poſt horum commemorationem jactare debent, à Theodoro ſymbo-
lum eſſe confictum, in quo negatam aſſerunt Trinitatem? Aut vel nos dubitare de-
bemus ſanctis patribus credere, quod alienus fuerit à ſenſu Neſtorii? Nam in hoc
teſtimoniu non ſolùm tres perſonas & Trinitatem confitetur, patrem & filium &
ſpiritum ſanctum, ſed etiam negat eſſe poſſibile, velut quartam perſonam ſuper has
addere illam quæ aſſumpta eſt ſervi formam. quam ſic contra Apolinarem & Euty-
chem aſſeruerat alterius eſſe ſubſtantiæ, & non ejuſdem cujus eſt deitas: ut tamen
eam ſolam contra Neſtorium neget, velut in propria perſona, eſſe diviſam; tan-
quam ſciens ad unam ex Trinitate ſubſiſtentiam pertinere. Quòd ſi & hæc nobis
ex his quæ ſcripſit teſtimonia defuiſſent, & alia multa quæ poſtea proferemus, pu-
dere debuit ejus accuſatores, tam abſurda ſibique contraria de quocumque confin-
gere. Nam cùm ipſi dicant quod Trinitatem negaverit, tanquam Deus ſolitarius,
E nec filium habeat, nec ſpiritum ſanctum: contra iterum ipſi dicunt, quòd duos præ-
dicaverit filios. Sed quomodo & unum negaſſe, & duos prædicaſſe dicatur, ignoro.
Ridiculum, pie Imperator, ridiculum, ſed dolendum. Ecce quales nugæ ſunt, qui-
bus ſubſcribere coguntur Epiſcopi, & niſi fecerint, digni exilio judicantur. Ec-
ce ad quod confirmandum adducitur etiam Romanus Epiſcopus, ne quid inauſum
videretur ambitioſa hæreticorum ſubreptio reliquiſſe.

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

h CONFITEMUR PATREM] In Synodo Epheſina, ubi extare diximus hoc ſymbolum, ὁμολογοῦμεν δὲ πατέρα τέλειον προσώπῳ, καὶ υἱὸν ὁμοίως, καὶ πνεῦμα δὲ ἅγιον ὡσαύτως. Pro *ibidem*, quod eſt apud Facundum, ſuſpicari liceat ſcriptum fuiſſe *itidem*, quod eſt *ὡσαύτως*. Synodi quintæ interpres, *eodem modo*.

CAPUT VI. A

Quod Theodorus prophetias de Chriſto non evacuarit, etſi aliquas interdum etiam moraliter exponat. & quod conſtanter a Cyrillo laudatus ſit.

VERUM etiam & aliud accipe, in quo ſimiliter ut ampliùs notabilem facerent magnam ſynudum, tanquam noo unius tantum hæreſis, aut duarum, criminibus involutum Theodorum laudari pertulerit, & ſibi, & judicio beati Cyrilli, ſuo teſtimonio convincuntur eſſe contrarii, dicentes eundem Theodorum *i* amputare quoque omnes in Chriſto factas prophetias. Quem cum indigne, velut pro Judaica impietate, damnaverint, dicentes *K* quòd non Deum crediderit Chriſtum; rurſus ex adverſu etiam Manichæorum ei crimen impingunt, quos novimus vetus non accipere teſtamentum. Nam Judæi quoque Chriſtum per Prophetas annuntiatum eſ- B
ſe non denegant: ſed adhuc eum venturum expectant, quem veniſſe oos credimus. Cui verò ſit vel parum intelligenti credibile, ut dicatur Epiſcopus io Eccleſia catholica crediſiſſe, ac docuiſſe, quòd nihil pronnntiaverint de Chriſto prophetæ, & in ejus communione manſiſſe? Neque enim, ſicut multurum hæteticorum, occultus hic error eſt, aut aliqua veriſimilitudine coloratus, ut non primo religioſas aures offendat auditu, cum dicitur, nihil de Chriſto prophetaſſe prophetas. Hoc quippe eſt evacuare omnes in Chriſto factas prophetias, quod jactatur feciſſe Theodorus. Quamvis itaque ſua ſponte, quod hîc de illo confictum eſt incredibile videatur: tamen & hoc ſecundum ipſos contra beati Cyrilli ſententiam dicitur. Nam ſi omnes in Chriſtum factas prophetias Theodorus amputavit, non recte Evangelica ſcripta
Luc. 24. 44. interpretatus eſt, in quibus Lucas dominum dixiſſe commemorat: *Hæc ſunt verba quæ locutus ſum ad vos, cùm adhuc eſſem vobiſcum: quoniam neceſſe eſt impleri omnia quæ ſcripta* C
ſunt in libro Moyſi, & prophetis, & pſalmis de me. Sed neque Apoſtolum rectè expoſuit,
Rom. 1. 1. qui in epiſtolarum ſuarum principio dicit: *Paulus ſervus Chriſti Ieſu, vocatus apoſtolus, ſegregatus in Evangelium Dei, quod antè promiſerat per prophetas ſuos, in ſcripturis ſanctis de filio ſuo, qui factus eſt ei ex ſemine David ſecundùm carnem.* & alia ſexcenta hujuſmodi, quibus plena ſunt Evangelica & Apoſtolica ſcripta. Quid autem idem Theodorus in commento epiſtolæ ad Romanos prædictum capitulum exponens dixerit, attendamus:
» Et quoniam novum quodammodo eſſe videbatur, quod ab eis de Chriſto dicebatur,
» adjungit, quod antè promiſerat per prophetas ſuos, ex prophetia volens doctrinæ an-
» tiquitatem oſtendere. Unde & magnificans prophetiam, bene adjunxit, in ſcripturis
» ſanctis. Neque enim literam, vel characterem ſanctum volebat dicere; ſed prophetiam
» ipſam, quæ erat ſpiritu ſancto revelationem eis donante. Ipſam ergo prophetiam re-
2. Tim. 3. 16. » ctè ſic appellavit. Sic & alibi dixit: *Omnis ſcriptura divinitus inſpirata utilis eſt.* Quid ita-
» que iſtæ dicunt? de filio ejus. Et quoniam commune eſt filii nomen, & cum de divi- D
» nitate dicitur, etiam de humanitate accipitnr: manifeſtiùs aperire volens, unde ei nunc
» dicere propoſitum ſit, vel cujus rei gratia prophetarum teſtimonium adjunxit, Qui fa-
» ctus eſt ei ex ſemine David ſecundum carnem, apertè quidem oſtendens, quooiam de
» aſſumpto homine ſermonem inducit. tamen nec divinitatis indicium noo ſignificatum
» reliquit. In eo enim quod addidit, ſecundum carnem, ſufficienter oſtendit, quia & ali-
» ter filii ſignificationem novit accipere. Siquidem ſecundum hoc ſcit eum ex ſemine
» David factum, tanquam ſecundum aliud non ita eum cognoſcens. Duæ enim natu-
» ræ. unum autem quiddam connexione intelligunt. Altera quidem eſt aſſumpti homi-
» nis, altera verò Dei verbi. Concurrunt autem in unum ambæ propter aſſumptio-
» nem, & propter adunationem, quæ ex aſſumptione facta eſt, quam ad Deum habet
» ſervi forma. Ecce Theodorus, & prophetas de domino Chriſto locutos, & ipſum dominum Chriſtum hominem confitetur, & Deum: qui ſic Apoſtolum dicit doctrinæ ſuæ antiquitatem per prophetiam in Chriſto factam oſtendere, ut etiam dicat, quòd filii E
nomen, cùm de divinitate dicitur, de humanitate quoque accipiatur: & quia cùm de aſſumpto homine ſermonem inducit, nec divinitatis indicium non ſignificatum reliquit, quodque eſt evidentius, & quod nulla poſſet in devium ſenſum maligna interpretatione converti, dicit, quòd Apoſtolus filium Dei ſecundum carnem quidem, ſciat eum ex ſemine David factum, tanquam ſecundum aliud non ita eum cognoſcens, id eſt ſecundum Deitatem. Quamvis itaque ſecundum aliud & aliud, cum tamen in utroque Theodorus, & oon alterum, eſſe docet filium Dei. Non igitur alterum eſſe per-

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

i AMPUTARE PROPHETIAS. Ad hoc caput pertinent, quæ in eadem actione Synodi habentur num. xx. & ſequentibus.

K QUOD NON DEUM CRED. CHRISTUM. In edicto Juſtiniani num. xi. [illegible]. *Nec enim dicit Theodorus Deum eſſe Chriſtum.*

A ſonâ vel ſubſiſtentiâ, ſicut Neſtorius, credidit ſecundum carnem ex ſemine David factum, & alterum ſecundum deitatem filium Dei, qui & ſecundum carnem, & ſecundum deitatem, eumdem filium dicit Apoſtolum cognoviſſe. Unde ſecutus adjecit, Duæ enim naturæ, unum autem quiddam connexione intelliguntur. Et quamvis altera ſit hominis, altera verò Dei verbi natura: concurrunt tamen in unum ambæ, propter aſſumptionem & propter adunationem, quæ ex aſſumptione facta eſt. Fatetur autem ſecundum Apoſtolum, quòd antè Deus per prophetas promiſerit Chriſtum, & quia de filio ejus prophetæ locuti ſunt. Non ergo evacuat iſte omnes factas in Chriſto prophetias. Sanè quia verum eſt, impugnatores ſanctæ ſynodi ob hoc de illo iſta jactare, quod in interpretatione pſalmorum quædam moraliter expoſuiſſe dicatur, quæ in Chriſtum magis dicta debent intelligi: ut non diſcutiamus, quomodo ipſi ea poſuerint, & quomodo ab illo ſunt poſita, neque jam probemus, quòd iſta res hæreticum non faciat, cùm ſæpe laudabile judicetur, ſi etiam moraliter exponantur, quæ prophe-
B ticè dicta ſunt: his terminum contentionibus dant, quæ idem Theodorus in libro de allegoria & hiſtoria, quem contra Origenem ſcripſit, (unde & odium Origenianorum incurrit) dicit ad Cerdonem. Ego quidem, quòd noſtra ſic laudes, non alii cuipiam imputo, quàm amicitiæ quam circa nos habes, quam etiam in multis & magnis rebus ſemper oſtendiſti: & maximè quoniam ea quæ ſcripta ſunt in pſalmos miraris, quæ etiam prima ceterorum omnium ſcripſimus. Non autem quantam oportuerat habuimus circa iſtam rem diligentiam, paſſi enim ſumus quæcumque incipientes, ut evenit, in imperitia ſcribendi conſtituti. Siquidem & multas immutationes illo tempore quæ noſtra ſunt ſuſceperunt, quas non eſt præſentis temporis enarrare: ex qua cauſa magis negligenter à nobis compoſita ſunt plurima, & maximè illa quæ prima ſunt. Ecce vel ſi hæreticum facerent ea quæ in illo reprehenderunt, interpretante pſalterium, ipſe ſemet retractans eandem interpretationem ſuam diſplicere ſibi fatetur, & levia confidentis adoleſcentiæ dicta, maturioris ætatis gravitate caſtigat. Magis igitur
C etiam in hoc ipſo probandus, nec tantùm vituperari pro errore, quantum debet pro correctione laudari, divina ſcriptura dicente: *Qui labitur, ſed non ex animo: & quis eſt qui non peccavit in lingua ſua?* Et hic itaque non ex animo ſe lapſum ſpontanea ſui reprehenſione monſtravit, & quod eſt ampliùs, in opere in quo ab amico laudatus eſt. Utinam hunc imitari vel ab aliis reprehenſi dignentur, qui ſcientes ac volentes Eccleſiam prodiderunt! Et hæc quidem Theodori purgationi ſufficiunt. Sedisti, qui hæreſi deputant, ſi quædam propheticè in Chriſtum dicta etiam moraliter exponantur, cogitare debent quomodo beatum Cyrillum poſſint defendere. In illo enim opere, quod eum ſcripſiſſe dicunt in reprehenſionem quorundam dictorum Diodori atque Theodori, tale aliquid invenitur: ut ſi adhuc ab ipſo compoſitum dicant, hæreticum eum fuiſſe confirment. Namque auctor ejuſdem operis tractat ibi capitulum, in quo ad Hebræos dicit Apoſtolus: *Non enim Angelis ſubjecit orbem terræ futurum, de quo loqui-* Eccli. 16. 17.
D *mur. Teſtatus eſt autem in quodam loco quis dicens: quid eſt homo, quod memor es ejus, aut filius hominis, quoniam viſitas eum? Minuiſti eum paulominùs ab angelis, gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum: omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus. In eo enim quòd omnia ſubjecit, nihil dimiſit non ſubjectum ei. Nunc autem necdum videmus omnia ſubjecta ei. Eum qui modico quàm Angeli minoratus eſt, videmus Ieſum propter paſſionem mortis gloria & honore coronatum: ut gratia Dei pro omnibus guſtaret mortem.* Tractans ergo memorati operis auctor hoc teſtimonium, ea quæ Apoſtolus prophetam de Chriſto prædixiſſe teſtatur, de aliis affirmavit ſcripta eſſe perſonis: ſed ab eodem Apoſtolo artificiosè ad manifeſtandum Chriſti myſterium eſſe tranſlata. Ait enim: Paulus autem valde ſapiens artifex, ad introducendum divina myſteria, etiam illa quæ de aliquibus aliis dicta ſunt in ſcriptura divina, aliquotiens ad manifeſtandum Chriſti ſacramentum inducit. Verumtamen non ea ſeparat ab illis perſonis, in quas dicta eſſe cognoſcimus, ſed neque omnia illorum ad Chriſtum redigit: verum aliquam partem Hebr. 2. Pſal. 8. 5.
E minimam aliquotiens ſuſcipit, quam ipſe poſſit ſine ullo periculo artificiosè ad ſuum referre propoſitum. Hæc utrum B. Cyrilli an alterius eſſe velint, ipſorum arbitrio permittimus eligendum. Nam ſi B. Cyrilli ſunt, & ſi qui propheticè dicta moraliter quoque tractaverit, hæreticus eſt dicendus, multo magis ipſum hæreticum fuiſſe aſſeverant, qui ſuperiùs memorata contra teſtimonium Apoſtoli non prophetice de Chriſti ſacramento, ſed de aliquibus aliis perſonis, dicta eſſe confirmat. Si verò magis hoc eligerent dicere, quòd illud opus non B. Cyrilli ſit, præſumptionem ſuam, qua Theodorum cum ſuis dogmatibus damnaverunt, ejus exemplo excuſare non poſſunt. Licet quicunque auctor illius operis eſſe dicatur, nihil huic poterit eorum defenſioni proficere: quia nec Theodoro anathema dixiſſe, nec ejus dogmatibus invenitur. Conſiderare igitur debent, utrum affirmantes illud opus à B. Cyrillo ſcriptum, habeant quod pro illo reſpondeant, ſi eis dicatur, Quoniam mortuorum judices eſſe, & in Ec-

cleſiæ pace atque honore defunctos, velut hæreticos, damnarè præſumitis, quid dè A
Cyrillo Epiſcupo judicatis, qui deducet quod Paulns Apoſtolus docet & aſſerit, ea
quæ prophetice in Chriſtum ſcripta ſunt, de quibuſdam alnis dicta eſſe perſonis; ah
Apoſtolo autem, artificiosè magis quàm veraciter, aliquotiens ad manifeſtandum ſa-
cramentum ejus induci? Quaſi tanta ſit ſcripturæ divinæ penuria, vel tanta fuerit igna-
via ipſius Pauli Apoſtoli ad manifeſtandum ſacramentum Chriſti, ut tale teſtimo-
nium inveniſſe non poſſet, quod de ipſo vere ſit ſcriptum, & cujus non aliquam par-
tem minimam, aliquotiens artificiosè, ſine periculo quemadmodum dicit, ſed inte-
grum, atque ſincerum, ſicut habetur, ſimplieiter ac ſecurè ad ſuum refette propoſitum
2. Cor. 13. 5. poſſet. Gum verò dicat idem Apoſtolus: *An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur
Chriſtus?* ſi non artificiosè potiùs, quàm vetaciter dixit, omnipotens Chriſtus, qui
etiam noſtra eſt veritas, affirmatur quòd ut ſacramentum ſuum manifeſtaret, in ſua
ſcriptura verum teſtimonium invenire non potuit. Videant igitur quid adverſus iſta
reſpondeant, qui Theodorum in Calchedonenſis concilii præjndicium condemnan- B
tes, nt ſemet excuſent, objiciunt hoc ideo ſe feciſſe, qnoniam in illo opere beatus Cy-
rillus ejus dicta culpavit. Nam nec Judæis quomodo perſnadeant habent, ſi dicatur
ille vir, in quo Chriſtus loquebatnr, falſum & de aliis perſonis dictum teſtimonium,
ad manifeſtandum ſacramentum artificialiter induxiſſe. Poſtremo nec ipſis catholicis
ſcire quætentibus, cur Apoſtolus quæ de aliis dicta ſunt ad manifeſtandum Chriſti
ſacramentum induxerit, ſatisfacere poſſnnt, & dicere quòd aliqua ſaltim hoc fieri
utilitas invitavit: quia ſuper quod à noſtræ fidei veritate longe eſt, ſi Chriſtiana utili-
tas verax non eſſe dicatur, etiam ſine adjudicatione B. Cyrilli non dicitur. Nam ſi
utiliter illud propheticum de Chriſto fuiſſe ſcriptum Apoſtolus dixit, noxie contra di-
ctum eſt à B. Cyrillo, quòd de Chriſto ſcriptum non fuerit: nec prodere debuit, quod
Paulus voluit eſſe celatum. Præſertim quia inaniter hoc ſuadere quærebat, qui do-
cens ne fides haberetur Apoſtolo, multo magis docebat ſibi non eſſe credendum.
Noverint autem iſti, quod conſequens non ſit, ut evacuet omnes factas in Chriſtum C
prophetias, qui aliqua myſticè in eum dicta moraliter quoque recte tractaverit. Nam
Eph. 5. 31. audiant Apoſtolum ſcribentem Ephesiis, atque dicentem: *Propter hoc relinquet homo
patrem & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una. Myſterium hoc ma-
gnum eſt. ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia.* Hoc autem quod ait magnum eſſe my-
1. Cor. 6. 15. ſterium, erunt duo in carne una, ſcribens Corinthiis alitet interpretatur, ac dicit: *Neſ-
citis quoniam corpora veſtra membra Chriſti ſunt. Tollens ergo membra Chriſti faciam membra
meretricis? abſit. An neſcitis, quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur? Erunt
enim,* inquit, *duo in carne una.* Ecce magnum illnd commendatumqne myſterium,
quod in Chriſto & in Eccleſia eſſe inſinuat, etiam fornicatori ac meretrici Paulus Apo-
ſtolus ſine blaſphemia coaptat. Nec alicubi mentitur, aut fallitur, vel talia ſcribendo
factas in Chriſtum prophetias evacuat, cum plerumque ſermo divinus erit ſimilis mar-
garitæ undique penetrabilis, rectiſſimo tantum & liberato ac medio aperiri debeat
intellectu. Audiant & ipſum Chriſtum in Evangelio factas in ſe prophetias non eva- D
Matth. 19. 3. cuantem, Phariſæis tentantibus, atque dicentibus, *Licet homini dimittere uxorem ſuam
quacunque ex cauſa?* talitet reſpondiſſe: *Non legiſtis, quia qui fecit ab initio, maſculum &
feminam fecit eos, & dixit, propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori
ſuæ, & erunt duo in carne una? Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro. Quod ergo Deus con-
junxit, homo non ſeparet.* Atque illud magnum & ſingulare myſterium, quod in ipſo &
in Eccleſia ver:x ejus dixit Apoſtolus, ipſe, qui noſtra eſt veritas, etiam pro reſervando
generaliter fœdere conjugali ſcriptum fuiſſe pronunciat. Et his quidem ſufficiat pro-
baſſe, quod ſæpe laudabile judicatur, ſi etiam moraliter exponantur, quæ propheticè
dicta ſunt. Interea verò perſpicis, Imperator, & ipſa multiplicium documento-
rum evidentia magis ac magis cognoſcis, quòd epiſtola Ibæ Neſtoriana convinci ne-
queat ex laude Theodori. Idcirco autem, ſicut jam diximus, quæſierunt hæretici, ut
negaretur à ſynodo fuiſſe ſuſcepta, quod palam falſum eſt, ut primùm nobis nihil re-
ſiſtentibus, immo affirmantibus, quæcumque crimina vellent, in eam congererent: E
deinde ut ipſa noſtra negatione ſuſcipiendam non fuiſſe monſtrarent. Verùm accipe
jam, quomodo non ſolum in his quæ memoravimus, ſed in omnibus omnino, pro qui-
bus Mopſveſtenum damnaverunt, judicium beati Cyrilli calcaverint, qui reſiſtens hæ-
reticis accnſantibus dicta memorati Theodori, ſic beato Jnanni Antiocheno & univer-
„ ſæ Orientali ſynodo ſcribit. Audacia verò & certamen, quod omnes pariter ſuſce-
„ piſtis pro viro admirabili, & maximam gloriam merente apud vos, Theodoto dico,
„ reclamantes adverſus aliquos, qni ſe, ut apparet, circa illum infensè habent, & occa-
„ ſinne n facientes contrario dogmate, quo tenentur, ut capitula quædam non ex me-
„ lioribus intellecta, ſicut quidam dixetunt, de quibus & veſtram ſanctitatem pertur-
„ baverunt, exigerent condemnari. Hoc autem & nunc, ſicuti veſtræ literæ monſtrant,

ad

A ad regiam urbem pergentes movent, ſi quomodo prævaleant perſuadere concurſu «
aliquorum, ut per imperatoriam formam anathemati ſubdantur illa quæ ab eis «
proferuntur, cum accuſatione volentium ea defendere. Ad hoc autem dico, «
ſicut mihi videtur, & omni mentem habenti, quoniam nefas eſt reputare vel «
graviter ferre eos, qui rectè ambulare neſciunt, ſed etiam quantum poteſt lon- «
giſſimè derelinquere qui ita ſentiunt. Niſi fortè in mentem adſumendum eſt, «
quod concinnare volunt; cùm maximè neque in promptu eſt perſona quam «
culpæ ſupponunt, & capitulorum redargutio incerta, & qui hæc agunt in in- «
certum currentes, & aërem verberantes inveniuntur. Ecce probavimus non «
quædam, ſed omnia quæ accuſant in dictis Mopſveſteni Theodori, contra bea-
ta Cyrilli ſententiam fuiſſe damnata: quia cùm non eſt in promptu perſona,
quæ culpæ ſupponatur, capitulorum redargutio invenitur incerta. Verùm & hoc
attendere pietas veſtra dignetur, quia non illos dicit obſeſſos morbo Neſto-
B rii, qui certabant, ne viri admirabilis, & maximam gloriam merentis, Theo-
dori quædam capitula damnarentur; ſed ipſos potius dicit quòd occaſionem
facerent contrario dogmate quo tenebantur, qui ſe circa Theodorum infensè
habebant. Quos etiam objurgans quòd rectè ambulare neſcirent, admonet,
ut eos qui ita ſentiunt, quantum poſſumus, longiſſimè relinquamus, nec aſſu-
mamus in noſtram mentem quod concinnare quærebant, ut cùm non exiſte-
ret certa perſona, quæ aut bene interpretaretur ea quæ dixerat, ſicut ipſe bea-
tus Cyrillus de ſuis capitulis fecit, aut ſi non faceret culpæ ſupponeretur, va-
na capitulorum redargutio fieret. Humanitus itaque ſuo admonebat exemplo,
quòd multa recto propoſito dicerentur, quæ aliter poſſint intelligi. Sciamus
ergo, clementiſſime Imperator, juxta Cyrilli ſententiam, quòd qui hæc agunt,
in incertum currentes, & aërem verberantes inveniantur. Ideoque rurſus in fi-
ne ipſius epiſtolæ de talibus dicit. Sed juſtè audient tametſi nolint, qui hu- «
C juſmodi cauſas præbent, obliviſcimini vos ipſos, quando adverſus pulveres ar- «
cus extenditis. Non enim ſupereſt, qui apud vos inſcriptus eſt. & me nul- «
lus culpet in hæc verba progreſſum, ſed cedat famoſo nimium prædeceſſori. Gra- «
ve enim eſt inſultare defunctis, vel ſi laici fuerint, ne dum illis, qui in Epiſco- «
patu hanc vitam depoſuerunt. Juſtiſſimum enim apparet prudentibus viris, ce- «
dere præſcienti uniuſcujuſque voluntatem, & cognoſcenti qualis unuſquiſque no- «
ſtrûm futurus ſit. Apparuit ex his quæ memorata ſunt, clementiſſime Impera- «
tor, quòd Cyrillus Epiſcopus grave judicet inſultare defunctis, etiam laicis,
quanto magis in Epiſcopatu vitam finientibus anathema dicere, & eorum cau-
ſæ judicium Deo præripere, præſcienti uniuſcujuſque voluntatem, qua inten-
tione quid dicat? qui etiam novit qualis unuſquiſque noſtrûm futurus ſit, &
quales inveniuntur in illo judicio, ubi omnes adſtabimus ante tribunal Chriſti,
ut referat unuſquiſque propria corporis prout geſſit, ſive malum, ſive bonum.
D Cujus verò catholici animum non offendat, quod iſti judices mortuorum di-
cunt, eundem beatum Cyrillum ſibi extitiſſe contrarium, & aliter poſtea de
quibuſdam ſcriptis memorati Theodori judicaſſe, atque in hoc incidiſſe, quod
in aliorum inquieta præſumptione culpavit? cùm dicat Apoſtolus, *Si enim quæ* Gal. 2. 18.
deſtruxi, hæc iterum ædifico, prævaricatorem me conſtituo. Namque cùm ipſe docue-
rit, quod illi, qui ſe infensè haberent circa virum admirabilem, & maximam glo-
riam merentem Theodorum, quærentes quædam ejus capitula, non ex meliori-
bus intellecta damnari, occaſionem potius facerent contrario dogmate, quo te-
nebantur, eoſque non rectè ambulare pronuntiet; quomodo ſe prævaricatorem
non conſtitueret, & in ſe converteret omnia, quæ invectus in alios dixit, ſi ip-
ſe quoque poſtea vellet aliqua Theodori capitula condemnari? Aut quomodo
non deprehenderetur ſibi eſſe contrarius, qui cùm nos monuerit, ut alia quæ-
rentes, quantum fieri poteſt, longiſſimè relinquamus, poſtmodum in mentem
E aſſumeret, quod concinnare illi volebant, ut cùm perſona in promptu non eſſet,
quam culpæ ſupponerent, incertam, ſicut ipſe definivit, capitulorum Theodori
faceret redargutionem, in incertum juxta ſuam ſententiam currens, & aërem
verberans? Durum nimis eſt, ut hoc temerè de Cyrillo putetur, quòd oblivi-
ſcens ſemetipſum, & non ſe cogitans eſſe mortalem, adverſus pulveres, id eſt ad-
verſus mortuum, & in pulveres redactum, arcum extenderet: cùm impoſſibile
non eſſet, ut hoc pateretur & ipſe poſt mortem, quando jam defendere, vel me-
lius interpretari ſua dicta non poſſet. Ipſe Theodori æmulos arguens dixit, Gra- «
ve eſt enim inſultare defunctis, vel ſi laici fuerint, ne dum illis qui in Epiſcopa- «
tu hanc vitam depoſuerunt: & ipſe temere credendus eſt, quod poſtea Theo- «

FACVNDI EPISCOPI HERMIANENSIS,

PRO DEFENSIONE TRIVM CAPITVLORVM,

LIBER IV.

CAPUT PRIMUM.

A *Quod Cyrillum ſequi non debeant, ſi Theodorum aliquando culpaſſe concedatur, cùm in iis non ſequantur, quæ contra Chryſoſtomum ſcripſit.*

VT NOVERINT adverſarii, quanta ſit efficacia veritatis,
quam ſequi nemo nolens potuit effugere perſequentem, con-
cedamus eis Theodorum, Mopſveſtenum Epiſcopum, in qui-
buſdam ſcriptorum ſuorum capitulis à beato Cyrillo eſſe cul-
patum. nunquid, ſi etiam ab ipſis culpatus eſſet tantummo-
do, & noo ſub anathemate coodemoatus, poſſent exemplo Cy-
rilli convictionem veritatis eludere? Nam cum ipſe definiret,
quia cum non ſit in promptu perſona, quæ culpæ ſuppooa-
B tur, capitulorum redargutio ſit iocerta, & quòd grave ſit in-
ſultare defunctis, vel ſi laici fuerint, nedum illis qui in Epiſcopatu hanc vitam de-
poſuerunt, eo quòd juſtiſſimum appareat prudentibus viris, cedere præſcieoti uniuſ-
cujuſque voluntatem, & cognoſcenti qualis unuſquiſque noſtrûm futurus ſit: quomo-
do, ſi aliquid poſtea contrarium diceret, ejus ipſi putarentur ſecuti ſententiam,
quando in contrarium currentia ſequi poſſibile nulli ſit, & fruſtra ſe quiſque con-
fidat illo judice vel teſte purgari, à quo in uno eodemque facto, noo ob aliud at-
que aliud, ſed ob hoc ipſum, & defenditur & culpatur? Non igitur, etiam ſi beatus
Cyrillus aliud poſtea contra Theodorum ſcripſiſſet, iſti rectè crederentur ejus ſecu-
ti judicium, ſed potius Calchedonenſis Concilii quæſiſſe prejudicium viderentur.
Niſi fortè ſine ulla humaoitatis conſideratione reſpondeant, quod averſandus ſit
Cyrillus, cum inſultare prohibet, oon dicam admirabilibus viris, & maximam glo-
C riam merentibus, quod ipſe dixit, ſed quod ſolum ſufficit, io Eccleſiæ pace defuo-
ctis: ſequendus autem, cum eos criminandos exiſtimat. Quod ſi & hoc impu-
denti obſtinatione dicant, quid dicturi ſunt quod eum non ſequuntur io con-
demnatione ſancti Joanois Conſtantinopolitani, ejuſdem Theodori condiſcipuli,
de quo tanta & talia locutus eſt, ut quod commemoramus ſola nos excuſare cau-
ſæ neceſſitas poſſit? Reſcribens quippe beato Attico, hujus regiæ civitatis Epiſ-
copo, dicit: Legens literas à veſtra reverentia miſſas, cognovi *a* nomen Joan-

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

a NOMEN JOANNIS IN DIPTYCHIS. Joannis Chryſoſtomi nomen primus omnium in ſacras tabulas retulit Alexander Antiochenus, atque ut idem alii facerent, ad Imperatorem, omneſque Eccleſiarum Epiſcopos ſcripſit. Atticus Conſtantinopoli & ipſe tandem adſcripſit, & Cyrillum, qui vehementer obſiſtebat, ut in Ægypto adſcribi præciperet, literis hortatus eſt. ſed fruſtra, ut hæc ejus ad Atticum epiſtola declarat. Ceſſit tamen poſtea Cy-

dypty-chis ubique. » nis *b* in ſacris * dypticis ſcriptum. Interrogans autem inde venientes, cognovi A
» non in ordine laicorum, ſed in Epiſcoporum taxari. Præſciens autem, & apud
» me ipſum cogitans, ſi regulis ſanctorum patrum, qui Nicæam convenerunt,
» concinant qui hæc fecerunt, & paululum mentis oculum ad magnam illam con-
» gregationem eorumdem ſanctorum patrum extendens, video omnem illam con-
» gregationem velut quibuſdam oculis abnuentem, & omni virtute prohibentem
» nos concurrere in hujuſmodi conſenſum. Qualiter autem ſacerdotibus Dei con-
» numeretur, & induatur illorum ſortem, qui de ſacerdotio pulſus eſt? vel qua-
» liter in ordine erit Pontificum, qui ab Eccleſiaſticis muris excluſus eſt? Qui rur-
» ſus in conſequentibus ejuſdem epiſtolæ dicit: Jube ex catalogo Epiſcoporum Joannis
» nomen auferri. Si enim nihil hoc eſſe arbitramur, non contriſtet etiam Apoſtolo-
» rum chorum traditor eis connumeratus, introducto autem nomine Judæ, ubi nobis
» Mathias ponitur? Si ergo nemo, excludens Mathiam, ſcribit Judam in Apoſtolo- B
» rum choro; maneat & ſervetur rogo poſt beatæ memoriæ Nectarium ſecundus gra-
» dus beati Arſacii, ut non per violentiam introductum hujus nomen excludat beati
» memoriam. Item inferius dicit, Non igitur connumeretur depulſus Jechonias cum
» David, & Samuele, & prophetis. neque quia ineptè placuit *c* Eudoxii cadaver in
» ſanctis locis deponere, ideo & nos profanum ſicut & ſanctum introducamus. Hæc amariſſima beati Cyrilli verba, Chriſtianis mentibus averſanda, quæ contra ſuaviſſimum Eccleſiæ patrem, melle attico dulciorem, ſui oblitus Cyrillus effudit, non ſine triſtitia coacti repetimus, quoniam cauſas cum ſuis auctoribus jam ſepultas, in præjudicium Calcbedonenſis Concilii, reſuſcitare quidam, & ad contentiones reducere voluerunt. Nam quis memorare non horreat, quòd Cyrillus Joannem, & quod eſt crudelius, jam defunctum, proh nefas! Judam, Jechoniam, profanumque vocare non trepidat, & eum conferens Eudoxio hujus urbis Arriano, ſicut fertur, Epiſcopo, ab Eccleſiaſticis muris dicit excluſum? Qui pro unitate ſervanda Eccleſiæ, quam dilexit, maluit ſuæ cauſæ ferre jacturam. Nam ſi eam vellet aſſerere, C ſicut erat vitæ probabilis, & facundiæ ſingularis, habens etiam magnam gratiam populi Chriſtiani, cui pro majoribus ſuis meritis erat acceptus, & defenſionem ſedis Apoſtolicæ, ſine cujus erat judicio condemnatus; facilè poſſet obtinere victoriam, quæ illum etiam fugientem eſt perſecuta poſt mortem. Sed metuens, ne abſolutus aliorum judicio, per obſtinationem adverſariorum ſuorum non reciperetur ab aliis; atque ita quibuſdam ei communicantibus, quibuſdam verò averſantibus ejus communionem, Eccleſia ſcinderetur, pro cujus utilitate ſciebat ſe Epiſcopum factum: elegit conſultiſſimè, & admodum mirabili pietate, cathedram Epiſcopatus ſui relinquere; quàm ut per ejus defenſionem unica Chriſti divideretur hæreditas. Sed væ mundo à ſcandalis, per quæ Joannes pro talibus meritis, Judas, Jechonias, ac profanus dicitur, & Eudoxio Arriano Epiſcopo comparatur. Quale porro illud eſt, D quòd beatus Atticus nomen deceſſoris ſui Ioannis, non in ordine laicorum, ſed in Epiſcoporum, quaſi contra regulas ſanctorum patrum qui in Nicæa convenerant, taxaſſe culpatur? & hinc aſſeritur inter laicos eum adſcribere debuiſſe, quòd non liceat ab Eccleſiaſticis muris excluſum in ordine habere Pontificum: neque Iudæ traditoris nomen in Apoſtolorum choro introducere: ſive Iechoniam cum David, & Samuel, & prophetis connumerare? Quaſi verò, ſi Ioannes ab Eccleſiaſticis muris eſſet excluſus, & ut Iudas, atque Iechonias habendus, ipſorum patrum regulis conveniret, ut taxaretur vel in ordine laicorum. Quia verò non negatur Ioannes quocumque ordine in ſacris diptycis interim debuiſſe taxari, ſufficienter & ipſius criminatoris ſui teſtimonio probatur, quòd nec ab Eccleſiaſticis muris excluſus, nec Iudas, vel Iechonias dici debuerit, & profanus. Cùm autem, ſicut diximus, iſti nimii dilectores, & ultra modum Cyrilli ſequaces, non ſequantur ejus exem- E

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

rillus, partim Iſidori Peluſiotæ ſuaſu, partim divino, ut aiunt, viſu admonitus, Joannisque nomen Synodo convocata diptychis appoſuit, ut ex Niceta Philoſopho narrat Nicephorus, apud quem Attici quoque & Cyrilli mutuæ literæ leguntur lib. 14. cap. 26. & 27.

b IN SACRIS DIPTYCHIS. Græca Cyrilli, *ἐν τοῖς ἱεροῖς δίπτυχοις*. Atticus etiam *μυστικοὺς δίπτυχους* appellarat. Nicephorus *ἐκκλησιαστικὰ δίπτυχα*, de Alexandro Antiocheno loquens cap. 25. *ἀνεῖται τὴν Ἰωάννου μνημοσύνην τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς δίπτυχοις ἐντάξαι*. Cyrillus idem poſtea *κατάλογον τῶν ἐπι-σκόπων*, quia in diptychis inſcripta erant nomina Epiſcoporum.

c EUDOXII CADAVER. Arriani, Epiſcopi Conſtantinopolitani. Hujus reliquias in Apoſtolorum templo conditas fuiſſe ſcripſerat Atticus. *οὐδὲ γάρ τι τῷ Δαβὶδ ἔβλαψεν ὁ ὕστερος εἰς Σαοὺλ τάφος· ὅτι τοῖς ἀποστόλοις οὐδὲ ὁ τῆς Ἀρείου ἀσεβείας ὑπηρέτης Εὐδόξιος, ὑπὸ τὸ αὐτὸ θυσιαστήριον κείμενος*. *Nihil enim Davidi obfuit honorifica Saülis ſepultura, neque Apoſtolis Arii impietatis ſectator Eudoxius ſub ipſum altare conditus.* Hoc ergo ut *ἄθεον*, & contra canones factum meritò improbat Cyrillus.

A plum in cauſa Conſtantinopolitani Ioannis, quomodo in condiſcipulo ejus Theo-
doro Cyrillum ſecuti exiſtimentur? Intelligis igitur, Auguſte, quòd Eccleſiæ con-
turbatores evidentiſſimam conniventiam ſuam, quam Eutychianis contra ſanctum
Concilium præſtant, nequicquam exemplo beati Cyrilli obumbrare nitantur. Nam
cùm ille Ioannem dicat profanum, & ab Eccleſiaſticis muris excluſum, iſti eum ha-
bent, ſicut habendus eſt, virum admirabilem, & maximam gloriam meren-
tem: Theodorum verò cùm idem dicat virum admirabilem, & maximam glo-
riam merentem, iſti eum habere volunt profanum, & ab Eccleſiaſticis muris
excluſum.

CAPUT II.

B *Quod in Theodori damnatione Cyrillum ſequi non debeant, cùm illum in Diodori damnatione meritò non ſequantur, quem patres & principes orthodoxi commendant, ſoli Apolinariſtæ hæretici cum Iuliano apoſtata vituperant.*

QUid etiam quòd, ſicut jam memoravimus, ita dicunt ab eodem Cyrillo repre-
henſum eſſe Theodorum, ut ſanctum quoque Diodorum, magiſtrum ipſius
Theodori, pariter ab eo, & in eadem cauſa dicant fuiſſe culpatum? Si igitur aucto-
ritatem Cyrilli ſecuti ſunt Theodorum damnantes, quamquam dicere non audeant,
quòd ille Theodoro anathema dixerit, cujus etiam ſcripta anathematizare prohi-
buit, quare tamen non Diodorum quoque damnaverunt? An quia ipſe non eſt laudatus
in Calchedonenſi concilio, non eum judicaverunt eſſe damnandum, Theodorum
verò damnaverunt, quia & in epiſtola Ibæ, quam pronunciavit orthodoxam, & in
decretis ſynodi orientalis, quæ approbavit idem Calchedonenſe concilium, inveni-
tur laudatus, ut auctoritatem ipſius concilii hujus damnatione calcarent? Ita planè eſt,
& hoc negare nullus ſapiens poteſt. Nam priùs utique, & ampliùs magiſtrum
C ejus Diodorum damnarent, velut communis erroris auctorem. Verùm ego pro-
mere non omittam, qualecunque illud eſt, quod hîc videri poteſt eorum defen-
ſioni competere. Fortaſſis enim dicentes, Si quis non anathematizat Theodorum
Mopſveſtiæ, & ejus dogmata, in eo quod adjecerunt, eoſque qui aut ſimilia ei ſa-
puerunt, ſanctum Diodorum intelligi voluiſſe dicentur. Sed cur, obſecro, ſi au-
ctoritatem ſecuti ſunt beati Cyrilli, magis & priùs Diodorus magiſter ejus nomi-
natus non eſt, ut ita ſaltem decerneretur, Si quis non anathematizat Diodorum,
& ejus dogmata, anathema ſit, velut quibus malè Theodorum dicitur imbuiſſe:
& deinde ſequeretur, eoſque qui aut ſimilia ei ſapuerunt, aut ſapiunt. Nunc au-
tem in Theodoro ejus diſcipulo intentio aperta & manifeſta dirigitur, Diodorus
verò non dinumeratur, vel ſi & ipſe ſubintelligitur abdicandus. Deinde ſic beatus
Cyrillus in accuſationem ſancti Diodori aliquid ſcripſiſſe dicitur, ut nihil in ejus
D defenſionem ſcripſiſſe dicatur: in accuſationem verò Theodori ſic aliquid ſcripſiſſe
dicitur, ut etiam in ejus defenſionem ſcripſiſſe monſtretur. Clarum eſt itaque, ſi
videre velimus, quòd propterea, non denominato Diodoro, Theodorum cum ſuis
dogmatibus, & eos qui ei non dicunt anathema, damnaverunt, quia laudatus eſt &
in epiſtola venerabilis Ibæ, quam ſynodus pronunciavit orthodoxam; & in epiſto-
lis Orientalium patrum, quibus auctoritatem præcipuam detulit. Alioquin, ſi er-
ror conſideretur, qui fuiſſe jactatur amborum, idem Diodori qui Theodori dicitur.
Si perſona magiſtri atque diſcipuli, aut ſolus, aut priùs nominatim condemnandus
erat auctor erroris. Si auctoritas beati Cyrilli, Diodorus evidenter & ſine ambi-
guitate culpandus; contra quem ſic invehi dicitur, ut pro illo non inveniatur alia
Cyrilli ſententia. Cur igitur adverſus Theodorum nimis, adverſus Diodorum ni-
hil? Quis in hæc paululum cordatus attendens, non ſtatim factionis hæreticæ do-
E los intelligat, quòd ſolus denominatus eſt in cauſa communi Theodorus; cùm ſi
non uterque, ſed alter eorum denominandus eſſet, Diodorum potius denominari
deceret? Et idcirco fruſtra negatur, quod lucet omnibus, & luce clarius, vel ſi no-
limus, apparet, quoniam ut hæc agerentur contra Theodorum, non Eccleſiæ opus
erat judicare de mortuo, ſed hæreticis potius Calchedonenſi præjudicare concilio.
Quod ſi dicunt, propterea ſe non auſos fuiſſe condemnare beatum Diodorum, quo-
niam, ſicut & inferius oſtendemus, optimum & maximum teſtimonium habet ſancti
Athanaſii, & Petri atque Timothei Alexandrinorum antiſtitum, & Baſilii Cæſarien-
ſis, & Joannis Conſtantinopolitani, & Epiphanii Cyprii, & Epiſcoporum Ægyptio-
rum, qui in exilium relegati à Valente Imperatore fuerant, & Concilii CL. ſacerdo-
tum, qui cum ipſo Diodoro in hanc urbem contra Macedonium convenerant, qui-
bus tantis ac talibus Cyrillus non erat præferendus: omitto nunc reſpondere, quòd
nec in cauſa Theodori ſolus Cyrillus tantis patribus, quorum & ille teſtimonio com-

mendatur, præferri debuerit. Hoc unum interim teneo, quoniam & ipſi docent, A
juſta ratione dictante, beati Cyrilli ſe judicium reliquiſſe. Incipiamus itaque jam
prædictorum venerabilium patrum teſtimonia recenſere, quibus commendatur
Diodorus, quem cum Theodoro pariter & in eadem cauſa culparum dicunt à Cy-
rillo, velut ea docentem, quæ Neſtorius docuit. ut quia ſine magiſtro ſuo, cùm
quo illi cauſa communis eſt, non potuit juſtè Theodorus condemnari: cùm pro-
baverimus Diodorum non eſſe damnandum, multo amplius manifeſtum fiat omni-
bus, pro ſolo præjudicio ſynodi Calchedonenſis, iniquè Theodorum fuiſſe damna-
» tum. Beatus igitur Athanaſius ita memorato ſancto Diodoro ſcribit. Domino meo
» filio, & amantiſſimo conſacerdoti, Epiſcopo Tarſi Diodoro, Athanaſius in domi-
» no ſalutem. Gratias domino meo, qui ubicunque ſuam doctrinam ſundat, & maxi-
» mè per filios proprios, qualem & te ipſum res ipſa demonſtrat. Etenim antequam
» ſcriberet veſtra reverentia, cognovimus quanta gratia facta eſt in Tyro per tuam
» perſeverantiam: & congaudemus tibi, quia per te cognovit & Tyrus rectum ver-
» bum pietatis. Et ego quidem occaſionem aſſumens ſcripſi tibi, dilectiſſime & aman- B
» tiſſime. Tu verò quomodo me ſcribente non reſcripſiſti, miratus ſum. Itaque non
» ſis ſegnis ſcribere continuè: ſciens quia ſicut filius requieſcere me facis patrem, &
» ſicut præco veritatis ſuperlætificas me. Et nihil contendas adverſus hæreticos, ſed
» ſilentio verboſitatem illorum ſupera, manſuetudine malitiam. Sic enim ſermo tuus,
» ſale conditus, habebit gratiam: illi autem apud omnium conſcientiam culpabun-
» tur. Quid hîc decernit veſtra juſtitia, sereniſſime Imperator? Æquumne cenſetis,
ut iſte veritatis præco Diodorus, cui tantum congaudet vir doctus & bonus Atha-
naſius, livoris & invidiæ neſcius, quoniam per ejus perſeverantiam rectum verbum
pietatis Tyrus quoque cognovit, ut etiam hortetur eum ſcribere ſibi continuè, &
requieſcere ſe in illo tanquam patrem dicat in filio, damnetur velut hæreticus, qui
& ipſe culpatus dicitur à Cyrillo? Durum nimis eſt, ut hoc de veſtra æquitate cre-
damus. Nam & ipſi præſumptores iniquum eſſe viderunt. Si verò magiſter Diodo-
rus condemnari velut hereticus juſtè non poterit, contra quem ſic invehi dicitur, C
ut pro illo non inveniatur alia Cyrilli ſententia: quomodo in eadem cauſa, ut ferunt,
pariter accuſatus, niſi in præjudicium ſynodi Calchedonenſis, ejus diſcipulus Theo-
dorus, velut hæreticus damnaretur, contra quem ſic invehi dicitur, ut etiam pro
illo inveniatur alia Cyrilli ſententia? Petrus quoque, ſucceſſor ejuſdem ſancti Atha-
naſii, ſcribens Epiſcopis, & presbyteris atque diaconis, pro vera fide in exilio con-
» ſtitutis dicit: Amor, quo, circa vos in Chriſto gaudeo, non permiſit patienter fer-
» re: immò etiam ſcribens veluti non ſcribens ſum, & iterum ad ſcribendum compel-
» lor. & infrà: Conſiliatoribus igitur vobis in his quæ incurrunt utor. & quid oportet
» me facere ſic ſemper perturbatum, *d* Timotheo diffamante ſe ipſum Epiſcopum
» eſſe, ut per hoc confidentiùs injuriet, & paternas leges infringat? Voluit enim
» me anathematizare, & Baſilium Cæſareæ, & Paulinum, & Epiphanium, & Dio-
» dorum Epiſcopos, & ſoli Vitali communicare. Ecce etiam Petrus, Athanaſii ſuc-
ceſſor, æquè nefarium ducit Baſilium Cæſarienſem, Paulinum Antiochenum, Epi- D
phanium, & Diodorum Epiſcopos, tanquam propugnatores fortiſſimos veritatis,
anathematizare, & Vitali Antiocheno alteri, quem Apolinaris ordinaverat, com-
municare. Quis igitur iſtum Diodorum, quem cum Baſilio, & Paulino, & Epi-
phanio, ejuſdem fuiſſe doctrinæ, Petro judicante cognovimus, vel ſi, ut ferunt,
cum Theodoro culpatus à Cyrillo credatur, pro ejus ſententia exiſtimet eſſe dam-
nandum? Aut quis Theodorum ſine ipſo Diodoro, cum quo dicitur, ut diſcipulus,
à Cyrillo culpatus, pro ejus ſententia, & non pro ſynodi præjudicio exiſtimet eſſe
damnatum? Timotheus quoque, Petri ſucceſſor, qui cum ipſo Diodoro pariter
aderat concilio in hanc civitatem regiam contra Macedonium congregato, ſic ei
» ſcribit: Domino meo per cuncta honorabili, & ſanctiſſimo Epiſcopo, & conſacer-
» doti Diodoro, Timotheus in Chriſto ſalutem. Virtutem tuam, & vitæ perfectio-
» nem, & zelum rectæ & Apoſtolicæ tuæ fidei, pro dignitate prædicare nequaquam
» potero, etiam ſi nimium properavero. non enim æquantur ſermones & res. Vobis E
» ex certo donatum eſt, non ſolùm credere in Chriſtum Jeſum, ſed etiam pro ipſo

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

d TIMOTHEO. Apollinaris diſcipulo, cujus mentio fiet lib. 7. cap. 3. & de quo Damaſus Papa in epiſtola ad Orientales: *Quid eſt cur abdicationem Timothei à me rurſus requiratis, qui etiam hîc judicio ſedis Apoſtolicæ, Petro quoque Alexandriæ Epiſcopo præſente, abdicatus eſt unà cum magiſtro ſuo Apollinare?* & in epiſtola Orientalium ad Rufum Theſſalonicenſem Epiſcopum in actis Synodi Epheſinæ. ὁ τεθαυμασμένος Δάμασος ἐξέβαλεν Ἀπολινάριον, καὶ Βιτάλιον, καὶ Τιμόθεον τὸν αἱρετικόν. Citatur etiam in Ecloge Anaſtaſii Polemon impius Apolinarii diſcipulus, ὡς Τιμόθεος ὁ μαθητὴς αὐτοῦ.

A pati. Haoc tuam rectam & beatam circa Deum voluntatem, & indeclinabilem
circa pietatis myſterium conſcientiam, olim vobis ineſſe, & divinus Papa onſter
Athanaſius atteſtatus eſt veſtræ religioſitati, & nos ſuos diſcipulos adduxit ad aman-
dam tuam perfectionem, & orare à Deo in multos annorum circuitus præſervari
veſtram vitam, ad utilitatem Eccleſiarum Chriſti. Perſpicis, ut exiſtimo, cle-
mentiſſime Imperator (nam res omnino perſpicua eſt) cujus virtutis, & perfectio-
nis, & zeli circa rectam & Apoſtolicam fidem Diodorus ſemper fuerit, quem cùm
Theodoro culpatum ferunt à B. Cyrillo, & quomodo ejus gloria ſimul cum æta-
te creſcebat. Laudatur adoleſcens ab Athanaſio, laudatur à Petro jam gravis,
laudatur à Timotheo ſenex. Tota vita ejus fuit in laudibus, & poſt mortem ab
Athanaſii, Petri, Timothei ſucceſſore cum Theodoro dicitur accuſatus. Quis hoc
poſſit æquanimiter ferre? quis patienter audire? Sed ab his melius avertimur, ut
B meliora potius attendamus. Delectat enim me hujus ſancti viri Timothei verba re-
petere, quemadmodum & virtutem Athanaſii conſecutus, & ſedem, cùm Diodoro
diceret, Vobis ex certo donatum eſt, non ſolùm credere in Chriſtum Ieſum, ſed
etiam pro ipſo pati; hoc quoque intulit dicens, Hanc tuam rectam & beatam cir-
ca Deum voluntatem, & indeclinabilem circa pietatis myſterium conſcientiam, olim
vobis ineſſe, & divinus vir Papa noſter Athanaſius atteſtatus eſt noſtræ religioſita-
ti, & nos ſuos diſcipulos adduxit ad amandam tuam perfectionem. in hoc dignum
ſe probans Athanaſii ſucceſſorem, quòd ejus teſtimonium non impugnans, adductus
ab eo eſt ad amandum perfectionem Diodori, quem & ille dilexit, & ad orandum
Deum, ut in multorum annorum circuitus vitam ejus conſervaret, ad utilitatem
Eccleſiarum Chriſti. Sed aliarum quoque civitatum Epiſcopos tranſeuntes, quale
etiam ſanctus Baſilius Cæſareæ Cappadociæ, Diodoro teſtimonium perhibeat, de-
bemus advertere: qui ſcribens ad Patrophilum Epiſcopum ᵃ Ægenſis Eccleſiæ di-
cit: Diodorum autem velut nutrimentum B. Silvani ab initio accepimus, nunc
C autem diligimus & prædicamus propter gratiam verbi, quæ ei adeſt, per quam plu-
rimi ad eum convenientium meliores efficiuntur. Idemque ſcribens ipſi Diodo-
ro dicit: Legi libros à tua honorabilitate tranſmiſſos, & ſecundo quidem admo-
dum inſtiti, non ſolùm propter brevitatem, ut pote qui ſim circa omnia debilis,
ſed etiam quia variatur ſententiis, & facilè eo diſcernuntur è contrario oppoſitio-
nes, & ad eas reſponſiones; & eſt oratione ſimplex, & ſine ullo ſermonis cothur-
no: quod convenire mihi viſum eſt Chriſtiani ſtylo, non ad oſtentationem, ſed ad
utilitatem hominum conſcribentis. Et infrà: Certum enim habeo, quòd qui tan-
tum habes ſcribendi ſtudium, etiam alia ſcripturus es. Nam neque qui ſcribendi
occaſiones generent, deſunt vobis: nobis autem ſuave & amabile eſt legere veſtra
ſcripta. Et poſt pauca: Direxi autem nunc per lectorem majorem codicem, pri-
mùm pertranſiens eum, ſicut mihi poſſibile fuit. Minorem autem tenui, volens
D eum deſcribere, & non habens ad præſens aliquem velociter ſcribentium. nam uſ-
que ad tantam paupertatem pervenerunt invidioſa Cappadocum. Cùm verò iſtum
Diodorum, quamquam dicatur cum Theodoro, immò præ Theodoro, ſicut ejus
magiſter, fuiſſe culpatus, tamen quia ſic eum diligit ac prædicat vir ſanctus &
doctus Baſilius, & quia ſic honorat propter gratiam Dei, per quam plurimi ad
eum convenientes meliores efficiebantur: & quia ſcripta ejus legere ita ſuave illi &
amabile fuit, ut etiam ea ſibi deſcriberet ad legendum; fautores hæreticorum cum
ſuis dogmatibus nequaquam damnare præſumunt: multo minùs Theodorum, ob ea
quæ ſuperiùs memoravimus, niſi in præjudicium ſynodi Calchedonenſis, eum ſuis
dogmatibus damnare præſumerent. Agedum veniamus & ad illud os aureum Con-
ſtantinopolitani Joannis, quem Domnus Antiochenus Epiſcopus, ſicut in ſequen-
tibus oſtendemus, diſcipulum Diodori fuiſſe teſtatur: in quo potiſſimum doctrina
tanti magiſtri ſuæ probitatis & virtutis dedit indicium, & cujus fecundum pectus co-
E pioſiore ſpei ſatoris ubertate reſpondit, ut quantis ipſe quoque Diodorum præconiis
extulerit advertamus. Nam ſic de illo in quodam ſermone locutus eſt. Sapiens
iſte & fortiſſimus doctor, nuper infirmitate corporis expoſita, ſuper ſedem iſtam aſ-
cendens, de me ſermonis fecit exordium, baptiſtam me Joannem dicens, & vo-
cem Eccleſiæ, & virgam Moyſi, & alia horum plurima de me dixit. Et ipſe qui-

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

ᵃ ÆGENSIS ECCLESIÆ. Apud Baſilium epiſtola 92. corruptè legitur, Πατροφίλῳ ἐπισκόπῳ ἐν Ἀιγαῖς, pro ἐν Αἰγαῖς. Ægas etiam vocat Plinius lib. 5. c. 27. Eſt autem Ægeenſis civitas Ciliciæ II. Quæ verò ſequitur, epiſtola eſt Baſilii 167. ad Diodorum ſcripta, cùm adhuc presbyter eſſet Antiochiæ.

„ dem laudavit, vos autem adclamaſtis. Sed ego procul ſedens, amariſſimè ſuſpira- A
„ vi. Et poſt aliquanta: Sic etiam Imperatores faciunt aliquotiens, & ſibi aptum
„ diadema auferentes, filiorum imponunt capitibus: atque ita cùm viderint minus in-
„ fantile caput, quàm corona eſt, cupiunt eis tantummodo imponere, quamvis in-
„ congruè, eo ipſo ſolùm ſatisfacientes animo ſuo: auferentes deinde, ſibimetipſis im-
„ ponunt. Quoniam ergo & pater hic coronam ſibi competentem atque ſedentem nobis
„ impoſuit, & major noſtro capite apparuit; ex noſtro eam capite detrahentes, aptam
„ hujus patris capiti imponamus. Joannis enim nomen apud nos, intellectus autem apud
„ ipſum eſt: & appellationem quidem nos ſuſcipimus, philoſophiam autem ipſe poſſi-
„ det. Propter hoc & ipſius appellationis juſtior magis ipſe ſit hæres, quàm nos. Syno-
„ nyma enim, non nominum communio, ſed rerum cognatio facere conſuevit, & ſi no-
„ mina differant. Et infrà: Quia ergo indubitanter iſta eſt regula, & integra diffinitio
„ ſynonymorum apud ſcripturam divinam, age oſtendamus qualiter morem æmulatus
„ eſt Ioannis ſapiens iſte noſter pater, ut cognoſcatis quoniam & appellationem illius B
„ juſtè ipſe poſſidere debet. Non erat illi menſa, neque lectus, neque domus ſuper ter-
„ ram: ſed neque huic aliquando fuit. & hujus rei nos teſtes ſumus, qualiter omne
„ tempus advixit, Apoſtolicam demonſtravit vitam, nihil proprium habens, ſed à
„ ſociis ſemper nutritus, ipſe in oratione & doctrina verbi permanens prædicabat. Ille
„ trans fluvium prædicabat in deſertis: & iſte trans fluvium aliquando civitatem om-
„ nem edocens, ſalutiferam doctrinam docebat. Habitavit ille in cuſtodia, & capite
„ diminutus eſt propter fiduciam, quam pro lege habebat. ſed etiam iſte ſæpiùs illa
„ patria fraudatus eſt, propter fiduciam, quam pro fide gerit: ſæpiùs etiam capite
„ diminutus eſt, propter eamdem cauſam, & ſi non reipſa, propoſito tamen. Non
„ enim ſufferunt veritatis inimici ejus linguæ virtutem, decem millia ſemper præ-
„ ſtruebant inſidias, & ex omnibus eum liberavit Dominus. Age itaque, jam lin-
„ guam ejus audiamus: hanc ipſam, propter quam & periclitatus eſt, & ſalvatus.
„ Illam linguam, de qua ſi quis dixerit, quod de terra promiſſionis dixit Moyſes, C
„ nullatenus peccat. quid ergo de illa dixit? terra, fluens lacte & melle. hoc etiam
„ de iſtius lingua dicendum eſt, lingua fluens lacte & melle. Ut igitur lacte & melle
„ ſaturemur, hic noſter jam quieſcat ſermo, & audiamus lyram & tubam. Quando
„ enim ſuavitatem ſentio verborum, lyram appello hujus vocem: quando verò
„ fortitudinem intelligentiarum, tubam quandam bellicam, & talem, qualem ha-
„ bebant Judæi, cùm Hierico muros deſtruerent. Sicut enim tunc tubarum ſo-
„ nus, igne velocior ſuper lapides irruens, omnia conſumebat: ſic & ejus vox, non
„ minus quàm illa tuba, ſuper molimina hæreticorum irruens, hoc eſt, diſputatio-
„ nes illorum evertit, & omnem altitudinem extollentem ſe adverſus ſcientiam Dei.
„ Quòd ne per noſtram magis linguam, quàm per hujus hæc dicamus, jam hic noſter
„ ſermo quieſcat, gloriam dantes Deo tales nobis tribuenti doctores. Hanc elo-
quentiſſimi Joannis in Diodorum præcipuam laudem, per quam nobis doctrinam
ejus commendavit & vitam, quamquam minus decorem ſuum, pro neceſſitate ip- D
ſius interpretationis, vel etiam pro interpretis facultate, ſervaverit, meis tamen
longè imparibus verbis commendare ſuperfluum puto. Hoc ſolum nobis conſide-
rare ſufficiat, quòd Ioannes eum baptiſtæ Ioanni converſatione ac martyrio com-
parans, & ſuum nomen in illum tranſtulit, & coronam. Qui rurſus in alio ſer-
„ mone de ipſo ſuo magiſtro Diodoro dixit: Non ſuperfluè, ſicut apparet, ſermo-
„ nes prolixos expendimus. Sed enim in martyrum celebratione commonemur etiam
„ vivi martyris vicini martyrio fluminis ſpiritualis. Vivus eſt enim iſte martyr, &
„ martyr, ſiquidem mortuus eſt ſæpius propoſito. Videte ejus membra mortifi-
„ cata, videte figuram circumferentem quæ ſunt hominis, & ſenſum habentem An-
„ gelicum. Et poſt aliquanta: Sed revertamur ad martyrem iſtum iterum, propter
„ quem & iſta diximus. Quomodo itaque mortuus eſt mortificans membra ſua, &
„ conculcans naturæ cupiditates in humano corpore, & Angelicam nobis demon-
„ ſtrans vitam? Si autem vultis videre, quia & re ipſa mortuus eſt, recordamini il-
„ lius temporis, quando bellum aſperum adverſus Eccleſiam exſurrexerat, & exerci- E
„ tus movebantur, & arma præparabantur, quando trans fluvium omnes congregaban-
„ tur. Tunc ipſe exiens, & velut turris ante poſita, vel ſcopulus quidam altus &
„ magnus ante alios ſtans, & contrariorum ſuſcipiens fluctus & reſolvens, in tranquilli-
„ tate ceterum corpus Eccleſiæ cuſtodivit, repercutiens tempeſtatem, & præſtans
„ nobis quietum portum. Hunc itaque vivum martyrem, ac ſæpius martyrem, &
mortificatione membrorum continuum martyrem, ſolamque figuram circumferen-
tem hominis, vitam verò Angelicam demonſtrantem; quem etiam velut turrim in
prælio, adverſus inimicos fidei ſtantem, & ingentem ſcopulum, Ioannes ejus diſ-
cipulus dicit, in quem contrariorum fluctus reſulverentur illiſi; numquid juſtum
exiſtimas,

A exiſtimas, pie Princeps, talem retributionem laborum & certaminum ſuorum de
Chriſti Eccleſia mereri, ut ab ea velut hæreticus excludatur? Non arbitror. Et ta-
men in præjudicium ſynodi Calchedonenſis, idcirco jactaror excluſus fuiſſe Theo-
dorus, quod à Cyrillo ſectator ejus fuerit judicatus. Sunt adhuc multa pro eodem
ſancto Diodoro magni Joanois dicta, quæ ad alia properantes omirtimus. Epi-
phanium quoque Cyprium, virum doctiſſimum, ſcimus ſcripſiſſe de hæreſibus li-
bros, in quibus & auctores earum, & cauſas diligenter expoſuit: & non ſolùm Dio-
dorum velut auctorem alicujus hæreſis minimè denotavit, verum etiam in literis
ſuis tali eum honore dignatus eſt, ut filium eum & diſcipulum & ſucceſſorem He-
liæ, aliorumque prophetarum pronunciaret, & propinquam illis à Domino gra-
tiam diceret conſecutum. Unde conveniens videtur, ut hoc ſicut in aliis fecimus;
ex epiſtolæ ipſius tenore munſtremus. Domino meo honorabili fratri & conſacer-
B doti *f* Diodoro, amabili Epiſcopo, Epiphanius in domino ſalutem. Gratiam ma-
jorem præſtans, quàm accipiens, perebat Dominus à Samaritana aquam bibere,
ipſe fons extans, juxta puteum ſedebat, & farigatus ex itinere iovenie batur, ut
conſequenter præſenti ſermone, incarnationis non excederet veritatem. Et poſt
paululum. Sed etiam ejus diſcipuli & ſervi, à quibus aliquid petebant, magis eis
dabant, quàm accipiebant ab eis. & alloquebatur qoidem Helias, qui erat figu-
ra proprie Domini, & neceſſariorum quantum opus erat exigebat menſuram: ſu-
perabundanrer aurem replebat præbentem ſibi benedictionem, à vidua petens pa-
nem, per occaſionem autem petitionis præſtans abundantiam benedictionis. ſic &
tua honorabilitas noſtram exiguiratem perens, magis das, quàm ſumis. Submi-
niſtrans quidem tua ad Deum poſtulatio capſaci noſtro indeficientiam ex parvo præ-
ſtat, & hydriæ indeficientem ex parviſſimo cumulum largitur. Petis itaque in prin-
cipio epiſtolæ tuæ, honorabilis, de lapidibus in rationali ſuperhumeralis ſacerdotis
ſuper pectus Aaron diſpoſitis & inſertis, & eorum & nomina, & colores, & ſpe-
C cies, & loca, & ad pietatem ducentes ipſorum lapidum contemplationes, & unuſ-
quiſque lapis pro quali tribu ordinatus erat, & unde inventus eſt, & ex qua pa-
rria. Er, ſicuti dixi, nobis quidem harum rerum difficilis fuit omnino, velut illi
viduæ propter paupertatem, inveotio. Sed ſicut illi per benedictionem miracu-
lum contigit, & Samaritanæ pro aqua ſenſibili Domini myſterium revelabatur: ſic
& nobis exiguis extantibus, ſed novo intellectu & nova cognitione, & nova ra-
tione, abundantia undique effecta eſt, veluti ex magna imbrium effuſione per ora-
tionem Heliæ, & aliorum propbetarum, quorum & filius & diſcipulus & ſucceſſor
exiſtis, bonorabilis, ſuſcipiens propinquam illis hanc gratiam à Domino, & nobis
per orationem attribuens. Non parvi eſſet indicii, clementiſſime Imperaror, vel
ſi aliorum patrum teſtimonia defuiſſent, nullius auctorem hæreſis extitiſſe Diodo-
rum, quòd eum Epiphanius, vir ſagaciſſimos, & in doctrina catholitæ fidei lauda-
D biliter diffamatus, oon memoraverit inter hæreſiarchas, quando neque illos qui
ante adventum Domini novas doctrinas inſtituerùnt, omiſerit. Cum ergo ranta
fuerit induſtria ejus, atque ſcientia, ut antiquos etiam, qui temporibus Judæorum
nova docuerunt, hæreticos non taceret, quomodo præſentem Diodorum magi-
ſtrum Theodori præteriret, ſi novæ doctrinæ, quam Neſtorius ſecutus eſt, fuiſſet
inventor? Super hæc autem adjicimus eriam Epiſcoporum Ægyptiorum, qui *g* in
Diocæſarea exulabant ſub Valente Imperatore, magnum pro ſancto Diodoro teſti-
monium. Nam cùm adverſus Apolinarem ſcriberent monachi in Nitria conſtituti,
hæc poſt aliquanta dixerunt. Mirabilis verò Apolinarius tales literas ex nomine
noſtro ſuſcipiens, ſuſcipiens etiam & propriam epiſtolam in nomine Adelphi & Iſi-
dori, juxta votum ſuum, in tantum nos contempſit, ut ipſe poſtea auderet ſuis li-
teris accuſare irreprehenſibilem & religioſiſſimum Archiepiſcopum Aotiochiæ Pau-
linum, qui ſemper communicavit ter beato Papæ noſtro Athanaſio, & omnibus in
E occidente orthodoxis Epiſcopis. Nobis autem ex acceptione talium literarum com-
motis, & habenribus de accuſato, vel bæreſis, vel ſchiſmaris ſuſpicionem, ſæpe
volueramus illi reſcribere. Sed dum hæc aguntur, ex diſpenſatione Dei demonſtra-

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

f DIODORO EPIPHANIVS. Hinc liquet ad Diodorum Tarſenſem ſcriptum fuiſſe ab Epiphanio libellum περὶ τῶν δώδεκα λίθων, de gemmis XII. veſtis Aaronicæ, & libello præmiſſam hanc epiſtolam: cujus hodie pars tantum edita eſt in vulgatis cum nudo nomine Diodori.

g IN DIOCÆSAREA EXVLABANT. Undecim Epiſcopos Ægypti ſub Valente, Arianorum impulſu, Magni Comitis ſacrarum largitionum opera in exilium ejectos, ac Diocæſareæ oppido Palæſtinæ habitare juſſos, auctor eſt Petrus Alexandrinus in epiſtola circulari, cujus partem recitat Theodoretus libro 4. Hiſtoriæ capite 20.

» tæ ſunt nnbis & inſcriptæ ejus diſpoſiriones & diffinitiones de fide, conſonantes eis A
» quæ antea multi venientes ad nos de ipſo nobis Apnlinario dixerant, habentes ſe
» non rectè de incarnatione ſalvatoris. Ad hæc etiam & alias literas, in quibus ac-
» cuſavit venerabilem Archiepiſcopum Cypri Epiphanium orthodoxum, & commu-
» nicantem ſempet beatiſſimo Papæ noſtro Athanaſio. Adhuc etiam & ſanctiſſimum
» Tarſenſem, & communicantem ſimiliter beato Papæ noſtro Athanaſio, & noſtrum
» ipſorum Epiſcopum, Diodorum abjudicavit injnſtè per proprias literas, ſi non abſti-
» nuiſſet à communione antedictorum orthodoxorum Epiſcoporum Paulini & Epipha-
» nii. His etiam conſideratis, quæ confeſſores iſti loquuntur, confiteri debemus, con-
demnandum non eſſe Diodorum, quem videmus à talibus & pro talibus adjudicatum.
Non enim decet Apollinaris hæreſiarchæ nos inveniri ſocios, vel irreprehenſibili &
religioſiſſimn Paulino Antiochiæ, & venerabili Epiſcopo Epiphanio Cyprio contra-
rios: ut ejus memoriæ nnn communicemus, velut hæretici, qui propterea condem- B
natus eſt ab hæretico, quòd non abſtinniſſet à communione antedictorum orthodo-
xorum. Accedit etiam noſtræ conſiderationi auctoritas Concilii CL. Epiſcoporum,
in hanc regiam civitatem contra Macedonium congregatorum, inter quos erat ſan-
ctus iſte Diodorus. Accedat quòd in Eccleſiæ pace, plenus dierum, cum gloria
magna defunctus eſt. Et nimis audax profecto videbitur, nt contra horum om-
nium auctoritatem, talis ac tantus Eccleſiæ doctor, pro Cyrilli querelis anathema-
tizetur, velut hæreticus. quod & iſtos judices mortuorum conſideraſſe credendum
eſt. Sed cùm pro iiſdem querelis, vel ſi verum ſit, non niſi prius excluſo magiſtro
Diodoro, excludi ejus diſcipulus poſſit: qunmodo ab iſtis ſolus Theodorus non ad
everſinnem ſynodi Calchedonenſis credatur excluſus? Hieronymus quoque noſter,
vir admodum doctus, qui etiam tantæ fuerat lectionis, ut omnes, aut penè omnes,
ſive in Græco, ſive in Latino eloquio divinarum ſcripturarum tractatores legeret,
ſcripſit librum, cujus eſt titulus De viris illuſtribus, in qno non ſolùm catholicos, C
ſed etiam hæreticos memoravit, qui de ſcripturis ſanctis in utraque lingua aliquid
conſcripſerunt. non tacuit qui hæreſum fuerint conditores, quive aſſertores, vel
qui etiam à quibuſdam nt hæretici accuſarentur, aliis contrà defendentibus: qui ta-
men ſanctum Diodorum, nec in ſuſpicionem hæreſis veniſſe retulit, de quo ſic ait:
» Diodorus Tarſenſis Epiſcopus, dum Antiochiæ eſſet preſbyter, magis claruit. Ex-
» tant ejus in Apoſtolo commentaria, & multa alia ad Euſebii magis characterem per-
» tinentia: cujus cùm ſenſum ſecutus ſit, eloquentiam imitari non potuit ptopter igno-
» rantiam ſæcularium literarum. Conſonat autem hic ſermo B. Hieronymi, quo re-
fert eloquentia minorem Diodorum fuiſſe, verbis quæ memoravimus B. Baſilii,
quibus eidem Diodoro ſcribens de libro quem ei miſerat dixit, Quia variatur ſen-
tentiis, & facilè in eo diſceruuntut è contrario oppoſitiones, & ad eas reſponſio-
nes. & eſt oratione ſimplex, & ſine ullo ſermonis cothurno: quod convenire mihi
viſum eſt Chriſtiani ſtylo, non ad oſtentationem, ſed ad utilitatem hominum ſcriben- D
tis. Et abundaverant quidem nobis, ad demonſtrandum quod propoſuimus, iſta
quæ dicta ſunt. Verùm quia nihil debemus, vel gloriæ ipſius B. Diodori, vel cau-
ſæ cognitioni minuere, qualitet etiam prædeceſſores veſtri religioſi principes, Gra-
tianus, Valentinianus, & major Theodoſius, ei fuerint atteſtati, omittendum eſſe
non credimus. qui quum ſcriberent ad Auxonium Proconſulem Aſiæ de reſtituen-
» dis Eccleſiis, ita poſt aliquanta dixerunt: Soli illi habeant Eccleſias, qui communi-
» cant Nectario Conſtantinopolitano, & Timotheo Alexandrino, & Pelagio Laodi-
» ciæ orientis, & Diodoro Tarſi, & totius Concilii ſub Vicario Aſiæ conſtituti, &
» Amphilochio Epiſcopo Iconii, & Optimo Antiochiæ. In Pontico verò concilio,
» Helladin Epiſcopo Cæſareæ, & Epiſcopo Melitinæ Otreio, & Gregorio Nyſſeno,
» & *h* Terentio Scythiæ, & Martyrio Marciopolitano. Qui verò & eandem fidem
» non honntant, veluti hæritici ab Eccleſiis excludantur, & nunquam deinceps ad E
» eas revertantur. Oportet enim undique poſt hanc legem purgatam eſſe apud omnes
» Chriſtianorum religionem. Cum igitur iſti religioſi principes hoc eſſe certum indi-
cium ſtatuerint, ut ſi quis non communicaret B. Diodoro, eadem quæ Theodorus
ſentienti, hæreticus haberetur: qua nunc ratione ſtatutum eſt, ut ſi quis Theodo-

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

h TERENTIO SCYTHIÆ. In Codice Theod. L. III. De fide catholica, ubi extat hoc reſcriptum, perperam editum eſt *Terennio*. In vulgatis verò exemplaribus Synodi Conſtantinopolitanæ *Gerontius* appellatur: ſed in Codice Aniciensi *Terentius* rectè, ut hoc loco. Fuit autem Tomorum Epiſcopus in Scythia. Mox rurſus Martyrius Marciopolis in Mæſia Epiſcopus dicitur, non *Marmarius*, ut in Codice Theod. Nam Martyrium quoque vocant exemplaria omnia Synodi Conſtantinopolitanæ, cui ſubſcripſit.

A tum Mopſveſtiæ, & ejus dogmata, eoſque qui aut ſimilia ei ſapuerunt, aut ſapiuot, non anathematizat, hæreticus habeatur? Quia verò Diodorus, veritatis maximus prædicator, in virtute Dei per arma juſtitiæ, à dextris & ſiniſtris, Apoſtolo docente belligerare didicerat: attende quæſo, clementiſſime Imperator, quemadmodum per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam, forti ſemper & animoſa intentione cucurrerit. Nam ſicut ab Eccleſiæ doctoribus ſemper approbatus eſt, & ab hæreticis accuſatus, ita etiam ſemper à religioſis principibus laudatus, & vituperatus ab impiis iovenitur. Juliaous eteoim Chriſto perfidus Imperator, ſic Photino hæreſiarchæ adverſus Diodorum ſcribit: Tu quidem, ô Photioe, veriſimilis videris, & proximus ſalvare, beocfaciens oequaquam *i* in otero inducere quem credidiſti Deum. Diodorus autem Nazaræi magus, ejus pigmentalibus mangaoes acuens irrationabilitatem, acutus apparuit ſophiſta religionis agreſtis. «
B Et poſt paululum: Quòd ſi nobis opitulati fuerint dii & deæ, & muſæ omoes, & fortuoa; oſtendemus iofirmum & corruptorem legum, & rationum, & myſteriorum paganorum, & deorum inferoorum; & illum novum ejus Deum Galilæum, quem æternum fabuloſè prædicat, indigoa morte & ſepultura, denudatum confictæ à Diodoro deitatis. Sicut autem ſoleot erraotes coovicti fiogere, quòd arte magis quàm virtute vincantur, ſequitur dicens: Iſte enim malo communis utilitatis Athenas navigans, & philoſophans imprudenter, muſicorum participatus eſt ratiooem, & rhethoricis confectiooibus odibilem adarmavit linguam adverſus cęleſtes Deos, uſque adeo ignorans pagaoorum myſteria, omnemque miſerabiliter imbibens, ut aiunt, degenerum & imperitorum ejus Theologorum piſcatorum errorem. Propter quod jam diu eſt quòd ab ipſis punitur diis. Jam enim per multos annos in periculum cooverſus, & in corruptionem thoracis incidens, ad ſummum pervenit ſupplicium. Omne ejus corpus conſumptum eſt. oam malæ ejus coociderunt, rugę verò in altitudinem corporis deſcenderuot. quod non eſt philoſophicæ converſa-
C tionis indicio, ſicut videri vult à ſe deceptis, ſed juſtitiæ pro certo, deorumque pœnę, qua percutitur competenti ratiooe, uſque ad noviſſimum vitę ſuę finem aſperam & amaram vitam vivens, & faciem pallore confectam. Sanctorum teſtimoniis patrum in Epiſcopis Epiſcopi ſuprà cogouvimus, quorum judicium ſequi debeamus in cauſa Diodoro Theodoroque communi, utrum Athanaſii, Petri, Timothei, Baſilii, Joannis, Epiphaoii, atque Ægyptiorum Epiſcoporum apud Diocęſaream pro vera fide exulantium, & Cooſtaotinopolitani coocilii, oec oon doctiſſimi viri Hierooymi, an Apollinaris & diſcipulorum ejus, qui neque ſi catholici fuiſſent, tantis pręferri debuerant. Nunc ex principibus principes cognoverunt, quorum magis in eadem Diodori atque Theodori cauſa judicium debeant ſequi: utrum Gratiani, & Valentiniani, & majoris Theodoſii, an Juliani apoſtatæ ſacrilegi, qui propterea Photinum veriſimilem, & ſaluti proximum dicit, quòd non, ut Diodorus, in uterum inducere quem crediderat Deum. Quis autem ferat, accuſarum à Juliaoo Diodorum,
D quòd Deum natum de virgine fateretur, accuſari etiam à Chriſtianis, tanquam hoc negaverit? vel quis audiens Juliaoum Diodoro comminantem, quòd Ieſum Galilęum Deum æteroum prędicaret, quem mortuum & ſepultum negare non poterat, & dicentem propterea illum puniri à ſuis diis ſummo ſupplicio, quòd miſerabiliter imbibens Theologorum piſcatorum errorem, talia prędicaret: à Chriſtianis quoque judicet abdicandum, velut qui Jeſum Galilæum hominem taotùm, non etiam Deum eſſe crediderit? Hanc itaque fautoribus hęreticorum proponimus optionem, ut aut eligant imitari venerabiles patres, & religioſos principes, & cum eis Diodorum & Theodorum probent: aut ſi Apollioarem magis, & ejus diſcipulos, atque Julianum deligent ſequi, non ſaltem propter aliud Diodorum culpent, niſi propter quod eum Apollinaris & ejus diſcipuli, atque Juliaous, crediderunt eſſe culpandum. Quòd ſi culpare nou poſſunt Diodorum, quia Jeſum Nazaræum, quem in duabus naturis Deum credidit, in uterum induxit, ip-
E ſum dicens æternum, quem ſepultum & mortuum: quomodo juſtè Theodorum ejus diſcipulum damoare potuerunt? Eaodem enim amborum cauſam, & unam accuſatiunem fuiſſe teſtaotur amborum. Proinde vel ſerò deſinant Theodo-

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

i IN VTERO INDVCERE. Nempe abſurdum ducebat impius apoſtata Deum hominem fieri. At contrà Cyrillus, Iulianum refutans libro 6. divini conſilii & ſapientiæ fuiſſe docet, ut cùm humanam naturam ſuſciperet, humanam in ea omnem pompam, gloriamque contemneret. Aliam quippe rerum æſtimationem nobis eſſe, aliam Deo. [illegible], inquit, [illegible] &c.

rianos vocare, qui tantorum patrum teſtimonium ſecuti ſunt, ut Diodorum mini- A
mè condemoare præſumerent. Cæterum nimium duri & obſtinati cordis eſt, nec
approbaotibus Diodorum, conſequenter etiam Theodorum nec reprobantibus, cre-
dere, ut eos nec ſicut laudati ſunt à ſanctis patribus landent, nec propter quod dam-
nati ſunt à ſacrilegis damoent. Verum ecce ſicut probas, ſereniſſime Imperator,
etiam ſi demus eis, ut volunt, Theodorum Mopſveſtenum Epiſcopum à beato Cy-
rillo fuiſſe culpatum, nemini vel parum intelligenti videbitur, quod ut eum ſub ana-
themate candemnareot, ipſius beati Cyrilli judicium ſecuti ſuot, quod in ſancto
magiſtro Diodoro. Joanne Conſtantinopolitano ejus condiſcipulo, & *k* * magiſtro Theodoro ſpernunt:
ſed potius quia præjudicium Eccleſiæ quæſieruot, ut ejus condemnatione ſancta ſy-
nodus Calchedonenſis, quæ neque ipſum, neque laudatricem ejus epiſtolam con-
demnavit, Neſtoriana fuiſſe videretur.

CAPUT III. B

Quod Vigilius Papa ex itinere ſcribens Ibæ ac Theodori damnationem improbarit, atque emendari juſſerit. & quod diverſæ provinciæ Vigilium ne hoc pateretur conteſtatæ ſint.

HOc eſt autem mirabile, ut poſtquam horum condemnationem fecerunt, dice-
rent quòd Eccleſiam Romanam conſulerent, & ſeotentiam Vigilii ejus præ-
ſulis expectarent: cui, quantum ad illos attinet, non permiſerunt cenſere quod ſen-
ſerit, antè ſtatuentes, ut ſi quis Theodorum Mopſveſtiæ cum ſuis dogmatibus, &
epiſtolam veuerabilis Ibæ non anathematizat, fiat anathema. Sed ecce jam veniens
ex itinere quod ei videbatur edixit, & *l* facti hujus auctori correctionem tumultua-
riæ ſuæ tranſgreſſionis indixit: & niſi citiùs quod malefactum eſt auferatur, etiam
1. Cor. 12. vindicaturum ſe eſſe prædixit, proteſtans & dicens cum Apoſtolo Timotheo: *Ne for-*
20. *tè quum venero, non quales volo inveniam vos, & ego inveniar à vobis qualem me non vul-* C
tis. Propter quod & de veſtra clementia, ſummis precibus, ſummoque adniſu, per
ſuos legatos petit, ſicut eum venientem diverſæ provinciæ conteſtatæ ſunt, ne pa-
tiamini ſtare quod factum eſt. Tale ſiquidem ipſius facti crimen eſſe judicavit, ut
illo doctoris gentium teſtimonio duceret arguendum, quod diſcipulo Timotheo ſcri-
1. Tim. 6. bens dicit: *Depoſitum cuſtodi, devitans profanas vocum novitates, & oppoſitiones falſi no-*
20. *minis ſcientiæ, quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt.* Quid ergo adhuc quæ-
ritur, utrum contra fidem, & ſynodum Calchedonenſem factum fuerit, quod do-
lemus, quando ille, cujus dicebatur expectari ſententia, profanas vocum novita-
tes, & oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ, quam quidam promittentes circa fidem
exciderunt, in ipſius facti auctoribus judicaverat arguendas? Denique B. Dacium
Mediolanenſium Epiſcopum, quem hinc reverſum in Sicilia ſe vidiſſe perhibuit, &
alios conſacerdotes ſuos, ſed & venerabilis memoriæ *m* Stephanum diaconum,
quem Romanæ Eccleſiæ, cui per Dei gratiam præſidet, hîc habuit reſponſalem, & D
per multos Eccleſiæ filios approbavit, quòd ſe pro hac cauſa à venerabilis Mennæ,
hujus regiæ civitatis Epiſcopi, communione ſuſpenderit, & eos qui ei communica-
verant ſub debita ſatisfactioue ſuſceperit. Quod non faceret, niſi contrarium ſyno-
do Calchedonenſi, quod factum eſt, ſicut & alii, judicaret. Non autem ſolos,
quos memoravimus, ſanctos & venerabiles viros hoc ſecum judicaſſe monſtravit,
quando non tacuit, quòd Romana quoque univerſitas egredientem, quòd venien-
tem Africa etiam, atque Sardiuia, quamquam non per eas tranſierit, per ipſius ta-
men conſiliarium publica eum conteſtatione pulſaverint, ſicut Hellas *n* & Illyri-

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

k MAGISTRO DIODORO. Diodorum enim Cyrillus in epiſtola priore ad Succenſum apertè affirmat, cùm Macedonianum errorem exueret, in alterum incidiſſe, qui poſtea in Neſtorio ejus diſcipulo damnatus eſt, ut filios duos ſtatueret, alterum de ſemine David natum ex ſancta Virgine, alterum proprium filium Dei patris.

l FACTI HUJUS AUCTORI. Mennæ Patriarchæ Conſtantinopolitano, qui primus damnationi trium capitulorum aſſenſit; ob eamque rem à Vigilio literis ex itinere caſtigatus, quatuor deinde menſium excommunicatione ab eodem multatus eſt, ut Anaſtaſius in Hiſtoria Eccleſiaſtica refert ex Theophane.

m STEPHANUM DIACONUM. Narraotur eadem in epiſtola Vigilii ad Mennam, cujus partem recitat Facundus contra Mutianum. Succeſſerat Stephanus haud multo ante Pelagio item Diacono, qui apocriſiarium ſedis Apoſtolicæ complures annos egit Conſtantinopoli. At Stephanus non diu hoc munere functus eſt. obiit enim priuſquam Vigilius appelleret. E

n ET ILLYRICUS. Poſt hæc etiam de eadem re in Illyrico habita eſt Synodus. Victor Tunonenſis in Chronico. *P. C. Baſilii anno VIII. Illyriciana Synodus in defenſione trium Capitum Juſtiniano Auguſto ſcribit.* & contra Illyricianam Synodum reſcriptum edidit Iuſtinianus, ut teſtatur Iſidorus de viris illuſtribus cap. 18.

A cus provinciæ, per quas venit, ut nullatenus novitati quæ facta eſt acquieſcat. Non
ergo civilis hæc cauſa credenda eſt, nec talis, quæ pro Eccleſiarum pace ferenda
ſit, ſed quæ meritò judicetur contra ipſius catholicæ fidei ſtatum hæreticorum ſur-
reptione commota, pro qua pars maxima orbis Chriſtiani, quæ potuit, primum in-
ter primos Chriſtianos ſacerdotem publica conteſtatione pulſavit. Et Romana qui-
dem univerſitas, atque Africa, priuſquam ipſius Romani Antiſtitis acceperimus
epiſtolam, non parvo jam cognoveramus indicio, quid de hujus facti novitate ſen-
tirent. Nam venerabiles Pelagius & Anatolius, Romani diaconi, debitam officio
ſuo & loco ſollicitudinem pro Eccleſia Dei gerentes, laudabilis in Chriſto memo-
riæ *o* Ferrando Carthaginenſi diacono ſcripſerunt, ut habito de hac cauſa diligenti
tractatu, cum reverendiſſimo ejuſdem Eccleſiæ Carthaginenſis Epiſcopo, vel aliis,
quos & zelum fidei, & divinæ ſcripturæ ſciret habere notitiam, conſulentibus reſ-
ponderet, quid obſervandum in commune omnibus videretur. In ipſa verò conſul-
B tationis epiſtola non tacetur, quòd hæc immiſſione Acephalorum, quos, ut dixi-
mus, ſemieutychianos ſignificantiùs appellare poſſumus, contra Calchedonenſe
concilium, & decreta Papæ Leonis, mota fuerint per eos, qui ſub nomine catholi-
co ipſorum parti ſtudium præbent. Sed & ille qui conſultus fuerat reſcribens inter-
rogantibus retractandam non eſſe docuit epiſtolam, quam univerſalis ſynodus ap-
probavit. quoniam ſi fieret, non ipſius tantum, ſed omnium Conciliorum ſtatuta de-
ducerentur in dubium.

CAPUT IV.

Quod contra Synodum Calchedonenſem factam eſſe trium capitulorum damnationem, ipſi etiam qui conſenſerunt primates & Epiſcopi Orientis agnoverint. quos redarguit quod imperatori non reſtiterint.

C VERUM hoc inſolitum non eſt, ut vel Apoſtolica ſedes temeratores pater-
næ ſententiæ, tanquam excedentes à fide corriperet, vel incontaminati qui-
que, & ab hac præſumptione penitus alieni, conteſtatione publica de tali facto
quererentur, & pronuntiarent, quòd ſi hoc ſemel admiſſum fuerit, non tantum
Calchedonenſis, ſed omnium Conciliorum definitiones conſtare non poſſint. Il-
lud eſt inſuetum, illud mirabile, illud in quo magna vis veritatis apparet, quod ip-
ſos quoque præſumptores internis conſcientiæ ſtimulis fateri coëgit, ad deſtructio-
nem ſynodi Calchedonenſis hæc fuiſſe compoſita. Nam primus confirmator eorum
p Mennas Conſtantinopolitanus Epiſcopus, cum adhuc cunctaretur ſcripto, ſicut
præceptum fuerat, eis præbere conſenſum, contra ſynodum Calchedonenſem fieri
proteſtatus eſt. Sed & poſtea quàm conſenſit, à prædicto venerabilis memoriæ
Stephano Eccleſiæ Romanæ diacono, & apocriſario conventus, cur priori ſenten-
tiæ ſuæ contrarius, acquieviſſet his quæ antè culpaverat, & de quibus ſe nihil actu-
D rum ſine Apoſtolica ſede promiſerat, ſub ea ſe conditione ceſſiſſe; & juratum ſibi
fuiſſe reſpondit, quòd chirographum ſuum reciperet, ſi hæc Romanus Epiſcopus
non probaret. In quo ſatis oſtendit, de judicio ſe potius humano, quàm divi-
no eſſe ſolicitum. Sed numquid, vel ſi propriam manum Romano Epiſcopo non
probante recipiat, nihilque illi quod metuit de judicio humano contingat, ideo

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

o FERRANDO CARTHAGINENSI DIACONO. Clarum hoc tempore habitum Ferrandum in Eccleſia Carthaginenſi Victor idem notat anno 6. poſt Conſulem Baſilium. Extat ejus epiſtola ad Anatolium diaconum Urbis Romæ, ſed diverſi argumenti. Hujus verò, ut apparet, mentio eſt
E in Duodecim auctorum catalogo, qui ſubdi ſolet Iſidori libello de viris illuſtribus: *Ferrandus*, inquit, *ad Pelagium & Anatolium Romanos diaconos conſulentes eum utrum liceat quemquam damnare poſt mortem, edidit reſcriptum, ubi inter alia ſic locutus eſt:* "Quid prodeſt dormientibus Eccleſiam perturbare? Si quis adhuc in corpore mortis hujus accuſatus & damnatus antequam mereretur abſolvi, de Eccleſia raptus eſt, abſolvi non poteſt ulterius humano judicio. Si quis accuſatus ante diem ſacri examinis repentina vocatione præventus eſt, intra ſinum matris Eccleſiæ conſtitutus, divino intelligendus eſt judicio reſervari. De hoc nullus homo poteſt manifeſtam proferre ſententiam. cui ſi Deus indulgentiam dedit, nihil nocet noſtra ſeveritas: ſed ſi ſupplicium præparavit, nihil prodeſt noſtra benignitas."

p CUM MENNAS CUNCTARETUR. Ad hunc locum ſpectat quod ait in libro contra Mucianum: *Commemorare, quod alibi fecimus, quomodo ſive Mennas Conſtantinopolitanus, ſive Zoilus Alexandrinus, ſive Antiochenus Ephræmius, & Petrus Hieroſolymitanus, antequam vel conſentirent vel cederent, teſtati ſunt fieri non debere.* De his enim quatuor ordine docet, ac mox etiam de ceteris Epiſcopis. nam omnes ad trium capitum damnationem compellebat Imperator, cum muneribus ditaret aſſentientes, reluctantes exauctoraret aut plecteret exilio, ut eſt apud Liberatum in extremo Breviario.

ſententiam Dei judicis atque ultoris effugiet? Nunquam hoc ei alterius ſecreta ju- A
ratio, ſed ſola correctio ſua prẹſtabit. Semel Deo juravimus, Imperator, quum
baptizandi in morte filii ejus ſpopondimus nos fidei, qua ſalvari ſumus, cuſtodire
depoſitum. Adverſus hanc igitur dare vel accipere juramentum, magnum perju-
rii crimen eſt. Nam ſi nimis terribile creditur, cum ita ſecum homines fœdus in-
eunt in jusjurandum, ut aliquos inter pacta baptizari faciant: quid de illo juramen-
to credendum eſt, in quo ſumus cum Deo depacti, & nos qui juravimus baptizati?
Sed & ipſam tanti myſterii quẹſo conſideres actionem. quemadmodum lavacro re-
generationis abluendi, in conſpectu Dei, & ſanctorum Angelorum ſtemus, occul-
ta dedecoris Eccleſia teſte damnantes. Nihil ibi obtectum, nihil abſconditum fuit.
expoliato denique corpore, magnum illud fidei percepimus, & ſervare ſpopondi-
mus ſacramentum: & non ſola voce, verum etiam totius habitu corporis, profite-
mur exuiſſe nos hominem veterem cum actibus ſuis. Cur itaque nunc actum, cui
renuntiavimus, veteris hominis reſumentes, neſcio quid extraordinarium in operto B
de ipſa fide paciſcimur, Eccleſia ignorante, quæ teſtis fuit, quando nos illam ſim-
pliciter ſervaturos palàm & nudi juravimus? Quis porro auctoritatem contemnere
poſſit iſtorum? quis dubitet talium ſequi ſententiam, videns quoniam liberé ab eis,
& intrepidè veritas prẹdicatur? Zoilus quoque Alexandrinæ urbis antiſtes, cùm
Romanum Epiſcopum venire cognoſceret, obviam illi ad Siciliam miſit, conque-
rens neceſſitate ſe ad ipſius decreti affirmationem fuiſſe compulſum: quod hîc ei,
poſtquam venit, idem Romanus Epiſcopus in facie palàm, nobis quoque inter alios
prẹſentibus, exprobravit. Necnon & Effremius Antiochenus, cùm primùm ei man-
daretur, ut hoc etiam ipſe reſcribendo firmaret, conſentire noluit. At poſtquam
ei denunciatum eſt, quòd excludendus eſſet, niſi faceret, ſui potius honoris,
quàm veritatis, dilector inventus eſt. Quid etiam Petrus Hieroſolymitanus?
nonne publica notitia refert, quoniam conveniente ad ſe multitudine monachorum,
rum, juratus pronuntiavit, quod ſi quis eidem decreto novitio conſentiret, con- C
tra Calcbedonenſe Concilium faceret? nec tamen ſe ab ejus conſenſione ſuſpen-
dit. Hoc autem, velut hẹreditarium, de prẹvaricatione primæ illius mulieris
cognoſcimus eſſe contractum, quæ priùs interdictum ſibi fuiſſe reſpondit, ne de
ligno quod erat in medio paradiſi comederet, & poſtea quod ipſa illicitum pro-
nunciaverat uſurpavit, ac viro ut comederet perſuaſit. Et quid dicemus ad hẹc?
Luc. 18. 8. niſi quod ipſe Dominus dixit: *Verumtamen veniens filius hominis putas inveniet fi-
dem in terra?* Jam verò de aliarum civitatum Epiſcopis quid loquamur, qui &
cum ſcribere compellerentur, palàm reclamaverunt contra magnam Synodum
fieri: & poſt ſubſcriptionem, memorato Stephano Romano Diacono libellos de-
derunt, ſedi Apoſtolicæ tranſmittendos, confitentes in eis quòd à Conſtantinopo-
litano Epiſcopo coacti ſubſcriberent, qui ſi à veſtra pietate quærantur, poterunt &
apud vos noſtris aſſertionibus atteſtari. Unde non ſolùm ipſi qui hæc fecerunt, ſed
& illi etiam qui facientibus communicando conſentiunt, de ignorantia ſemetipſos
excuſare non poſſunt, & fruſtra diſſimulant, fruſtra ſe dicunt neſcire quod factum D
eſt, ſive lucra temporalia diligentes, ſive gratis ſuas animas negligentes. Cui enim
non ſufficiat, ad cognoſcendum cauſæ meritum, ſola confeſſio tranſgreſſorum, &
verbis publicè facta, & libellis expoſita? Manifeſtos habent errores eorum, qui ve-
riſimilibus argumentis, quaſi conſtanter ſua errata defendunt; & iſte illis incogni-
tus eſſe poteſt., auctorum ſuorum confeſſione damnatus? His omnibus accedit &
confeſſio Domitiani Galatæ, Ancyrenſis olim Epiſcopi, quem confeſſum diximus,
quòd ejus complices Origeniani ad Eccleſiæ conturbationem iſta moliti ſunt. Nam
in libello quem ad Vigilium ſcripſit, conquerens de his, qui contradicebant dogma-
tibus Origenis, aſſerentis animas humanas ante corpora in quadam beata vita prẹex-
titiſſe, & omnes quæ fuerint æterno ſupplicio deſtinatæ, in priſtinam beatitudinem,
» cum diabolo & angelis ejus reſtitui; dicit etiam hæc. Proſilucrunt ad anathemati-
» zandos ſanctiſſimos & glorioſiſſimos doctores, ſub occaſione eorum, quæ de prẹexi- E
» ſtentia & reſtitutione mota ſunt, dogmatum, ſub ſpecie quidem Origenis, omnes au-
» tem qui ante eum, & poſt eum fuerunt ſanctos anathematizantes. Hi verò qui pro-
» poſuerant hujuſmodi dogma defendere, id implere nullomodo voluerunt: ſed talem
» relinquentes conflictum, converſi ſunt ut moverent adverſus Theodorum, qui fuit
» Mopſveſtenus Epiſcopus, & moliri cœperunt quatenus anathematizaretur & ille, ad
» abolitionem ut putabant eorum, quæ contra Origenem mota conſtituerant. His au-
tem conſideratis, clementiſſime Imperator, quis non intelligat, quoniam ſi Eccleſia-
rum primates, quorum confeſſiones memoravimus, pro veritate conſtarent, facilè
de vobis poſſent obtinere ne fieret, quod fruſtra ſe non voluntate feciſſe cauſantur.
Quaſi verò propter hoc tantùm ordinati ſumus Epiſcopi, ut ditemur principum do-

A nis, & cum eis inter maximas poteſtates conſedeamus, tanquam divini ſacerdotũ privilegiis fulti: ſicubi autem fallaciis malignorum, quæ nullis temporibus defuerunt, aliquid eis inter tantas reipublicæ ſuæ curas ſubreptum fuerit, quod Eccleſiæ Dei præjudicet, vel Eccleſiæ pacem turbet; non eis debeamus pro ipſorum ſalute quæ ſunt vera ſuggerere, & ſi neceſſe fuerit religionis auctoritate reſiſtere, ac patienter offenſionem quoque illorum, ſi acciderit, ſuſtinere. Et ubi erit illud propheticum: *Loquebar in teſtimoniis tuis in conſpectu regum, & non confundebar?* Niſi fortè paſtores Pſal. 118. 46.
quidem ad lac & vellera, ad avertendas verò luporum inſidias, & tuenda ovilia, deſertores. Quid enim jam paſſi fuimus, vel quid pati ab Imperatore Chriſtiano timuimus, pro ejuſdem fidei, quam tenet, defenſione certantes? Enimverò dici forſitan ab aliquo poſſet, quòd ſpiritus quidem promptus, caro autem infirma, diu cruciatus ferre non potuit: ut prona ſit indulgentiam ſuccumbentibus tribuere, uniuſcujuſque conſcientia ſuî fragilitas. Solet enim de humanis cordibus, pro devotione ſui fidelis exordii, ſi non perſeveret uſque in finem, veniam puſillanimitas impe-
B trare. Sed in hac cauſa quid tandem poteſt excuſationis obtendi? Præſertim cùm veſtra clementia, ſui cognomenti non immemor, in ipſis quoque contradicentibus ſibi hæreticis nihil egerit inclementer. Si quid igitur ob hanc cauſam aliquis pertulerit, illorum magis eſt invidioſis ſuggeſtionibus imputandum, qui diſſimulantes ab aliis, unum ſibi ſolum contradicere querebantur. Quaſi verò non ſtatim, ut meditatio facti hujus innotuit, Chriſtianæ plebis offendit auditum: ut unus hoc voluiſſe facere diceretur, tanquam magnæ & ſingularis eſſet juſtitiæ, non condemnare tot venerabiles, qui contra Calchedonenſe concilium hoc fieri cognoverint, palámque deteſtati ſunt. Qui tamen ſubſcripſerunt diffinitionibus libri, in quo dictum eſt, Si quis dicit, hæc nos ad abolendos aut excludendos ſanctos patres, qui « in Calchedonenſi fuere concilio, dixiſſe, anathema ſit; atque ita ſemetipſos ana- « thema fecerunt: Qui dicentes adverſus ſanctos patres, qui in Calchedonenſi fuere « concilio, hæc eſſe conſcripta, adſenſerunt, ut ſi quis hoc dicit, fiat anathema. Quòd ſi hoc etiam non fuiſſet, nunquid inter canones atque ſtatuta, quibus de re-
C bus divinis decernitur, haberi debet, ut ſi quis de conſcriptore, quicumque ſit aut dicatur, illius libri aliter crediderit, quàm vult ipſe conſcriptor, anathema ſit velut hæreticus: cùm ſi videbatur ita decerni ac dici debuerit, ut anathema fieret, ſi quis ad abolendos aut excludendos ſanctos patres, qui in Calchedonenſi fuere concilio, eis quæ in memorato libro dicta ſunt uteretur. Nunc autem, ne quis talibus dictis reſiſteret, omnibus interdicitur queri: uti verò eis ad excluſionem ſanctæ ſynodi, nulli negatur. Verùm quia, ſicut prædixeramus, tam epiſtolam venerabilis Ibæ, & Theodoreti ſcripta, quàm Theodori ejuſque dogmata in præjudicium ſynodi Calchedonenſis probavimus eſſe damnata: illud etiam, quod ſecundo partitionis loco promiſimus, hoc volumine terminato jam debemus oſtendere. Quoniam fruſtra negatur eandem epiſtolam à ſynodo fuiſſe probatam: ſed Eutychiani, ut nobis illuderent, hoc mendacium per ſuos ſeminavere fautores.

FINIS LIBRI QUARTI.

FACVNDI EPISCOPI HERMIANENSIS,

PRO DEFENSIONE TRIVM CAPITVLORVM,

LIBER V.

CAPUT PRIMUM.

Quod epiſtolam Ibæ orthodoxam revera pronuntiarit Synodus Calchedonenſis, falſoque dicant adverſarii ab ea non fuiſſe ſuſceptam.

INTENDE nunc, Auguſte, quàm manifeſta & multiplici ratione hoc etiam demonſtretur, quod ſequenter me demonſtraturum eſſe promiſi, quoniam hęreticorum fautores aperto mendacio nos decipere voluerunt, ut dicerent epiſtolam venerabilis Ibæ *a* à Concilio Calchedonenſi non fuiſſe ſuſceptam. Ubi dum recitaretur, ex præcedentibus geſtis, apud reverentiſſimos Photium, & Euſtachium, atque Uranium Epiſcopos habitis, quæ contra memoratum Epiſcopum Ibam protulerat Theophilus diaconus, qui ejus adverſarius » exiſtebat, conſidentibus Epiſcopis, talis eſt data ſententia: *b* Cognovimus ex ſen» tentia reverentiſſimorum Epiſcoporum, Ibam reverentiſſimum Epiſcopum innoxium » demonſtratum. Lecta enim ejus epiſtola, cognovimus eum eſſe orthodoxum, & » ob hoc decernimus, & honorem ei Epiſcopatus, & Eccleſiam, de qua injuſte & ab» ſens expulſus eſt, inſtaurari. Vides quomodo nobis hęretici per ſuos ſatellites vo-

(Margin letters: A at "multipli-", B at "ab-")

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

a A CONCILIO CALCHEDONENSI. Ibæ Epiſcopi & epiſtolæ ipſius cauſa diſcuſſa eſt actione IX. & X. Synodi Calchedonenſis, relectiſque geſtis, quæ apud Tyrum & Berytum in eadem cauſa præceſſerant, Ibas innoxius, epiſtola, ut Facundus ait, orthodoxa pronuntiata eſt. Quibus conſentanea ſunt, quæ Innocentius Maroniæ Epiſcopus ſcribit in Collatione Conſtantinopoli habita inter orthodoxos & Severianos his verbis: CONTRAD. *Et Ibas ergo juſte ſuſceptus eſt à Calchedonenſe Concilio?* EPISC. *Ibæ & accuſantium eum judicium ex Imperiali auctoritate delegatum eſt Photio Epiſcopo Tyri, & Euſtachio Epiſcopo Beryti, & Uranio Imerinæ civitatis Epiſcopo. Qui reverentiſſimi viri, & nimium horrentes Neſtorii blaſphemias, cum omni diligentia diſcutientes eum, immunem & ſine culpa eum decreverunt, ſicut & acta ipſorum, & relatio manifeſtat. Quem ergo Iudices juſtificaverunt, quemadmodum Concilium poterat condemnare?* Epiſtolam tamen Concilio ſuſpectam fuiſſe docet. *Recenſita*, inquit, *præfata epiſtola in Calchedonenſi ſancto Concilio, non aliter pravidit ſuſcipi eum propter ſuſpiciones in ea inſertas, niſi & ipſo Neſtorium, & omnia decreta ejus anathematizaſſet. Et poſtquam anathematizavit, tunc ſuſceptus eſt in ſancto Concilio.* Unde & Synodus V. generalis, quæ eandem epiſtolam actione VI. liquidò damnat ut hæreticam, non diſſimilem Calchedonenſis Concilii de ea ſenſum vult fuiſſe, poſthabitis, ut ait, iis quæ unus aut alter pro illa dixerant, orthodoxam videlicet appellantes. C

b COGNOVIMUS EX SENTENTIA. verba ſunt Legatorum ſedis Apoſtolicæ, qui ſententiam primo loco dixerunt. Quę deinde ſubjiciuntur, *Ex his quæ nuper*, Maximi ſunt Antiocheni. Illa denique, *Dudum quidem ex relectis*, Eunomii Epiſcopi Nicomedienſis. Quas eaſdem Epiſcoporum ſententias profert etiam, & examinat Vigilius in Conſtituto.

luerunt

A luerunt illudere, ut hanc epiſtolam jactarent ſuſceptam à Concilio non fuiſſe? cùm
palàm ſit, quod ex ejus lectione conſcriptor ejus Ibas innoxius & orthodoxus ab ea
fuerit judicatus; & ob hoc eum & honorem Epiſcopatus, & Eccleſiam recipere de-
creverint, de qua injuſtè fuit expulſus. Sciebant igitur Eccleſiæ pietatem ferre
non poſſe, ſi condemnanda diceretur epiſtola, quam ſynodus approbavit, vel po-
tius ipſa ſynodus, propter quod eam judicavit orthodoxam. Non enim ipſam tan-
tummodo Ibæ epiſtolam, ſicut jam diximus, quaſi Neſtorianam culpare, & abji-
cere præſumpſerunt; ſed approbatores quoque ejus, qui eam rectam dicunt, &
anathemati non ſubjiciunt. Et qui magis intelligendi ſunt ejus approbatores, quàm
patres qui Calchedona convenerant, & eam judicaverunt orthodoxam? Hæc igitur
ſcientes, & arbitrati quòd ita poſſint in ipſius epiſtolæ damnationem catholicorum
conſenſus adducere, jactaverunt quod à magno Concilio ſuſcepta non fuerit, cùm
in eo rurſus ita pronuntiatum novèrimus: Ex his quæ nuper lecta ſunt, clarum eſt, “
B quia reverentiſſimus Ibas innocens eſt ab omnibus quæ ei illata ſunt, & ex relecto “
reſcripto epiſtolæ, quod prolatum eſt ab ejus adverſario, orthodoxa apparuit ejus di- “
ctatio. Numquid ergo adverſus iſtas evidentiſſimas ſuper epiſtolam memoratam ſen- “
tentias, cùm poſt ejus condemnationem exprobrare nobis cœperint hæretici, quod
epiſtolam noſtro judicio Neſtorianam ſynodus Calchedonenſis pronuntiavit orthodo-
xam, poſſemus dicere falſum eſſe, & è contrario demonſtrare, quod eam ipſa quo-
que reprobaverit atque damnaverit? Advertis igitur, Imperator, quod inimici juſti-
tiæ illudere voluerint Eccleſiæ Chriſti, & avocare nos à veraci aſſertione, qua de-
fendi eadem epiſtola meliùs & fortiùs poteſt; atque divertere ad falſæ denegatio-
nis inane ſuffugium: ut nunc interim affirmaremus eam Neſtorianam, negantes à
Concilio eſſe ſuſceptam, & poſtea convicti ab eiſdem manifeſto & impudenti men-
dacio, quia ſuſcepta eſt, nihil jam reſtaret, quod in ipſius Concilii defenſionem reſ-
pondere poſſimus. Et ideo non recipimus mendacii conſilium, neque nos ſui ſimiles
C hæretici valebunt efficere. Nam & ſuſceptam dicimus, & quod omnino fuerit ſuſ-
cepta monſtramus; quia verax ſemper eſt Eccleſiæ pro veritate defenſio, nec un-
quam fuit indiga falſitatis. Antè verò nobis diſcutiendum eſt, cujuſmodi ſint ea, quæ
per ſuos fautores ad noſtram deceptionem jactaverunt, ut eam denegaremus eſſe
ſuſceptam. Primum itaque videamus, utrum nobis dicendum ſit, aut creden-
dum, quod perſuadere conati ſunt, quia epiſtolam non venerabilis Ibæ, ſed ne-
ſcio quam ſcripturam poſtulationis & deprecationis, quam Photio, & Euſtachio, &
Uranio Epiſcopis omnis clerus Edeſſenæ civitatis pro ipſo Iba Epiſcopo miſerat, ſyno-
dus pronunciavit orthodoxam. Sed quid reſpondebimus, cum poſtea vel ipſi, vel hi
quibus favent hæretici, nobis dixerint, quod illa ſcriptura *c* poſtulatio & deprecatio
omnis cleri Edeſſenæ civitatis ſynodalibus geſtis appellata ſit, ſententia verò ſynodi ex
relecta ejus epiſtola orthodoxum eum apparuiſſe teſtata eſt: & quia illam poſtulatio-
nem & deprecationem, ab omni clero Edeſſenæ civitatis ad Photium, & Euſtachium,
D atque Uranium Epiſcopos datam, Ibas Epiſcopus pro ſe recitari petivit; ſententia verò
ſynodi, ſicut eadem quæ poſuimus verba declarant, de reſcripto epiſtolæ ipſius Ibæ,
quod prolatum eſt ab ejus adverſario, pronunciavit, quod orthodoxa apparuit ejus
dictatio? Facillimè itaque probabunt, ſi tamen ulla probatione hîc opus eſt, aliud
eſſe quod pro ſe recitari petivit Ibas Epiſcopus, & aliud quod contra eum protulit
qui ejus adverſarius exiſtebat. Sed & hoc adjicient, quia nec attinebat ad rem, ut de
poſtulatione & deprecatione cleri Edeſſenæ civitatis pronunciaretur, quod orthodoxa
eſſet ejus dictatio; cum potius ſuper epiſtola Ibæ ſententia ſynodi expectaretur, utrum
eam hæreticam, an orthodoxam judicarent. Cùm ergo & illud objicerent, quod ſimi-
liter in eadem ſynodo dictum eſt: Dudum quidem ex relectis innoxius demonſtratus
eſt reverentiſſimus Ibas; in quibus etenim viſus eſt culpare malè loquens beatiſſimum
Cyrillum, in poſterioribus rectè confeſſus reſpuit illa quibus culpaverat; numquid
contra mutire? nunquid reſpirare valebimus? Quid enim Ibas Epiſcopus in illa po-
ſtulatione & deprecatione, quam pro illo clerus omnis Edeſſenæ civitatis miſerat, lo-
E cutus fuerat de B. Cyrillo, quod diceretur in poſterioribus reſpuiſſe? Si quis autem
legat ejus epiſtolam ad Marim Perſam datam, quam in ſequenti libro ponemus, ibi
hęc omnia recognoſcit. Verum ecce, ſi multiplicibus documentis oſtendent, quod
epiſtolam Ibæ ſynodus orthodoxam judicavit, de qua ipſe Ibas fuerat accuſatus; num-
quid oſtendimus & nos, ubi omnis clerus Edeſſenæ civitatis accuſatus eſt, quod non

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

c POSTULATIO ET DEPRECATIO. Διδασκαλία καὶ παράκλησις παρὰ παντὸς τοῦ κλήρου τῆς Ἐδεσσηνῶν μητροπόλεως. Sic enim inſcripta eſt. In clericorum porro ſubſcriptionibus διδασκαλία ſolùm appellatur, quam interpres Synodi nunc *inſtructionem* reddit, nunc *ſuggeſtionem*.

orthodoxam poſtulationem & deprecarionem pro ipſo Iba Epiſcopo miſerit, ut oe- A
ceſſarium ſyoodo videretur de illa pronuociare, quòd orthodoxa fuerit ejus dictatio:
aut eriam ſi hoc poſſet oſtendi, approbario poſtulationis & deprecationis illius,
Ibam Epiſcopum, & non ipſos deprecatores abſolveret. Nam & ipſius ſententiæ
recitare verba debemus, ſi fortè, quemadmodum ſuper Ibæ epiſtnlam factum eſt,
aliquis patrum dixit in illa ſynodo: Scriptura poſtulationis & deprecationis omnis cle-
ri Edeſſenæ civiratis nrthodoxa nobis apparuit. Sed nihil tale valebimus oſtendere,
& optimè ſcimus, quia neceſſe nnn erat illam poſtulationem & deprecationem or-
thodoxam pronunciari, de qua nulla talis quæſtio vertebatur. ſed ut nns ad illius epi-
ſtolæ condemnationem hæreticorum fautores iodocerent, iſta finxerunt. Nam qua-
re Iba Epiſcopo accuſatn, omnis clerus Edeſſeoæ civitatis prnnunciaretur orthodo-
xus; aut orthodoxo proouociato omni clern Edeſſenæ civitatis, Ibas abſolveretur
Epiſcopus? Denique fraude ſe iſta jactaſſe, etiam ipſi, extorquente veritate, vel in- B
viti, vel neſcii prodiderunt. Nam poſt multas & varias ſuas adinveotiones, poſt
labores magons, & infructuoſos, quibus ad deceptionem facilium apertam lucem ver-
» bis inanibus obſcurare conati ſunt, in eodem libro ſuo dixerunt: Culpans Joannes
» hæreticus ſaoctam ſynodum, oſteoditur eadem quidem ſapere ſicut ad Marim epiſtn-
» la: confitens autem eam expulſam atque deſtructam à ſancta ſynodo, confitetur etiam
» ſimiliter expulſum ab ea & Theodorum impium Mopſveſtenum. Er quooiam calum-
» oiarores non reſpiciunt in ultimo ordioe definita, ſed aote perfectum judicium à qui-
» buſdam forſiran dicta, oportet cognoſcere rectam habenres intentionem, quia in ſy-
» oodis nihil præjudicant, quæ ante perfectum judicium à quibuſdam forſitan dicta
» ſunt, eis quæ ab omnibus ſimul io ultimo defioiunrur ordine, licet diſſnna communi
» appareant calculo. Denique ſanctus Aoatolius dixit, quia Dioſcorus nnn propter fi-
» dem damnatus eſt, & boc oeque præjudicium communi calcolo ſynodi fecit, neque
» Dioſcorum ab adjudicatione liberavit in Eutycbis permanentem perverſitare. Io his C
igitur omnibus, omitto nunc arguere, quòd in boc libro neſcin quis Joaooes hæreti-
cus non eſt probatus eadem ſapuiſſe, ſicut ad Marim epiſtola, vel quia ita ſapuerit
eſſe deteſtandus. Omitto quia nec illud probatum eſt, quod jactatur idem Joannes
fuiſſe coofeſſus, prædictam epiſtolam deſtructam atque expulſam à ſancta ſynodo.
Omitto quia nihil Theodoro præjudicat, quòd eum ſimiliter à ſynodo expulſum di-
xiſſe fertur, quooiam ſi ab illo exigeretur, probare nno poſſet. Hoc eſt uoum, quod
vnlo dicere, quia licet trepidis & inconſtantibus verbis, prndiderunt ſcire ſe quod
à ſyondo epiſtola illa ſuſcepta ſit, ſed ut nobis illuderent illa omnia confioxerunt.
Nam quomodo neſcientes de illa ſynodum prntuliſſe ſententiam, dicerent qund in
ſynodis nihil præjudicent, quæ ante perfectum judicium à quibuſdam forſitao dicta
ſunr, eis quæ ab omnibus ſimul in ultimo definiuntur ordine? Ergo licet quibuſdam
diſſonantibus, ſcire ſe tamen cnnfeſſi ſunt de venerabilis Ibæ epiſtola ſynndum ju- D
dicaſſe. Quod etiam in poſterioribus ejuſdem ſui libri ſimiliter produnt, ita dicen-
» tes: Et hæc quidem dicta ſunt, ut oſtenderetur omnibus, quia in his quæ factæ
» ſunt ſynodi, vel ſi qua, ut ſæpe contingit, diſſonantia ab judicantibus facta fuerat;
» attamen nullus ea quæ per patres dicuntur attendit, ſed ea quæ ab omnibus ultimo
» diffiniuntur in nrdioe. Verùm nobis ſufficit, eorum dolos etiam ipſis confitenti-
bus cognoviſſe. Ceterùm, nec iſtis adinventionibus aſſentimus. Primùm quidem,
ne cum illis noo ſolum mendaces, ſed etiam in ipſo mendacio deprebendamur inſta-
biles, ut dicamus, non de Ibæ epiſtola, ſed de ſcriptura poſtulationis & depreca-
tinoſs omnis cleri Edeſſenæ civitatis, ſynodum pronuntiaſſe, ſed io ſynndis oihil præ-
judicare quæ ante perfectum judicium à quibuſdam forſitan dicta ſunr. Deinde
quia inveniuntur eadem ſuper epiſtola Ibæ ſententiæ, non ante perfectum judicium,
ſed in ultimo, ſicur dicunt, ordine promulgatæ; & non aliquorum, ſed omnium
eſſe, quibus nullus eſt refragatus. Exigitur enim à oobis atque dicitur, Probate E
Concilii diſſooantiam, quam dicitis. oſtendite ubi quibuſdam pronuotiantibus or-
thodoxam eſſe Ibæ epiſtolam, alii contradixerunt quod impia fuerit & profana, &
poſt diſſonantiam quam dicitis ante perfectum judicium factam, concordem io ulti-
mo ſententiam ſyoodi demooſtrate, Neſtorianam baoc & blaſpbemam epiſtolam reſ-
puentis. alioquio Neſtoriaoa etiam illa ſynodus fuit, quæ talem epiſtolam ortbn-
doxam judicavit. Apparet igitur, quòd his omnibus mendaciis inaniter adinventis,
non excuſari, ſed inexcuſabilis potius videri tanta ſynodus poſſit, tanquam nihil ha-
beat, quo defeodi veraciter queat.

A

CAPUT II.

Quod falſo dicant Ibam negaſſe in judicio Epiſcoporum Photii & Euſtachii epiſtolam illam ſuam eſſe.

UNDE nec iſtud dicimus, quod item in ſæpe dicto ſuo libro, qui prænotatus eſt falſo titulo nominis ſui, dixerunt, quia illam epiſtolam apud judices Photium & Euſtachium *d* ſuam eſſe negavit Ibas Epiſcopus. Quod & ipſum apertè falſum eſt, & ſi velimus contra conſcientiam dicere, ab ipſis iterum, qui hæc mendacia ſeminaverunt, ſimiliter arguimur, qui poſtea dixerunt, Oſtendite nobis ipſa negationis ejus verba, ſi dixit, mea non eſt hæc quæ adverſum me profertur epiſtola, non ego eam ſcripſi, non ego dictavi. Oſtendite etiam nobis accuſatorum ejus replicationes, quibus eum negantem de hac re, ſicut de aliis quoque cauſis, con- B vincere nitebantur. oſtendite etiam quos teſtes, ut hoc ei probarent, adduxerint. Oſtendite judicum ſententiam, per quam pronunciaverunt, quòd ideo illum abſolverint, quia probari non potuit ejus fuiſſe, quam ſuam fuiſſe inficiatus eſt. & quid horum flagitantibus? nunquid in illis geſtis apud Photium & Euſtachium atque Uranium habitis tale aliquid continetur? An his omnibus nos deficientibus, illud ineptum contrà reſpondebimus, quod in ſuo libro poſuere dicentes, Inventa eſt autem in eiſdem actis apud Photium & Euſtachium habitis, & ſatisfactio Ibæ ad hæc dicentis, quia poſt unitionem orientalium & ſancti Cyrilli nullam injuriam adverſus eum fecerit. & adjiciunt, Si ergo impiam epiſtolam poſt unitionis tempus ſignificat, Ibas autem dicit, quia poſt unitionem nullam injuriam adverſus ſanctum fecerit Cyrillum: oſtenditur apertè, Ibam ad Marim epiſtolam denegaſſe. Porrò hæc adinventio deficax omnino & irriſione digna eſt. Nam licet ante prolatam adverſum ſe epiſtolam in judicio venerabilium Photii & Euſtachii atque Uranii Epiſ- C coporum, hanc de nomine beati Cyrilli altercationem reverentiſſimus Ibas cum accuſatoribus ſuis habuerit; poſt prolatam verò adverſum ſe epiſtolam ſuam, nullum negationis verbum contra retuliſſe doceatur: tamen non ſicut ab iſtis, ad obſcurandam veritatem, vel compoſita, vel attenuata ſunt verba, ſic in illis geſtis habentur. ubi * cùm ei vos objiceret accuſator Maras preſbyter, & diceret, An non dixiſti, quando flagitatum eſt in ſecreto, bonæ memoriæ Cyrillum tanquam hæreticum habuimus, & donec anathematizaſſet ſua capitula non recepimus eum? idem reverentiſſimus Ibas Epiſcopus reſpondit, Verè non ſum memor: ſi autem * & dixi, quia verè Orientale concilium recepit eum, poſtquam ſua capitula retractavit. Et iterum, cùm prædictus Maras diceret, eum de memorato beato Cyrillo dixiſſe, Hæreticum eum habuimus, donec ſua anathematizaſſet capitula. idem reverentiſſimus Ibas Epiſcopus dixit, Ego poſtquam ſua capitula interpretatus eſt, tantùm abſtineo ab anathemate viri: quia & literas ab eo ſuſcepi, & literas ei direxi, & communicavit D mihi, & communicavi ei. Non ergo negavit Ibas, quòd hæreticum eum aliquando fuiſſe putaverit: ſed hoc dixit, quia poſt unitatem factam abſtinuerit ab anathemate viri, quod & illa epiſtola manifeſtat. Non eſt autem idem, quod Ibas Epiſcopus dixit, Ego poſtquam capitula ſua interpretatus eſt, tantum abſtineo ab anathemate viri: & quod iſti eum dixiſſe poſuerunt, quia poſt unitionem Orientalium & ſancti Cyrilli, nullam injuriam adverſus eum fecerit. quaſi conſequens ſit, ut quia jam abſtinuiſſet Ibas ab anathemate beati Cyrilli, ideo nec credere antè, nec poſtea dicere potuiſſet, quòd aliquando fuerit lapſus, quem potiùs converſum ab errore falsè putaverat. Et propterea iſtud quoque commentitium meliùs nos ultro reſpuimus, quàm ab ipſis, à quibus adinventum eſt, cum noſtra confeſſione poſtea refellatur. Si autem quæris, Auguſte, cognoſcere, quòd non iſtis obſcuris & captitiis adinventionibus, ſed ſua ſponte conſpicuis & evidentibus documentis, quæ verè facta eſt negatio demonſtretur; attende quæſo qualis fuerit ſuper alio capitulo E in eadem controverſia ipſius Ibæ negatio, qualis etiam contra replicatio accuſatorum, qualis interlocutio judicum. Unde neceſſarium duxi ex eiſdem geſtis aliqua in hunc librum exempli gratia transferre, ubi prædictus Maras, unus ex accuſatoribus ipſius Ibæ Epiſcopi, dixit: Quid habes de fide movere? *e* Maras alloquens dixit, « Non invideo Chriſto facto Deo. inquantum enim ipſe factus eſt, & ego factus «

cùm ei ſuus objiceret.

& dixi, dixi quia.

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

d SVAM ESSE NEGAVIT IBAS. Non auſum eſſe ſuam dicere adſtruit etiam Juſtinianus in edicto, ἐν Χαλκηδόνι κατηγορηθεὶς Ἴβας μετὰ τὴν εἰσαγωγὴν τῆς ἀσεβοῦς ἐπιστολῆς ἐν ὑπομνήμασι ταύτην [illegible]. Cæterum nihil tale in Synodo V. configitur. Et frivola eſt, quæ opponitur, conjectura, ſciteque à Facundo refellitur.

» ſum. Reverentiſſimi Epiſcopi dixerunt, Confiteatur reverentiſſimus Ibas, ſi hæc ab A
» eo prolata ſunt. Reverentiſſimus Epiſcopus dixit, Anathema ei qui dixit, & ei
» qui calumniatur. ego enim non dixi. Samuel dixit, Teſtes nobis exiſtunt hujus rei,
» ex quibus hîc ſunt. rogamus hos à vobis evocatos ſuſcipi, & propria voce teſtari,
» ſi enim audierint hæc dicentem. Reverentiſſimus Ibas Epiſcopus dixit, Decies mi-
» lies ego ſecari patior, quàm dicere hoc verbum. abſit hoc verbum me vel cogitare.
» ſed ſcio ego, quia unuſquiſque ex confeſſione ſalvatur. Reverentiſſimi Epiſcopi di-
» xerunt, In Eccleſiane dicis reverentiſſimum Epiſcopum Ibam hæc dixiſſe? Samuel
» dixit, Conſuetudo eſt in die ſancto paſchæ, aut ante diem, dare eum de manu cle-
» ricis quædam pro feſtivitate. inde cùm hæc dare futurus eſſet, alloquitur primitus,
» & ſic dat. Allocutus eſt autem hoc, & coram omnibus & præſentibus clericis, ut
» acciperent ea quæ pro feſtivitate dantur: & convincetur ab aliquibus ex iis clericis
» hîc ſtantibus, qui hoc ab iſto audierunt dictum. Reverentiſſimi Epiſcopi dixerunt,
» Ante quantum tempus hæc dixiſſe reverentiſſimum Ibam Epiſcopum profiteris? Sa- B
» muel dixit, Sunt tres anni plus minus, quòd dicta ſunt. Attendis, Auguſte, quem-
admodum priùs à judicibus interrogatus ſit Ibas Epiſcopus, utrum ab eo prolata ſit
illa blaſphemia: quemadmodum etiam accuſatores adverſus eum teſtes produci pe-
tiverunt. quemadmodum judices quæſierint ab accuſatoribus, quo loco, quo tempore,
quibus præſentibus hanc eam blaſphemiam dicerent protuliſſe: & illi pertinaces, & lo-
cum deſignant, & tempus memorant, & teſtes pronuntiant, & quotiens hęc dicta,
quotiens replicata ſint, ipſorum geſtorum cætera ſatis oſtendunt. Quid tale potue-
rimus probare ſuper illa epiſtola factum, ut dicamus quòd eam prædictus Ibas ſuam
fuiſſe negaverit, quam intantum & ipſi judices ejus fuiſſe jam noverant, ut nec in-
terrogandum eum putarent, utrum ipſius fuerit? Fruſtra itaque, ſicut dixi, fauto-
res hæreticorum nos inducere voluerant, ut diceremus quòd illam epiſtolam Ibas
in judicio Epiſcoporum Photii & Euſtachii atque Uranii ſuam eſſe negaverit. Si au-
tem in eorum judicio non docetur Ibas negaſſe, quod ipſius fuerit illa epiſtola, quo- C
modo iſtorum ſuaſionibus acquieſcentes dicemus, quia eam, quod priùs non fecerat,
poſtea in ſynodo ſuam fuiſſe denegavit, ubi potiùs ſuper ipſa inveniuntur prolatæ
ſententiæ, & idem Ibas Epiſcopus ejus relectione purgatur? Nam & hoc in ſuo li-
» bro ita dixerunt: Sed etiam in ſancta Calchedonenſi ſynodo volens Ibas liberum
» ſeipſum de accuſatione epiſtolæ demonſtrare, poſt relectionem ejuſdem, mox hu-
» juſmodi ſermonibus hæc ait: Jubete relegi literas clericorum Edeſſenorum, ut co-
» gnoſcatis, quia ab his quæ mihi illata ſunt alienus ſum, & vim pertuli. & relecta
» eſt quæ data eſt ab eo epiſtola clericorum Edeſſenorum, in qua teſtificabantur ei cum
» jurejurando, quia nulli conſcii ſunt adverſus eum factæ accuſationi, neque cognoſ-
» cunt eum contrarium quiddam rectæ feciſſe fidei. In quibus verbis, illud priùs adver-
tendum eſt, quòd ab illuſione ſolita non recedant, ut illam ſcripturam, quam pro
memorato Iba omnis clerus Edeſſenæ civitatis obtulit, epiſtolam appellent, volen-
tes per epiſtolæ nomen, in aliud nobis convertere ſententiam ſynodi, quæ ſuper epi- D
ſtola ipſius Ibæ prolata eſt: ut credentes quòd illam poſtulationem & deprecatio-
nem cleri Edeſſeni, potius quàm memoratam epiſtolam, pronunciavit orthodoxam,
in condemnationem ejus adduceremur. Deinde quomodo ad denegationem ipſius
epiſtolæ omnis cleri Edeſſeni teſtimonium quæreretur, cùm accuſatores non epiſto-
læ ad Marim ſcriptæ, ſed illius inſuſpicabilis blaſphemiæ, clericos Edeſſenos teſtes
fuiſſe mentiti ſint? In illo itaque capitulo eorum teſtimonium ſynodo relegi neceſſa-
rium fuit, in quo ab accuſatoribus fuerant nominati. Denique nec ipſi de hac epi-
ſtola, ſed & de illa tantùm blaſphemia teſtati ſunt. Nam oſtendant nobis in ipſa
poſtulatione & deprecatione, ubi dixerint quòd illam epiſtolam in judicio reveren-
tiſſimorum Photii & Euſtachii atque Uranii non negatam, in ſynodo poſtea Ibas
Epiſcopus ſuam fuiſſe inficiatus eſt. Alioquin omnibus apparebit, quòd ad illuden-
dum nobis iſta confinxerint: ut ſi hoc mendacium ſectaremur, poſtea nos convin-
cerent, atque confunderent ex manifeſtis ipſius ſynodi ſententiis. quas profectò vel E
ſi probare poſſimus, non ab omnibus, ſed à quibuſdam, ſuper eandem epiſtolam,
ſi eam ſuam negaret Ibas Epiſcopus. Dictum eſt enim illic, ſicut ſuprà meminimus,
Cognovimus ex ſententia reverentiſſimorum Epiſcoporum, Ibam reverentiſſimum
Epiſcopum innoxium demonſtratum. Lecta enim ejus epiſtola cognovimus eum

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

a MARAS ALLOQUENS DIXIT. Rectius in Synodo Calchedonenſi: Μάρας ἀπὸ προσλαλιᾶς εἶπεν. *Maras dixit. Alloquens*, id eſt pro concione, *dixit*. Ibas nimirum, ad quem pertinent quæ ſequuntur. Sunt & alia tum in hoc, tum in ſuperiore Synodi Berytenſis textu, quæ Facundum vitioſo codice uſum eſſe doceant, cùm emendatiora ſint in Calchedonenſi.

A eſſe orthodoxum, & hoc decernimus, & honorem ei Epiſcopatus, & Eccleſiam, de
qua injuſtè & abſens expulſus eſt, inſtaurari. & alia quæ in ipſis geſtis ſimilia
continentur. Quomodo ergo non velut inſanos accuſare convincimur patres, qui
Calchedona convenerant, ſi dicamus eos illius epiſtolæ merito, quam ſuam Ibas
negaverat, & Epiſcopatui & Eccleſiæ reſtitui judicaſſe? Advertat autem ſerenitas
tua, quemadmodum ſe ſcire verum prodant, quòd illam epiſtolam ſuam fuiſſe non
negavit Ibas Epiſcopus. Dixerunt enim & hoc in ſuo libro, quod in noſtro ſecun-
do meminimus: Oportet inſpicere ad Marim epiſtolam, omnia quidem ſine Deo &
impiè dicentem, illud tantummodo oſtendentem bene, quia ex illo Theodo-
rus per Orientem in Eccleſiis anathematizatus eſt. quod non dicerent, ſi ipſam epi-
ſtolam ab Iba crederent denegatam. Sed reſpondeant nobis, cujus teſtimonio uſi
ſunt, quia ex illo Theodorus per Orientem in Eccleſiis anathematizatus eſt? Si enim
Ibas ſuam eſſe negavit illam epiſtolam, & confictam adverſus eum ab accuſatori-
B bus dicunt, ſine dubitatione falſis teſtibus uſi ſunt, quia ex illo Theodorus per
Orientem in Eccleſiis anathematizatus eſt. Si autem, quod magis credendum eſt,
denegant quia falſis teſtibus uſi ſunt, ſcire ſe iterum produnt, quòd illam epiſtolam
ſuam fuiſſe Ibas Epiſcopus non negavit, & ipſam ſynodus pronunciavit orthodoxam.
Poſtremò, quid opus erat epiſtolam, non ſolùm privatam, & ad ſynodum, ſicut
affirmant, nullatenus pertinentem, verùm etiam cujus auctor eſſet incertus, uni-
verſalis Eccleſiæ nuper condemnari ſententia? ſi tamen ſententia fuiſſe dicenda eſt,
ubi ſubſcriptor, non quod ſentiebat aperuit, ſed exemplar potius formulæ ſibi da-
tæ tranſcripſit. Unde vel ſi omnia quæ ſuperiùs dicta ſunt defuiſſent, ſatis indica-
rent, ex ſolo facti ipſius modo ſcire ſe, quòd à Concilio univerſali recepta ſit. Alio-
quin non quærerent, niſi in ejuſdem Concilii præjudicium, ut eam univerſalis Ec-
cleſia condemnaret. Deſinant itaque jam fautores hæreticorum, vel deprehenſi ac
proditi, ut nobis illudant, ſtudioſè jactare, quia ſynodus non Ibæ epiſtolam pronun-
C ciavit orthodoxam: ne videantur non aliquid oculis noſtris, quod medio die vidi-
mus, ſed ipſos oculos, quibus videmus, nobis velle furari.

CAPUT III.

Quod falsò dicant Theodoretum in Concilio Calchedonenſi, niſi poſt damnationem Eutychis atque Dioſcori, non ſediſſe. quodque Synodi auctoritati non obſit, ſi in ea ſedeant qui ab hæreſi reſipuerunt.

SANE videamus quale ſit etiam illud, quod ſimiliter in excuſationem ipſius ſy-
nodi nos aſſerere voluerunt, ut ideo diceremus ſententiam ſuper epiſtolam ad
ejus decreta minimè pertinere, quòd quaſi poſt damnationem Eutychis atque Dioſ-
cori, poſtque fidei definitionem, Theodoretus atque Ibas in Concilio ſederint. Sic
enim eis in ſuo libro viſum eſt dicere de reverentiſſimis Theodoreto atque Iba Epiſ-
copis, Quia propter quod accuſati ſunt, ut Neſtorii dogma ſuſcipientes, non evo-
D cati ſunt, ut ſederent cum ſancta ſynodo. Sed poſteaquam de Eutyche & Dioſco-
ro factum eſt judicium, & diſpoſita ſunt à ſancta ſynodo recta patrum conſtituta,
per quæ adjudicaverunt, & anathemati ſubjecerunt Neſtorium & Eutychem, &
maligna eorum decreta ſequentes; tunc prædicti Theodoretus & Ibas adierunt ſan-
ctam ſynodum. Quis ignarus eorum, quæ in illa ſynodo geſta ſunt, crederet, quòd
iſti de cauſa publica, & in conſpectu omnium ſita, confingere talia potuiſſent?
Quid ergo? non ſedit cùm ſancta ſynodo Theodoretus Epiſcopus, niſi in actione octa-
va poſtquam factum eſt de Eutyche & Dioſcoro judicium, & diſpoſita ſunt à ſancta ſy-
nodo recta patrum conſtituta? Et quomodo refertur in ejuſdem ſynodi geſtis, quòd
f in ipſa prima actione Theodoretus inter alios Epiſcopos ſedit, Conſulatu Martia-
ni Auguſti, VIII. Idus Octobris? An non ibi continentur hæc verba? Glorioſiſſimi
judices & ampliſſimus ſenatus dixerunt: Ingrediatur reverentiſſimus Epiſcopus Theo-
doretus, ut ſit particeps ſynodi, quia & reſtituit ei Epiſcopatum ſanctiſſimus Ar-
E chiepiſcopus Leo, & ſacratiſſimus ac piiſſimus Imperator ſanxit eum adeſſe ſanctæ
ſynodo. Theodoretus reverentiſſimus Epiſcopus tranſiens in medium dixit, Preces
obtuli ſacratiſſimis & Chriſtianiſſimis orbis dominis, & narravi quæ in me acta ſunt
vulnera, & precor has perlegi. Et poſt hanc ejuſdem reverentiſſimi Theodoreti pro-

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

f IN PRIMA ACT. THEODORETUS. Reclamantibus in actione prima multarum provinciarum Epiſcopis, Iudicium auctoritate vix obtinuit Theodoretus, ut ex Synodo non exturbaretur. poſtea in actione VIII. juſſus eſt anathema dicere Neſtorio, atque ita omnium conſenſu Eccleſiæ ſuæ ſedem recepit, & locum in Synodo.

ſecutionem, Interloquentibus iterum glorioſiſſimis judicibus ac ſenatu, quòd & à A
ſanctiſſimo Epiſcopo inclytæ urbis Romæ proprium locum recepiſſet idem Theodo-
retus, & teſtimonium haberet Maximi Antiocheni Epiſcopi quòd catholicæ fidei
eſſet, ſicut ibi ſcriptum eſt, ſedit in medio, ipſoque præſente, & inter alios Epiſco-
pos conſidente, recitata ſunt quæ ſub Dioſcoro Epheſi fuerant geſta. Cumque
damnandus idem Dioſcorus cum Juvenali Hieroſolymitano & quibuſdam aliis vide-
retur, ad Imperatorem priùs referendum eſſe duxerunt. Illud planè fatendum eſt,
quòd Ibas Epiſcopos in ſynodo, non niſi poſtquam ejus cauſa g in ſeptima & octava
ſeſſione diſcuſſa eſt atque finita, ſederit: nam antea Nonnus, qui pro eo fuerat ordi-
natus, in omnibus actionibus ſediſſe relegitur. In ſexto quippe conſeſſu, fidei de-
finitione perfecta, & ab omnibus Epiſcopis ritè ſubſcripta, interlocutus eſt Impe-
rator, ut aliquot diebus expectarent omnes Epiſcopi, & privatæ quorumcumque
cauſæ ibidem finirentur. Poſtquam igitur in octava ſeſſione purgatus eſt idem Ibas, B
his quæ jam fuerant ſuperioribus actionibus definita ſubſcripſit. quod ex ſententia
ſancti Anatolii Conſtantinopolitani Epiſcopi, quam inter alios ſuper ipſius Ibæ
Act. 10. » cauſa in octava ſeſſione protulit, evidenter oſtenditur, cum ait: Judicantium re-
» verentiſſimorum ſententiæ innoxium demonſtrant Ibam reverentiſſimum ab his quæ
» in eum accuſatores intulerant. unde omnem in præſenti de eo ſuſpicionem abji-
» cio, quoniam & conſentit & ſubſcribit ei quæ nunc de fide data eſt ſententiæ à
» ſancto Concilio, & epiſtolæ ſanctiſſimi Archiepiſcopi Romæ Leonis, & dignum
» judico Epiſcopatu, & habere curam in qua pridem exiſtebat Eccleſia. De Nonno
» autem reverentiſſimo Epiſcopo, qui factus eſt pro eo, formam dabit Maximus re-
» verentiſſimus Antiochenus Epiſcopus. Hinc ergo probatur, ut dictum eſt, quod
poſt octavam, in qua purgatus eſt, ſeſſionem prioribus Concilii ſubſcripſerit judi-
catis: quia de illo ſanctus Anatolius in ſua ſententia, ſicut memoravimus, conſen- C
tit & ſubſcribit dixit, non conſenſit atque ſubſcripſit. Non itaque moveat, quòd
cum in ſuperioribus actionibus memoratus Ibas nuſquam legatur ſediſſe, invenitur
tamen in eis cum Nonno pro ſe ordinato judicatis Concilii ſubſcripſiſſe. Nam poſt
octavam ſeſſionem, qua purgatus Ibas Epiſcopatum Eccleſiæ ſuæ recepit, prædictum
Nonnum in aliis actionibus, quibus iſdem Epiſcopus Ibas interfuit, nec ſediſſe,
nec ſubſcripſiſſe reperimus. In ſecunda quoque actione, quæ in codicibus quidem
poſt tertiam ſcribitur, fuit autem eodem Conſulatu, vj. Idus Octobris, in qua de
ſtatutis fidei tractatus incipit, centeſimus & undecimus Theodoretus ſedit. Cumque
poſt recitationem Symboli trecentorum x. & viij. patrum qui apud Nicæam, & cl.
qui apud Conſtantinopolim fuerunt, & duarum epiſtolarum beati Cyrilli, id eſt ad
Neſtorium & ad Joannem Antiochenum, etiam Papę Leonis ad Flavianum relege-
retur epiſtola, dubitantes quidam de aliquibus verbis ipſius epiſtolæ, quod & ſecun-
do libro jam diximus, eodem Theodoreto rationem reddente firmati ſunt. Sic enim
» ejuſdem actionis continent geſta: Cùm legeretur ex eadem epiſtola pars quæ ita con- D
» tinet, Quamvis in domino Jeſu Chriſto Dei & hominis una perſona ſit, aliud tamen
» eſt, unde in utroque communis eſt contumelia, aliud unde communis eſt gloria. de
» noſtro enim illi eſt minor patre humanitas: de patre illi eſt æqualis cum patre divi-
» nitas. dubitantibus Illyricianis & Palæſtinis reverentiſſimis, Theodoretus reveren-
» tiſſimus Epiſcopus Cyrri dixit, Eſt ſimul exemplum beati Cyrilli ita habens, & fa-
» ctum hominem, & non amittentem quod proprium eſt. Permanſit enim idem quod
» erat: intelligitur verò omnino & aliud in alio quod habitat, id eſt, divina natura
» in humanitate. Glorioſiſſimi judices, & ampliſſimus ſenatus dixerunt, Poſt hæc
» omnia adhuc quis dubitat? Reverentiſſimi Epiſcopi clamaverunt, Nemo dubitat.
Hæc omnia ex ipſius ſynodi geſtis in hunc librum tranſtuli. Quomodo ergo dici-
tur de reverentiſſimo Theodoreto Epiſcopo, quòd niſi in octava non ſederit actio-
ne? In actione verò tertia, in qua Dioſcorus eſt damnatus, quæ fuit eodem Conſu-
latu, iij. Idus Octobris, quæ etiam abſque judicibus ac ſenatu celebrata eſt, & pri- E

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

g IN SEPTIMA ET OCT. SESSIONE. Aliud eſt Synodi ſeſſio, aliud actio; cùm in uno interdum conſeſſu plures cauſæ vel actiones explicari ſoleant. In Synodo Calchedonenſi ſex primæ ſeſſiones ſex omnino actiones continent, ſingulæ ſingulas. at ſeſſio ſeptima tres actiones amplectitur, ſeptimam, octavam, & nonam. octava autem unicam actionem, nempe decimam. Denique Synodi univerſæ ſeſſiones, ſive ut Liberatus capite 13. vocat, ſecretarii fuere duodecim, actiones verò ſedecim. Ibæ igitur cauſa, quam nona & decima Synodi actione diſcuſſam ſuprà obſervavimus, rectè à Facundo partim ſeptimæ, partim octavæ ſeſſioni adſcribitur; cùm actio nona, ut dictum eſt, ad ſeptimam ſeſſionem pertineat, decima ad octavam. Quare quæ pauló póſt ex ſeſſione octava proferuntur, in actione decima reperiuntur.

A mæ conjuncta in codicibus invenitur. propterea ſicut exiſtimo, quia in actione prima judicatus erat idem Dioſcorus Epiſcopatus honore privandus, nt ejus condemnatio proxima ſequeretur. ceterum non ſola dictum prænotatio, verum etiam tenor ipſarum actionum, id eſt, ſecundæ ac tertiæ cum legitur, docet quod in codicibus tertia fuerit ſecoodæ propoſita. In qua tertia actione, qoioquageſimo & qnioto loco, Noono, qui pro Iba ordinatus fuerat, ſubſcribente, atque diceote, Nonnus Epiſcopus civitatis Edeſſenæ ſubſcripſi. etiam ipſe Ibas centeſimo ſeptuageſimo ſeptimo loco, ſicut invenimus, damoatiooi ejus ita ſubſcribit, Ibas Epiſcopus Edeſſenæ civitatis ſubſcripſi. deinde quarto cooſeſſu, eodem conſulatu, ſexto decimo Calendas Novembris, centeſimum duodecimum Theodoretum Epiſcopum ſediſſe, & ſuper memorata epiſtola ſancti Leonis trigeſimo & octavo loco interlocutum fuiſſe reperimus, ubi ſcriptum eſt, Theodoretus reverentiſſimus Epi- B ſcopus Cyrri dixit: Concinit epiſtola ſanctiſſimi Epiſcopi domini Leonis fidei à ſanctis & beatiſſimis Patribus in Nicæa expoſitæ, & ſymbolo fidei in Conſtantinopoli dictato à centum & quinquaginta, & epiſtolis beati Cyrilli. De qninta verò actione, quæ fuit eodem conſulatu, undecimo Calendas Novembris, in qua priùs expoſitio fidei recitata eſt, atque ad Imperatorem relata, ut poſtea ſubſcriptionibus omnium firmaretur, nihil probare poſſumus: quia & ſubſcriptio dilata eſt, quemadmodum dixi, & in ipſa relatione, qua narratur quibus conſidentibns eadem expoſitio fidei relecta eſt, denominatis ibi legatis Romanis, & aliis quinquaginta duobus Epiſcopis, dicitur, conſidentibus illis, & reliqua ſancta & univerſali ſynodo, tacetur autem de nominibus ceterorum. In actione verò ſexta, eodem conſulatu, viii. Calendas Novembris, in qua præſens fuit & Imperator, & omnes definitioni fidei ſubſcripſerunt, anathematizantes Neſtorium & Eutychem, & omnes contraria ſentientes, iuvenitur Nonnus ſediſſe vigeſimus octavus, ſubſcripſiſſe autem trigeſimus primus hoc modo, Nonnus Epiſ- C copus Edeſſenæ metropolis definiens ſubſcripſi. Ibas etiam quamvis, ut diximus, ſediſſe non relegatur, invenitur tamen ſubſcripſiſſe oonageſimus in his verbis, Ibas Epiſcopus Edeſſenus definiens ſubſcripſi. Sed & Theodoretus centeſimus vigeſimus ſeptimus ſediſſe, ſubſcripſiſſe autem centeſimus & trigeſimus tertius in eiſdem verbis, *b* Theodoretus Cyrri definiens ſubſcripſi. Quomodo igitur adverſus tantam rerum evidentiam fautores hæreticorum meotiri oon puduit, ut dicerent Theodoretum Epiſcopum, niſi poſt definitionem fidei, oon interfuiſſe Concilio? Et tamen adhuc exigunt in tot falſitatibus deprehenſi, ut eorum teſtimonio nunc condemnetur epiſtola, quam ante centum fermè annos univerſalis ſynodus approbavit. Quis dabit judicium juſtum, & non ipſi potiùs damnabuntur, qui talia confinxerunt? Aut qoomodo admittentur, vel atteſtari, vel accuſare quemquam contra paternos canooes, quos in tantis convincimus eſſe mendaces? Et ſi quis noluerit talibus aſſentiri mendaciis hæreticus appel- D latur, tanquam hæreticorum ſit nolle mentiri. His porro falſitatibus ſubſcribentes, & in talibus conſtituentes defenſionem ſynodi, quid pro illa poterimus Eutychianis reſpondere, cùm manifeſta nos veritate convicerint? Aut quanta neceſſitate videbimur ad talia confugiſſe mendacia, in quibus lateodi nullus eſt locus, tanquam nihil remaoſerit quod pro eadem ſancta ſynodo veraciter reſpondere poſſimus? Non ergo nobis perſuadebunt qui Eutychianorum calumnias ſimulatoriè refellendo corroborant, ut dicamus, quòd non ante ſynodum ingreſſus eſt Theodoretus, quàm de Eutyche & Dioſcoro factum eſt judicium, & expoſitio fidei terminata. Hæc enim ſi cum illis dicamus, procuIdubio convincimur, nec evitamus hæreticorom calumoias, ſed magis magiſque firmamus. Sciant ergo nos intelligere, qui nobis talia perſuadere nituntur, quòd nimis familiariter inimicitias cum Eutychianis exerceant. Verum eſt, non interfuerit Theodoretus, ſicut nec Ibas, Calchedonenſis definitioni concilii: hæccine dicenda erant, ut oſtenderemus epiſtolam venerabilis Ibæ, non ad decreta ipſius Con- E cilii pertinere, quia poſt fidei definitionem, de illa judicatum eſt? Sic igitur etiam canones Eccleſiaſticæ diſciplinæ, qui utiliter ibi ſunt poſt definitionem conſtituti, non ad eamdem ſynodum pertinere dicentur. Et utinam docerent, cui ſynodo illos debeamus adſcribere, ſi ea quæ à Calchedonenſi concilio geſta ſunt, Calchedonenſis con-

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

b THEODORETVS CYRRI. In actis Synodi Θεοδώρητος ἐπίσκοπος Κύρου ὁρίσας ὑπέγραψα. Syriæ Euphrateſiæ urbem, cui præfuit Theodoretus, alii Cyrrhum Κύῤῥον vocant, ut Plinius, Ptolemæus, Stephanus. alii Cyrum Κύρον. quomodo apud Theodoretum ipſum paſſim, Procopium de ædificiis, & Hieroclem in Synecdemo, ubi ejus provinciæ urbes recenſentur, Ἱεράπολις, Κύρος, Σαμόσατα, & reliquæ. Eodem modo cives vel κυρηστὰ, vel κυῤῥηστὰ à ſcriptoribus appellantur. & in nummis antiquis Antoninorum ac Philipporum legere eſt. Διὸς καταιβάτου κυῤῥηστῶν, vel κυρηστῶν, ſeu κυῤῥηστῶν, cum templo vel ſimulacro Jovis catabatæ, qui in ea urbe colebatur.

cilii non ſunt. Dein de quomodo contraria, & ſemetipſa deſtruente aſſertione, illa A ſynodus excuſetur? Nam qui nos in ejus purgationem voluerunt dicere, quòd nemo reſpicere debeat ea quæ ante perfectum judicium à quibuſdam forſitan dicta ſunt, ſed quæ in ultimo ordine definita; ipſi contra nunc ſuadent, ut per hoc ſynodum defendamus, quia poſt definitionem de illa ſit epiſtola judicatum, ut nos poſtea, non tantùm rei oſtenſione, verùm etiam ipſius noſtræ aſſertionis contrarietate convincant. At non ita nos ratio déficit ad defendendam ſynodum ſuper Ibæ epiſtola, ut inde illam contra Eutychianorum calumnias inaniter excuſari velimus, unde contra Neſtorianos excuſari non valeat. Nam ſi ob hoc definitio fidei, quæ in illa ſynodo facta eſt, contra Eutychianorum calumnias defendatur, quia propter quod accuſati fuerant Theodoretus & Ibas, ut Neſtorii dogma ſuſcipientes, non evocati ſunt, ut aoſtè ſederent cum ſancta ſynodo: ob hoc contra Neſtorianorum calumnias defendi non poterit, quòd Anatolius Conſtantinopolitanus, qui ante Antiochenum priorem illic ſibi locum uſurpaverat, & ipſe Maximus Antiochenus, & Juvenalis Hieroſolymi- B tanus ibi ſederunt, qui vel dogmate, vel communione Eutychianorum polluti antè fuerant. Nam & venerabilis Anatolius, ejecto pro vera fide ab Eutychianis beato Flaviano, & ſanctus Maximus ſimiliter pro Domno Epiſcopo ab eis fuerat ordinatus, & Juvenalis in ipſum dogma Eutychianum lapſus, ab Eccleſia erat excluſus: quod & literę beati Leonis, & aliorum ſcriptorum monumenta declarant. Non ergo ſic velimus fidei, quæ in illa ſynodo firmata eſt, conſtituta defendere, ut ea dicamus, quæ nos quidem nihil contra Eutychianos, ſed Neſtorianos contra Eccleſiam plurimùm juvant. Numquid verò tantum valere poſſunt, ad inclinandum in ſuam ſententiam Concilium Theodoretus & Ibas, quantum Conſtantinopolitanus, & Antiochenus, atque Hieroſolymitanus Epiſcopi, qui primi poſt legatos Apoſtolicæ ſedis ibi ſederunt? ut de aliis quamplurimis taceam, qui per impotentiam Dioſcori in adfirmationem dogmatis Eutychiani ſubacti priùs fuerant. aut tantus labor eſt nobis Calchedonenſe concilium adverſus Eutychianos ſuper Ibę epiſtola defende- C re, quantus nobis eſt contra Neſtorianos, non ſolùm pro perſonis multorum omninò Epiſcoporum, qui fuerunt in illo Concilio, verùm etiam pro interlocutione ſancti Anatolii Conſtantinopolitani Antiſtitis, * quem Dioſcorus coofirmatorem Eutychiani dogmatis, & Catholicę fidei oppreſſorem in illo Concilio dixit, *i* non pro fide fuiſſe damnatum? Unde nobis Neſtoriani dicunt, Quomodo illam ſynodum recepiſtis, in qua non ſolùm multi, ſed etiam potiore loco ſederunt Epiſcopi, qui & ab Eutychianis ordinati ſunt, & Eutychis atque Dioſcori dogma ſecuti probantur? Aut quomodo aſſeritis eam pro damnanda Eutychis atque Dioſcori perfidia congregatam, cùm ibi Conſtantinopolitanus Anatolius perfidiam Dioſcori, quæ communis illi cum Eutyche fuerat, approbavit, pronuntians eum non pro fide damnatum? Si autem nos iſta Neſtorianorum non commovent, multo minus illa Eutychianorum poterunt commovere. Facile eſt enim, ut ipſis quoque Neſtorianis oſtendamus, quoniam tale eſt ut dicant nullius eſſe D auctoritatis, quod reſipiſcentes à præſumptione Dioſcori patres, qui cum aliis Calchedona convenerant, definierunt: quale ſi dicatur, etiam Petri Apoſtoli doctrinam, quam de Chriſto cum aliis Apoſtolis prædicavit, nullius eſſe auctoritatis, quòd Chriſtum aliquando negaverit, aut quod reprehenſus fuerit à Paulo, cùm non rectè ambulans ad veritatem Evangelii gentes judaizare compelleret. Quale eſt etiam, ſi Sabelliani dicere velint, ideo ſe non ſuſcipere Eccleſiæ de Trinitate doctrinam, quoniam *k* multo plures Epiſcopi, quàm qui in ſecunda non dicenda ſyno-

Qui Dioſcorum confir.

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

i NON PRO FIDE DAMNATVM. Nicolaus I. epiſtola 8. ad Michaelem Imp. Dioſcorum ait ideirco potiſſimum fuiſſe damnatum, quia excommunicationem adverſus Leonem Papam dictare præſumpſerat. *Abſque omni controverſia*, inquit, *hoc in eo ulti ſunt, quia cùm eſſet inferior potiorem quibuſlibet conatus eſt inceſſere contumeliis, teſte Anatolio Conſtantinopolitano Præſule, qui dicit, Propter fidem non eſt damnatus Dioſcorus, ſed quia excommunicationem fecit domino Archiepiſcopo Leoni.* Non quod obſcurum eſſet Dioſcorum in Eutychis hæreſi fuiſſe, quam apertè defenderat: ſed quia, ut legati ſedis Apoſtolicæ ſententiam in eum Actione III. proferentes diſſerunt, ignoſci ei poterat, ſicut ceteris Epiſcopis, qui illo duce peccarant, niſi ſecundis exceſſibus, ac præſertim excommunicatione illa in Leonem, priora crimina cumulaſſet. Sed Anatolii aliud fuit, ut Facundo placet, de Dioſcori fide judicium.

K MVLTO PLVRES EPISCOPI. Pſeudo-ſynodi Epheſinæ λῃστρικῆς, ut ex actis patet quæ apud Calchedonem recitata ſunt, Epiſcopi fuere E non plures quàm cxxx. In Ariminenſi, teſte Athanaſio libro de Synodis, ſupra quadringentos numerati ſunt, ὅσοι δὲ ἐν αὐτῇ ἐπίσκοποι υ', καὶ πλέον. Quo loco interpres ν' pro υ' legens, quinquaginta reddidit pro quadringentis. Nam de numero alii etiam conſentiunt, ut Sulpitius Severus libro II. Hiſtoriæ, *acciri aut inacti quadringenti & aliquando amplius Occidentales epiſcopi.* Quod ſi Severo credimus, qui Arianos in his ſtitiſſe fuiſſe non amplius quàm octoginta, reliquum eſt, ut orthodoxi fuerint ſupra trecentos, duplo videlicet, quam in Epheſina II.

do

A do Epheſina convenerant, apud Ariminum in Arrianum dogma fuerant ſubacti,
opprimente Conſtantio. Sicut ergo Sabellianis dicimus, quòd non propterea
fugienda ſit Eccleſiæ de Trinitate confeſſio, quia in Ariminenſe conciliò multi
Arriano dogmati cohibentes, tres diverſas ejuſdem ſanctæ Trinitatis mentiti ſunt eſſe
naturas: ita Neſtorianis quoque dicimus, quòd non propterea fugienda ſit Calche-
donenſis ſynodi de una Chriſti, id eſt, Dei hominiſque ſubſiſtentia ſancta confeſ-
ſio, quia prius opprimente Dioſcoro, multi cedentes Eutychiano dogmati, unam
ejuſdem ſubſiſtentiæ mentiti ſunt eſſe naturam. Aut quia Græcos, quamvis non
omnes, immò comparatione omnium pauciores, in Dioſcori ſententia lapſos fuiſſe
cauſantur, ſequantur tantorum ſententiam Latinorum, qui cùm non poſſint ab
eis, de conſenſu Eutychis aut Dioſcori, vel cujuſlibet alterius accuſari, ipſam tamen
habent de incarnatione Chriſti ſententiam, quam Calchedonenſe concilium ſtatuit.
De interlocutione quoque ſancti Anatolii, quam ſuper Dioſcori perſona protulit,
B reſpondimus, quia non ad hæreſis crimen pertinere dicendum eſt, aliqua parte cum
Dioſcoro bene ſenſiſſe. Non enim ipſam perfidiam Dioſcori ſanctus Anatolius
approbavit, ſed eum potius ab ipſa perfidia fieri voluit excuſatum. Aliud eſt enim,
ideo hæreticum excuſare, quòd catholicus putetur, & aliud ipſam hæreſem ap-
probare atque defendere: quemadmodum aliud eſt, ideo accuſare catholicum quòd
hæreticus putetur, & aliud ipſam improbare ac reprehendere catholicam fidem.
Nam poteſt caſtitatis approbator atque dilector, non approbata fornicatione, for-
nicatorem, dum in perſona fallitur, approbare; & non improbata caſtitate, ca-
ſtum, dum in perſona ſimiliter fallitur, improbare. Poſtremò quod promptiſſimè
concedunt, ſicut non ideo Eutychiani ſui dogmatis crimine defenduntur, quia pu-
tantes antiquos patres id credidiſſe, quod ipſi peſſimè credunt, approbant eos, quo-
rum fidem impugnãt: ita non ideo ſancto Anatolio Eutychiani dogmatis crimen impin-
gendum eſt, quòd Dioſcorum vel putavit, vel excuſavit, quaſi à culpa Eutychiani
C dogmatis alienum, cùm ipſum dogma Eutychianum confutaverit, atque damnaverit.

CAPUT IV.

Quod Leo Papa non ſolam definitionem fidei Synodi Calchedonenſis, ſed omnia ejus acta & decreta confirmarit, excepto faſtu Anatolii quem redarguit. Epiſtolæ autem Ibæ approbationem non excluſit.

VERUM quia & hoc ſatis apparuit, quoniam vel ſi, ut fictum eſt, Theo-
doretus atque Ibas Epiſcopi non intereſſent ante definitionem Calchedonenſi
concilio, non ex eò fuerat excuſandum, illud etiam diſquiramus, quale ſit, quòd
dicentes ad Romanam Eccleſiam definitionem tantum fidei, non etiam geſta concilii
D Calchedonenſis fuiſſe perlata, ex hoc volunt efficere, ut credamus quòd in ipſa
tantum fidei definitione beatus Leo ſynodi Calchedonenſis decreta firmaverit, &
nos quoque memoratam epiſtolam venerabilis Ibæ damnemus: cùm ille dicat,
quemadmodum ſecundo libro jam memoravimus, Et fraterna univerſitas, & om- “
nium fidelium corda cognoſcant, me non ſolùm per fratres, qui vicem meam executi “
ſunt, ſed etiam per approbationem geſtorum ſynodalium, propriam vobiſcum uniſ- “
ſe ſententiam. Non ergo ſolam fidei definitionem, ſed ipſa geſta ſynodalia ſe
pronuntiat approbaſſe. Illud verò, quod ex quibuſdam ipſius beati Leonis epi-
ſtolis, ad deceptionem facilium, ſicut alia decerpentes, aiunt eum dixiſſe, quòd
ad extinguendam ſolam hæreſem, & ad confirmandam Catholicam fidem, Calche-
donenſe concilium fuerit congregatum, & quæcumque talia in ejus litteris inveni-
mus, ut etiam ex hoc quos potuerint in condemnationem epiſtolæ hujus addu-
cant, tanquam ab ipſo non fuerit approbata; non propter hoc quod ab eo dictum
eſt, ab iſtis aſſumitur. Et iccirco nos, cur hoc & quomodo dixerit, oſtendamus.
E Anatolius quippe Conſtantinopolitanus Epiſcopus, quia ſicut memoravimus, prio-
re quàm Maximus Antiochenus loco in eadem ſynodo conſedere præſumpſerat: ob
hanc cauſam beatus Leo, ſcribens ad ipſum Anatolium, dixit: Doleo etiam in Epiſt. 53.
hoc dilectionem tuam eſſe prolapſam, ut ſacratiſſimas Nicænorum canonum con- “
ſtitutiones confringere, tanquam opportune ſe tibi hoc tempus contulerit, quòd “
ſecundi honoris privilegium ſedes Alexandrina perdiderit, & Antiochena Eccleſia “
proprietatem tertiæ dignitatis amiſerit, ut his locis juri tuo ſubditis, omnes metro- “
politani Epiſcopi proprio honore priventur. Quibus inauditis, & nunquam antè “
tentatis, ita præveniris exceſſibus, ut ſanctam ſynodum, ad extinguendam ſolam “
hæreſem, & ad confirmationem fidei catholicæ, ſtudio Chriſtianiſſimi principis “
congregatam in occaſionem ambitus trahas, & ut conhibentiam ſuam tibi dedat im- “
pellas. Non ergo ex his, atque hujuſmodi, quæ vel ad ipſum Anatolium, “

„ vel ad alios contra ipſum Anatolium beatiſſimus Leo ſcripſit, putemus ab eo A
Concilii ſententiam reprobatam, quæ ſuper epiſtola Ibę prolata eſt. Quoniam
idcirco ait ſanctam ſynudum ad extinguendam ſolam hæreſim, & ad confirma-
tionem fidei catholicæ, ſtudio chriſtianiſſimi principis congregatam, ut ea quæ
pro ambitione Conſtantinopolitani Epiſcopi fuerant uſurpata diſſolveret, quod
in aliis quoque ſcriptis ejus multo amplius apparebit. Alioquin evacuaſſe dici-
Ei quoque ſanctæ. tur cetera quæ in illa ſynodo geſta ſunt: qui * eidem quoque ſanctæ ſynodi a-
„ pud Calchedonem habitæ cùm ſimilia ſcripſiſſet, ut intentionem dictorum ſuo-
Epiſt. 61. rum omnibus aperiret, intulit atque ait: De cuſtodiendis quoque ſanctorum
„ patrum ſtatutis, quæ in ſynodo Nicæna inviolabilibus ſunt fixa decretis, obſervan-
„ tiam veſtræ ſanctitatis admoneo, ut jura Eccleſiarum, ſicut ab illis trecentis x. &
„ viii. patribus divinitus inſpiratis ſunt ordinata, permaneant. Nihil alienum impro-
„ bè concupiſcat, nec per alterius imminutionem ſuum aliquis quærat augmentum.
„ Quantumlibet enim extortis aſſentationibus ſe inſtruat vanitatis elatio, & appeti- B
„ tus ſuos Conciliorum æſtimet nomine roborandos, infirmum atque irritum erit,
„ quicquid à prædictorum patrum canonibus diſcreparit, quorum regulis Apoſtolica
„ ſedes quàm reverentiſſimè utatur, ſcriptorum meorum, quibus Conſtantinopolitani
„ Antiſtitis conatus repuli, poterit ſanctitas veſtra lectione cognoſcere me, auxiliante
„ Deo noſtro, & catholicæ fidei, & paternarum conſtitutionum eſſe cuſtodem. Ecce
etiam in hac epiſtola, quam beatus Leo ad ſanctam ſynodum ſcripſit, nihil aliud
ſibi in eadem ſynodo diſplicuiſſe pronuntiat, niſi quòd Anatolius Conſtantinopoli-
tanus Epiſcopus priore quàm Antiochenus loco ſedere præſumpſit. Si quo minus,
non ſolam ſententiam ſuper epiſtola Ibæ prolatam culpaſſe dicetur, ſed etiam quòd
eidem reverentiſſimo Ibæ Epiſcopatus eſt redditus, omneſque canones, quos illic
ſancti patres utiliter ſtatuerunt de obſervantia Eccleſiaſticæ diſciplinæ, quam ejus
inimicus Leo impugnaſſe firmabitur, & cetera, quæ ſpecialiter de quibuſque perſo-
nis ibi decreta ſunt, infregiſſe. Aut ſi hoc palam de beato Leone dicere non C
præſumunt, intelligant nobiſcum, quia de his tantùm duobus in Calchedonenſi
concilio geſtis Conſtantinopolitano Epiſcopo ſcriberet, id eſt, de fidei cauſa, pro
qua ipſum Concilium fuerat congregatum, & de ſuperba ejus elatione, dixit, Ut
ſanctam ſynodum ad extinguendam ſolam hæreſim, & ad confirmationem fidei ca-
tholicæ ſtudio Chriſtianiſſimi Principis congregatam, in occaſionem ambitus
trahas, & quæque ſimilia in ejus inveniuntur epiſtolis. Duo ſola quæ diximus in
his verbis dijudicans, de quibus fecerat mentionem, non etiam cetera, quæ ibi ſunt
Philip. 2. 19. geſta. Sicut Apoſtolus ad Philippenſes, de Timotheo ſcribens ait: *Spero autem in do-
minum Ieſum Timotheum citò mittere ad vos: ut & ego bono animo ſim cognitis quæ circa
vos ſunt. Neminem enim habeo unanimem, qui ſyncera affectione pro vobis ſollicitus ſit. Om-
nes enim ſua quærunt, non quæ ſunt Ieſu Chriſti.* Non in Titum & Lucam, non in
Epaphroditum & Marcum, non in ceteros ſermonem intendens, de quibus in ea-
Philip. 4. 2. dem epiſtola dicit: *Evodiam rogo, & Syntychem deprecor, idipſum ſapere in Domino.* D
*Etiam rogo & te, germane compar, adjuva illas quæ mecum laboraverunt in evangelio,
cum Clemente, & ceteris adjutoribus meis, quorum nomina ſunt in libro vitæ.* ſed in illos
Philip. 3. 3. potius, de quibus ibi ait: *Videte canes, videte malos operarios, videte conciſionem.*
His itaque ſolis conferens Timotheum, dixit, Neminem enim habeo unanimem,
qui in ſyncera affectione pro vobis ſollicitus ſit: & eos tantùm attendit, ut di-
ceret, omnes enim ſua quærunt, non quę ſunt Chriſti Jeſu. Denique cùm de ipſo
Philip. 2. 22. beato Timotheo loquens diceret: *Experimentum autem ejus cognoſcens, quoniam ſicut
patri filius mecum ſervivit in Evangelio. Hunc igitur ſpero me mittere: mox ut videro quæ
Ibid. 25. circa me ſunt. Confido autem in Domino, quoniam & ipſe citò veniam ad vos.* ibi ſecutus
adjecit, *Neceſſarium autem exiſtimavi Epaphroditum fratrem, & cooperatorem, & com-
militonem meum, veſtrum autem Apoſtolum, & miniſtrum neceſſitatis meæ, mittere ad vos.
quoniam quidem omnes vos deſiderabat, & mæſtus erat, propterea quòd audiſtis illum infirma-
tum. Nam infirmatus eſt uſque ad mortem: ſed Deus miſertus eſt ejus. Non ſolùm autem* E
*ejus, verùm etiam mei, ne triſtitiam ſuper triſtitiam haberem. Feſtinantiùs ergo miſi illum,
ut viſo eo iterum gaudeatis, & ego ſine triſtitia ſim. Excipite itaque illum cum gaudio in
Domino, & hujuſmodi cum honore habetote. quoniam propter opus Chriſti uſque ad mortem
acceſſit, tradens animam ſuam, ut impleret id, quod vobis deerat erga meum obſequium.*
Numquid hunc Epaphroditum Philippenſium Apoſtolū, & alios ejus ſanctos in Evan-
gelio adjutores, ſermo Pauli attendebat Apoſtoli dicentis, Neminem enim habeo
unanimem, qui ſyncera affectione pro vobis ſollicitus ſit. omnes enim ſua quærunt,
non quæ ſunt Chriſti Jeſu. & non potiùs illos, de quibus ſuprà jam diximus? An
unanimis Epaphroditus non fuiſſe perhibetur, quo ab infirmitate revocato, ſibi
quoque Deum miſertum dicit, ne de illo triſtitiam ſuper triſtitiam haberet? An

A pro Philippenſibus noo erat ſanctus Epapbroditus ſyncera affectione ſollicitus, quos
videre deſiderabat, & propter quorum de ſoa infirmitate mœſtitiam mœſtus erat, eo
quòd audierint illum infirmatum; & qui propter opus Chriſti uſque ad mortem ac-
ceſſerat, tradens animam ſuam, ut impleret id quod ei deerat erga obſequium Pau-
li? Unde etiam meritò eis commendavit, ut hujuſmodi cum honore haberent. Ut
igitur Paulus Apoſtolus Philippeoſibus de Timotheo ſcribens, non Titum & Lu-
cam, oon Epapbroditum & Marcum, non ceteros ſuos adjutores, quorum nomi-
na ſuot in libro vitæ, attendit quum diceret, Neminem habeo unanimem, qui
ſyncera affectione pro vobis ſollicitus ſit. omnes enim ſua quærunt, non quæ ſunt
Chriſti Jeſu. ſed illos potiùs, de quibus ab eo dictum eſt, videte canes, videte ma-
los operarios, videte coociſionem. Ita etiam beatiſſimus Leo ſcribens, non ſententiam
ſuper epiſtolam Ibę prolatam, neque Epiſcopatum prædicto Ibæ redditum, & cete-
B ra, quæ in ſynodo Calchedonenſi de quibuſdam perſonis decreta ſunt, neque cano-
nes Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſalubriter illic à ſanctis patribus conſtitutos attendit;
cùm diceret, Ut ſanctam ſynodum ad extinguendam ſolùm hæreſim, & ad confir-
mationem fidei catholicæ ſtudio Chriſtianiſſimi Principis congregatam in occaſio-
nem ambitus trahas, & his ſimilia: ſed ſoperbam potiùs elationem Conſtantino-
politani Epiſcopi, ſicut ipſa verba ejus iodicant. Nam nec aliud invenitur in eiſ-
dem ſuis epiſtolis arguiſſe. Sic nobis intelligenda ſunt verba Romani Leonis, ſic
Apoſtolicorum ſcriptorum exemplis aſſerenda ſunt ſedis Apoſtolicæ ſcripta; ſi no-
lumus omoes canones utiliter à ſanctis patribus, in eadem ſynodo conſtitutos, & ce-
tera quæ in ſpecialibus quorumcumque cauſis ibi firmata ſunt, in majorem, quam
nunc patimur, conturbationem Eccleſiæ commovere. Quis autem de B. Leone
dicere audeat, quoniam ſi Neſtoriana eſſet epiſtola, quam ſynodus approbavit, poſt-
habita blaſphemia, qua Chriſtus negatur Deus eſſe quod eſt, de hoc tantummodo
C cauſaretur, quòd in illa ſynodo unus Epiſcopus non loco ſuo conſederit? Igitur aut
hoc ſolum peccatum eſt, quod in ſynodo Calchedonenſi beatus Leo ſibi diſplicuiſ-
ſe non tacuit: aut ſi & aliud eſſe dicitur, minus profectò eſt, eo peccato, quod Epiſ-
copus Conſtantinopolitanus admiſit. ceterùm numquam Leo poſſet, relicta hære-
ſis cauſa, de unius Epiſcopi ſeſſione cauſari. Oſtendatur autem nobis, ubicumque
B. Leo dixit oon omnia ſe quæ in illa ſynodo acta ſunt confirmare, quòd ipſius
ſynodi ſententiam ſuper epiſtola Ibæ deteſtetur, ac non potiùs Conſtantinopoli-
tani Epiſcopi ambitionem caſtiget atque coërceat: & ipſo purgato, ſola ſynodus
crimini ſubjacebit, ſi verè Neſtoriana eſt, quam approbavit epiſtola. Nam & Ma- Epiſt. 62.
ximo Antiochено ſcribens idem B. Leo, cui prædictus Conſtantinopolitanus Ana-
tolius dignitatem tertię ſedis auferre tentaverat, hoc quod aſſerimus manifeſtum
omnibus facit: qui poſt multa, quæ & acceptabili ratione, & iocrepatione vehe-
D menti, ſuper eadem præſumptione locutus eſt, epiſtolam ita concludit. Quicquid "
enim præter ſpeciales cauſas ſynodalium Conciliorum ad examen Epiſcopale defer- "
tur, poteſt aliquam dijudicandi habere rationem, ſi nihil de eo eſt à ſanctis patribus "
apud Nicæam definitum. Nam quod ab illorum regulis & conſtitutione diſcordat, "
Apoſtolicæ ſedis numquam poterit obtinere conſenſum. Quanta verò diligentia cu- "
ſtodiatur à nobis, exemplaribus ejus epiſtolæ, quam ad Conſtantinopolitaoum Epiſ- "
copum refræoantes ipſius cupiditatem direximus, inſtrueris: quam in omnium fra- "
trum & conſacerdotum noſtrorum facies notitiam perveoire, ut noverint pacem "
Eccleſiaſticam per concordiam Deo placitam debere ſervari. Illud quoque dile- "
ctionem tuam convenit pręcavere, ut pręter eos, qui ſunt Domini ſacerdotes, nul- "
lus ſibi docendi & prædicandi jus audeat vindicare, ſive ille monachus, ſive ille "
laicus, qui alicujus ſcientiæ nomine glorietur. Quia & ſi optandum eſt, ut omnes "
Eccleſiæ filii quæ recta & ſaoa ſunt ſapiant, non tamen permittendum eſt, ut quiſ- "
E quam extra ſacerdotalem ordinem conſtitutus, gradum ſibi prædicatoris aſſumat: "
cùm in Eccleſia Dei omnia ordinata eſſe conveoiat, ut in uno Chriſti corpore, & "
excellentiora membra ſuum officium impleant, & inferiora ſuperioribus non re- "
ſultent. Manifeſta ſuot, quantum puto, nec ullo quæ memoravimus egent inter-
prete, ut intelligi queat; quòd ea contra Conſtantinopolitani Epiſcopi ambitio-
nem, nun contra ſententiam ſuper epiſtolam Ibæ prolatam, beatus Leo dixerit. Nam Epiſt. 74.
ſimiliter ſcribens etiam Martiano Principi, & Pulcheriæ Auguſtæ, quas epiſtolas & ſi.
memorare perlongum eſt, non de alia cauſa conqueritur. Verùm quod pejus eſt,
& illa pro quibus dicta ſunt nullus obſervare dignatur: & inſuper, quæ alia ſunt
intentione conſcripta, in præjudicium fidei ſæva interpretatione vertuntur. Con-
tradicit autem nobiſcum Papa Gelaſius, melior & acceptabilior dictorum ſui præ-
deceſſuris interpres, qui ſcribens univerſis Epiſcopis per Dardaniam conſti-
tutis, ea quæ memoravimus, non ad deſtructiooem ſeotentiæ ſuper epiſtola

Ibæ prolatæ, ſed ad coërcendam Conſtantinopolitani Epiſcopi præſumptionem, A
„ à B. Leone ſcripta eſſe confirmat. Sic eoim dicit: Sicut quamvis parva civitas
„ prærogativam præſentis regni non minuit, ſic imperialis præſentia menſuram diſpen-
„ ſationis religioſæ non mutat. Sic clara urbs illa poteſtate præſentis imperii, reli-
„ gio ſub eadem tunc firma, tunc libera, tunc provecta conſiſtit, ſi potiùs hoc præ-
„ ſente propriam teneat ſine ulla perturbatione menſuram. Poſtremò ſi ſibi de Im-
„ peratoris præſentia blandiuntur, & inde putant Conſtantinopolitanæ civitatis Epiſ-
„ copi potiorem fieri poſſe perſonam, audiant Martianum ejuſdem principem civi-
„ tatis, poſteaquam pro augmento urbis ipſius ſacerdotis interceſſor accedens, con-
„ tra regulas obtinere nihil potuit, ſanctæ memoriæ Papam Leonem ſummis laudibus
„ proſecutum, quòd canonum regulas violari nulla fuerit ratione perpeſſus. Au-
„ diant Anatolium ejuſdem ſedis Antiſtitem, clerum potiùs Conſtantinopolitanum,
„ quàm ſe, tentaſſe talia confitentem, atque in Apoſtolici præſulis totum dicentem
„ poſitum poteſtate. ipſumque beatum Papam Leonem, ſedis Apoſtolicæ præſulem, B
„ cujus ſynodus Calchedonenſis auctoritate firmata eſt, quicquid ultrà quàm ab eo-
„ dem pro fide & communione catholica atque Apoſtolica illic agendum conſtaret eſſe
„ delegatum, per occaſionem congregationis illius, præter Nicænos canones nova
„ videretur actione tentatum, competenti refutatione vacuaſſe. Numquid ſapiens
Gelaſius deceſſorem ſuum B. Leonem pro ſententia ſynodi ſuper epiſtola venerabi-
lis Ibæ, ac non potiùs, ut diximus, pro ambitione Conſtantinopolitani Epiſcopi
dixiſſe quæ memoravimus intellexit? Nam quare pro Ibæ epiſtola ibi ſubjungeret
dicens, Per occaſionem congregationis illius, præter Nicænos canones nova vide-
tur actione tentatum. Nullus igitur conetur ejus verba in aliam detorquere ſenten-
tiam: quoniam hoc nec ipſa rerum evidentia, nec Gelaſius verax permittit interpres,
& ideo ſinamus Apoſtolicam ſedem interpretari ſemetipſam, & quare illa ſuperio-
ra per Leonem prius dixerit, ex his quæ poſtea per Gelaſium locuta eſt, prudentius
advertamus. Eſt & alia ejuſdem B. Gelaſi epiſtola, per quam ſimiliter devii horum C
ſcriptorum Leonis interpretes refellantur. ſed judicavimus hanc unam ſolam cauſę
ſufficere. Verùm eſto, ſemotis his omnibus, putetur Leo Romanis, ad deſtruen-
dam ſynodi ſuper epiſtola Ibæ ſententiam, illa dixiſſe. Quomodo ergo hinc ſyno-
dus excuſabitur, quæ & recepiſſe illam epiſtolam, quod falſe negatum eſt, & non
debuiſſe recipere Leone reprehendente convincitur? Quocirca ſi ita accipiantur
hujuſmodi verba quæ proferuntur B. Leonis, proculdubio non repellendæ accuſa-
tioni ſynodi, ſed confirmandæ proficient: & ſi Neſtoriana illa dicitur epiſtola, B.
quidem Leo fortaſſis, uti jam dictum eſt, à Neſtoriano crimine defendetur: ſed
planè ſynodus Calchedonenſis ipſo teſte damnabitur; atque videbuntur hæretici
Eutychiani non immerito ſe à noſtra communione ſubtraxiſſe: ſi tamen ipſi jam
dicentur hæretici, qui etiam, Leone teſte, comprobabunt quòd Neſtoriana ſit
ſynodus, quæ in confeſſione ſacrificii nominatur. Videamus tamen, quomodo
vel ipſe B. Leo poterit excuſari, cùm de ipſo quoque nobis fuerit dictum, cur D
non promptis & evidentibus verbis tantum crimen arguit? cur non apertè ac
manifeſtè ſententiam ſynodi Neſtorianam epiſtolam approbantis infregit? cur quod
ab ejus primum legatis nuntiatum eſt in præjudicium fidei, non ita ſedes Apo-
ſtolica auctoritate ac ſeveritate damnavit, ut hinc Eccleſia poſtmodum non poſ-
ſit ambigere, niſi quia non vera conſcientia, ſed fallaciter & nomine tenus ab-
dicavit Neſtorium, præjudicio Cæleſtini deceſſoris ſui præventus? Alioquin ejus
dogma etiam in Ibæ epiſtola refutaret. Increpat evidenter, atque condemnat, tam
vehementibus quàm prolixis, ſed & multis epiſtolis, non ſolùm prędicto Anato-
lio ſcribens, verùm etiam univerſæ ſynodo, & Maximo Antiocheno, ipſiſque princi-
pibus, quòd in illo Concilio unus Epiſcopus non ſuo loco ſedere pręſumpſit, atque
ſibi diſplicuiſſe in omnium ſacerdotum notitiam perferri demandat; & de ſynodi
ſententia, qua Neſtoriana epiſtola approbata eſt, tacet atque diſſimulat, vel ſi non
tacet, ut dicitis, nihil tamen apertè, nihil loquitur evidenter. Nempe hoc eſt, quod E
Matth. 23. 23. in Scribis, & Phariſæis hypocritis Dominus arguit mentam & anethum & cyminum
decimare, & qoæ ſunt graviora legis, & fidem relinquere. Nempe hoc eſt, quod in
ipſis ducibus cæcis ſimiliter objurgat, culicem colare, & camelum glutire. Et quid
contra referre? quid ad hæc vel pro B. Leone reſpondere valebimus, cujus pro catho-
lica fide ſollicitudinem ac diligentiam, cujus laborem & induſtriam, cujus libertatem,
atque conſtantiam, & veſtra pietas optimè novit, & omnis Eccleſia prędicare non ceſ-
ſat? Sed Neſtoriana illa non eſt epiſtola. Nam profectò non eam neſcio quæ modò
vulpecula emordicaret, ſed tunc Leo fortiſſimus invaſiſſet. Quomodo autem dicunt
ſynodi ſuper epiſtola Ibæ ſententiam non eſſe à beato Leone firmatam, quam fa-
tentur ea quæ ab illa ſunt de fide ſtatuta firmaſſe, cùm in alia parte geſtorum, ex quibus

A eadem epiſtola recitata eſt, inveniatur quod ſcriptor ejus Ibas de Neſtoriana hæreſi fuerit accuſatus? Sic enim accuſatores ejus dixerunt: Quia Neſtorianus eſt, & beatum Cyrillum Epiſcopum hęreticum appellat. & rurſus ibidem continetur: Maras dixit, De fide movemus prius, & alia capitula póſt movemus. Reverentiſſimi Epiſcopi dixerunt: Et ſi propoſuimus vobis, ut horum trium capitulorum probatio ſubſequatur, non ex hac inquiſitionem negavimus reliquorum. Maras dixit, De fide movemus prius. His ergo & hujuſmodi probatur, quod Epiſcopus Ibas de fide quàm maximè fuerit accuſatus. Nam propterea contra eum memoratam epiſtolam protulerunt. Sed & ipſa epiſtola duas naturas, & unam perſonam unius filii domini Jeſu Chriſti prædicat: propter quod & ſynodus eam pronunciavit orthodoxam. quod verbum non proferret, ſi non eſſet ejus de fide ſententia. Verum non eſt quare hîc ampliùs demoremur. Ipſi eam non dicant Neſtorianam, & non putetur ad cauſam fidei pertinere. Si autem Neſtoriana dicitur, de fide utique accuſatur:
B & quia jam ſuſcepta dicitur à ſancta ſynodo, conſequenter & à beato Leone dicitur eſſe firmata, quem non negant ea quæ ibi de fide ſunt ſtatuta firmaſſe. Nam ſi & illud eis concedatur, quia præter fidei definitionem, cetera quæ in illa ſynodo geſta ſunt, neque confirmaverit, neque damnaverit: ſic quoque non potuerunt novæ diligentiæ repertores crimen temeritatis evadere, qui ſtatuere auſi ſunt, & dicere, Si quis dicit rectam eſſe ad Marim epiſtolam, aut eam defendit, & non anathematizat eam, anathema ſit. Nam eam Calchedonenſis ſynodus rectam dicit, Leo vel ſi non confirmat, non anathematizat eam. Anathema igitur ab iſtis cum ſynodo Calchedonenſi factus eſt Leo.

CAPUT V.

C *Quod poſt decreta Conciliorum diſputare non liceat, nec audiendi ſint Eutychiani, ſi Concilii de Iba epiſtola definitioni reſiſtant.*

SED quia evidenti ac multiplici documentorum convictione monſtratum eſt, mendaciter negari, quòd epiſtolam venerabilis Ibæ ſynodus pronuntiavit orthodoxam, & ſimul apparuit, quòd eam nec beatus Leo Neſtorianam judicaverit, nam proculdubio etiam manifeſta ſententia vehementique damnaret: ſufficit nobis ad defenſionem ipſius epiſtolæ, quod eam tanta ſynodus, & ipſius auctor ſynodi, vir Apoſtolicus, & in doctrina veritatis toto orbe notiſſimos, approbavit. Hæc eſt prima & immobilis ac ſecura noſtra ratio, quæ nos tuetur ac firmat adverſus omnes contradicentium quæſtiones: ut ſicut Apoſtolus dicit, non citò moveamur à noſtro ſenſu, neque terreamur, vel ſi minus hinc poſſumus dare, ſive accipere rationem, cur ſynodus orthodoxam judicavit. Neque enim eſt alia Conciliorum faciendorum utilitas, quàm ut quod intellectu non capimus, ex auctoritate credamus, &
D ſicubi ratio minus nobis occurrerit, fides ne labamur citò ſuccurrat. Nam ſi *l* poſt decretum diſceptare licuerit, ut dicatur, prius probetur epiſtola illa quòd recta ſit, ut credatur fuiſſe ſuſcepta: non eſt quare jam Concilia congregentur, nec terminatæ, immò nec terminabiles dicantur quæſtiones, quarum probatio ſemper exigitur. Cur enim non dicatur ſimiliter, probetur prius, quod unius eſſentiæ ſint pater ac filius, ut credatur hoc Nicæno concilio terminatum: & quia conſubſtantialis eſt patri ac filio Spiritus ſanctus, quia non aliter credi poteſt quod hoc ſynodus Conſtantinopolitana decreverit. Atque ita quæſtionibus univerſis in antiquo ſtatu manentibus, non ſolum nihil ſynodorum conſtitutionibus abſolutum eſſe videbitur, ſed etiam ad perpetuandas lites quęſtionum in eis memoria reſervata. Et ideo non idem modus eſſe debet, atque ordo quærendi, poſt definitionem Concilii totius Eccleſiæ conſenſione firmati, qui fuit ante definitionem. Tunc enim ratio poſcebat, ut ſi orthodoxa probaretur illa epiſtola, ſuſcipienda judicaretur à ſynodo,
E nunc autem ratio poſcit, ut ſi ſuſcepta probetur à ſynodo, judicetur orthodoxa. Hanc obſervantiam tenentibus, nihil nobis pręvalebit hęreticorum calliditas, ſi judicare non pręſumamus, quod intelligere non valemus. Quanquam nonnihil intelleximus. intelleximus enim hęreticorum fraudes, errorеſque convincimus. Non ergo parum eſt, quod veraciter dedocemus errorem, & ſi plenam docere non poſſumus veritatem. Ad Hieremiam Dominus dicit: *Ecce dedi verba mea in os tuum, &* Hier. 10.

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

l POST DECRETVM DISCEPTARE. Synodi cujuſque, ut eſt apud Athanaſium in Apologia II. inconcuſſa eſt auctoritas, & injuriam Synodo facit, qui rem judicatam iterum examinat. ἀνεύθυνον ἔχει τὴν ἰσχὺν ἑκάστη σύνοδος· καὶ ἀτιμάζεται ὁ κρίνας, ἐὰν παρ' ἑτέρων ἡ κρίσις ἐξετάζηται. Quam in ſententiam plura iterum Facundus libro 12. capite II.

conſtitui te hodie ſuper gentes, & regna, eradicare & effodere, & reædificare, & replantare. A
Jubetur itaque propheta prius eradicare & effodere, & diſperdere errores atque
mendacia, & reædificare & plantare ſcientiam & veritatem. Hoc perfectum eſt opus,
& iſte prædicatoris eſt finis: quem ſi non valemus attingere, certum eſt tamen nos
aliquid incepiſſe. Nam eradicavimus, & effodimus, & diſperdimus quod eradi-
candum & effodiendum & diſperdendum fuit: & ſi minùs poſſumus etiam reædifi-
care & replantare, melioribus hoc reſervemus; & ſimus interea patrum auctorita-
te contenti. Sed dicit aliquis, Et numquid Eutychianis auctoritatem ſynodi Cal-
chedonenſis objectutus es, ut ex eo Neſtorianam non eſſe convincas epiſtolam ve-
nerabilis Ibæ, quòd eam orthodoxam judicavit: cùm inde potius illi memoratam
ſynodum, velut Neſtorianam, quod eam receperit, criminentur? Ubi primùm B
reſpondeo, quoniam Eutychianis in hoc debitor non ſum. Non enim me rationis
ordo permittit, ut eis reſpondeam, cur ita patres noſtri ſuper epiſtola venerabilis
Ibæ decreverint. Prius eſt enim, ut fateantur nobiſcum, quòd etiam Concilio E-
pheſino firmatum docuimus, dominum noſtrum Jeſum Chriſtum in duabus naturis
eſſe credendum, de quo eſt inter nos atque illos principalis diſſenſio; & ita de-
mum facti amici, rationem ſibi dari poſtulent paterni judicii. Si autem inimici per-
manent, & præcepta Dei contemnunt, ſanctis patrum definitionibus reſiſtentes,
deſpiciendi ac repellendi ſunt, quoniam importunè quærunt illius cauſæ per nos
adipiſci notitiam, quam ſolis amicis deberi in Evangelio Dominus dicit. *Vos*, in-
Ioan. 14. quit, *amici mei eſtis, ſi feceritis quæ ego præcipio vobis. Iam non dico vos ſervos: quia*
15. *ſervus neſcit quid faciat dominus ejus. Vos autem dixi amicos, quia omnia quæ audivi à*
patre meo, nota feci vobis. Non ergo debetur peccati ſervis & præcepta Dei ſper-
nentibus, paterni conſilii ratio; vel ſi à nobis eam importunè atque præpoſterè ſibi C
1. Pet. 3. 15. flagitent dari. Sic enim nos Petrus Apoſtolus paratos eſſe jubet, ad reſpondendum
omni poſcenti nos rationem de fide & ſpe quæ in nobis eſt, ut ad ipſum pertineat
Coloſſ. 4. apparatum, quod Paulus coapoſtolus ejus monet, ut ſciamus quomodo oporteat
6. nos unicuique reſpondere. Scientes igitur quomodo oporteat nos unicuique reſpon-
dere, dicimus ut prius illi nobiſcum de confeſſione duarum naturarum Chriſti con-
veniant, quæ aut ſola, aut maxima diſſenſionis eſt cauſa: & tunc reſidua, reſerva-
to ordine, requirentur. Nam manente inter nos illa quæſtione, quis non aut ſu-
perfluum aut præpoſterum judicet, ſi cum illis de ſynodi ſuper epiſtola Ibæ ſenten-
tia diſputemus? Hinc beatus Leo, cum Legatos expetitos Auguſto Leoni directu-
» tum ſe promitteret, ait: Prænoſcat igitur pietas tua, venerabilis Imperator, hos
» quos ſpondeo dirigendos, non ad confligendum cum hoſtibus fidei, nec ad certan-
» dum contra ullos à ſede Apoſtolica profecturos: quia de rebus & apud Nicæam,
» & apud Calchedonem, ſicut Deo placuit, definitis, nullum audemus inire tra-
» ctatum, tanquam dubia, vel infirma ſint, quæ tanta per ſpiritum ſanctum fixit D
» auctoritas. Inſtructioni autem parvulorum noſtrorum, qui poſt lactis alimoniam,
» cibo deſiderant ſolidiore ſatiari, miniſterii noſtri præſidium non negamus: & ſicut
» ſimpliciores non ſpernimus, ita à rebellibus hæreticis abſtinemus, memores præ-
» cepti Dominici dicentis: *Nolite ſanctum dare canibus, neque miſeritis margaritas ante*
Matt. 7. 6. » *porcos.* Nimis quippe indignum, nimiſque injuſtum eſt, eos ad libertatem diſcep-
» tationis admitti, quos ſignificat ſpiritus ſanctus per prophetiam dicens: *Filii alieni*
Pſ. 17. 46. » *mentiti ſunt mihi.* Qui etiam ſi Evangelio non reſiſterent, de illis tamen ſe eſſe mon-
Tit. 1. 16. » ſtrarent, de quibus ſcriptum eſt: *Deum ſe profitentur ſcire, factis autem negant.* Hac
igitur beati Leonis auctoritate noſtra ratio confirmatur, quod diſputare nos cum
Eutychianis de ſententia ſuper epiſtola Ibæ prolata nullus ordo permittat. Dein-
de quomodo vel ipſi nobiſcum quærunt contendere, & accuſare ſanctam ſynodum,
quod ſuſceperit epiſtolam, quæ incongruam de beato Cyrillo ſuſpicionem ſui con- E
ſcriptoris continet, niſi prius falſam eſſe confiteantur eamdem ſuſpicionem Ibæ,
qua putavit beatum Cyrillum in duabus Chriſtum negaſſe naturis? Tunc enim po-
terunt de injuſta reprehenſione B. Cyrilli illam epiſtolam criminari, tunc meritò
de ipſius injuriis queri, ſi non & ipſi cum prædicto Iba dicant, quòd unam Chri-
ſti prædicaverit eſſe naturam. Alioquin eumdem reverentiſſimum Ibam de repre-
henſione falſa culpare non poterunt: niſi fortè nobis perſuadeant, & beatum Cy-
rillum unam Chriſti ex divinitate & humanitate compoſitam prædicaſſe naturam,
& orthodoxum Ibam hoc non debuiſſe culpare, quod omnis Eccleſia confitetur
eſſe culpabile. Cernis igitur, religioſe princeps, ad hujus epiſtolæ defenſionem
ſufficere nobis in præſenti tempore, quod eam probavimus orthodoxam à ſynodo
judicatam, nec à B. Leone, ſicut fingebatur, expulſam, ſed potius cum omnibus
quæ ibi ſunt de fide ſtatura firmatam. Quam ob rem ſufficit nobis, ut dictum
eſt, horum ſola probatio. Si quidem neque catholicus quiſquam poteſt tantæ ſy-

A nodi auctoritati reſiſtere : neque nos ratio ſinit cum Eutychianis, nedum inter nos, principali quæſtione finita, de ſententia ſuper epiſtola Ibæ prolata confligere. maximè quia conqueri de injuria B. Cyrilli non potuerunt, quam ad invidiam magnæ ſynodi dolere ſe fingunt, niſi prius eum fateantur in duabus Chriſtum prædicaſſe naturis. Verùm his quæ dicenda fuerant ſufficienter, ut arbitror, explicatis, & ab hujus epiſtolæ diſcuſſione longè repulſis hæreticis; quia per ſurreptiones eorum, multa vitia ſunt eidem epiſtolæ falsè atque fallaciter impurata; hac neceſſitate compulſus, inſtructioni parvulorum noſtrorum, ne ſacandalizentur in talibus, non quaſi grandis ut Leo, ſed inter illos grandiuſculus, miniſterii, quoniam & hoc ipſe beatus Leo conceſſit, non nego quantulumcunque præſidium, ſub hac conditione dumtaxat, ut non in mea, quam redditurus ſum, ratione meritum cauſæ conſtituam, quam profectò pervides terminatam : ſed po-
B tius in auctoritate magnæ ſynodi, quam inter hereticorum fluctus, ac turbines, ſicut ancoram habemus animæ tutam & firmam. Huic ergo nos devotione atque obedientia religantes, objecta primùm oblatrantibus mole paternæ ſententiæ, quam ſuper epiſtola ſæpe dicta prolatam docuimus, in quodam placidiſſimo fidei portu cauſæ rationem vel inveniendam quæramus, vel oſtendamus inventam : ut quod fide creditur, etiam intelligentia cognoſcatur, non poſſe juſtè reprehendi magnam ſynodum, quoniam eam judicavit orthodoxam. quod in hujus operis diviſione, ultimo loco nos promiſimus oſtenſuros.

FINIS LIBRI QUINTI.

FACUNDI EPISCOPI HERMIANENSIS,

PRO DEFENSIONE TRIUM CAPITULORUM,

LIBER VI.

CAPUT PRIMUM.

Quod Synodus Calchedonenſis epiſtolam Ibæ pronuntians orthodoxam rectè judicarit, & ſacræ ſcripturæ morem ſecuta ſit, quæ de multis ex majore ac meliore parte ſolet ferre ſententiam.

AGE nunc illud etiam, quod ſupereſt, probare incipiamus, & oſtendere quàm indignè de ſententia ſuper epiſtola venerabilis Ibę prolata Calchedonenſis ſynodus accuſetur. Namque cùm eamdem magnam ſynodum prędictus Ibas Epiſcopus adiret, conquerens ac deplorans injuſtitiam ſe ab Eutyche & falſa crimina pertuliſſe, atque *a* in Epheſina ſecunda ſynodo non dicenda abſentem & innoxium, ſicut idoneorum documentorum teſtificatio demonſtrabat, ſub Dioſcoro, Eutychis atque Eutychiani dogmatis defenſore, fuiſſe damnatum, & in quadraginta manſiones per diverſas diſtractum provincias, viginti & ampliùs carceres mutaſſe. Hæc acclamantibus Epiſcopis, & dicentibus, Abſentem nemo condemnat, malè fecerunt qui eum pręter canones damnaverunt. quæ adverſus abſentem facta ſunt evacuentur. hęc omnes dicimus, nemo condemnat abſentem. B Poſtea Theophilus diaconus, qui inter alios ipſius venerabilis Ibæ adverſarius exiſtebat, contrà protulit geſta, quibus cum eo fuerant apud Photium, & Euſtachium, atque Uranium Epiſcopos, ex delegato Theodoſii principis altercati: eorum ſe lectione promittens oſtendere, quòd non injuria condemnatus fuerit. In quo Photii & Euſtachii atque Uranii judicio jactaverant accuſatores, memoratum Epiſcopum Ibam ſe probaturos Neſtorianum. idque conficere nitebantur ex epiſtola, quam aliquando ſcripſerat ad Marim aliquem Perſam: eo quòd in illa videretur de beato Cyrillo, Neſtorii damnatore, aliter quàm res habuit pro ſuſpicione ſua lo-

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

a IN EPHESINA SECUNDA. De hæreſi Neſtoriana inſimulatus à clericis Edeſſenis Ibas primum fuit apud Proclum Conſtantinopolitanum, cujus extant litteræ, quibus certiorem de ea tota facit Joannem Antiochenum. Mortuo Joanne delatus iterum eſt à clericis ad Domnum Joannis ſucceſſorem, & cùm ab eo ſuſcepti non eſſent, ad Flavianum, qui Proclo in urbe regia ſucceſſerat. Datique de Flaviani conſenſu à Theodoſio Ibæ judices Epiſcopi Photius & Euſtathius, cum Uranio, duplici apud Tyrum & apud Berytum cognitione Ibam abſolverunt. Poſthæc in nefaria Synodo Epheſina II. Eutychis factione damnatus abſens atque Epiſcopatu dejectus eſt. Qua de re cùm apud Synodum Calchedonenſem expoſtulaſſet, Synodus approbatis, ut antè dictum, Tyriis ac Berytenſibus geſtis, Epheſiniſque repudiatis, priſtinum ei gradum reſtituit in Actione x. C

cutus,

A cutis, quæ illi, ſicut primo libro docuimus, communis erat cum Orientalibus alia-
rumque provinciarum Epiſcopis. Quemadmodum verò in ipſo Photii & Euſtachii,
Uramique judicio, pro eadem ſua epiſtola Neſtorianus judicari non potuit, quo-
niam hæc fieri non ſinebat fidei recta confeſſio, quæ ibidem continetur: ita nec
apud magnam ſynodum condemnatus eſt, cùm ibi ex eiſdem geſtis, ab ejus ad-
verſario prolatis, ſupradicta relegeretur epiſtola, ſed ex ejus eſt magis tenore
purgatus. Nam ſic duas naturas in ea confeſſus eſt, quod Eutychianos of-
fendit, unde & condemnari eam quæſierunt: ut etiam, quod Neſtorianos im-
pugnat, unam confiteatur eſſe perſonam, quod eſt unus filius dominus Jeſus Chri-
ſtus. Porro Eutychiani, volentes ejuſdem ſanctæ ſynodi auctoritatem infringere,
ſimulant injuriam ſe dolere beati Cyrilli, & hinc eam culpabilem dicunt, quod prædi-
ctam epiſtolam pronuntiavit orthodoxam. Addunt & alia in reprehenſionem ipſius
B epiſtolæ, quæ nec ipſi accuſatores Ibæ, quamvis calumnioſi ac pertinaces, in tan-
tis quæ ſunt experti judiciis, aliquando aut alicubi objeciſſe monſtrantur, nec erubeſ-
cunt impudentiores totiens refutatis accuſatoribus inveniri. Nam illi hoc ſolùm
prædicto Ibæ Epiſcopo ex memorata ejus epiſtola objecerunt, volentes eum Neſto-
rianum videri, quod in ea beato Cyrillo Neſtorii condemnatori detraxerit: cetero-
rum verò, quæ iſti nunc adjiciunt, nec qualemcumque mentionem facere præ-
ſumpſerunt. quæ nos, omni tenore propoſito ipſius epiſtolæ, ex ordine refelle-
mus. Sed videtur nobis, quod prius breviter quædam dicere debeamus de hoc,
quòd jactatur vituperationem beati Cyrilli ſynodus approbaſſe, & de quo illam ma-
ximè at principaliter adverſarii criminantes, vel ſcandalizant, vel ſi hoc non poſ-
ſunt, exagitant minus inſtructos. quorum aliqui, licet eamdem ſanctam ſynodum
pro ſuæ fidei pietate ac devotione defendant, tamen quia dare non poſſunt exitum
quæſtioni, perſuadentibus hæreticorum fautoribus, aſſerunt non ab ea fuiſſe ſuſ-
C ceptam. Nos autem evidentis mendacii & ab adverſariis miniſtrari ſuffragium pu-
det: quod ſi evidens non fuiſſet, indignum eſſe debuit Chriſtianæ conſcientiæ men-
daciter defendere veritatem. Habet enim ſuas aſſertiones veritas, non à mendacio
mutuatas, quibus teſtimonio conſcientiæ non repugnet, & invicta permanens ad-
verſatiorum calumnias frangat: quas ſi quis invenire non poteſt, tacere potius eli-
gat, quàm mentiri, & ſola ſit decretorum auctoritate contentus. Nam ſi nos hæ-
retici viderint in rebus perſpicuis ſuo uti mendacio, quales nos in aliis putabunt, quæ
videntur obſcura? Et ideo jam, religioſe Imperator, attende quàm fortiter calum-
nias hæreticorum & ſine ulla difficultate diſſolvam, exempla proferens divinæ ſcriptu-
ræ, quomodo à majore & meliore parte de multis ſoleat ferre ſententiam. cujus for-
mam ſicuti in omnibus ſancta ſynodus Calchedonenſis ſecuta eſt, ut epiſtolam venera-
bilis Ibæ, quamvis de beato Cyrillo aliter quàm res habuit ſuſpicantis, tamen pro
vera fidei confeſſione, quam de Chriſto tenet, orthodoxam judicaret. Sic Regem
D Juda Aſa, quem ſcimus non in parvis nec in paucis fuiſſe culpatum, eadem ſcriptura
laudavit: cujus quæ fuerint culpæ prius memorare debemus, ac deinde quomodo
ab ea fuerit prædicatus. Primùm itaque dicitur, quia illi commune cum multis re- 3. Reg. 15.
gibus fuit, quia non deſtruxit excelſa: in quibus licet Domino ſacrificaretur, contra 14.
ejus tamen præceptum fiebat, quia in templo ſibi ſacrificari præceperat. Deinde Ibid. 18.
quia dato argento & auro, quod inventum eſt in theſauris domus Domini, &
in theſauris domus regis, contra Baſa regem Iſraël, regis Syriæ male quæſivit auxi- 2. Par. 16.
lium. unde enim & increpavit Anania propheta, dicens quòd inſipienter egerit 7.
confiſus in regem Syriæ, & non in dominum Deum ſuum. Inſuper quia & ipſum
Ananiam prophetam, propter quod eum arguerat, indignatus tradidit in cuſto-
diam nervi. Poſtremo de illo ſcriptura dicit: *Et infirmatus eſt Aſa in anno trigeſimo* Ibid. 12.
& nono regni ſui dolore pedum vehementi: verùm neque in ægrotatione ſua quæſivit Dominum,
ſed medicos. In quo non propterea credimus eſſe culpatum, quod ordinatum à Deo
E medicorum ſolatium requiſivit: ſed quia ſic in illorum arte confiſus eſt, ut ipſorum
potius, quàm Dei per ipſos, expectaret auxilium. Cùm igitur in his inveniatur
eſſe culpabilis, quoniam tamen à cultura Domini non receſſit, neque idolis gentium
deſervivit, magis autem, ſicut ſcriptum eſt, abſtulit omnes adinventiones, quas
fecerant patres ejus, & Maacham matrem ſuam à cultura luci removit, ipſumque
ſuccidit lucum, atque ſuccendit in torente Cedron, ſic eum ſcriptura divina lau-
davit, ut diceret: *Fecit Aſa quod rectum eſt in conſpectu Domini, ſicut David pater ejus.* 3. Reg. 15.
Ac ne fortè dicatur, quod ejus priora laudaverit, & poſtea fuerit depravatus, ac- 11.
cipe quid de illo iterum eadem ſcriptura pronuntiet: *Veruntamen*, inquit, *cor Aſa erat* Ibid. 14.
perfectum cum Domino omnibus diebus ſuis. Et utique omnibus diebus ſuis non dicere-
tur, ſi ab eo in quo fuerat laudatus aliquando recederet. Proinde cùm Dei ſcriptura
regem Aſa, in tantis culpabilem, ſic propter culturam unius veri Dei laudaverit, ut

cum compararet atque conferret ſancto regi David, ac pronuntiaret, quod eſſet cor A
ejus perfectum cum Domino omnibus diebus ejus; quomodo religioſus quiſquam
reprehendere audeat ſynodum Calchedoonſem, quòd conſuetudinem ſcripturæ di-
vinæ formamque cuſtodiens, venerabilis Ibę epiſtolam, confitentem duas naturas
& unam Chriſti eſſe perſonam, quod maximè ad culturam Dei pertinet, pronun-
tiavit orthodoxam. cootemnens quod ejus conſcriptor de beato Cyrillo aliter quàm
res habuit fuerat ſuſpicatus, & hæc attendere, vel cujuſcumque momenti pendere,
quum de fide Chriſtiana eſt quæſtio, ſuperfluum ducens: ſicut ipſe quoque bea-
tus Cyrillus ſuperfluum duxit, quum ſcriberet Orientalibus per Paulum Emeſe-
» num Epiſcopum, dicens: Quoniam verò ſuperflua & importuna Eccleſiarum divi-
» ſio facta eſt, nunc maxime ſatisfactum eſt nobis, domino meo reverentiſſimo Pau-
» lo chartam proferente, habentem irreprehenſibilem fidei confeſſionem. Cum igitur
& ipſe B. Cyrillus, rectam fuiſſe cognoſcens Orientalium fidem, pro falſa ſuſpicio- B
ne, quam de illo habuerunt, non eos judicavit hæreticos, quia nec debuit: quo-
modo ſancta Calchedonenſis ſynodus non eidem B. Cyrillo contraria videretur, ſi
piu ipſa ſuſpicione falſa atque ſuperflua, veram & neceſſariam de Chriſto fidem,
quæ in illa epiſtola continetur, non pronuntiaret orthodoxam? Putaverat autem
reverentiſſimus Ibas Epiſcopus, quòd idem B. Cyrillus, directa ſibi ab Orientalibus
confeſſione, non communem fidem in ea cognoverit, ſed proprium errorem corre-
xit. Quod neque nos, neque ſancta Calchedonenſis ſynodus approbavit, ubi di-
» ctum eſt, Dudum quidem ex relectis innoxius demonſtratus eſt reverentiſſimus Ibas.
» In quibus etenim viſus eſt culpare malè loquens beatiſſimum Cyrillum, in poſte-
» rioribus rectè confeſſus reſpuit illa quibus culpaverat. Verùm non pro iſta de B.
Cyrillo ſuſpicione illa epiſtola quaſi Neſtoriana fuerat abdicanda; quoniam longè
alterius erroris, & ſummæ in Chriſtum impietatis, hoc nomen eſt. Conſcriptor C
autem ipſius epiſtolæ non catholicam fidem; quam verè habuit Cyrillus, quæque
culpanda non eſt, ſed ipſum Cyrillum culpavit, æſtimans eum immoderatè reſiſten-
do Neſtorii dogmati, in contrarium Apollinaris dogma per ignorantiam lapſum.
Hæc duo ſi diſcriminemus, Neſtorianam non dicimus epiſtolam, quam ſynodus
catholicam dixit. quoniam aliud eſt cùm de hujuſmodi perſona falsè aliquid credi-
tur: aliud verò, quum de ipſo Chriſtianæ fidei fundamento male ſentitur. Niſi
fortè quis dicat, quod pro injuria beati Cyrilli damnare ſynodus debuit rectam fidem
ipſius Cyrilli, quam epiſtola illa confeſſa eſt, aut eam non appropare, cum divina
ſcriprura, ſicut oſtendimus, Aſa Regem Juda cum tanta laude prætulerit; quaſi
amplioris ſit criminis lapſum putaſſe Cyrillum Epiſcopum, quàm prophetam, ut
alia omittam, de peccato arguentem, in nervi cuſtodiam tradidiſſe. Accipe autem
jam & aliud exemplum, quòd ſine mendacio defendimus ſynodi ſuper epiſtola Ibæ
ſententiam. Nam Joſaphat regem quoque ſimiliter Juda, filium prædicti Aſa,
a Par. 20. 33. meminimus inter alios reges excelſa non ſuſtuliſſe, ſicut etiam patrem ejus. De- D
2. Par. 18. 3. inde affinitate junctum Achab regi profano Iſraël, qui etiam in auxilium ejuſdem
Achab, poſthabito Dei ſermone, quem ante per Micheam prophetam ei annun-
tiaverat, contra regem Syriæ fruſtra præliatus eſt. Propter quod, interempto in
eodem prælio memorato Achab, objurgatus eſt idem Joſaphat, Ieu filio Anania
2. Par. 19. 2. propheta dicente, *Si peccatorem illum adjuviſti, & eorum qui oderunt Dominum ami-
cus es: in hoc ſuper te ira à facie Domini.* Poſtremò pro ſocietate Regis Achab incre-
patus, etiam cum Ochozia ſimiliter profano rege Iſtaël, quique patri Achab in
regno ſimul & in omni abominatione ſucceſſerat, idem Joſaphat amicitiam junxit.
2. Par. 20. 37. Unde & Heliezer, filius Dodiau prophetæ, eum redarguit dicens, *Pro eo quod com-
municaſti cum Ochozia confregit Dominus opera tua.* Et in tantis etiam iſte reprehenſus
atque culpatus, tamen quia ſolum Deum coluit, & reliquias ſimulacrorum quæ re-
manſerant in diebus patris ejus ſuſtulit de terra, ſic à divina ſcriptura laudatur: *Et
Ibid. 32. ingreſſus eſt Joſaphat in via Aſa patris ſui, & non declinavit ab ea, faciendo quod rectum eſt
in conſpectu Domini.* Si igitur regem quoque Joſaphat, quem in tantis erraſſe cognoſ- E
cimus, & non ſolùm à prophetis increpatum, verumetiam poſt denuntiationem ipſos
contempſiſſe prophetas, pro Dei veri cultura, quia non divertit ut adoraret Deos alie-
nos, ſancta ſcriptura perhibuit noo declinaſſe ab eo quod rectum eſt in conſpectu Do-
mini: quomodo ſynodus Calchedooenſis non profanè culpatur, quod morem ſcriptu-
ræ divinæ cuſtodiens, epiſtolam venerabilis Ibæ, quamvis de beato Cyrillo aliter ſuſpi-
cantis, pro veræ fidei coofeſſione, quam continet, in qua rectè colitur Deus, pro-
nuntiavit orthodoxam? An fortè levior culpa eſt amicitia & affinitate profanis fuiſſe
conjunctum, & prophetas miſſos à Domino contempſiſſe, quàm de Cyrillo Epiſcopo
falſum aliquid æſtimaſſe? Sed jam tertium, quod extremum quoque erit, profera-
mus exemplum, quomodo, ſicut diximus, à majore & meliore parte ſcriptura divina

A de multis ſoleat ferre ſententiam ; cujus formam ſancta ſynodus ſecuta eſt, ut ve-
nerabilis Ibæ epiſtolam approbaret. Nam de rege quoque Ezechia ſic eadem
ſcriptura narravit : *In diebus illis infirmatus eſt Ezechias uſque ad mortem.* & oravit 2. Par. 32.
ad Dominum, & exaudivit eum, & dedit illi ſignum, & non juxta retributio- 24.
nem, quam tribuit illi, repræſentavit Ezechias. ſed exaltatum eſt cor ejus, &
fuit ſuper illum ira, & ſuper Juda, & ſuper Iſraël. Propter quod Eſaias in eum
prophetavit dicens : *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & auferentur omnia quæ ſunt in* 4. Reg. 20.
domo tua, & quæcumque recondiderunt patres tui uſque in hunc diem, & in Babylonem in- 16.
troibunt, & non derelinquetur ſermo quem dixit Dominus. Ecce ex filiis tuis qui procedent ex te, Eſa. 39. 6.
quos generabis, adducentur & erunt eunuchi in domo regis Babylonis. Cumque tanta eſſet
cordis ejus elatio, ut hanc ultionem graviſſimam de juſtitia Dei reciperet, eadem
ſcriptura de illo ſic dicit : *Fecit quod rectum eſt in conſpectu Domini ſecundum omnia quæ* 4. Reg. 18.
B *fecit David pater ſuus.* Et iterum : *Hic in domino Deo Iſraël ſperavit, & poſt eum non* 3.
fuit ei ſimilis quiſquam in Regibus Juda, & in his qui fuerunt ante ipſum. & adhæſit Domi- 2. Par. 29.
no, nec receſſit ab ipſo, & cuſtodivit mandata ejus quæcumque mandavit Moyſi, & erat Do- 2.
minus cum ipſo in omnibus. Quomodo igitur illum, quem ſic commemoravit, ut fi- 4. Reg. 18.
lii quoque ejus in captivitatem adducti, in domo regis Babylonis eunuchi ſervirent,
ſic divina ſcriptura laudavit? Ut enim non attendamus quod de illo dixit, Et fecit
quod rectum eſt in conſpectu Domini, ſecundum omnia quæ fecit David pater
ſuus, rurſumque, Hic in domino Deo Iſraël ſperavit, & poſt eum non fuit ei ſimilis
quiſquam in regibus Juda, & in his qui fuerunt ante ipſum : quomodo de illo dictum
eſt, Adhæſit Domino, nec receſſit ab ipſo, & cuſtodivit mandata ejus, quæcum-
que mandavit Dominus Moyſi? An fortè dicitur elatio cordis ejus, quæ ſic Do-
mino diſplicuit, adhæſiſſe Domino, nec receſſiſſe ab eo, & cuſtodiſſe mandata ejus,
C quæcumque mandavit Dominus, cùm ſit omnis initium peccati ſuperbia? Quid ita
dicemus, niſi quia in his verbis hoc intelligi voluit Dei ſcriptura, quod non ſicut
alii reges Deos gentium adoravit Ezechias, neque ab unius Dei veri cultura diſ-
ceſſit : ſed obſervavit quæcumque de hac mandavit Dominus Moyſi, & quemadmo-
dum ſcriptum eſt : *Deſtruxit excelſa, & comminuit omnia ſimulacra, & abſcidit lucos, &* Ibid. 4.
*comminuit ſerpentem illum æreum, quem fecit Moyſes, cui filii Iſraël ad illud tempus ſacrifi-
cabant.* Secundum hoc ergo dictus eſt adhæſiſſe Domino, nec receſſiſſe ab eo, &
cuſtodiſſe omnia mandata ejus, quæcumque mandavit Dominus Moyſi, non ſecun-
dum illam cordis elationem, pro qua tam grandem meruit iram divini judicii.

CAPUT II.

Quod Synodus epiſtolam Ibæ orthodoxam pronuntiarit propter duarum in Chriſto naturarum confeſſionem, quam continet, non propter falſam de B. Cyrillo ſuſpicionem.

D UNDE ſancta illa quoque ſynodus formam canonicæ ſcripturæ in ſua ſenten-
tia non excedens, ſecundum duarum naturarum in una Chriſti perſona, catho-
licam & generalem confeſſionem, non ſecundum privatam ſuſpicionem quam de B.
Cyrillo cum aliis Ibas habuit, ejus epiſtolam *b* pronuntiavit orthodoxam : hoc ipſo
vocabulo, quòd eam orthodoxam nuncupavit, oſtendens fidei ſe confeſſionem in illa
probaſſe. Non enim laus beati Cyrilli, ſed vera fidei Chriſtianæ confeſſio, mere-
retur hoc nomen. Alioquin Eutychianos dicimus quòd ſint orthodoxi, qui B. Cy-
rillum magnificant, putantes hoc eum ſenſiſſe quod ſentiunt : quod reverentiſſimus
Ibas, licet non in beato Cyrillo debuerit, verè tamen culpabile judicavit. At ſi nihil
Eutychianos adjuvat laus beati Cyrilli, ut pro illa judicentur orthodoxi, ſed po-
tius pro denegatione duarum Chriſti naturarum pronuntiantur hæretici ; nihil gra-
vare debuit de beato Cyrillo ſuſpicio, ut pro illa judicaretur hæretica, ſed potius pro
confeſſione duarum Chriſti naturarum, in unitate perſonæ pronuntianda fuit orthodo-
E xa. Quocirca, ſicut conſequens non eſt, ut quia prædictos Eutychianos pronuntiamus
hæreticos, propterea debeamus laudem in eis beati Cyrilli culpare : ita conſequens non
eſt, ut quia ſancta ſynodus epiſtolam venerabilis Ibæ pronuntiavit orthodoxam, pro-
pterea videatur injuriam in ea beati Cyrilli probaſſe. At enim, dicit aliquis, ſi ergo

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

b PRONVNTIAVIT ORTHODOXAM. Hoc etiam affirmat Liberatus capite 13. Quo autem ſenſu dicta ſit orthodoxa, explicat Vigilius in Conſtituto. Verùm ex omnibus de Iba Epiſcoporum ſententiis, quæ leguntur in Synodo Calchedonenſi, tres omnino, quas Facundus ſuperiore libro recitavit, ejus ad Marim epiſtolæ meminerunt, atque in his duæ tantùm orthodoxam pronuntiarunt. Ideo Synodus V. ut eo loci obſervatum, non idem aliorum de illa judicium fuiſſe ſtatuens, eos redarguit, qui epiſtolam à Concilio ſuſceptam contendebant.

non recipit ſynodus Calchedonenſis injuriam beati Cyrilli, cur epiſtolam malè de A
ipſo loquentem abſolutè approbavit, & eam ſine ulla exceptione pronuntiavit orthodoxam? Debuit enim dicere, quod in quibuſdam erraverit. Oſtenditur quidem ex ſuperiùs memoratis, quod ob hoc auctorem ipſius epiſtolæ de iſto errore non arguit, quoniam in quibus erat viſus culpare male loquens beatiſſimum Cyrillum, in poſterioribus rectè confeſſus ipſe jam reſpuerat illa quibus culpaverat. Verumtamen & ſi hoc ſententia Synodi minime contineret, neque ſic eſſet credibile, quòd in epiſtola venerabilis Ibæ injuriam beati Cyrilli approbaverit, cujus fidem multis & conſonis vocibus laudaſſe teſtimonio geſtorum ipſius ſynodi monſtraretur. Quod ſi nobis & hoc defuiſſet, nullus oſtendere poſſet in ejus ſententia, quòd approbaverit omnia quæ in illa epiſtola continentur. Unde ſi liceret alteri hinc accuſare ſyodum, quia in ejus ſententia non inveniretur quod eam in quibuſdam approbaverit; profectò liceret etiam mihi hinc eandem ſynodum excuſare, quia in ejus ſententia non inveniretur quod eam in omnibus approbaverit. Nam B
ſicut eam non in quibuſdam dixit eſſe rectam, ita nec in omnibus dixit. Quod ſi & in omnibus diceret, quæ ad confeſſionem fidei, quam in Chriſtum habemus, acciperem; ſicut accipimus, quoniam pro unius veri Dei cultura ſcriptum eſt, quod cor Aſa perfectum erat cum Domino omnibus diebus ſuis: & ſicut accipimus, quia propterea de Joſapbat dictum eſt, *Ingreſſus eſt in via patris ſui Aſa, & non declinavit ab ea, faciendo quod rectum eſt in conſpectu Domini*: & ſicut accipimus, quia ob hoc Ezechias dictus eſt adhæſiſſe Domino, nec receſſiſſe ab ipſo, & cuſtodiſſe mandata ejus, quæcumque mandavit Dominus Moyſi. Quamvis & ipſum nomen, ſicut jam diximus, quod orthodoxa vocata eſt, confeſſioni fidei Chriſtianæ ſoleat à ſynodo diſtribui: Mirandum tamen eſt, quod illi dicant, pro tranſitoria & leviſſima ſuſpicione, quam continet, non debuiſſe aut potuiſſe orthodoxam judicari à ſynodo epiſtolam rectè de incarnationis Chriſti myſterio confitentem, qui dixerint, Oportet apertè inſpicere ad C
Marim epiſtolam, omnia quidem ſine Deo & impiè dicentem. Nam ſi eis juſtiſſimum viſum eſt definire, quod ſine Deo & impiè dicat illa epiſtola, quæ duas Chriſti naturas in unitate perſonæ confeſſa eſt, quomodo ſanctæ ſynodo videretur injuſtum orthodoxam eam pro eadem, recta confeſſione fidei, quam continet, pronuntiare, cum eam non inveniatur in omnibus approbaſſe? Et ideo ſi epiſtola venerabilis Ibæ, & in confeſſione fidei, quam de Chriſto continet, approbanda eſt, & in ſuſpicione, quam de beato Cyrillo conſcriptor ejus habuit, improbanda: judica quæſo, religioſe Imperator, utrum ſynodus culpanda ſit, in cujus ſententia non oſtenditur, quod in omnibus eam probaverit; an illi, qui pronuntiare auſi ſunt, quòd omnia ſine Deo & impiè dicat. Sancta Calchedonenſis ſynodus, quamvis in reverentiſſimo Iba notaverit, quod de beato Cyrillo falſa fuerit ſuſpicatus, tamen & ſi non faceret, oſtenderetur, ſicut diximus, jam formam divinæ ſcripturæ ſecuta, ut ejus epiſtolam pro recta confeſſione incarnationis Chriſti, quæ maximè ad divinum cultum D
pertinet, pronuntiaret orthodoxam. Iſti verò cujus formam vel regulam ſecuti dicentur, qui pro hominis de homine ſuſpicionibus, etiam rectam de Chriſto confeſſionem nimis inconſideratè ſimul impiam vocaverunt?

CAPUT III.

Quod Synodus epiſtolam Ibæ damnare non potuit, quin Cyrillum itidem hæreſeos damnaret. quodque Cyrillus Neſtorio reſpondens de induſtria parcius de duarum naturarum diſcretione locutus ſit.

HIs autem præmiſſis, quæ contra calumnias hæreticorum magni Concilii ſententiam ſufficienter à recepta, ſicut jactant, beati Cyrilli vituperatione defendunt: profectò jam colligis animo, pie Princeps, multo facilius nos illa poſſe refellere, quę nec ab ipſis venerabilis Ibæ accuſatoribus objecta in ejus epiſtola criminantur. *c* cujus integrum tenorem ex ſynodi geſtis, ſicut promiſimus, in hunc transfe- E
» rimus librum. Poſt prooemia ergo ſic habet. In brevi autem luminoſæ tuæ prudentiæ,
» quæ in paucis multa cognoſcit, qualia pridem & nunc hîc acta ſunt, feſtinavimus in-
» dicare: ſcientes quoniam quæ veſtræ ſanctitati ſcribimus, & quę hîc aguntur, omnibus

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

c CUJUS INTEGRUM TENOREM. Habetur Græcè & Latinè in Actione x. Calchedonenſi, ex geſtis Synodi Berytenſis, ubi prolata primùm fuerat ab Ibæ adverſariis. Habetur & in Synodo v. generali, ſed alio interprete. Itaque tertia hæc verſio, qua utitur Facundus, nuſquam integra extat, ſed ubique ἀκέφαλος & ſine prooemio. Quare in Gręco exemplari ſic habet inſcriptio: Ἀπὸ δὲ ἀντιγράφου χάρτου παρὰ τοῦ Ἴβα ἐπισκόπου μετὰ τὰ προοίμια.

A ibi poſitis per veſtram ſollicitudinem innoteſcent, quia nullam permutationem ſcri-
pturæ à Deo traditæ ſuſceperunt. Facio autem hujus cauſæ principinm ex dictis, quæ
& ipſe cognoſcis. Contentio facta eſt, ex quo hîc tua ſanctitas fuit, his duobus
hominibus, Neſtorio & Cyrillo, & conſcripſerunt adverſus ſe noxios libros, qui
audientibus fuerunt ſcandalum. Neſtorius enim dixit in ſuis libris, ſicut & ſanctitas
tua novit, qnia beata Maria Dei genitrix non eſt, ut multi putarent ex hæreſe Pau-
li Samoſateni hunc eſſe, qui dixit hominem purum eſſe Chriſtum. Cyrillus autem,
volens Neſtorii libros deſtruere, lapſus eſt, & in dogma Apollinaris inventus eſt in-
cidiſſe. Conſcripſit enim & ipſe ſimiliter illi, quia ipſe Deus verbum factus eſt ho-
mo, tanquam non ſit differentia inter templum & inhabitantem in eo. Conſcripſit
enim duodecim capitula, quæ puto & tuam cognoviſſe ſanctitatem, quia una na-
tura eſt deitatis & humanitatis domini noſtri Jeſu Chriſti: & quia, ſicut dicit, non
oporteat dividere voces dictas, quas vel ipſe Dominus de ſemetipſo dixit, vel Evan-
B geliſtæ de eo. Hæc autem omni impietate plena ſunt, antequam nos dicamus, ſicut
ſanctitas tua novit. Quomodo enim poteſt accipi, *In principio verbum* de templo
nato ex Maria? aut illud, *Minuiſti eum paulominus ab angelis*, de deitate unigeniti
dici? Eccleſia enim ſic dicit, ſicut & tua ſanctitas novit, & ſicut à principio didi-
cit, & confirmata eſt divina doctrina ex libris beatorum patrum, duæ naturæ, una
virtus, una perſona, quod eſt unus filius dominus Jeſus Chriſtus. Ob hanc con-
tentionem, victores & pii Imperatores juſſerunt primates Epiſcoporum in Epheſi-
nam congregari civitatem, & coram omnibus libros Neſtorii & Cyrilli judicari.
Sed antequam omnes Epiſcopi, qui congregari juſſi fuerant, in Epheſum perve-
nirent, anticipans idem Cyrillus aures omnium pigmento, quod excæcat oculos
ſapientum, præoccupavit. Invenit autem cauſam ex odio quod erat adverſus Neſto-
rium, & antequam adeſſet ſanctiſſimus & reverentiſſimus Archiepiſcopus Joannes,
de Epiſcopatu Neſtorium depoſuerunt, judicio & inquiſitione non facta. Poſt duos
C autem dies damnationis ejus venimus in Epheſum. & cognoſcentibus nobis, quia in
damnatione Neſtorii, quæ facta eſt ab eis, xii. capitula quæ à Cyrillo conſcripta
ſunt, contraria exiſtentia veræ fidei, poſuerunt, & firmaverunt, & conſenſerunt
eis, tanquam veræ fidei conſonantibus, omnes Orientales Epiſcopi eumdem Cyril-
lum damnaverunt, & adverſus alios Epiſcopos, qui conſenſerunt ejus capitulis, ex-
communicationem decreverunt. & poſt hanc perturbationem unuſquiſque in ſuam
civitatem reverſus eſt. Neſtorius autem quoniam ſuæ civitati odio erat, & qui e-
rant in excellentioribus, illò reverti non potuit. Et manſit Orientale concilium
non communicans his Epiſcopis qui communicaverunt Cyrillo: & propter hoc
multa triſtitia inter eos facta eſt, & in contentione erant Epiſcopi adverſus Epiſco-
pos, & populi adverſus populos, & completum eſt opere quod ſcriptum eſt, *Quia
erunt inimici domeſtici ejus.* Ex hoc detractiones multæ adverſus nos factæ ſunt paga-
norum. Non enim audebat aliquis de civitate ad civitatem, aut ad provinciam de
D provincia proficiſci: ſed unuſquiſque proximum ſuum ſicut inimicum perſequebatur.
Multi autem, ante oculos non habentes Dei timorem, occaſione Eccleſiaſtici zeli,
inimicitias, quas occultas in cordibus ſuis habebant, ad effectum perducere feſtina-
verunt. Ex quibus unus exiſtit *d* noſtræ civitatis tyrannus, quem nec tu ipſe igno-
ras, qui occaſione fidei, non ſolùm nunc viventes inſequitur, ſed & hos qui olim
ad Deum præceſſerunt. Quorum unus eſt beatus Theodorus, præco veritatis &
doctor Eccleſiæ, qui non ſolùm in ſua vita colaphizavit hæreticos per veritatem
ſuæ fidei, ſed & poſt mortem ſpiritalia arma in libris propriis Eccleſiæ filiis dereli-
quit: ſicut & tua reverentia eidem collocuta cognovit, & ex his quæ conſcripſit
inſtructa eſt. Hunc præſumpſit in Eccleſia palam anathematizare, qui propter
zelum Dei non ſolùm propriam civitatem ab errore ad veritatem convertit, ſed &
longè poſitas ſua doctrina inſtruxit Eccleſias. Et de libris quidem ejus multa ubique
perſcrutatio fiebat: non quia vera fide exiſterent alieni, vidi enim eum adhuc illo vi-
E vo frequenter codices ejus legentem, ſed propter inimicitias latentes, quas adverſus
eum habuit, quoniam eum manifeſtè convicit in ſynodo. His ergo malis interce-
dentibus, & uno quoque, ſicut ſcriptum eſt, prout volebat diſcedente, Deus noſter
adorandus, qui ſua ſemper clementia curam gerit Eccleſiæ, fideliſſimi atque victo-

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

d NOSTRÆ CIVITATIS TYRANNUS. Rabulam ſic appellat deceſſorem ſuum, qui anathema dixerat Theodoro, ut refert etiam Liberatus capite x. Breviarii. Extat in Synodo v. Cyrilli Alexandrini epiſtola ad Rabulam Epiſcopum Edeſſæ, in qua eum laudat, quod hæreſim Neſtorianam à Theodoro Cilice ortam expulerit. & Rabulæ altera ad Cyrillum, in qua Theodorum ut Neſtoriani dogmatis auctorem ſugillat.

,, ris principis cor rexit, ut dirigeret venerabilem atque ſanctiſſimum Archiepiſcopum A
,, Orientis, dominum Joannem, ut reconciliaretur Cyrillo, ab eo enim fuerat Epiſco-
,, patu depoſitus. & poſtquam literas Imperatoris accepit, ſanctiſſimum & reverendiſſi-
,, mum Paulum Emeſenum direxit Epiſcopum, ſcribens per eum veram fidem, & præ-
,, cipiens ei, quia ſi huic fidei Cyrillus conſenſerit, & anathematizaverit eos, qui di-
,, cunt quia deitas paſſa eſt, vel dicentes quia una natura eſt deitatis & humanitatis,
,, ut communicaret ei. Voluit autem Dominus, qui ſemper curam ſuæ gerit Eccle-
,, ſiæ, quam ſanguine proprio redemit, cor Ægyptii emollire, ut ſine fatigatione
,, fidei conſentiret, & hanc ſuſciperet, atque omnes qui abſque hac crederent anathe-
,, matizaret. & communicantibus illis ſibi invicem, contentio de medio eſt ablata, &
,, pax in Eccleſia facta eſt: & non eſt in ea ſchiſma, ſed pax ſicut pridem eſt. Quæ au-
,, tem verba ſint, quæ à ſanctiſſimo & reverentiſſimo Archiepiſcopo Joanne ſcripta
,, ſunt, & quæ à Cyrillo reſcripta ſuſcepit, ipſas epiſtolas huic, quam ad veſtram di- B
,, rexi reverentiam, conjungens tranſmiſi tuæ ſanctitati, ut relegens ſcias, & omni-
,, bus noſtris fratribus amantibus pacem denunties, quia contentio jam quievit, &
,, medius inimicitiarum paries ablatus eſt, & qui ſeditioſè adverſus vivos & mortuos
,, irruerant, in confuſione ſunt, pro ſuis ſatisfacientes exceſſibus, & contraria docent
,, modò his quæ ante docuerant. Non enim quiſquam audet dicere unam eſſe natu-
,, ram divinitatis & humanitatis, ſed confitentur in templum & inhabitantem in eo,
,, qui eſt unus filius Jeſus Chriſtus. Hæc autem ſcripſi tuæ ſanctitati ex magno affe-
,, ctu, quem circa te habeo, ſciens quia tua ſanctitas nocte & die in doctrina Dei te-
,, metipſum exerces, ut multis ſis utilis. Hic eſt integer illius epiſtolæ tenor, quam
apud ſe recitatam, ſicut jam docuimus, magna ſynodus Calchedonenſis pronun-
tiavit orthodoxam. Aggrediar igitur in adjutorio Salvatoris, non ab his tantùm
ſententiam ipſius ſynodi defendere, quæ ſcripto ab hæreticorum fautoribus in epi-
ſtola ſupradicta culpata ſunt, & in reprehenſionem memoratæ ſententiæ quaſi Ne- C
ſtoriana damnata: verùm etiam quæcumque petulantibus irreligioſorum verbis paſſim
accuſari cognovimus. Per hujus autem diffinitionis contextum, illud quoque, ubi
opportunum fuerit, oſtendemus, quoniam ſi eandem epiſtolam ſynodus judicaret
hæreticam, hinc potius beatum Cyrillum hæreticum fuiſſe firmaret, & excuſaret
Neſtorium, atque concilium reprehenderet Epheſinum. Unde ea nunc, quæ ſcri-
pto reprehendenda eſſe dixerunt, pro tenore atque contextu quo ab illis ſunt poſi-
ta, ex eorum libro transferamus in noſtrum, ne quis nos exiſtimet aliquid eorum
,, quæ ad cauſam pertinent omiſiſſe. Sic ergo dixerunt. Ingreſſi ſunt accuſatores
,, Ibæ, petiverunt & ipſi relegi quæ in Tyro de Iba accuſata ſunt apud Photium &
,, Euſtachium Deum amantes. Et dum relegerentur acta, inventa eſt in eis epiſto-
,, la quædam poſita, tanquam ab Iba facta ad Marim Perſam, omni impietate cu-
,, mulata. Continet enim hæc, Cyrillus volens Neſtorii libros deſtruere lapſus eſt, D
,, & in dogma Apollinaris inventus eſt incidiſſe. Conſcripſit & ipſe ſimiliter illi, quia
,, Deus verbum factus eſt homo. & poſt alia: Quomodo enim poteſt accipi, *in principio*
,, *verbum* de templo nato ex Maria? aut illud, *Minuiſti eum paulominus ab Angelis*, de
,, deitate unigeniti dici? Denuo, Cyrillus aures omnium pigmento, quod excæcat
,, oculos ſapientum, præoccupavit, & de Epiſcopatu Neſtorium depoſuerunt, judi-
,, cio & inquiſitione non facta. His adjicit, quia in damnatione Neſtorii quæ facta
,, eſt ab eis, XII. capitula, quæ à Cyrillo conſcripta ſunt, contraria exiſtentia veræ
,, fidei, poſuerunt & firmaverunt, & conſenſerunt eis, tanquam veræ fidei conſonan-
,, tibus. Et poſt pauca Epiſcopo Edeſſæ derogans dicit, Hic noſtræ civitatis tyran-
,, nus beatum Theodorum, præconem veritatis & doctorem Eccleſiæ, præſumpſit qui
,, omnia præſumit in Eccleſia palàm anathematizare. Hæc omnia manifeſtum eſt le-
genti, quoniam non ſicut in illa epiſtola continetur, ſed ſicut ipſi ea decerpentes
ac diſcerpentes pro ſuo aſſerunt arbitrio, & in unum centonem redegerunt, etiam E
nos poſuimus. Ut autem luce clarius conſuetas eorum fraudes ſerenitas tua cognoſ-
cat, & quos ſaltus in ſua narratione fecerint, non quaſi, ut videri voluerunt, vi-
tandæ prolixitatis, ſed potiùs obſcurandæ veritatis gratia, ne aliquo modo dicen-
tis Ibæ appareret intentio: confer ea quæ poſuerunt, cum epiſtolæ tenore quem ſu-
prà memoravimus, & erit jam prudentiæ tuæ dignoſcere, utrum ea quæ tranſilie-
runt, & noluerunt attingere, prolixam narrationem facerent, an potius ipſam rem,
quod timuerunt, evidentius aperirent. Ex omnibus autem, quæ in hac epiſtola re-
prehenderunt, priùs duo purgamus, quoniam connexa in uno capitulo habentur,
,, ſed ab iſtis malè diviſa ſunt. Unum eſt, quod in principio poſuerunt dicentes, Cy-
,, rillus volens Neſtorii libros deſtruere, & cetera. Alterum verò, quod ſecundo lo-
,, co poſuerunt, id eſt, Quomodo enim poteſt accipi in principio verbum de tem-
,, plo nato ex Maria, & cetera. In primis ſanè fatendum eſt, hanc epiſtolam ſatis o-

A ſtendere, quòd reverendiſſimus Ibas, quemadmodum dictum eſt, cum Orientalibus aliarumque provinciarum Epiſcopis, intentionem dictorum beati Cyrilli minus intelligens, & ſuſpicatus quòd negaret in Chriſto differentiam naturarum, conſequens judicavit, quia in Apollinaris dogma incidiſſet, qui non aſſumptione humanæ naturæ Deum verbum credebat hominem factum, ſed *e* partem ſubſtantiæ ipſius Dei verbi putabat in carnem eſſe converſam. Ob hoc igitur ibi ſubjecit, atque ait: Conſcripſit enim, & ipſe ſimiliter illi, id eſt Apollinari, quia ipſe Deus verbum factus eſt homo, tanquam non ſit differentia inter templum & inhabitantem in eo. Non itaque venerabilis Ibas Deum verbum neſcivit hominem factum: ſed adverſus Apollinaris dementiam convertibiliter factum eſſe hominem denegavit. Nam & ipſe beatus Cyrillus in libro qui Scholia dicitur, ſub titulo, Quomodo unus Chriſtus, Ergo, inquit, & ſi alii ſimili appellatione vocati ſunt Chriſti, unus tamen eſt, per quem omnia Jeſus Chriſtus, non quòd homo ſit factus opifex omnium. Quod Cyrillus
B non contra prophetam dicentem, *Mater Sion dicit homo, & homo factus eſt in ea, & ipſe fundavit eam altiſſimus*, ſcripſiſſe credendus eſt: ſed ea potiùs intentione, quòd Deus verbum, opifex omnium, ſecundum Apollinaris ſenſum, id eſt convertibiliter, non factus ſit homo. Aut igitur utrobique ſubintelligimus propterea negatum eſſe Deum verbum, id eſt opificem omnium, hominem factum, quia convertibiliter non factus eſt homo, & neutrum de Neſtoriano errore culpabitur: aut ſi non conceditur, eadem culpa erit amborum. Beatum verò Cyrillum nec ipſi Eutychiani volunt Neſtorianum videri, dicentem, non quòd homo ſit factus opifex omnium, ſeu Deus verbum, per quem omnia facta ſunt, ſimiliter ut nos participatit carni & ſanguini, & nuncupatus ſit homo. Quanquam ipſa nuncupatio calumniæ pateat, quaſi perfunctoriè nuncupatus, & non verè fuerit factus homo. Nam & ipſe ibi ſecutus adjecit: Tanquam non ſit differentia inter templum & inhabitantem in eo. Quòd ſi propterea magna ſynodus hanc epiſtolam velut hæ-
C reticam improbaret, nonne ſicut diximus, hinc potiùs beatum Cyrillum, ſimiliter dicentem, non quòd homo ſit factus opifex omnium, credidiſſe hæreticum videretur? Si autem venerabilis Ibas alia ejuſdem beati Cyrilli dicta legiſſet, aut ſicut oportuit attendiſſet, inveniſſet proculdubio, quòd ipſe quoque contra Apollinarem, intentione qua diximus, negaverit Deum verbum hominem factum, & differentiam naturarum docuerit. Sed Neſtorio reſpondens, qui unum Chriſtum in duos filios dividebat, neceſſe non habuit de duabus naturis adverſus eum evidentius atque expreſſius diſputare. Quinimmò, ne quam daret occaſionem ejus erroris, parciùs de naturarum diſcretione locutus eſt: ne cùm ipſe naturas diſtingueret, ille duas perſonas induceret. Audiebant itaque, vel relegebant verba dicentis Orientales patres, neque animadvertebant ejus intentionem, ſecundum quam de verbis eſt judicandum: quia non magis quid dicatur attendendum eſt, quàm cur quidque dicatur. Et poſſemus quidem multa ſcripturæ divinæ proferre teſtimonia
D de diverſitate intentionis atque verborum, ſi tamen diverſitas illa dicenda eſt, quomodo plerumque negare videtur aliquid quod negandum non eſt, ut aliud quod magis eſt neceſſarium intimetur: quia verò de cauſa nunc agimus à ſuis auctoribus pacificè terminata, hæc nobis duo ſufficiant. Quis enim, niſi aliis divinæ ſcripturæ teſtimoniis doceretur, dominum Jeſum Chriſtum aut bonum aut Deum eſſe crederet, audiens Marcum Evangeliſtam ita de illo narrantem: *Et cùm egreſſus eſſet in viam, procurrens quidam genuflexo ante eum, rogabat eum dicens, Magiſter bone, quid faciam ut vitam æternam percipiam? Jeſus autem dixit ei, Quid me dicis bonum? nemo bonus niſi unus Deus.* Marc. 10. 17. Quod ideo Dominus dixit, ut admoneret illum Deum ſe credere, ſi vellet eum verè bonum confiteri, quia tanquam cordis inſpector videbat ab eo ſe hominem tantummodo, non etiam Deum credi. Quamvis ergo videatur quibuſdam hæreticis non intelligentibus bonum ſe negaſſe, catholicis tamen intelligentibus Deum ſe inſinuaſſe magis apparet. Quis enim illud ſolum audiens, quod
E idem Marcus Evangeliſta de Domino ſimiliter narrat, non eum cum Manichæis negaret filium eſſe David? Nam ipſo teſtimonio abutentes Manichæi ſacramentum incarnationis ejus abjurant. *Reſpondens*, inquit, *Jeſus dicebat docens in templo, Quomodo dicunt ſcribæ Chriſtum filium eſſe David? Ipſe enim Da-* Marc. 12. 35.

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

e PARTEM SUBSTANTIÆ DEI. Auguſtinus de hæreſibus. *Apollinariſtæ contentioſiſſimè aſſeverant Verbi aliquid in carnem fuiſſe converſum atque mutatum, non autem carnem de Maria carne ſuſceptam.* Quod hæreſis portentum Athanaſius, cùm ſub ortu ſuo ad ejus aures perveniſſet, accuratiſſimè confutavit in epiſtola ad Epictetum Epiſcopum Corinthiorum, quam proinde integram deſcribit Epiphanius in hæreſi Dimœritarum, ſive Apollinariſtarum.

vid dic't in Spiritu ſancto, Dixit dominus domino meo, ſede à dextris meis: donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Ipſe ergo David dicit eum dominum, & unde eſt filius ejus? Non igitur & hîc talia dicendo, filium David, id eſt hominem ſe negavit, quod videtur ignaris: ſed indicavit potiùs quod neceſſarium fuit, Deum ſe eſſe David. Nam ſi neque Deus eſt, dicendo, *Quid me dicis bonum? nemo bonus niſi unus Deus:* neque homo, dicendo, *Ipſe ergò David dicit eum dominum, & unde eſt filius ejus?* quid illum eſſe dicimus? Et alias hujuſmodi locutiones in divinis litteris prudens lector inveniet: ſecundum quas qui ſic loquitur earum quiſque tractator, ut ipſe quoque negare videatur aliquid quod negandum non eſt, ut aliud quod magis eſt neceſſarium intimetur; ſic non eſt reprehendendus velut hæreticus, ſed ex aliis dictis ſuis potius æſtimandus, ſicut nec ipſas ſcripturas divinas in talibus reprehendere quiſquam catholicus audet, ſed potius ex aliis manifeſtioribus, quomodo ea quæ obſcura ſunt intelligere debeat, recognoſcit. Unde ſi B. Cyrillus Neſtorium quandam nefandam dualitatem conantem inducere, nequam occaſionem daret ejus errori, ſermonem ſuum magis ad ea quæ unitatis ſunt coarctabat; ſicut è contrario priores doctores Eccleſiæ reſpondentes Apollinati, naturarum diverſitatem ſtultiſſimè confundenti, earum diſtinctionem amplius incumbebant: ſic ipſe Neſtorio repugnans, putari non debuit negaſſe differentiam naturarum, quemadmodum nec illi repugnantes Apollinari, putandi ſunt unitatem negaſſe perſonæ. quia non idem ſemper eſt ordo pugnæ, vel modus: ſed in oppugnatore cauſa eſt, quomodo contraire debeat propugnator.

CAPUT IV.

Quod Ibas malè de Cyrillo ſuſpicans, non Cyrilli fidem, ſed quam Cyrilli eſſe falsò putabat, in epiſtola ſua reprehenderit, & Cyrilli de Chriſti incarnatione fidem reipſa probarit.

HÆC autem dicta ſunt, non quòd de Chriſto, ſed quòd de ipſo beato Cyrillo venerabilis Ibas malè crediderit: nec quòd prædicatoris de Chriſtiana fide contilio, ſed quòd hominis de homine ſuſpicio diſpliceat in ejus epiſtola, Cui enim poteſt catholico diſplicere differentia naturalis inter templum & inhabitantem in eo, cùm Dei Eccleſia ſic confiteatur verbum carnem factum, ut non deneget quod ibi ſubjunctum eſt, quia & habitavit in nobis? Nam verbum quidem caro factum eſt, quia ſempiternus filius, qui verbum eſt patris, ipſe in plenitudine temporum factus eſt homo. habitavit autem in nobis, quia nullam converſionem ſuſtinuit inconvertibilis ejus divinitas; ſed manens quod erat, naturam inhabitavit aſſumptam. Et ideo, verbum caro factum eſt, Neſtorianos expugnat: Eutychianos autem, vel Apollinariſtas eorum progenitores, & habitavit in nobis. quia verbum caro factum eſt, unam ſignificat eſſe perſonam: habitavit autem in nobis, duas manſiſſe naturas. Non enim poſſunt duæ eſſe perſonæ, quando is qui verbum eſt, ipſe etiam factus eſt caro: aut duæ non eſſe naturæ, quando aliud ſit quod inhabitat, & aliud quod inhabitatur. Si quis autem non declinans in alterutram partem, ſine contentione rem quærat, inveniet quòd tam ſanctorum Orientalium patrum, quamvis de beato Cyrillo malè ſentirent, quàm ipſius beati Cyrilli, eadem fuerit ſemper intentio, ut dominum unum Jeſum Chriſtum docerent in duabus naturis, id eſt, divinitate atque humanitate perfectum: ne aut propterea duæ perſonæ crederentur, quia duæ naturæ ſunt; aut propterea una crederetur eſſe natura, quia una perſona. Contigit autem nonnunquam inter unius ſententiæ viros, ut cùm de rebus ipſis, quæ in quæſtione ſunt, idem ſapiunt, de ſe tamen invicem aliud ſuſpicentur, cùm vel à dicente minus aperitur verbis, quod corde conceptum eſt, vel ab audientibus minùs inſpicitur dicentis intentio. Diſcernenda eſt autem impietas, qua de Deo malè creditur, ab ignorantia, qua quiſque aliter de ſuo proximo, tanquam homo de homine ſuſpicatur. Et ſi fortè videtur hominis de homine culpanda ſuſpicio, approbanda tamen eſt intentio, qua veritas fidei, quam de Chriſto habemus, aſſeritur. Hanc intentionem volentes obſcurare novæ diligentiæ repertores, quomodo totum fideliter ac ſimpliciter agunt, cùm poſuiſſent ex
" illa epiſtola quod ibi dictum eſt, Conſcripſit enim & ipſe ſimiliter illi, quia ipſe
" Deus verbum factus eſt homo, tranſilierunt quod ſequitur, tanquam non ſit diffe-
" rentia inter templum & inhabitantem in eo. Cujus rei cauſa putamus? Nunquid ideo, quia iſtæ pauciſſimæ ſyllabæ prolixitatem facerent? an ideo potiùs, quia manifeſtè intentionem dicentis oſtenderent? O fides! ô integritas! ô conſcientia re-
2.Cor. 4. 2 ctè tractantium ſermonem veritatis! Poſſunt iſti profectò cum Apoſtolo dicere, *Abdicamus occulta dedecoris, non ambulantes in aſtutia, neque adulterantes verbum Dei,*
ſed

A *ſed in manifeſtatione veritatis commendantes noſmetipſos ad omnes conſcientiam hominum coram Deo.* Verùm in hoc quoque deprehenſis ac proditis eorum fraudibus, attende obſecro, ſereniſſime Imperator, quomodo ex aliis quæ ſequuntur etiam manifeſtum fiat, quòd non contra fidem, quam de Chriſto habemus, reverentiſſimus Ibas in ſua epiſtola ſit locutus; ſed intentionem beati Cyrilli minus intellexerit in ejus capitulis. Nam ſequitur adhuc dicens, quemadmodum integer ipſius epiſtolæ tenor habet: Conſcripſit enim XII. capitula, quæ puto & tuam reverentiam cognoviſſe, quia una natura eſt deitatis & humanitatis domini noſtri Jeſu Chriſti: & quia ſicut dicit, non oportet dividere voces dictas, quas vel ipſe Dominus de ſemetipſo dixit, vel Evangeliſtæ de eo. Cui non appareat, quia ſicut dictum eſt, non incarnationis Chriſti myſterium, ſed intentionem beati Cyrilli minus intellexerit reverentiſſimus Ibas, quem ſicut alii quoque Orientales patres; & ipſi qui eum venerari ſe fingunt Acephali, arbitratus eſt unam deitatis & humanitatis domini
B noſtri Jeſu Chriſti prædicaſſe naturam, & dixiſſe, quia non oportet ſecundum naturas dividere voces dictas, quas vel ipſe Dominus de ſe, vel Evangeliſtæ de eo dixerunt? Denique etiam hinc ab illo per venerabilem Paulum Emeſenum expetiverunt, ut in ſcriptis apertiſſimè fateretur: quòd & venerabilis Ibas in eadem epiſtola ſua narravit, ubi de S. Joanne Antiocheno dixit, Poſtquam literas Imperatoris accepit, ſanctiſſimum & reverentiſſimum Paulum Emeſenum direxit Epiſcopum, ſcribens per eum veram fidem, & præcipiens ei, quia ſi huic fidei Cyrillus conſentiret, & anathematizaret eos qui dicunt quia deitas paſſa eſt, vel dicentes quia una natura eſt deitatis & humanitatis, ut communicaret ei. Sanè quoniam beatus Cyrillus, Orientalium legatione ſuſcepta, magis quod à conſacerdotibus ſuis expetebatur feſtinavit implere, quàm dictorum ſuorum, in quibus offenſi fuerant, ſufficientem purgationem facere, ideo putatus eſt, veluti priſtino errore damnato, Orientalium admonitione converſus: cùm ille recuperandæ unitatis cupidus, in defenſione dicto-
C rum ſuorum noluerit immorari, ne cùm probare diu contendit, quòd non ut putabatur ab eo fuerint dicta, de quibus minùs intelligentes aliter ſentiebant, controverſiæ hac diſſenſione terminus non daretur. Quod item illis verbis reverentiſſimus Ibas oſtendit, quibus ſequenter eumdem B. Cyrillum retulit ſine fatigatione Orientalium fidei conſenſiſſe, & hanc ſuſcepiſſe, atque omnes qui abſque hac crederent anathematizaſſe. Sed numquid B. Cyrillum putaſſe converſum, Neſtorianum eſt crimen? Reſpondeant ergo nobis, qui Neſtorianam hanc dixerunt epiſtolam, utrum unum Deum atque hominem Jeſum Chriſtum, per quem omnia facta ſunt, & qui inter omnia factus eſt, in duas perſonas dividere, an Cyrillum ſervum ejus putaſſe converſum, hæreſis Neſtoriana dicenda ſit. Multum excuſamus Neſtorium, ſi in hoc ejus hæreſim conſtare dicamus, Cyrillum putaſſe converſum. Unde ſi Calchedonenſis quoque ſynodus idcirco velut Neſtorianam hanc epiſtolam improbaret, hinc potiùs, quod item promiſimus demonſtrandum, excuſaſſe Neſtorium
D videretur. Non autem ita debuit religioſa illa ſynodus graviſſimum crimen levigare *f* Neſtorii, quæ bene cognoverat, quòd longè alia blaſphemia ſit quæ hujus hæreſis nomen accepit. Illa myſterium divinæ incarnationis evacuat, in qua ſalus noſtra conſiſtit: illa aliam hominis, aliam Dei ſubſiſtentiam dicit, ut humanam naturam alienet à Deo, quæ in ſuis primitiis verbo aſſumente ſanata eſt. Ibæ autem epiſtolam perſpexit evidentiſſime confitentem, quod iſti attingere timuerunt, quia licet duæ naturæ ſint, una tamen eſt virtus, una perſona, quod eſt unus filius dominus Jeſus Chriſtus. Quocirca ſi quis hanc Neſtorianam dicit epiſtolam, proculdubiò contra Eccleſiam cum Eutychianis affirmat Neſtorianum eſſe, unam Chriſti perſonam in duabus prædicare naturis. Non enim eſt aliud, unde nunc Eutychiani infamant Eccleſiam, & Neſtorianos Chriſti fideles appellant, niſi quia duas unius filii domini noſtri Jeſu Chriſti profitentur eſſe naturas. Ergo non fingant cohibentes hæreticis, quòd ideo tamquam Neſtorianam damnaverint epiſtolam venerabilis
E Ibæ, quia beatum Cyrillum dixit eſſe converſum. Id enim ac ſi culpandum eſt, Neſtoriani tamen criminis non eſt: cùm potiùs hæreticorum fautores probentur, ob hoc eam Neſtorianam pronuntiaſſe, quia conſcriptor ejus duas in illa confeſſus eſt

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

f NESTORII BLASPHEMIA. Neſtorius duas in Salvatore noſtro perſonas fingebat. Non enim eumdem credebat eſſe Deum, quem hominem, ſed alium filium Dei, alium filium Mariæ. Mariam non eſſe θεοτόκον, ſed ἀνθρωποτόκον, id eſt non Deum peperiſſe, ſed hominem. & Verbum filium Dei non hominem ex Maria factum ſuſcepta humana natura, ſed in hominem ex Maria natum poſtea in baptiſmo deſcendiſſe. Mariam denique templum Deo genuiſſe, non ipſum qui in templo habitat. Atque hæc nefanda eſt illa dualitas, quam Facundus conatum inducere Neſtorium dixit c. III.

Chriſti eſſe naturas. Neque jam dicant quòd fidem B. Cyrilli culpaverit, quod A
penitus probare non poſſunt. Primùm quidem, quia poſt unitionem inter Orien-
tales & ipſum factam approbat ejus fidem. Deinde quoniam & ante unitionem,
non Cyrilli fidem, quam verè habuit, ſed quam illum habuiſſe putavit, accuſat.
Putavit autem, ſicut jam probavimus ipſius epiſtolæ verba teſtari, quia ſic B. Cy-
rillus prædicaverat Deum verbum hominem factum, ut nulla eſſet differentia natu-
rarum, hoc eſt inter templum & inhabitantem in eo, ſed una eſſet natura deitatis
& humanitatis domini noſtri Jeſu Chriſti. Quicumque igitur dicit, quòd re-
verentiſſimus Ibas in epiſtola ſua fidem B. Cyrilli, quam verè habuit, & non quam
habuiſſe eum putabat, arguerit, ipſe profectò confirmat, quod idem beatus Cy-
rillus ſic prædicaverit Deum verbum hominem factum, ut nulla eſſet differentia
naturarum, ſed una facta eſſet divinitatis humanitatiſque natura. Hoc enim re-
verentiſſimus Ibas per ſuam culpavit epiſtolam. Quinam ergo B. Cyrillum affir-
mant hæreticum? utrum nos, qui dicimus quia non ejus fidem, an illi qui di- B
cunt quia ejus fidem accuſavit Ibas Epiſcopus? Nos enim, qui eum non beati Cy-
rilli fidem dicimus accuſaſſe, negamus utique quòd idem Cyrillus differentiam abſtu-
lerit naturarum, & unam dixerit ex divinitate atque humanitate compoſitam eſſe
naturam. Hæreticorum verò fautores, qui dicunt quod fidem Cyrilli Ibas argue-
rit, ipſi procul dubio aſſertiones Eutychianorum affirmant, dicentium quod B. Cy-
rillus differentiam non crediderit naturarum, ſed unam ex divinitate atque huma-
nitate docuerit factam eſſe naturam. Quamobrem ſi Calchedonenſis quoque ſy-
nodus reverentiſſimum Ibam crederet fidem, quam B. Cyrillus habuit, & non po-
tius errorem, in quem eum lapſum putaverat, arguiſſe, proculdubio affirmaret
& ipſa quod unam prædicaverit Chriſti eſſe naturam. Cognoſcis igitur, religioſe
Imperator, illud quod diximus iterum doceri, quoniam ſi hanc epiſtolam magna il-
la ſynodus abjiceret, tamquam fidem B. Cyrilli culpantem, hunc potius ipſum
beatum Cyrillum crediſſe hæreticum videretur. Unde nobis quoque fautores C
hæreticorum, ut hoc affirmaremus, perſuadere conati ſunt, ne quid eſſet reſiduum
quod Eutychianis, quibus cohibent, reſpondere poſſimus dicentibus, Qui Neſto-
rianam eſſe dixiſtis epiſtolam Ibæ, cujuſlibet alterius eſſe dicatur, quæ putavit hæ-
reticum eſſe negare differentiam naturarum, & unam credere deitatis humanita-
tiſque naturam domini noſtri Jeſu Chriſti, quomodo veſtro judicio Neſtoriani non
eſtis, qui ſimiliter dicitis hæreticum eſſe negare differentiam naturarum, & unam
credere deitatis humanitatiſque naturam domini noſtri Jeſu Chriſti? aut quomo-
do jam poteſtis dicere, quod B. Cyrillus differentiam naturarum docuerit, & non
potius unam dixerit deitatis humanitatiſque naturam; cùm propterea illam dam-
naveritis epiſtolam, quod ejus fidem culpaverit, quæ hoc in eo culpaſſe deprehen-
ditur, quod negaverit differentiam naturarum, & unam docuerit deitatis huma-
nitatiſque naturam? Et iccirco, nec illam damnamus epiſtolam, nec dicimus quod
fidem Cyrilli culpavit, quia non fidei Cyrilli fuerat quod culpavit. Nam veriſſimè D
omni impietate plenum eſt, ad confuſionem naturarum accipere, quod de templo
nato ex Maria dixit Evangeliſta, *In principio erat verbum*; aut de unigeniti deitate,
quæ nec augeri nec minui poteſt, credere quod ſecundum ſui naturam deminuta ſit
paulo minus ab angelis: ſicut in uno eodemque homine dicimus, quòd interior
homo ad imaginem Dei formatus, aut exterior ſecundum lineamenta membro-
rum, ſexuſque diverſitatem, ex limo terræ creatus. Sed numquam hoc beatus
Cyrillus putaſſe monſtratur, quia idem natura eſt templum quod ex virgine Maria
ſumpſit initium, & verbum Deus, quod in principio erat carens initio. Hoc e-
nim Apollinariſtæ ſapuerunt: hoc ab Apollinariſtis g dementes Eutychiani traxe-
runt. hoc ſi etiam Cyrillus ſentiret, veriſſimè diceretur quia lapſus eſt, & in
dogma Apollinaris inventus eſt incidiſſe. Nunc autem propterea verum eſſe non
credimus, quia non probatur hoc aliquando ſenſiſſe.

E

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

g DEMENTES EUTYCHIANI. Eutychis error contrarius Neſtoriano, unam Verbi cum humanitate compoſitam naturam adſtruebat: cùm fides catholica, utrique oppoſita ſic unicam in Chriſto perſonam aſſerat contra Neſtorium, ut in eodem contra Eutychem duas non confuſas, ſed diſtinctas atque perfectas naturas agnoſcat, divinam & humanam.

A

CAPUT V.

Quod Synodum quo minus epiſtolam Ibæ orthodoxam pronuntiaret, morari non debuit falſa illius de Cyrillo ſuſpicio, cum Cyrillum ipſum, quo minus Orientalium confeſſioni ſubſcriberet, par illorum ſuſpicio non retardarit.

SED iterum dicit aliquis, Quomodo ergo ſynodus epiſtolam pronuntiavit or-
thodoxam, quæ B Cyrillum, quem dicis nihil tale prædicaſſe, culpavit?
Reſpondeo, quia fidem illa B. Cyrilli probavit. Nam ſi poſt unitionem inter
Orientales & ipſum factam approbat ejus fidem, nos autem credimus quòd ſem-
per eadem fuerit Cyrilli fides: neceſſariò ſequitur, quòd ante unitionem quo-
B que fidem ejus Ibas probaverit, quamvis ejus fuiſſe neſcierit. Attende porro
ipſam ſynodi ſententiam, & invenies, quòd in illa epiſtola, diſſimulans ab hu-
manis ſuſpicionibus, ea quæ ad fidem Chriſti pertinent, propter quam mani-
feſtandam atque firmandam convenerat, approbavit. orthodoxa enim, non pro
honorificentia Cyrilli, nec pro cujuſlibet hæretici injuria diceretur, ſed pro
vera de Chriſto fide, quam continet. Si quis autem Calchedonenſem ſynodum
culpat, quòd hominis de homine ſuſpicione poſthabita, epiſtolam venerabilis
Ibæ pronuntiavit orthodoxam, ipſum beatum culpet, neceſſe eſt, quòd ipſe
quoque contemnens eamdem ſuſpicionem Orientalium conſacerdotum ſuorum, qui
cum aliis diverſarum provinciarum Epiſcopis congregati ejus capitula damnave-
runt, confeſſionem fidei, quam ei per venerabilem Paulum Epiſcopum miſerunt,
in ſuam epiſtolam tranſtulit, & eis communicavit, ſeque profeſſus eſt eadem cre-
dere ac prædicare de incarnationis Chriſti myſterio: nec ſuſpicionem, quam de illo
C habuerunt, ab eis damnari quæſivit, quin nec etiam ſatisfacere pro ea neceſſarium
duxit. Verùm neque cum ſolo beato Cyrillo ſynodus Calchedonenſis culpatur,
quòd hanc epiſtolam pronuntiavit orthodoxam, ſed cum toto Epheſino con-
cilio, quòd eorum communionem ſimul amplexi ſunt. Unde jam videtur magna
ſynodus, non quòd epiſtolam venerabilis Ibæ orthodoxam dixerit, ſed quòd non
& ipſa beatum Cyrillum cum Epheſino Concilio reprehenderit, accuſari. Ad-
ſignata igitur omnia quæ promiſimus. Recognoſce quoniam ſi Calchedonenſis
ſynodus epiſtolam venerabilis Ibæ velut hæreticam improbaret, hinc potius bea-
tum Cyrillum crediđiſſe hæreticum, & Neſtorium excuſaſſe, atque Epheſinum
reprehendiſſe concilium videretur. Quocirca etiam in hoc memorata ſynodus
exemplum ipſius beati Cyrilli, vel potius Epheſinæ ſynodi ſecuta eſt: ut ſicut
illa omnium Orientalium rectiſſimam de Chriſto fidem, quamvis de ſe non re-
D ctè ſuſpicantium, prudenti ratione ſuſcepit: ita & ipſa ſimili ratione ſuſciperet
epiſtolæ Ibæ congruentiſſimam de Chriſto fidem, quamvis de beato Cyrillo quaſ-
dam ſuſpiciones incongruas contineret. Numquid ergo hæc ſancta ſynodus in-
jurias B. Cyrilli gratantet accepiſſe credenda eſt, quem probatur imitata, quod
diſſimulavit ab alieniſſimis ſuſpicionibus, & cujus, niſi ab eis diſſimularet, ar-
gueretur exemplo? Aut numquid ideo reverentiſſimum Ibam non debuit abſol-
vere, & Epiſcopatum ei & Eccleſiam reſtituere, de qua per Eutychis factio-
nem injuſtè & abſens erat expulſus: quia falſus erat in perſona B. Cyrilli, ut
eum aliquando putaret erraſſe, cujus fidem non ſolùm ſciens poſt unitionem cum
Orientalibus factam, verum ante unitionem neſciens approbavit? Sed non opor-
tuit, inquiunt, poſt hanc unitionem de beato Cyrillo talia loqueretur. Ego au-
tem dico, quia nec ante unitionem oportuit, immo nec ante ipſam ſynodum
Epheſinam. quia prius interrogari Cyrillus debuit, ac deinde culpari, ſi non ſa-
E tisfaceret. Sed nunc illud quærimus, utrum hæc venerabilis Ibæ culpa, quæ ſicut
jam probavimus à ſynodo quoque notata eſt, tanti debuerit æſtimari, ut ejus epi-
ſtola pronuntiaretur hæretica, cùm fidem ipſius beati Cyrilli in confeſſione, quam
ei per Paulum Epiſcopum Orientales ſubſcribendam miſerant, approbaret, licet in
illis XII. capitulis intentionem ejus necdum intelligeret. Cognoſcens magna ſyno-
dus, quod ſive in illis capitulis, ſive in illa confeſſione cui beatus Cyrillus ſub-
ſcripſit, eadem fides eſſet, nihil differre judicavit, quibus verbis enuntiatam Cyril-
li fidem Ibas approbaſſet, cùm eum quod neceſſarium fuerat approbaſſe conſtaret.
Unde nec aliud credidit, nec credere debuit, niſi quia patres Orientales, inter
quos fuit etiam ipſe Ibas, aliarumque provinciarum Epiſcopi, intentionem ca-
pitulorum Beati Cyrilli minùs animadverterant, ut ea etiam à Concilio E-
pheſino ſuſcepta culparent. Sicut aliquando in divina Trinitate catholici qui-

dam *h* tres hypoſtaſes accipere noluerunt, quamvis tres perſonas acceperint; A
i nec ideo ſunt à viris ſapientibus hæretici judicati, quoniam comperti ſunt non in
re quæ illo nomine ſignificabatur, ſed potiùs in ipſo nomine quo ſignificabatur
offendi. Unde non poteſt hæretica Ibæ epiſtola judicari, niſi dicatur, quòd in ca-
pitulis quidem B. Cyrilli recta contineatur fides, Neſtoriana verò ſit illa Orientalium
confeſſio cui ſubſcripſit, quam & Ibas, & Calchedonenſis ſynodus in ſua defini-
tione ſuſcepit: atque ita, ut Ibas & prædicta ſynodus accuſetur, Cyrillus poſt
Neſtorium condemnatum in hæreſim Neſtorianam declinaſſe firmabitur. Hinc
autem creditus eſt idem B. Cyrillus, non rectam priùs in ſuis capitulis tenuiſſe
ſententiam, ſed admonitione Orientalium poſtea eſſe correptus; quoniam cùm
ipſa unitas Eccleſiarum fieret, non Orientales patres ejus capitulis ſubſcribere
compulſi ſunt, ſed ipſe potius expetitus eſt directæ ſibi ab eis confeſſioni ſubſcri-
bere. Ipſamque *k* capitulorum ſuorum retractationem, non ideo eum poſt Ephe-
ſinam ſynodum feciſſe aliqui crediderunt, ut quæ clauſa quibuſdam fuerant pande- B
rentur, & quæ videbantur obſcura clareſcerent: ſed potiùs ut priſtinum in eis
emendaret errorem, quòd putabatur, ſicut adhuc Eutychiani putant, quod unam
in eis dixerit Chriſti eſſe naturam. Hinc ergo contigit, ut converſione B. Cyrilli facta
unitas crederetur. Et revera cui non ſurriperet iſta ſuſpicio, (de humanis cordibus lo-
quimur, & humana corda geſtamus) cùm nihil Orientales patres, qui hęc capitula cor-
rigenda judicaverant, corrigere cogerentur; beatus autem Cyrillus, non ſolùm fidei
confeſſioni, quam ſicut neceſſarium crediderunt illi dictaverant, expetitus antè ſub-
ſcriberet, ſed etiam ipſa ſua capitula retractaret? De hoc autem quod opponitur ac di-

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

h TRES HYPOSTASES. Græci, ut docet S. Auguſtinus libro 5. de Trinitate capite 8. *μίαν οὐσίαν τρεῖς ὑποστάσεις* dicere ſolebant, quod eſt Latinè, ut idem exponit, *unam eſſentiam, tres ſubſtantias.* Sed quia uſus obtinuerat apud Latinos, ut idem intelligeretur ſubſtantia quod eſſentia, propterea dicere non audebant tres hypoſtaſes, ne tres eſſentias dicere viderentur, ſed unam eſſentiam, vel ſubſtantiam, tres autem perſonas. Porro autem, qui tres hypoſtaſes dicebant, Græci & Orientales, ii non aliud quàm tres perſonas intelligebant, Epiphanio teſte in hæreſi 73. & Gregorio Nazianz. in orat 21. Diſtinguebant enim ab eſſentia *ὑπόστασιν*, cùm Latini ob linguæ inopiam, ut Gregorio placet, diſtinguere non poſſent. Verùm qui *οὐσίαν* ab hypoſtaſi non diſtinguerent, Latini ſoli non fuerunt, nec primi. Nam Synodus Nicæna in expoſitione fidei damnans eos qui filium Dei *ἐξ ἑτέρας ὑποστάσεως ἢ οὐσίας* eſſe dicunt, pro eodem ut apparet utramque vocem poſuit, tametſi aliter S. Baſilio videatur in epiſtola 78. Et S. Athanaſius patris ac filii *μίαν οὐσίαν, μίαν ὑπόστασιν* eſſe tradit in orat. 5. contra Arianos, & in epiſtola ad Liberium. in epiſtola verò ad Africanos diſertè affirmat *ὑπόστασιν οὐσίαν εἶναι*. Denique in Synodo Alexandrina, ut eſt apud eundem Athanaſium in epiſtola ad Antiochenſes, cùm diſſiderent Epiſcopi, atque aliis tres hypoſtaſes, aliis unam dici placeret, qui unam dicebant, exiſtimare ſe profeſſi ſunt hypoſtaſim & eſſentiam idem eſſe, *ταὐτὸν εἶναι ὑπόστασιν καὶ οὐσίαν*. Quanquam autem Synodus illa utroſque rectè ſentire, & voce potius quàm ſententia diſcrepare comperit, abſtinendum tamen à novitatis ſpecie in poſterum, nihilque ultra Nicænam formulam exquirendum cenſuit, idque ad Antiochenſes Synodica ſua perſcripſit. Sed decreto illo nihil obtinuit. Invaluit enim, ut dictum eſt, apud Græcos & Orientales, ut tres hypoſtaſes ſumma contentione aſſererent, atque alios ad eandem confeſſionem compellerent. Unde & Hieronymi adverſus Antiochenos expoſtulatio ad Damaſum epiſt. 57. *Nunc*, inquit, *prò dolor, poſt Nicænam fidem, poſt Alexandrinum junƈto pariter Occidente decretum, trium hypoſtaſeon ab Arianorum præſule & Campenſibus novellum à me homine Romano nomen exigitur.* Ceterùm noſtri, qui C tamdiu reſtiterant, quamdiu *ὑπόστασιν* ſubſtantiam dici intellexerunt, ubi eam vocem à ſubſtantia Græcorum exemplo diſtinguere, & perſonam ſive ſubſiſtentiam interpretari cœperunt, exinde tres hypoſtaſes cum Græcis profiteri ac profitendas eſſe non dubitarunt.

i NEC HÆRETICI IUDICATI. Nam cùm hypoſtaſes alii eodem ſenſu dicerent, quo alii perſonas, neutris alios damnare fas erat, *ῥημάτων*, ut Nazianzenus ſcribit, *ἐν τῇ αὐτῇ ἐννοίᾳ διαιρουμένων*. Sic in Synodo Alexandrina, nec Ariani habiti ſunt qui tres hypoſtaſes aſſerebant, quia hypoſtaſim non pro ſubſtantia, ſed pro per- D ſona ſumebant: nec Sabelliani, qui unicam dicebant, quia hypoſtaſim non perſonam, ſed ſubſtantiam intelligebant.

K CAPITULORUM RETRACTATIONEM. Capitula, ſive anathematiſmos duodecim contra errores Neſtorii ſcripſerat Cyrillus, qui ſubditi ſunt epiſtolæ ipſius & Synodi Alexandrinæ ad Neſtorium, lectique cum eadem epiſtola in Actione 1. Synodi Epheſinæ. Hos anathematiſmos velut hæreticos infamarunt, damnaruntque in privato conventu ſuo Epiſcopi Orientales. Cyrillus verò, ut omnem anſam eriperet, capitula ſua primùm Synodi hortatu retractavit & expoſuit, ſuam anathematiſmo cuique quam vocat *ἐπίλυσιν* ſeu declarationem ſubjiciens. Tum deinde Apologeticum pro iiſdem capitibus edi- E dit adverſus Orientales, quorum nomine circumferebantur *ἀντιῤῥήσεις* ſingulis anathematiſmis oppoſitæ, quarum auctor fuiſſe creditur Andreas Epiſcopus Samoſatenus, cujus meminit Cyrillus epiſtola 30. ad Eulogium. Poſtrémo cùm Theodoreti quoque librum accepiſſet adverſus eadem capita Joannis Antiocheni juſſu compoſitum, alteram rurſus illorum defenſionem aggreſſus eſt, in qua univerſas Theodoreti *ἀνατροπὰς* ſua quamque apologia confutavit. Quæ omnia Græcè Latinéque nunc edita videre eſt poſt Synodum Epheſinam.

A citur, quia non tam contra beatum Cyrillum, quàm contra Epheſinam ſynodum locuti
ſunt, quia parum intelligendo malè de illis jam receptis capitulis crediderunt, ſe-
quenti libro, quia ibi magis opportunum videtur, multa & ſicut exiſtimo non con-
temnenda dicemus. Si verò hæreticum eſt Cyrillum credidiſſe converſum, cur ob-
ſecro non multo magis B. / Theophilus dicatur hæreticus, qui de ſancto Joanne Con-
ſtantinopolitano, cujus auctoritati atque doctrinæ multo majorem venerationem
Chriſti debet Eccleſia, talia & tanta conſcripſit, ut etiam nos, quod ea vel memo-
ramus, ſola poſſit neceſſitas excuſare? Fratres, inquit, Joannes perſequitur im-
mundo ſpiritu, quo ſuffocabatur Saül: & iterum, ſanctorum miniſtros necavit. Di-
cit illum contaminatum, & in Eccleſia primitivorum impium, peſtilentem, veſa-
num, & tyrannicæ mentis inſania furibundum, atque in ſua veſania gloriantem,
animam ſuam adulterandam tradidiſſe diabolo. Hæc autem omnia, ſicut habentur
B in ipſius Theophili libro, ita poſuimus. Vocat illum etiam humanitatis hoſtem, &
qui ſcelere ſuo latronum viciſſet audaciam, ſacrilegorum principem, & ſacerdotium
agentem impium, atque oblationes ſacrilegas offerentem, procacem & frontis du-
riſſimæ. Hoc quoque adjiciens, quòd non his Joannes laqueis irretitus tene-
tur, qui poſſint aliquando diſſolvi, ſed qui audiret pro merito flagitii ſui commi-
nantem Deum atque dicentem: judicate inter me & Joannem. expectavi ut fa-
ceret judicium, fecit autem iniquitatem, & non, Juſtitiam, ſed clamorem.
Dicit etiam, quia ſicut ſatanas transfiguravit ſe in angelum lucis, ita etiam Ioan-
nes non eſſet quod videbatur: nec tantùm ſimilem ſatanæ, ſed immundum dæ-
monem eum appellat, more torrentis trahentem verborum ſpurcitiam, quem
& in Chriſtum perhibet impium extitiſſe, & Iudæ traditoris eſſe conſortem. Ad-
dit etiam quòd arguatur in Deum manus impias extendiſſe, & quod Iacobus A-
C poſtolus de quibuſdam rerum mundanarum cupidis dixit, *Petitis & non accipitis, eo* Jac. 4. 3.
quod male petatis, hoc beatus Theophilus beatum Ioannem aſſerit dixiſſe de Chri-
ſto. Auſus eſt, inquit, dicere in Eccleſia, quòd Chriſtus oraverit, & non fuerit
exauditus, quia non bene oraverit. Quis hæreticorum deterius blaſphemavit,
quàm beatum Ioannem refert beatus Theophilus blaſphemaſſe, quem affirmat con-
ſortio Judaïcæ impietatis ſemetipſum tradidiſſe, & offerre temeritate ſolita, quod
obtulerunt Iudæi, ſeipſum ac populos decipientem; & Dathan atque Abiron æ-
mulatorem? Audiat, inquit, cum Iudæis, iniquitas magnificata eſt nimis. Adji-
cit etiam hoc, Arriani & Eunomiani contra Chriſtum Ioannis blaſphemiis dele-
ctantur: Iudæi & idololatræ juſtificati ſunt tua comparatione gentiles. Et iterum
dicit, Non ſolum non eſt Chriſtianus Ioannes, ſed pejor eſt rege Babylonio;
multo ſceleratior quàm Balthaſar, idololatris & ethnicis ſceleratior eſt Ioannes. Ti-
bi ait præſens ignominia, æterna in futuris ſeculis pœna reddetur. Hoc quoque vi-
ſum eſt & idem beato Thophilo dicere, Salvator clamavit & dixit, Tollite Ioan-
D nem, & mittite in tenebras exteriores. & iterum, Largiſſimos fomites ante tribu-
nal Dei ſuo miniſtravit incendio. Et hæc omnia non ſuffecerunt iræ atque furori,
niſi etiam hoc de memorato ſanctiſſimo viro Joanne diceret, quod alia ei pœna
quærenda ſit, eo quod vinceret ſceleris magnitudo multitudinem tormentorum. Si
quis autem experiri voluerit, quod non ſententias tantùm, verùm etiam ipſa ver-
ba poſuimus, & noſſe quotiens hæc ab illo replicata ſunt, legat innormem librum,
non ſolùm contumeliis, ſed ipſa quoque ſæpe repetita maledictorum recapitulatio-
ne, nimis horribilem, ab Hieronymo preſbytero tranſlatum. De quo idem bea-
tus Theophilus expectavit, ut per ejus eloquium, qualis Joannes fuerit, Latini co-
gnoſcerent. Nos autem in illo libro, non qualis Joannes, qui nihil horum mere-
batur, nec qualis Theophilus, cujus virtus in multis probata, non ex iſto acceden-
ti morbo judicanda eſt, ſed potius qualis ſit miſerabilis humana vita cognoſcimus,
de qua ſcriptum eſt, *Quia tentatio eſt ſuper terram.* Nam ſi talia talibus acciderunt, Job. 7. 1.
E quid nobis metuendum non ſit, noſtriſque ſimilibus? At ego hîc interrogari vel-
lem judices mortuorum, qui ad deſtructionem ſynodi Calchedonenſis nos quoque
volunt de mortuis judicare; qua ratione, quave juſtitia, hæreſis crimen deputetur,
Cyrillum dixiſſe converſum, & Theophilus non judicatur hæreticus, qui ſanctum

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

/ THEOPHILVS CONSCRIPSIT. Innormem librum poſtea vocat, ex quo ſequentia depromuntur. Infeſtus Chryſoſtomo fuerat Theophilus Alexandrinus, non ſolùm viventi, adeo ut in exilium tandem extruderet, verùm etiam mortuo, ne illius nomen in dypiycha referretur. Sed ſingulari Dei providentia non antè animam efflare ſub mortem permiſſus eſt, quàm cum Chryſoſtomo, ejus imaginem venerando, rediret in gratiam, ut ex Iſidori diaconi chronographia narrat Damaſcenus, De Imaginibus libro III. extremo.

Joannem clariſſimum doctorem Eccleſiæ dixiſſe criminatur, quod Chriſtus oraverit, A
& non fuerit exauditus quia non bene oraverit; & talia prædicaſſe, ut Arriani &
Eunomiani contra Chriſtum ejus blaſphemiis delectentur, ſed Judæi & idololatræ;
& quia ſe Judaicæ impietati tradiderit. Si verò nihil habent quod reſpondeant,
quoniam Theophilum pro humanis injuriis judicant non eſſe dicendum hæreticum:
hoc etiam ſynodum Calchedonenſem in epiſtola venerabilis Ibæ judicaſſe definant
criminari. Hujus autem venerabilis Theophili ſui deceſſoris beatus Cyrillus ſen-
tentiam ſequens, ipſe etiam poſtea, quemadmodum quarto libro docuimus, con-
tra judicium quoque ſedis Apoſtolicæ, quæ per beatiſſimum Papam Innocentium
prædicti S. Ioannis in exilio conſtituti damnationem ſolverat, nomen ejus poſt mor-
tem inter Dei ſacerdotes in ſacrificio recitari prohibuit: & ſicut ejus deceſſor Theo-
philus dixerat quòd Ariani blaſphemiis ejus delectarentur, ita & ipſe eum Eudo-
xio Ariano Epiſcopo comparavit: nec pro hac exiſtimatione vel Theophilum quiſ- B
quam vel Cyrillum judicavit hæreticum, quoniam longè alia cauſa eſt, quæ mere-
tur hoc nomen. Quod etiam ſancta ſynodus in epiſtola venerabilis Ibæ conſide-
rans, neglectis atque poſthabitis hominis de homine ſuſpicionibus, pro vera Chri-
ſtianæ fidei confeſſione quam continet, eam pronuntiavit orthodoxam. Quæ hoc
etiam proſpexiſſe credenda eſt, quoniam ſi eam pro leviſſima & præterita ſuſpicio-
ne, quam de beato Cyrillo cum Orientalibus diverſarumque provinciarum Epiſco-
pis conſcriptor ejus habuit, hæreticam judicaret, multo magis eadem ratione Theo-
philus judicaretur hæreticus, qui dixit Ioannem in Chriſtum impium extitiſſe, &
auſum fuiſſe in Eccleſia dicere, quod Chriſtus oraverit, & non fuerit exauditus, quia
non bene oraverit, & quia Ariani & Eunomiani contra Chriſtum ejus blaſphemiis
delectarentur: Iudæi quoque, & Idololatræ. Cujus nec levis & tranſitoria fuit iſta
ſuſpicio, ſed quam ſuo quoque ſucceſſori Cyrillo tranſmiſit, ut & ipſe eum de Ec-
cleſiaſticis muris excluderet, & Iudam atque Iechoniam diceret, ac profanum, & C
Eudoxio Arianorum Epiſcopo crederet conferendum. Non ergo juſtè dicitur
ſancta ſynodus epiſtolam Ibæ pro ſuſpicione, quam de beato Cyrillo conſcriptor
ejus cum multis aliquando habuit, velut hæreticam debuiſſe damnare: cum potius,
ſi hoc præſumeret, hinc ipſum B. Cyrillum, quod jam ſæpe monſtratum eſt, face-
ret videri damnabilem. Quis enim vel ipſorum calumniantium neget, quod gra-
viora Cyrillus de ſancto Joanne, quàm Ibas de Cyrillo conſcripſit? Hæc autem
ſcandala, vel quælibet meritò nos offendunt in patribus, quos tanquam luminaria
Deus in Eccleſia ſua conſtituit, ut eorum deſuper illuminemur excellenti ſcientia
atque doctrina, ſic habenda mihi videntur, ſicut ipſorum quoque luminarium cæ-
li defectus. quæ licet nonnumquam ſplendoris ſui detrimenta ſuſtineant, non ta-
men amittunt luminaria eſſe quod ſunt. Et crebrò quidem accidit, ut iſta quoque
Eccleſiæ luminaria, quoniam multa à nobis celſitudine ſeparantur, pro quodam
noſtræ ignorantiæ nubilo, cùm in ſe ſplendentia maneant, nobis videantur obſcu- D
ra. Habeatur itaque velut eclipſis quædam luminarium Theophili & Cyrilli, quod
tam horribilia de magno luminari Ioanne Conſtantinopolitano locuti ſunt. Habea-
tur etiam altera eclipſis velut luminarium Orientalium, ſive aliorum patrum, qui
cum eis ex diverſis provinciis convenerant, quod intelligentiæ defectu paululum ob-
ſcurati, aliter quàm res habuit de luminare Cyrillo æſtimaverunt. Nam quos Chri-
ſtus in Eccleſiæ ſuæ ſtabili pace, tamquam in cœli firmamento ſervavit, nos vene-
rari atque ſuſcipere oportet: nec de illorum controverſiis jam finitis infinita move-
re certamina, & temere condemnare mortuos. Magis autem cogitare nos moritu-
ros, & credere potius, quod pietati convenit Chriſtianæ, quia pro ſuis in Eccle-
ſia Chriſti laboribus, & pacis merito, quam ipſi ſervaverunt Eccleſiæ, ſi quid in
aliquas privatim perſonas, non livore diabolico, ſed humano errore peccantes
emendare non potuerunt, antequam de hac vita tranſirent, indulgentia Domini re-
mittente, quem precari non deſinebant, ut delicta juventutis eorum & ignoran- E
tiæ non meminiſſet, in requie ſint apud eum, expectantes ſecuri judicium retri-
butionis æternæ. Unde metuere debemus, ne quos hîc modo, ubi nobis omnia li-
cent, ſed non omnia expediunt, judicamus, cùm judicare venerit filius hominis in
majeſtate ſua, & omnes Angeli cum eo, & congregabuntur ante eum omnes gen-
tes, ipſi ſint judices noſtri. Adeſſe autem nobis debet & in hoc loco illa ratio at-
que ſimilitudo, quam in ſuperiori libro dedimus, cum de interlocutione venerabi-
lis Anatolii Conſtantinopolitani Antiſtitis ageremus, qua pronuntiavit Dioſcorum
non pro fide eſſe damnatum, quoniam ſicut eum hæreticum non fecit, quod ipſum
Dioſcorum à perfidia fieri voluerit excuſatum, eo quod aliud ſit ideo hæreticum ex-
cuſare, quod catholicus putetur, & aliud ipſam hæreſin probare atque defendere:
ita nec epiſtola venerabilis Ibæ potuit hæretica juſtè videri, vel ſi non rem geſtam,

A prout in tempore viſum eſt, naraſſe, ſed B. Cyrillum accuſare firmetur. eo quòd aliud ſit, ideo accuſare catholicum, quod hereticus putetur, & alind ipſam improbare ac teprehendere catholicam fidem. Et ſicut venerabilis Anatolii defenſioni profecit quod ibi diximus, quia poteſt caſtitatis approbator atque dilector non approbata fornicatione fornicatorem, dum in perſona fallitur, approbare: ita etiam reverentiſſimi Ibæ, & ceterorum Orientalium, atque aliarum provinciarum antiſtitum defenſioni proficiat, quod ibidem conſequenter adjecimus, quia poteſt caſtitatis approbator atque dilector, non improbata caſtitate, caſtum dum in perſona ſimiliter fallitur, improbare. * Nam ſi venerabilis Ibas, ſive alii, quos memoravimus, Orientales, aliarumque provinciarum Epiſcopi, in perſona potiùs beati Cyrilli, quàm in ipſa fidei regula fallebantur, ſicut etiam ipſe Cyrillus cum Theophilo fallebatur in beato Joanne, quod etiam ſancta ſynodus in- (Nam ſic venerabilis)
B tellexit, ut & illius epiſtolam pronuntiaret orthodoxam, & illos acceptaret ut patres. Nos autem, per contentionem & inanem gloriam, quam paſſim etiam de ignominioſa præſumptione geſtimus adquirere, ſapientiores nos tanta ſynodo judicantes; leviſſimam de perſona ſuſpicionem traximus ad regulam fidei; & non quaſi feſtucam auximus in trabem, quæ ſi non ejuſdem quantitatis, ejuſdem tamen eſt generis; ſed contemptibilem ſtipulam in ingentem vertimus arietem, qui totum Romani orbem imperii fruſtra quateret atque vexaret. Quis autem dignè conſideraret, quis verbis explicare ſufficeret, quàm ſapienter ad inſtructionem prædeſtinatorum humana quoque ignorantia Deus utatur, cujus omnipotens bonitas in magnam utilitatem cum voluerit, noxia quæque convertit? Illa namque de beato Cyrillo conſacerdotum ejus ignorantia, quæ paci Eccleſiarum aliquando contraria fuerat, ſi quis bene conſideret, inſtructioni Eccleſiæ nunc aſſertionique
C proficit. Evidentius enim documentum eſt veræ fidei, ſi inter ſe diſſidentium, * quaſi pacatorum, inveniatur eadem de illa fuiſſe ſententia. Nam licet Orientales Epiſcopi cum aliis malè de beato Cyrillo ſentirent, & ob hoc etiam vehementer inſectarentur, venerabili tamen Paulo Emiſeno Epiſcopo mediante comperimus, quod utraque pars pro una eademque fide certabat. cùm & Orientales nihil aliud à beato Cyrillo confitendum expectarent, quàm quod tenuit ſemper & tenet Eccleſia: & beatus Cyrillus quod expectabatur cum magna exultatione perficeret, confeſſionem eorum de incarnationis divinæ myſterio deſiderantet accipiens, ſuamque eſſe proteſtans. Unde qui bene de Cyrillo ſentit, qui eum verè Apoſtolici credit affectus, cogitare debet quantum exultare potuerit, videns adverſum ſe zelum patrum, maximè Orientalium, pro fidei, quam ipſe quoque tenebat, veritate fervere. Non enim tanti penderet vir ſanctiſſimus, quod in illo fallebantur ſui collegæ, quanti pendebat quod pro fidei catholicæ veritate certarent. magiſque volebat conſacerdotes ſuos errorem, in quem illum incidiſſe putaverant, ſine per- (quam ſi pacatorum)
D ſonæ acceptione damnare, quàm eos pro ſua perſona defendere quod erat contrarium veritati. Audiamus Apoſtolum dicentem Galatis, *Sed licet nos, aut Angelus de cælo evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema ſit, ſicut prædiximus, & nunc iterum dico, ſi quis vobis evangelizaverit præter id quod accepiſtis, anathema ſit.* Cùm ergo Apoſtolus non tantùm ſe, verùm etiam Angelum de cœlo, evangelizantem preterquam quod evangelizaverat, anathema eſſe maluerit, quàm ut Chriſti fideles à firmitate predicati ſibi evangelii moverentur: quantum beatus Cyrillus lætari potuiſſe credendus eſt, cùm ſe videret ob eam fidem, quam tenebat, & quam ab omnibus teneri volebat, à ſuis conſacerdotibus inſectari? Quod enim in illo fallebantur, nec ibi credebat ſtatum fidei Chriſtianæ conſtare; nec æſtimabat diu eſſe manſuros, cùm in ejus eſſet poteſtate, quod poſtmodum fecit, dictorum ſuorum pandere rationem, & ſedare aliter æſtimantium motus. Quòd autem fideliter, quod conſtanter, ea quæ veritatis fuerant aſſerebant, quamvis contra ip- (Gal. 1. 8.)
E ſum aſſeri neceſſe non fuerat, ibi rectæ fidei ſtatum, ibi ſuam illorumque ſalutem, ibi Eccleſiarum omnium de cetero firmitatem conſiſtere judicabat. ut de incarnationis dominicæ ſacramento nemo dubitaret ulterius, de quo etiam inter diſſidentes, ac de ſe aliter ſentientes, una inveniretur eademque ſententia. Cur itaque puſillanimes nos de magnanimi Cyrilli gaudio contriſtamur? cur inde perturbamus Eccleſiam, unde ab omnibus eſt perturbationibus defendenda? cur de hoc ridere damus hereticis, de quo à nobis confundi debuerant? Sed hoc totum agit preceps & ignara temeritas, quæ neque quomodo contradicentibus reſpondeat novit, neque paternis definitionibus acquieſcit. Hinc eſt quod facilè decipitur. hinc hæreticorum circumventionibus irretitur, magis inquieta, quàm fortis. Nos autem, quod eſt prius ac tutius, ſanctorum patrum conſtitutis placido atque humili corde ſubjecti, eorum auctoritate firmamur. Dehinc etiam intelligimus, quòd ſancta ſynodus ptu-

denter intentionem Eutychis atque Ibæ dijudicans, ſicut illum ſacrilegum juſtè damnavit, ejuſque dogma, quamvis beatum Cyrillum laudaret, pronuntiavit hæreticum, quia fidem ipſius Cyrilli, quod magis attendendum fuerat, improbat: ita juſtè reverentiſſimum Ibam abſolvit, ejuſque epiſtolam; quamvis beatum Cyrillum vituperaret, pronuntiavit orthodoxam, quia fidem ipſius Cyrilli, quod magis attendendum fuerat, approbat. Vide quid ille præclarus Epiſcopus, inanis gloriæ ſtudioſiſſimus contemptor, & amator ſinceriſſimus veritatis, Auguſtinus dicat, In exordio librorum meorum opinaturos me ſenſiſſe quod non ſenſi. quorum errorem mihi tribui non debere quis neſciat, ſi velut me ſequentes, neque adprehendentes, deviaverint in aliquam falſitatem, dum per quædam denſa & opaca cogor viam carpere: quandoquidem nec ipſis ſanctis divinorum librorum auctoritatibus ullo modo quiſquam rectè tribuerit tam multos & varios errores hæreticorum: cùm omnes ex eiſdem ſcripturis falſas atque fallaces opiniones ſuas conentur defendere. Admonet me planè, ac mihi jubet ſuaviſſimo imperio lex Chriſti, hoc eſt caritas, ut cùm aliquid falſi in libris meis me ſenſiſſe homines putant, quod ego non ſenſi, atque idipſum falſum alteri diſplicet, malim me reprehendi à reprehenſore falſitatis, quàm ab ejus laudatore laudari. Ab illo enim quamvis ego non rectè, qui hoc non ſenſerim, error tamen rectè vituperatur: ab hoc autem nec ego rectè laudor, à quo exiſtimor id ſenſiſſe, quod vituperat veritas, nec ipſa ſententia, quam vituperat veritas. Si quid igitur de beato Cyrillo bene ſentimus: ſi quid ei prudentiæ vel caritatis adſcribimus, ipſum quoque cum juſto viro ſapientia & pietate prædito Auguſtino credamus, quod cùm falsè putaretur in ſuis capitulis ſenſiſſe quod non ſenſit, malebat ſe reprehendi ab Iba reprehenſore falſitatis, quàm ab Eutyche ejus laudatore laudari. Et ſi nunc adviveret, ipſe quoque interrogatus à nobis reſpondere poſſet ac dicere, A meo venerabili fratre Iba, & aliis conſacerdotibus meis, quamvis ego non rectè, qui hoc non ſenſerim, error tamen ipſe rectè vituperatus eſt: à nefando viro Eutyche, ejuſque complicibus, nec ego rectè laudor, à quibus exiſtimor id ſenſiſſe, quod vituperat veritas, nec ipſa ſententia, quam vituperat veritas.

FINIS LIBRI SEXTI.

FACVNDI EPISCOPI HERMIANENSIS,

PRO DEFENSIONE TRIVM CAPITVLORVM,

LIBER VII.

CAPUT PRIMUM.

Quod Ibas in epiſtola ſua unam Chriſti virtutem cùm dixit, duas in Chriſto naturas non negavit, ſed unicam perſonam aſſeruit.

A NON ignoro quòd imperitis rerum æſtimatoribus abſolvendarum quæſtioonum lenta & minùs efficax videatur oratio. Etenim quia circumſpectans omnia cauto potius & explorato, quàm feſtino gradu procedit, hinc ab eis de tarditate culpatur. Deinde quoniam pro difficultate quoque conditionis ſuæ, ut calumniam inſidiantis, vel ignorantiam minus intelligentis, quæ in ſuperficie rerum verborumque verſantur, excludat, neceſſe habet ſuhtiliore tractatu intimæ veritatis ſecreta quædam ac penetralia, quod non citò provenit, omnibus aperire: hoc illi, qui cùm iocapaces, tum etiam impatientes ſunt rationis, moleſtiſſimè ferunt. Nemo enim magis de ratiocinantis mora cauſatur, quàm ille, cujus per eam tarditati conſulitur. Nos autem ſapientium magis judicium veremur offendere, à * quibus hunc profecto culpabimur, ſi quod cauſæ utilitas maximè poſtulat omitta- *quibus hunc profecto*
B mus. Et ideo quærendum eſt, cujuſmodi ſint alia, pro quibus epiſtola venerabilis Ibæ dicitur non debuiſſe orthodoxa judicari. Nam quia idem reverentiſſimus Ibas etiam fidem ſuam confitens ait, Eccleſia enim ſic dicit, Sicut & tua ſanctitas novit, & ſicut à principio didicit, & confirmata eſt divina doctrina ex libris beatorum patrum; duæ naturæ, una virtus, una perſona, quod eſt unus filius dominus Jeſus Chriſtus. hinc alii rurſus eum è contrario reprehendunt, quod unam domini Jeſu Chriſti dixerit eſſe virtutem. Aiunt enim: Quî fieri poteſt, ut duarum à ſe longè diſtantium naturarum, id eſt deitatis & humanitatis, una ſit virtus? ac per hoc, cùm una dicitur virtus, naturarum diverſitas tollitur, ut *a* ſecundum Eutychis dementiam una etiam videatur eſſe natura. Porro hæc dicentes, nobiſcum profecto memoratam epiſtolam Neſtorianam non eſſe confirmaot, qui unius filii domini Jeſu Chriſti unam dicere virtutem, Eutychiano, id eſt Neſtorianis contrario, putant errori congruere. Unde etiam creditur, non eſſe reprehenſum ab iſtis Eutychianorum fautoribus. Cur autem propter
C hoc verbum, vel reverentiſſimus Ibas, vel ſynodus, quæ ipſam ejus epiſtolam pronuntiavit orthodoxam, culpetur ignoro. Non enim ille contra naturarum diſcretionem,

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

a SECVNDVM EVTYCHIS DEMENTIAM. At contrà Juſtinianus in Edicto, & Quinta Synodus, ex his verbis Neſtoriani dogmatis ſuſpicionem ducunt. Duas enim naturas ab Iba, Neſtorii more, intelligi volunt duas perſonas, unam autem virtutem atque unam perſonam ab eo dici, ὁ καθ' ὑπόστασιν, ſed κατὰ μίαν ἀξίαν, ἢ τὴν αὐτὴν τιμήν

de qua ſuperius rectè locutus eſt, idem adjecit, tamquam unam, hoc eſt parem crea- A
tricis & creatæ ſubſtantiæ putaverit eſſe virtutem: ſed potius illud adtendit, quud
unius perſonæ ſit eadem virtus. Nam ſi tantum caritas valuit in multis perſonis per
ſpiritum ipſius domini noſtri Jeſu Chriſti diffuſa, ut rectè in Actis Apoſtolorum di-
Act. 4. 32. ceretur, *Multitudinis autem credentium erat cor & anima una*, quomodo rectè dici non
potuit, quod una virtus ſit ejus perſonæ, cujus dono factum eſt, ut illa multitudo
unius eſſet cordis & animæ? Quod ſi reſpondetur, quia illius multitudinis credentium
propterea dici potuit unum fuiſſe cor & animam unam, quod omnes unius natu-
ræ fuerint, id eſt humanæ: domini autem Jeſu Chriſti duæ ac diverſæ naturæ ſint,
intelligant in primis, quia non idcirco illorum credentium erat cor & anima una,
quod unius naturæ fuerint, ſed potius quod unus Chriſtus ſpiritus banc illis præſti-
terit unitatem. Non enim natura nos unanimes, ſed animorum ſocietas facit. Dein-
1. Cor. 6 16. de conſiderent, quod ad Corinthios Apoſtolus dicit, *An neſcitis quoniam qui adhæ-
ret meretrici, unum corpus efficitur? Erunt enim*, inquit, *duo in carne una. Qui autem adhæret* B
Deo, unus ſpiritus eſt. Si autem non ſolùm de naturis, verum etiam de perſonis divinis
rectè dictum eſt, *Qui autem adhæret Domino, unus ſpiritus eſt*. quomodo rectè dictum
non poteſt intelligi, quod in epiſtola venerabilis Ibæ ſancta ſynodus adprobavit,
quia una virtus eſt unius perſonæ domini Jeſu Chriſti? Et ſi fidelis quiſque, per bonam
tantummodo voluntatem adhærens Domino, unus cum illo ſpiritus fit, quamvis non
ſit una perſona; quanto magis in Chriſto rectè dici potuit quod una ſit virtus, ubi
naturarum conventu una facta eſt Dei hominiſque perſona. Amplius autem eſt ac ſu-
perius, ſi quis diligenter adtendat, quod Apoſtolus ait, *Qui autem adhæret Domino, unus
ſpiritus eſt*, quàm ſi diceret, una virtus eſt: quoniam cauſa virtutis ille ſpiritus eſſe co-
gnoſcitur, à quo procedit, non autem virtus cauſa eſt ejus ſpiritus, à quo procedit.
Quamobrem non poſſunt in epiſtola venerabilis Ibæ, vel in ſynodi ſententia, quæ
illam orthodoxam judicavit, juſte culpare quod minus eſt, & de una perſona dictum,
quando illud quod eſt majus, & de duabus dictum perſonis, in Apoſtolicis ſcriptis
culpare non audeant. Voluntas igitur dicentis in omnibus debet attendi. quam de C
præſente Iba diligentius, etiam citra geſta, ſpectare magna ſynodus potuit, ut ejus
epiſtolam orthodoxam judicaret. atque hoc in omnibus, quorum ratio minùs patet,
non dicam pietas, ſed ipſa conſiderare debet humanitas.

CAPUT II.

Quod Ibas dicens Neſtorium ſine judicio & inquiſitione damnatum, non damnationem ejus improbarit, ſed hoc tantùm, quod expectati non fuerint Orientales.

IGitur ad illa redeamus, quæ in eadem epiſtola fautores hæreticorum ſcripto re-
prehenderunt, ut eam quaſi profanam & impiam refutarent. Hæc autem ſunt
» quæ ſequuntur: Cyrillus aures omnium pigmento, quod excæcat oculos ſapien-
» tium, præoccupavit, & cetera. & iterum, Quia in damnatione Neſtorii, quæ facta eſt
» ab eis, xij. capitula quæ à Cyrillo conſcripta ſunt, contraria exiſtentia veræ fidei po- D
» ſuerunt, & cetera. Quæ duo ſub uno capitulo continentur, ſicut & illa duo priora:
ſed ab iſtis conſuetè diſciſſa & deminuta ſunt, ne in eis appareret intentionis integri-
tas. Ipſius autem capituli, male ab ipſis diſſipati, hoc eſt principium, ſicut in illa epi-
» ſtola continetur. Ob hanc contentionem, victores & pii Imperatores juſſerunt prima-
» tes Epiſcoporum in Epheſinam congregari civitatem, & coram omnibus libros Neſto-
» rii & Cyrilli judicari. Sed antequam omnes Epiſcopi, qui congregari juſſi fuerant, in
» Epheſum pervenirent, anticipans idem Cyrillus aures omnium pigmento quod excæ-
» cat oculos ſapientum præoccupavit. Invenit autem cauſam ex odio, quod erat ad-
» verſus Neſtorium, & antequam ſynodo adeſſet ſanctiſſimus & reverentiſſimus Archie-
» piſcopus Joannes, de epiſcopatu Neſtorium depoſuerunt, judicio & inquiſitione
» non facta. Poſt duos autem dies damnationis ejus venimus in Epheſum. & cognoſ-
» centibus nobis, quia in damnatione Neſtorii, quæ facta eſt ab eiſdem, xii. capitu-
» la, quæ à Cyrillo conſcripta ſunt contraria exiſtentia veræ fidei, poſuerunt, & fir- E
» maverunt, & conſenſerunt eis tanquam veræ fidei conſonantibus, omnes Orientales
» Epiſcopi eundem Cyrillum damnaverunt, & adverſus alios Epiſcopos, qui conſen-
» ſerunt ejus capitulis, excommunicationem decreverunt. Videtur in his acerbis &
tumentibus verbis reverentiſſimus Ibas indigeſtam adhuc exhalare quodammodo of-
fenſionis præteritæ cruditatem, quòd cùm ab Imperatoribus ita præceptum fuerit,
ut in cauſa Neſtorii ſanctus quoque Joannes Antiochenus cum Orientalibus Epiſcopis,
& alii primates Epiſcoporum cum ſuis, judices conſiderent, illis necdum in Epheſum
pervenientibus condemnatus eſt. Hinc extitit totius cauſa diſcidii: hinc omnis tumul-
tus ſumpſit originem, hinc Orientales, aliique patres offenſi, adverſa jam mente credi-

A derunt, quòd B. Cyrillus, male ſibi conſcius, judicium & inquiſitionem dictorum pa-
trum effugerit, ut eorum non expectaret adventum. Arbitrabantur enim, quòd ſi etiam
de capitulis ejus, quæ poſtea retractavit, judicium & inquiſitio facta eſſet, non ſolus
poſſet Neſtorius culpabilis inveniri. Ob hoc itaque venerabilis Ibas dixit, judicio
& inquiſitione non facta condemnatum eſſe Neſtorium: tanquam de B. Cyrilli dictis,
quorum intentionem minùs intelligebant, non fuerit facta diſcuſſio; cùm Impe-
ratores, ſicut retulit, propterea juſſerant primates Epiſcoporum in Epheſinam con-
gregari civitatem, ut coram omnibus non tantùm Neſtorii libri, ſed etiam Cy-
rilli, judicarentur. Non ergo neceſſe eſt de Neſtorio dictum accipere, quod ait,
judicio & inquiſitione non facta, velut Neſtorius ſine judicio & inquiſitione fuerit
condemnatus; cùm poſſit intelligi propterea dictum, quòd capitula beati Cyrilli,
de quibus jam ſatisfecimus, in illo judicio inquiſita non fuerint. Quod ſi etiam
concedamus quia de Neſtorio dictum eſt, judicio & inquiſitione, numquid etiam
B hoc conceſſo, neceſſe nobis eſt intelligere, quòd in his verbis Neſtorius fuerit
excuſatus? Cur enim non credamus reverentiſſimum Ibam nòn excuſantem, ſed
indignantem quòd Orientales expectati non fuerint, dixiſſe in iſto Concilio, ju-
dicio & inquiſitione non facta finitum, quod ſine ipſis ibi judicatum fuerat &
quæſitum: tanquam judicium non eſſet legitimum, neque legitima inquiſitio, ubi
ipſi non aderant, qui pariter inquiſitores delecti erant & judices? Verùm exiſti-
mo, & credere nos oportet, quod Orientalibus, & aliarum provinciarum patri-
bus, aliquæ cauſæ inevitabiles accidere potuerunt, ut venire tardarent: ex al-
tera parte beato Cyrillo, & aliis qui prævenerant, ſimiliter quæcumque neceſſi-
tas, ut eos diutius expectare non poſſent. Ubi nos quid dicamus, niſi illud quod
jam diximus, cum de maledictis ipſius Cyrilli, quæ contra S. Joannem protulit,
ageremus, *Væ mundo à ſcandalis!* Siquidem non ſolùm voluntariis animorum Matth. 18. 7.
motibus, verum etiam præter voluntatem, præterque ſcientiam, exagitandis mor-
C talibus oriuntur.

CAPUT III.

Quod Ibas judicio falli potuerit in Neſtorio, ſicut Anatolius in Dioſcoro, Athanaſius in Timotheo, Synodus Palæſtina & Zoſimus Papa in Pelagio & Celeſtio.

AD hæc omnia quibus apparere poſſit, ex qua cauſa cum aliis, & maximè Orien- At hæc omnia
talibus Epiſcopis, offenſus reverentiſſimus Ibas ita de B. Cyrillo locutus eſt, do-
ctores iſti novitiæ veritatis in ſuo libro ponere vitaverunt, quo illa epiſtola, quam ſy-
nodus pronuntiavit orthodoxam, excuſaſſe Neſtorium videretur. Quod quidem ſi fa-
ceret, quod reſpondebamus Neſtorianis pro B. Anatolio, à quo damnatus eſt Dioſco-
rus, quem excuſare volens dixit, eum non pro fide eſſe damnatum; hoc etiam Euty-
chianis pro reverentiſſimo Iba non immeritò reſpondere poſſemus. Quoniam aliud
D eſt, ſi quiſque ſimpliciter in hæretico dolos ſuos occultante fallatur, ut eum putet or-
thodoxum: & aliud, ſi ipſammet ejus hæreſim agnitam ſectetur atque defendat. Quam-
quam ſi quis etiam ſic utrorumque cauſam diligenter adtenderet, gravior Epiſcopi
Anatolii probaretur: quoniam ipſe, quemadmodum dictum eſt, in ea ſynodo voluit
ab hæreſis crimine Eutychis atque Eutychiani dogmatis defenſorem Dioſcorum excu-
ſare, in qua Eutyches cum ſuo dogmate, & Dioſcorus, ut ejus defenſor, inter alios
ipſo decernente damnati ſunt. Ibas autem non interfuit Epheſino Concilio, in quo
Neſtorius eſt damnatus. quin imo & ex eo quod Orientales patres, atque alii diverſa-
rum provinciarum Epiſcopi, qui cum illis Epheſo convenerunt, expectati non fuerint;
in Neſtorii damnatione graviter erat offenſus. Nam & ſi legere alia dignentur, qui le-
genda conſcribunt, invenient etiam Timotheum, Apollinaris diſcipulum, à B. Atha-
naſio per ignorantiam temporibus B. Damaſi ſedi Apoſtolicæ velut orthodoxum com-
mendatum, atque ab ipſo Papa Damaſo ſine cohibentia hæreſis ſimpliciter eſſe ſuſ-
E ceptum. Invenient etiam Pelagium hæreſiarcham, à quo Pelagiani dicuntur, in judi-
cio Palæſtinorum Epiſcoporum, quæ contra Chriſti gratiam ſentiebat operientem,
pravaſque ſententias ſuas verſutia interpretantem, per eandem ignorantiam abſolu-
tum. Invenient poſtremo B. quoque [b] Zoſimum, Apoſtolicæ ſedis antiſtitem, contra
S. Innocentii deceſſoris ſui ſententiam, qui primus Pelagianam hæreſim condemnavit,

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

[b] ZOSIMVM PELAGII FIDEM. Ex hoc loco, & ex iis quæ S. Auguſtinus ſcribit libro II. contra duas epiſtolas Pelagianorum, capite 3. falli eos patet, qui Zoſimi litteras pro Cœleſtio ſubdititias putarunt. Nec tamen, ut genuinas fateamur, habuerunt Pelagiani, quod de his magnopere triumpharent, in quibus à Zoſimo, ut ait Auguſtinus, voluntas emendationis, non fal-

fidem ipſius Pelagii, ejuſque complicis Cæleſtii, quem in Eccleſia Carthaginenſi A
convictum, atque appellantem Apoſtolicam ſedem, & ipſe geſtis diſcuſſerat, tam-
quam veram & catholicam laudantem, inſuper etiam Africanos culpaotem Epiſ-
copos, quòd ab illis hæretici credereotur: cùm necdum ipſi Africanis Epiſcopis do-
los eorum multo manifeſtius detegentibus, memoratos Pelagium & Cæleſtium pu-
taret orthodoxos. Et tamen nec Athanaſium, nec Damaſum, nec illos Palæſtinos
Epiſcopos, & Zoſimum hæreticos credit Eccleſia, quia de hæreticis bene ſenſe-
runt, ſed potius pro merito ſuæ fidei catholicos judicat & honorat: quoniam non de-
bet crimini deputari ſimplicium, non intellecta verſutia malignorum. Quocirca
ſi etiam venerabilis Ibæ epiſtola excuſaſſe Neſtorium probaretur, non propter hoc
hæretica, ſed merito ſuæ fidei, orthodoxa debuit à ſynodo judicari. Porro neceſſe
non eſt hæc Eutychianis in defenſionem ſanctæ ſynodi reſpondere, quoniam ſatis
in ipſius epiſtolæ verbis apparet, & adhuc ex his quæ circa ipſum venerabilem B
Ibam geſta ſunt multo evidentiùs apparebit, quòd non ad excuſationem Ne-
ſtorii, ſicut quidam videri voluerunt, idem Ibas dixerit, De epiſcopatu Neſto-
rium depoſuerunt judicio & inquiſitione non facta. Nam ſi etiam nolint, quod priùs
adſtruximus, de capitulis B. Cyrilli dictum intelligi, nihil obſiſtit ut credatur, quòd
idem dictum eſt, quia venerabilis Ibas ob Orientalium aliorumque patrum injuriam,
qui expectati non ſunt ut judicio & inquiſitioni adeſſent, dedignatus eſt dicere
Neſtorium, ab ipſis quoque deponendum, judicio & inquiſitione facta depoſitum.
tantum auctoritatis tribuens S. Joanni Antiocheno, & ceteris comprovincialibus
ſuis, ſive aliarum provinciarum Epiſcopis, ut quod abſque ipſis actum fuerat, nec
judicatum, nec inquiſitum dicere dignaretur. Non enim parvus numerus, aut par-
va fuit auctoritas illorum etiam primatum, qui cum ſuæ diœceſeos Epiſcopis, ſi-
cut erant admoniti, venientes Epheſum cum memorato S. Joanne Antiocheno, C
& ceteris Orientalibus ſenſerant. Novem quippe provinciarum eis adjuncti erant
Epiſcopi, id eſt Bithyniæ, Piſidiæ, Cappadociæ ſecundæ, c Pelagoniæ, Europæ,
Myſiæ ſecundæ, Rodopæ, Thraciæ, atque Theſſaliæ. Quid autem attinebat ad
ſynodum Calchedonenſem, quod idem arroganter, vel injuriarum dolore, vel ex
alia quacumque cauſa, venerabilis Ibas dixerit, cùm de Chriſtiana fide, pro qua
convenerant, nihil profanum fuerit in epiſtola ſua locutus?

CAPUT IV.

Quod epiſtolam Ibæ mutilam produxerint, ea omittentes, ex quibus conſtaret Neſtorium ab illo excuſatum non fuiſſe.

INTENDE nunc, Auguſte, nobiſcum, ut deprehendere queas conſueta furta
„ latronum. quomodo hanc ſententiam, ex qua poſuerunt, Cyrillus aures omnium
„ pigmento, quod excæcat oculos ſapientum, præoccupavit, & de epiſcopatu Ne- D
„ ſtorium depoſuerunt judicio & inquiſitione non facta, non ſolùm capite trunca-
verunt, neque contenti fuerunt ſolùm cum capite finem ejus auferre: ſed ut aper-
tiùs proderentur, quòd non cauſa brevitatis potius, quàm obſcurandæ veritatis
hoc fecerint, etiam de medio ejus furati ſunt alia, quæ legentibus facilè de-
monſtrarent reverentiſſimum Ibam, non pro Neſtorii excuſatione, ſed Epiſcopo-
rum Orientis, aliorumque injuria ſic locutum. Nam conferte quæ illi malè de-
cerpta poſuerunt, & quæ nos ſecundùm ipſius epiſtolæ tenorem poſuimus; &
non ſolùm quæ furati ſunt, verum etiam furtorum cauſas videbitis. Cur enim in
primis narrationis ipſius epiſtolæ fugerent initium, quos inde oportebat incipere,

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

firas dogmatis approbata eſt. Nam cùm inſtrui ſe paratum libello ſuo profeſſus eſſet Cæleſtius, atque Innocentii Papæ litteris conſentire ſe reſponderet, redire ad meliorem mentem videbatur. Ceterùm reſcribentibus Afris, quibus perſpecta Cæleſtii calliditas erat, non ſufficere quod de Innocentii litteris jactabat, niſi apertè ea reſpueret quæ in ſuo libro prava poſuerat, cùm examini ſe ſubtraxiſſet, à Zoſimo iterum cum Pelagio damnatus eſt.

c PELAGONIÆ. Sic habent vetera exemplaria. Et videri poterat Pelagonia dici Macedonia II. in qua civitas fuit Pelagonia, ut docet Hierocles in Synecdemo. quo modo & in Synodo v. ſubſcribit *Benignus Epiſcopus Heracleæ Pelagoniæ*, ad diſcrimen aliarum urbium ejuſdem nominis. Ceterùm in actis Synodi Epheſinæ, unde hunc numerum provinciarum hauſit Facundus, non *Pelagonia* ſcriptum eſt, ſed *Paphlagonia*, titulo Περὶ τῶν ἐπαρχιῶν. & in epiſtola Orientalium ad Rufum Epiſcopum, οἱ τῆς ἀνατολῆς ἀκολουθοῦντες· ὁμοίως δὲ καὶ οἱ Βιθυνοὶ, καὶ Παφλαγόνες, καὶ οἱ δευτέρας Καππαδοκίας, καὶ Πισιδίας, καὶ Θετταλίας, καὶ Μυσίας, καὶ Ροδόπης, καὶ ἄλλοι τινὲς ἀπὸ διαφόρων ἐπαρχιῶν. Quare ita & hoc loco legendum. at contra in Vigilii Conſtituto, *Heraclea Paphlagonia* perperam ſcriptum eſt pro *Pelagoniæ*. E

A niſi quia neſcientibus quid epiſtola ipſa contineat, vel minus intelligentibus, ſubri-
pere voluerunt? Facio autem, inquit, initium narrationis de verbis quæ & ipſe noſti.
Contentio facta eſt, dum reverentia tua hîc eſſet, his duobus hominibus Neſtorio
& Cyrillo: & conſcripſerunt adverſus ſe noxius libros, qui ſcandalum fuerunt au-
dientibus. Neſtorius enim docuit in ſuis libris, ſicut & reverentia tua novit, quia
beata Maria Dei genitrix non eſt, ita ut multi putarent de hæreſe Pauli Samoſa-
teni hunc eſſe, qui dixit hominem purum eſſe Chriſtum. & poſtea ſequitur, unde
iſti cœperunt: Cyrillus autem volens Neſtorii libros deſtruere, lapſus eſt, & in dog-
ma Apollinaris inventus eſt incidiſſe. Conſcripſit etiam & ipſe ſimiliter illi, quia
ipſe Deus verbum factus eſt homo. & deinde ſequitur illud, quod iterum ſubtra-
xerunt, tanquam nun ſit differentia inter templum & inhabitantem in eo. Cur ita-
que, ſicut dixi, narrationis ipſius principia contingere vitaverunt, unde potius ra-
B tio docendæ veritatis ſuadebat incipere, niſi quia falſitati contrarium eſt, quod eſt
conveniens veritati? Nam calumnian volentes huic epiſtolæ, quod quaſi Neſtorium
excuſaverit, occultare voluerunt quod ibi dictum eſt de ipſo Neſtorio, vel B. Cyril-
lo, conſcripſerunt adverſum ſe noxios libros, qui ſcandalo fuerunt audientibus. Quo-
modo enim videretur reverentiſſimus Ibas excuſaſſe Neſtorium, ſi ſciretur dixiſſe,
quod noxios libros, qui ſcandalo eſſent andientibus, ipſe qnoque conſcripſerit?
Non igitur excuſando Neſtorium, ſed accuſando ſimul B. Cyrillum, videretur
erraſſe: quod ſicut in illo noxium judicavit, quia B. Mariam Dei genitricem nega-
bat, ita & in S. Cyrillo noxium credidit; quòd eum putaverat ſimiliter ut Apol-
linarem conſcripſiſſe, quia ipſe Deus verbum ſic factus eſt homo, ut non eſſet
differentia inter templum, & inhabitantem in eo. Et idciren nec illud credendum
eſt ad excuſationem dictum eſſe Neſtorii, quod iſti quidem, neſcio utrum con-
ſcientia renuente, an quia præterit illos in alias fraudes intentos, non poſuerunt
C in eodem calumniarum atque mendaciorum ſuorum libro: tamen quòd videmus ab
eorum ſociis vel ſatellitibus objectari, non omittimus ſimili ratione refellere. Nam
cùm memoratus venerabilis Ibas narraret ac diceret, Omnes orientales Epiſcopi
eundem Cyrillum damnaverunt, & adverſus alios Epiſcopos, qui conſenſerunt ejus
capitulis, excommunicationem decreverunt, ibi ſecutus adjecit, Et poſt hanc tur-
bationem unuſquiſque in ſuam civitatem reverſus eſt. Neſtorius autem, quoniam
ſuæ civitati odio erat, & qui erant in ea excellentioribus, illò revetti non potuit.
Objiciunt ergo nobis, & dicunt, Ecce ubi eſt rurſus ab Iba Neſtorius excuſatus:
quia non eum dixit ut hæreticum in ſuam civitatem reverti non potuiſſe, ſed quo-
niam ei odio erat, & qui erant in ea excellentioribus. Quaſi probare poſſint, quòd
reverentiſſimus Ibas Neſtorium dixerit; non propter hæreſem, ſed propter alias
quaſcunque cauſas, odio fuiſſe civitati ſuæ; & qui erant in ea excellentioribus, ut
D in eam reverti non poſſet, qui ſuperius jam dixerat, quòd noxios conſcripſerit li-
bros, qui ſcandalo fuerint audientibus, quia B. Mariam matrem Dei negabant.
Reſpondemus igitur eis hoc modo, ut omittamus alia, quibus refragantibus hæc
calumnia multipliciter ac facillimè confutatur, Numquid alicubi reverentiſſimus
Ibas ait, quòd Neſtorius quidem odio erat ſuæ civitati, & qui erant in ea excel-
lentioribus, ſed non tamquam hæreticus, ut in eam reverti non poſſet? Non, in-
quiunt. Numquid hoc ſaltem dixit, odio erat ſuæ civitati, & qui in ea erant excel-
lentioribus, ob alias privatas cauſas; ut in eam reverti non poſſet? Neque hoc,
inquiunt. Si igitur nec hoc teverentiſſimus Ibas dixit, quod quidem ſi diceret, non
erat conſequens, ut qui pro aliis privatis cauſis odibilis diceretur, etiam pro ſua
hæreſi negari videretur odibilis: tamen cùm neque hoc dixerit, unde poteſtis oſten-
dere, quòd his verbis venerabilis Ibæ fuerit Neſtorius excuſatus? An fortè vi-
deretur vobis ad ſacerdotis orthodoxi teſtimonium pertinere, ſi dicatur odio eſſe
E civitati ſuæ, & qui in ea ſunt excellentioribus? Non videretur; inquiunt. verum-
tamen in verbis hujus epiſtolæ ſubauditur hoc, quia Neſtorius non hæreticus, ſed
ut ob alias privatas cauſas odibilis, in ſuam civitatem reverti non potuit. At ego in
illis verbis hoc potius ſignificatum ſubaudio, quia Neſtorius tamquam hæreticus
odio erat ſuæ civitati, ut in eam reverti non poſſet. Quænam ſubauditio acce-
ptabilis eſſe videbitur? Arbitrior quòd ea potius, quæ verbis ſuperioribus con-
gruit, quibus dictum eſt quòd idem Neſtorius noxios ſcripſerit libros, qui ſcan-
dalo fuerint audientibus, quia B. Mariam matrem Dei negabat: quàm illa, quæ
videtur his omnibus repugnare, quia Neſtotius pro ſuis noxiis libris, quibus ne-
gans matrem Dei Mariam ſcandalizaverat audientes; odibilis erat ſuæ civitati, ut
in eam reverti non poſſet. Tamen ex abundanti conſtituamus reverentiſſimum
Ibam non ſubaudiendum ſignificaſſe, ſed apertè dixiſſe, quòd Neſtorius odio erat
quidem civitati ſuæ, & qui erant in ea excellentioribus, ſed non tamquam hære-

ticus, magis autem propter alias cauſas, ut in eam reverti non poſſet; & defuiſ- A
ſe nobis alia, quæ jam diximus, & quæ multo plura dicemus, quibus convincentibus ſatis oſtenderetur, quòd etiam hæc non ad excuſandum Neſtorium dicta eſſent: numquid neceſſe erat eadem per ſe conſiderata quæ finximus verba ſic intelligere, ut excuſatus in eis Neſtorius videretur? Poſſent enim & aliter intelligi, id eſt, quia licet hæreticus Neſtorius eſſet, ſua tamen civitas hoc de illo non credidit: nec tamquam hæreticus, ſed propter quod ei ob alias cauſas odio erat, in eam reverti non potuit. Poſſent etiam ſic intelligi, quia licet hæreticus Neſtorius eſſet, & hoc etiam ſuæ civitati videretur, non tamen propterea in eam reverti non potuit, cùm ab Orientalibus, & aliarum provinciarum Epiſcopis, non eſſet condemnatus, quos Imperatores ejus cauſam judicare præceperant, ſed quòd ei ob alias cauſas odio fuerit. Tamquam ſi venerabilis Ibas, multum tribuens auctoritatis ſuo Metropolitano, & ceteris Orientalibus aliarumque provinciarum Epiſcopis, qui non fuerant expectati, diceret quia Neſtorius, licet hæreticus, non tamen B
ab eis condemnatus, poſſet reverti in civitatem, & eorum expectare judicium, niſi ei propter alias cauſas odio eſſet. Nam cùm iidem Orientales, & qui cum eis erant, tantum prævaluerint adverſus Epheſinum Concilium pro receptione capitulorum B. Cyrilli, ut eumdem B. Cyrillum, & Memnonem Epheſinum Epiſcopum condemnarent, & Imperatore jubente *d* Comes quoque ſacrarum largitionum eos in cuſtodia traderet: quid eſſet præjudicii, ſi & hoc diceret Ibas, quia in Neſtorio, quamquam hæretico, tamen ab orientalibus non excluſo, non illorum eſt conſiderata ſententia, qui condemnati velut hæretici potuerunt in cuſtodiam mitti: ſed quia propter alias cauſas civitati ſuæ fuit odibilis, ideo in eam reverti non potuit? Verùm nihil horum in ejus epiſtola continetur, in qua hoc tantummodo dictum eſt, Neſtorius autem, quoniam ſuæ civitati odio erat, & qui erant in ea excellentioribus, illò reverti non potuit. De quo jam calumnioſis reſpondimus amplius forte quàm neceſſarium fuit. C

CAPUT V.

Quod falſo dicant Ibam à Synodo compulſum anathematizare Neſtorium. & quod nunquam illi excuſationem Neſtorii accuſatores objecerint.

IN tantum verò vel reverentiſſimus Ibas, vel ejus epiſtola longè aberat ab hac ſuſpicione, quòd Neſtorium diceretur excuſaſſe, ut nec ipſi judices Photius, & Euſtachius, atque Uranius, objecta atque relecta eadem epiſtola, prædictum Ibam Epiſcopum compellerent anathema Neſtorio dicere. *e* Non enim verum eſt, quod in ſuo libro poſuerunt iſti, quibus tantum mentiri libet, quantum impune licet, „ dicentes, Denique & Photius, & Euſtachius Dei amatores, conſpicientes denega„ tionem Ibæ de epiſtola factam, judicatum dederunt ad deſtructionem & excluſio„ nem impietatis epiſtolæ ad Marim, quod judicatum, ſicut ſuperius diximus, adiens D
Ibas ſanctam ſynodum petiit legi. Habet autem judicatum ita, ut Ibas in ſua Eccleſia anathematizaret palàm malignæ impietatis principem Neſtorium, & eos qui aut libris aut codicibus ejus utuntur. Non itaque verum eſt quod dixerunt, quia nec oſtenditur, ſicut jam docuimus, Ibas denegaſſe quòd ſua fuerit ad Marim epiſtola: neque venerabiles Photius & Euſtachius Epiſcopi judicaverunt, ut Ibas in ſua Eccleſia anathematizaret palam malignæ impietatis principem Neſtorium, & eos qui aut libris aut codicibus ejus utuntur. Sed ipſe prædictus Ibas Epiſcopus ultro & ex abundanti, hoc nemine vi compellente vel quærente promiſit, ſicut prædictorum Photii & Euſtachii Epiſcoporum definitione monſtratur. Namque cùm abſente jam venerabili Uranio Epiſcopo, qui cum illis judex in hac cauſa ju-

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

d COMES SACRARUM LARGIT. Joannes. Extat in actis Orientalium poſt Synodum Epheſinam Theodoſii Imp. epiſtola ad Synodum miſſa per Joannem Comitem ſacrarum, ὅσοι σύνεσμεν ἀπεσταλκότος διὰ Ἰωάννου τοῦ Κόμητος σακρῶν. cui deinde ſubdita eſt epiſtola Joannis ejuſdem Comitis ſacrenſis ad Imperatorem, in qua narrat ſe Neſtorium cuſtodiendum tradidiſſe Candidiano Comiti domeſticorum, Cyrillum & Memnonem Jacobo item Comiti & præpoſito quartæ ſcholæ.

e NON ENIM VERUM EST. Quod ipſum tamen in Edicto ſuo adfirmat Juſtinianus. Ὅθεν, inquit, οἱ μνημονευθέντες Φώτιος, καὶ Εὐστάθιος διὰ τὴν τῶν ἐγκαλούντων πληροφορίαν ἔκρινον δικαστικῶς τὸν ἐπίσκοπον Ἴβαν μήτε τὰ ἐναντία τῇ ὁμολογίᾳ φρονεῖν, καθὼς ὁ ἐπὶ τούτῳ ὅρος τῶν παρ' αὐτῶν ὑπάρχεις δείκνυσι. Synodus item v. actione vi. *Photius verò & Euſtathius non ejuſdem abnegatione contenti, perſpexerunt per ſuam definitionem Ibam ad Edeſſam pervenire, & manifeſtè in Eccleſia anathematizare Neſtorium, & impia ejus dogmata quæ impia epiſtola vindicabat.* E

A bente Imperatore conſederat, ex judicibus mediatores pacis ſemetipſos partibus pręberent, poſt aliquanta dixerunt, cùm multa mota fuiſſent, quæ in actis inſerta ſunt, Nos cognitorum ordinem paululum relinquentes, & ad ſanctarum Eccleſiarum communem utilitatem reſpicientes, pro judicibus mediatores noſmetipſos partibus fecimus, & multis uſi conſiliis, pietatem ubique proponentes, præparavimus Epiſcopum Ibam, quod ipſe ad ſatisfactionem eorum quæ dicta fuerant ſapuit, ſcripto dare quid ſentiret vel ſaperet de pia noſtra fide: quod etiam fecit. Ex abundanti autem prædictus reverentiſſimus vir promiſit, ut in ſuæ civitatis Eccleſia palàm anathematizaret malignæ impietatis principem, & eos qui ſicut ille ſapiunt, & qui aut libris aut codicibus ejus utuntur. Confeſſus eſt autem ſeſe credere ſicut continent literæ, quæ intervenerunt inter reverentiſſimæ & ſanctiſſimæ memoriæ Joannem magnæ Antiochenæ civitatis, & Cyrillum Alexandrinum Epiſcopos,
B quorum miniſter fuit beatæ memoriæ Paulus Emeſenorum civitatis Epiſcopus, ex quibus & univerſalis conſenſus effectus eſt. Ecce venerabiles Photius & Euſtachius, ex judicibus mediatores pacis effecti, dicunt quòd non ipſi judicaverint, ſicut fingitur, ad deſtructionem & excluſionem impietatis epiſtolæ ad Marim, ut reverſus Ibas in ſuæ civitatis Eccleſia palam anathematizaret Neſtorium, qui non pro excuſatione Neſtorii, ſed pro injuria Orientalium & ceterorum, qui cum eis expectati non fuerant, dixiſſe enim judicaverunt quæ quidam in illa epiſtola malè interpretantur. Alioqui non dicerent, ex abundanti promiſiſſe reverſum Ibam, ut anathematizaret in Eccleſia civitatis ſuæ Neſtorium; ſed ſemetipſos potius neceſſariè hoc ab illo dicerent flagitaſſe. Illud quoque procul dubio ſimul apparet, quoniam ſolita fraude ſubtraxerunt quod nos ex eiſdem geſtis poſuimus, quia confeſſus eſt ita ſe credere Ibas Epiſcopus, ſicut continent literę, quæ intervenerunt,
C mediante Paulo Emeſenæ civitatis Epiſcopo, inter beatæ memoriæ Joannem Antiochenum, & Cyrillum Alexandrinum Epiſcopos: ne ex hac teſtificatione Photii & Euſtachii Epiſcoporum, quam ad deſtructionem & excluſionem epiſtolæ venerabilis Ibæ factam eſſe mentiti ſunt, ejus potius veritas oſtenderetur. quoniam & hæc ipſa non tacuit. Quod ſi cui quę dicimus adhuc videntur obſcura, & plenius cauſam ſcire deſiderat, admonendus eſt ut legat tantùm eadem geſta, non ut intelligat adjuvandus. Quod enim hîc videtur obſcurum, ibi luce clarius invenitur. Sed & illud falſum omnino eſt, quod in eodem mendaciorum ſuorum libro ita dixerunt: *f* Sancta ſynodus non contenta neque facta ab Iba denegatione propter ad Marim epiſtolam, neque etiam pro eo facta teſtificatione clericorum Edeſſenorum, ſed confirmans judicatum Photii & Euſtachii, petivit Ibam, ad deſtructionem & excluſionem ad Marim impiæ epiſtolæ, anathematizare Neſtorium, & ejus dogmata, quæ eadem epiſtola laudibus afficiebat. Ubi enim vel reverentiſſimus Ibas ſuam eſſe negavit illam epiſtolam, vel illa epiſtola Neſtorium & ejus
D dogmata laudibus ſicut loquuntur affecit, de quo dixit quod noxios conſcripſerit libros, qui ſcandalo fuerint audientibus, quia B. Mariam matrem Dei negabat? Sed recitent ex ea laudes ipſas quas dicunt Neſtorii, & dogmatum ejus. Si autem non eſt quod recitent, erubeſcere debuerunt toties, apertéque mentiri. Piget enim me, fateor, ac pudet omnino tot arguere mendacia, & multa pręteriens ad aliquorum redargutionem neceſſitate compellor. Quamvis autem ipſis probare immineat quod dixerunt, nos tamen illis, præter ipſius epiſtolæ documentum, quod nihil tale continet, etiam ex memorati Concilii Calchedonenſis ſententia, de qua ipſi teſtimonium confinxerant, probemus quod reverentiſſimus Ibas non ſolùm Neſtorium & ejus dogmata in ſua epiſtola non laudarit; verùm etiam, quod jam dudum propoſuimus demonſtrare, nullam Neſtorii fecerit excuſationem. Namque cùm apud ſynodum Calchedonenſem, ex geſtis Photii & Euſtachii atque Uranii Epiſcoporum eadem relegeretur epiſtola, hoc tantùm in illa notavit,
E quòd B. Cyrillum minus intellecta capitulorum ejus intentione culpaverit, non quòd Neſtorium fecerit excuſatum. Talem enim dedit ſententiam, ſicut quinto libro docuimus: Dudum quidem ex relectis innoxius demonſtratus eſt reverentiſſimus Ibas. in quibus etenim viſus eſt culpare malè loquens beatiſſimum Cyrillum, in poſterioribus rectè confeſſus reſpuit illa quibus culpaverat. quia verò Neſtorium excuſavit, non invenitur à ſynodo reprehenſum. quòd proculdubio reprehenderet, ſi ille Neſtorium, quem ipſa damnaverat, excuſaret: multo magis, ſi etiam

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

f SANCTA SYNODUS. Et hoc etiam objiciunt tum Juſtinianus in Edicto, tum Synodus V. quæ hoc ipſo damnatam à Concilio Calchedonenſi epiſtolam Ibæ docet, quòd Photii & Euſtathii, qui eam velut impiam condemnarunt, judicium comprobarit.

láudibus, ſicut loquuntur, afficeret. Sententia igitur ejuſdem ſynodi, ſi quid ei A
creditur, probat nec laudatum, nec excuſatum fuiſſe in epiſtola Ibæ Neſtorium.
quæ non ſolum Neſtorium fecit ut anathematizaret, verum etiam & Eutychem,
quod iſti dicere noluerunt: cùm Ibas Epiſcopus de Eutychiano dogmate non fue-
rit accuſatus, quin potius querebatur injuſtitiam ſe ab ipſo Eutyche & crimina
falſa perpeſſum. Sed quia ſancta illa ſynodus, quę non tantùm Eutychem dam-
nare, verùm etiam Neſtorii damnationem firmare convenerat, epiſtolam ipſius
Ibæ orthodoxam eſſe cognovit, & Neſtorio maximè, Eutychique contrariam,
dignum judicavit ſocium ſibi eum in condemnationem hęreticorum quos refuta-
bat adſciſcere. Quòd ſi Eutychiani putant fieri debuiſſe, ut ejus epiſtolam con-
fitentem duas Chriſti naturas in unitate perſonæ, quaſi Neſtorianam vellet ſyno-
dus aſpernari, Neſtorium profectò, quantum ad ſe excuſaret, atque ab hæreſis cri-
mine faceret alienum. quod etiam ſuperiore libro, ſicut promiſeramus, oſtendimus.
Unde videant, qui hanc epiſtolam Neſtorianam eſſe dixerunt, ne ipſi potiùs vi- B
deantur excuſare Neſtorium, affirmantes quod ſecundum ejus doctrinam confitea-
tur quòd duarum naturarum una perſona ſit, quòd eſt unus filius dominus noſter
Jeſus Chriſtus. Nam hæc epiſtola rectè dici non poteſt Neſtorium defendiſſe,
cujus confeſſio videtur dogmati Neſtoriano contraria. quod ſancta ſynodus videns,
orthodoxam eam non immeritò judicavit. Verùm mihi minùs videtur apparere,
quàm ſint impudentes qui calumniantur in epiſtola venerabilis Ibæ excuſatum
fuiſſe Neſtorium, ſi teſtimonio tantùm Epiſcoporum Photii & Euſtachii atque Ura-
nii, vel etiam Calchedonenſis ſynodi, de ſuo mendacio refellantur, niſi ipſorum
quoque accuſatorum Ibæ confundantur exemplo, quibus eos calumnioſiores &
impudentiores oſtendimus. Nam & illi ad hoc tantùm ipſam protulerunt epiſto-
lam, ſicut ea in quibus continetur geſta demonſtrant, ut ex illa probarent, quòd
B. Cyrillo detraxerit, non quòd Neſtorium voluerit excuſare. Cumque Neſto-
rianum vellent eumdem Ibam videri, magis hoc ex B. Cyrilli detractione, quàm C
ex Neſtorii excuſatione, vel laude, ſicut ampliùs fingitur, probare conati ſunt.
Dixerunt enim de illo, quia Neſtorianus eſt, & beatum Cyrillum Epiſcopum hæ-
reticum appellat. Et quid opus erat iſta circuitu, ut qui B. Cyrillo Neſtorii dam-
natori detraxerat, hinc eum Neſtorianum vellent oſtendere; cùm hoc compen-
dioſè poſſet ex ipſius Neſtorii excuſatione, vel dogmatum ejus laude monſtrari, ſi
quemadmodum iſti dixerunt, illa epiſtola excuſaſſet? Quod ſi nec ab ipſis calum-
niatoribus ex eadem epiſtola tale aliquid invenitur objectum, quantum videntur
hi malitiam eorum & impudentiam ſupergreſſi, ut quod illi nec in querelis apud
Imperatores depoſitis, nec in judiciis Epiſcopalibus ante Calchedonenſe concilium
non ſemel expertis, nec in ipſo magno & univerſali Concilio tentaverunt objice-
re, ipſi poſt ejuſdem Concilii ſententiam criminentur? Illi, quamvis obſtinatiſſimi,
& ipſa obſtinatione ſua cæcati, viderunt & ſibi turpe fore, & aliis incredibile, D
ſi dicerent in illa epiſtola Neſtorium fuiſſe defenſum: & ſapientes noſtri non ſolum
dicibile ſibi hoc eſſe; verum etiam nobis credibile putaverunt. Viderint autem u-
trum illos ita mentiri deceat, nobis tamen quod mentiuntur incredibile eſſe co-
gnoſcant. Advertis itaque, clementiſſime Imperator, quod epiſtola venerabilis
Ibæ à falſo crimine excuſati Neſtorii etiam accuſatorum ſuorum teſtificatione pur-
getur, nec alicujus in hoc aſſertionis indigeat, in quo eam ſui quoque accuſatores
ſufficienter excuſant. Sed quid dicemus de calumniis temporum noſtrorum, ut-
que tunc puduit impudentiſſimos accuſatores, modo non pudeat judices, & qua-
les judices? non humanæ ſed divinæ auctoritatis, ſicut exiſtimant. Nam judices
ſunt judicum, & judices mortuorum. Et ex his quidem quæ circa venerabilem
Ibam geſta ſunt, ſatis ſuperque probavimus malivola interpretatione jactari, quod
Neſtorius in ejus epiſtola fuerit excuſatus. Si quis autem & hoc conſideret, quod
idem venerabilis Ibas venire non poſſet contra judicium S. Joannis Antiocheni,
cui tantam tribuit auctoritatem, & ceterorum Orientalium, atque aliorum cum eis E
in Epheſium ex diverſis provinciis convenientium ſacerdotum, qui Neſtorium, li-
cet ſine judicio ſuo, cui deputatus fuerat, condemnatum, abſolvendum tamen
non judicaverunt, multo manifeſtiùs cognoſcit quoniam eum nullatenus excuſavit.
Quod conſideraſſe etiam ejus accuſatores exiſtimo, ut cum diuturna excogitatione
adverſus memoratum reverentiſſimum Ibam tot calumnias præſtruerent inauditas,
tamen impudentiſſimum judicarent contra omnium conſcientiam dicere, quòd Iba
apud plures excuſaverit aliquando Neſtorium. Nam cùm poſt damnationem ip-
ſius Neſtorii, Orientales Epiſcopi, atque ipſe reverentiſſimus Ibas, cum S. Joanne
Antiocheno Epheſum pervenirent, de capitulis tantum B. Cyrilli, quod ibi fuerint
approbata conqueſti ſunt, ſicut eorum ſcripta declarant: nihil autem ſunt de Ne-
ſtorii

A ſtorii damnatinne cauſati. quod etiam venerabilis Ibas in hac epiſtola ſic narravit: Poſt duos autem dies depoſitionis ejus venimus Epheſum, & cognoſcentibus nobis quia in damnatione Neſtorii, quæ facta eſt ab eis, XII. capitula, quæ à Cyrillo conſcripta ſunt, contraria exiſtentia veræ fidei, poſuerunt, & firmaverunt, & conſenſerunt eis, tamquam veræ fidei conſonantibus, omnes orientales Epiſcopi eumdem Cyrillum damnaverunt, & adverſus alios Epiſcopus, qui conſenſerunt ejus capitulis, excommunicationem decreverunt. Pro capitulis ergo tantùm B. Cyrilli; quorum ignorabant intentionem, non etiam pro condemnatione Neſtorii reverentiſſimus Ibas Orieotales Epiſcopos dixit offenſos. Quumodo ergo vel ipſe contra B. Joannis Antiochenі, qui in eo primatum habuit, totiuſque Concilii orientalis, ac ſuum judicium, Neſtorium conſcribentem libros noxius excuſaret; vel ipſi ejus accuſatores crediturum ſibi quemquam ſperarent, ſi hinc cum contra publicam noti-
B tiam criminarentur? Et ideo, ſive illa epiſtola Ibæ eſſe dicatur, ſive ab ejus accuſatoribus perhibeatur eſſe cnnficta, non eſt arbitrandum quòd omitterent hinc cum accuſare, ſi viderent hoc eſſe credibile. Amplius tamen abſurdum eſt opinari, quòd accuſatores illam epiſtolam ex nomine venerabilis Ibæ fingentes, ut Neſtorianus videretur, nihil ei vel in tantis Epiſcopalibus judiciis ante Calchedonenſe Concilium, vel in ipſo Concilio, de Neſtorii defenſione tentatent objicere. Nam ſi illa verba quibus dictum eſt, De Epiſcopatu Neſtorium depoſuerunt judicio & inquiſitione non facta. & iterum, Neſtorius autem, quoniam ſuæ civitati odio erat, & qui erant in ea excellentioribus, illò reverti non potuit, Neſtorium ſignificant excuſatum; cur ea finxiſſe credantur adverſus Epiſcopum, quando eum non accuſaverunt pro excuſatione Neſtorii? Unde ſatis inſinuatur, quòd & Ibæ ſit illa epiſtola, & falsò dicatur excuſaſſe Neſtorium. Sed nec poſt condemnationem tantummodo, verùm etiam priuſquam condemnaretur, idem Neſtorius invenitur ab orien-
C talibus Epiſcopis per memoratum S. g Ioannem Aotiochenum eſſe culpatus. Nam ſcribens ei quòd vanè recuſaret B. Mariam matrem Dei nominare, ſic dicit: Ego verò non veluti accuſabilem tuam ſanctitatem ad corrigendum verbum exhortor, neque veluti ad contrarietatem, ut ita dicam, puerilem. Sed quia à te & ſæpius & ad multos dictum eſt, ſicut agnovimus, quòd non erubeſcens de hac pia confeſſione ſulum nomen recuſas: ſi autem à vobis aliqui in Eccleſia magnorum & huc exquirant, numquam recuſabis & Dei genitricem dicere ſanctam virginem. Proinde ad tuum te exhortor, in quo vos non errare cognovi, nomen & verbum illi rei jam à multis patribus conſtitutum, & ſcriptum, & dictum eſt. Non itaque oportet negare verbum, cujus rem in animo habere pro intellectu probaris. Hoc itaque nomen nullus Eccleſiaſticorum doctorum recuſat. Qui enim eo uſi ſunt, & plurimi ſunt, & inſignes: qui autem uſi non ſuot, non culpaverunt utentes. Et vanè nos, ſicut apparet,
D tamquam duplicis examinationis gratia, in hæreticorum pravas opiniones incurrimus, & conſcientias fratrum nulla utilitate extante percuſſas deſpicimus. recuſantes nomen, cujus intellectum bene, optimeque recipimus, multum erramus, magis autem periclitamur circa inenarrabilem diſpenſationem unigeniti filii Dei. Sequitur enim ablatione nominis hujus vel ſignificationis ejus, neque Deum eſſe eum, qui inenarrabilem corporis diſpenſationem pro nobis ſuſcepit, neque Deum verbum evacuans ſeipſum, & formam ſervi accipiens, ineſtimabilem circa nos miſericordiæ ſuæ magnitudinem demonſtrans, ſicut divina hac diſpenſatione factum. Cùm igitur ab orientalibus & ante damnationem correptus Neſtorius oſtendatur, & poſt damnationem, licet ab indignantibus & injuriam ſuam graviter dolentibus, non tamen fuerit abſolutus, ſed venerabilibus Cyrillo & Epheſino Memnone Epiſcopis ſola ſuſpicione damnatis, Neſtorium in ea quam meruerat condemnatione dimiſerint; quomodo non erubeſcerent vel pertinaciſſimi accuſatores venerabilis Ibæ, multis recenti rerum me-
E moria refragaturis, dicere quod Neſtorium in ſua epiſtola fecerit excuſatum? Viderunt itaque pro tantis quæ memoravimus nemini credibile fore, quod in excuſationem Neſtorii dictum eſſet, De Epiſcopatu Neſtorium depoſuerunt judicio & inquiſitione non facta: ſed vel pro capitulis beati Cyrilli, quæ poſtea interpretatus eſt, tamquam de illis judicio & inquiſitione non facta Neſtorius fuerit condemnatus; vel quia dedignaretur Ibas, ut ſuprà jam diximus, judicium & inquiſitionem vocare, ubi non interfuerint Orientales, atque aliarum provinciarum Epiſcopi, qui ſimul dati fuerant inquiſitores & judices. Viderunt

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

g JOANNEM ANTIOCHENUM. Habetur integra Joannis Antiocheni epiſtola ad Neſtorium, ex qua hæc decerpta ſunt, Parte 1, Synodi Epheſinæ num. XXV.

etiam quia nec illud, quod æquè multifariam repulimus, in ejus excuſationem di- A
ctam intelligeretur, in quo ait, Neſtorius autem, quoniam ſuæ civitati odio erat,
& qui in ea erant excellentioribus, illò reverti non potuit. Et hinc calumniari, licet
impudentiſſimi, turpe ſibi duxerunt; faciliuſque putaverunt à judicibus poſſe cre-
di, quod memorare magni horroris eſt, Epiſcopum Ibam dixiſſe, * Non video
Chriſtum factum Deum, in quantum enim ipſe factus eſt, & ego factus ſum: quàm ſi
contra tantorum conſcientiam diceretur in illa epiſtola defendiſſe Neſtorium.

Non invideo Chriſto facto Deo.

CAPUT VI.

Quod Ibas de Cyrilli capitulis malè ſuſpicatus ſit, tanti Synodo viſum non fuiſſe, ut propterea ejus epiſtolam condemnandam cenſeret.

SOLUM ergo eſt, quod cum malitioſis & obſtinatis accuſatoribus venerabilis
Ibæ in ejus epiſtola criminari poſſint hæretici, vel fautores eorum, quia de B. B
Cyrillo, ſicut alii quoque plurimi, aliter quàm res habuit æſtimaverint. Quam-
vis & in hoc malitioſiores & obſtinatiores iſti probentur, qui hominis de homine
ignorantiam ad hæreſis crimen trahunt. quia hoc poſt Concilii ſententiam faciunt,
quod illi antè fecerunt: nec patiuntur antiquitus refutatas antiquari calumnias; ſed
olim ſuis auctoribus ſepultas rediviva contentione reſuſcitant. Verũ de hac ignorantia,
per quam memoratus reverentiſſimus Ibas cum tot provinciarum Epiſcopis fallebatur
in perſona beati Cyrilli, multa jam dicta ſunt, & pluſquam ſufficiebat oſtenſum eſt,
quod hæreticum res iſta non faciat. Sed quia nonnullos videmus in ſuis remiſſio-
res, in alienis vehementiores eſſe peccatis, ſuamque ſanctitatem in exaggerandis
proximorum offenſionibus oſtentare: illam quoque removeamus invidiam, qua
graviter conqueruntur, dicentes in his capitulis non tam beatum Cyrillum, quàm
ſynodum Epheſinam, quæ illa jam receperat, fuiſſe culpatam: nec poſſe appro-
bari hanc epiſtolam, niſi eadem ſynodus improbetur. Hinc volentes efficere, ut ma- C
gnum Calchedonenſe Concilium, quod illam judicavit orthodoxam, ipſius Ephe-
ſinæ ſynodi videatur impugnare decreta. At ego dico, quia propterea magis ſæ-
pedictam epiſtolam pronuntiavit orthodoxam, quoniam vidit eam ſecundum ipſius
Epheſinæ ſynodi decreta confeſſam unum filium dominum Jeſum Chriſtum in duabus
eſſe naturis. Unde prudenter cognovit, quòd hoc ſolùm conſcriptor ejus, cum Orienta-
libus & aliarum provinciarum Epiſcopis, in omnibus quæ illic acta ſunt non intellexe-
rat, quomodo capitula B. Cyrilli juſtè receperit, in quibus ab eis putabatur quia ſic di-
xerat Deum verbum hominem factum, ut auferret differentiam naturarum, & unam
perhiberet eſſe naturam deitatis & humanitatis domini noſtri Jeſu Chriſti, quod omnis
catholicus execratur. Cognoſcens autem magna ſynodus Calchedonenſis, illorum capi-
tulorum intentionem, quam diligenter à præſente beato Cyrillo ſynodus Epheſina di-
dicerat, Ibam atque alios, tamquam abſentes, ſicut exitus cauſæ docuit, ignoraſ-
ſe, nihil differre judicavit, quòd in iiſdem capitulis, ſicut beati Cyrilli dicentis, D
ita etiam ſanctæ ſynodi Epheſinæ probantis, intentionem minus intellexerunt: cùm
utrorumque fides eadem fuiſſet, qua ſimul omnes ita credebant Deum verbum
hominem factum, ut in una Chriſti perſona maneret duarum differentia natura-
rum. In hoc quippe nulla partis alterutræ fuit ignorantia, nulla diſſenſio. Et ſi
altera pars de altera, vel invicem de ſe aliter crediderunt, quod ad hęreſim non
pertinet; de Chriſtiana tamen fide eadem fuit partis utriuſque ſententia. Si quis
autem dicit, quòd Ibas, atque Orientales, & aliarum provinciarum Epiſcopi, (una
quippe horum omnium cauſa eſt) etiam in his quæ non intelligebant, auctorita-
tem Epheſini Concilii ſequi debuerint: ipſe quoque primùm conſiderare debet,
quod etiam ſynodus Calchedonenſis conſideraſſe credenda eſt, quoniam tantis diſ-
ſentientibus, qui moniti fuerant ſimul in ipſum Concilium convenire, non tanta
illo tempore, quanta nunc eſt, ejus eſſe poſſet auctoritas, cùm nec dum etiam judicio
magnæ Calchèdonenſis ſynodi firmaretur. Nam & ipſa multum roboris ad auctorita- E
tem addit antiquitas. Deinde quia cujuſcumque temeritatis ac profanationis eſſe
dicetur, quòd ea B. Cyrillus non jam propria, ſed totius Epheſinæ ſynodi, cujus fue-
rant auctoritate firmata, pro ipſorum orientalium voluntate auſus eſt retractare. & ſi
Neſtorianæ hæreſi deputetur, quòd orientales, cum aliarum provinciarum Epiſcopis,
capitulorum ejus intentionem minimè intelligentes, crediderunt quòd ea non debuiſ-
ſet ſynodus Epheſina ſuſcipere; eidem Neſtorianæ hęreſi B. Cyrillus communicaſſe di-
cetur, cùm ipſis orientalibus, ita de ſuis capitulis, quorum retractationem exegerunt,
& Epheſina ſynodo æſtimantibus cõmunicavit, & eorum confeſſioni ſubſcripſit. Nam
ſi hæc exiſtimatio tanti penditur, ut hęreſis judicetur in nullo inclinari eiſdem orienta-
libus, ſed potius ipſos cogere Cyrillus debuit, ut etiam in his quę minus intelligebant,

A ſynodi ſe auctoritati ſubjicerent, ſuamque præſumptionem, per quam promulgato
decreto capitula memorata damnaverant, ſimiliter publicè, & in monumentum poſte-
ritatis, ſcriptis allegata confeſſione damnarent. & neque vel ſic Orientalium definitio-
ni ſubſcribere, ſed potius ab illis exigere, ut ſubſcriberent eiſdem capitulis, non
pro illorum voluntate interpretatis, ſed ſicut ab Epheſina ſynodo fuerant antè ſuſ-
cepta, ipſamque ſuſpicionem, per quam ea damnaverant tanquam hæreſim ana-
thematizarent, & ita demum eos in communione recipere. Unde nec alii patres,
qui cum illo Epheſum convenerant, & ſimul prædictis Orientalibus, ita de ipſo
concilio Epheſino credentibus communicaverunt, potuerunt excuſari. Quia verò
illam eorum ignorantiam non de ipſa Chriſtiana fide, ſed de intentione dictorum
ſuorum fuiſſe, & B. Cyrillus, & alii, qui apud Epheſum ea probaverant, cognoverunt,
B turpe illis & indignum viſum eſt, pro hac cauſa contendere, & hinc in longum pro-
trahere diſſenſionem Eccleſiarum, quam nos ſanctorum patrum modeſtia ſopitam
poſt centum annos inquieta imperitia ſuſcitamus. Et utinam nonnullas tantùm
conturbaremus Eccleſias, quæ fuerant in prima diſſenſione commotæ, ac non
etiam longè poſitas cogeremus cauſas olim oblivioni datas, quas ſcientes quoque
reminiſci piget, inquirere, & inventas neceſſitate reſpondendi non ſine offenſione
audientium ventilare. De illo verò quod item dicunt, propterea ſynodum de-
buiſſe hanc epiſtolam hæreticam judicare, quia poſt unitatem factam talia conſcri-
ptor ejus Ibas dicere vel ſentire non debuit, jam ſuperiore libro reſpondimus.
Quomodo autem ſancta ſynodus eandem epiſtolam pro recta fidei confeſſione
quam continet approbando, Epheſini Concilii perhibetur impugnaſſe decreta,
cùm potius, ſi eam pro hac ſuſpicione judicaret hæreticam, ſimul & B. Cyrillum,
& ipſum Epheſinum reprehendiſſe concilium videretur, quod ita ſuſpicantibus orien-
C talibus communicaverunt, orthodoxos eos proculdubio judicantes. Cernis igitur,
Imperator, illa quæ ſuperiore libro, ſicut promiſeramus, oſtendimus, hîc quoque
iterum ac ſæpe monſtrari. Quamobrem ſi Calchedonenſis ſynodus Neſtoriana di-
catur, quod hanc epiſtolam judicavit orthodoxam, etiam beatus Cyrillus & Ephe-
ſina ſynodus conſequenter in Neſtorianam hæreſim poſtea divertiſſe dicentur, quòd
orientales hoc ipſum credentes orthodoxos, nec ſolos orientales, ſed aliarum quo-
que novem, quas ſuprà memoravimus, provinciarum Epiſcopos, qui ſimul eumdem
B. Cyrillum & Memnonem Epheſinum, atque capitula prædicta damnaverunt, in
ceteros quoque Epiſcopos, quòd ea recepiſſent, excommunicationis ſententiam
proferentes. Hæc autem orientalium, aliorumque patrum, de ſynodo Epheſina
ſuſpicio, qua exiſtimantes eam traditiones paternas eſſe tranſgreſſam; pro ipſa fi-
de, quam communiter tenebant, adverſus eam certabant, mihi ſimilis videtur ei
ſuſpicioni, quæ Jeſu Nave temporibus orta fuerat in populo Iſraël, cùm laudabi- Ioſue 22.
liter ejuſdem populi pars pro Dei cultura, ſollicita adverſus alteram partem æquè
D ſollicitam concitaretur, intentionem ejus ignorans. Nam cùm pergeret idem
populus Iſraël ad capiendam omnem terram, quam Deus Abrahæ promiſerat, filii
Ruben & Gad, & dimidia tribus Manaſſe, antequam fuiſſent Jordanem ingreſſi, Num. 32.
regionem Jaſer & regionem Galaaditim habitare delegerat, eo quòd eſſet locus
aptus jumentis, quorum eis multa erat copia: nec voluerunt ultra Jordanem poſ-
ſeſſionem capere cum tribubus Iſraël. qui tamen perrexerunt cum fratribus ſuis in ter-
ram Chanaan ad debellandas gentes, quas expulit Dominus ante faciem eorum.
Porro autem, cùm dediſſet Dominus Iſraël univerſam terram, quam juraverat da-
re patribus eorum, & hæreditate recepiſſent eam, revertentes iidem filii Ruben &
Gad, & dimidiæ tribus Manaſſe, in terram Galaad, id eſt in terram poſſeſſionis Ioſue 22.
ſuæ, quam acceperant in hæreditatem, venerunt, ſicut ſcriptum eſt, *b* * in Galioloth 10.
Jordanis, quæ eſt in Chanaam, & ædificaverunt ibi aram ſupra Jordanem. In ter- in Galioth Iord.
E ra Chanaan poſſeſſionem aliæ tribus acceperant, in qua fuit tabernaculum, & al-
tare Dei, ipſi verò citra Jordanem, ne poſteri eorum alieni fierent à Dei cultu-
ra, quaſi ab ejus populo Jordanis limite ſeparati, religioſa utique intentione, &
zelo Dei ferventes, illam erexerant aram, ut teſtimonio eſſet ac monumento
poſteris eorum, quod ipſi quoque ad Dei culturam & ejus populum pertine-
rent. Cùm verò alias tribus, quæ in terra Chanaam ultra Jordanem hæredi-
tatem fuerant conſecutæ, iſta eorum lateret intentio, & putarent eoſdem
filios Ruben & Gad, & dimidiam tribum Manaſſe, propterea illam ædifi-

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

b IN GALIOTH JORDANIS. Vocem Hebraicam retinent etiam Græca quędam exemplaria, quæ Γαλιλὼθ, & Γαλιὼθ legunt. pro quo Symmachus interpres ὅρια vertit, limites ſeu confinia. S. Hieronymus *tumulos* reddidit, & in nominibus Hebraicis Galioth expoſuit *colles*.

caſſe aram, ut ſemetipſos ſegregantes à ſynagoga totius Iſraël, contra obſervan- A
tiam divinæ culturæ offerent ſuper eam ſacrificium Domino, quod fieri non lice-
bat præter unum altare, quod erat ante tabernaçulum ejus, eodem quo & illi ze-
lo Dei ferventes, & pro eadem coltura Dei certantes, convenerunt omnes in Si-
lo, ut aſcenderent expugnare eos. Quibus cùm filii Ruben & Gad, & dimidia
tribus Manaſſe, facti rationem reddereot, quo propoſito atque intentione aram
Ibid. 31. erexerint., illi dixerunt: *Hodie cognovimus quia nobiſcum eſt. Dominus, quia non
deliquiſtis in conſpectu Domini delictum, & quia liberaſtis filios Iſraël de manu Domini.*
Vides igitur, Auguſte, quòd pro eadem religione, quà rectè colitur Deus, non ſo-
lum diſſentire à ſe invicem, verùm etiam laudabiliter pugnare adverſum ſe religioſi
ac rectiſſimi poſſint, dum eos non ratio divini cultus, ſed alterius alterum latet intentio.
Qua propter qui nobis dicunt, ſi Ephesinam ſynodum recepiſtis, condemoate provin-
ciæ orientis & aliarum novem provinciarum Epiſcopos; meritò audient, ut ſi & ipſi fi- B
lios Ruben & Gad, & dimidiam tribum Manaſſe recipiunt; condemnent tribum Levi,
& alias novem tribus, quas cùm fratrum ſnorum lateret intentio, eos debellare con-
venerant. Et certe in illo populo erant etiam prophetæ, nec eis impntat qniſquam,
quòd animorum fratrum ſuorum prudens conſilium non viderint, cùm facilè poſſet
orantibus ex accepta prophetiæ gratia revelari: omnes autem Orientales, atque a-
liarum provinciarum antiſtites, quos capitulorum B. Cyrilli latuit intentio, ut
Ephesinam ſynodnm pro eorum ſuſceptione culparent, Epiſcopos dicimus, non
prophetas. Qui ergo propbetis non imputamus, quòd religioſam intentionem fra-
trum ſuorum neſcierint, ſed laudamus eos potius, quòd eadem religioſa iotentio-
ne adverſus eos fuerint concitati: quomodo poſſumus non prophetis patribus Orien-
talibus atque alns imputare, quòd religioſa intentione adverſus eorum adprobato-
res fuerint concitati? Quære intentionem filiornm Ruben, & Gad, & dimidiæ tri-
bus Manaſſe, atque ex altera parte tribus Levi, & aliarum novem tribuum Iſraël, C
& invenies utramque partem pro divino cultu fuiſſe ſollicitam. Quære ignoran-
tiam, & neutram invenies quæ ad divinum cultum pertinent, ſed alteram partem
intentionem alterius ignoraſſe. Quære intentionem ſynodi Ephesinæ, atque ex
altera parte aotiſtitum provinciæ orientis, & aliarum novem provinciarum, & in-
venies utramque partem pro divino cultu fuiſſe ſollicitam. Quære ignorantiam, &
neutram partem invenies quæ ad divinum cultum pertinent, ſed alteram partem
intentionem alterius ignoraſſe. Quod ex eo ſatis apparet, quoniam per venera-
bilem Paulum Emeſenum Epiſcopum, nec Orientales patres aliquid improbum à
beato Cyrillo confitendum expetiverunt; nec ipſe B. Cyrillns aliquid eorum quæ
expetita fuerant denegavit. Si autem patres Orientales, & alios qui cum eis erant,
ob alienæ intentionis ignorantiam, ſicut & illas plures tribus Iſraël, condemnare
non poſſumus, quomodo venerabilis Ibæ epiſtolam Calchedonenſis ſynodus con- D.
demnaret, quæ ſecundum eorum ſuſpicionem de capitulorum beati Cyrilli rece-
ptione conqueſta eſt? Numquid enim vel Ibas Epiſcopus, vel alii multarum pro-
vinciarum antiſtites, Ephesinam ſynodum culpaſſe aliquando monſtrantur, quòd
contra Neſtorium, licet in duabus naturis, unum tamen Dei atque hominis filium
JESUM Chriſtum confitendum eſſe firmaverit? Ut credi poſſit fidei, quam de In-
carnatione Chriſti habnit, & reſtitiſſe, & aliud prædicaſſe? Nihil eſt igitur, quod
in hac epiſtula etiam de capitulorum B. Cyrilli, & Ephesinæ ſynodi intentiooe,
Eutychiani querantur.

CAPUT VII.

*Quod templum & habitans in eo rectè dictum ſit. & quod propter Theodori laudes
condemnari à Synodo Ibæ epiſtola non debuit, cùm idem à Chryſoſtomo
& à Nazianzeno laudatus ſit.* E

VIDEO autem nobis, ex omnibus quæ ſcripta in illa epiſtola reprehenderunt,
ultimum remanſiſſe capitulum, de laude quam continet Theodori Mopſve-
ſteni Epiſcopi. De quo quia multa dixerunt, & in eo ſuas maximè exercuiſſe calum-
nias gloriantur, unde nos quoque ſuper hoc capitulo multa reſpondere compellimur,
eo pauliſper dilaro, eligo nunc potius defendere, quamquam poſterius ordine vi-
deatur, id quod non ſcripto, ſed verbis tantum procaciter culpent, quod in finem
» ipſius epiſtolæ dictum eſt. Non enim quiſquam audet dicere unam eſſe naturam di-
» vinitatis & humanitatis: ſed confitentur in templum & inhabitantem in eo, qui eſt unus
» filius dominus Jeſus Chriſtus. Quod tale quidem eſt, quale illud quod ſuprà defen-
dimus, ubi ait, tanquam non ſit differentia inter templum, & inhabitantem in eo.
Verùm ne putemus aliquid omiſiſſe, in hoc quoque luco eandem calumniam

A refellamus. Nam dicunt ad diviſionem unius filii Jeſu Chriſti pertinere, quod ait, Sed confitetur in templum, & inhabitantem in eo: tanquam aliam voluerit intelligi templi ſubſiſtentiam ſive perſonam, & aliam inhabitantis in eo. Sic autem poſſunt & de verbis Domini ipſius dicere, ubi Judæis de templo ſui corporis dixit, *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Ioan. 2. 19. tanquam aliam voluerit intelligi perſonam excitandi corporis ſui templi, & aliam excitaturi illud. Quid autem nobis in epiſtola ſua venerabilis Ibas dubium dereliquit, cùm prius intentionem ſuæ mentis aperiens & docens non ſe ad perſonæ diviſionem, ſed ad naturarum diſtinctionem, talia conſcripſiſſe, præmiſerit ac dixerit: Non enim quiſquam audet dicere unam eſſe naturam divinitatis & humanitatis. & deinde ſubjecerit, Sed confitentur in templum & inhabitantem in eo. atque ita ſuam clauſerit ſententiam dicens, qui eſt unus filius Jeſus Chriſtus. Quid expreſſius, vel quid amplius dici potuit? Sed ut ideo duos filios credere judicatur, quiſquis ſic unum dixerit filium, ut non B etiam duas ejus negando naturas, cum Eutychianis incarnationis myſterium ejus evacuet. Hoc etiam dicunt, Non debuit prius templum nominare, & deinde habitantem in eo. Quaſi vel ipſe ordo loquendi permitteret, ut prius diceret inhabitantem in eo, & poſtea templum. Quamquam ſit etiam doctrinæ conveniens, ut quia per humanitatem Chriſti ad divinitatis ejus cognitionem pervenimus, prius in templo ejus humanitas, & poſtea commemoretur habitans in templo divinitas. Ob hoc etiam venerabilis Paulus Emeſenus Epiſcopus in ſermone ſuo, quem coram ipſo beato Cyrillo in Alexandrina Eccleſia fecit, & quem ipſe beatus Cyrillus tanta laude, ſicut primo libro docuimus, prædicavit, ita locutus eſt: Vide Joannem duas naturas prædicantem, & unum filium: aliud tabernaculum, & aliud quod in tabernaculo: aliud templum, & aliud qui inhabitat, Deus. Quocirca ſi culpatur venerabilis Ibas, quod prius templum ac deinde inhabitantem in eo in epiſtola ſua poſuerit, culC petur neceſſe eſt etiam beatus Cyrillus, quòd ſermonem prædicti Pauli Epiſcopi laudaverit, in quo prius tabernaculum & templum, & poſtea quod in tabernaculo, & Deum qui templum inhabitat nominavit. Cognoſcis igitur, Imperator, quod epiſtolam venerabilis Ibæ dicentem, Sed confitentur in templum, & inhabitantem in eo, qui eſt unus filius Ieſus Chriſtus, ſecundum judicium beati Cyrilli magna Calchedonenſis ſynodus adprobavit, & quia vel ſi propter hoc eam velut hæreticam improbaret, hinc potius beatum Cyrillum, id ipſum in ſermone coepiſcopi ſui Pauli approbantem, firmaſſe hæreticum videretur. Nunc ad illud capitulum, quod intermiſſum fuerat, revertamur, cujus ita meminerunt dicentes, Et poſt modica Epiſcopo Edeſſæ derogans dicit: Hic noſtræ civitatis tyrannus beatiſſimum Theodorum præconem veritatis & doctorem Eccleſiæ præſumpſit, qui omnia præſumit, in Eccleſia palàm anathematizare. quod ideo ex illa epiſtola poſuerunt, quia præD dictum Theodorum, ſicut ſæpe dictum eſt, accuſant quaſi ea quæ ſunt Neſtorii prædicantem. ut quaſi per hoc Neſtorianam hanc epiſtolam demonſtrarent, quæ laudaverit eumdem: atque ita ſynodum quoque Calchedonenſem Neſtorianam probarent, quòd ipſam epiſtolam, laudantem eum qui Neſtoriani dicitur auctor erroris, pronuntiavit orthodoxam. Quia verò non ſolùm in epiſtola Ibæ laudatus eſt ipſe Theodorus ſed, à multis quoque ſanctis patribus, jam pridem & in ſecundo libro docuimus ex epiſtolis beati Joannis Antiocheni, totiuſque orientalis Concilii apud Antiochiam congregati, & adhuc ex aliorum, ſicut promiſimus, patrum litteris infrà docebimus. Neceſſarium tamen exiſtimo & ex hac epiſtola docere, quòd de Mopſveſteno Theodoro non ſolius Ibæ fuerit iſta ſententia. Nam & ipſum Marim Perſam, ad quem ſcribit, eorum quæ de ipſo Theodoro dixit conſcium eſſe perhibet, & confidenter publicam quoque ſibi dicit atteſtari notitiam. Verùm iſti commemorationem eorum quibus hoc oſtenditur conſueta fraude fugerunt. Nam quis E in illis verbis non videat venerabilis Ibæ de veritate fiduciam? quia niſi certa & manifeſta eſſent, nequaquam ei ad quem ſcripſit diceret de illo qui Theodorum anathematizavit, Quem nec tu ipſe ignoras, qui occaſione fidei non ſolùm nunc viventes inſequitur, ſed & omnes qui olim ad Dominum præceſſerunt: quorum unus eſt beatus Theodorus, præco veritatis, & doctor Eccleſiæ, qui non ſolùm in ſua vita colaphizavit hæreticos per veritatem ſuæ fidei, ſed & poſt mortem ſpiritalia arma in libris propriis Eccleſiæ filiis dereliquit. Deinde ipſius etiam, ad quem ſcribit, atteſtari ſibi notitiam docet, cùm ait, Sicut & tua reverentia eidem collocuta cognovit, & ex his quæ conſcripſit, inſtructa eſt. Et infrà quidem de eodem Theodoro, Qui propter zelum Dei non ſolùm propriam civitatem ab errore ad veritatem convertit, ſed & longè poſitas ſua doctrina inſtruxit Eccleſias. Poſtremò, quia idem Theodorus in ſua ſynodo palàm redarguit eum quem ſuæ civitatis tyrannum vocavit. Quæ niſi vera forent, quomodo ea poſſet reverentiſſimus

Ibas dicere omnium Epiſcoporum orientalium teſtimonio refragante? Quinimmo & A
ſui ſtatus periculum ſuſtineret, ſi Theodorus ut hæreticus haberetur, à quo dixit in
Concilio redargutum eſſe neſcio quem ſuæ civitatis tyrannum. Omnes quippe orien-
tales Epiſcopos criminatus eſt, ſi in eorum ſynodo hæreticum dixit redarguen-
di habuiſſe fiduciam ad excommunicandos fautores hæreticorum. In hoc capitulo
ne proderentur, conſultò contingere noluerunt. Quæ vera eſſe recognoſcentes ve-
nerabiles Photius & Euſtathius atque Uranius, cùm in eorum judicio memorata
epiſtola relegeretur, non ab illo exegerunt anathematizare Theodorum. Et ut eos
qualicumque teſtimonio tamen ſuo convincam, ipſi certè in illo mendatiorum li-
» bro dixerunt, ſicut antè meminimus: Denique & Photius & Euſtachius, conſpi-
» cientes denegationem Ibæ de epiſtola factam, judicatum dederunt ad deſtructionem
» & excluſionem impietatis epiſtolæ ad Marim, quod judicatum habere affirmant, ut
» Ibas in ſua Eccleſia anathematizaret palàm malignæ impietatis principem Neſto-
» rium, & eos qui aut libris aut codicibus ejus utuntur. Ubi non dico, quòd im-
memores ſui, qui Theodorum dixerunt Neſtoriani erroris auctorem, magiſtrumque
Neſtorii, rurſus ipſi Neſtorium malignæ impietatis principem dicunt, & per hoc B
negant, quòd Theodorus fuerit communis auctor erroris, tanquam niſi per obli-
vionem verum loqui non poſſint. Sed illud magis nobiſcum pietas tua conſideret,
quoniam qui voluerunt ex hoc oſtendere Neſtorianam eſſe epiſtolam venerabilis
Ibæ, quòd Photius & Euſtachius Epiſcopi, conſpicientes negationem ejus de ſua
epiſtola factam, ad deſtructionem & excluſionem ipſius epiſtolæ tale judicatum de-
derunt, ut Neſtorium & ejus dogmata Ibas anathematizaret, quod eos falſò jactaſſe
probavimus: proculdubio hæreticum non fuiſſe Theodorum ipſorum Photii & Eu-
ſtathii judicato confirmant: quoniam cùm præcipuas laudes doctrinæ ejus audi-
rent, non exegerunt à prædicto reverentiſſimo Iba ſimul eum cum Neſtorio, quem
non laudaverat, abdicare. Quia verò eum, ſicut jam docuimus, non ſolùm Theo-
doro anathema dicere, ſed etiam Neſtorio minimè compulerunt; ſi quid eorum
teſtimonio Eutychiani vel eorum ſatellites credunt, neque Neſtorium excuſatum C
in hac epiſtola mentiantur, neque Theodorum dicant Neſtorianæ impietatis aucto-
rem, quem in eorum judicio, & ante Calchedonenſe Concilium laudatum inve-
niunt, nec inveniunt denotatum. Verùm promiſſi memores, ad illa jam præclara Ec-
cleſiæ lumina veniamus, quorum magis teſtimonio ſynodus Calchedonenſis credidit,
ut epiſtolam venerabilis Ibæ pro laude Theodori non judicaret hæreticam. Et primum
teſtem citemus clariſſimum doctorem Eccleſiæ, & confeſſorem fortiſſimum verita-
tis, Joannem Conſtantinopolitanum, qui prædicto Mopſveſteno Epiſcopo de exi-
Epiſt. 112. » lio ſcribens dicit. Si eſſet quidem venire poſſibile, tuamque reverentiam, carita-
» temque complecti, & in ipſa jocundari, cum multa hoc velocitate & ſtudio face-
» remus: quoniam autem hoc nobis non adjacet, nunc & literis hoc implemus. Et
» ſi enim ad ipſos fines mundi ducamur, tuæ dilectionis integritatem & favorem, &
» ſine dolo ſinceritatem obliviſci non poſſumus, quæ eſt antiqua & à principio,
» quamque nunc monſtraſti. Neque enim nos latuit, quanta pro nobis & dicere, D
» & facere feſtinaſti, domine meus honoratiſſime, atque ſanctiſſime. Sed etſi nihil
» amplius factum eſt, Deum tamen habes pro tuo ſtudio & alacritate debitorem, in-
» tegramque mercedem. Et nos autem non quieſcimus ſcientes tuæ gratiam ſanctita-
» tis, & tuam reverentiam omnibus prædicantes, atque poſcentes eandem dilectio-
» nem florentem per omnia conſervari. Non enim in deſerto ſedentes fortuitæ in-
» terceſſionis fructus habemus, quando talem *i* in Cilicia theſaurum & reconditas
» divitias poſſidemus. Hęc enim eſt fortis & vigilantis animæ tuæ dilectio. Animad-
vertit mecum ex tenore pręſentis epiſtolæ ſerenitas tua, quòd ſicut teſtatus eſt
Joannes Antiochenus, & ſynodus orientis, Theodorus, qui condemnatus eſt qua-
ſi Neſtoriani auctor erroris, condiſcipulus fuerit hujus B. Joannis. Hoc enim ſatis
indicant ejus verba, cùm dicit quòd antiqua & à principio fuerit ejuſdem Theodo-
ri circa ſe dilectionis integritas. quod etiam litteris Domni Epiſcopi Antiocheni
probabitur. Cur autem magna Calchedonenſis ſynodus arguatur, quæ ſciens ſan- E
ctum Joannem Theodoro ſcribentem dixiſſe, Neque enim nos latuit, quanta pro

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

i IN CILICIA THESAURUM. Hodie apud Joannem Chryſoſtomum, pro ἐν Κιλικίᾳ legitur ἐν καρδίᾳ, epiſtola 112. quæ inſcribitur Θεοδώρῳ ἐπισκόπῳ. non expreſſo nomine loci. Οὐ γὰρ, inquit, τὴν τυχοῦσαν καὶ ἐν ἐρημίᾳ καθήμενοι καρπούμεθα τὴν παράκλησιν, ὅταν τοσοῦτον ἐν καρδίᾳ θησαυρὸν καὶ πλοῦτον ἀποκείμενον ἔχωμεν, τὸ ἐγρηγορυίας καὶ θερμῆς σου ψυχῆς τὴν ἀγάπην. Quæ varietas unde orta ſit non facile eſt divinare. Mopſveſtia porro, ſedes Theodori Epiſcopi, oppidum fuit Ciliciæ II. Hierocles, ἐπαρχία Κιλικίας β'. ὑπὸ ἡγεμόνα, πόλεις θ'. Ἀνάζαρβα μητρόπολις, Μοψουεστία. &c.

A nobis & dicere & facere feſtinaſti, domine meos honoratiſſime, atque ſanctiſſime, credidit quod ille non eſſet hęreticus, qui tanta pro Joanne in exilium aſportato, & dicere & facere feſtinavit, ſtudio atque alacritate, qua Deum haberet mercedis integræ debitorem. incredibile judicans, quod magiſter Neſtorianæ perfidiæ religionis veræ magiſtrum, ſibi profecto contrarium, quæreret ab exilio reduci, & pro ſui loci auctoritate, adverſum prava ſua dogmata libere in Eccleſia diſputare. Niſi forte ob hoc illa ſynodus impia denotetur, quod piè de Joanne Conſtantinopolitano ſentiens, eum talem arbitrata eſt, quem vel ſic amaret, ut velut adjutorem ſuum in Eccleſia propria revocari vellet hæreticus; vel ſic ipſe quoque diligeret, & magna laude prædicaret hæreticum. Cùm verò & hoc inter alia dixit, Talem in Cilicia theſaurum, & reconditas divitias poſſidemus, quid hinc ſynodus culpetur, ſi reverita eſt anathematizare theſaurum Joannis, & reconditas ejus divitias? An & ipſa ſtatuere debuit, & dicere, ſi quis Theodorum non anathematizat, anathema B ſit? Sed nonne melius eſt, ut de ceteris patribus taceam, anathema cum Joanne audire, quàm Joanni anathema dicere? Si enim anathema eſt qui Theodorum Mopſveſtiæ non dicit anathema, etiam Joannes Conſtantinopolitanæ clariſſimus antiſtes Eccleſiæ, & confeſſor fortiſſimus veritatis, anathema eſt, qui tali theſauro, & reconditis divitiis, quas Mopſveſtiæ in Cilicia poſſidebat, non dicit anathema. Verùm neque vir ille magni ponderis, & expectatæ ſemper auctoritatis, nobis deerit in defenſionem magnæ ſynodi, quæ ab Iba Epiſcopo non exegit, ut Theodorum Mopſveſtenum condemnaret, cùm ejus epiſtola recitari laudes ejus audiret. Adſit igitur etiam B. Gregorius Nazianzenus, temerariorum & ipſe crimen aucturus, qui Theodoro adhuc juveni ac novello ita ſcribit, ejus perfectioni congratulans. *k* Dilectionis indiciis delectamur, præcipuè in tali tempore, & à tali novello ſimul atque perfecto, &, ut te ex his quæ ſanctæ ſcripturæ ſunt amplectar, conſtituto ſuper juventutem. Sic enim vocat illa eos, qui intellectu ætatem excedunt. Et veteres qui- C dem patres rorem cœli, & ubertatem terræ, cum ceteris aliis concedi filiis deprecantur, niſi cui amabile eſt hæc ipſa altiùs intelligere, nos autem ſpiritaliter omnia tibi rependimus. Impleat Dominus omnes petitiones tuas, & fias talium filiorum pater, (quoniam quidem oportet compendio, & familiariter orare pro te) qualem te demonſtraris patribus tuis, ut & in ceteris nos etiam de te gloriemur. Quomodo itaque ſynodus ſancta culpatur, quia Theodorum non damnavit, cognoſcens quantus adhuc à quanto viro de perfectione laudatus eſt, id eſt novellus à Gregorio Nazianzeno, ita ut intellectu exceſſiſſe diceretur ætatem, ſupra juventutem ſuam ſublimitate ſapientiæ conſtitutus? Quodque magis gratum eſt ac jocundum, cùm ſcientia eſſet excelſus, tantam humilitatem ac reverentiam exhibuit patribus, ut hæc ei benedictio pro talibus meritis à Gregorio redderetur, per quam tales haberet filios, qualem ſe patribus exhibebat. Quam benedictionem ſi religioſè ac piè illa ſynodus non credidit eſſe fruſtratam, idcirco velut impia & profana fruſtra- D tur. Sed ad *l* aliam tranſeamus epiſtolam. Namque cùm ætate confectus idem beatus Gregorius longa quoque ægritudine laboraret, & ob hoc ſe cauſaretur onus Eccleſiæ ſuæ ferre non poſſe, neque Apolinarianis gregem Dei vaſtantibus, pro eadem gemina debilitate reſiſtere, Epiſcopatus curam depoſiturus, & relicta ſua civitate cum monachis in rure victurus, ubi etiam defunctus eſt, Theodorum de toto oriente in defenſionem & viſitationem ejuſdem Eccleſiæ ſuæ delegit; non aliud caput illam provinciam habere teſtificans, cujus flagitaret auxilium. Sic enim ei iterum ſcribit: Tempus mihi eſt illud ſcripturæ dicere, ad quem vociferabor vim patiens? quis mihi porrigat manum oppreſſo? ad quem pondus Eccleſiæ transferat tam malè jacentis ac diſſolutæ? Teſtificor coram Deo, & electis Angelis, quoniam non

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

E *k* DILECTIONIS INDICIIS DELECT. Ἀγάπης συμβόλοις ἐτέρφθη. Sic enim legendum videtur, non συμβιώσεις. Apud Gregorium epiſtola 219. & quæ hoc loco deſcribitur 220. cum duabus ſequentibus, ſimplicem titulum habent Θεοδώρῳ. at epiſtola 225. pleniorem, Θεοδώρῳ ἐπισκόπῳ Τυάνων, *Theodoro Epiſcopo Tyanorum.* ad quem pertinere omnes conjectura eſt, de qua mox dicam.

l ALIAM EPISTOLAM. Ea eſt apud Gregorium numero XXCVIII. quæ in Grȩcis exemplaribus Ἀνωνύμῳ, ſed in Latinis rectè inſcripta eſt, *Theodoro Epiſcopo Tyanenſi.* Quare fallitur Facundus qui ad Mopſveſtenum ſcriptam putavit. Scripta eſt enim ad Metropolitanum ejus provinciæ in qua erat Nazianzus, ut epiſtolæ verba declarant. Εἰ μὴ νῦν, inquit, ἄλλην ποτὲ καθολικὴν ἔχει ἡ ἐπαρχία, περὶ ἐκείνων τῶν βίων ἢ διαμαρτύρεσθαι. τῆς δὲ σῆς εὐλαβείας ἐπιστολῆς, πρὸς σὲ βλέπειν ἀναγκάζων. At Nazianzus oppidum fuit Cappadociæ II. cujus metropolis Tyana. Hierocles in Synecdemo, Ἐπαρχία Καππαδοκίας β΄. ὑπὸ ἡγεμόνα· πόλεις ε΄. Τύανα, Φαυστινούπολις, Κύβιστρα, Ναζιανζός, Σάσιμα, &c. Ad Theodorum ergo Tyanenſem pertinet epiſtola, ut Juſtinianus quoque in Edicto, & Synodus V. obſervant, contra eos qui ad Mopſveſtenum referebant.

„ juſta patitur Dei grex ſine paſtore degens, & ſine viſitatore propter torporem noſtrum. A
„ Me enim ægritudo detinet, & citius abduxit ab Eccleſia, nunc omnino extrema ſpe-
„ rantem, & amplius rebus ipſis afflictum. Si quidem aliud caput haberet provincia, ad
„ illud oporteret clamare & conteſtari. Tua verò reverentia ſuperpoſita, ad te adten-
„ dere neceſſe eſt. Cnram babeas tuæ Eccleſiæ quovis modo, & non eam deſpicias
„ indignè agentem. Ut enim alia prætermittam, qualia nunc inſurgentes Apolina-
„ riani aliqua quidem fecerunt, alia verò minantur, à dominis meis & compreſbyte-
„ ris diſces, Eulalio Chorepiſcopo & Eleuſio, quos impendio ad tuam reverentiam
„ miſimus. Et hęc comprimere non eſt noſtræ ætatis, ſed tuæ prudentiæ tuæque vir-
„ tutis: quoniam tibi cum aliis facultatem donavit Deus ad communem defenſionem
„ Eccleſiæ. Si autem hęc dicens & ſcribens non audiar, qnod reſtat ſolùm hoc fiet,
„ publicè prędicare omnibus & notum facere, quia Epiſcopo indiget Eccleſia, ne pro-
„ pter meam infirmitatem tundatur. De cetero vos videritis. O quàm fortia ſunt E
& invicta juſtorum merita, clementiſſime Imperator, quæ tanto certius & eviden-
tius oſtenduntur ſuperari non poſſe, quanto ſtudioſius & vebemenrius fuerint im-
petita. Nam quotuſquiſque ſcire poſſet aut quærere tot inexpugnabilia pro ſenten-
tia patrum, qui Calcbedona convenerant, teſtimonia, niſi provocaret adverſitas?
Et ideo non ſolum patienter, verum etiam gratanter ſuſcipienda mihi videtur. Nam
clariorem ſemper efficit ſanctorum juſtitiam, dum obſcurare contendit. An non
amplius illorum patrum juſtitia declaratur, cùm oſtenduntur Joannis Conſtantino-
politani & Gregorii Nazianzeni teſtimonio credidiſſe magis, quàm eorum qni vo-
lebant quædam Tbcodori capitula condemnari, occaſionem facientes, ſicut B. Cy-
rillus ait, contrario dogmati quo tenebantur? Non ergo damnabile judicetur non
damnaſſe Theodorum, quem ſingnlare totius caput Gregorius judicavit, & cui gre-
gem Dei ſuo regimini creditum dereliquit. Gregorius manum ſibi ejus porrigi ad-
verſus hæreticos Apolinarianos flagitavit, teſtificans coram Deo & electis Angelis, C
quod ſe ægritudinis torpore detento, Chriſti grex viſitationis ejus indigeret auxi-
lio, & talis quæ culpa eſt? Synodus eum non condemnat, & binc putatur hæreti-
ca. Ille Theodoro prudentiam deputavit atque virtutem, & nec levis inde queri-
monia commovetur: & Calcbedonenſi Concilio, papæ! quod ei non adſcripſit
imprudentiam, tanta invidia ſuſcitatur. Sed numquid & Gregorius Nazanzenus,
& Joannes Conſtantinopolitanus, & alii, quos memoravimus ac memoraturi ſu-
mus, patres Neſtoriano morbo dicentur obſeſſi, quia non ſolum Theodorum non
abdicant, verum etiam probibent abdicari? aut & ipſos novo nomine & hactenus
inaudito Theodorianos qniſquam vocare præſumet? Quòd ſi nullus hoc audet, cur
alios, qui tenentes eorum catholicam fidem, ſententiamque ſervantes, non audent
in præjudicium ſynodi Calcbedonenſis damnare Theodorum, Theodorianos vocant,
ut hac contumelia memoratam ſynodum, ubi cùm laudes ejus recitarentur damna- D
tus non eſt, ſimul injurient? Si de religione ac fide illorum eſt dubitatio, requiran-
tur: ſi de cauſa condemnandi Theodori, manifeſta eſt patrum ſententia quam ſe-
quuntur. Numquid enim, qui conſentire noluerit novis præſumptionibus, novum
debet nomen accipere? Non autem turpe eſt, quod cum tantis patribus ſuſtinemus,
nam ſicut laodari contra illorum ſententiam criminoſum eſt; ita cum eis criminari
laudabile. Cognoſcentes autem, quod magna ſynodus in cauſa Mopſveſteni Theo-
dori non ſine iſtis Eccleſiæ luminibus accuſetur, nullis Eutychianorum calumniis
turbari debemus, ſed porius ipſorum eos auctoritate confundere. Et ideo comme-
moratis horum venerabilium patrum teſtimoniis, qui eidem Theodoro ſunt adteſta-
ti dum viveret, ad amborum quoque teſtimonia tranſeamus, qui ſimiliter ejus me-
moriam, poſtquam exceſſit è vita, magnis & multis ſunt laudibus proſecuti. Igitur
prędenti libro terminum damus, ut intentio legentis ab alio innovetur exordio.

FINIS LIBRI SEPTIMI.

FACVNDI EPISCOPI HERMIANENSIS

PRO DEFENSIONE TRIVM CAPITVLORVM,

LIBER VIII.

CAPUT PRIMUM.

Quod Ioannis Antiocheni & Orientalium teſtimonio antiqui patres plurimi conſona iis ſcripſerint, quæ in Theodoro Mopſveſteno culpantur.

A ACCIPE, ſereniſſime Imperator, quantis adhuc teſtimoniis ſanctorum & venerabilium patrum ſynodus * Calchedonenſis contradixiſſe culpatur, à quibus Mopſveſtenus Theodorus, etiam defunctus, multo amplius quàm in epiſtolâ venerabilis Ibæ laudatus eſt. Unde prius ad illas epiſtolas S. Joannis Antiocheni & orientalis Concilii, ſicut libro ſecundo promiſimus, revertamur. Beatus enim Proclus ſynodicas in orientem literas miſerat, conſcripto ad Armenios tomo, quem ſicut jam docuimus, orientalis ſynodus adprobavit. In cujus legationis occaſionem tentaverunt quidam ſubrepere, ut aliqua ex dictis antiquorum Eccleſiæ doctorum excerpta, præpoſitis etiam eorum nominibus, *a* anathemati ſubderentur. Tali ergo auſu commota ſynodus orientis, quoniam putaverat hoc ab eodem B. Proclo mandatum, poſtquam directum ſibi tomum ſe adprobaſſe reſpondit, illa etiam
B quæ ſecundo libro memoravimus, & alia multa quæ tunc intermiſſa memorare diſponimus, ei pro Theodoro ſcribens ait. Nimis noſtræ animæ vulneratæ ſunt, quia non ſolùm nos viventes tales calumnias ab his qui conturbare volunt Eccleſias continuè ſuſtinemus; ſed & qui bene de vita profectus eſt B. Theodorus, & qui quinque & quadraginta annis clarè in doctrina præfulſit, & omnem hæreſem expugnavit, & nullam alicubi * detrectationem ab orthodoxis in vita ſuſcipiens, poſt longi temporis hinc diſceſſum eſt, & poſt multa certamina, & poſt decem millia libros adverſus errores conſcriptos, & poſteaquam in conſpectu ſacerdotum & Imperatorum & populorum probatus eſt, periclitatur quæ hæreticorum ſuſtinere, & illis primus prædicari. Et adjiciunt quæ intermiſſa fuerant, dicentes, Hæc nos confuſione & turbis compleverunt; non autem nos ſolùm, ſed & Chriſtianos populos, qui hæc cognoſcentes nullatenus ſine turba Eccleſiaſticas celebrationes impleri permittunt, ſed adverſum nos ſeditiones faciunt, nec uſque ad auditum paſſi ſuſcipere quòd adver-
C

Calched. nec cont. trad.

detractionem, paulo post diſceſſum, &

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

a ANATHEMATI SVBDERENTVR. Miſerant ad Proclum per legatos Epiſcopi Armeniæ ac Perſidis capitula quædam excerpta ex ſcriptis Theodori, ut ejus auctoritate damnarentur, cùm iis qui in Syria & Cilicia eadem ſentire dicebantur. Quæ Proclus Tomo ſuo ad Armenios ſubdita cùm miſiſſet ad Orientales, illi Theodorum damnari non ferentes, his ad Proclum, & aliis ad Cyrillum alioſque literis obſtiterunt. Qua de re, totaque de Theodori anathemate controverſia, multa fusè in Actione v. Synodi v. & apud Liberatum cap. x. Breviarii.

,, ſus dormientes patres meditabantur anathema, & decem millia adverſus nos mala A
,, minantur, ſi quid ab aliquo fuerit tale præſumptum. Sciat autem & hoc tua ſancti-
,, tas, quia ſcripturas antiquorum doctorum Eccleſiæ requirentes, decem millia talia
,, & his ſimilia invenimus, qualia quidam malo more ex libris B. Theodori colligentes,
,, & corpus reliquum abſcidentes, tuæ obtulerunt ſanctitati. Etenim apud magnum
,, martyrem Ignatium, qui ſecundus poſt Petrum Apoſtolorum primum Antioche-
,, næ ſedis ordinavit Eccleſiam, & apud beatiſſimum Euſtachium, qui ſanctorum pa-
,, trum, qui apud Niceæam congregati ſunt, primus exiſtens fidem orthodoxam confir-
,, mavit, & apud ſanctiſſimum & beatiſſimum Athanaſium, qui millia millium certami-
,, num pro Evangelicis dogmatibus paſſus eſt; ad hæc autem, & apud Baſilium, &
,, utrumque Gregorium, qui ejuſdem ſententiæ fuerunt, & apud beatiſſimum Flavia-
,, num, Diodorum, & Joannem, qui clara luminaria Orientis fuerunt totius: rurſum
,, autem & apud beatiſſimum Ambroſium, qui omnes partes Heſperias illuſtravit, & B
,, apud beatiſſimum Amphilochium probatiſſimum doctorem, necnon & apud B. At-
,, ticum tuum patrem, & apud alios decem millia, ut non ſingulos percurramus,
,, conſona decerptis his capitulis invenimus. quibus anathematizatis, neceſſe eſt & ea
,, quæ à prædictis patribus ſunt dicta complecti. & quis * de cetero noſtris adſit do-
" ctrinis, ſic admirabilibus & famoſiſſimis viris poſt mortem damnatis? Non noſtrum
,, eſt ergo, glorioſis eorum qui præceſſerunt opinionibus inſultare, neque judicare eos
,, qui honoratè defuncti ſunt, ſed ſolius judicis vivorum & mortuorum.

* de cæter. nominis adſit.

Hic doceri ab Eutychianis vellem, quid ſancta ſynodus Calchedonenſis debuerit obſervare, cùm apud eum in epiſtola venerabilis Ibæ recitarentur laudes Theodori, ab orientalibus patribus, ut de Joanne Conſtantinopolitano, & de Gregorio Nazanzeno taceam, præconio multo majore laudati. Numquid eam juſte pro laude Theodori condemnaret, hac epiſtola Orientalium non damnata, in qua confirmatum eſt unum ex Trinitate pro nobis crucifixum. aut numquid juſtè poſſit ſolum condemnare Theodorum, abſque martyre Ignatio, & Euſtachio, & Athanaſio, & Baſilio, & utroque C Gregorio, & Flaviano, & Diodoro, & Joanne, & Ambroſio, & Amphilochio, & Attico, & aliis decem millibus, ſi, ut Joannes Antiochenus & omnes orientales Epiſcopi dicunt, in eorum dictis conſona certis quibuſdam Theodori capitulis inveniuntur. Quòd ſi non inveniuntur, & iſti cohibentes Theodoro nos fallere voluerunt, numquid etiam ſic juſte poſſet Calchedonenſis ſynodus ſolum condemnare Theodorum abſque Joanne Antiocheno, & omnibus Orientalibus Epiſcopis, qui erroribus ejuſdem Theodori cohibentes, Ignatium martyrem, qui ſecundus poſt Petrum Apoſtolum Antiochenæ ſedis ordinavit Eccleſiam, & ceteros glorioſiſſimos patres, quos commemoraverunt, conſona Theodoro ſapuiſſe criminati ſunt? Nam ſi epiſtola Ibæ impia judicatur, quòd ejus leves ſuſpiciones de B. Cyrillo contineat, ne dum Joannes Antiochenus, & omnes Orientales Epiſcopi, majoris incomparabiliter impietatis arguendi fuerant, qui ſedulo tractatu in Concilium congregati, tan- D tos ac tales patres nominatim criminantes, & alios ut dixit decem millia, conſona Theodoro, quem iſti dicunt hereticum, ſcripſiſſe finxerunt. Qui Theodorus Mopſveſtenus aliter à ſynodo Calchedonenſi juſtè damnari non poſſet, niſi aut cum Ignatio martyre, & ceteris cum eo commemoratis glorioſiſſimis patribus, ſi conſona decretis quibuſdam ejus capitulis conſcripſerunt: aut cum Ioanne Antiocheno, & omnibus orientalibus Epiſcopis, Ii eos conſona Theodoro ſcripſiſſe mentiti ſunt. Verùm nec illud omittendum, quòd ipſos quoque orientales patres abſque Proclo Conſtantinopolitano juſtè damnare non poſſet. Si enim illi ſcribentes ei mentiti ſunt Ignatium martyrem, & alios cum eo commemoratos patres, ſimilia ſcripſiſſe Theodoro, qui nunc ut hæreticus accuſatur; tacere ſubdolè pernicioſa ſimulatione non debuit, magis autem cum magna deteſtatione continuò refragari, quoniam quæ dicerent, vera non eſſent: maximè quia non levi & tranſitorio verbo, ſed ſententia E ſynodica, omnium orientalium ſubſcriptione firmata, tantis beatis patribus advertebat in Eccleſiæ præjudicium horribile crimen affigi. Quæ cùm ita ſint, deſinant magnam ſynodum criminari, quòd Theodorum non damnavit: quem vel ſine martyre Ignatio, & Euſtachio, & Athanaſio, & Baſilio, & utroque Gregorio, & ceteris ſimiliter numeratis, vel ſine Ioanne Antiocheno & orientali Concilio, & Proclo Conſtantinopolitano, juſtè damnare non potuit. Sed priùs dicant cum quibus horum prius Theodorus condemnari debuerit, & ita demum negligentiam vel cohibentiam ſynodi Calchedonenſis accuſent.

A

CAPUT II.

Quod falſo dicatur Proclus Theodori nomen perſtrinxiſſe, cùm ex ejus ſcriptis id apertè refellatur.

SANE videamus quid etiam B. Proclus, ſcribente ſibi Joanne Antiocheno, & ſynodo orientali reſcripſerit, ut appareat quam ſit impudens hæreticorum falſitas. quorum fautoribus catholicos credere non oportuit, fingentibus, *b* quòd idem S. Proclus, prædicto Joanni Antiocheno ſcribens, Theodorum malè nominavit. Sed dixerit ſubdidiſſe tomo, quem miſit Armeniis, Judaicæ impietatis plena ejuſdem Theodori capitula, ut ſub anathemate damnarentur. Qui Proclus conquerenti & contradicenti memorato Joanni Antiocheno & ejus ſynodo ita reſpondit: Quando enim ego ſcripſi tuæ ſanctitati, oportere aut Theodorum, aut alios quoſ-
B dam qui pridem defuncti ſunt, anathemati ſubdi, aut nominatim alicujus fieri mentionem? Sed puto, ſicut & ipſæ literæ ad tuam ſanctitatem directæ clamant, nihil difficile vel pravum epiſtola continet: ſed quia oportet omni ſuſpicione liberari, & detrahentium ora conſuere, ex hoc quod in tomo directo ſubſcripſi, & illa capitula quæ ſubjecta ſunt repuli, ut pote ſubtilitatem non habentia pietatis. Neque autem de Theodoro, neque de alio quoquam, qui jam defuncti ſunt, ſcripſi tibi, Deo amantiſſime, aut ut anathematizetur, aut abdicetur. Sed neque cariſſimus Theodorus, qui à nobis directus eſt, diaconus talia * mandata percipit. Et ea evidentiſſima negatione B. Procli nec dum confunduntur hæretici, vel fautores eorum: ſed audent adhuc dicere, quòd Theodorum Mopſveſtenum poſt mortem malè nominaverit, eumque velut hæreticum impietatis arguerit, cùm ille reclamet, quòd non ſolùm Theodorum, verùm nec alium quemquam ex his qui jam defuncti fuerant, anathematizari aut abdicari quæſierit, aut nominatim alicujus fecerit mentio-
C nem? Abſit hoc à conſcientia Procli, ut ex mala diffamatione venerabilium nominum, & divulgata vituperatione defunctorum in pace Eccleſiæ ſacerdotum, puerilem gloriam captaret, atque inde videri doctus aut religioſus appeteret. Negat ergo ſe nominatim alicujus feciſſe mentionem: & non ſolùm teſtari, verùm & contra ſurditatem contentioſorum clamare dicit literas ſuas, quòd nihil pravum contineant. pravum utique eſſe definiens, quod quæſiiſſe falsò putabatur, ut contra Eccleſiæ morem poſt mortem damnarentur Epiſcopi numquam in vita ſua culpati. Scribit autem etiam Maximo, uni ex duobus per quos, ut dictum eſt, ſynodicam epiſtolam miſerat Orientalibus Epiſcopis, dicens, Memor eſt tua reverentia, quando ad ſanctiſſimum Antiochenum Epiſcopum tibi literas injungebam, quia omnia cum ejus admonui voluntate fieri oportere, & nihil ad confuſionem vel tumultum Eccleſiarum pacem habentium agi, ſed tomum quidem ſubſcribi, capitula autem ſubdita ſine nomine, hæc tanquam non habentia ſubtilitatem pietatis averti & abdicari. Quo-
D modo igitur per literas didici nunc, quia Theodori Mopſveſteni & aliorum quorumdam nomina præpoſita ſunt capitulis ad anathematizandum, cùm illi ad Deum jam migraverint, & eos qui jam vitam reliquerunt ſupervacuum eſt injuriari poſt mortem, quos nec vivos aliquando culpavimus? Rogo ergo, feſtina ſicut filius exquirere, ſed omnia permittere auctoritati ejuſdem reverentiſſimi conſacerdotis Joannis. poſt ſubſcriptionem autem tomi, & poſt abjectionem capitulorum, quæ cujus ſint ignoramus, continuo præpara diaconum Theodorum venire ad regiam civitatem, quatenus tempeſtate & tumultu non impleantur Eccleſiæ urbis ſanctiſſimæ, & donetis aliquid deſiderio impii Neſtorii, qui ſe putat multos habere ſimilia ſapientes. Hìc quemadmodum perſpicis, Imperator, non ex ductu ratiocinationis noſtræ colligitur, ſed ipſis B. Procli verbis evidentiſſimè demonſtratur, quoniam ſi Calchedonenſis quoque ſynodus, ut quidam fecerunt, epiſtolam venerabilis Ibæ pro laude Theodori tanquam Neſtorio ſimilia ſapientis abjiceret, hinc potius, ſi-
E cut diximus atque probavimus, excuſaſſe Neſtorium videretur, & donaſſe aliquid deſiderio Neſtorianorum, qui ſe putant multos habere ſimilia ſapientes. Intellexit itaque vir ſapientiſſimus Proclus, quòd domini ſapientes intelligere nolue-

* mandata percepit.

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

b QVOD PROCLVS JOANNI ANTIOCH. Procli epiſtolæ ad Joannem cum Tomo miſſæ fragmentum vidimus lib. II. Hæc alterius ſunt epiſtolæ, quam Joanni reſcripſit, cùm ejus ad ſuperiores litteras reſponſum, expoſtulationemque de Theodori capitulis accepiſſet. Ex his ergo liquet, Procli conſilium fuiſſe, quod & Cyrillus ſatagebat, ut Theodori nomini, propter Orientalium offenſionem, parceretur, unde & in capitulis Theodori nomen ſuppreſſerat, prava tamen ejus dogmata damnarentur. Sed Orientalibus ne hoc quidem perſuaderi potuit.

runt, quoniam Mopſveſteno Theodoro, cum aliis quibuſdam, quorum nomina capitulis neſcio quibus anathematizanda præpoſita fuerant, condemnato, expoſtulare Neſtorius poſſet, & dicere, quomodo velut inventor novæ doctrinæ ab Eccleſia ſum depulſus, cum Theodorus vir doctiſſimus, & à doctiſſimis patribus prædicatus, atque alii, qui ſicut ille ſine querela in Eccleſiæ pace defuncti ſunt, eadem ſapuiſſe dicantur? Vos ergo potius dicendi eſtis novi dogmatis inventores, qui ab eorum doctrina deſciſcitis, quos Eccleſia ſemper habuit honoratos. Nam ego etiam veſtro teſtimonio catholicus probor. ſi enim ea doceo, quæ Mopſveſtenus Theodorus, & alii in Eccleſia docuerunt, ipſorum verò doctrina vel à ſanctis patribus laudata eſt, vel quod interim certum eſt, per omne quo vixerunt tempus à nullo invenitur eſſe culpata, inculpabilis eſt etiam mea doctrina. Quod ſi hæc ratio non mea, ſed * viri atque prudentiſſimi Procli modò contemnitur, quam hactenus Eccleſia cuſtodiens in pace degebat, cur quæſo de aliorum nominibus tacetur, quæ illo tempore ſimul præpoſita fuerant capitulis ad anathematizandum? cur, putamus, illis pariter accuſatis nunc parcitur, & ſolus in hac condemnatione Mopſveſtenus Theodorus nominatur? Eſtne aliud, quod hîc intelligere vel ſuſpicari poſſimus, niſi quia ſolus in epiſtola venerabilis Ibæ laudatus eſt, quam ſynodus Calchedonenſis orthodoxam judicavit? Porro vir ſapiens Proclus hunc Theodorum non eſt auſus injuriari poſt mortem, quoniam hoc nec Chriſtiana pietas admittebat, nec habuit quod reſpondere poſſet, ſi ei diceretur, cur Judaicæ impietatis accuſas, & condemnare quæris mortuum, quem cùm viveret palam in Eccleſia docentem nunquam arguere præſumpſiſti? Nam ſi condemnandus videretur velut hæreticus, viventem admoneri à te priùs oportuit, cùm aut interpretari ſemetipſum poſſet in his in quibus offenderis, & meliorem accipere vel reddere rationem, aut meritò pro ſua obſtinatione damnari. Nunc autem nihil aliud agis, niſi ut interminabile ſcandalum poſteris derelinquas, aut aliis ſequentibus antiquorum patrum ſententiam, qui eum laudaverunt, aliis verò tuam, qui eum præſumis accuſare poſt mortem, magnis litibus ſemper Eccleſia quatiatur. Hac ita perſpicua cunctis ratione ducebatur vir bonus & ſapiens Proclus, ut neque de Theodoro, ſicut hæretici fingunt, neque de alio quoquam in Eccleſiæ pace defuncto, mali aliquid ſcriberet. Propter quod increpans ſuum diaconum dicit, quod nihil ad confuſionem & tumultum Eccleſiarum pacem habentium ei agendum injunxerit. Unde non ſolùm Theodori Mopſveſteni, & aliorum quorumdam, nomina capitulis neſcio quibus præpoſita fuiſſe culpavit, verùm etiam confitetur ignorare cujus eſſent. Quomodo autem ſancta ſynodus ex epiſtola * Ibæ & Theodori laudem advertens, eundem Ibam compelleret ipſum anathematizare Theodorum, cùm ſciret non ſolùm pro illo, ſed pro omnibus qui jam vitam inculpati reliquerant, S. Procli ſententia, cujus doctrinam tenuit, definitum quòd ſupervacuum eſſet eos injuriari poſt mortem?

Margin: viri prudent. atque ſapientiſſimi Procli — Ibæ Theodori

A B C D

CAPUT III.

Quod Synodus Orientis ad Theodoſium Imperat. & Theodoſius ad Synodum, de non condemnando Theodoro ſcripſerint.

SED nunc ad aliam partem illius epiſtolæ revertamur, à prædicta ſynodo orientis Imperatori *c* ſcriptæ Theodoſio, quam in ſecundo libro memorare opportunum minimè judicantes, diſtuleramus in ſubſequentibus explicandam. Cùm igitur eadem orientalis ſynodus Imperatori Theodoſio adverſus illos, qui volebant quædam Theodori capitula condemnari, poſt multa de ipſo Theodoro diceret, quòd non à ſacerdotibus tantummodo, ſed à ſacratiſſimo ejus avo, ter beato & à Deo imperii ſceptra ſumente Theodoſio, ſingularis eſt habitus, tanquam Flaviani magni Antiochenſium ſanctæ Dei Eccleſiæ Pontificis amantiſſimus diſcipulus, & B.
„ Joannis Conſtantinopolitani condiſcipulus, hoc etiam addidit atque ait: Si autem
„ quicquam, Imperator ſancte, obſcurum aliquis inveniri dicat in ejus vel aliorum
„ literis, hoc retractationi neceſſarium non eſt. Quorum enim vita in ſacerdotio &
„ miniſterio optimum habuit finem, his præclaram gloriam dedicamus, & non ex illis
„ eos judicamus, de quibus aliqui atrociter eos accuſant. Impoſſibile enim eſt, cùm
„ homines ſint qui in Eccleſia docent, ut calumniantium vituperationes effugiant. E

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

c SCRIPTÆ THEODOSIO. De hac Joannis, Synodique Orientis epiſtola ad Theodoſium dictum eſt lib. II. Ea enim eſt, quam in Allocutione ad Martianum laudat Synodus Calchedonenſis. Ὁ θεῖος, inquit, ὁ Ἀντιοχέων Ἰωάννης, [illegible] ὁμολογίαν [illegible].

A Et quid de Eccleſiæ doctotibus dicimus? quoniam & ipſa ſancta Evangelia multi hæreticorum ad ſuam recipiunt voluntatem, divina dicta vertentes, & in multas partes corpus Eccleſiæ diſcindentes. Hæc in brevi pietatem veſtram nos omnes Epiſcopi qui in Antiochiam Dei ſumus gratia congregati docuimus. Et poſt hæc, cùm multos & antiquos Doctores Eccleſiæ nominatim commemorarent, ſicut etiam Proclo ſcribentes Epiſcopo fecerant, perhibentes eos ſimilia docuiſſe Theodoro, ad ultimum dicunt: Arbitramur autem etiam ipſi pio imperio eſſe inutile; dum homines huc atque illuc jactari coguntur, nec quieſcere permittuntur ab hac importuna hominum inquietudine. Stent ergo, cauſa depoſcimus, tempeſtates, & tranquillitatem Dei Eccleſiis diſponi præcipite. Nihil quantum æſtimo, religioſe princeps, agendum nobis apud veſtram manſuetudinem reliquerat ſancta hæc orientalium ſynodus ſacerdotum. Quòd enim non ſolùm Eccleſiarum paci, verùm & B ipſi imperio veſtro inutile * ſit, videlicet homines huc atque illuc jactari cogantur, nec quieſcere permittantur, illi cauſè dixerunt: ſed actum eſt; ut hæc vobis ſeriùs innoteſcerent, dum qui potuerunt hoc facere noluerunt, & qui voluerunt, ne facerent, ab eis oppreſſi ſunt. Nam quis Chriſtianus horum magnæ auctoritati, quis prudens horum conſultæ rationi non cederet? Denique ſcriptis eorum inſtructus etiam Theodoſius Imperator, ſancti avi ſui Theodoſii ſecutus eſt in Theodoro Mopſveſteno judicium, & ſalubria eorum decreta & monita non ſprevit, aut diſtulit in effectum deducere, ſicut inferiùs oſtendemus. Et non eadem tunc fuerat cauſa Mopſveſteni Theodori, nec in præjudicium magnæ ſynodi, ſicut nunc, damnari quærebatur cum ſuis dogmatibus, nec cogebatur quiſquam anathematizare eos qui anathema ei non dicerent. Quid autem, quaſi novum, vel hæreticum, ſynodus Calchedonenſis in epiſtola venerabilis Ibæ damnaret, quòd Theodorus, à C tantis patribus prædicatus, & ab Imperatore Theodoſio majore, à Deo imperii ſceptra ſumente, ſingularis habitus, etiam ab ipſo Iba laudatus eſt. Neque enim parvi pendere ſancta ſynodus debuit beati quoque Imperatoris illius judicium, cui tantùm ab Eccleſia tribuenda fuit auctoritas, quantum ſibi ille nihil auctoritatis unquam contra Eccleſiam vindicavit. Proinde quæſo te, clementiſſime Imperator, & obſecro pro reverentia quam Chriſto Deo & ejus ſacerdotibus debes, ut exhortationem ſanctorum patrum tuorum obedienter accipias. Tibi enim modò loquuntur, tibi ſuadent iſti omnes antiqui orientales Epiſcopi. Tibi nunc dicunt, quod Theodoſio minori aliquando dixerunt. Si autem quicquam, Imperator ſancte, obſcurum aliquis inveniri dicat in Theodori Epiſcopi vel aliorum literis, hoc retractari neceſſarium non eſt. Quorum enim vita in ſacerdotio & miniſterio optimum habuit finem, his prælatam gloriam dedicamus, & non ex illis eos judicamus, de quibus aliqui atrociter eos accuſant. Impoſſibile enim D eſt, cùm homines ſint qui in Eccleſia docent, ut calumniantium vituperationes effugiant. Et quid de Eccleſiæ doctoribus dicimus, quando & ipſa ſancta Evangelia multi hæreticorum ad ſuam recipiunt voluntatem, divina dicta vertentes, & in multas partes corpus Eccleſiæ diſcindentes? Exaudi itaque, religioſe Princeps, exaudi, precamur hortantes te ſalubriter, patres tuos, ſi cupis ut eos pro te orantes Chriſtus exaudiat. Grave eſt enim, ut quos olim præſentes in corpore, & peregrinantes à Domino, Theodoſius minor accepit, modò peregrinantes à corpore, & præſentes ad Deum Juſtinianus abjiciat in zelo fidei prædicatus. Et Theodoſius nullius obedientis in hac cauſa, Imperatoris invitabatur exemplo: tu autem quod ſequaris habes. * Et Theodorus utilitatem ipſius obedientiæ nondum erat expertus: tu autem rerum exitu cognoviſti quomodo ejus interdictione ſedata fuerit illa tempeſtas. Incomparabiliter itaque utilius tu reſpondes, clementiſſime Imperator, expectationi totius Eccleſiæ, quàm ille reſpondit: quoniam incomparabiliter major eſt nunc cauſa non condemnandi Theo- E dorum, quàm illis temporibus fuit. Si enim Joannes Antiochenus, & omnes orientales Epiſcopi quos memoravimus, ſive Domnus æquè Antiochenus, ex cujus epiſtola quædam memoraturi ſumus, poſſunt aliquibus videri pro ſolo Theodoro certaſſe. Nos autem, qui timemus anathematizare Theodorum, & omnes qui ei non dicunt anathema, non pro ſolo Theodoro, nec pro ſolo Calchedonenſi concilio, ubi cùm poſtea laudes ejus recitarentur damnatus non eſt, verùm etiam pro ipſorum Joannis & Domni Antiochenorum, & omnium orientalium ſacerdotum, & beati Procli damnatione certamus: qui non tantum ei anathema non dixerunt, ſed nos quoque dicere vetuerunt. Quid ergo Theodoſius minor adeunte ſe etiam prædicto beato Proclo reſponderit, quo utilius vos reſpondere poſſitis, inſinuare debemus. Imperatores Cæſares, Theodoſius & Valentinianus, victores triumphatores piiſſimi ſemper Augg. Deo amatori Joanni Archiepiſcopo, & ſynodo cum eo in An-

* ſit, ut videlicet.

* Et Theodoſius utilitatem.

» tiochia congregatæ. *d* Turbam atque tumultum, qui evenit in Oriente, noſtrum A
» cognovit imperium per religioſiſſimum & ſanctiſſimum patrem noſtrum & Epiſ-
» copum Proclum. Quoniam ergo pro quiete & pace omnium providemus, præci-
» puè autem pro fide catholica, quæ noſtrum quoque cuſtodit imperium, veſtræ ſcri-
» bimus ſanctitati, quatenus pacem obtineatis, & nullum verbum intendatis eorum,
» qui volunt contra ſalutem propriam religionem ſanctiſſimam conturbare. Intentio
» etenim noſtræ divinitatis illa eſt, ut omnes homines cum quiete degant: præcipuè
» autem ſanctæ Dei Eccleſiæ, per quas & nos ſalvamur, & noſtrum pollet imperium.
» Hac itaque voce quieti Eccleſiæ providentes nos aliquid de vobis utilius, niſi ut
» hoc quoque cum omni ſtatuatis Eccleſia, ne quis adverſus eos, qui in ejus pace de-
» functi ſunt, quicquam de cetero tale præſumat.

CAPUT IV. B

Quod Synodus eadem Orienti ad Cyrillum etiam de non damnando Theodoro ſcripſerit.

ADJECTAM verò & aliam ſæpe dicti ſancti *e* Joannis Antiocheni, & ſynodi
ejus epiſtolam, ad beatum etiam Cyrillum pro non condemnandis dictis Theo-
» dori ſcriptam. Deo amabili, & ſanctiſſimo Epiſcopo Cyrillo, Joannes Antiochiæ,
» & qui cum eo Deo amabiles Epiſcopi. Convenientes ex unaquaque provincia, quæ
» in oriente ſunt Dei gratia in civitatem amabilem Chriſto Antiochiam, propter li-
» teras ſanctiſſimi Epiſcopi domni Procli, & infrà, loquentes de ipſis qui, ut dictum eſt,
volebant importunè quædam de Theodori libris excerpta capitula condemnari,
» ſic inquiunt: Nunc autem iidem ipſi, velut ex ſomno exſurgentes, perrexerunt ad
» regiam civitatem, & eam perturbantes Eccleſiaſticam pacem, quantum in ipſis eſt, C
» turbaverunt. Sanctiſſimo enim Epiſcopo Proclo tomum rectè revera & piè haben-
» tem, quem ad Armenios ſcripſit, nobis deſtinante, & noſtrum quærente conſenſum,
» omnia facta ſunt à nobis, & in nullo minus fecimus. Erat autem & hoc in præſenti
» tempore ſupervacuum, propter quòd jam Dei gratia omnes ubique unum & eundem
» cuſtodiunt pium intellectum. Solent enim aliquoties res, quæ quaſi neceſſariæ vi-
» deotur, niſi opportunè fiunt, augmentum perturbationis accipere. Aliud etiam
» malum eſt in iſtorum feſtinationem manibus extenſis, & alter tomus excerpta quæ-
» dam habens B. Theodori, qui fuit Mopſveſtiæ Epiſcopus, & ea quæ ille diverſis
» libris dixiſſe videtur, volentes eis anathema inferre. Propter hoc petimus, ut men-
» tem tuam nobis applices ſtudioſius quàm in aliis rebus, & dignare conſiderare ma-
» lum opus hoc eſſe, niſi communi ſententia illud extinguere labores. Dedit enim ti-
» bi Deus ſuper velle etiam poſſe, ut in commune omnes juves. Sunt in illo tomo
» quædam incerta, & aliter quàm dicta ſunt intelligi valentia, confitemur hoc etiam
» nos. plurima verò eorum aperta videmus, & ſine aliqua ambiguitate recta. Sed D
» illis quæ putantur obſcura, ſimilia multa & à plurimis anterioribus ejus, & glorio-
» ſis patribus dicta invenimus: & periculum hinc pendet non leve, ne in iſtis etiam
» illorum ſolvamus, ejus viri reprobantes dicta, qui in Epiſcopatu quidem defunctus,
» agonibus autem adverſus Arianos, & alios hæreticos, decemmilibus per omnem
» ſuam vitam ubique decoratus eſt. Quod ſi fiat, multa etiam ab aliis ſanctis patri-
» bus, apertè dicta retractaturi ſumus, & reprobaturi. Excerptis enim iſtis ſimilia
» quædam invenimus apud ter beatum & nobilem Athanaſium, quædam etiam apud
» beatum Baſilium, quædam apud Gregorium utrumque: multa verò & apud Am-
» philochium ſæpius dicta, non parva verò, & apud communem patrem B. Theo-
» philum. Sunt enim quæ etiam tua ſanctitas ita confitetur, & eumdem de illis habes
» intellectum. Quædam etiam ab ipſo amabili Deo Proclo in eodem ipſo tomo,

JACOBI SIRMONDI NOTÆ. E

d TURBAM ATQUE TUMULTUM. Tempeſtas proximè dicta eſt in Synodica Orientalium: ſed Theodoſius à Proclo de illa ſibi ſuggeſtum ait. Turbabat autem Orientales, ut eſt in epiſtola Cyrilli ad Proclum, quòd vir nobilis & defunctus in communione Eccleſiarum anathematizaretur. Hoc itaque eſt quod reſcripto ſuo nunc vetat Theodoſius, ne quis eos laceſſat, qui in Eccleſiæ pace defuncti ſunt. Quo fit, ut ſuſpectum ſit Theodori nomen, quod in Theodoſii edicto de damnatione Neſtorii adjectum legitur Act. v. Synodi v. cùm in Epheſina, & in Codicibus non legatur.

e JOANNIS AD CYRILLUM. De hac Cyrillus ipſe in eadem ad Proclum epiſtola, quæ Latinè tantùm extat in Quinta Synodo. *Nunc verò*, inquit, *ſicut ſcripſit ad me dominus meus ſanctiſſimus Epiſcopus Antiochiæ Joannes, initium apud ipſos alterius tempeſtatis ſurrexit, & plurimus eſt timor, ne forſitan quidam inſtabiles ad priora revertantur.* Hæc verò tertia eſt earum, quas propter capitula Procli Tomo ſubdita, pro Theodoro ſcripſiſſe Joannem lib. II. adnotatum eſt ex Breviario Liberati.

A quem ad Armenios miſit, quo multis ſenſibus iſtis decerptis concurrit. Et dies nos deficiet percurrentes beatum Euſtachium Antiochiæ civitatis Epiſcopum, qui fuit pro recta fide in Nicæno Concilio, & magnæ famæ Alexandriæ veſtrę. ſed etiam poſt illos ſanctiſſimos Epiſcopos, Meletium, Flavianum, à quibus plura iſtis concordantia dicta ſunt. Quid jam dicam de his qui in Occidente ſecundum doctrinam, & eandem confeſſionem decorati ſunt; quos etiam tua ſanctitas melius novit? Intende itaque; rogo, ad quod præcipitium nos impellant, qui ad nullam utilitatem verbis contendunt. Quid non hinc læſionis vel corruptionis & confuſionis plenum * generetur, ſi aperiamus januam his qui dicta transeuntium patrum evertere? quale damnum non apertum erit dicta non ſolùm refutare, ſed etiam anathematizare? Ut enim aliud alicui placeat, aliud non, in aliquorum dictis, ſive antiquorum, ſive poſteriorum, ſive non noſtrorum, alia ratio eſt. Ut autem & anathema eis imponatur, arbitramur audax & aſperum apparere, & ſi perſonæ cum

B dictis non anathematizentur. Quis enim noſtrum ſperet quòd alium poſſet movere? aut quid horum non præbeat occaſionem ſemper ut populi perturbentur? Et hoc quidem & viventibus & tranſeuntibus contingere ſolet. quod non ſcienti tantum hæc dicimus, ſed etiam plus omnibus conſiderare valenti magnitudinem hujus abſurditatis. Quid autem non ſperamus ex hoc deſiderabile Neſtorii defenſoribus? Quis enim eum non honorabit, ſi cum iſto, & aliis, qui in Epiſcopatu vitam depoſuerunt, ſimul anathematizetur? aut ubi ejus opinio per hoc non accipiat incrementum? Quis autem deceptorum hominum, de iſtis occaſionem aſſumens, non confeſſorem vocaverit, veluti propter illos paſſum quæ paſſus eſt, quæ etiam illi qui in Eccleſia fulſerunt paſſi ſunt? Quis autem mentem habentium neſcit, quia ea quæ durè à B. Theodoro dicta ſunt, neceſſitate compulſus dixit? Proponebat enim eum totus in commune oriens inter eos qui ante nos fuerunt, ſicut virtutem multam doctrinę habentem adverſus hæreſes, contra quas pugnans & dimicans multa qua-

C dam diviſione uſus eſt, non ex pravo intellectu veniens, ſed efficacius adverſus hæreticos illo modo uti judicans: neque unitatem ſummam ignorans vel negans, abſit, (pleni enim hujuſmodi ſunt omnes ejus libri) ſed naturarum proprietates amplius dividens, ſicut ei pugna; quam adverſus hæreticos habuit, faciendum dicebat. Hoc & tua religioſitas diſpenſavit apertè in anterioribus literis veſtris, ad ſatisfactionem quorumdam venerabilium coepiſcoporum noſtrorum. quod & ipſum tuæ virtutis tuæque ſapientiæ proprium eſt. Verùm ego, religioſe princeps, quantum ex his dictis afficior; quibus venerabiles patres per donatam ſibi à Deo ſapientiam prævenerunt quicquid in cauſa Theodori pro magna ſynodo reſpondere poſſemus; tantùm doleo, & illis quod factum eſt imputo, qui non bęcantè vobis oſtendere conſueverunt. Quis enim credit, quòd vel tantæ auctoritati religio tua, vel prudentia tali rationi reſiſteret? Hæc enim verba ſynodi Orientis, non dicam timorati & ſapientis principis animum, ſed cujuſlibet hominis, quem non penitus deſeruit hu-

D manitas, commoverent. Nam ſi tunc potuerunt ardentem flammam reſtinguere, quanto magis nunc à vobis obtinere poſſent, ne quis reſuſcitaret extinctam? Si autem veluti ex ſomno exſurgentes dicti ſunt illi, qui cùm nihil contra dixiſſent viventi Theodoro, poſt ejus obitum illo tempore perrexerunt huc ad regiam civitatem, Eccleſiaſticam pacem, quantum in ipſis eſt, conturbantes: quid de iſtis fautoribus hæreticorum dicendum eſt, qui poſt centum annos ſomnum illorum, qui rem malo ſuo ſurrexerant, pejus evigilare cœperunt? Proinde ſynodus Calchedonenſis quomodo juſta ratione culpetur, quia credidit Orientalibus patribus in concilium congregatis, quos noverat, & non negaſſe quòd quædam in Theodori ſcriptis aliter quàm dicta ſunt poſſent intelligi, & adfirmaſſe quòd recto ſenſu prolata ſunt, ſicut ex aliis plurimis ejus dictis intelligebant, quæ aperta & ſine aliqua ambiguitate recta ſunt ſe videre dixerunt? Sciens etiam eoſdem orientales perbibuiſſe, quòd illis dictis Theodori, quæ putantur obſcura, multa ſimilia & à plu-

E rimis anterioribus ejus & glorioſis patribus dicta ſunt. Sed noluit ejus viri dicta reprobare, qui in Epiſcopatu quidem defunctus eſt, agonibus autem adverſus Arianos & Eunomianos, & alios hæreticos, decem millibus per omnem ſuam vitam ubique decoratus eſt. Numquid debet pro hac modeſtia & ratione culpari? præſertim quia non leve periculum impendebat, ne dictis ejus condemnatis, etiam illorum patrum omnia ſolverentur. Conſultiſſima igitur, & provida potius, quàm Neſtoriana, dicenda eſt illa ſynodus, quæ prudenter & occaſiones abſtulit quibus poſſunt populi perturbari, & excuſationem vel etiam auctoritatem Neſtoriano errori non præbuit, quòd profectò faceret, ſi Neſtoriani dogmatis auctorem judicaret eſſe Theodorum à tantis patribus prædicatum. Propter quod & ipſi dicebant: Aut quid horum non præbeat occaſiones, ut ſemper populi perturbentur? quid au-

* generetur? infra evertere, quale.

» tem non præbeamus ex hoc deſiderabile Neſtorii defenſoribus ? quis enim eum non A
» honorabit, ſi cum iſto, & aliis qui in Epiſcopatu vitam depoſuerunt, ſimul anathe-
matizetur ? & cetera, quæ ab eis commemorata nos quoque videmus Neſtorii po-
tius excuſationi proficere. Sed & B. Cyrillum, & alios, qui cum illo Epheſum
convenerant, patres ſancta illa ſynodus tacitè reprehendiſſe videretur, quòd præ-
dictos orientales, eundem Theodorum defendentes, & multo ampliùs laudantes,
injuſtum duxerunt hæreticos judicare. Neque enim ſolus B. Cyrillus, an non etiam
memorati ſacerdotes ejus, qui cum illo fuerunt Epheſi, maximè verò Ægyptii,
hanc orientalium de Theodoro ſententiam cognoviſſe credendi ſunt, qui tamen
omnes in ipſorum communione manſerunt ? Unde cognoſcis, Imperator, illa tria
quæ hujus operis partitioni ſubjunximus, hîc iterum atque iterum ſimul oſtendi. Quo-
niam ſi Calchedonenſis ſynodus vel pro laude Theodori epiſtolam venerabilis Ibæ
damnaſſet, excuſaſſe Neſtorium, & culpaſſe B. Cyrillum, atque Epheſinum conci-
lium probaretur. Quas ob res omnino pie atque prudenter egit, ut diſcerneret à B
Neſtorii cauſa cauſam Theodori. Neſtorius enim perfidiam ſuam noxiæ diligen-
tiæ celabat obtentu, negans ſanctam virginem Dei matrem, & admonitus atque
increpitus offenſionem totius concepiſſe Eccleſiæ. Theodorus autem, non Eccleſiæ
contradicens, ſed hæreticis, quædam ſic locutus eſt, ut niſi ad intentionem dicentis
lector adſpiciat, offendatur in verbis. Nec unum eſſe Chriſtum in duabus naturis
abnegabat, ſicut oſtendimus, ſed neceſſitate hæreticorum oppugnantium cogebatur
» multum proprietates diſcernere naturarum. Unde dictum eſt: Proponebat enim eum
» totus in commune oriens, ſicut virtutem multam doctrinæ habentem adverſus hæ-
» reſes, contra quas pugnans & dimicans, multa quadam diviſione uſus eſt, non ex
» pravo intellectu veniens, ſed efficacius adverſus hæreticos ſe illo modo uti judicans,
» neque unitatem ſummam ignorans, vel negans, abſit, (pleni enim ſunt hujuſmodi
» omnes ejus libri) ſed naturarum proprietates amplius dividens, ſicut ei pugna, quam
» adverſus hæreticos habuit, faciendum dictabat. Si verò licebit poſteris antiquo- C
rum prædicatorum dicta ſimplicia, velut hæreticorum fraudulenta diſcutere, nec
conſiderare quod in præſentes, non in futuras, quas neſciebant, hæreſes intendebant,
plurimos cum Theodoro ſine dubitatione damnabimus. Nam ſicut hi patres orien-
tales perhibent, multa in eis inveniuntur, quæ non ſeverum judicem, ſed pium
quærant interpretem. Quorum orientalium teſtimonio quia non creditur, idcir-
co nos ex dictis antiquorum doctorum Eccleſiæ pauca de multis proferimus, ut Eu-
tychiani, vel fautores eorum, diſſimulare non poſſint, quòd in condemnatione
dogmatum Theodori, quam in deſtructione Calchedonenſis Concilii quæſierunt,
illorum quoque patrum, quos venerari ſe dicunt, doctrina damnetur. Verùm &
his omiſſis, vel paululum intermiſſis, reprehendi non poteſt ſancta ſynodus, quòd
venerabilis Ibæ epiſtolam pro ejus laude non judicavit hæreticam. Primùm qui-
dem, quoniam tantorum patrum ſententiam ſecuta eſt, quod ſolùm ejus defenſio- D
ni ſufficit. deinde quia nec illud improbandum eſt, ſi aut eos, qui de quibuſdam
ſcriptis Theodori cauſarentur, credidit occaſionem facere contrario dogmati quo
tenebantur, vel ea minus intelligendo culpare, aut ipſum Theodorum minus com-
modis explicare verbis quæ ſentiebat; quod multis poteſt catholicis doctoribus e-
venire. Nam ſæpe etiam intentione adverſariis reſiſtendi in dicendo modus exce-
ditur: nec facile eſt homini futuras evitare quæſtiones, cùm adverſus præſentes to-
to niſu mentis inſurgit. Agebat enim Theodorus frequenter tam libris, quàm ſer-
monibus, in populum f contra Synuſiaſtas, ſive, ut ab auctoris ſui nomine ſunt
vocati, Apollinariſtas, progenitores Eutychianæ dementiæ, qui temporibus ejus
exorti unam Chriſti dicebant eſſe naturam. quibus repugnans, ſi fortè per huma-
nam fragilitatem lapſus invenitur in verbo, quid impium ſynodus fecit, quòd eum
tantis atteſtantibus credidit in ſenſu manſiſſe catholico ? maximè quia necdum per-
fidia Neſtoriana ſurrexerat, quæ ſollicitum ſemper ex alterà parte faceret diſpu- E

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

f CONTRA SYNUSIASTAS. Synuſiaſtæ συνουσιασταὶ dicti ſunt Apollinariſtæ, quod Dei & hominis Chriſti unam docerent eſſe naturam σύγκρατον, id eſt commixtam & compoſitam, humanam & divinam. quod ipſum quia docuerunt poſtea Eutychiani, inde illos horum progenitores vocat. Qui adverſus Apollinariſtas olim ſcribebant, plerique libris ſuis titulum dabant κατὰ συνουσιαστῶν. Ita enim citatur in Synodo V. liber Theodori Mopſveſteni contra Synuſiaſtas vel Appollinariſtas. Item Diodori Tarſenſis κατὰ συνουσιαστῶν à Leontio Byzantio lib. III. eodemque titulo liber Cyrilli Alexandrini apud Anaſtaſium in Ecloge [illegible] cap. v. & Theodoti Antiochiæ, apud eundem, Θεοδότου Ἀντιοχείας ἐκ τοῦ περὶ ἐνανθρωπήσεως, κατὰ συνουσιαστῶν. Εἰ δὲ, inquit, ἐφ' ὧν ἡ οὐσία μία καὶ αὐτή, αἱ ἰδιότητες τῶν [illegible] [illegible] [illegible]· πολλῷ [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible], [illegible] [illegible] τῆς φύσεως ἰδιώματα σώζεσθαι.

A tantem ; ſed hoc ſolum quod vincere propoſuerat attendebat. Quòd ſi aliquo inexcuſabili præoccupatus errore Theodorus oſtendatur, non impiè ſancta ſynodus fecit, quod piè de Chriſti Eccleſia ſentiens, credidit eum in tempore admonitum corrigere potuiſſe, ut in ea permaneret Epiſcopus, & ob hoc pro ceteris quamplurimis, quæ rectè ſapuit, non immeritò ejus doctrinam eſſe laudatam. Hæc ſanè Orientalium patrum verba, quibus de Theodoro dixerunt, Proponebat enim eum totus in commune oriens inter eos qui ante nos fuerunt, ſicut virtutem multam doctrinæ habentem adverſus hæreſes, convenire ſerenitas tua cognoſcit epiſtolæ B. Gregorii Nazanzeni, per quam eidem Theodoro ſcribens ait: Si quidem aliud caput haberet provincia, ad illud oporteret clamare & conteſtari. tua verò reverentia ſuperpoſita, ad te attendere neceſſe eſt. Et iterum: Hæc comprimere non eſt noſtræ ætatis & infirmitatis, ſed tuæ prudentiæ atque virtutis. quoniam tibi cum aliis facultatem donavit omnipotens ad communem defenſionem Eccleſiæ. Quid verò etiam B. B Cyrillus reſcripſerit orientali ſynodo, prohibens non tantùm perſonam, verùm etiam dicta Theodori condemnari, tertio memoravimus libro.

CAPUT V.

Quod Domnus Antiochenus Theodorum laudet in ſynodica ad Theodoſium Imperatorem. & quod iidem omnes patres doceant mortuis in Eccleſiæ pace defunctis non eſſe inſultandum.

NUNC igitur g Domni quoque Antiocheni ſynodicam memoremus epiſtolam, qui ſicut ejus deceſſor Joannes, & ipſe Imperatori Theodóſio ſcribens, Veſtram, inquit, docere cogitur pietatem, quoniam Apollinaris hæreſiarchæ impietatem Eutyches presbyter renovare pertentat, & Apoſtulicas labefactare doctrinas, myſterii incarnationis dogma corrumpens, & divinitatem unigeniti & humanitatem unam naturam vocans, commixtionemque & confuſionem aſſerens factam, & C ſalutarem paſſionem ipſi incontaminabili deitati adnectens, & hos qui columnæ veritatis & propugnatores pietatis fuerunt, & adverſus omnem hæreſem clarè virtutem exercuerunt, Diodorum & Theodorum anathematizare præſumit, & in hoc Apolinaris ſimilis vanitati. Ille etenim linguam adverſus magnum Diodorum movit, quoniam eum agentem impiè objurgavit. Clarum autem & hoc affinitatis dogmatum ſignum eſt. qui enim magnum pietatis certatorem Diodorum cum Apolinario verbis blaſphemis impetit, è contrario ſemetipſum oſtendit ſimilitudinem vanitatis illius amplectentem. Iſte autem magnus Diodorus teſtem quidem pietatis habet, clarorumque certaminum, magnum illum Baſilium. In illo enim claruit tempore, quo Arii impietatis patroni, tunc Imperatorum animas irretientes, adverſus veritatem illorum movere potentiam. Habuit autem iſte in Antiochia certaminum curſus adverſus hæreticorum auſteritatem decertans. Dei autem homo S. Meletius, à quo D appellationem habent apud nos Apoſtolicorum cuſtodes dogmatum, (Meletianos enim nos vocant Arii ſectatores) ſacratiſſimum Diodorum gubernatorem h Ciliciæ univerſæ præpoſuit, & Tarſeorum ei regimen commiſit. Iſte in regia civitate cum Gregorio & Gregorio, & reliquis qui ejus erant ſtudii, ter beatum Nectarium Archiepiſcopum ordinavit. Iſte Joannis magni doctor, qui ſedem regiæ civitatis ornavit, & univerſum mundum doctrina complevit. Iſte divulgatiſſimum illum *Theodorum iis dogmatibus enutrivit, & clarè atque fortiter edocens laborare, hæreticorum catervis eum immiſit. Et ſacratiſſimus quidem Diodorus cum Athanaſio magno, & Petro, & Timotheo confloruit, Theodorus autem cum Theophilo, viris vice luminarium orbem illuſtrantibus, & qui ſedem Alexandriæ ornaverunt. ſed laudatores quidem horum illi in omni vita fuerunt ; accuſare autem eos nullus alicubi præſumpſit evidenter. Apparet etiam ex his quæ nunc protulimus, condiſcipulum fuiſſe magni Joannis divulgatiſſimum Theodorum, cum quo, ut Domnos atteſtatur, à S. E quoque Diodoro, ſicut à Flaviano Antiocheni, piis dogmatibus enutritus eſt,

*Theodorum piis dogmat.

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

g DOMNI ANTIOCHENI. Hujus Synodicæ Domni, qua Eutychi, ut lib. XII. extremo dicet, primus omnium reſtitit, mirum eſt tantum eſſe apud alios ſcriptores ſilentium. Succeſſerat is Joanni avunculo, hæres non ſolùm honoris, ſed etiam ſtudii, ut in Neſtorianas partes propenſior. Inde eſt quod clericos Edeſſenos Ibam Epiſcopum accuſantes rejecit, & damnavit, ut eſt apud Liberatum cap. X. In Synodo autem Epheſina II. circumventus Epiſcopatu dejectus eſt, prolatis epiſtolis quas ad Dioſcorum ſcripſerat contra duodecim capita Cyrilli, ut Liberatus idem auctor eſt cap. XII.

h CILICIÆ UNIVERSÆ. Theodoretus lib. V. Hiſtoriæ cap. IV. ὁ δὲ θεῖος Μελέτιος Διόδωρον Ταρσέων κατέστησε ποιμένα, καὶ τὸ Κιλίκων αὐτῷ ἐνεχείρισεν ἔθνος. Cilicia nondum in duas partes diviſa, Tarſus caput erat univerſæ provinciæ : poſt diviſionem, Tarſus eadem, quod ex Hierocle conſtat, metropolis fuit primæ Ciliciæ, Anazarbus ut dictum eſt ſecundæ.

Hoc etiam ſimul eſt proditum, quòd odium contra Theodorum Eutychiani ab ipſo A
Eutyche patre ſuo contraxerint, qui divinitatem unigeniti & humanitatem unam
naturam vocabat, commixtionem & confuſionem aſſerens factam, & ſalutarem
paſſionem ipſi incontaminabili deitati adnectens. Non ergo mirum, ſi rami infelices
amariſſimæ radici ſuæ conveniant. At ego hîc judicium veſtræ pietatis expecto,
cui ſententiæ nos in cauſa Mopſveſteni Theodori adjungi oportere cenſetis: utrum-
nam veſaniæ Eutychis, hæredumque ejus, qui pro ſua peculiali ſtultitia, qua tenentur,
in ejus condemnationem fruſtra ſemper armati ſunt, an Joannis Conſtantinop. ejus
condiſcipuli, & Gregorii Nazanzeni, Joannis deinde Antiocheni, atque Orienta-
lis concilii univerſi, Cyrilli ac Procli eidem reſcribentium, & hujus Domni Antio-
cheni? Puto, clementiſſime Imperator, quòd magni ſceleris magnæque profanatio-
nis eſſe judices, iſtorum luminarium mundi pro Theodoro Mopſveſtiæ calcare ſen-
tentiam, & ad tenebras cæcitatis Eutychianæ tranſire, ut in Eccleſia catholica hæ-
reticorum exerceamus inimicitias, & alienò contra noſtros odio militemus. Si autem B
profanum nobis eſt, in ſolius condemnatione Theodori patrum calcare ſententiam,
ut Eutychianorum deſiderio ſatisfiat, nedum ipſos condemnare venerabiles patres,
decernendo, vel decernentibus aſſentiendo, ut anathema ſit qui Theodoro Mopſveſtiæ
non dicit anathema. Quod ergo vos religio veſtra profanum judicare com-
pellit, hoc etiam venerabilis ſynodus Calchedonenſis profanum judicavit, ſicut
judicare debuerat, Eutychis judicium in cauſa Theodori ſequi, contra quem
fuerat congregata, potius quàm iſtorum patrum, quorum eum teſtimoniis re-
fellebat. & ideo, Domno Antiocheno cum multis patribus atteſtante, quòd di-
vulgatiſſimus Theodorus, cum magno Joanne, qui ſedem regiæ civitatis orna-
vit, à Diodoro piis dogmatibus fuerit enutritus, epiſtolam venerabilis Ibæ, ſive
Theodorum condemnare non debuit, cùm ex ea recitari laudes ejus adverteret. Quip-
pe cùm & hoc ſciret, quia communem ab Apollinariſtis & Eutyche accuſationem
cum ſuo magiſtro Diodoro ſuſtinebat: Diodorum verò ſimiliter ſciret teſtem pie- C
tatis, clarorumque certaminum, habuiſſe magnum Baſilium, & S. Meletium, à cu-
jus nomine Ariani nos Meletianos appellant, & Gregorium, & alterum Grego-
rium, cum quibus B. Nectarium in regiam civitatem Epiſcopum ordinavit, cumque
Alexandrinis Epiſcopis, id eſt Athanaſio magno, & Petro, & Timotheo conflo-
ruiſſe, quod etiam ex eorum epiſtolis quarto libro docuimus, ſicut ipſum quoque
Theodorum cum Theophilo, viris vice luminarium orbem illuſtrantibus. Et utique
non poſſet magna Calchedonenſis ſynodus crimen intolerabilis præſumptionis eva-
dere, ſi Apollinariſtas & Eutychem ſequeretur, qui Diodorum & Theodorum cum
Baſilio, & Meletio, & utroque Gregorio, & Joanne, & Nectario, & Athanaſio, &
Petro, & Timotheo, atque Theophilo, in prædicatione verbi converſatos ſine que-
rela, falſis criminationibus impetebant. Nonne hoc erat ſapientiores, & diligentio-
res Apollinariſtas, & Eutychem oſtentare, & condemnare tot venerabiles patres,
qui convenientes Diodoro atque Theodoro, nihil inde iſtos unquam reprehendiſ- D
ſe monſtrantur? Horum itaque patrum auctoritate calcanda & conterenda fuerat
Eutychianorum ſtulta præſumptio, & non mendaciter excuſanda ſynodus, quæ ſa-
nius & fortius poteſt acceptabili, quod diximus, ratione & evidenti veritate defen-
di. Tantis autem ac talibus Eccleſiæ Chriſti magiſtris divulgatiſſimi Theodori vitam
doctrinamque laudantibus, & teſtantibus quòd clarè & fortiter laborans hæreticorum
catervas everteret, nuſquam accuſatus à quopiam, cùm quidam eum & ejus dogma-
ta condemnarent, quid arroganter egi, religioſe Imperator, quoniam hoc de me
viſum cuidam eſt vel ſentire vel dicere, quod inter utroſque medius nec prædicare
illum volui, nec damnare: præſertim quia, ſicut ſuperius diximus, non ſaltem ſolum
Theodorum, ſed omnes qui ei anathema non dicunt, anathemati ſubdiderunt.
Quomodo autem facillimè probaretur non eſſe dicendum anathema Theodoro,
niſi & omnes anathema illi non dicentes ejus damnationi conjungerent, quod quàm
crudele eſſet, & nimis iniquum, etſi hoc nulla patrum ſententia fieri vetaretur, vide- E
re perfacile eſt. Numquid enim anathema eſſe deberent, qui Theodoro Mopſveſtiæ,
vel quia incognitos & incertos haberent, ſi fuiſſent aliqui ejus erroris, vel quia in Ec-
cleſiæ pace defunctus eſt, metuerent anathema dicere? Nam ſi cavillari quiſquam
volens objectet eis, ac dicat, Quid commeruit innocentia infantium, vel neceſſitas
mutorum, ut à vobis anathema fierent, qui nec Theodoro Mopſveſtiæ, nec cuiquam
dicere poſſunt anathema? multum pro ſua peritia, ſicut arbitror, æſtuabunt. Quan-
tum porro & ipſorum hæreticorum mentes, cùm in omnibus, tum maximè in hoc
facto, furoris ſui zelo fuerint obſcuratæ, ſatis clarum eſt: qui dum longis ſuæ fa-
ctionis ambagibus ad evacuationem Calchedonenſis ſynodi pervenire contendunt,
illos etiam patres, quos venerari ſe dicunt, ſimul etiam condemnari cum Theo-
doro neſcierunt. Nam doceant nos vel ipſi, vel fautores eorum, ſi vere aliquid

A poſſunt, quomodo ſimul & Theodorus talis pronuntietur hæreticus, ut ab ejus
numine jam Theodoriani vocentur, qui Neſtoriani hactenus vocabantur, & lau-
datores fidei, & doctrinæ ejus non videantur hæretici, ut de omni Eccleſia taceam;
quæ illum, donec advixit, habuit honoratum. Hîc itaque probent ſubtilitatem
ſuæ doctrinæ. Hîc exerceant illud ingenium petulans, procacemque ſcientiam;
qui peritè philoſophari ſe putant, qui calumniari aliis mortuis poſſunt, cùm defen-
dere ſua dicta non poſſunt. Idcoque vel nunc admoniti debent nobis impro-
bare quod factum eſt. Quod ſi noluerint, catholici ſaltem deſinant, vel in-
juſtè, vel nimis ſeverè de mortuis judicare, & ſynodi Calchedonenſis aucto-
ritatem tali hæreticorum argumentorum deſtruere. Nam cui rei neceſſaria eſt
iſta multa juſtitia, quæ cùm malè argumentantibus hæreticis favet, durè at-
que crudeliter in ſanctorum patrum contumeliam redundavit? Nonne propriè
B videtur in Eccleſiaſte talibus interdictum ubi ſcriptum eſt: *Noli effici juſtus mul-* Eccl. 7.17.
*tum, & noli argumentari abundanter, ne fortè obſtupeſcas. ne impiè agas multum. & noli
eſſe durus; ne moriaris in tempore non tuo.* Et quia ibi ſequitur dicens: *Bonum eſt parcere
te in hoc equidem. ab hoc noli contaminare manum tuam; quia is qui timet Deum, evadit
omnia.* Maluimus nos, pro Dei timore, ut evaderemus hanc culpam, parcere veneran-
dis patribus, quàm illis admiſceri; qui manus ſuas contaminaverunt inconſulta eos
ſubſcriptione damnantes. Pertinet igitur ad pietatis veſtræ juſtitiam, ut qui non
judicatis paternæ ſententiæ contemptores, qui ſe tantis patribus prudentius intelle-
xiſſe, & utilius fidei conſuluiſſe gloriantur, multo minus me vel de cetero judicetis;
qui non meum ſed tantorum patrum videor in Theodoro ſequi judicium. quod etiam
ſancta ſynodus Calchedonenſis ſecuta eſt, ſciens eum, & à Joanne Conſtantinopo-
litano, atque Gregorio Nazanzeno, ſuperſtitem prædicatum, & poſt obitum ab
C Joanne & Domno Antiochenis, ac tota ſynodo Orientis, atque Cyrillo Alexandrino;
& Proclo Conſtantinopolitano, contra hæreticorum calumnias multiplici ratione de-
fenſum. Unde magis probatur, quòd ſtultè propter hoc putetur hæretica, quòd in
cauſa Theodori illorum patrum teſtimonio fidem habuit, quorum fidem in ſuis de-
finitionibus tenens hæreticos improbavit. Animadvertendum ſanè videtur, & fi-
delium cordibus inculcandum, non tam pro cauſa Mopſveſteni Theodori, quàm pro
cunctorum qui jam in pace Eccleſiæ finierunt, atque finierint; quòd omnes hi patres,
quorum ſententias memoravimus; diverſis quidem verbis, ſed eodem ſenſu, pronun-
tient quoniam unuſquiſque in vita ſua correptioni Eccleſiæ pertinaciter non reſiſtens
poſt mortem cum ſuis dictis non debeat abdicari. Sanctus namque Joannes Antioche-
nus, & tota ſynodus Orientis, B. Proclo ſcribentes, inter alia ſic queruntur. Et quid
de cetero nominis adſit doctrinis, ſic admirabilibus & famoſiſſimis viris poſt mortem
damnatis? * Non meum ergo eſt glorioſis eorum qui præceſſerunt opinionibus inſulta- Non noſtrũ
re, neque judicare eos qui honorate defuncti ſunt, ſed ſolius judicis vivorum & mor- ergo
D tuorum. Scribentes etiam Theodoſio Imperatori dicunt: Si autem quicquam, ſancte eſt.
Imperator, obſcurum aliquis inveniri dicat in ejus vel aliorum literis, retractari ne-
ceſſarium non eſt. Quorum enim vita in ſacerdotio & miniſterio optimum habuit fi-
nem, his prælatam gloriam dedicamus; & non ex illis eos judicamus, de quibus aliqui
atrociter nos accuſant. Proclus etiam ſic deploranti & conquerenti prædicto Joan-
ni & ſynodo orientali reſpondit: Quando enim ego ſcripſi tuæ ſanctitati, oporte-
re aut Theodorum, aut alios quoſdam, qui prius defuncti ſunt, anathemati ſubdi?
& infrà; Neque autem de Theodoro, neque de alio quoquam, qui jam defuncti ſunt,
ſcripſi tibi, Deo amantiſſime, aut ut anathematizetur, aut abdicetur. Item ſcribens
Maximo diacono dicit, Quomodo ergo per literas didici nunc, quia Theodori Mopſ-
veſteni & aliorum quorumdam nomina propoſita ſunt capitulis ad anathematizan-
dum, cùm jam illi ad Deum migraverint, & eos qui jam vitam reliquerunt ſu-
pervacuum eſt injuriari poſt mortem; quos nec vivos aliquando culpavimus. Cyril-
E lo etiam ſcribens memoratus Joannes Antiochenus cum orientali Concilio dicit;
Quid non hic læſionis vel corruptionis & confuſionis plenum generetur, ſi aperia-
mus januam his qui volunt dicta tranſeuntium patrum evertere? * qua damnum quale
non apertum erit dicta non ſolùm refutare, ſed etiam anathematizare? Cyrillus quo- damnum
que reſcribens eidem Joanni & ejus ſynodo; ſic ait: Niſi forte in mentem adſumen- non.
dum eſt quod continuare volunt, cùm maxime neque in promptu eſt perſona
quam culpæ ſupponunt; & capitulorum redargutio incerta, & qui hæc agunt in in-
certum currentes & aerem verberantes inveniuntur. Et infrà. Sed juſte audient, ta-
men etſi nolunt, qui hujuſmodi cauſas præbent; obliviſcimini vos ipſos, quoniam ad-
verſus pulveres arcus extenditis: non enim ſupereſt qui apud vos inſcriptus eſt. Et me
nullus culpet in hæc verba progreſſum, ſed cedat famoſo nimium progreſſori.
Grave eſt enim inſultare defunctis, vel ſi laici fuerint, nedum illis qui in Epiſco-

patu hane vitam depoſuerunt. Juſtiſſimum enim apparet prudentibus viris, cede- A
re præſcienti uniuſcujuſque voluntatem, & cognoſcenti qualis unuſquiſque no-
ſtrûm futurus ſit. Hæc animo nobis tenenda, hæc non ſolùm præſentibus, ſed
etiam futuris, ſi qui fortè rurſus emerſerint, præſumptoribus opponenda, ne quis
condemnare audeat, niſi correptioni pertinaciter reſiſtentem. Quòd ſi etiam quiſ-
quam ex his patribus, qui conſona & una voce pro Theodoro reſponderunt, quod
abſit à conſcientia & veritate ſanctorum, prævaricatus ab omuium communi ſenten-
tia, contrarium ſibi tantiſque patribus habuiſſe poſtea judicium probaretur, ipſius
potius qui diſcordaret ab omnibus, non omnium communis pro Theodoro fuit eva-
cuanda ſententia. Propterea ſi qui ſunt, qui vituperantes B. Cyrillum, dicunt quòd
aliter poſtea de Theodoro Mopſveſteno locutus eſt, quàm in hoc judicio, quod com-
mune cum Joanne Antiocheno, atque orientali ſynodo, & Proclo Conſtantinopo-
litano habuerit, in quo probatur etiam ejus condiſcipulo Joanni Conſtantinopoli- B
tano, Gregorio Nazanzeno, & Domno Antiocheno congruere, recipiendi non ſunt
adverſus eumdem Theodorum, vel potius adverſus ipſum B. Cyrillum. quem talia
diceodo, quantum in illis eſt, inconſtantem videri faciunt atqoe mutabilem. Nam
defenſiooi ſynodi Calchedonenſis, quæ Theodorum non judicavit eſſe damnandum,
tametſi nullam pro eo Cyrilli Epiſcopi ſententiam teneremus, ſufficerent procnldu-
biu tot aliorum patrum teſtimonia. ſufficeret poſtremo, ſi hæc etiam defuiſſent, Ec-
cleſiæ catholicæ communicatio, in cujns pace, non ſolùm ſine ulla querela, ſed
etiam cum gloria magna defunctus eſt.

CAPUT VI.

Quod officere Theodoro non debeat, ſi contra illum poſtea ſcripſerit Cyrillus. & quod damnari Theodorus ſine Diodoro non poſſit.

C

REPELLENDI ergo ſunt, ac meritò coercendi, qui volentes in præjudi-
cium ſanctæ ſynodi condemnari Theodorum, tantis venerandis patribus, &
Eccleſiæ, ſibique ipſi B. Cyrillum poſthac dicunt extitiſſe contrarium. Ut autem
non ſuſpectum lectorem vel dubium relinquamus, ſive ſcripſerit aliquid adverſus
Theodorum Cyrillus, ſive non ſcripſerit, defenſio ſynodi debet nobis ex omoi
parte conſtare. Et ideo certum aliquid de hoc incerto conficiendum eſt, quod re-
ctè ſecuta videatur, ut Theodorum vel ejus dogmata non damnaret, cùm apud ſe
recitari laudes ejus animadverteret. Inveniuntur itaque ex nomine B. Cyrilli quæ-
dam contra Theodorum, quædam pro Theodoro ſcripta. Unde neceſſe eſt aut
utraque eſſe B. Cyrilli, aut neutra, aut eorum alterutra. Si igitur utraque B. Cy-
rilli dicentur, cùm eum in utriſque ſibi contrarium, vel ſi vellet, ſancta ſynodus
ſequi non poſſet, in his eum ſequi debuit, in quibus non impugnat aliorum ſenten- D
tias patrum, Eccleſiæque judicium. Si verò neutra B. Cyrilli eſſe dicentur, ni-
hil eſt cur ſancta ſynodus putetur impugnare debuiſſe tantorum ſententias patrum,
Eccleſiæque judicium. Sin autem alterutra eorum B. Cyrilli eſſe dicentur, lau-
danda eſt ſancta ſynodus, quòd illa ejus eſſe credidit, quæ non impugnant aliorum
ſententias patrum, Eccleſiæque judicium. Quod ſi etiam aliqoo certo & manife-
ſto indicio probaretur, quòd illa contra Theodornm potius, quàm pro Theodoro,
„ ſcripta B. Cyrilli ſint, idque oſtenderetur quòd eandem ſynodum minime latere
„ potuerit: quis eam ſic quoque culparet, quòd Theodorum non & ipſa culpavit?
„ Nam credis Cyrilli eſſe illa contra Theodorum ſcripta, in quibus tamen dictum
„ eſt, Scripti ſunt à magno Theodoro adverſus Arianorum & Eunomianorum hære-
ſes xx. forte & adhuc amplius libri, & alia præter hæc Evangelica & Apoſtolica
ſcripta interpretatus eſt. Et hos quidem labores nullus auſus eſt increpare, ſed dextro
decreto honorare ſtudium rectorum dogmatum quod in eis eſt. Quomodo Theodo- E
rum culparet, velut Neſtorianæ vel cujuſlibet hæreſis inventorem, cùm neque xx.
& amplius libros irreprehenſibiliter ſcribere contra hæreticos poſſet, neqne Evan-
gelica & Apoſtolica ſcripta recte interpretari, ſi male quicquam de Chriſtiana
fide ſentiret? Si quidem omnes hæreticos non aliunde magis, quàm de ſcripturis
Evangelicis atque Apoſtolicis refutamus. Et eſt omnino ſibi contrarium, ut ſimul
dicatur quiſquam & Evangelica & Apoſtolica ſcripra recte interpretatus fuiſſe, &
non recte de Chriſtiana fide ſenſiſſe. Quod ſi & hæc contra Theodorum ſcripra,
quæ ſola putarentnr eſſe beati Cyrilli, non ſemetipſa deſtruerent, nemo niſi
abſurdiſſimus jndicaret, quod non eorum patrum in Theodoro debuerit ſequi ſen-
tentiam, qui cum illo in eadem provincia degentes, & frequenti ac familiari modera-
tione fidei conferentes, optime noverant qua intentione diceret, quæ aliquos hanc
ſonos ſe- qui verb. ignorantes videntur offendere? Nimis enim grave fuerat, * ſanos ſequi verborum,

A immo ſigna ſonorum atramento in chartulis figurata, & contemnere ſanctarum
conſcientiarum teſtimonia ſcripta non atramento, ſed ſpiritu Dei vivi, non
in chartulis. ſed in tabulis carnalibus, quæ doctrinæ Theodori teſtimonium præ-
ferebant. Illud verò quis niſi inconſideratus credat, niſi impudens dicat, niſi
obſtinatus affirmet, quòd à ſancta ſynodo Cyrillus vel ſoli Ioanni Conſtantino-
politano, non dicam præferri, ſed conferri debuerit, non tantum pro majore
meritorum Ioannis auctoritate, verum etiam quòd de Theodoro ipſi magis, ſicut
antiquo amico & à principio condiſcipulo, credere debuit, quàm Cyrillu, quem
noverat etiam de ipſo Ioanne ſimiliter jam defuncto contra judicium ſedis Apoſto-
licæ ſcripſiſſe, ut ex catalogo Epiſcoporum nomen ejus Atticus Epiſcopus juberet
auferri, quaſi profani & ab Eccleſiaſticis muris excluſi, eo quòd non oporteret tra-
ditorem Judam adſcribi cum Apoſtolis, neque Jechoniam expulſum connumerari
cum David & Samuele, & prophetis? quem noverat etiam prędicto Theodoro com-
B municaſſe, donec ſupereſſet, nec unquam corripuiſſe viventem, quando & ipſe in-
terpretari ſemetipſum poſſet, & certum facere ſi quid in illo dubium videretur? Re-
ligioſe itaque ſynodus ageret, ſi fidem Cyrilli approbans, in qua non diſſenſit à
patribus, ſuſpicionem ejus, quam de Theodoro contra tantorum patrum ſenten-
tias habuit, non probaret: ſicut etiam fidem Joannis Antiucheni, & ceterorum
orientalium, atque aliorum qui cum eis Epheſum ex diverſis provinciis convene-
rant ſacerdotum approbans, in qua non diſſenſerunt à patribus, ſuſpicionem eo-
rum quam de ipſo beato Cyrillo habuerant improbavit. præſertim quia ſi credi-
diſſe dicatur illa ſynodus Mopſveſtenum Theodorum à beato Cyrillo culpatum,
negari non poſſit, quòd etiam S. Diodorum ſimul ab eo reprehenſum eſſe credi-
derit. Nam ſicut quarto libro memoravimus, unus eſt quicumque credatur re-
prehenſor amborum, in eodem opere, & in eadem fidei cauſa utriſque pariter
C culpatis. & idcirco ſi nullæ fuiſſent pro Theodoro patrum ſententiæ, quas pro-
culdubio ſynodus impugnaret, ſi eum condemnare præſumeret, perſpicuum eſt
quod juſtè non poſſet abſque magiſtro ſuo Diodoro Theodorus diſcipulus ex Cy-
rilli auctoritate damnari. Diodurum verò damnare non poſſet à magnis Eccle-
ſiæ luminibus, ſicut oſtendimus, prædicatum, id eſt ab Athanaſio, Petro, & Ti-
motheo Alexandrinis Epiſcopis, à Baſilio Cæſareæ Cappadociæ, à Joanne Con-
ſtantinopolitano, ab Epiphanio Cyprio, ab Epiſcopis Ægyptiis confeſſoribus ſub
Valente Imperatore in exilium miſſis: habentem etiam magnum teſtimonium
Conſtantinopolitani adverſus Macedonium congregati Concilii, cui eum interfuiſſe
manifeſtum eſt; & religioſorum principum Gratiani, Valentiniani, & majoris
Theodoſii: Iuliani denique Imperatoris apoſtatæ, reprehendentis quòd Deum na-
tum de virgine fateretur, & quòd Jeſum Galilæum & Deum æternum prædica-
ret & mortuum. Proinde cùm ſancta ſynodus contra horum teſtimonia Diodo-
D rum condemnare nullatenus poſſet, quomodo Theodorum ejus diſcipulum, vel
ſi, ut dictum eſt, nullis fulciretur patrum teſtimoniis, condemnaret, quem ſine
magiſtro hæc eadem ſentiente juſtè condemnare non poſſet? Itaque nihil eſt, cur
ex his quæ dicitur beatus Cyrillus ſcripſiſſe contra Theodorum ſynodus repre-
hendatur, quòd Ibæ epiſtolam laudes ejus continentem pronuntiavit orthodo-
xam: quando ſi etiam contra Theodorum ſcribens Cyrillus nihil pro Theodoro
ſcriberet, laudanda eſſet ſana ratio libertaſque Concilii Calchedonenſis, quòd nun
in toto Cyrillum approbaret, cùm laudetur etiam Pauli minimi Apoſtolorum ſana
ratio atque libertas, quòd Petrum Apoſtolorum primum adductum in hypocri-
ſim & non recta via incedentem ad veritatem Evangelii fidenter improbans, in fa-
ciem illi reſtitit, eumque coram omnibus coràm objurgavit. Non ergo novum
videretur, nec religioni Chriſtianæ coutrarium, ut contra tantorum patrum ſen-
tentias Cyrillum ſancta & magna illa ſynodus non acciperet in cauſa Theodori, ſi-
E cut neque in cauſa Cunſtantinopolitani Ioannis accipiendum eſſe quis dicit.

CAPUT VII.

Quòd ſi ſuſpectus de hæreſi fuiſſet Theodorus, ejus temporis patres id minimè diſſimulaſſent. & quod illorum potius, quàm Cyrilli unius de Theodoro ſententiæ credendum ſit.

QUòd ſi nobis in defenſionem ipſius magnæ ſynodi etiam illorum patrum in ſcripto teſtimonia deeſſent, quibus commendatur fides atque doctrina Diodori, ſine quo Theodorum docuimus juſtè non poſſe damnari, numquid culpabilis judicari debet, quòd Eccleſiæ teſtimonium non contempſit, in cujus perpetua

pace excellenti honore Diodorus, Theodoruſque manſerunt? aut illius temporis Ec- A
cleſiam, cùm neque adhuc Eutyches, neque Neſtorius eſſet exortus, Eutychiani
audebunt de Neſturiano dogmate criminari? Non arbitror quòd hoc apertè pa-
làmque præſumant. Sicut ergo lex naturalis una & tota in hominis mente defixa,
Mat. 7.12. cujus meminit Dominus in Evangelio dicens, *Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis
homines, & vos facite eis. hæc eſt enim lex & prophetæ*, multo fortior invenitur, quàm
ea quæ foris habetur in literis. ab illa quippe interiore regula deſcenderunt, &
illius partes ſunt ſingula quæque nobis forinſecus in ſcripto data pro lege, nec omnia
collecta ſimul, vel etiam multiplicata, poſſunt menſuram illius interioris excede-
re. Ita fortiùs eſt unum illud generale teſtimonium Eccleſiæ, quæ neminem un-
quam expulit, aut judicavit hæreticum, niſi correptioni pertinaciter reſiſtentem;
quàm multa quæ ſemotè ac privatim certarum perſonarum pro Diodoro Theodo-
roque protulimus. partes enim ſunt & ipſa unius teſtimonii generalis Eccleſiæ, &
quantumlibet multiplicentur, ejus auctoritatem ac terminum non excedent. Sed B
quemadmodum, cùm illam naturam & interiorem legem, quæ tota ſimul eſt, ho-
mo deſereret in exteriora delapſus, opus erat intimorum contemptorem particula-
tim privata ſcriptorum teſtificatione convincere: non quòd partes toto, & membra
univerſo ſuo corpori præferamus; ſed quia convenientius hoc modo calumniatores
magnæ ſynodi judicavimus refellendos. ſic nec generali ſymbolo fidei Chriſtianæ,
qua initiamur, quicquam eſt fortius, quamvis ſcripto non tradatur: veruntamen
adverſus corruptores intelligentiæ & virtutis ejus utimur etiam privatis teſtimoniis
patrum quæ continentur in ſcripto, cùm & omnia illa uni generali ſymbolo ſer-
viant, nec præfixos terminos ejus excedant. Et ideo ſicut dictum eſt, vel ſi no-
bis deeſſent hęc teſtimonia patrum literis commendata, quæ in propugnationem
ſynodi Calchedonenſis pro Diodoro Theodoroque protulimus, nemo ſapiens dice-
ret, quòd aut religioſiorem ſe aut ſapientiorem eiſdem ſanctis patribus & multis aliis
credere debuiſſet, qui temporibus Diodori atque Theodori Eccleſiæ Dei lumina- C
rium vice fulſerunt, ut quos illi viventes non excluſerunt, quando magis poſſent
alios corrumpere ſi fuiſſent hæretici, pia ſynodus ac religioſa mortuos crederet ex-
cludendos: cùm ſi aliquid in eorum verbis quoſdam videretur offendere, alia po-
tius eos credere debuerit intentione dixiſſe, aut familiariter admonitos in ipſo tem-
pore correxiſſe; quàm ſemetipſum religione vel ſapientia tam multis venerandis pa-
tribus anteferre. Numquam enim, ſicut didicimus, tantos ac tales ſimul habuit
doctores Eccleſia, quantos & quales Diodori Theodorique temporibus. Ut enim
propter linguæ diverſitatem ſcientiſſimos viros Eccleſiæ occidentalis omittam, quam-
quam multi ex illis etiam in Gręco eruditi eſſent eloquio, ut Diodori atque Theo-
dori ſcripta legentes intentionem eorum cognoſcere potuiſſent: ut prætercam & il-
los Græciæ doctiſſimos, qui Epiſcopi non fuerunt, cum eis Athanaſius interea, Pe-
trus, Timotheus, ac Theophilus Alexandrini in verbi prędicatione degerunt. dein-
de Meletius & Flavianus Antiocheni. Nectarius quoque, & Joannes, & Atticus D
Conſtantinopolitani. Amphilochius etiam Iconienſis, Epiphanius Cyprius, Baſi-
lius Cæſarienſis Cappadociæ, & ejus frater Gregorius Nyſſenus, Gregorius Na-
zanzenus, Gelaſius Cæſarienſis Palæſtinæ, Theotimus Tomitianus Scythiæ. quo-
nemo Diodorum, nemo Theodorum aliq. rum * nemo Diodorum aliquando hæreticum judicaſſe monſtratur: quin potiùs una
cum eis ab hæreticis Apollinariſtis ſuſtinuerunt invidiam, tamquam duos præ-
dicarent filios, duas Chriſti perfectas adſerendo naturas. Quapropter vel ſi minus
attentè legere poſſent ſcripta Diodori atque Theodori, admoniti ſaltem hæretico-
rum calumniis attentiores proculdubio redderentur. Quid igitur opus erat, in
tantotum patrum contumeliam, ſacrilegum & impium ac pejorem dæmonibus pro-
nuntiare Theodorum, cùm ſi etiam in aliquibus probetur erraſſe, pejor dęmoni-
bus judicari non debuit in Eccleſiæ pace atque honore defunctus? De cujus laude
nec reverentiſſimi Photius & Euſtachius atque Uranius judices Ibam Epiſcopum re-
prehenderunt, apud quos ei ſua epiſtola priùs objecta eſt atque diſcuſſa. Sed nec E
ipſi ejus accuſatores, vel cùm Imperatorem adverſus eum adirent, vel cùm elicita
accuſatione judices memoratos adducerent, & in eorum examine multis & magnis
& inauditis eum criminationibus impetentes, ſæpe ac diu confligerent, aliquid ei
de laude Theodori opponere tentaverunt. quod proculdubio facerent, ſi ab Eccle-
ſia Chriſti Theodorus aliquando judicaretur hæreticus. Unde Eutychianis dicimus;
ut quia diſſentiunt à ſynodo, quæ memoratam epiſtolam, duas Chriſti naturas &
unam confitentem eſſe perſonam, pronuntiavit orthodoxam, refutatis ab ea ſaltem
accuſatoribus venerabilis Ibæ conſentiant, nec in ea quicquam ampliùs, quàm illi
calumnioſiſſimi, impudentiſſimi, atque obſtinatiſſimi criminentur. Quomodo verò

A Theodorum ſynodus prædicta condemnans, vel ſi ut dictum eſt, tam multorum patrum teſtimoniis in ſcripto manentibus minimè repugnaret, ac non ſuperiùs memoratos aut hæreticos diceret, quod intelligentes conſentiebant pravis, ut aiunt, dogmatibus Diodori Theodorique communibus, aut nimis indoctos, ſi hoc putaret; quòd illorum dogmata intelligere non valebant? Non enim de perſonis ignobilibus diſputamus, quarum dici poſſit latuiſſe doctrina, cùm de Theodoro ſcriptum ſit, quòd & XL. annis clarè in doctrina præfulſerit, & omnem hęreſem expugnaverit, & decem millia conſcripſerit libros adverſus errores, contra quos eum totus in commune Oriens proponebat, tanquam virtutem multum doctrinæ habentem: & quod in expoſitionibus, quas in omnibus Eccleſiis orientalibus, & in hac regia civitate faciebat, probatus fuerit in conſpectu ſacerdotum, & Imperatorum, & populorum. Quomodo ſi tales ſancta ſynodus abdicaret, non ſicut diximus omnes B venerabiles illius temporis patres aut hæreticos diceret, aut ignaros? Quid itaque horum dicere mallet, ignoro: quòd autem neceſſe eſt horum alterum dicere, non ignoro. Multo igitur magis nunc, quia non deſunt eorum teſtimonia pro Diodoro atque Theodoro, literis etiam commendata, ſi Theodorum id quod Diodorus ſentientem damnare præſumeret, aut hæreticos fuiſſe omnes hos patres, aut ignaros & inſcios dicere cogeretur. Sed numquid ita mundo Chriſtus iraſcitur, ut aures Chriſtianorum ferant, ſi dicatur quòd illa ſynodus Athanaſium, Baſilium, & utrumque Gregorium, & Joannem, hæreticos judicare debuerit, ut temerarii condemnatores Theodori orthodoxi judicentur? an quod eſt ſatius, indoctos eos judicare debuiſſe dicetur, ut iſtorum mirabilis peritia, quod maximè appetunt, efferatur? Sed ut hoc iterum vel ampliùs aliquid dicam, numquid ita mundo Chriſtus iraſcitur, ut aures non dicam Chriſtianorum, ſed quorumque hominum, ferant doctiores iſtos noſtros dici talibus doctoribus? An fortè putabitur, quòd C nec hæretici dicendi eſſent à ſynodo illi patres, quoniam non conſentiebant dogmatibus Diodori atque Theodori; nec indocti, quoniam ſciebant ea recta non eſſe: ſed tantummodo negligentes, quòd eos corrigere, aut ab Eccleſia pellere minus curaverint? At hoc ipſum quòd tacuerunt in tempore, cùm eis & ad intelligendum magna ſcientia, & ad reſpondendum ſermo non defuiſſet idoneus, pro conſenſu teneri merito poteſt. Igitur etiam ſic non aliud efficeretur, niſi ut illi ſancti patres hęretici affirmarentur à ſynodo. Quamvis itaque in tali cauſa negligens tolerabilior forſitan judicetur hęretico, proculdubio tamen indocto deterior. Venerabiles autem patres, quos indoctos illa ſynodus dicere non audebat, multo minus negligentes, quod eſt deterius, judicare præſumeret. Diligentes igitur judicavit, quos & ſciebat temporibus eorum exortos hæreticos expuliſſe. Ut enim omittamus eos, quorum nomina abolita ſunt cum hæreſibus ſuis, id eſt *i* Baſia- D nos, quos & anthropomorphitas dicimus, Semiarianos, Aërianos, *K* Antidicomaritas, *l* Maſſalianos, quos & Euchitas, *b* Euphomitas, Martyrianos, Sacianos, temporibus eorum & exorti & expulſi ſunt etiam Marriani, Photiani, Macedoniani qui & pneumatomachi, Aëtiani qui & Eunomiani, ſed & Apollinariſtæ. Et quomodo in his tantis æmulatores fidei comprobati, in ſolis Diodoro atque Theodoro negligentes à ſancta ſynodo crederentur? Igitur ut Diodorum ac Theodorum non expellerent, aut melius eorum dicta intellexerunt, ſicut ab aliis ſua volebant intelligi, quod nos facere nolumus, ſive non poſſumus; aut rationem à præſentibus cur ita locuti ſint exegerunt, aut invenerunt eos jam mutaſſe ſententiam,

Euphemitas.

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

i BASIANOS ANTHROPOMORPHITAS. E Anthropomorphitarum ſtultiſſimæ, ut Hieronymus epiſtola 61. vocat, hæreſis auctor fuit Audius, ſive ut eſt apud Theodoretum Audæus Αὐδαῖος, qui ἀνθρωπόμορφον εἶναι τὸν Θεόν, Deo humanam figuram attribuit. A dogmate igitur anthropomorphitæ appellati ſunt, à magiſtro Audiani. pro quo apud S. Auguſtinum hæreſi 50. ſcriptum eſt *Vadiani*, & pro Vadianis, ut apparet, hoc loco *Baſiani*.

K ANTIDICOMARITAS. Epiphanio ἀντιδικομαριανῖται. Hi Mariam poſt Chriſtum natum viro ſuo commixtam affirmabant. Contra quos Epiphanius idem prolixam epiſtolam ad Arabas ſcripſit, ubi orta hæreſis. contra eoſdem fertur etiam egiſſe Theodotus Epiſcopus Cyprius.

l MASSALIANOS, EUCHITAS. Vocis utriuſque eadem eſt notio, Nam Maſſaliani Syrorum lingua ſunt εὐχόμενοι. orabant enim pene aſſiduè. Quin & Maſſalianorum genus aliud, ſed ex gentilibus ortum commemorat Epiphanius, qui ſeſe Euphemitas, & Martyrianos, & Satanianos appellarent, & horum nominum cauſas explicat hæreſi LXXX. Saciani ergo vitioſè hoc loco poſiti videntur pro Satanianis. ac mox etiam pro *Marrianis & Photianis* reſtituendi Marcelliani & Photiani, quos ſimul etiam conjungit Epiphanius hæreſi 71. & 72. & Marcellianos itidem cum Photinianis copulat lex 65. Cod. Theod. De hæreticis.

aut quod extremum eſt admonitos mutare fecerunt. Nam aliter eos in Eccleſia A
catholica manere potuiſſe quis ſapiens catholicus credat? Cùm verò tanta quæ
dicta ſunt, ego indoctus & Latinæ linguæ, de cauſa apud Græcos habita, poſt cen-
tum annos pro meo captu & facultate, vel intelligere vel explicare potuerim,
quanta credendum eſt illam ſanctorum patrum congregationem in cauſa penes ſe
Matt. 18. 20. & receuti memoria cognoſcere potuiſſe, illo etiam revelante qui dixit, *Vbi ſunt
duo vel tres congregati in nomine meo, ibi in medio eorum ſum?* Nam fideliter invocatus
non ſolum à ſacerdotibus, ſed ab omni quoque populo ſuo, cujus fides & expecta-
tio ex illorum auctoritate dependet, dat omnibus congregatis unum cor & ani-
mam unam, ut nullus eorum ſuam velit eſſe ſententiam, niſi quæ fuerit veritatis.
Quoties ibi doctiores indoctioribus, & plures paucioribus, illo eorum medio ce-
dunt? quoties etiam per neſcientes ſcienter operatur ipſe qui poteſt omnia face-
re ſuprà quàm petimus, aut intelligimus. aut qui promiſit quòd nobiſcum ſit om-
nibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi? Utinam ſibi numquam ſecularis B
poteſtas, quod ei creditum non eſt, in his negotiis uſurparet, quæ numquam fe-
liciter uſurpavit. Ceterum congregatis in ſuo nomine ſacerdotibus ſuis Chriſtus
deeſſe non poteſt: quia cùm ſit omnipotens veritas, mentiri nullatenus poteſt.
ſicut nec illi ſynodo defuit, quæ in cauſa quidem fidei omnium communiter pa-
trum doctrinam ſecuta eſt: in Theodori vero, non unius Cyrilli, vel ſi credamus
quod dicitur, quia nec poſſet, cujus contraria ſibi eſſe videbatur vel incerta ſen-
tentia; ſed aliorum patrum ſecuta eſt, quos & auctoritate & numero & ratione
præferre debuerat. Quis enim Joannem Conſtantinopolitanum Cyrillo, quis plu-
res probatiſſimos viros uni, quis excuſationem certiſſimam & conſtantiſſimam in-
certæ & inconſtanti accuſationi non præferat? Nihil igitur vel hinc calumnientur
hæretici, vel catholici offendantur. Quæ fuerat Joannis ac Procli Conſtantino-
politanorum, Gregorii Nazanzeni, Joannis ac Domni Antiochenorum & orien- C
talis Concilii fides, nec non Eccleſiæ, à qua non eſt expulſus Theodorus, eadem
fuerat & Cyrilli. De Theodoro tantum, ſicut & de Diodoro, cui ſimul Atha-
naſius atque Conſtantinopolitana ſynodus atteſtatur, in ſolo Cyrillo dicitur in-
veniri diverſa ſententia; & quod eſt judicium certiſſimæ veritatis, in ipſa diſſen-
ſione conſenſus unius ejuſdemque fidei comprobatur. De quo enim Cyrillus
Theodorum culpaſſe dicitur, manifeſtiſſimè pravum defenſores Theodori non
denegabant; ſed hoc Theodorus non ſenſiſſe dicebatur. Inde igitur & ille puta-
bat exequendum eſſe Theodorum, quod velut eadem ſenſerit, quæ malè Neſto-
rius ſenſit. ac per hoc utrique, diverſa de Theodoro ſentientes, Neſtorii con-
demnationem ſine ulla diverſitate firmabant. Quid ergo Neſtorianos adjuvet, qui
Theodori dictis, ſicut & aliorum qui in Eccleſia claruerunt, malè uti dicuntur, ſi
qua de illo fuit diverſa patrum ſententia: cum & ideo fuerit accuſatus, quia ſimi-
lia putabatur ſapuiſſe Neſtorio, & aliter non potuerit excuſari, niſi probaretur D
alienus ab errore Neſtorii? Hoc quoque meminiſſe iidem Neſtoriani debent, quo-
niam in eis literis orientalium patrum B. Proclo reſcribentium Theodorus excuſa-
tur, in quibus firmatur, ſicut oſtendimus, unum de Trinitate pro nobis crucifixum;
„ & in quibus dicitur: Quod autem omne orientale Concilium Neſtorii novitates
„ abdicavit, novit & tua ſanctitas, quæ noſtras ſuper hoc literas ſecundo jam ter-
„ tioque ſuſcepit. Sed nec Eutychiani vel Semieutychiani diſſimulent, quod interim ni-
hil adverſus Theodorum ex nomine B. Cyrilli, quem ſequi ſe dicunt, proferre po-
tuerint, in quo culpetur in duabus Chriſtum prædicaſſe naturis. Sive enim verè,
ſive falſe perhibeatur Theodorus ab eo culpatus, quod duos crediderit filios, hacte-
nus fictum non eſt hoc eum reprehendiſſe in dictis Theodori, quoniam duas præ-
dicavit Chriſti eſſe naturas, quod eum Eutychiani prædicaſſe non negant, quem
etiam duas mentiuntur putaſſe perſonas. Cur igitur eum B. Cyrillus non ſimul E
de duarum quoque naturarum prædicatione culpavit, ſi hereſi Neſtorianæ depu-
tandum eſt duas Chriſti credere ac docere naturas? Quin potius hinc ſapientiſſimus
Joannes & Orientale Concilium, ſcribentes eidem B. Cyrillo, Theodorum pur-
gant, quòd adverſus hæreticos naturarum proprietates amplius dividens, puta-
retur etiam duas Chriſti aſſeruiſſe perſonas. Quomodo igitur vel orientales patres
ex eo magis excuſandum Theodorum à Neſtoriano crimine judicarent, quòd natu-
rarum proprietates amplius divideret, ſi Neſtoriani eſt criminis duas Chriſti natu-
ras aſſerere? vel quomodo ipſe quoque B. Cyrillus non eoſdem orientales hæreticos
& nimium ſtultos, qui Theodorum incertum crimen ſuſtinentem certo crimine de-
fendere nitebantur. Præſertim quoniam & ipſum B. Cyrillum affirmabant non
aliter docuiſſe, dicentes ei ſicut ſuprà memoravimus, Sunt enim etiam quæ & tua

ſancti-

A ſanctitas ita confitetur, & eumdem de illis habet intellectum. Qua de re ſi hæreſi
Neſtorianæ debet adſcribi duas Chriſti prædicare naturas, beatus Cyrillus, qui
nihil contra retulit, magnum in ſe crimen ſua taciturnitate firmavit: à quo
purgari non poterit, niſi catholicum judicetur duas Chriſti naturas adſerere. In-
telligis igitur, Imperator, quod ſi qua patrum diſceptatio de Theodoro fuiſſe di-
catur, Neſtorianos pariter & Entychianos confundat. Sancta verò ſynodus unam
& communem accuſantis, ſi tamen verè dicitur, ac defendentium Diodurum fi-
dem tenens, illos ſequendos in perſona Theodori judicavit, quorum & major
fuit auctoritas, & qui cum illo degentes, diuturna familiaritate bene cognove-
rant, qua intentione ſcripſerit in quibus putabatur ab ignorantibus arguendus.
Hoc juſtitiæ congruebat, hoc etiam pietati; quæ quantum ratio patitur debet
excuſationi magis quàm accuſationi favere perſonæ. Hoc etiam conveniens fuit
aſſertioni veræ fidei, quam contra Neſtorium & Eurychem ſynodus illa ſuſce-
B perat, ne aut diceretur Neſtorius ſimilia ſapuiſſe Theodoro à tantis patribus
prædicato, aut per hoc ejus errori daretur auctoritas, aut Apollinariſtarum pro-
genitorum Eutychianæ dementiæ vel ipſius Eutychis in Theodoro videretur ſe-
cuta judicium, ut de ipſa quoque ſecundum ſententiam beati Cyrilli meritò di-
ceretur, quòd propterea ſe circa Theodorum, virum admirabilem, & maximam
gloriam merentem, infensè haberet, ut occaſionem faceret contrario dogmati,
quo tenebatur, quærens capitula quædam ejus non ex melioribus intellecta
damnari. Quibus ita conſtitutis atque firmatis, quod nuper à quibuſdam
condemnatus eſt, cohibentiæ quam præbent Eutychianis, & abominandæ præ-
ſumptioni debet adſcribi. & ideo ſicut hos temerarios contra ſanctorum patrum
Eccleſiæque teſtimonium nullatenus adprobare quiſquam ſapiens poteſt, ita magnam
ſynodum Calchedonenſem, cum iiſdem patribus & Eccleſia, in qua Theodorus
manſit, non poteſt improbare.

FINIS LIBRI OCTAVI.

FACUNDI EPISCOPI HERMIANENSIS,

PRO DEFENSIONE TRIUM CAPITULORUM,

LIBER IX.

CPUT PRIMUM.

Quod ex ſcriptis Theodori probetur ipſum fuiſſe catholicum. & ex unius Pſalmi 44. expoſitione refellantur omnia, quæ contra ejus doctrinam objecta ſunt.

PROMISSIONIS memores, competenti loco jam proponamus de Theodori ſcriptis non pauca, ſicut tertio libro ex occaſione convincendæ falſitatis adverſariorum fecimus, ſed multo plura, quibus abunde monſtretur, quantum ab iis quæ in præjudicium magnæ ſynodi Calchedonenſis de illo confiĉta ſunt, fuerit alienus : ut jam non patrum teſtimonio, ſed ipſis rebus oſtendatur, quod conturbatores Eccleſiæ, qui epiſtolam venerabilis Ibæ de laudibus ejus Theodori culpant, non quaſi latentem invenire non potuerint, ſed manifeſtam videre diſſimulaverint veritatem. Igitùr tria ſunt, in quibus ejus dicta calumniantur, ſicut jam diximus. Unum eſt, quòd eum criminantur unicam, juxta Sabellii dementiam, divinæ Trinitatis crediditſe perſonam. Alterum, quod ſemetipſos deſtruentes è contrario rurſus affirmant quod quaternitatem introduxerit, *a* duos filios prædicando, id eſt aliam Dei verbi, & aliam Chriſti aſſerendo perſonam, qui homo tantùm fuerit, non etiam Deus, ſicut putavere Judæi. Tertium verò eſt, quod eum dicunt evacuaſſe omnes in Chriſtum factas prophetias, quod Manichæorum erroris eſt, quos novimus Judaicæ infidelitati malè contrarios. Nam illi novum deteſtantes vetus ſe dicunt accipere, iſti vetus deteſtantes novum ſe dicunt accipere teſtamentum. Quæ quidem, ut oſtenſum eſt, ſic abſurda ſunt, ſibique contraria, ut nullus ea refellere vel attendere dignaretur. Deſpicienda enim magis hęc erant & ſilentio contemnenda, niſi A B

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

a DUOS FILIOS PRÆDICANDO. Hoc præcipuum fuit caput Theodorianæ accuſationis. quod his verbis deſignat, & anathemate damnat Juſtinianus in Edicto. *Εἴ τις ἀντιποιεῖται Θεοδώρου τοῦ Μοψουεστίας, τοῦ εἰπόντος ἄλλον εἶναι τὸν Θεὸν λόγον, καὶ ἄλλον τὸν Χριστόν, ἀνάθεμα ἔστω.* Theodorus ſanè presbyter Raithenſis, Mopſveſtenum docet in hac hæreſi fuiſſe, ut Chriſtum diceret hominem unum de multis, qui inhabitante in eo *κατ' εὐδοκίαν* Dei verbo *θείας ἀξίας* particeps factus ſit. Duas proinde in eo naturas fuiſſe diſcretas, atque habitudine ſola inter ſe conjunctas. *Δύο φύσεις*, inquit, *ἰδιοπεριορίστους φησὶν αὐτὰς ἐν Χριστῷ. φησὶ τινὰ καὶ μόνον ἀλλήλαις συνῆφθαι.* Quod erat duas in Chriſto naturas verbo, re duas perſonas profiteri. Et quia hoc ipſum poſtea fuit dogma Neſtorii, ideo Theodorum vocat *πρόγονον Νεστορίου*. Hæc porro, atque alia his affinia placita fuiſſe Theodori, confirmat Synodus v. Actione iv. tum ex variis librorum ipſius locis, tum ex Cyrilli, aliorumque teſtimonio. At Facundus Theodorum ſic defendit, ut rectam contrà fidem in multis ejus libris oſtendere ſtudeat, & ſi quid ſecus interdum excidit, benignius interpretandum contendat. C

A tantorum Epiſcoporum coacta ſubſcriptio magis talibus nos reſpondere compelleret. Nam quid hinc metueremus? an fortè credendum eſt, quòd his ridiculis, mutuò ſe deſtruentibus nemine refellente, quiſquam vel parum cordatus præberet aſſenſum? Quomodo autem poſſet evidentiùs omnibus apparere, quales ſint reprehenſores ſynodi Calchedonenſis, qui ſe Joanni Conſtantinopolitano, Gregorio Nazianzeno, Joanni & Domno Antiochenis, atque orientali Concilio, nec non & Proclo item Conſtantinopolitano, & Cyrillo Alexandrino religione atque ſcientia præferunt, niſi probarentur & nimis irreligioſè amare mendacium, & neque hoc ſaltem ſcire quomodo mentiantur? Accipe verò jam, sereniſſime Imperator, quid idem Theodorus de quadrageſimo & quarto Pſalmo diſputans dicat: Quid itaque invenietur majus his quæ à Chriſto facta ſunt in tanta mundi commutatione omnibus agnoſcentibus, Deum univerſorum & pietatis atque virtutis diligentiam habere feſtinantium,
B & glorificantium quidem Dei unigenitum, exhibentium verò ſancto ſpiritui condignam adorationem. pro quibus B. David ait: *Eructavit cor meum verbum bonum?* [Pſal. 44. 2] Cernit hîc tua pietas omnes ſimul hæreticorum calumnias eſſe deſtructas. Nam quis unam patris & filii & ſpiritus ſancti credens eſſe perſonam, diceret quòd pietatis atque virtutis diligentiam feſtinantes habere ſic glorificent unigenitum Dei, ut ſimul etiam condignam adorationem exhibeant ſpiritui ſancto? Si enim ipſum eſſe crederet Dei unigenitum, quem ſpiritum ſanctum, ſuffecerat dixiſſe glorificantium quidem Dei unigenitum, nec erat opus dicere, exibentium verò ſancto ſpiritui condignam adorationem. Quocirca tres Theodorus credidit & docuit eſſe perſonas, alium dicens patrem, cujus ſit filius quem vocavit unigenitum, & alium ſpiritum ſanctum, cui condignam, id eſt talem qualem etiam filio, adorationem exhibeant qui pietatis atque virtutis diligentiam habere feſtinant. Sed neque Chri-
C ſtum hominem tantummodo prædicavit, cujus operibus nihil majus eſſe perhibet, confitens eum Deum univerſorum, à quo tanta mundi commutatio facta ſit. Quod autem nec evacuet omnes in Chriſtum factas prophetias, palam eſt, quia rurſus in ejuſdem pſalmi expoſitione dicit: Quoniam quidem prius ait regna, poſtea autem memoratus eſt inimicorum perditionem, & reliquorum ſubjectionem, ne aliquis exiſtimet nuper ei acceſſiſſe regnum, vel certè poſſe eum denuo privari eadem poteſtate, poſt hæc infert: *Sedes tua Deus in ſeculum ſeculi*; [Pſal. 44. 7] hoc eſt conſequenter quidem interimentur inimici, reliqui verò omnes ſubjicientur. Quoniam quidem non ſubintromiſſum habes regnum, ſed ex ſempiterno omnium regnas, & in æternum regnas, & regnum tuum manet in æternum. Hæc Judæi ut fabulas inanes intelligunt, exiſtimantes de homine rege dicta. Cui enim hominum tantum hoc inſigne virtutum, aut talium magnitudo dictorum? cui verò conveniet, *& deducet te mirabiliter dextera tua?* [Pſal. 44. 5] divina ſcriptura de omnibus juſtis ſemper ita loquente, quia ex divino adjutorio virtutem poſſideant. Manifeſtum autem hîc & illud eſt, quia non de aliquo impio loquatur in pro-
D pria virtute fidente. Ad quem itaque hominum loquens infert, *Sedes tua Deus in ſeculum ſeculi?* Si autem de rege Deo dicit, manifeſtum quoniam & de regina non muliere, ſed Eccleſia, quam Chriſtus ſibi per fidem deſponſavit, per affectum animæ ſcilicet ſibi jungendam. Etenim moris eſt ſcripturæ divinæ, eos qui per ſcientiam adjunguntur Deo, conjugem ejus vocare, ad oſtendendam eorum cum Deo pleniſſimam copulationem & unitatem. Et paulò pòſt, Sicut & Joannes Baptiſta dicit, *Qui habet ſponſam ſponſus eſt.* [Joan. 3. 29] Quoniam igitur ſemper Dei conjunx dicitur congregatio hominum, qui ei per ſcientiam copulantur, regem autem Chriſtum convenienter appellavit: neceſſariò ergo eſt regina, quæ regis uxor eſt, non alia promotione circa illam procedente, quàm ea, quam de viri dignitate communicat. Conſequenter ergo reginam vocat Eccleſiam, oſtendens quantum ſortita ſit ex * Chriſti admiratione dignitatem, quæ ei acceſſit ex fide: [* Chriſti adunatione.] Quoniam autem de Deo & patre hæc dici non poſſunt, quæ ſequuntur adſtruunt manifeſtè. * Quod etiam in præſenti capi-
E tulo nempe videntur hæretici manifeſtè nequicquam de Theodori perſona reprehendere Calchedonenſe concilium. [* Quid etiam *&c.* concilium.] Nam omnes eorum calumnias æque in illo videmus excluſas. Non enim eumdem credidit patrem quem filium, qui ait quoniam hoc quod de filio dictum eſt, de Deo & patre dici non poſſit. Neque Deum verbum alterius credidit eſſe perſonæ, & alterius Chriſtum, cui dictum à propheta confitetur: *ſedes tua Deus in ſeculum ſeculi*; [Pſal. 44. 7.] & quem negat ſubintermiſſum regnum habere, & docet ex ſempiterno regnare. Non ergo Theodorus Judaicæ impietatis arguendus eſt, tanquam hominem tantummodo putaverit Chriſtum, cùm potiùs Judæos irrideat dicens, Hæc Judæi ut fabulas inanes intelligunt, exiſtimantes de homine rege dicta: & quid ipſe credat inſinuans dicit, quod nulli hominum conveniat tantum hoc inſigne virtutum, & talium magnitudo dictorum, quibus dicitur Chriſto, *Deduxit te mirabiliter dextera tua.* [Pſal. 44. 5.] quandoquidem divina ſcriptura omnes homines juſtus

ex divino adjutorio dicat poſſidere virtutem : Chriſtum verò, tanquam Deum, ad- A
ſeverat divino adjutorio non egere. Itemque inferius ait, Si autem de rege Deo di-
cit, manifeſtum quoniam & de regina non muliere, ſed Eccleſia, quam ſibi Chri-
ſtus per fidem deſponſavit, per affectum animæ ſcilicet ſibi jungendam. Utque
monſtraret iterum quod Chriſtum Deum crederet, Etenim, inquit, moris eſt ſcriptu-
ræ divinæ eos qui per ſcientiam adjunguntur Deo, conjugem ejus vocare, ad oſten-
dendam eorum cum Deo pleniſſimam copulationem : Deum pronuntians, quem ſu-
perius Chriſtum dixit. Ideo ait & inferius, quod ſemper Dei conjunx dicatur con-
gregatio hominum, qui ei in ſcientia copulantur. Quia verò non evacuat omnes
in Chriſtum factas prophetias, ex eo manifeſtum eſt, quod hanc ipſam prophetiam
in Chriſtum eſſe dictam & in conjugem ejus confitetur. Denuo quoque ſequentia
Pſal. 44. 8. » ejuſdem pſalmi interpretans dicit : *Propterea unxit te Deus Deus tuus.* De Deo vero
» hæc denuo dici manifeſtum eſt. Sed quia hæc Deo patri non conveniant, *propterea un-*
» *xit te Deus Deus tuus*, claret de reliquo quod hæc de Chriſto dicantur. In quo mirabi- B
» liter & naturas diviſit, & perſonæ unitatem demonſtravit. & naturas quidem diviſit in
» eo, quod diverſarum intelligentiarum declarativas voces emiſit. Multum enim differt
Pſal. 44. 7. » ab invicem, *Sedes tua Deus in ſæculum ſæculi.* &, *Propterea unxit te Deus Deus tuus.* Uni-
» tatem verò oſtendit perſonæ ea quæ diverſa ſunt colligens in unitatem perſonæ. Hic
autem non jam neceſſe eſt immorari, & oſtendere quia ſimiliter omnium calumnia-
rum à ſe removit invidiam. Unum eſt quod aliqua egere interpretatione pro iſtorum
calumniis forſitan videretur, quia dixit, & naturas diviſit, & perſonæ unitatem de-
monſtravit, niſi ipſe interpretans ſemetipſum doceret quatenus dixerit eſſe diviſas,
» cùm ſubſecutus adjecit, Et naturas quidem diviſit, in eo, quod diverſarum intelli-
» gentiarum declarativas voces emiſit. Multum enim differt ab invicem, *Sedes tua Deus*
» *in ſæculum ſæculi.* &, *Propterea unxit te Deus Deus tuus.* Eatenus igitur aſſeruit eſſe divi-
ſas, quatenus intelligentia Dei vivi dividuntur. Et claret, quod ab invicem differant,
non quod duas perſonas efficiant, ſicut etiam paulò inferius oſtendimus etiam in ho- C
mine uno dixiſſe animam à ſuo corpore naturaliter eſſe diviſam. Unde ſimul hæc quo-
» que ſubjunxit, & ait, Unitatem verò oſtendit perſonæ ea quæ diverſa ſunt colligens
» unitatem perſonæ. Cognoſcis ergo, Imperator, quoniam veraciter ſapientiſſimus
Joannes cum orientali Concilio, ad beatum Cyrillum de beato Diodoro ſcribens di-
» xerit : Proponebat enim eum totus in commune oriens, ſicut virtutem multam doctri-
» næ habentem adverſus hæreſes, contra quas pugnans & dimicans, multa quadam
» diviſione uſus eſt, non ex pravo intellectu veniens, ſed efficacius adverſus hæ-
» reticos illo modo uti ſe judicans. Neque unitatem ſummam ignorans vel ne-
» gans, abſit. pleni enim hujuſmodi ſunt omnes ejus libri. ſed naturarum proprie-
» tatem amplius dividens, ſicut ei pugna, quam adverſus hæreticos habuit, facien-
» dum dictabat. Quis enim ex his quæ memoravimus non cognoſcat, quod om-
nes libri Theodori hujuſmodi ſententiis pleni ſint, cùm ex uno ſcriptorum ejus lo-
co, hoc eſt ex prima parte interpretationis XL. & IV. pſalmi omnia ſimul tria, quæ D
improbè de illo jactata ſunt, falſa eſſe tertio probavimus ? Sic ergo ſapiens lector
intelligat quanta poſſint in omnibus ejus libris ſimilia binatim ac ſingillatim po-
ſita reperiri.

CAPUT II.

Quod Theodorus verè Chriſtum non hominem tantum, ſed etiam Deum naturâ eſſe faſſus ſit.

VErum nobis videtur, quod ea plus ex dictis ejus proferre debeamus, in qui-
bus fatetur Chriſtum non hominem tantùm, ſed etiam ſecundum naturam
extantem verum &c. Deum & eſſentialiter * extantem, verum filium Dei, omniumque factorem, quod
eum negaſſe maximè criminantur. Nam diſputans de eo quod ſcriptum eſt in Evan-
Matt. 16. 13. gelio ſecundum Matthæum : *Veniens autem Ieſus in partes Cæſareæ Philippi, inter-* E
rogabat diſcipulos ſuos dicens : Quem me dicunt homines eſſe filium hominis ? ita locutus
„ eſt : Dominus enim Chriſtus erat quidem & Deus & homo, utrumque ſecun-
„ dum naturam ſimiliter ; ex altero quidem apparens, ex altero verò, ut pote ſe-
„ cundum naturam divinam, inviſibilis extans. Erat autem unum quidem omni-
„ bus manifeſtum, ut pote quod apparebat. hominem enim eum omnes tunc tempus
„ æſtimabant eſſe, & amplius nihil. Quod enim in illo latebat, omnibus erat in-
„ credibile priore tempore. ſed ex magnitudine rerum quæ circa illum agebantur, &
intellectus eſt poſtea. „ novitate miraculorum, quæcumque ad doctrinam videntium efficiebat, & ex gratia
„ ſancti ſpiritus, qui ſuper Apoſtolos venit, * intellectus eſt. Poſtea & creditus verus
„ Deus eſſentialiter extans filius verus Dei æterni. Quoniam verò in priore tempore

A ignorabatur hoc ſecundum eſſentiam extare, ex eo autem quòd apparebat videotibus homo purus putabatur, ſecuodum hominem pleraque, & ſecundum eam quæ apparebat naturam loquebatur. Et hæc ex his quæ in Evangelio ſcripta ſunt quivis ioveoiet animadvertens attentiùs. Putaſne jam, clemeotiſſime Imperator, ſubreptum ſibi cognoſcunt, qui doloſis calumniatoribus Calchedoneoſis ſynodi crediderunt, ut ad ejus deſtructionem Theodorum, velut Neſtoriani erroris auctorem, putarent eſſe damnaodum? Quid eoim examinatius vel quid ſubtilius contra Neſtorianos inveoiri à catholicis poteſt, quàm ut dicatur Chriſtus quòd Deus erat & homo, & utrumque ſecundum naturam ſimiliter, non quaſi homo tantum ſecundum naturam, Deus verò Dei ſimilis, id eſt ſecuodum relationem dignitatis, vel auctoritatem perſonæ, vel gratiæ nuncupatiooem, quod ſolùm dicere iidem Neſtoriani ſolent: ſed utrumque ſecundum naturam & ſimiliter eſt unus
B Chriſtus in utroque; ex altero quidem apparens, ex altero verò, utpote ſecundum divioam naturam, inviſibilis extans. Eumdem ergo, qui utrumque eſt, & viſibilem & inviſibilem Theodorus cooſitetur. hoc quoque adjiciens: Erat autem unum omnibus manifeſtùm, ut pote quod apparebat. homioem eoim eum omnes tunc temporis æſtimabaot eſſe, & amplius nihil. Quod enim in illo latebat, omnibus erat iocredibile priore tempore. Quomodo itaque dicitur iſte quòd hominem tantummodo putaverit Chriſtum, & amplius nihil, cùm ipſe hoc ignorantiæ deputet, quòd hoc illius temporis homines æſtimarent, & eis eſſet incredibile quod in eo latebat? qui etiam ex magnitudine miraculorum, & ex gratia ſancti Spiritus ſuper Apoſtolos deſcendentis, intellectum eum eſſe poſtea & creditum verum Deum eſſentialiter extantem filium verum Dei æteroi fatetur. Quid ergo dicimus? numquid videtur intelligentibus credibile, ut quod intellectum poſtea & creditum eſſe docuit, ipſe nec intellexerit, nec crediderit? nec amplius hoc ipſum quaſi contra calumniatores,
C quos patitur, repetens & inculcans: Quoniam verò, ioquit, io priore tempore igoorabatur hoc ſecundum eſſentiam extare, ex eo autem quod apparebat videntibus, homo purus putabatur: ſecuodum hominem pleraque, & ſecundum eam qua apparebat naturam loquebatur? Ignorantiæ fuiſſe iterum dicens, quòd non intelligebatur Chriſtus ſecundum eſſentiam Deus, ſed humo tantummodo purus, qui ooo etiam eſſet Deus, & hoc ipſe fiogitur ignoraſſe? Qui poſt aliquanta ſic iterum dicit, Proximus etiam paſſioni ad diſcipulos Dominus dixit, *Si me ſciretis, utique & patrem meum ſciretis*; & ad Philippum, *Tanto tempore vobiſcum ſum, & non cognoviſtis me, Philippe qui videt me, videt & patrem meum.* oſtendeos quoniam neque divinam naturam ſciebant unigeniti, neque Deum ſciebant verum patrem. Unde neque diceotem de proprio patre veluti de Deo dicentem aliquatenus advertebant: ſed diviſa iotelligentia eadem ipſa putabant etiam illa. Hinc etiam adductus eſt Phi- Ioan. 8. 19. Ioan. 14. 9.
D lippus ad dicendum, *Oſtende nobis patrem, & ſufficit nobis.* Si eoim ſciret iotegrè, quia patrem ſuum dicebat eum, qui revera ejus eſſet pater, ex quo erat verè ſicut Deus ex Deo, nuoquam dixiſſet oſtende nobis patrem tuum, beoe ſciens quia inviſibilis eſt hominibus divina natura. Conſequenter itaque & Domious dixit ad illum, *Tanto tempore vobiſcum ſum Philippe, & non cognoviſtis me Philippe.* Velle enim patrem videre, indicium erat eo quòd oeque ipſum ſciret quis eſſet ſecundum naturam, neque quem diceret patrem eſſe, filius ex eo extans. Et aperiens hoc ipſum addidit, *Qui videt me, videt & patrem.* Si enim cognoveris, inquit, quis ſim, cognoſces & illum, ſecundum quod poſſibile eſt, per me cootemplans patris naturam, cujus ſum filius ex ipſo extans ſecuodum eſſentiam, & ejuſdem cum illo extans eſſentiæ. Quoniam verò neſcis me, neque patrem meum ſcis quem dico: cognoſcens autem me cognoſces & patrem quem dixi. me videns contemplatione Intelligentiæ, per me videbis omnino etiam illum. Addidit etiam: *Vſque nunc nihil petiſtis in nomine meo.* Et aperiens quo- Ibid. Ioan. 16. 24.
E oiam necdum divinam naturam ejus intelligentes, neque orationes ei offerebant ut Deo, neque peritiones aliquas in ejus nomine faciebant, ſicut oportebat facere in nomine Dei extantis & filii Dei omnium. & quia propter hanc eorum infirmitatem in ſimilitudinibus de patre loquebatur, eo quòd neque illi potuerunt integre ſcire ea quæ dicereorur, vel de quo diceret patre, vel qualiter extante, adhuc apertius indicatur. Dixit eoim, *Hoc in parabolis locutus ſum vobis. ſed veniet hora, quando non jam in parabolis loquar vobis, ſed manifeſtè de patre annuntiem vobis.* Quid autem erat quod de patre non manifeſtè dixerat, niſi quia revera divinam naturam unigeniti neſciebant, ex quo poſſent diſcere Deum patrem, qui ex certo ejus eſſet pater, ut Deus Dei ex eo nati ſecundum eſſentiam. Cujus rei gratia per ſimilitudines eis de patre loquebatur. nuoc quidem nomine tantùm apud eos utens, ejus autem veram intelligentiam in poſterum illis reſervans edicere, quando eos gratia ſpiritus ſancti, quæ ſuper eos venit, inſtituens perceptibiles tantæ doctrinæ perficeret. Propter hoc etiam Ioan. 16. 25.

ipſe Dominus in eodem ipſo ſermone proximus paſſioni, ut infirmitatem eorum A
Ioan. 16. 12. oſtenderet, unde poſſent doctrinam perfectiorem adſumere, dicebat, *Multa habeo vobis dicere.* Cujus ergo rei gratia modò non dicis? quia non poteſtis modò portare. non invidens, ſed quia non ſufficitis ad majorem rerum perceptionem, infirmius adhuc affecti, quàm ut horum dogmatum integritatem poſſitis edoceri. Quando ergo
Ioan. 16. 13. poterunt, vel unde? *Quando venerit ille ſpiritus veritatis, inducet vos in omnem veritatem.* Superveniet enim ſuper vos ſpiritus ſancti gratia, ex qua cunctam dogmatum ſubtilitatem cognoſcitis. Proinde ſi divinitatem unigeniti docerentur, & patrem Deum utique docerentur, utpote Dei filii patrem; & quid perfectius ad dogmatum ſcientiam eis remaneret? Sed his commemoratis non tantùm pro ſuſceptæ cauſæ merito, quàm longè diſtemus ab accuſatoribus Theodori, quin potius Calchedonenſis Concilii, debetis attendere: verùm etiam quàm ſimpliciter nos ac fideliter rem geramus. Hæretici enim, velut fures & canes, *b* non integras ſicut habentur ipſius Theodori ſententias ſincerè depromunt atque ſimpliciter. ſed quemadmodum de B ipſis quoque ſcripturis canonicis facere ſolent, pauca ex ejus dictis obſcura verba ſubripiunt, & hæc ipſa maledico dente concidunt. Nos autem, ſicut videtis, magis eligimus faſtidium de longitudine, quàm de brevitate atque obſcuritate ſuſpicionem fraudis incutere. Non eſt quare in his quæ nos proferimus lector quærat, vel quid ſuperius à Theodoro fuerit dictum, vel inferius ſubſequatur, vel qua ratione fuerit ſic locutus, totam ſi cauſam ante oculos judicantium inſpiciendam conſtituimus: non ex multis atque apertis pauca, quemadmodum illi, & obſcura verbis non ex integris & perfectis particulas demordemus. Sicut autem poteſt ex his quæ memorata ſunt unuſquiſque cognoſcere, non hominem purum, id eſt, qui non ſit etiam Deus, ſed unigenitum Dei filium conſubſtantialem patri, pro nobis
Ioan 8, 19. aſſerit paſſum. quem dicit proximum paſſioni ſuæ dixiſſe diſcipulis: *Si me ſciretis, uti-*
Ioan. 14. *que & patrem meum ſciretis.* & ad Philippum. *Tanto tempore vobiſcum ſum, & non cognoviſtis me? Philippe qui videt me, videt & patrem.* oſtendentem quoniam neque C divinam naturam ſciebat unigeniti. quod Theodorus non diceret, niſi crederet unigenitum divinæ naturæ pro nobis paſſum. Verùm nec illud ibi poneret, quod ait, Hinc etiam adductus eſt Philippus ad dicendum, *Oſtende nobis patrem, & ſufficit nobis.*
» Si enim integrè ſciret, quia patrem ſuum dicebat eum, qui revera ejus eſſet pater,
» ex quo erat verè ſicut Deus ex Deo, numquam dixiſſet, *Oſtende nobis patrem tuum,*
» bene ſciens, quia inviſibilis eſt hominibus divina natura.

CAPUT III.

Quod Theodorus in duabus Chriſti naturis unicam ejus perſonam agnoverit, alienuſque fuerit ab errore tum Judæorum, tum Manichæorum.

ERGONE iſte, qui verè Deum ex Deo, & inviſibilis ac divinæ naturæ filium pro nobis aſſerit paſſum, duos filios volebat intelligi, tanquam alterius ſubſiſtentiæ ſit qui pro nobis paſſus eſt, & alterius unigenitus, qui verè D ſicut Deus ex Deo inviſibilis divinæque naturæ ſit? aut poſſet de eo quem purum
» crederet hominem dicere, Si enim cognoveris, inquit, quis ſum, cogno-
» ſces & illum ſecundum quod poſſibile eſt, per me contemplans patris naturam,
» cujus ſim filius, ex ipſo extans ſecundum eſſentiam, & ejuſdem cum illo
» extans eſſentiæ. Et ut non alium, ſed ipſum patri conſubſtantialem pro nobis paſ-
» ſionem ſuſcepiſſe monſtraret, hoc ipſum repetens iterum dicit: Propter hoc etiam ip-
» ſe Dominus in eodem ipſo ſermone proximus paſſioni, ut & infirmitatem eorum o-
» ſtenderet, unde poſſent doctrinam perfectiorem adſumere, dicebat, *Multa habeo vobis dicere.* Ipſe ergo Dominus, qui conſubſtantialis eſt patri, & non alius, à Theodoro pro nobis dicitur paſſus. Verùm neque ipſe ab eo pronuntiatur pater eſſe qui
» filius. alioquin loquens de Philippo non diceret, Velle enim patrem videre, indicium E
» erat eo quod neque ipſum ſciret, id eſt Chriſtum. vel quod ibi ſubſecutus ait ex per-
» ſona Domini, Si enim cognoveris, inquit, quis ſim, cognoſces & illum ſecundum quod poſſibile eſt, per me contemplans patris naturam. & quæque ſimilia ibi continentur, quæ de patre ac filio, quorum una natura eſt, non niſi pro diſcretione

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

b NON INTEGRAS SENTENTIAS. Sic Dionyſius Alexandrinus, teſte Athanaſio, querebatur non integras, ſed conciſas ab adverſariis ſententias ſuas proferri. Ἔπειτα αἰτιᾶται τοὺς συκοφάντας αὐτοῦ, ὡς μὴ ὁλοκλήρως λέγοντας, ἀλλὰ περικόπτοντας αὐτοῦ τὰς λέξεις. Et de Apolinario Apoſtoli verba truncante Gregorius Nazianzenus oratione 46. ad Nectarium. λέγει γὰρ πάλιν ἀποστολικήν τινα ῥῆσιν τοῦ ὅλου σώματος τῆς συμφράσεως ἀποτεμών.

A perſonarum dicta ducunt intelligi. In fine verò ipſius ſententiæ omnes tres perſonas patris & filii & ſpiritus ſancti ſimul inſinuat, cùm ex perſona Domini dicit, Quando venerit ille ſpiritus veritatis, inducet vos in omnem veritatem. Superveniet enim ſuper vos ſpiritus ſancti gratia, ex qua cunctam dogmatum ſubtilitatem cognoſcetis. Proinde ſi divinitatem unigeniti docerentur, & patrem Deum utique docerentur. Quid igitur hæreticorum complices in præjudicium ſanctæ ſynodi tantam rerum evidentiam obſcurare conati ſunt, quaſi omnibus ſic poſſent oculos claudere, ſicut ſibi clauſerũt? Nam ſecundum Joannem Evangelium interpretans dicit: *In mundo erat, & mundus per eum factus eſt, & mundus eum non cognovit*, dicens venientem in hunc mundum de domino Chriſto bene intulit, in mundo erat, ut oſtenderet quia venientem ad manifeſtationem retulit. Subſtantia enim & natura erat in mundo, inquit, & antea. Et veluti hoc parum eſſet, intulit, *mundus per eum factus eſt*, hoc eſt, & quid mirum ſi erat in mundo, qui non eſſet, niſi ille voluiſſet? Sed tamen erat quidem in mundo & antea, & fecit etiam Ioan. 1. 10.
B mundum ipſe, & mundus eum non cognovit. Bene hìc & non cognovit dixit, velut ſi diceret, non cognoverunt proprium dominum. Confirmatur omnino quod ſapientiſſimus Joannes cum orientali Concilio de Theodoro dicit, Re enim vera, ſicut apparet, non ignorabat vel negabat *c* ſummam unitatem, qui & illa tam multa, quæ ſuperius memoravimus, dixit, & quod de Chriſto in carnis manifeſtatione veniente dicebat, quia ſubſtantia & natura erat in mundo & ante ipſum, dicens antè fuiſſe in mundo, qui eſt poſtea manifeſtatus in carne. Nec mirum eſſe pronuntians, quòd dicatur & anteà Chriſtum in mundo fuiſſe, qui non eſſet niſi ille voluiſſet: eundem rurſus adfirmans in principio feciſſe mundum, quem perhibet noviſſimis temporibus venientem à mundo non eſſe cognitum proprium dominum. Quocirca noverat iſte Chriſtum in carnis manifeſtatione venientem factorem eſſe mundi & proprium dominum, nec dicendo duas eſſe naturas Chriſti, duos dicebat filios, aut duos dominos, aut duos Chriſtos, ſicut mentiuntur hæretici. Nam ſic apertè *d* in libro ad baptizatos locutus eſt. Ne-
C que enim, ſi duas naturas dicamus, neceſſitas nos ulla conſtringit aut duos dicere filios, aut duos homines, aut duos Chriſtos: quoniam hoc putare extremæ eſt amentiæ. Sed quid etiam, quinto de Incarnatione libro, capitulo LII. dicat adverſus Apollinariſtas & Arrianos interrogantes utrum alter & alter, an idem ipſe, attentius quæſo conſiderare dignemini. Nam in eo non ſolùm recta de incarnatione Chriſti fides ejus apparet, verùm etiam ſecundùm quam rationem, vel ſecundum quem dicendi morem locutus eſt alia, pro quibus eum calumniantur hæretici. Ait enim: Quando naturas quiſque diſcernit, alterum & alterum neceſſariò invenit, & huic rei neque ipſos puto repugnare, quia alterum Deus verbum natura, alterum autem quod adſumptura eſt, quicquid illud ſit, concedatur. hoc interim item perſona idem ipſe invenitur, nequaquam confuſis naturis, ſed propter adunationem quæ facta eſt, adſumpti ad adſumentem. Si enim integrè conceditur hoc alterum eſſe ab illo natura, & ma-
D nifeſtum quia æquale non eſt quod adſumptum eſt adſumenti, neque ſimile hoc illi, neque idem quod adſumptum eſt adſumenti: manifeſtum quia idem ipſe inve-

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

c SVMMAM VNITATEM. Sed κατ' εὐδοκίαν benevolo affectu, & χύσει τινὶ tantùm, ut dictum eſt. Nam unionem κατ' οὐσίαν Theodorus rectè quidem contra Synuſiaſtas refellebat; ſed hypoſtaticam non agnoſcebat. Quod illa inprimis declarant, quæ ex ejus ad Domnum epiſtola recitat Anaſtaſius presbyter in Ecloge χρήσεων δογματικῶν, his verbis. Θεοδώρου Μοψουεστίας. ἐκ τῆς πρὸς Δόμνον ἐπιστολῆς. Ἡ κατ' εὐδοκίαν τῶν φύσεων ἕνωσις μίαν ἀμφοτέρων τῷ τῆς ὁμωνυμίας λόγῳ ἀπεργάζεται τὴν προσηγορίαν, τὴν θέλησιν, τὴν ἐνέργειαν, τὴν
E αὐθεντίαν, τὴν δυναστείαν, τὴν δεσποτείαν, τὴν ἀξίαν, τὴν ἐξουσίαν· οὐδενὶ τρόπῳ διαιρουμένην· ἑνὸς ἀμφοτέρων κατ' αὐτὴν προσώπου καὶ τελουμένου, καὶ λεγομένου. *Naturarum quæ juxta* εὐδοκίαν *fit adunatio, unam utriuſque communi nomine appellationem præſtat, voluntatem, operationem, auctoritatem, potentiam, dominatum, dignitatem, imperium nullo modo diviſum, cùm una utriuſque ſecundum illam ſit dicaturque perſona.* ET POST ALIA. Καὶ τί δεῖ πολλὰ λέγειν; ὁ τῆς κατ' οὐσίαν ἑνώσεως ἐπὶ μόνων τῶν ὁμοουσίων ἀληθεύεται λόγος. ἐπὶ δὲ τῶν ἑτεροουσίων διέψευσται, συγχύσεως [τε] ἐκτὸς εἶναι οὐ δυνάμενος. ὁ δὲ τῆς κατ' εὐδοκίαν ἑνώσεως τρόπος, ἀσυγχύτους φυλάττων τὰς φύσεις καὶ ἀδιαιρέτους, ἓν ἀμφοτέρων τὸ πρόσωπον δείκνυσι, καὶ μίαν τὴν θέλησιν, καὶ μίαν τὴν ἐνέργειαν μετὰ τῆς ἑπομένης τούτοις μιᾶς αὐθεντίας καὶ δεσποτείας. *Et quid multis opus eſt? Unitionis ſecundum ſubſtantiam ratio in ſolis conſubſtantialibus vera eſt: in iis quæ alterius ſunt ſubſtantiæ, falſa, cùm ſine confuſione eſſe nequeat. Unitionis verò juxta* εὐδοκίαν *modus, inconfuſas ſervans naturas & indiviſas, unam utriuſque perſonam oſtendit, unamque voluntatem, & operationem unam, cùm una quæ iſta conſequitur auctoritate ac dominatu.* ET POST ALIA RURSUM. Κατὰ γὰρ τὸν τῆς εὐδοκίας τρόπον τῷ θεῷ λόγῳ συναφθείς, ὡς ἔφαμεν, ἐξ αὐτῆς τῆς μήτρας ὁ τεχθεὶς ἐκ τῆς παρθένου ναός, μεμένηκεν ἀδιαίρετος, τὴν ἐν πᾶσιν αὐτοῦ ταυτοβουλίαν καὶ ταυτουργίαν ἔχων· ὧν οὐδὲν ἔστι συναφέστερον. *Juxta modum enim* εὐδοκίας *Deo verbo conjunctum, ut diximus, ab ipſo utero quod ex Virgine natum eſt templum, manſit indiviſum, eandem in omnibus cum ipſo habens voluntatem, eandemque operationem. quibus nihil eſſe poteſt conjunctius.*

d IN LIBRO AD BAPTIZATOS. Idem videtur, qui in Actione IV. Synodi V. perpetuo inſcribitur *Ad baptizandos*.

» nietur adunatione perſonæ. Sic ergo oportuit dividere quæ circa Chriſtum ſunt. A
» iſtis enim diviſionibus contrarium nihil eſt. hæc enim multam etiam cum divinis li-
» teris conſonantiam habent. Sic neque naturarum confuſio fiet, neque perſonæ
» quædam prava diviſio. Maneat enim & naturarum ratio inconfuſa, & indiviſa
» cognoſcatur eſſe perſona. Illud quidem proprietate naturæ, diviſo quod adſum-
» ptum eſt ab adſumente: illud autem adunatione perſonæ in una appellatione to-
» tius conſiderata; ſive adſumentis, ſive etiam adſumpti natura, & veluti ſic dicam
» in filii appellatione ſimul & Deum verbum appellamus, & adſumptam naturam,
» quæcumque illa ſit, conſignificamus propter adunationem quam ad illum habet.
Eſtne quiſquam, clementiſſime Imperator, tam obſcurati cordis & ab humano in-
tellectu penitus alieni, qui hæc audiens & relegens, putet Theodorum duos filiōs
prædicaſſe? Magis enim accuſatores ejus, quæ egerunt ad evacuationem ſynodi
Calchedonenſis, exiſtimo contra conſcientiam fallaciter agere, quàm per igno-
rantiam in manifeſtis rebus errare. Illud autem eſt quod petivi ut attentiùs ad- B
vertatis, vel quomodo dicendi loquatur, ubi imperitos & ignaros ſuæ intentionis
videtur offendere. quia dum naturas in Chriſto diſcernens alterum & alterum di-
cit, non quaſi duos filios introducit: ſed quia alterum Deus verbum natura, ſicut
hîc evidentiſſimè docet, alterum autem quod adſumptum eſt, qui tamen perſona
idem ipſe invenitur. Nec mea ſed ejus hæc verba ſunt, exponentis ſemetipſum,
& docentis quomodo intelligi debeat in ceteris, ubi ſic loquitur. qui hoc ipſum
repetens, ut decebat, ſicubi tale aliquid dicitur, non aliter nobis accipiendum
» eſſe commendat. Si enim integrè conceditur, inquit, hoc alterum eſſe ab illo na-
» tura, & manifeſtum, quia æquale non eſt quod adſumptum eſt adſumenti, neque
» ſimile hoc illi, neque idem quod adſumptum eſt adſumenti, manifeſtum quia idem
» ipſe invenietur adunatione perſonæ. Perſpicis, Auguſte, quòd non perſona,
ſed natura potius, adſumentem ab adſumpto alterum dicat, & de naturis hoc ve- C
lit intelligi, quarum eſt multa diverſitas, & de quarum ratione convenit dicere,
quia non eſt idem quod adſumptum eſt adſumenti: de perſona verò dicat quod
idem ſit adſumens atque adſumptus. Pluſne aliquis dicere potuit, quàm idem ip-
ſe? quod in hac ſententia non tantùm ſemel, ſed iterum dicit, ideoque ſequitur di-
» cens ſic: Neque naturarum fiet confuſio, neque perſonæ quædam prava diviſio.
Quid evidentius quærere, vel quid amplius de illo expectare poſſemus? & tamen
» ille adhuc addit & dicit: Maneat enim & naturarum ratio inconfuſa, & indiviſa
» cognoſcatur eſſe perſona, & iterum cumulata, ſi dicendum eſt, ſuper accumulans
» ait: Illud quidem proprietate naturæ, diviſo quod adſumptum eſt ab adſumente.
» Illud autem adunatione perſonæ, in una appellatione totius conſiderata ſive adſu-
» mentis ſive etiam adſumpti natura, & veluti ſic dicam in filii appellatione ſimul
» & Deum verbum appellamus, & adſumptam naturam, quæcumque illa ſit, con-
» ſignificamus. Ideo verò dicit, quæcumque illa ſit, quoniam hæretici, con- D
tra quos agit, etiam à ſe diverſo errore de incarnatione diſſentiunt. Nam
Apollinariſtæ quidem ᵃ carnis & animæ naturam ſine mente adſumpſiſſe Dominum
credunt: Artiani verò carnis tantummodo. Idcirco etiam ſuperius ait, alterum Deus
verbum natura, alterum autem quod adſumptum eſt, quicquid illud ſit. Sed num-
quid poſt hanc manifeſtam nobis ab eo regulam conſtitutam, & non ſemel aut ite-
rum, ſed ſæpius conculcatam, ubicumque dictorum ſuorum invenitur de Chriſto
loquens alterum ab altero ſecernere, & adſumentem ita diſtinguere ab adſumpto, ut
& hoc & illud idem non eſſe confirmet, pro diviſione unius perſonæ dictum, & non
potiùs pro diverſitate duarum naturarum debemus accipere, cùm dicat quia per-
ſona idem ipſe eſt adſumens atque adſumptus, & hoc ipſum repetat, & vario di-
cendi modo commendet? Prodeſſe itaque nobis hæc ejus ratio debet ad illa quæ
videntur obſcura, ut ex his certiſſimis alia quæ fortè ſunt dubia judicemus. Non
adſpiciamus in furtivas ſententiarum ejus particulas, quas ideo præcidunt hæretici, E
ut in eis non appareat dicentis intentio. Quod ergo nobis dicunt, diſputantem de
Chriſti incarnatione ſcripſiſſe Theodorum non idem eſſe adſumptum adſumenti, ſed
alterum eſſe & alterum, hoc & nos eum dixiſſe teſtimonio præſenti monſtravimus,

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

ᵃ CARNIS ET ANIMÆ. Hoc quoque diſcrimen Arianorum & Apollinariſtarum obſervat Theodoretus Dialogo II. At S. Auguſtinus hæreſi LV. ſignificat Apollinariſtas principio cum Arianis ſenſiſſe Chriſtum carnem ſine anima ſuſcepiſſe: poſtea Evangelicis teſtimoniis victos dixiſſe mentem non fuiſſe in anima Chriſti, ſed pro hac ipſum Verbum in ea fuiſſe. Quam ob cauſam à nonnullis, quia non totum hominem à Verbo ſuſceptum dicebant, Διμοιρῖται appellati ſunt.

ſed

A ſed pro duarum diverſitate naturarum, non pro unius diviſione perſonæ: ſicut dicimus, alterum eſſe interiorem hominem ad imaginem & ſimilitudinem Dei factum, & alterum exteriorem ſimiliorem magis pecoribus factum: non quod duæ perſonæ, ſed quod duæ naturæ ſint. Quod etiam hujus manifeſta verba declarant, & inconcuſſè tenendum multiplici nobis repetitione commendant. Illud ergo nobis potius probent ſi poſſunt, ubi ſecundum perſonam non eumdem eſſe, vel alterum eſſe dixerit, ut eum nos quoque fateamur erraſſe. Probari autem hoc expetimus, non pro neſcio cujus ſuſpicione aut voluntate jactari, ut non ex aliorum conjectura ſive calumnia, ſed ex ſuis verbis meritò judicetur. Si verò nihil in eum tale probari poteſt; quomodo eum dicunt à ſynodo Calchedonenſi tamquam Neſtoriani dogmatis inventorem debuiſſe damnari? Qui rurſus ſexto ejuſdem operis libro, capitulo LIV. adverſus eoſdem Apollinariſtas, qui nos videri volunt f hominicolas, ſic reſpondit. Si ergo hominem dicentes Chriſtum hominicolæ vocari juſtè eis vi-
B demur, hoc antequam nos diceremus ſcriptura docuit, omnes homines per ea quibus hominem vocare non recuſat, ſicut ſuperiùs in pleriſque locis vocari hoc nomine Chriſtum oſtendimus. Sed hominem, inquiunt, purum dicentes eſſe Chriſtum hominicolas oportet vocari. hoc jam apertum mendacium eſt. ſi quidem hoc dicere voluerunt. Nullus enim aliquando hæc nos dicere audivit. Et puto neque iſtos ſuſcipere poſſe mentiri mendacium tam apertum, non quia non cognitè ſe habeant ad mendacium, ſed quia redargui ſe poſſe facillimè vident. quamquam ſi minus ejus curet, & hoc forſitan contingat. Nos enim hæc dicere, id eſt unigeniti negare divinitatem, ſummæ furiæ eſſe arbitramur, aut quid jam reſtat cur ab hæreticis ſeparemur? cujus rei gratia & tales & tantas perſecutiones ſuſtinemus? aut quis ignorat ſemper adverſum nos ab hæreticis bellum agi? omne metallum, & omne locum deſertum repletum eſt ex noſtris hominibus propter doctrinam pietatis. & poſt aliquanta. Hæc autem, inquit, omnia quando B. Meletius ſuſtinuit pri-
C mus, & cum illo deinde multi per provincias & civitates & loca ab hæreticis, cujus rei gratia? nonne quia dominum Chriſtum verum confitebantur? nonne quia verum prædicabant filium Dei, de eſſentia paterna genitum, ſemper ſimul extantem cum generante patre, addentes etiam de ſpiritu ſancto piam confeſſionem? Qualiter itaque, qui tanta propter hanc confeſſionem paſſi ſumus, calumniam pati ab ipſis poſſumus, veluti hominem purum dicentes, rebus ipſis hanc calumniam manifeſtam redarguentibus? Quomodo iſte imprudenter ſolùm, ac non etiam impudenter accuſetur, quòd quaſi Chriſtum hominem purum dicat, ignoro? quia jam pridem Apollinariſtis, Eutychianorum auctoribus, duas naturas Chriſti negantibus, & propterea velut hominicolas orthodoxos calumniantibus, qui Chriſtum & hominem confiterentur & Deum, falſum eſſe reſpondit quòd Chriſtum purum hominem dicere putabantur, affirmans quòd
D hoc ab eis nullus audierit, & hoc dicere ſummæ furiæ eſſe conteſtans. S. Meletium Antiochenum antiſtitem, & alios catholicos confeſſores cum illo, propterea dicit metalla & omne locum deſertum repleviſſe, quia Deum verum Chriſtum confitebantur, ex paterna eſſentia genitum, & cum generante patre ſemper extantem, addentes etiam piam de ſpiritu ſancto confeſſionem. Proinde cùm Dominus in Evangelio dicat, *ex verbis tuis juſtificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis*, quomodo ſancta ſynodus poſſet hunc hominem, ex verbis ſuis juſtificatum, ex verbis Apollinariſtarum Eutychiſque damnare? Ecce clamat & ſæpius iterat, non ſe dicere Chriſtum hominem purum, ſed verum Deum & verum Dei filium, de paterna ſubſtantia genitum, & ſemper cum generante patre ſimul extantem, & neſcio qui dicunt, quòd eum poſt mortem ſynodus anathematizare debuerit, tamquam Chriſtum hominem purum, & non ipſum eſſe dicentem, qui ſecundum eſſentiam filius Dei ſit. Ubi ſimul advertant, nec videre diſſimulent,
E quia etiam cùm dicit filium Dei Chriſtum de eſſentia paterna genitum, & ſemper cum generante patre ſimul extantem; & adhuc referens ſequitur, Addentes etiam de ſpiritu ſancto piam confeſſionem, Trinitatem quoque prædicat, quam negaſſe ſimiliter fingitur. Recognoſcant itaque facilitatem ſuam, & circumventos ſe tamdem intelligant, qui magis hæreticis vel hæreticorum fautoribus, quàm ſanctis patribus

[Margin notes: quia Deum Chriſtum — Matt. 12, 37.]

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

f HOMINICOLAS. Ἀνθρωπολάτρας. Athanaſius ſub finem libri De incarnatione Domini, Καὶ ὑμᾶς συκοφαντοῦντες λέγετε ἡμᾶς δύο λέγειν υἱούς, καὶ ἀνθρωπολάτρας ὀνομάζετε. *Calumniam in nos ſtruentes, duos filios dicere nos dicitis, & hominicolas appellatis.*

Eccleſiæ catholicæ, de Theodoro crediderunt. Decimo etiam libro ejuſdem ope- A
» ris capitulo LXX. ſic ait : Sicut enim per tales voces ex ſcriptura divina naturarum
» differentiæ edocentur, ſic & adunationem diſcimus, quoties ambarum naturarum
» proprietates in unum conducit, & ſicut de uno quodam eloquitur. Hoc enim eſt
» ſimul oſtendere & naturas differentes, & perſonæ adunationem. ex differentia qui-
» dem eorum quæ dicuntur, differentia intelligitur naturarum : cùm autem in unum
» rediguntur, manifeſtam ſuſpicimus adunationem. Beatus itaque Joannes Evange-
Ioan. 1. 29. » liſta dicit : *Altera die vidit Ieſum venientem ad ſe & dicit, Ecce agnus Dei, ecce qui*
» *tollit peccata mundi. Iſte eſt de quo ego dixi, quia poſt me venit vir, qui ante me factus*
» *eſt, quia prior me erat, & ego neſciebam eum.* Hîc enim dicendo, Vidit Jeſum venien-
» tem ad ſe, & dicit, Ecce agnus Dei, manifeſtè humanitatem ſignificare mihi vide-
» tur. Hoc enim videbat baptiſta Joannes, hoc erat quod ſuſceperat mortem : cor-
» pus videlicet, quod pro omni oblatum eſt mundo. Quod verò ſequitur, Qui tollit
» peccata mundi, nequaquam jam convenit carni. Non enim illius erat totius mun- B
» di peccatum auferre, ſed erat hoc pro certo divinitatis opus. Quis talia non exi-
ſtimaret poſt exortas Neſtorianorum & Eutychianorum hæreſes dicta, niſi aucto-
rem dictorum titulus indicaret? Sic inter utroſque medius & rectus incedit, ſic utroſ-
que ſcripturæ divinæ teſtificatione confutat iſte, qui dicitur confutari debuiſſe à Con-
cilio Calchedonenſi, tamquam Neſtoriani auctor erroris, ut nihil aliud eſſe defini-
tum vel Epheſino vel ipſo Calchedonenſi Concilio lector inveniat. Sed utinam hæc
Neſtoriani & Eutychiani nobiſcum ſequerentur, quia non eſſent hæretici. Uti-
nam hæc nobiſcum tamdem Neſtoriani & Eutychiani ſequantur, ut non ſint hæ-
retici. in quibus ſic in Chriſto duarum naturarum differentia prædicatur, ut ſimul
etiam prædicetur utriuſque naturæ unam eſſe perſonam. Non ergo ſimulent Eu-
tychiani, propterea ſe odiſſe Theodorum, quaſi duas perſonas filii Dei ac filii ho-
minis prædicantem : cùm ex his quæ memorata ſunt oſtendantur ob hoc illum po- C
tius odiſſe, quod duas unius prædicaverit eſſe naturas. Non ad hæc ingenioſum
intellectorem, ſed potius lectorem non faſtidioſum requirimus. Aperta res ac ma-
nifeſta interpretatione ulla non indiget. tantum eſt ut videre jam velint, qui clau-
» ſis oculis veritati reſiſtunt. Nam & in XII. prædicti operis libro, Si verò aliquis,
» ait, interrogare voluerit, quid tamdem eſſe dicam Jeſum Chriſtum, dico Deum
» & filium Dei. Ecce qualis erat ejus confeſſio, qui purum hominem Chriſtum
dixiſſe confingitur. cui metuendum eſt, ne cùm eum Judaicæ impietatis ab iſtis
calumniatoribus argui recuſamus, è contrario Manichæorum ei crimen & in myſte-
rio incarnationis impingant, quoniam in hoc loco Jeſum Chriſtum Deum confi-
tens & filium Dei, nihil de ejus humanitate locutus eſt. Quid enim mirum, ſi
illi qui eum dudum & ſolitarium Deum prædicaſſe ſine filio & ſpiritu ſancto, &
duos è contrario docuiſſe filios, hoc quoque ſimili contrarietate confingant, ut cùm D
eum dixerint, ſicut Judæi, purum hominem Jeſum Chriſtum credidiſſe, tamquam
non ſit etiam Deus, rurſus illum, ſicut Manichæus, dicant quòd dominum Chriſtum
Deum tantùm & filium Dei credens, hominem fuiſſe negaverit. ſiquidem eum jam,
ſicut ſuprà docuimus, & Judæorum & Manichæorum duxerint errore maculandum,
quaſi evacuantem omnes in Chriſto factas prophetias. Omnia enim eorum ſapientiæ
licent, & nihil eſt quod libeat, & ſibi non expedire credant. Sicut autem non pro-
pterea hominem denegat Jeſum Chriſtum, quia de humanitate ejus tacens Deum il-
lum tuntummodo hîc fatetur & filium Dei : ita etiam non Deum denegat Jeſum
Chriſtum, ubi de divinitate ejus tacens, aut naturarum diſcretionem faciens, re-
ticet quod idem ſit etiam Deus & filius Dei. Non enim & Petrus Apoſtolus Deum
denegabat Chriſtum, cùm Judæis loquens de divinitate ejus diſpenſativè taceret,
quam vel levi auditu illi ferre non poſſent, & diceret, *Viri Iſraëlitæ, audite ver-*
Act. 2. 22. *ba hæc. Ieſum Nazarenum, virum adprobatum à Deo in vobis virtutibus & prodigiis &* E
ſignis, quæ fecit per illum Deus in medio veſtri, ſicut vos ſcitis, hunc definito conſilio & præ-
ſcientia Dei traditum per manus iniquorum affligentes interemiſtis. quem Deus ſuſcitavit ſolutis
doloribus inferni, & talia cetera, quæ ſequuntur. Neque Paulus ejus Apoſtolus Deum
1. Tim. 2. 5. negabat Chriſtum, cùm diceret : *Unus Deus, unus & mediator Dei & hominum homo Chri-*
ſtus Ieſus, qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus, teſtimonium temporibus ſuis. quaſi
Chriſtus Deus non eſſet, ſed tantùm mediator Dei & hominum; aut conditor non
eſſet & rector omnium temporum, ut quædam quaſi ejus tempora dicerentur, ſicut
de uno quolibet ſimile noſtri homine loqui ſolemus, & dicere, temporibus ſuis
hoc vel illud dicit, aut facit. Sed pro diverſitate cauſarum diverſa ſemper
Ioan. 8. 40. eſt dicentis intentio. Nam & ipſe Dominus in Evangelio Judæis dicit, *Nunc*
autem quæritis me interficere, hominem qui veritatem vobis locutus ſum, quam audivi à

A *Deo.* Numquid hæc dicens Deum ſe eſſe negavit & Chriſtum? Proinde ſecundum hanc formam & Apoſtolos ejus, & doctores Eccleſiæ quædam locutos eſſe credamus, tamquam divini ſacramenti diſpenſatores, non omnibus eadem, nec eodem modo tradentes. Quos in Eccleſiæ pace defunctos pie ac religioſe facimus ſi melius interpretari velimus, ſic excuſatores homines, ut accuſemus errores. Nec non & xv. libro, quo ipſum totum opus de Incarnatione concluſit, utramque naturam in unius filii perſonam convenire teſtificans, ait: Propter quod utrumque juſtè filius vocatur, una exſtante perſona, quam adunatio naturarum effecit. Verùm ego in hoc ejus opere de Incarnatione diutius moratus ſum, quàm fidei & rationi, ac ſi non diutius, quàm contra calumnias ac pertinaciam neceſſarium videbatur. Nam cui bene ſcienti non ſufficeret ad cognoſcendam Theodori fidem ipſe ſolus ejuſdem operis titulus? Quis enim eum audiens condidiſſe libros de Incarnatione, aut ut
B propriè hoc exprimam, minus quidem Latino, ſed neceſſario verbo, ſicut à Græcis dicitur, g de Inhumanatione filii Dei, duos eum putet filios prædicaſſe? Nam qualiter filium Dei, id eſt Deum verbum, non hominem quoque diceret, quem diceret inhumanatum? Non enim refugio verbum, quod à me fidei ratio atque utilitas flagitat, adverſus eos qui non hominem totum, id eſt carnem & animam rationalem, ſed ſolam carnem, aut carnem tantum & animam ſine ratione, ſuſcepiſſe dicunt filium Dei. Qualiter itaque Deum verbum, quem docebat inhumanatum, non ipſum & hominem diceret? aut quomodo duos filios docens, tamquam alterius perſonæ ſit verbum Dei, alterius verò homo ſuſceptus, & non idem in perſona Deus verbum qui homo, ipſum Dei verbum diceret inhumanatum? Contrarium ſibi utrumque eſt, & pudere debuit hinc accuſaſſe doctiſſimum virum, aut ſi hoc nolunt dicere, doctiſſimorum certè virorum teſtimonio prædicatum. cujus impudentiæ non fuiſſe particeps ſynodus Calchedonenſis arguitur, quam intelli-
C gere oportuit, quia ubi Theodorus, neceſſariò contra hæreticos naturarum proprietates amplius dividens, adſumentem ab adſumpto alterum eſſe adſereret, natura eum, ſicut ſuprà docuimus, non perſona diceret alterum. Porro ab hoc opere de Incarnatione ad aliud quod contra Eunomium edidit tranſeamus, ubi decimo libro ait: Omnes enim Judæi venturum Chriſtum ex propheticis vocibus expectabant, magnum quemdam & multorum bonorum eis auctorem futurum. Quapropter interrogante Herode poſt Magorum præſentiam Scribas & Phariſæos, ubi Chriſtus naſceretur, reſponderunt illi, & locum dixerunt, quia in Bethleem Judæ. Sed non propterea Chriſtum filium Dei Deum ſciebant; hominem autem purum arbitrati ſunt Chriſtum ſecundum probatiſſimos prophetarum futurum, licet parum aliquid his meliorem. quod etiam nunc putantes Judæos quilibet videbit. Juſtumne videtur adhuc, ut ſancta & magna ſynodus arguatur, quòd non & ipſa Theo-
D dorum ſimul & Judaicæ infidelitatis & Manichææ peſtis argueret, ut eum & cum Judæis condemnaret, quaſi hominem tantùm crediderit Chriſtum, & cum Manichæis, quaſi non acceperit prophetas de Chriſto locutos? cùm & illos arguat, quòd licet probatiſſimis prophetarum parum aliquid meliorem eum fuerint arbitrati, Deum tamen eſſe neſcierunt; & contra iſtos dicat, quòd eum Judæi venturum ex propheticis vocibus expectarent, ſecundum quas etiam Herodi interroganti reſponderunt, quòd in Bethleem Judæ naſceretur?

CAPUT IV.

Quod Theodorus ad oſtendendam tantum unitatem perſonæ in Chriſto, non ad confundendas ejus naturas; ſimilitudine uſus ſit hominis ex anima & corpore compoſiti.

E VNDE quia & Eutychiani nec erga magnam ſynodum, nec erga Theodorum placari poſſunt; quantacumque de libris ejus ſimilia proferantur, tale potius aliquid eum dixiſſe monſtremus, quod ſuo putent errori congruere. Nam his

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

g DE INHUMANATIONE. Περὶ ἐνανθρωπήσεως. Edictum Juſtiniani, Θεόδωρος λέγων ἐν τοῖς περὶ ἐνανθρωπήσεως αὐτοῦ διαιρέσει λόγου ἀσεβῶς ἐκτεθεῖσιν. Sic enim Græci de hoc myſterio libros ſuos inſcribere ſolebant, quos Latini De Incarnatione appellabant. ut Athanaſius, cujus oratio II. titulum habet, περὶ τῆς ἐνανθρωπήσεως τοῦ θεοῦ λόγου. eodemque modo Cyrillus, & alii orthodoxi. Nam Arriani & Apollinariſtæ, quia totum hominem a Verbo ſuſceptum negabant, ἐνανθρωπήσεως titulum refugientes, altero περὶ σαρκώσεως utebantur, ut Eudoxius Conſtantinopolitanus in Ecloge Anaſtaſii, & Apolinarius ipſe, cujus περὶ σαρκώσεως λογίδιον commemorat Theodoretus Dialogo III. Uſi tamen hoc etiam interdum catholici, ut Athanaſius idem in aliis libris. quin & contra Apolinarium ſcribens utramque vocem unà conjunxit. Μανθάνω, inquit, ἀπαγγέλλοντα τὴν σάρκωσιν καὶ ἐνανθρώπησιν τοῦ κυρίου, ἀσεβὲς κατὰ πάντα μέρη.

quæ memorata ſunt, & aliis hujuſmodi ſedari non potuerunt: quia non ut ſimulaut vel ipſum, vel Calchedonenſe Concilium, ob hoc oderunt, quia duos prædicaverit filios, hoc enim apertè falſum eſt: ſed potius quòd evidentiſſimè duas unius filii dixerit eſſe naturas. Et propterea quoniam, ſicut primo libro memoravimus, dicere ſolent iidem Eutychiani vel Semieutychiani, ſic unam Chriſti eſſe naturam ex divinitate & humanitate compoſitam, quomodo una eſt etiam humana natura ex anima corporeque compoſita; oſtendamus illis, ubi etiam Theodorus dicit, quia ſicut anima adunata corpori homo ex ambobus efficitur, ita ex adunata forma Dei & forma ſervi, id eſt divinitate atque humanitate, unus eſt Chriſtus. Sic enim fortaſſe, qui ut catholico non pepercerunt, vel tamquam ſuo, id eſt Eutychiano ſive Semieutychiano, parcent, & magnum Concilium, quòd eum non damnaverit, deſinent criminari. Et ille quidem non pro naturæ, ſed pro perſonæ unitate hoc poſuit, ſicut & alii patres, quorum iſti malè utuntur exemplis. Nam Dei verbi natura, quæ ſimplex eſt & incontaminabiliter ſimplex, componi A B
,, non potuit. Dicit ergo in quarto adverſus Apollinarem libro: Quoniam autem
,, & juxta nos homo dicitur ex anima & corpore conſtare, & duas quidem has dici-
,, mus naturas, animam & corpus, unum verò hominem ex ambobus compoſitum,
,, ut conſervemus unum eſſe utrumque, oportet confundere naturas, & reconver-
,, tentes dicere, quoniam anima caro eſt, & caro anima. Et quoniam illa quidem
,, immortalis eſt & rationalis, caro verò mortalis & rationalis, reconvertentes dicere-
,, mus, quia immortalis eſt mortalis, & mortalis immortalis; & rationalis irratio-
,, nalis, & irrationalis rationalis. Sed neque ex divina ſcriptura hoc edocti ſumus, ô
,, ſapientiſſime omnium, neque alius quiſquam hoc dicit uſque in hodiernum diem,
,, eorum qui ſanam humanam habent mentem, præter vos, qui per omnia eſtis de-
,, mentes. qui diſpenſationem, quæ propter nos facta eſt, ab oratione adſumptionis
,, mentis in ipſam mentem judicium recepiſtis totius inſipientiæ plena loquentes, & C
,, cum multa inreverentia leges conſtituentes. Quæcumque enim ſecundum aliquid
,, diſcreta, ſecundum aliquid acceperunt unitatem, ſervant ſuam, qua diſcreta ſunt,
,, incolumem rationem, & unitatem integram habent. Unum eſt aliquid natura, ſi-
,, cuti filius & pater; manet autem perſonarum diſcretio. eſſentia quidem inſepara-
,, biliter exiſtente una, perſonæ propriam habent diſcretionem; ut neque pater dica-
,, tur filius, neque filius pater. Similiter & ſi natura quædam diverſa ſunt, ſecundum
,, aliud verò adunari contigerit ea, neque naturalem perdunt diviſionem, & unita-
,, tem propriam habent, ſicut anima adunata eſt corpori, & unus ex ambobus
,, effectus eſt homo. Manet naturarum diviſio. alia quidem anima eſt, alia verò ca-
,, ro. & illud quidem immortale eſt, illud autem mortale; & illud quidem rationale
,, eſt, illud autem irrationale. Unus autem homo utrumque. alterutrum verò in ſeip-
,, ſo homo nunquam dicitur abſolute & proprie; niſi forte cum aliquo additamen-
,, to, ſicut interior homo & exterior homo, non abſolute homo, ſed interior & D
,, exterior. ut appareat aliud quidem interius hominis, aliud verò exterius. Ita & in
,, domino Chriſto dicimus, ô mirabilis; quoniam in forma Dei extans forma ſervi,
,, neque adſumens quod adſumptum eſt, neque quod adſumptum eſt adſumens. Uni-
,, tas autem adſumpti circa adſumentem inſeparabilis eſt, ſecundum nullum modum
,, incidi valens. Jam ergo, ſicut diximus, vel tamquam Semieutychiano Theodoro parcant, & ſynodum non accuſent, quæ nec antea, nec apud ſe accuſatum adjudicare non poſſet: maxime cùm dicat, quia ſicut interior homo & exterior homo, id eſt anima & corpus, quamquam non unius naturæ ſint, unam tamen faciant perſonam. Quæ porro ſubtilior unitatis confeſſio vel expreſſior eſſe poteſt, quàm ea quæ putatur non ſolùm quòd unus ſit Chriſtus, verùm etiam quòd una ſit natura ejus, oſtendere? hanc autem iſte pro exprimenda perſonæ unitate non refugit. Sed ſicut hoc dicendo non eſt credendus Acephalorum caput, quoniam hoc non pro denegatione duarum naturarum dicit, ſed potius pro unius aſſertione perſonæ: ita non eſt credendus etiam Neſtoriani auctor erroris, ubi naturarum confuſionem repellens, amplius earum proprietates neceſſitate reſpondendi hæreticis dividit; quoniam hoc non contra perſonæ unitatem facit. Hinc autem cognoſcant Semieutychiani, qua intentione dicatur ab aliis patribus, quos putant in duabus Chriſtum negaſſe naturis, quia *b* ſicut anima & corpus unum hominem faciunt, ita ex divinitate & humanitate unus eſt Chriſtus. quòd hoc ab eis non ad naturæ, ſed E

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

b SICUT ANIMA ET CORPUS. Hujus comparationis diſcrepantia undecim ex capitibus a Theodoro Hagiopolitano demonſtrata eſt, quibus hunc titulum præfigit: Ἕνδεκα κεφάλαια, ἐν οἷς δείκνυται τὸ ἀσύμφωνον τοῦ παραδείγματος τοῦ ἀνθρώπου τῷ κατὰ Χριστὸν ἑνώσει. *Undecim capita, quibus oſtenditur in quo diſcrepet exemplum hominis cujuſque à Chriſto incarnato.*

A ad perſonæ potius unitatem dicatur : quando etiam Theodorus, quem Neſtoria-
num criminantes, negare non poſſunt in duabus Chriſtum prædicaſſe naturis, hac
utatur ſimilitudine, quam ſuæ putant dementiæ convenire. Apparet ergo ſapien-
tibus, quemadmodum veritas undique fugacibus ſuis occurrat, & quaquaverſum
declinaverint, in faciem ſibi eam inveniant reſiſtentem. Unde enim eis non obvia
veniat, quos ex ſua quoque accuſatione confundit? Nam refugientes ejus doctri-
nam, quam per Calchedonenſe Concilium docuit, duas unius Dei Chriſti eſſe na-
turas, ſive ipſum, ſive Theodorum, cujus ibi laudes recitatæ ſunt, de Neſtoriana
hæreſi criminantur, putantes quòd una ſit Chriſti confitenda natura. Hoc autem
ex eo nituntur adſtruere, quoniam ſancti patres dixerunt, ſicut ex anima & carne
unus eſt homo, ita in divinitate & humanitate unus eſt Chriſtus. Suſpicantes er-
go, quod hoc pro unius naturæ, & non potius, ſicut veritas habet, pro unius per-
ſonæ adſertione ab eis fuerit dictum, non negant errori Neſtoriano omnino eſſe con-
B trarium. & ideo ſuis ſicut diximus refutantur. Nam in tantum à ſanctis patribus il-
la ſimilitudo de animæ carniſque adunatione, non ad unius naturæ Chriſti docu-
mentum relata eſt, ut hac etiam Theodorus uteretur, quem non ſolùm duas na-
turas, quod verum ac manifeſtum eſt, ſed etiam, quod falſum eſt, duas Chriſti
dicunt credidiſſe perſonas : ut hac ſimilitudine uteretur, qua ſanctos patres exiſti-
mant non ſolùm unam perſonam, verùm etiam unam Chriſti docuiſſe naturam.
Sicut autem de anima & carne unius hominis dicitur, quod nos promiſeramus
oſtendere, manet naturarum diviſio, & alia quidem anima eſt, alia verò caro, na-
tura utique, non perſona, quoniam illud quidem rationale, illud autem irrationa-
le eſt, nam unus homo utrumque : ita etiam ubicumque, præſertim ante errorem
Neſtori divulgatum, ab aliquibus Eccleſiæ catholicæ doctoribus invenimus alium
dici adſumentem, alium verò adſumptum, non perſona vel ſubſiſtentia alia, ſed na-
tura debemus accipere, ſicut in uno homine alius interior, alius exterior dicitur
C homo. ſi neque nos errare volumus, neque ipſis calumniari, neque Eccleſiæ Chriſti
detrahere, in cujus pace atque honore defuncti ſunt : neque auctoritatem errori
Neſtoriano tribuere, ut his qui maximam laudem de judicio Eccleſiæ meruerunt,
ſimilia Neſtorius prædicaſſe dicatur. Quod quidem à fidelibus credi veritas nulla-
tenus ſinit, quæ maledictorum calumnias ex aliis eorum dictis, quibus evidenter
de unitate perſonæ Chriſti locuti ſunt, ſine dubitatione confutat. Non enim, ſi-
cut ignari putant, vel adverſarii ſimulant, ſolus Theodorus ita locutus eſt, ſed
multi alii patres, quorum ſequentia, ut promiſimus, proferimus exempla. in qui-
bus Eutychianorum, vel ſatellitum eorum libertatem volumus experiri, & zelum
fidei, quem oſtentant in Theodoro contra Calchedonenſe Concilium, ſi & ipſos,
ut non amplius dicam, ita loquentes pronuntiare audebunt hæreticos. Sic autem
loquebantur in Eccleſia Chriſti, tamquam nulla Neſtorii quæſtione ſollicitante ſecu-
ri, non ut unitatem perſonæ Chriſti dividerent, quam & Theodorus inſeparabilem
D profitetur, & ſecundum nullum modum incidi valentem. Admodum verò gra-
tum eſt, quòd vanas & invicem ſe deſtruentes horum calumnias, qui eum dicunt
& unam Trinitatis credidiſſe perſonam, & quaternitatem prædicaſſe duos filios ad-
ſerendo, reciprocè ſimul & ipſe ex alterius repulſione alteram quoque repellit, cùm
ex his quæ memoravimus docet, quoniam ſicut pater & filius unius quidem natu-
ræ ſunt, ſed unius perſonæ non ſunt : ita in homine una anima & corpus, vel in
Chriſto Deus & homo, unius quidem perſonæ ſunt, ſed unius eſſentiæ non ſunt.
quia neque forma Dei forma ſervi eſt, neque forma ſervi forma Dei eſt ; quam-
vis unitas perſonæ maneat inſeparabilis ſecundum nullum modum incidi valens.

CAPUT V.

Quod obſcura & ambigua patrum dicta ex apertis eorum dictis interpretari oporteat. quod propoſitis aliquot exemplis declarat.

E EX his ergo certis & evidentibus Theodori ſententiis, intelligenda nobis ſunt
alia, quæ in ejus dictis videntur quibuſdam dubia vel obſcura, ſi cum eis no-
tari nolumus, de quibus ait beatus Cyrillus, quod ſe infensè haberent circa eun-
dem virum admirabilem, & maximam gloriam merentem Theodorum, occaſio-
nem facientes contrario dogmati quo tenebantur, ut quærerent quædam ejus capitu-
la non ex melioribus intellecta damnari. Hæc vox Cyrillo digna. ſic integrum Ec-
cleſiæ doctorem loqui decebat. Nam quemadmodum calumniantium hæretico-
rum eſt, ex dubiis & obſcuris quæ certa & manifeſta ſunt malè interpretari : ita ſo-
lirum eſt prudentiæ ac pietatis catholicæ, ex indubitatis atque evidentibus, & firma-
re ambigua, & latentia declarare. Ideoque melius facimus, ſi virorum doctiſſi-

morum in pace Eccleſiæ mortem obeuntium ſcripta melius interpretemur, vel ſi A
minus in eis hæreſum futurarum calumnias vitare potuerunt. Si qui verò ortho-
doxi etiam aliud faciendum putaverint, non ſunt in hoc à prudentibus imitandi.
Qui ſi utriuſque partis momenta perpendant, facilè dignoſcent quorum magis pro-
poſitum debeant approbare; utrum accuſantium, an excuſantium in Eccleſiæ pace
& patrum laudatione defunctos. Primùm itaque conſiderare debeant, quid ſit no-
bis utriſque commune, in quo ſimiles eis de orthodoxis accuſatoribus ſumus, & qua-
le ſit cujuſque proprium, in quo ab invicem diſſonamus. Fides itaque nobis in
ab invicem, quod illi. Deum communis eſt: proprium verò eſt cuique parti, in quo diſſonamus * ab invi-
cem. Quòd illi crudeliter & audacter condemnant in Eccleſiæ unitate gloriaque
defunctos, quos Dei ſolius eſt judicare: nos verò, quia nec pietati, nec modeſtiæ
convenit, conſiderantes nos homines eſſe, nihil quod divinum eſt præſumimus uſur-
pare. Illi alta ſapientes reſpuunt, & nihil pendunt ſanctorum patrum ſententias,
à quibus adprobati atque laudati ſunt: nos humilibus conſentientes, obedienter B
eas & cum debita veneratione ſuſcipimus. Illi auctoritatem inconſultè tribuunt hæ-
reticorum erroribus, aſſerentes eos honoratorum virorum prædicationi ſimilia do-
cuiſſe. nos autem, nullam donantes hæreticis occaſionem, provide reſpondemus,
quòd tales blaſphemias nunquam Eccleſia Chriſti ſuſceperit; ſed omnem novita-
tem, mox ut exorta eſt, refutarit. Illi denique ipſam, quæ nos genuit, crimi-
nantur & infamant Eccleſiam, velut adulterinis dogmatibus aliquando corruptam:
nos autem virginitatem noſtræ matris excidiſſe unquam à caritate quæ in Chriſto
eſt denegamus; adſerentes non fuiſſe hæreticos, quos habuit honoratos. Quas ob
res, ſi volumus & Deo eſſe ſubjecti, & ſanctis patribus obſequentes; ſi volumus
etiam, quod ad præſentem attinet cauſſam, Neſtorianorum ora conſuere, & Ec-
cleſiam quæ nos genuit ab impiorum calumniis excuſare; non ſolùm non condem-
nemus in Eccleſiæ communione laudeque defunctos: ſed nec dicamus eos ante Ne-
ſtorium talia docuiſſe; magiſque ex aliis eorum ſententiis, evidenter Neſtoriano C
errori contrariis, interpretemur alia quæ in eorum ſcriptis videntur obſcura. ne ju-
re meritoque reprehendamur, quòd & cautela & ſtudio ipſis Neſtorianis impares
ſimus, & amplius illi videantur contra veritatem, quàm nos pro veritate ſatagere.
Nam ſi illi clariſſimos Eccleſiæ doctores ſuæ parti volentes applicare, ſententias eo-
rum, Neſtoriano dogmati manifeſtè contrarias, ex aliis minùs apertis obſcurare co-
nantur, & in ſuam detorquere ſententiam; multo magis nos ea, quæ dubia vi-
dentur in eorum dictis, melius interpretamur ex his quæ certa ſunt. ex quo Ne-
ſtorius oſtendatur, ut novi dogmatis inventor, non immerito fuiſſe damnatus.
Conſtat ergo aliquos [i] ex antiquis Eccleſiæ doctoribus dixiſſe, quoniam Deus Ver-
bum adſumptum hominem tradidit morti. Numquid ſi hoc Neſtoriani male in-
telligentes dixerint quòd duas voluerint ſignificare perſonas, quaſi altera ſit Dei
verbi tradentis, & altera quem dicitur tradidiſſe; nos quoque calumnias eorum ad- D
verſus Eccleſiam firmare debemus, & teſtari quod tales aliquando doctores habue-
rit, qui non unam Dei atque hominis prædicaverint eſſe perſonam, cùm multa ſi-
1. Cor. 9. 27. milia habeamus exempla? Unde illud eſt Apoſtoli quod dicit, *Lividum facio corpus
meum, & redigo ſervituti*, non aliam volens intelligi perſonam lividum facientis cor-
pus ſuum, & redigentis in ſervitutem, ſuam & aliam ipſius. Illud autem amplius
Tob. 13. 9. videtur eſſe, quod ait Tobith, *Ego & anima mea regi cælorum lætitiam dicimus*. & mul-
ta ſimilia, non divinis tantùm literis, ſed etiam in aliis, & in ipſo noſtro quoti-
diano ſermone, ſi quis attendat, inveniet. Si autem hoc de homine, cujus rectè
poteſt una, id eſt humana, dici natura, nulla quæſtione cogente, ab Apoſtolo &
Tobith dicitur: quanto magis de Chriſto, quem in duabus credimus eſſe naturis,
contra Apollinariſtas rectè dici potuit, quòd Deus verbum adſumptum hominem pro
nobis morti tradiderit, cùm dicamus quòd eum tradiderit pater, & inſeparabilia cre-
Pſal. 39. 13. damus opera Trinitatis? Ita cùm propheta dicat, *Cor meum dereliquit me*, nec ſe in E
duas perſonas vel ſubſiſtentias partiatur, cur ſi quiſquam ex patribus inveniatur
dixiſſe, quòd Deus verbum inerat, vel aderat Chriſto, duas Chriſti putetur indu-
xiſſe perſonas? Nam ſi derelinquere dicitur homo cor ſuum, & nulla intelligitur
unius perſonæ facta diviſio, cùm derelinquere ſeparationem quandam ſignificet,
quia neceſſe eſt, cùm ineſſe vel adeſſe dicitur, duas putare ſignificatas eſſe per-
ſonas, cùm & anima carni ſuæ ineſſe dicatur & adeſſe, cùm eam nutrit ac fovet,

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

i. EX ANTIQVIS ECCLES. DOCTORIBVS. Quæ ſubjiciuntur, pronuntiata Theodori fuiſſe ſatis conſtat ex Synodo v. & ex Leontio Byzantino. Sed conſultius Facundo viſum eſt, ea ſub aliorum, qui eodem modo locuti eſſent, quàm ſub unius Theodori nomine defendi.

A & à morbis paſſionibuſque defendit. Verùm & hoc conſtituamus, quod antiqui doctores Eccleſiæ dixerunt, quoniam Deus verbum ſi [k] principaliter & ſecundum eſſentiam unigenitus filius Dei: homo verò adſumptus ex unitate perſonæ ejus accepit ut unigenitus filius ſemper eſſet ac diceretur, & in unius filii appellatione cointelligeretur. Numquid hoc quoque non poſſumus pro diſtinctione potius naturarum, quàm diviſione perſonæ dictum accipere; ſicut dicimus, interior homo principaliter homo dicitur, cujus eſſentia facta eſt ad imaginem Dei: homo verò exterior de limo plaſmatus ex unitate perſonæ ejus accepit ut ipſe quoque homo diceretur, & in unius hominis appellatione cointelligeretur, quamquam ipſe non ſit ad imaginem & ſimilitudinem Dei factus, ſed pecoribus ſimilior eſſe videatur? Dicimus etiam, ſine unius diviſione perſonæ, quòd homo interior merito ſuæ fidei juſtificatus tranſit in adoptionem filiorum Dei; exterior autem per interioris adhæſionem, communem cum illo ſuſcipit dignitatem, Apoſtolo quoque dicente: *Etſi* 1. Cor. 4. 16.
B *exterior homo noſter corrumpitur, ſed interior renovatur de die in diem.* Si dicamus, non interior homo, ſed exterior homo corrumpitur, aut non exterior homo, ſed interior renovatur de die in diem; numquid in duas ſubſiſtentias à ſemetipſo hominem ſeparamus? Ergo ſi tales inveniantur de Chriſto quædam locutiones patrum, ad duarum potius naturarum diſcretionem, quàm ad unius perſonæ diviſionem eas referre debemus. Deinde cùm hæretici ſynuſiaſtæ putarent Chriſtum unius eſſentiæ natum, nec ex utero Virginis habuiſſe carnem, ſed potius in ejus utero Deum verbum partem ſuæ ſubſtantiæ, id eſt deitatis, in carnem ſibi vertiſſe; & in illa quidem, ſed non ex illa incarnatum eſſe credentes, non ſolùm in divinitate, verùm etiam in carne, conſubſtantialem dicerent patri. ſed contra catholici quique doctores aſſererent, quòd Chriſtus ex ſubſtantia Virginis natus eſſet. Apollinariſtæ rurſus, hanc doctrinam veritatis infamantes, jactabant quod Eccleſia ſic doceret Chriſtum natum ex Virgine, quaſi etiam ſecundum deitatem ex illa ſumpſiſſet
C initium, prædicaret Deum verbum non ante ſecula ex patre ſine initio, ſed ex ejus utero natum eſſe, id eſt velut qui ante non eſſet extitiſſe diceret. Cujus removendæ criminationis neceſſitate, ſi aliqui adverſus eos ex antiquis Eccleſiæ doctoribus, necdum ex altera parte ſollicitante Neſtorii quæſtione, dixerunt, non Deus verbum ex muliere natus eſt: tanquam ſi dicerent, non ut calumniamini hoc docet Eccleſia, quòd divina Dei verbi natura ex utero Virginis extitit, ſed humana, quæ ex ſemine David * ſumpſit initium. Ideone cauſas, cur ita locuti ſunt, non inveſtigare ac demonſtrare debemus; ſed condemnando eos, velut Neſtoriani erroris auctores, Chriſti Eccleſiam, in cujus honore defuncti ſunt, criminari? Aut ſi adverſus eorumdem Apollinariſtarum intentionem, malè interpretantium verba Joannis Evangeliſtæ, quibus ait, *Verbum caro factum eſt*, & dicentium, quòd convertibiliter Verbum caro ſit factum; reſponderunt aliqui dicentes, Deus verbum [l] non factus eſt caro, id eſt convertibiliter, ſed adſumpſit carnem manens quod erat,
D Evangelio debent contrarii judicari? Quòd ſi ita eſt, Apollinariſtæ videbuntur Evangelicæ prædicationi congruere. Si autem Apollinariſtæ pro ſuæ mentis intentione, quamvis dicerent Verbum caro factum eſt, inimici tamen prædicationi Evangelicæ judicantur, etiam illi, qui talibus in Eccleſia manentes contradixerunt, pro ſuæ mentis intentione convenientes prædicationi Evangelicæ judicentur. Idcirco Theodorus quoque nono de Incarnatione libro adverſus eoſdem Apollinariſtas dicit. Si utique quòd dictum eſt *Verbum caro factum eſt*, ſecundum aliquam converſionem dictum eſt, quomodo inhabitavit ſuſcipiendum eſt? Palam eſt enim omnibus, quia quod inhabitat alius eſt quàm quod inhabitatur. Sed idem interpres eſt proprii verbi, & præveniens omnem calumniam tibi claudet. Inhabitavit enim in nobis noſtram naturam ſumens & habitans, & in ea omnia ſalutis noſtræ diſpenſans. Quomodo ergo inhabitans caro factum eſt Dei verbum? Palàm eſt quia non con-
E verſus. neque tranſlatus. non enim inhabitare diceretur. Manifeſtum eſt ergo ex

Margin: ſumpſit initium: ideone — Joan. 1. 14.

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

[k] PRINCIPALITER FILIUS DEI. Πρωτοτύπως. Hac enim voce uſus Theodorus lib. XII. de Incarnatione, cùm ex placitis ſuis doceret, Deum Verbum verum eſſe filium Dei: hominem verò aſſumptum συνεπιδεχόμενον, & participare filii dignitatem unione cum Verbo facta.

[l] NON FACTUS EST CARO. Theodori verba ex libro IV. contra Apollinarem profert Leontius lib. III. *Quis mente preditus dicat; ut vos dicitis, Verbum factum eſſe hominem? Nos enim aſſumpſiſſe quidem hominem aſſeveranter dicimus, factum verò eſſe hominem nunquam dicere poſſumus.* Ex quibus patet non ſolùm κατὰ τροπὴν factum negaſſe contra Apollinaris dogma, ut videri vult Facundus: ſed abſolutè, ut qui unionem Verbi non aliam agnoſceret, quàm τὴν ἐνοικήσεως καὶ ἐνεργείας.

his Theodori verbis, quòd antiqui doctores Eccleſiæ Deum verbum contra Evangelium non negaverint carnem factum. quomodo enim poſſent Evangelio apertè reſiſtere, & in illa honorati manere? Sed ſicut hic docet, converſiope carnem factum adverſus Apollinariſtarum inſaniam denegabant: ſicut in Evangelio dicente Do- A
Joan. 14. 28. mino, *Pater major me eſt*, quoniam Arriani hoc teſtimonio abutuntur, etiam nos illorum tentationi non Evangelio reſiſtentes, negamus patrem filio eſſe majorem. Et ſi quis etiam hîc verborum ſonos, & non propoſitum mentis attendat, Arrianos potius quàm nos putabit Evangelii ſententiæ convenire. Quomodo autem dicerent Apolinariſtæ, *Verbum caro factum eſt*, & quomodo catholici reſponderent, ſi tamen ita reſpondiſſe monſtrantur, *Verbum caro non factum eſt*, Eccleſia indicabit, quæ & illos expulit, & illos habuit honoratos. Unde conſequitur, ut ſi quis ab Eccleſia iſtos noluerit expellere, ſtultiſſimam eorum progeniem Eutychianos cum ſuo errore faciat introire. *m* Adoptionem quoque filiorum ſuſcepiſſe Chriſtum, ſi antiqui doctores Eccleſiæ dixiſſe monſtrarentur, nec ipſi, nec omnis Eccleſia, quæ tales do- B
ctores habuit, judicari deberent hæretici. Nam ſacramentum adoptionis ſuſcipere dignatus eſt Chriſtus, & quando circumciſus eſt, & quando baptizatus eſt; & poteſt ſacramentum adoptionis, adoptio nuncupari. ſicut ſacramentum corporis & ſanguinis ejus, quod eſt in pane & poculo conſecrato, corpus ejus & ſanguinem dicimus. *n* non quod propriè corpus ejus ſit panis, & poculum ſanguis: ſed quod in ſe myſterium corporis ejus, ſanguiniſque contineant. Hinc & ipſe Dominus benedictum panem & calicem, quem diſcipulis tradidit, corpus & ſanguinem ſuum vocavit. Quocirca ſicut Chriſti fideles ſacramentum corporis & ſanguinis ejus accipientes, corpus & ſanguinem Chriſti rectè dicuntur accipere: ſic & ipſe Chriſtus, ſacramentum adoptionis filiorum cùm ſuſcepiſſet, potuit rectè dici adoptionem filiorum ſuſcepiſſe. alioqnin neque de nobis dicendum eſt, quoniam adoptionem ſuſcepimus
Rom. 8. 23. filiorum, aut quia redempti ſumus atque ſalvati, quoniam Apoſtolus dicit: *Nos ipſi primitias ſpiritus habentes, & ipſi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei, expectan-* C
tes redemptionem corporis noſtri. ſpe enim ſalvi facti ſumus: ſpes autem quæ videtur non eſt ſpes. Sicut ergo, quamvis adhuc ſecundum Apoſtolum expectemus adoptionem, & redemptionem & ſalutem; tamen quia jam ſacramentum adoptionis, & redemptionis, & ſalutis accipimus, & filii Dei, & redempti, & ſalvati rectè vocamur. ita Chriſtus quoque ſacramentum adoptionis, non ad utilitatem ſuam, ſed ad ipſius ſacramenti confirmationem, in circumciſione & baptiſmo ſuſcipiens, ſicut Apoſtolus ait,
Rom. 15. 8. *Dico enim Chriſtum miniſtrum fuiſſe circumciſionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promiſſiones patrum*, potuit ab antiquis Eccleſiæ doctoribus rectè dici quòd adoptionem ſuſceperit filiorum. Quòd ſi & hoc dixiſſe inveniatur, quia poſt paſſionem, ſive reſurgens, ſive etiam in cœlum aſcendens, glorificatus eſt Dominus, aut poteſtatem accepit; ſic ab eis dictum intelligi debet, ſicut à Petro Apoſtolo dictum eſt,
1. Pet. 1. 10. *Exquiſierunt atque ſcrutati ſunt prophetæ, qui de futura in vos gratia Dei prophetaverunt; ſcrutantes in quibus vel quale tempus ſignificaret qui in eis erat ſpiritus Chriſti, qui prænuntiabat in Chriſto paſſiones, & poſt hæc glorias.* Et ſicut ab ipſo Domino poſt re- D
Luc. 24. 26. ſurrectionem dictum eſt: *Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam*
Matth. 28. 18. *ſuam?* Et iterum, *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra.* Item de clarifica-
Joan. 16. 13. tione poſt aſcenſionem ſuam facienda ſic ait: *Cùm autem venerit ille ſpiritus verita-*

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

m ADOPTIONEM FILIORUM. Theodoro inter cetera objicit in Edicto Juſtinianus, quod diceret Chriſtum per baptiſmum υἱοθεσίας ἀξιωθῆναι filiorum adoptionem adeptum eſſe. Leontius ex ejus lib. III. de Incarnat. *Et ego gloriam, quam dediſti mihi, dedi eis. Quamnam? Nempe participare adoptionem. Hanc enim accepi ipſe ſecundum humanitatem baptizatus in Jordane.* Quam hæreſim aliquot poſt ſeculis ab Elipanto Epiſcopo renovatam damnavit, & copioſè refutavit Synodus Francofordienſis, Chriſtum ſtatuens verum & proprium dicendum eſſe filium Dei, non adoptivum.

n NON QUOD PROPRIE CORPUS. Panis conſecratus, natura mutatus, panis non eſt: panis tamen appellatur, quia panis fuit, & panis ſpeciem retinet. idemque judicium eſt vini. Panem rurſus vinumque corpus Chriſti & ſanguinem dicimus, ut Auguſtinus quoque affirmat lib. III. de Trinitate cap. IV. non propriè, ſed figuratè: quia ſub panis & vini ſpecie corpus Chriſti & ſanguis in ſacramento continentur. Nec alia, opinor, in his verbis ſententia eſt Facundi. Nam de veritate carnis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia dubitare non potuit, qui poſt ipſius Domini profeſſionem, ut docet Hilarius libro VIII. de Trinitate, non eſt relictus ambigendi locus. Irænens libro V. adverſus hæreſes. Τὸ ἀπὸ τῆς κτίσεως ποτήριον αἷμα ἴδιον ὡμολόγησε· καὶ τὸν ἀπὸ τῆς κτίσεως ἄρτον, ἴδιον σῶμα διεβεβαιώσατο. Quòd ſi durius hîc fortaſſe, vel obſcurius quippiam elocutus videatur, dignus eſt venia, & qui à benigno interprete vicem officii recipiat, quod ipſe aliis ſtudioſè, quorum dicta notabantur, non ſemel exhibuit. E

A *tis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur à ſemetipſo: ſed quæcumque au-*
diet loquetur, & quæ ventura ſunt annuntiabit vobis. Itemque de illo dictum eſt: *Non-* Joan. 7. 39.
dum enim erat ſpiritus datus, quia Jeſus nondum fuerat glorificatus. Proinde melius fa-
cimus, ſi quemadmodum divinam ſcripturam, ſic etiam ejuſdem ſcripturæ tractato-
res locutos contra hæreticos fuiſſe credamus. Sive quoniam reſurgenti Chriſto
aliquid in natura carnis acceſſit, quæ in contumelia ſeminata, jam ſurrexerat
in gloria: ſive quia fidelibus eadem gloria & poteſtas poſt reſurrectionem ma-
gis innotuit. tunc glorificatus & poteſtatem accepiſſe narratur, quandò hæc in
cognitione credentium facta ſunt: ſicut & in oratione dicimus, *ſanctificetur nomen* Luc. 11. 2.
tuum, ſcilicet, ut in cognitione fidelium fiat ſanctum. Sive quia ſi quid po-
teſtatis, & gloriæ poſt ejus reſurrectionem Eccleſiæ donatum eſt, ipſe dicitur
accepiſſe, tamquam caput in membris, id eſt, in hominibus fidelibus. Unde di-
ctum eſt à propheta, *Aſcendens in altum captivam duxit captivitatem*, * *accepiſti dona* Pſ. 67. 19. * accepiſti dona.
B *in hominibus.* His & aliis compluribus modis dicta præcedentium patrum pius at-
que exercitati ſenſus lector & intelligere, & adverſus hæreticorum calumnias
defendere poteſt: imperitus autem & arrogans, qui omne quod non intellexe-
rit non diſcere ſed condemnare feſtinat, neceſſe eſt ut conturbetur in talibus, &
ſi potuerit, alios quoque conturbet, dum rationem quam pro ſua imperitia
non potuit invenire, etiam pro arrogantia dedignatur accipere. Illud autem
quis ferat, quòd aliqui dicentes credere ſe nobiſcum duas Chriſti eſſe naturas &
Deum illum atque hominem non negantes, ſi audierint quòd gratia ſit filius
Dei, ſic deteſtantur hac verbum, tamquam ſi de illo dicatur, qui Deus tan-
tùm non etiam homo ſit. Sicut autem & natura filius eſt hominis propter ve-
ram humanitatem, & dignatione filius eſt hominis propter veram deitatem, ita
etiam & natura filius Dei eſt propter veram deitatem, & gratia filius Dei eſt
C propter veram humanitatem. Si verò & ſecundum humanitatem natura filius Dei
dicatur, in illud Apollinaris inciditur, quòd credidit Deum verbum ex parte ſuæ
ſubſtantiæ, quæ tota ubique eſt, & partiri non poteſt, carnem ſibi feciſſe. Quòd
ſi veraciter duas dicunt ejus naturas, & ambæ divinæ eſſe non poſſunt, quia hu-
manitatis una natura eſt; procul dubio, non quemadmodum ſecundum divinita-
tem natura filius Dei eſt, ita etiam ſecundum humanitatem natura filius Dei eſt.
Si autem ſecundum humanitatem non eſt natura filius Dei, neceſſariò ſequitur,
ut aut meritis, aut gratiâ ſit filius Dei, qui ex quo eſſe cœpit, non fuit aliud
quàm filius Dei. Reſtat ergo, ut ſecundum humanitatem gratia ſit filius Dei.
Ob hoc quoque beatus Auguſtinus, præcipuus catholicæ fidei prædicator, ſcri-
bens ad Proſperum & Hilarium de Prædeſtinatione ſanctorum, & docens quòd
gratia Dei non ſecundum noſtra merita detur, inter alia dicit: Eſt etiam præcla- " Lib. 1. c. 15.
riſſimum lumen prædeſtinationis & gratiæ ipſe ſalvator, ipſe mediator Dei & ho- "
D minum, homo Chriſtus Jeſus: qui ut hoc eſſet, quibus tandem ſuis, vel ope- "
rum, vel fidei præcedentibus meritis natura humana quæ in illo eſt comparavit? "
reſpondeatur quæſo. Ille homo, ut à verbo patri coæterno in unitatem perſo- "
næ adſumptus filius Dei unigenitus eſſet, unde hoc meruit? quod ejus bonum "
qualecumque præceſſit? quid egit antè? quid credidit? quid petivit, ut ad hanc "
ineffabilem excellentiam perveniret? Nonne faciente ac ſuſcipiente verbo ipſe "
homo, ex quo eſſe cœpit, filius Dei unicus eſſe cœpit? Nonne filium Dei uni- "
cum femina illa gratia plena concepit? Nonne de ſpiritu ſancto, & virgine Ma- "
ria Dei filius unicus natus eſt, non carnis cupidine, ſed ſolo Dei munere? Num- "
quid metuendum fuit, ne accedente ætate homo ille libero peccaret arbitrio? "
aut ideo in illo non libera voluntas erat, ac non tanto magis erat, quanto ma- "
gis peccato ſervire non poterat? Nempe iſta omnia ſingulariter admiranda, & "
alia ſi qua ejus propria veriſſimè dici poſſint, in illo ſingulariter accepit huma- "
E na, id eſt noſtra natura, nullis ſuis præcedentibus meritis. Reſpondeat hìc ho- "
mo Deo, ſi audet & dicat, cur non & ego? & ſi audierit, ô homo, tu quis "
es, qui reſpondeas Deo? nec ſic cohibeat, ſed augeat impudentiam, & dicat, "
quomodo audio, tu quis es ô homo? cùm ſim quod audio, id eſt homo, quod "
eſt & ille de quo ago, cur non ſim quod & ille? At enim gratia ille talis ac "
tantus eſt: cur diverſa eſt gratia, ubi natura communis eſt? certè non eſt ac- "
ceptio perſonarum apud Deum. Quis non dico Chriſtianus, ſed inſanus hæc di- "
cat? Appareat itaque nobis in noſtro capite ipſe fons gratiæ, unde ſecundum "
uniuſcujuſque menſuram ſe per cuncta ejus membra diffundit, Ea gratia fit ab ini- "
tio fidei ſuæ homo quicumque Chriſtianus, qua gratia homo ille ab initio ſuo fa- "
ctus eſt Deus Chriſtus. De ipſo ſpiritu & hic renatus, de quo eſt ille natus: eo- "

» dem ſpiritu fit in nobis remiſſio peccatorum, quo ſpiritu factum eſt ut nullum A
» haberet homo ille peccatum. Hæc ſe Deus eſſe facturum profectò præſcivit. Ip-
» ſa eſt igitur prædeſtinatio ſanctorum, quæ in ſancto ſanctorum maximè claruit:
» quam negare quis poteſt rectè intelligentium eloquia veritatis? Hunc itaque Apo-
ſtolicum virum, docentem quòd Chriſtus ſecundum humanitatem, nullis præce-
dentibus meritis, ex quo cœpit eſſe per gratiam filius Dei, unicus eſſe cœpit, per
quam etiam, omnia ſingulariter admiranda ſingulariter in illo accepit humana,
hoc eſt noſtra natura; & cujus gratiæ diverſitate factum eſt, ut talis eſſet ac tan-
tus, & non ſimilis noſtrî, cùm ſit nobis natura communis: atque adſerentem quod
ea gratia fiat ab initio fidei ſuæ homo quicumque Chriſtianus, qua gratia homo
ille ab initio ſuo factus eſt Chriſtus. audeant iſti, ſi poſſunt, hæreticum dicere, B
audeant ſolita præſumptione damnare. Et tunc vere diſcent, quæ ſit pietas &
conſtantia Eccleſiæ Latinorum, quam Deus magiſterio ejus inſtituit atque firma-
vit; cùm ab omnibus confeſtim anathematizati fuerint, & tanquam putrida, &
morbida membra præciſi. Si igitur libet eos in pace quieſcentium buſta refode-
re, & oſſa conrodere mortuorum, in hoc adamantino viro ſuos experiantur den-
tes, & cognoſcent quod ita eis in ore frangentur, ut ultra neminem ſub hac ſpe-
cie pietatis mordeant.

FINIS LIBRI NONI.

FACVNDI EPISCOPI HERMIANENSIS

PRO DEFENSIONE TRIVM CAPITVLORVM,

LIBER X.

CAPUT PRIMUM.

Quod reprehendenda Synodus non ſit, quia Theodorum non damnarit, tametſi in ejus ſcriptis quædam ſint culpanda: cùm fieri potuerit, ut eam laterent, vel illa melius interpretanda, aut ab inimicis ejus immiſſa crederentur.

A SI QUID mihi creditur, Imperator, multum doleo præſentis mei operis ſortem, de quo non tantum expecto fructum; quantum ſuſcepi laborem. Quid enim amplius tam multiplicibus documentis & rationibus perſuadere mortalibus conor, quàm ne præſumant eſſe judices mortuorum? Hoc quippe nullius ſuaſionis eſt indigens, nec in tali cauſa vellem tempus expendere, cujus nemo poteſt recuperare jacturam. Sed enim cùm viderem quoſdam ſub falſo propugnatorum nomine impugnare latenter Eccleſiam, & tamquam in ejus purgationem, ut hæreticos damnare, quos illa ſemper habuit honoratos: tacendum mihi eſſe non credidi, ne illud inciderem quod Eſaias dicit, *Videte quia omnes excæcati ſunt, neſcierunt ſapere omnes. muti canes, qui non potuerunt latrare; ſomniantes cubile, amantes dormitare. Et canes improbi omnino, neſcientes ſaturitatem, & ſunt maligni neſcientes intellectum: omnes ſuas vias executi ſunt unuſquiſque ſecundum ſe.* Eſa. 56.
B *Videte quomodo perit juſtus, & nemo animadvertit. & viri juſti tolluntur, & nemo conſiderat.* Eſa. 57. 1. Putes hoc de præſenti cauſa propriè dictum. Quoniam verò non eſt eadem quæſtionis reſponſioniſque conditio, nec quod breviter accuſatur, continuò etiam excuſari breviter poteſt; ſicut nec tanta maculandi & vulnerandi eſt difficultas, quanta nos in abluendo medendoque conſequitur: neceſſe eſt nobis aliquanto impenſius agere, maximè ſcientes quàm difficile rejiciant obſtinati, quod ſemel adſumpſerunt. Sed opto, clementiſſime Imperator, tam veſtræ modeſtiæ quàm viris quibuſque graviſſimis, in quorum manus hæc fortè pervenerint, nimius videri, quàm ne pertinacia reſiſtentium longitudinem mei ſermonis excuſet. Si enim nec tantis apud eos quod volumus egerimus, providus magis inveniar quàm prolixus. Quamvis itaque in ſuperioribus oſtenſum fuerit; quædam ex dictis Theodori, pro quibus putatur à ſy-
C nodo Calchedonenſi debuiſſe damnari, ab Eutychianorum fautoribus eſſe corrupta; quædam verò ſanctorum patrum, quos & ipſi venerari ſe dicunt, doctrinæ ſimilia: quamvis & hoc fuerit demonſtratum, quòd idem Theodorus à prædictis ſanctis patribus & ſuperſtes, & poſt mortem, magna fuerit prædicatione laudatus: quamvis poſtremo etiam dictorum ejus evidentibus documentis manifeſtè claruerit, quòd calumnioſè adverſariorum criminationibus impetatur. Tamen quoniam religioſi lectoris intentio non tam purgationem Theodori, in quo ſtatus Eccleſiæ non conſiſtit, quàm abſolutam defenſionem ſynodi Calchedonen-

ſis expectat : oſtendere debemus, quomodo vel ſi culpabilia quædam in libris A
Theodori judicentur, reprehendenda ſynodus non ſit, quod eum non damnaverit, cùm
ex epiſtola Ibæ relegi laudes ejus audiret. ut cognoſcant Eutychiani, quàm inaniter
dies noctesque in malignis conſiliis ducant, & tantis ſumptibus, quos in ſuos com-
plices atque fautores expendunt, nihil efficiant. Et nos ergo ponamus, ut dictum eſt,
quod in libris Mopſveſteni Theodori quædam reprehenſibilia videantur. In primis
unde probari poteſt, quod hoc ſynodus Calchedonenſis cognoverit? Potuit enim fie-
ri, ut eam lateret, ſicut & ipſos accuſatores Ibæ, quamvis calumnioſos, & pertinaces
atque exercitatæ malitiæ, latuit. Nam cùm ſæpenumero eumdem Ibam ante Calche-
donenſe Concilium in judiciis Epiſcopalibus accuſarent, nihil ei de laude Theodori
objicere temptaverunt. At enim aliud eſt ſi accuſatorum, aliud ſi Concilii notitiam
fugiſſe dicatur. Sit aliud, concedamus. ſed num ideo neceſſe eſt, ut Concilinm non
latuiſſe firmetur? Quicquid dicant, quæcumque verba multiplicent, etiam illud B
proculdubio concedetur, quoniam aliud eſt ſuſpicari, aliud certa ratione mon-
ſtrare quod hoc ſynodum non latuerit. Nam puto quod iſti pro ſuſpicione ſua nec ip-
ſos Ibæ accuſatores dicerent latere potuiſſe, niſi rerum exitu vincerentur. Non ergo,
vel ſi judicanda fuiſſet illa ſynodus, ex ſuſpicione, præſertim inimicorum, ſed ex cer-
tis poſſet probationibus judicari. Nam ſi ſuſpiciones judiciorum ſententiam dicent,
nihil omnino eſt, quod non aliter atque aliter judicetur. Admodum verò bene
proviſum eſt, ut judices non conjectores, ſed cognitores potiùs vocaremus. At iſti vo-
lunt judicari tantam ſynodum per tantos annos tanta univerſalis Eccleſiæ pace firma-
tam, & nihil quod cognoſcamus, ſed hoc ſolùm afferunt, quod pro ſuo nos velint arbi-
trio ſuſpicari. Ergo ſi cupiunt, ut cum illis hanc ſynodum ego quoque reprehendam,
tale aliquid ad eam deſtruendam idoneum reqnirant ac proferant, quod tam certum
mihi ſit, quàm certum mihi eſt eſſe me. Videamus tamen quid hanc eorum ſuſpicio-
nem ſequatur, & ſi vel ipſis Eutychianis convenit, arguant quod non cum illis pariter C
ſuſpicemur. Si enim credatur quod ſynodum Calchedonenſem latere non potuerunt
quædam ex nomine Theodori ſcripta, quæ Neſtoriana dicuntur: quomodo credatur
Eccleſiam latuiſſe, in cujus pace atque honore defunctus idem Theodorus? Et ſi pro-
pterea ſynodus Calchedonenſis judicatur ſimilià ſapuiſſe Neſtorio, quia Theodorum
mortuum non condemnavit, quem interrogare vel corripere antè non potuit: quo-
modo prioris temporis Eccleſia non eadem quæ Neſtorius ſapuiſſe firmabitur, quæ
illum, donec viveret, inter clariſſimos Epiſcopos honoravit? Cùm verò dicitur
Eccleſia Chriſti eadem quæ Neſtorius priore tempore ſapuiſſe, proculdubio excu-
ſatur Neſtoriana hæreſis, ſi tamen jam dicatur hæreſis; quando quiſquis aliter ſa-
pit, ipſe potius adverſus antiquam doctrinam novi dogmatis invenitur aſſertor. Hoc
eſt totum, quod Eutychiani magno ſumptu per ſuos potuerunt ſatellites obtinere.
Sed ô Neſtorianorum miferanda felicitas, quibus Eutychianorum ſtipendiis milita- D
tur; Porro cùm Eutychiani Eccleſiam catholicam ante Calchedonenſe atque Ephe-
ſinum Concilium de Neſtorii dogmate accuſare non poſſint, in cujus communione
Theodorus Epiſcopus eſt defunctus; nec ſanctam ſynodum Calchedonenſem niſi
impudenter poterunt accuſare, quæ contra ipſius Eccleſiæ judicium venire non de-
buit, etiam ſi accuſatores Ibæ Epiſcopi aliquas de laude Theodori quæſtiones mo-
verent. Itaque ſi propterea dicunt prioris temporis Eccleſiam non eſſe culpan-
dam, quæ nec Theodorum, nec ea quæ in libris ejus reprehendenda ſunt ſcripta
damnavit, quoniam ea neſcivit, credant hæc etiam ſynodum Calchedonenſem potuiſ-
ſe neſcire. Si verò dicant, quòd eadem ſcripta, quibus nunc abuti Neſtorianos fe-
cerunt, diverſo & meliori intellectu accipiebat Eccleſia, in cujus communione de-
functus eſt: Calchedonenſem quoque ſynodum credant quod ea ſimiliter meliore
acceperit intellectu. Et hæc quidem magnæ ſynodi purgationi ſufficiant, quibus in
cauſa Theodori non minùs quàm anterior Eccleſia defendi poteſt, quæ nequaquam E
ab Eutychianis de Neſtoriano dogmate accuſari ante Neſtorium poteſt. Sed quia
contenti non ſumus proſternere tantùm ſtultiſſimam ipſorum Eutychianorum ſu-
perbiam, quæ ſæpe dejecta contra tantorum ſacerdotum Chriſti ſententiam ad-
huc erigitur, verùm etiam conculcare atque couterere; quid nobis amplius poſt
hanc plenam defenſionem abunde & ad cumulum proferamus? Nam credibiliùs
affirmatur quod doctrina Theodori, cùm haberetur in ſcripto, latere potuit Cal-
chedonenſe concilium, quàm temporis prioris Eccleſiam, in qua ſicut oſtendi-
tur ſemper etiam voce propria diſputabat. Beatus quippe Joannes Antioche-
nus, & orientale Concilium dicunt, quod in expoſitionibus quas in omnibus Ec-
cleſiis orientalibus faciebat, & quibus in regia civitate valde eſſe comprobatus ap-
paret, in conſpectu ſacerdotum, & Imperatorum, & populorum rectus inventus
eſt. Facilius quoque videtur, & promptius, ut Eccleſiæ præcedente judicio, à qua

A doctiſſimus ſemper eſt habitus, etiam ſynodus Calchedonenſis de illo bene ſentiret,
quàm ut ipſa temporis prioris Eccleſia nullius judicio præcedente, ſpontaneo motu
ejus dicta meliùs interpretata ſuſciperet. Ad ultimum, temere nimis & impie, nul-
loque ad hoc exemplo ducente, ſynodus damnaret in Eccleſiæ communione ſine que-
rela defunctum: prudenter autem ac religiosè, multis præcedentibus exemplis, Ec-
cleſia viventem, quando & corrigere poſſet, ſi neceſſarium videretur, in examen
adduceret. Certum eſt igitur, quòd amentes Eutychiani, vel Acephali, cùm ne-
ſciunt quid loquantur, calumniis quibus impetunt Calchedonenſe Concilium, fidem
magis Eccleſiæ quæ fuit ante Neſtorium criminentur, in cujus ſe mentiuntur com-
munione manſiſſe. Unde nos quoque non ſine antiqui temporis Eccleſia ipſum Cal-
chedonenſe Concilium contra calumnias eorum defendimus. Et ideo, vel ſi conce-
datur quòd eadem prioris temporis Eccleſia, ſive poſtea ſynodus Calchedonenſis,
B cognoverunt quæ in libris Theodori reprehenſibilia judicantur, nec melius interpre-
tari potuerunt, cur etiam ſic arguantur quòd Theodorum non condemnaverunt,
cùm potuerint credere quòd hæc ab hæreticis in libros ejus fuerint immiſſa, quemad-
modum Theodorus ipſe conqueſtus eſt? Sic enim dicit in principio cujuſdam ſui o-
peris, cui titulum dedit, de Apolinario & ejus hæreſi: Ante xxx. enim jam hos annos «
de Incarnatione Domini codicem conſcripſimus uſque ad xv. millia verſuum pertin- «
gentem, in quo Arii & Eunomii de hac re delicta, nec non etiam Apolinarii vanam «
præſumptionem, per totum illud opus examinavimus: ut nihil, ſicut mea fert opinio, «
præterirem ex his quæ & ad firmitatem Eccleſiaſticæ orthodoxiæ pertinerent, & ad «
convincendam eorum impietatem. Sed hi qui omnia facillimè præſumunt, & præ- «
terea rurſum ab Apolinario, qui princeps hujus hæreſis fuerat, inſtituti, omnibus «
quidem ſimiliter ſentientibus opus noſtrum manifeſtum fecerunt, ſi quomodo ali- «
qua invenirent valentia ad convincendum ea quæ in eo ſunt ſcripta. Quoniam verò «
C nullus contrà certamen ſcriptis ſuſcipere præſumebat, imitati ſunt infirmos athletas & «
callidos, qui dum non poſſunt contra fortiores certare, inſidiis eos & machinamen- «
tis quibus poſſunt conantur evertere. Scripſerunt enim ipſi inter ſe procul dubio «
quædam inepta, quæ à nobis unquam minimè dicerentur. Denique hæc ipſa in me- «
dio noſtrorum ſcriptorum in quadam parte interpoſuerunt, & ſuis familiaribus de- «
monſtraverunt, aliquando autem & noſtris, qui per facilitatem ſuam omnia pro- «
his animis audiebant, & hoc quaſi documentum, ſicut putabant, noſtræ impietatis «
videntibus præhebant. Unum autem ex his ſcriptis erat, *a* duos filios dicere. Sic enim «
nos fecerint in hoc opere dicentes, quòd oporteat putare & dicere duos filios, & «
vehementer nos iſtum ſermonem defendere, dum nos in illa ſcriptura ubique mani- «
feſtè diceremus, quod non oporteat duos filios dicere. Neceſſe erat ergo, non ſo- «
lùm inepta, ſed etiam infirma illa ſcripta audientibus apparere: quoniam neque «
D firma ratione, neque convenienti hoc poſſibile erat oſtendi, & ab illis idcirco infir- «
mis erat conſcriptum, quatenus ille qui ſcripſerat facilius inde convinci potuiſſet. «
Unus ergo ex noſtris propter multam facilitatem hæc noſtra eſſe credidit ſcripta, «
& hujus rei gratia dignus fide ab illis creditus eſt qui iſta perlegeret, & renuntiavit «
nobis ea quæ fuerant ſcripta. Cùm ergo audiſſemus, culpavimus quidem illum, «
quòd contra nos dictis ſermonibus credidiſſet de his rebus, quas ſæpius & in Eccle- «
ſia & privatim dicentes nos audivit, cùm fideliorem ſcriptis noſtram vocem judicare «
debuerit, ad documentum noſtræ ſententiæ, quam in dogmatibus votum noſtrum «
eſt conſervare. Accepiſti, clementiſſime Imperator, quo livore ſemper, & qua fal- «
lacia inſtitutores Eutychianorum ſynuſiaſtæque inſidiati fuerint dictis Theodori, &
quo modo temptaverint leviſſimorum catholicorum mentes à doctorina ejus averte-
re, ut non ſolùm pravè interpretarentur ea, quæ ille recto ſenſu docebat obvius eo-
rum ſtultitiæ, verùm etiam libros ejus interpoſita falſitate corrumperent. At ille
E hinc vel eorum malitiam, vel facilitatem catholicorum fiducialiter arguebat; quod
palàm prædicaret in Eccleſia Chriſti quæ ſanæ doctrinæ congruerent, & vox ejus fide-
lior ſcriptis eſſet ad documentum ſuæ ſententiæ. Abſentis enim ſcripta, quæ corrum-

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

a DUOS FILIOS DICERE. De hoc capite obiectionis dictum eſt initio libri IX. Refugiebat Theodorus ne duos filios dicere videretur, cùm duos teipſa imprudens ſtatueret, unum naturalem, Dei verbum, alterum adoptivum, ex Maria natum, qui Verbo conjunctus κατ' εὐδοκίαν, ut docebat, particeps factus ſit appellationis filii & honoris. Sic enim loquitur in Expoſitione Symboli, quæ recitata eſt in Actione VI. Synodi Epheſinæ. Καὶ οὔτε δύο φαμὲν υἱούς, οὔτε δύο κυρίους· ἐπειδὴ εἷς υἱὸς κατ' οὐσίαν ὁ Θεὸς λόγος, ὁ μονογενὴς υἱὸς τοῦ πατρός. ᾧ οὗτος συνημμένος τε καὶ μετέχων θεότητος, κοινωνεῖ τοῦ υἱοῦ ὀνόματός τε καὶ τιμῆς. Et paulo pòſt: αἰρεῖ πᾶσαν ἔννοιαν δυάδος υἱῶν τε καὶ κυρίων: *omnem dualitatis filiorum atque dominorum cogitationem excludit.*

pi ab inimicis Eccleſiæ poſſent, vocis ejus teſtimonio præferri non debuerant. Quid A
ergo, ſi vel Eccleſia illius temporis, vel poſtmodum ſynodus Calchedonenſis, cogno-
ſcens ea pro quibus culpatur Theodorus quaſi magiſter Neſtorii, nec melius interpre-
tari valens, ut eum non condemnaret, credidit ab hæreticis in libris ejus immiſſa? num-
quid debet hæc pia credulitas hæreſis crimini deputari, cùm hinc & ipſe Theodo-
rus conqueratur, & alia ejus multa & evidentia ſcripta demonſtrent, quantum longè
fuerit ab errore Neſtorii? Quòd ſi dicunt aliqui credi non debuiſſe Theodoro,
quoniam mentitus eſt Apolinariſtas quædam hæretica in ejus libris immiſiſſe; nam
ipſe malè rapuit, quod illis voluit imputari: non ego pertinaciter contrà contendam,
ſed adhuc concedam eis ſuſpicari quod volunt: Illud interea manifeſtè verum eſt, il-
lud negari non poterit, quòd ea Theodorus ſua non eſſe teſtatus eſt. Arguendus itàque
fuiſſe dicatur, ſi mentitus oſtenditur, quòd poſtea quàm reſipuit, licet prudenter ac-
quieverit veritati, errores tamen aliquando ſuos erubuit humiliter confiteri. Cete- B
rùm & mentitus non juſtè diceretur hæreticus, qui quocumque modo ſuis renuntiavit
erroribus. Scribens etiam ad Cerdonem ſuper expoſitione Pſalmorum, ſicut tertio
» libro memoravimus, idem Theodorus dicit: Non quantam oportuerat habuimus circa
» iſtam rem diligentiam. Paſſi enim ſumus quæcumque incipientes, ut evenit, in im-
» peritia ſcribendi conſtituti. Siquidem & multas immutationes illo tempore quę no-
» ſtra ſunt ſuſceperunt, quas non eſt præſentis temporis enarrare. ex qua cauſſa magis
» negligenter à nobis compoſita ſunt plurima, & maximè illa quæ prima ſunt. Si ergo
vel anterior Eccleſia, vel poſterior ſynodus Calchedonenſis, ex his plurimis, quæ
per imperitiam negligenter à ſe compoſita fatetur, credidit eſſe quæ in ejus libris me-
liori ſenſu interpretari non potuit, errori cohibuiſſe dicenda eſt, quòd eum pro his, in
quibus ignorantiam & negligentiam ſuam ſponte culpavit, non judicavit hæreticum,
& pro ceteris inculpabilibus credidit eſſe laudatum?

CAPUT II. C

Quod etſi aliquando errarit, damnari ut hæreticus non potuerit, quia pertinax non fuit, tùm ultro quædam quæ notabantur correxerit.

EST & aliud nimirum multo fortius, quod nobis ad defenſionem ſuſceptæ cauſæ
proficiat. Nam S. Joannes Antiochenus *b* arguens literis ſuis Neſtorium, quod
B. Mariam matrem Domini negaret, & ut hoc confiteretur exhortans, poſt aliqua
» dicit: Si videtur autem, etiam boni exempli opportunè vos commemorabo, cujus
» meminiſſe volo, ſanctiſſime frater. Neque enim tempus multum eſt ex quo apud
» nos contigit, ut oblivioni forſitan mandaretur. Recordaris enim certè B. Theodori
» Epiſcopi in expoſitione dicentis aliquid, quod rectè dici non putaretur, tibi ipſi pri-
» mo, qui fiduciam in illo tempore habebas, deinde etiam omnibus audientibus. Et D
» qualiter ille, ſentiens læſionem & perturbationem, quam non minima divulgatio il-
» lius dicti excitaverat, & intelligens, quia perturbatio faciat diſcordiam, magis au-
» tem & contradictionem & contentionem hominum amantium ex quibuſcumque re-
» bus occaſiones inquirere huc atque illuc dividi, & contentionibus augere ſcintillam
» ſcandali, quæ parvula videbatur, quod etiam nunc apud vos contigit: quemadmo-
» dum fortiſſimus ille exurgens non poſt multos dies, illud quod ab eo dictum erat, ad
» utilitatem Eccleſiæ ſine confuſione correxit, & corrigens ſtatim contrivit murmur
» vel accuſationem, quæ adverſus eum fuerat facta: nequaquam judicans turpe aliquid
» eſſe corrigere. & hoc ſcientibus quidem omnibus, quia negligenter & minus cautè ab eo
» fuerat dictum, excipientibus autem continuò correctionem. Porro totum hoc arro-
gantiam confundit illorum, qui ſe diligentiores & ſapientiores antiquiſſimis patri-
bus jactant, dicentes quod illius temporis Eccleſia negligenter & inſipienter audie-
bat Theodorum diſputantem, ut eum non argueret in quibus ab ipſis arguitur. E
Quod abſit à pietate ſynodi Calchedonenſis, ut hoc diceret, aut crederet. abſit, in-
quam, ut hoc crederet, Eccleſiam Chriſti, ſi Theodorus, ut dicitur, Neſtoriani au-

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

b ARGUENS LITERIS SUIS NESTORIUM. Extat integra Joannis ad Neſtorium epiſtola in prima parte Synodi Epheſinæ. verùm ubi Theodori in ea eſt mentio, irrepſerat Pauli nomen pro Theodoro. Sic igitur ex Facundi verbis reſtituendum eſt: Μέμνησαί που πάντως τ̃ μακαρίου Θεοδώρου ἐπισκόπου, [illegible] σοί, τῷ καὶ [illegible] καιρόν, ἔπειτα καὶ πᾶσι τοῖς ἀκούουσι. Antiochenæ Eccleſiæ presbyteri ante Epiſcopatum fuerant tum Theodorus, tum Neſtorius. Sed Theodorum Mopſveſtenum jam Epiſcopum Antiochiæ concionantem audiebat hoc tempore Neſtorius adhuc presbyter, inſignis & ipſe in docendo, ut Gennadius cap. LIII. teſtatur, & ex tempore declamator.

A ctor erroris eſſet, blaſphemias ab eo dictas in Chriſtum vel non intelligere, vel
negligere potuiſſe: cùm illud, quod non blaſphemum & hæreticum fuit, ſed quod
rectè dici non putaretur, ſicut Joannes Antiochenus teſtatur, non minimam pertur-
bationem excitaverit, nec antè ſedata ſit, quàm fortiſſimus ille exurgens non poſt
multos dies, illud quod ab eo dictum erat ad utilitatem Eccleſiæ ſine confuſione cor-
rigeret. Et revera magnæ fortitudinis fuit, ut ſeipſum interpretaretur, calcare gloriam
magiſterio longi temporis adquiſitam, & ad emendationem dicti ſine confuſione deſ-
cendere, maxime cùm fretus conſcientia, quia non ſicut putabatur hoc dixerat, faci-
le poſſet audientium parvipendere læſionem, quam tamen diu non paſſus eſt tradi, quia
cito pudoris victor non poſt multos dies offenſionem * properavit auferre ſolo ſer- propera-
mone contractam. Non enim ait Joannes à Theodoro prave aliquid intellectum, vit.
aut ſaltem negligenter, & minus caute ab eo dictum; tanquam de illo loquens, qui
non rerum intelligentia fuerit pravus, ſed ſermone in hoc minus adcommodus. Huic
B itaque S. Joannis teſtimonio, quo Neſtorium redarguit, quomodo ſynodus religioſa
non crederet? non ſolùm quod tantus fuerit idem Joannes, verùm etiam quod Ne-
ſtorio ſcribens, quem ad correctionem invitabat exemplo fortiſſimi viri & humanæ
gloriæ contemptoris Theodori, non eum poſſet ita confidenter ſuæ conſcientiæ te-
ſtimonio commonere de recenti facto, quod non ſolùm ipſe Neſtorius, verùm &
Antiochena omnis Eccleſia recordari facillimè poterat, niſi de manifeſta rei verita-
te præſumptus. Nam neque ſine tractatu aliorum ad ſuum Concilium pertinentium
ſacerdotum, Antiochenus antiſtes de novi dogmatis aſſertione corripere palam
Conſtantinopolitanum Epiſcopum poſſet. Tanto verò teſtimonio ſancta ſynodus
credens, quomodo Theodori memoriam veluti hæretici rejiciendam ab Eccleſia
judicaret, in cujus pace ille defunctus eſt, & cujus pacem ſic dilexit, ut gloriam
ſuæ auctoritatis non erubeſceret ejus offenſioni poſtponere? Cur autem hanc offen-
C ſionem incurrerit prædictus S. Joannes docuit dicens, Quoniam dixit aliquid, quod
rectè dici non putaretur. offenſionis cauſſam magis in exiſtimatione conſtituens: quod
ejus & continuò ſubſecuta correctio demonſtravit. Ex ipſa verò correctione, qua
melius ſemetipſum interpretatus eſt, ſive Eccleſia, quæ illum diſputantem audiebat,
ſive poſtea ſancta Calchedonenſis ſynodus, non illa ſolùm dicta, quæ tunc audientes
offenderant, ſed quæ ſimilia ejuſdem Theodori debuit æſtimare. Quod ſi etiam
contra teſtimonium S. Joannis, non per incautelam & negligentiam verbi, ſed per
intelligentiæ pravitatem, dicatur audientes offendiſſe Theodorus; nec ita poſſet
correctus, vel ab illius ætatis Eccleſia, vel à ſancta ſynodo hæreticus judicari. Ja-
cobus Apoſtolus dicit, *Nolite plures magiſtri fieri, fratres mei, ſcientes quoniam majus ju-* Iac. 3. 1.
dicium ſumunt. In multis enim offendimus omnes. Cùm ergo omnes offendamus in mul-
tis, cur non omnes ſumus hæretici, niſi quia non offenſio, ſed pertinax offenſionis
defenſio, facit hæreticum? Similiter autem confiteor amplius me, & multum amplius
D in hoc S. Joannis Antiocheni teſtimonio, quàm in ceteris vel ipſius, vel aliorum pa-
trum teſtimoniis, delectari atque congratulari Theodòro. Nam in illis jam dudum
memoratis, quibus oſtenditur quanta doctrinæ ejus fuerit celſitudo, gaudeo quidem,
ſed novi hoc eſſe illi commune cum multis. In hoc autem, quo manifeſta cordis ejus
humilitas intimatur, & acquiſitæ gloriæ pro fraterna offenſione contemptus, pau-
cos admodum ſocios ei reperio. Multos enim didicimus eminuiſſe ſcientia, & maxi-
mam pro hac gloriam conſecutos. at ubi humanitus lapſi ſunt, homines ſe cognoſce-
re noluerunt, & ſimpliciter admoniti contempſerunt credere veritati: atque ita illis
ipſa gloria ſcientiæ multum obfuit ad ſalutem, quoniam ſcientia inflat, caritas autem
ædificat. Minus itaque mihi cognitus eſſet Theodorus, quamvis tantorum patrum
laudibus prædicatus, niſi qualis eſſet etiam cùm reprehenderetur, Joanne teſtifi-
cante cognoſcerem. Verùm nec omnibus eſt imitabile, unde & parum utile foret,
ſcientiæ ejus exemplum: correctionem verò gratanter accipere, & citò ac placidè
E quod offenderit emendare, & imitabile omnibus, & multo utilius invenitur. Proin-
de in Theodoro diſcere obſtinati dignentur, etiam de facili lapſu ſermonis admoni-
ti, Apoſtolicam modeſtiam pietatemque ſervare. Nam ſic aliquando Petrus Apo-
ſtolorum primus, ſicut jam diximus, cùm non recte ambularet ad veritatem Evange- Gal. 2. 14.
lii, reprehenſus à Paulo minimo Apoſtolorum non indignè tulit, nec pro ſui pri-
matus gloria reſiſtentem ſibi deſpexit: quoniam caritas, quæ Paulum ad arguendam
prioris culpam fidenter erexerat, eadem Petrum ad ſuſcipiendam minimi correctio-
nem dociliter inclinabat. Hunc itaque virum, non in ſola ſcientia, ſed in humilitate
quoque cordis ac modeſtiæ comprobatum, quomodo temporis illius Eccleſia, quo-
modo ſynodus Calchedonenſis rejicere poſſet, cùm ex epiſtola Ibæ recitari laudes
ejus adverteret, cujus etiam reprehenſio virtutis exemplum eſt, & qui lapſus in
verbo Chriſtianæ humilitatis formam & magnæ ſpecimen pietatis oſtendit? Erant

nunc Eotychiani, & calumniis ſuis ſi quid adhuc poſſunt adjiciaot. fiogaot de Theodoro quæcumque libuerit: accuſent etiam Calchedonenſe concilium de cohibentia & conſenſu malorum. Expaveſcent ad iſta proculdubio leves & faciles corde: ceterùm prudentes & graves intelligent, quòd nihil ex hoc applicent Theodoro, cujus purgatiooi ſufficit quod paratus ſemper fuit ad corrigendum. Quicquid igitur contra Theodorum dicant, noverint quoniam ſi recipiatur, noo magis ipſi atque Calchedonenſi concilio, quàm omni adſcribetur Eccleſiæ, quæ manſuetum & docilem virum neglexit arguere. Verùm opto, clementiſſime Imperator, ut humilitatem rationemque Theodori illi qui eum culpant imitari aliquatenus velint: & ſicut ille gratanter caſtigationem ſuſcipiens, quod negligenter & minùs cantè dixerat corrigere properavit, ita & iſti oos vel patienter ferant, & quod crudeliter & diſcordioſè fecerunt, emendare tandem aliquando dignentur. Ceterùm Theodorus adeo noo fuit à ſancta ſyoodo, quemadmodum putant, velut magiſter Neſtorii condemnandus, ut ejus argueretur exemplo Neſtorius, & idcirco damnaretur, quòd eum noo fuerit imitatus. Quid autem not hinc volunt æſtimare non ſolùm Eutychiani, qui de Theodoro calumniantur Calchedonenſe coocilium, verùm etiam Neſtoriani, qui ejuſdem Theodori dictis abuti dicuntur? Quòd ipſius exemplo Neſtoriut increpatus, non ſtatim ex ejus dictis, quaſi eadem ſentientis, defendere maledicta ſua tentavit, & reſpondere ſaocto Joanni, ac dicere, Theodorus, cujus exemplo me arguis, quem beatum & fortiſſimum dicis, eadem ſemper ſine ullius offenſione docuit. Quod quidem ſi Neſtorius reſponderet, ita Theodoro præjudicare noo poſſet, ſicut nec prophetis, & Apoſtolis, atque Evangeliſtis, quoniam eis vel ipſe abuſus eſt, vel ejus nunc ſectatores abutuntur, atque alii omnet hæretici. Verumtamen cùm ille homo, ad reſpondendum malè paratus, & in perniciem ſuam ſufficienter inſtructus, nihil in erroris ſui defeoſionem ex dictis Theodori, cujus admonebatur exemplo, tentavit adſumere, ſatis oſtendit, ejut ſanctæ doctrinæ ooo ſequacem, ſed obvium ſe fuiſſe.

A B C

CAPUT III.

Quod tametſi Theodorus in quibuſdam erraſſet, laudari ab Iba potuerit propter alia quæ rectè ſcripſit.

HÆC igitur defenſioni magnæ ſynodi Calchedonenſis abundarent. Nuoc autem non ipſa eum laudavit, ſed laudantis epiſtolam, pro fide recta quam cootinet, proouotiavit orthodoxam: quod diverſom eſſe quis prudens, ſi cauſſam diligenter atteodat, ignoret? Potuit enim fieri, ut etiamſi quædam Theodori dicta culpabilia viderentur, & ea ſynodus nec ignoraret, nec interpretari melius poſſet, verùm tamen Ibam latere potuiſſe crederet, ſicut etiam ſanctos patres Joaonem Cooſtantinopolitanum, & Gregorium Nazanzeoum, uoiverſamque Eccleſiam, quæ ipſum Theodorum docentem advertebat, latere potuiſſe credont Eutychiaoi, ut non ſuperſtes condemnaretur idem Theodorus. Igitur quemadmodum ſancta ſynodus antiquam Eccleſiam, cujut pars fuerant memorati patres, non ex communione & laude Theodori, vel ſi eum in quibuſdam ſciret erraſſe, ſed ex propria ipſiut Eccleſiæ fide judicare debuit, quod nobiſcum Eotychiani fateotur; ſic oportuit ot & illam epiſtolam, non ex laude Theodori, ſed ex propria conſcriptorit ejus fide, quæ ibidem legitur, judicaret. Quomodo autem ſynodus non crederet Ibam reverentiſſimum latere potuiſſe dicta Theodori, quæ ante Neſtorium ſcripta dicuntur, cùm ipſius Ibæ fidem Neſtoriano dogmati videret adverſam? Verùm & hoc demus Eutychianis, quòd reverentiſſimum Ibam ſynodus Clachedonenſis crediderit non igooraſſe Theodori dicta, quæ videntur eſſe culpanda; numquid ideo ejus epiſtolam merito rectæ fidei, quam continet, orthodoxam pronuntiare non debuit? præſertim cùm potuerit idem venerabilis Ibas, idcirco Theodorum ejuſque laudare doctrinam, quoniam ea quæ in librit ejus reprehenſibilia judicabat, vel ab hæreticis immiſſa, vel ab ipſo Theodoro reprehenſa, ſicut docuimus, ſive correcta eſſe credebat: & ooo ex eo quod ſcribendi capiens initium, aliquid aliquando reprehenſibile ſcripſit, aut ex lapſu ſermonit incurrit, ejus doctrina judicanda fuerat; ſed eo potius, quod ſi quid in ea culpabile videbatur, ipſe reprehendit, atque correxit. Nam ſi nemo ſapiens Eccleſiam credit hæreticam, quia doctrinam B. Cypriani Carthagioenſis Epiſcopi & martyris laudat, cum ille non ſolum privatim, ut ei viſum eſt, verùm etiam congregato Concilio, definierit ut omnis hæreticus ad Eccleſiam rediens baptizetur, & propter hoc culpatus ab Stephano Antiſtite Romano reſtiterit,
Cyprian. epiſt. 74. ſuamque ſententiam ſcribens ad Pompeium quanta potuit humana argumentatione defenderit, injurioſè tractans eumdem B. Stephanum, à quo fuerat jure culpatus: quomodo epiſtula veoerabilis Ibæ juſtè diceretur hæretica, quòd Theodori doctri-

D E

A doctrinam laudavit, qui licet in Concilio nihil definierit veritati contrarium, ta-
men etiam quæ privatim ab eo malè fuerant compoſita ſponte reprehendit, &
ubi de ſermonis lapſu ab aliis reprehenſus eſt, non injuriam referre, ſed offenſio-
nem corrigere properavit? Igitur ſicut Eccleſia, non approbans beati Cypria-
ni, ejuſque c prædeceſſoris Agrippini, qui hoc antè ſtatuerat, de baptizandis
omnibus hæreticis definitionem, non ſolum ipſos, ſed & omnes, qui cum illis hoc
definierunt Epiſcopos patres adſcribit, eorumque fidem atque doctrinam, & ma-
ximè Cypriani toto orbe radiantem judicat eſſe laudabilem: ſic potuit etiam ve-
nerabilis Ibas doctrinam Theodori, etiam in aliquibus culpabilem non ignorans, abſ-
que illorum culpabilium approbatione laudare. Sive autem B. Cyprianus & Agrip-
pinus, aliique cum eis eadem ſtatuentes Epiſcopi, ſive Theodorus, vel ſi & ipſe er-
rata non emendaſſe credatur, ſive ceteri doctores Eccleſiæ, ex quorum ſententiis
hæretici ſuos errores conantur adſtruere, intentione mentis atque propoſito, ſicut ar-
B bitramur, ab hæreſis crimine defenduntur; quoniam ante definitionem Eccleſiæ, in
ejus communione permanentes, nimio vel immoderato zelo adverſus hæreticos, vel
decreverunt talia, vel dixerunt; non poſt Eccleſiæ in eadem quæſtione ſententiam,
cum hæreticis ſegregati, adſtruendo talia ipſam impugnaverunt Eccleſiam. Forſi-
tan aliquis dicat, Debuit ergo ſynodus, ſi non Theodorum, quia in Eccleſiæ pace
defunctus eſt, neque totam ejus doctrinam, quoniam multa rectè locutus eſt, ip-
ſa certè quæ offendunt ejus dicta damnare. Primùm cujus ſynodi, ut hoc fa-
ceret, ſequeretur exemplum? Sed oſtendatur quælibet ſynodus alicujus doctiſſimi
viri, & in Eccleſia perſeverantis, dicta ex multis decerpta damnaſſe, & ita ſaltem de
Concilio Calchedonenſi querantur. Deinde quando evolverentur tot libri Theo-
dori, ut in eis diligentiſſimè atque ſcrupuloſiſſimè quæreretur quod legentes poſ-
ſet offendere? Nam ſi faciendum eſſet, omnia ſcripta ejus debuit ſynodus illa diſ-
C cutere, ne ſi eum ex parte reprehenderet, approbaſſe cetera videretur. & quod
tempus ad hæc ſufficeret? vel quando per ſingula tantorum ſacerdotum numerus
in unam ſententiam conveniret, cùm diverſo modo moveatur animus auditorum,
& quod alium offendit, meliore intellectu alius ſine offenſione ſuſcipiat? Verùm
ſi non Eutychianorum arbitrio ſerviatur, cur aliquis dicat quòd in illa ſynodo ſo-
lius Theodori dicta, & non omnium antiquorum in Eccleſia vita excedentium, re-
volvi ac * ventilari debuerit? Nam ſi Theodori tantùm quædam ſcripta culparet, ventilari
omnia omnium adprobaſſe videretur; cùm veritas non omnia doceat adprobanda. debuerint
Et quis omnium vel nomina ſciat qui de Chriſtiana religione ſcripſerunt? Cùm er-
go omnium omnia ſynodus examinare non poſſet, non oportuit ut Theodori dicta
damnaret: quoniam ſufficit nobis in hoc Apoſtoli ſententia, qua dictum eſt: *Om-* 1. Theſſ. 5. 21.
nia probate, quod bonum eſt tenete. Quòd ſi non fuiſſet hæc ratio, quis judex mo-
deſtus & prudens, niſi de propoſitis cauſis & quæſtionibus judicet? At cùm nihil
D Epiſcopo Ibæ accuſatores objicerent de laude Theodori in Eccleſiæ communione
defuncti, numquid oportuit ſanctam ſynodum, pro fide ac pace generalis Ec-
cleſiæ congregatam, novam in privata cauſa inter litigantes immittere quæ-
ſtionem, & in ea tempus expendere? Quaſi non ſufficeret tam gravi ac diu-
turna colliſione in tantis eos judiciis litigaſſe: ut aliquid prius & ipſa, vel accuſa-
torum pertinaciæ, vel calamitati Epiſcopi, qui accuſabatur adjiceret. præſertim cùm
ille deploraret de pietate ſanctæ ſynodi auxilium quærens, quòd jam XX. & am-
plius carceres mutaſſet, & ad eam de XL. manſionibus adveniſſet. Quis hoc ho-
minum præter Eutychianos dicat, quos ratio ſimul pietaſque deſeruit, & in qui-
bus nomen ſolùm remanſit humanum? Meminerit autem lector, quod hæc in
defenſionem magnæ ſynodi, nulla neceſſitate compulſi, ad conculcandam & pe-
nitus conterendam vecordium Eutychianorum ſuperbiam dixerimus. Libuit
E enim nobis illudere illis, & ita cauſam conſtituere, tamquam Theodorus aliqua
culpabilia ſcribens non emendaverit, & non ſolùm prædicta ſynodus Calchedo-
nenſis ea cognoverit, nec melius interpretari potuerit, verùm etiam venerabilis
Ibas hæc eadem non ignorans ejus doctrinam laudaverit: quorum nihil probatum
eſt, ſed nos hæc ultro conceſſimus, ut per hoc amplius appareret, quàm ſtultè

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

c PRÆDECESSORIS AGRIPPINI. Qui primus omnium mortalium, ut Vincentius Lirinenſis in Commonitorio I. ſcribit, rebaptizandum eſſe cenſuit. Prædeceſſorem Cypriani appellat, ſicut Auguſtinus libro II. de baptiſmo contra Donatiſtas cap. VII. Quotus autem ab Agrippino Cyprianus ſucceſſerit, non liquet. Longo intervallo ſucceſſiſſe Cyprianus ipſe eſt auctor epiſtola LXXIII. ad Jubajanum. *Multi jam anni ſunt, & longa ætas, ex quo ſub Agrippino bonæ memoriæ convenientes in unum Epiſcopi plurimi hoc ſtatuerunt.*

quidem Eutychiani de ſententia ſynodi ſuper epiſtola Ibæ prolata querantur, quo- A
niam, ne his quidem omnibus conceſſis reprehenſibilis probaretur.

CAPUT IV.

Quod Theodorum Synodus, ſi apud eam accuſatus fuiſſet, damnare poſt mortem in Eccleſiæ pace defunctum non debuerit.

ALIQUID tamen, & iſtis adjicimus, ut quod penitus factum non eſt, vel
Theodorum, vel ipſum venerabilem Ibam, de Theodori laude ponamus in
ſynodo accuſatum. Si ergo propter hoc hæretica dicenda eſt illa ſynodus, quòd
ejus epiſtolam Theodorum laudantem pronuntiaverit orthodoxam, quomodo bea-
tus Cyrillus & Proclus, quos honorare ſe fingunt, ab hæreſis crimine defenden-
tur, qui orientales accuſatum apud ſe Theodorum defendentes, & multo ampliùs
prædicantes, non ut hæreticos damnaverunt; ſed potius communicando eis fir- B
maverunt orthodoxos? ut omittam, quòd etiam ipſorum, id eſt Cyrilli & Procli,
adverſus eandem Theodori accuſationem ſententiæ teneantur, quòd nec ipſe, nec
ejus dicta damnanda ſint. Quocirca vel ſi Theodorus, vel Epiſcopus Ibas accuſa-
retur in ſynodo pro laude Theodori, non poſſet ab Eutychianis eadem ſynodus ac-
cuſari, quòd illam epiſtolam pronuntiavit orthodoxam, niſi etiam Cyrillus & Pro-
clus conſequenter accuſarentur, quòd judicaverint orientales orthodoxos, qui ac-
cuſatum apud ſe Theodorum defendentes etiam præcipuis laudibus extulerant. Si
quis autem adhuc paulo attentiùs partis utriuſque momenta perpenderet, leviorem
inveniret cauſam illius ſanctæ ſynodi, quàm beatorum Cyrilli & Procli. Nam vel
ſi, ut dedimus, accuſaretur apud illam Theodorus, levius eſſet ut abſolveret Ibam
Epiſcopum, qui eum necdum apud ſe depoſita accuſatione laudaſſet, quàm quòd
beatus Cyrillus & Proclus fecerunt, qui orientales, à quibus idem Theodorus poſt C
accuſationem laudatus eſt, judicaverunt orthodoxos. Ubi autem probari poteſt
quiſquam, etiamſi verè fuerit hæreticus, ab univerſali ſynodo non prolata accu-
ſatione damnatus? Nam patres noſtri cunctos quos expulerunt hæreticos priùs
admonuerunt ſapere meliora; deinde condemnationem, ſi non reſipiſcerent, com-
minati ſunt: dantes eis etiam tractandi ſecum inducias, ſicut neceſſarium videba-
tur. Non hæc abſque documento jactamus. Atteſtantur nobis exempla majo-
rum, quorum forma beatus Cyrillus & Neſtorium priùs correctum, non quia la-
pſus erat, ſed quia noluit reſipiſcere, condemnavit: & Theodorum, qui accuſa-
tus antè fuerat, condamnari prohibuit. Quam ſanitatis & modeſtiæ regulam qui-
dam malè tranſgreſſi, ne vel ſerò confiteantur errorem, dicunt probare ſe poſſe
neſcio quos hæreticos poſt mortem fuiſſe damnatos. quaſi verò per hoc probent
quod non etiam viventes damnati ſint; vel ſi noſtram memoriam ac notitiam fu-
git. Non enim quiſquam ſcire aut reminiſci omnia poteſt, quia nec omnia quæ D
ſcripto mandata ſunt hactenus perſeverant. Ut autem hoc omittam, illud certè
negare non poſſunt, quoniam prius correpti ſunt, & in judicium adducti, atque
convicti, & ſi ut reſipiſcerent non citò ſpoliati ſunt honoribus, quibus in Eccle-
ſia fungebantur, à fraterna tamen communione remoti ſunt. Quid horum jam præ-
ceſſerat in Theodoro, ut eum ſynodus etiam apud ſe accuſatum adjudicaret? Si
quis autem adfirmat aliquos ante correctionem ab Eccleſia fuiſſe damnatos, non
Tit. 3. 10. tam ipſos quàm condemnatores eorum patres noſtros contrarios Apoſtolo cona-
tur opponere, qui non niſi poſt unam & ſecundam correptionem vitari jubet
hæreticum. Verùm longè abſit à nobis quod catholica & Apoſtolica Eccleſia
Apoſtolo fuerit aliquando contraria. Si quid ergo apud eos valet modeſtiæ &
ordinis ejus auctoritas, quem ſalubriter ab Apoſtolo conſtitutum in hæreticis e-
vitandis, id eſt excludendis, ſemper tenuit, deſinant cum ſuis contentionibus
impugnare. Non enim ſanctam ſynodum, quæ nihil contra conſuetudinem Ec- E
cleſiæ faceret, etiamſi accuſatum apud ſe Theodorum non damnaret; ſed potius
univerſam, cujus formam ſequeretur, impugnant Eccleſiam. At iſti argumen-
tantur, & dicunt in hoc Theodorum ab Eccleſia fuiſſe depulſum, quoniam ſan-
cti patres in ſuis libris, quos privatim ſcripſerunt, culpaverunt eos qui talia ſape-
rent, qualia ſapuiſſe dicitur idem Theodorus. Equidem ſuperius jam, non ſo-
lùm teſtimonio magnorum virorum, ſed etiam dictorum ejus prolatione monſtra-
tum eſt, quomodo ſapuerit: tamen quoniam aliqua ex innumeris ejus libris, velut
his quæ protulimus contraria, calumnioſè decerpunt, & pro illis eum exiſtimant
eſſe damnandum, affirmantes quod patres noſtri in ſuis libris antè notaverunt quoſ-
que talia ſentientes: idcirco ipſorum patrum ſimilia his quæ culpant ſequenti

A volumine proferimus, ut ſuas calumnias adverſus magnum Concilium excogitatas
undique repulſas adſpiciant. Sed his quoque ſublatis, vel paululum dilatis, ſi
quemadmodum dicunt jam tunc expulſus erat Theodorus, etiam beatus Cyrillus,
necnon Joannes & Domnus Antiocheni, atque alii orientales Epiſcopi, cum eo ſi-
mul expulſi ſunt, cùm expulſum condemnare non ſinerent. mendaciter quoque
Neſtorium, vel idem beatus Cyrillus, vel ſanctus Cæleſtinus Romanus Epiſcopus
expuliſſe dicuntur. Nam ſi propterea jam depulſus erat Theodorus, quoniam
ſancti patres in ſuis libris culpaverunt eos qui talia ſaperent; multo magis Neſto-
rius jam depulſus erat, qui & manifeſtè prava ſapuiſſe demonſtratur, & offenſio-
nem auditorum, quam profanis vocum novitatibus incurrerat, auferre contem-
pſit. Verùm ego hinc ipſorum Eutychianorum qualemcumque conſcientiam
quæram. Ponamus accuſatum apud nos aliquem, qui diceretur expellendus quòd
B contraria doceret quibuſdam ſententiis patrum; conſilium peti, quid agere de-
beremus. Numquid hoc nobis occurrit, ut non admonitus, neque correptus,
ex eo tantùm ab Eccleſia pelleretur, quoniam patres in ſuis libris, quos priva-
tim ſcripſerunt, refutaſſe invenirentur eos qui talia ſentirent; & non potius quia
interrogandus prius, & admonendus eſſet, demonſtratis ei ſententiis ſanctorum
patrum, quibus diceretur eſſe contrarius; & ſi non corrigeret, devocandus in
Concilium, ejus auctoritati ſi non crederet, expellendus? Hoc utique videtur
fuiſſe faciendum, hic nobis ordo ſervandus, hæc habenda humanitatis ratio, vel
ſi hoc non præcepiſſet Apoſtolus. Si autem ſuperſtitem, non antè admonitum, at-
que correptum damnare non deberemus abſentem: quomodo ſancta ſynodus, vel
ſi apud eam Theodorus accuſaretur, juſtè *d* damnare mortuum poſſet? Nam pri-
mùm quis ejus accuſator ſic certus eſſet quòd ipſius ſint omnia illa capitula quæ
culpantur, ut ſi ei tanquam accuſatori ex more diceretur, Jura per nomen Domi-
C ni quòd Theodorus, quem poſt mortem condemnari quæris, iſta ſcripſerit, jura-
re auderet? Non enim licebat magnæ illi ſynodo leviter credere, quod gravi-
ter dicitur debuiſſe damnare. Alia enim cauſa eſt, cum ad inſtructionem tan-
tummodo aliquid legimus, ut credamus ſimpliciter ejus auctoris eſſe, cujus no-
men titulus præfert, nihil ei de hac noſtra credulitate præjudicantes: alia ve-
rò, cum damnatio ejus qui creditur auctor in judicio flagitatur. Unde vel ſi ju-
raret iſte accuſator Theodori eſſe omnia illa capitula, nec ita ſynodus ad condem-
nandum in Eccleſiæ pace defunctum juramento ejus deberet adduci. Quid igitur
ille accuſator amplius agere poſſet, quàm teſtes citare meriti & numeri competen-
tis, qui jurati hoc ipſum teſtificari vellent? Porro neque hoc quod amplius agi
poſſet ejus condemnationi ſufficeret. Nam ſi dum viveret idem Theodorus, ad-
verſus eum teſtes adducerentur, non oportuit in judicium non devocatum pro ſo-
D la teſtificatione damnare. Si verò conventus, vel reatus conſcientia, vel contu-
macia, indictum præſtolari nollet examen, jam non teſtibus de abſente, ſed ipſi
de ſe judicanti potius crederetur. Nulla verò correctione, ſive conventione præ-
cedente damnatus, de iniquitate judicum jure quereretur, & acceptabiliter dice-
ret, quod maligne vel temere adverſus abſentem falſis teſtibus credidiſſent. Pro-
pter quod in eadem ſancta ſynodo pro reverentiſſimo Iba clamaverunt Epiſcopi
ſæpe dicentes, Malè fecerunt qui eum præter canones damnaverunt: quæ adverſus "
abſentem facta ſunt evacuentur. Hæc omnes dicimus. nemo condemnat abſen- "
tem. At ſi contra viventem acceptari teſtes non oportuit ut damnaretur non
interrogatus, neque conventus; quomodo eos ſancta ſynodus, etiam ſi contra
Theodorum in ejus teſtificarentur examine, juſtè reciperet? An facilius eſſet men-
tiri de vivo, & difficilius mentiri de mortuo? Si autem interrogarentur iidem
teſtes, unde certiſſimè ſcirent illa, quæ reprehenderentur, à Theodoro eſſe con-
E ſcripta, quid poſſent credibilius reſpondere, niſi quod aut in libris, qui ejuſ-
dem Theodori dicerentur, ea reperirent, aut ab ipſo dum viveret ejus fuiſ-
ſe didicerint. Sed librorum titulum ad faciendam condemnationem illius vi-
ri, qui in Eccleſiæ pace & maxima patrum laude vita exceſſit, non ſuffice-
re ſuprà docuimus. præſertim quia conqueſtus eſt quoſdam ſuos libros ab hæ-

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

d JUSTE DAMNARE MORTUUM. Qui pro Theodoro pugnabant hac potiſſimum exceptione utebantur, quam multis locis ingerit Facundus, & quam habet Vigilius ipſe in Conſtituto, quòd poſt mortem damnandi non ſint qui in pace Eccleſiæ vitam finierint. Impugnatores contrà capitulorum, & jure damnari, damnatoſque in Eccleſia hæreticos fuiſſe poſt mortem contendebant: & Theodorum falsò dici mortuum in pace Eccleſiæ, qui ad mortem uſque contraria Eccleſiæ dogmata ſecutus ſit. Sic enim diſſerit Juſtinianus in Edicto, & Synodus V. in Actione V.

reticis fuiſſe corruptos: & beatus Cyrillus de illo dixit, quia cum non eſſet in prom- A
ptu perſona quæ culpæ ſupponeretur, incerta capitulorum redargutio fieret, & qui
hæc agerent, in incertum currentes & aërem verbɔrantes invenirentur. Quomo-
do igitur aliquibus, vel ſi adducerentur, teſtibus ſynodus crederet certum fuiſſe,
quod Cyrillus recentiore adhuc rerum memoria incertum fuiſſe toſtatus eſt? Si au-
tem hoc potius dicerent, quòd ab ipſo Theodoro ejus fuiſſe cognoverunt, quid
reſpondere poſſent ſi eis diceretur, Quid igitur cauſæ fuit, ut hæc quæ argui-
adverſus ſuperſtitem. tis, non tunc * adverſus ſuperſtites ad Eccleſiarum præpoſitos deferretis, quan-
do & in judicio poſſet adduci, & aut negaret quod ſua fuerint, aut melius ea in-
terpretari poſſet, aut quod extremum eſt, abjicere ſi non poſſet? Nihil eſt igi-
tur, quòd ſancta ſynodus de non condemnato Theodoro culparetur, etiamſi apud
illam accuſatus eſſet, & teſtes meriti & numeri competentis ad ejus introduce-
rentur examen. Verùm & hoc Eutychianis dem…s, & conſtituamus quòd pro- B
batum ſynodo fuerit illa Theodori eſſe capitula, unde certum haberet qua fuerint
multa non ſicut ſent. intentione prolata? Nam & * multa ſicut ſentimus eloquimur, & multa non ſicut
à nobis proferuntur, ita ſuſcipiuntur ab aliis. Sed & hoc ponamus, quòd illa
capitula Theodorum errantem ſcripſiſſe cognoverint, unde ſcire ſynodus poſſet, u-
trum ex illis, quemadmodum dictum eſt, vel eorum ſimilibus eſſent, quæ in ſuis di-
ctis vel reprehendit, vel emendavit idem Theodorus? Nam & hoc juſtè dicitur,
quòd illorum reprehenſio, ſive correctio, aliorum quoque ſimilium debuit excuſa-
tioni proficere. Quòd ſi etiam non oſtenderetur quædam in ſuis dictis culpaſſe,
ſive correxiſſe Theodorus, & ea quæ in illo reprehendunt Eccleſiam latuiſſe cre-
dantur; unde ſynodus certum habet, quòd poſtquam illa ſcripſit non cognoverit
veritatem, inſpirante Deo, qui occultè ac mirabiliter ſolet in ſuorum cordibus o-
perari, ut eum ſic judicaret tanquam in ipſo errore defunctum? Nam vel ſi probare-
tur, quòd uſque in die mortis ſuæ aliquid de incarnatione Chriſti neſcierit, tamen
cùm non eſſet ab ejus Eccleſia ſeparatus, unde, ſicut dixi, certum ſynodus ha- C
beret, quòd in ipſa hora qua efflaturus erat extremum, magna & ininveſtigabi-
lis miſericordia Dei, quæ latroni non ignorata ſcelera dimiſit in cruce, non etiam
ipſi dedit pro tantis ejus in Eccleſia laboribus & certaminibus adverſus hæreticos,
ut ab ignorantia ſua reſipiſceret, & errore damnato latronem ſequeretur, in pa-
radiſu ſtatim & ipſe cum Chriſto futurus, qui nunc dicitur de Neſtoriano dogmate
ante Neſtorium fuiſſe damnandus? Quantos enim hæreticos, quantos Judæos, at-
que gentiles idonea teſtificatione didicimus in ipſo limine mortis fuiſſe converſos?
ſed quia publicus fuit error illorum, non potuit publica non eſſe converſio, dum re-
conciliari, dum baptizari ab Eccleſia ſupplicarent, dum poſtremɔ reconciliaren-
tur, ſeu baptizarentur: occultam verò ſuam ignorantiam, & à nullo culpatam, quam
Theodorus dicitur haburſſe, cui & orientale Concilium atteſtatur, quod nullam de- D
tractionem ab orthodoxis in vita ſuſceperit, & de quo & alius Proclus Epiſcopus
dicit, quos nec vivos aliquando culpavimus, poſſet occultè reſpuere. Quod ſi
& non occulte, ſed aliquibus conſciis hanc abjecit, tamen hoc ſanctæ ſyno-
do eſſe poſſet occultum, & de occulto judicare non poſſet, quia hoc Dei eſt pro-
prium, dicente Moyſe, *quæ occulta ſunt vobis & filiis veſtris*. Unde & beatus Cy-
„ rillus ait: Juſtiſſimum apparet prudentibus viris cedere præſcienti uniuſcujuſque
„ voluntatem. Cur ergo culparetur hæc ſynodus, quæ Deo cederet omnia præſcien-
„ ti, nec auderet, ut quidam, occultorum judex eſſe, quod ſolus eſt Deus? Verùm
neque illud modeſtus quiſquam, ſicut arbitror, definire præſumit, quod hæretici
habendi ſint omnes, qui non pertinaces, ſed ut imperfecti, & ad diſcendum pa-
rati, minus aliquid in Chriſtiana fide cognoverint; ſicut etiam ipſe Thomas & Phi-
Ioan. 14. 7 lippus Apoſtoli. Nam & Thomæ dicitur, *Si cognoviſſetis me, & patrem meum uti-*
Ibid. 9. & 10. *que cognoviſſetis*. & Philippo, *Tanto tempore vobiſcum ſum, & non cognoviſtis me Philip-*
pe. &, *Non credis quia ego in patre, & pater in me eſt?* Quis ergo tales hæreticos di- E
cat, ſi præſentem vitam, quamvis adhuc ignorantes, in Eccleſia tamen finierint,
quam falli poſſe non credunt; cùm memoratos Apoſtolos, nec in ipſo tempore quo
hæc ignorabant, hæreticos fuiſſe audeat ſuſpicari? Verùm hinc quoque poſtea
multa dicemus. Cùm verò incertum ſynodus haberet, & Theodori eſſe omnia illa
capitula, pro quibus ab Eccleſia diceretur excludendus; quod etiamſi certum ha-
beret, quali tamen fuerint intentione prolata, adhuc ei eſſet incertum: quod
ſi & erraſſe illum ſine dubitatione cognoſceret, non & continuò etiam quod
errorem poſtea non emendaverit appareret: neque ſi hoc quoque aliqua certa
ratione conſtaret, quiſquam pius & gravis definire præſumit, quòd hæretici
ſint omnes, qui ſine pertinacia in Chriſtiana fide falluntur, ſi nec dum inſtru-

A ѽi in Eccleſiæ pace vitam finierint: quis niſi impius, quis niſi temerarius dicat, quòd illa ſynodus inter tot incerta debuerit Theodorum ſub anathemate condemnare? Sine dubio autem conſideras, Imperator, quanta Eutychianis eorumque fautoribus nulla ratione cogente ſponte dedimus, ſive conceſſimus; & tamen eis veritas non concedit, ut ſententia magnæ ſynodi, quæ epiſtolam laudes Theodori continentem pronuntiavit orthodoxam, culpabilis judicetur. Quod ſi tantæ nobis convictiones, quas pro experta obſtinatione adverſariorum protulimus, defuiſſent; quis religioſus reprehendere poſſet hanc ſynodum, quæ quod ſibi datum non eſt uſurpare non auſa eſt? Nam Eccleſiæ ſuæ nullam Dominus in mortuis ligandi & ſolvendi tribuit poteſtatem, cùm diſcipulis ſuis diceret: *Quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo, & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt & in cælo.* Matt. 18, 18. Eos igitur ſolùm, qui ſunt in terris, ligare accepit & ſolvere. & idcirco reprehendi non debet, quod Theodorum, vel ſi culpabilem noſſet, tamen quia non
B erat in terris alligare non auſa eſt. Aliorum quibus hoc placuit, non ejus fuerit iſta præſumptio. Nam ſicut non oportuit audere & ſolvere poſt mortem eos qui alligati erant in terris, quod quidem habere videtur nonnullam pietatis imaginem: ita non oportuit ut auderet eum qui alligatus non erat in terris, alligare poſt mortem; quod & apertæ impietatis eſt, & ejus poteſtati non creditum. Quapropter etiam beati patres definierunt, quia non noſtrum eſt judicare eos qui honoratè defuncti ſunt, ſed ſolius judicis vivorum & mortuorum.

CAPUT V.

Quod Athanaſium nemo damnat propter excuſationem quam ſuſcepit Dionyſii Alexandrini, & quod multo facilius ſit Theodorum defendere.

C QUOMODO autem dicunt Neſtorianam eſſe ſynodum non defendentem, nec aliquatenus excuſantem ſcripta Theodori, quem velut magiſtrum Neſtorii criminantur: cùm Athanaſium ſcripta deceſſoris ſui Dionyſii defendentem dicere non audeant Arianum? Nam neque cùm Ariani vellent quædam ex dictis venerabilis *e* Dionyſii Alexandrini Epiſcopi in teſtimonium & adſertionem ſui erroris adſciſcere, ut ex hoc oſtenderent Arium non eſſe novi dogmatis inventorem, quippe cùm Dionyſius olim docuiſſet facturam eſſe filium Dei, neque natura proprium, ſed extraneum ab eſſentia patris, & quia idem filius non erat antequam fieret, aliaque ſimilia, quæ in eodem opere continentur, Athanaſius, germanum ſpecimen & probabile catholicæ doctrinæ atque virtutis exemplum, ea conſtanter excepit, & quamvis noſtris auribus dura, & ad excuſandum difficilia, defendere non refugit, & prius eorum auctorem Dionyſium per hoc voluit eſſe purgatum, atque ab Arianorum crimine alienum, quod ipſe non ſicut Arius, cùm viveret, de impietate fuerit accuſatus, aut de Epiſcopatu dejectus; neque velut hæreſim defendens, de Ec-
D cleſia ſicut ille diſceſſerit, ſed in ejus permanſerit unitate. deinde melius hæc ipſa interpretari conatus eſt. Unde convenientius puto, ut ſi non omnia, quia prolixum eſt, aliqua tamen in propriis verbis oſtendam. Etenim, ait, & Judæos in quibus contra legem agebant redarguebat Dominus dicens, *Hoc Abraham non fecit*, & iſtos impios & mendaces eadem ipſa veritas redarguit, quoniam Arii aliquid Dionyſius Epiſcopus neque ſenſit, neque veritatem ignoravit. Sed & tunc temporis Judæi; & nunc iſti novi, à patre ſuo diabolo hanc furiam adverſus Chriſtum rebellem hæreditati ſunt. quod magno indicio eſt, quia calumniari tantum volunt illi viro, & non adtendere quòd neque ab aliis Epiſcopis de impietate accuſatus eſt, aut de Epiſcopatu dejectus, * ſicut iſti, ex clericatu, neque ille velut hæreſem defendens de Eccleſia diſceſſit, ſed * in eadem tamen defunctus eſt, & memoria ejus nunc uſque cum patribus celebratur, & nomen ejus ſcriptum eſt. Si enim aliquid iſto-

ſicut iſti de clericatu. *in eadem bene def.*

E

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

e DIONYSII ALEXANDRINI. Tota Dionyſii accuſatio, ut Athanaſius ἐν τῇ ἀπολογίᾳ ὑπὲρ Διονυσίου ἐπισκόπου Ἀλεξανδρείας docet, ab epiſtola quam contra Sabellium ſcripſerat ad Euphranorem & Ammonium, de qua Romæ purgare ſe coactus eſt apud Dionyſium Papam. In ea continebantur hæc omnia, quæ Facundus ab eo perperam dicta commemorat. Ceterùm Athanaſius Dionyſium vult non errore aut ignorantia, ſed κατ' οἰκονομίαν hæc ſcripſiſſe contra Sabellianos. Baſilius verò epiſt. 41. dum in contrarium tendit, [illegible], & incautè lapſum putat. Ἀντιβαίνων γὰρ Σαβελλίῳ, inquit, τῇ ἀσεβείᾳ τοῦ Λίβυος, ἔλαθεν ἑαυτὸν εἰς τὸ ἐναντίον κακὸν ὑπὸ τῆς ἄγαν φιλονεικίας ὑπενεχθείς. De eventu etiam diſcrepant inter ſe. Nam Baſilius hæreſis anomœanæ ſemina jeciſſe affirmat Dionyſium. Athanaſius contra, immerito Arrianos ὁμόδοξον καὶ ὁμόψηφον ſententiæ ſuæ adſtipulatorem jactare ait Dionyſium, cùm ex aliis ejus ſcriptis deberent, non ex hac una epiſtola, de illius fide doctrinaque facere judicium.

» rum ſentiret, vel de bis quæ ſcripſit excuſationem non faceret, ſine ambiguitate A
» etiam ipſe ſimilia pateretur. Et ſuffeciſſent quidem iſta ad redargutionem novo-
» rum Judæorum, eorum qui Chriſtum negaverunt, & patres accuſaverunt, & omnes
» Chriſtianos fallere noſcuntur. Quoniam verò accuſationes ſe habere putant ad ac-
» cuſandum Epiſcopum, partes aliquas epiſtolæ ejus age & ipſas videamus: ut etiam
» ex hoc eorum vanitas demonſtretur, & quieſcant vel ſerò blaſphemare Dominum
» apud ſeipſos, confiteantur autem vel cum militibus, videntes teſtificantem creatu-
» ram, quia verè iſte filius Dei eſt, & non eſt ex creaturis. Dicunt itaque in illa epiſto-
» la B. Dionyſium dixiſſe, facturam & factum eſſe filium Dei; neque natura proprium,
» ſed extraneum ab eſſentia patris eum eſſe, ſicuti eſt agricola ad vitem, & navis
» opifex ad navem. & quia tanquam factura non erat antequam fieret. Ita eſt, ſcri-
» pſit. confitemur & nos eſſe talem epiſtolam ejus. Sed ſicut iſtam ſcripſit, ita &
» alias plurimas ſcripſit. & oportebat eos & illas legere, ut ex omnibus, & non ex
» iſta ſola, fides illius viri agnoſcatur. Et deinde ſequitur eorum quæ memoravimus B
excuſatio: quam non in iſto, quia prolixum fuit, ſed in ejus opere lector inquirat.
Adſpicis verò, Auguſte, quæ B. Athanaſius in Dionyſin excuſanda ſuſciperet, non
ob aliud, niſi quia non ex levi ſono verborum, ſed ex intentione dicentis æſtiman-
da ſunt quæ dicuntur. Dicentis autem intentio, cùm jam perſona defuncta eſt,
» ex communione religioſiùs æſtimatur. Hoc eſt enim quod ait, Si enim aliquid
» iſtorum ſentiret, vel de iis quæ ſcripſit excuſationem non faceret, ſine ambiguita-
» te etiam ipſe ſimilia pateretur. tanquam dicens, Non quod in verbis ſonat debe-
mus attendere, ſed credere potius de Eccleſia Chriſti, quam regit ipſe qui ſangui-
ne ſuo redemit, quoniam niſi hæc bona intentione proferret, aut aliis ejus dictis
auferretur offenſio, ſine dubio Dionyſius in ea non maneret Epiſcopus. Igitur Athana-
ſius, qui non tantum verbi doctrina, quantum paſſionibus, trinæ unitatis erat aſ-
ſertor, & cujus tota vita martyrium fuit, auctoritati ſe ſubdit Eccleſiæ, & quòd C
Dionyſio communicavit uſque in finem, hoc ſolùm judicat ejus purgationi ſuffice-
re, ita ut illum pro talibus dictis non condemnare dico, verùm nec leviter culpare
præſumat, ſciens quoniam ſi hoc faceret, totam quæ illi communicavit culparet
Eccleſiam. Et neſcio qui, quos utinam verè neſciremus, prædicatum à tantis pa-
tribus Theodorum in reprehenſionem Eccleſiæ condemnare præſumunt, & inſuper
ſanctam ſynodum, quòd hoc non præſumpſerit criminari? Quid eſt autem quod in
illo inexcuſabile jam invenerant, ſi in Dionyſio potuit excuſari, quod facturam eſſe
dicit filium Dei, & extraneum ab eſſentia patris, & quia non erat antequam fie-
ret, cum patres apud Nicæam anathematizaverint eos qui dicunt erat quando non
erat, & antequam naſceretur non erat, & qui dicunt factum vel ex alia eſſentia eſſe
filium Dei? Sed Athanaſius, vir magna ratione & gravitate fundatus; & cui tan-
quam experientiſſimo duci ſumma prælia adverſus hoſtes Eccleſiæ meritò crede-
rentur, noverat ipſis exercitatus periculis hæreticorum fallacias prudenter excipere. D
Nam & illi non minore, imo callidiore aſtutia, incautis frequenter illudunt, ut
quos in Eccleſia catholica, velut in caſtris cujuſdam magnæ reipubl. ſapientes & for-
tes viderint, ne illorum vel conſilio credamus, vel confirmemur exemplo, quia ſuos
facere non poſſunt, vel nobis faciant eſſe ſuſpectos. Et ob hoc ille, non velut qui-
dam levis, atque ad omnia eorum factionibus movebatur: ut quemadmodum mali-
tioſi ac timidi, & tam malitioſi quàm timidi duces exercitus ſolent, quia Diony-
ſium Ariani videri ſibi conſcium volebant & amicum, eum crudeliter & temere con-
demnaret, & quem ſecum propugnatorem adverſus hoſtes habebat, à cæleſtibus
caſtris excluderet. Hunc itaque doctiſſimum atque ſanctiſſimum virum imitari,
clementiſſime Imperator, hujus rationem & circa pacem Eccleſiæ obſervantiam ſe-
qui debemus. Nam illorum deridemus crudelitatem, qui ad defendendum ſuos igna-
vi, ad condemnandum verò feſtini, de reprehenſione majorum ignominioſam & hæ- E
reticis communem gloriam captant. Nam credo quod magiſtros militiæ tuæ hanc
in caſtris à te ſibi creditis erga hoſtium dolos & ſuorum defenſionem cautelam præ-
cipias obſervare, quam magiſter militiæ Chriſti Athanaſius obſervavit. & ideo non
dignos exiſtimes Eccleſiarum Dei præpoſitos, quales ſi caſtrorum tuorum haberes,
judicares indignos. Nunc ergo, ſi mihi Neſtoriani dixerint, Theodorus Mopſveſte-
nus, qui & in Epiſcopatu defunctus eſt, & non ſolùm in epiſtola, quam noſtra ſyno-
dus pronuntiavit orthodoxam, verum etiam in illis epiſtolis quarum auctoritate
Romani Leonis dogmaticam defendit epiſtolam, magna prædicatione laudatus, ita
de Chriſto quemadmodum Neſtorius ſenſit, & in defenſionem ſui dogmatis, ſicut
de Dionyſio Ariani fecerunt, quædam de libris ejus capitula ad aliud intendentia,
& adverſus alios conſcripta protulerunt, quæ indigeant excuſari, confeſtim for-
mam, quam nobis B. Athanaſius de Dionyſin præbuit, ſequar, & iiſdem verbis,

A quibus Arianis ille reſpondit, ego quoque iſtis pro Theodoro Mopſveſteno reſ-
pondeam, dicens, Nequicquam illi viro calumniamini, qui neque ab aliis Epiſco-
pis de impietate accuſatus eſt, aut de Epiſcopatu dejectus, ſicut Neſtorius, neque
ille velut hæreſem defendens ab Eccleſia diſceſſit, ſed in eadem bene defunctus eſt.
Si enim aliquid iſtorum ſentiret, vel de his quæ ſcripſit excuſationem non faceret,
ſine ambiguitate etiam ipſe ſimilia pateretur. In aliis quoque reſponſionis ejus ordi-
nem tenens, iterum dicam, quia ſicut iſta ſcripſit Theodorus, ita etiam alia pluri-
ma ſcripſit, & oportet vos & illa legere, ut ex omnibus, & non ex iſtis, fides viri il-
lius agnoſcatur. Et proferam ejus multa Neſtoriano errori contraria, de quibus
pauca libris alligavi. Demonſtrem verò illis & cauſam cur talia ſcripſerit, & do-
ceam quod contra Synuſiaſtas, qui temporibus ejus maximè fervebant, ubicumque
inventa occaſione ſecuriùs talia loquebatur, necdum ex diverſo Neſtorii ſollicitan-
te perfidia. Et mihi quidem, vel quibuſque catholicis, hæc ſola contra Neſtoria-
B nos ſufficient, quæ magno Athanaſio contra Arianos illo tempore ſuffecerunt. Quæ
autem nos amplius habeamus pro Theodoro, quàm Athanaſius pro Dionyſio habuit,
oſtendere, quin potius oſtenſa commemorare non differam. Providit enim miſeri-
cordia Domini, vel pro noſtra inſcitia, qui minus habiles ad defendendum ſumus,
vel pro pertinacia contrariorum, qui manifeſtæ nolunt acquieſcere veritati, ut mul-
to pluribus modis Theodorus excuſari quàm Dionyſius poſſet. Quod enim nos
aſſerimus, adeo diverſum fuiſſe à Theodori ſenſu Neſtorium, ut à reverentiſſimo
Joanne Antiocheno admonitus, non auſus fuerit dictorum illius teſtimoniis ſua ma-
lè dicta defendere: quod utique non omitteret, niſi catholici viri doctrinam con-
trariam ſibi videret. B. Athanaſius nihil tale in defenſionem venerabilis Dionyſii
quod diceret habuit: quia non ſicut Theodori Neſtorius, ita Dionyſii Arius exem-
plo fuerat admonitus & convictus. Deinde quod Theodorus ultro ſemetipſum re-
prehendens in expoſitione pſalmorum, confeſſus eſt, quod negligenter à ſe compo-
ſita fuerint plurima, & maximè illa, quæ prima ſunt, & quod perhibuit aliqua in
C ſuos libros ab Apollinariſtis immiſſa. Poſſumus ergo Neſtorianis dicere, quod ex
illis plurimis negligenter ab eo compoſitis credenda ſint illa ipſa, quæ putant ſuo
dogmati convenire, aut ex eis quæ Apollinariſtas in ſuos libros immiſiſſe conqueſtus
eſt. Poſſumus etiam proferre quod in quinto de Incarnatione libro idem Theodo-
rus ait, & nos in noſtro ſuperiore poſuimus, quod ubicumque de Chriſto diſputans
alterum & alterum dicit, non perſona, ſed natura alterum dicat. Hæc omnia quæ
nobis ſuperabundant, B. Athanaſio ad excuſandam Dionyſii epiſtolam defuerunt,
Quem.cum Eutychiani vel Semieutychiani Acephali culpare non audeant, quomo-
do Calchedonenſem ſynodum culpent, quæ Theodori dicta non excuſare voluit, ſed
noluit non excuſatum damnare?

CAPUT VI.

D *Quod Baſilius Gregorii Thaumaturgi, & Hilarius Antiocheni ac Sirmienſis Concilii dicta
quædam duriora excuſarint, & Theodorum eodem modo excuſare Synodo
licuerit, ſi hoc ſuſcepiſſet.*

SANCTUS autem *f* Baſilius magnum Gregorium, qui miraculorum operatoris
cognomen accepit, ut θαυματουργὸς vocaretur & vocetur à Græcis, non ab Ariano-
rum tantum, qui creaturam & facturam filium dicunt, verùm etiam à contrario
Sabellianorum errore defendit, qui unam patris & filii ſubſiſtentiam dicunt; quam-
vis hæc & prædictus Gregorius dixiſſe videatur. Unde idem S. Baſilius, loquens de

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

f BASILIVS MAGNVM GREGORIVM.
Ea eſt Baſilii epiſtola 62. ad Neocæſarienſes.
E ὡς ἄρα Γρηγόριος εἶπε ἐν ἐκθέσει πίστεως, πατέρα
καὶ υἱὸν ἐπινοίᾳ μὲν εἶναι δύο, ὑποστάσει δὲ ἕν. Quæ ver-
ba non extant in Ectheſi revelata Gregorii, ne-
que in altera, quæ ἡ κατὰ μέρος πίστις inſcribitur.
In alia igitur erant, quam ſcripſerat ad Gelianum,
ſive Ælianum, ut legitur apud Baſilium. Po-
ſterioris κατὰ μέρος fidei locum inſignem recitat
Anaſtaſius in Ecloge, quem operæ fuerit exſcri-
bere, quia Latina verſio depravata non injuria
torſit Scholiaſtem. Ἐκ τῆς κατὰ μέρος πίστεως Γρηγο-
ρίου τοῦ μεγάλου, καὶ θαυματουργοῦ. Καὶ ὅτι θεὸς ἀλη-
θινὸς ὁ ἄσαρκος ἐν σαρκὶ φανερωθείς. τέλειος τῇ ἀλη-
θινῇ καὶ θείᾳ τελειότητι, οὐ δύο πρόσωπα, ἀλλὰ δύο
φύσεις. οὐδὲ τέσσαρας προσκυνεῖν λέγομεν· θεὸν, καὶ υἱὸν
θεοῦ, καὶ ἄνθρωπον, καὶ πνεῦμα ἅγιον. διὸ καὶ ἀναθεματί-
ζομεν τοὺς οὕτως ἀσεβοῦντας. τὸν ἄνθρωπον ἐν τῇ θείᾳ
δοξολογίᾳ τιθέντας. ὁμοῦ φαμὲν ἄνθρωπον ἀναλαμβανό-
μενον ὑπὸ τοῦ θεοῦ εἰς σωτηρίαν ἡμῶν· ἵνα τὴν ὁμοίωσιν
τοῦ ἐπουρανίου λάβωμεν· καὶ θεοποιηθῶμεν πρὸς ὁμοίωσιν
τοῦ φύσει ἀληθινοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ· κατὰ σάρκα δὲ ἀνθρώ-
που, κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. Interpres corru-
ptum nactus exemplar, pro ἀλλὰ δύο φύσεις, con-
trario ſenſu legerat, οὐδὲ δύο φύσεις.

quibuſdam, qui auctoritate ipſius Gregorii excuſare ſuam perfidiam nitebantur, A
„ Immiſerunt, ait, quoddam experimentum per epiſtolam ad uuanimem noſtrum An-
„ thimum Tyanorum Epiſcopum, qund magnus Gregorius dixerit in expoſitione fi-
„ dei patris & filii perſonas intellectu quidem eſſe duas, ſubſiſtentiam autem eſſe u-
„ nam. hnc autem quia non dogmaticè dictum eſt ſed certativè in ſermone ad Ge-
„ lianum, non potuerunt conſpicere qui in ſubtilitate ſenſuum ſemetipſos beatificant.
„ in qua multæ ſunt falſitates eorum quæ ſcribuntur, ſicut in ipſis ſermonibus oſten-
„ demus, ſi Deus voluerit. Rurſus verò pagano ſatisfaciens, non arbitrabatur opus eſſe
„ ſubtilitatis rationem circa verba. Eſt etiam nbi & conſentiendum ſit conſuetudini
„ contradicentis, ut non ad neceſſaria reluctetur. Quapropter & multas invenies ibi
„ vnces, quæ nunc hæreticis maximam virtutem præbeant, ſicut creaturam, & factu-
„ ram, & ſi quid tale eſt. Multa autem dicta & de conjunctinne quæ ad hominem
„ facta eſt, ad divinitatis referunt rationem qui ineruditè audiunt ſcripturas: quale
„ eſt & hnc quod ab his circumfertur. Proinde quomodo ſynodus juſtè anathemati- B
zaret Thendotum in Eccleſiæ pace defunctum, cùm propterea Athanaſius & Baſi-
lius Dionyſium atque Gregorium à criminibus talibus tantiſque defendant, quòd
in Eccleſiæ pace defuncti ſunt? aut quomodo epiſtolam venerabilis Ibæ pro lau-
de Theodori pronuntiaret hæreticam, cùm hæc Athanaſii & Baſilii ſcripta hæreti-
ca dicere non auderet? aut quomodo Eutychiani eandem ſynodum culpant, quod
apud ſe non accuſatum Theodorum anathematizare non præſumpſerit, cùm iſtos
patres, à quibus Dionyſius atque Gregorius etiam excuſantur, culpare non poſ-
ſint? Sed aliud quod majus eſt proferamus. Nam g B. Hilarius, Arianorum
potentiſſimus atque acerrimus expugnator, & conſtantiſſimus fidei Chriſtianæ
confeſſor, in epiſtola, quam de exilio ſcripſit Epiſcopis provinciæ Germaniæ pri-
mæ, & Germaniæ ſecundæ, & primæ Belgicæ, & Belgicæ ſecundæ, & Lugdu-
nenſis primæ, & Lugdunenſis ſecundæ, & provinciæ Aquitanicæ, & provinciæ C
Novempopulanæ, & ex Narbonenſi plebibus & clericis Toloſanis, provinciarum
Brittaniarum Epiſcopis, non unius hominis verba privatim dicta, ſed publica de-
creta concilia apptnbat, quibus octuaginta noſtri patres pro Paulo Samoſateno re-
pudiaverunt ut homouſios, id eſt unius eſſentiæ, cum patre filius vocaretur, &
rationem cur hanc vncem repudiaverint talem reddit, quoniam memoratus Pau-
lus hæreticus ſolum patrem Deum eſſe confitebatur, filium verò à Mariæ matris
generatinne cœpiſſe, & hominem tantùm eſſe dicebat, & docebat propterea ma-
luiſſe illos patres remoto homouſio homœouſion ſtatuere, id eſt ſimilis eſſentiæ,
quoniam ſimilitudo nominem non permittit intelligi. At cùm Arius poſtea ho-
mœouſion malè intelligeret ac doceret, & negans filium cum patre unius eſſe ſub-
ſtantiæ, ſic diceret ſimilem patri, ſicut Joannes Apoſtolus de ſe atque aliis ado-
1. Ioan. 3. 2. ptionis filiis dicit, *Nunc filii Dei ſumus. & necdum manifeſtatum eſt, quòd ſumus. ſci-
mus quoniam cùm apparuerit ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt.* Cùm D
ergo prave homœouſion Arius prædicaret, alii patres homouſion reſumpſerunt.
Proinde Hilarius, ut in neutris patribus accuſaret Eccleſiam, quæ utroſque ha-
buit honoratos, hanc abſolutionem quæſtioni dedit, quoniam & illi octuaginta
contra hæreticum improbaverunt homouſion, & trecenti decem & octo id ipſum
„ contra hæreticum probaverunt. Hoc quoque adjiciens: Cogitemus tot ſacer-
„ dotes ſanctos & quieſcentes jam. quid de nobis erit qui rem eò deducimus, ut
„ quia Epiſcopi non fuerunt, nos quoque nec cœperimus. ordinati enim ab his ſu-
„ mus, & eorum ſumus ſucceſſio. renuntiemus Epiſcopatui, quia officium ejus ab
„ anathemate ſumpſerimus. Verum hæc omnia, quæ vel privatim à ſanctis Dio-
nyſio atque Gregorio dicta, vel publicè in Concilio à memoratis octuaginta pa-
tribus, non tantam excuſandi habere difficultatem videntur, quoniam ante defini-
tionem Nicænæ ſynodi prolata reperiuntur. Illud eſt multo amplius, quòd idem E

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

g B. HILARIVS. In epiſtola de Synodis, *Malè*, inquit, *ὁμοούσιον Samoſatenus confeſſus eſt, ſed numquid melius Arriani negaverunt? octoginta patres Epiſcopi olim reſpuerunt, ſed trecenti decem & octo nuper receperunt.* Et probando autem, & improbando, ut mox addit, unum utrique ſtatuerunt. Eodemque modo Athanaſius idem argumentum tractans de Synodis Arimini & Seleuciæ, utroſque laudat, tum eos qui Antiochiæ contra Samoſatenum repudiarant, tum eos qui apud Nicæam adverſus Arrianos approbarunt. Ἀλλ' οὔτε, inquit, τούτοις, οὔτε ἐκείνοις ὅσιον ἀντιπάττειν· πάντες γὰρ ἐπρέσβευσαν τὰ Χριστοῦ, καὶ πάντες σπουδὴν ἐσχήκασι κατὰ τῶν αἱρετικῶν. καὶ οἱ μὲν τὸν Σαμοσατέα, οἱ δὲ τὴν Ἀρειανὴν αἵρεσιν κατέκριναν. ὀρθῶς δὲ καὶ οὗτοι κἀκεῖνοι, καὶ καλῶς περὶ τὴν ὑποκειμένην ὑπόθεσιν γεγράφασι.

S. Hila-

A S. Hilarius in eadem ſua epiſtola prolata æquè defendit *b* Sirmienſe concilium
poſt Nicænum congregatum, in cujus decretis dictum eſt: Si quis unum dicens c. 5.
Deum, Chriſtum autem Deum ante ſæcula filium Dei obſecutum patri in creatio-
ne omnium non confitetur, anathema ſit. & iterum, Si quis Deum non dominum
patrem, & filium quaſi dominum à domino, duos dicat Deos, anathema ſit. Non
enim exæquamus vel comparamus filium patri, ſed ſubjectum intelligimus. Ne-
que enim deſcendit in Sodoma ſine patris voluntate, neque pluit ex ſe, ſed à Do-
mini auctoritate, ſcilicet patris. nec ſedet ad dexteram à ſemetipſo, ſed audit dicen-
tem patrem, *Sede ad dexteram meam.* Rurſumque, Si quis innaſcibilem & ſine ini- Ps. 109. 1.
tio dicat filium, tamquam duo ſine principio & duo innaſcibilia & duo innata dicens, c. 26.
duos dicat Deos, anathema ſit. Caput enim quod eſt principium omnium Chriſtus:
caput autem quod eſt principium Chriſti Deus. Ita enim ad unum, qui eſt ſine prin-
cipio omnium principium, per filium univerſa referimus. Et iterum. Confirmantes c. 27.
B Chriſtianiſmi intellectum, dicimus, quoniam ſi quis Chriſtum Deum filium Dei an-
te ſæcula ſubſiſtentem & miniſtrantem patri ad dominum perfectionem non dicat,
ſed ex quo de Maria natus eſt, ex eo & Chriſtum & filium nominatum eſſe, & ini-
tium accepiſſe ut ſit Deus dicat, anathema ſit. Quæ omnia memoratum Sirmienſe
Concilium S. Hilarius neceſſariè contra Photinum & Orientales aſſerit decreviſſe.
Quorum ſufficientem excuſationem faciens quomodo ſint accipienda demonſtrat.
Hæc ergo Athanaſio, hæc Baſilio, hæc Hilario, & omnibus viris ſanctis ſollici-
tudo fuit, ne culpatis velut hæreticis eis qui in Eccleſiæ pace atque honore de-
functi ſunt, ipſa quæ illos magno honore dignata eſt Eccleſia culparetur. Et ideo
vel ſi fortè inveniantur aliqui in plurimis approbati, qui eumdem Theodorum dam-
nent velut hæreticum, hoc probabiliter profectò non faciunt, nec in eo ſequendi
ſunt, in quo conſuetudinem Eccleſiæ non ſequuntur. Unde ſi Calchedonenſis ſy-
C nodus, Eccleſiæ morem in defenſionem ipſius Eccleſiæ ſequens, dicta Theodori ſi-
militer excuſaret, quis eam de hac pietate atque cautela niſi profanus argueret? nec
tamen & hoc ſine Athanaſio & Hilario poſſet. Porro aliquid tale non fecit, quæ
hinc invidiam ſuſtinet, quod alterius ad ſe delatam epiſtolam, nec de laude Theodori
accuſatam, pro veræ fidei confeſſione quam continet, pronuntiavit orthodoxam.

CAPUT VII.

Quod adverſarij in una damnationis Theodori brevi ſententia quatuor in magna vitia incurrerint.

INſpiciamus autem ipſos Eutychianorum fautores, qui dicta in Eccleſiæ pace
quieſcentium, quoniam obſcurum aliquid in eis invenitur, damnari magis quàm
excuſari volunt, utrum ita vigilanter cauti ſint, ut in ſuis dictis atque conſcriptis re-
D prehendi nullatenus queant. Si enim tam circumſpecti ſunt, ut in nullo deprehen-
dantur offendere, tolerabile fortaſſe dicatur, quòd ſua ſapientia freti, ad nos noſtri-
que ſimiles, qui in multis offendimus, condeſcendere non dignantur. Verùm quid
agemus, quod nullos ab eis in alia cauſa conditos libros audivimus, quorum diſcuſſio-
ne irreprehenſibilem eorum peritiam & pervigilem poſſimus probare cautelam? Pla-
cet ergo eis, ut in hoc libro, quem communi ac diuturno tractatu * in præjudicium præjudicium ſanctæ Synodi
S. ſynodi ſcripſerunt, ſive ſcribi fecerunt, perfectam eorum nuſquam culpabilem
ſcientiam requiramus? Sed jam etſi non omnes, quos continet, quoniam aliud in hoc
opere demonſtrare ſuſcepimus, multos tamen ex occaſione * prodidimus, ejus multa prodidimus errores, multa.
quoque mendacia, ſibique contraria. Ubi & hoc docuimus, quia cùm mendacio ſtu-
deant, neſciunt vel quomodo mentiantur; & quomodo per eandem ſcientiam etiam
verum contra ſe aliquando loquantur. Si autem in hoc libro, in quo ſubſcripſe-
E runt, alienos errores, ſive falſos, ſive veros arguere intenti in tantis reprehenſi ſunt,
qua fronte non dicam Theodori, ſed cujuslibet hominis dicta culpare præſumunt? Ac
erubeſcent iſti judices mortuorum, ſi per totum ipſum librum eorum conſideremus
inſcitiam: & idcirco in ipſa tantùm ſententia, qua Theodorum cum ſuis dog-

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

b SIRMIENSE CONCILIUM. In quo epiſcopatu dejectus eſt Photinus anno Chriſti CCCLI. Hilarius in eadem epiſtola: *Eam nunc fidem retractemus, quæ non olim, tunc cùm Photinus epiſcopatu dejectus eſt, conſcripta eſt:* Exemplum fidei Sirmio ab Orientalibus contra Photinum conſcriptæ, *Credimus in unum Deum*, &c. Integram enim deſcribit, cum ſubditis capitibus vel anathematiſmis XXVII. Orientales autem intelligit, quos Athanaſius de eadem Fide agens Euſebianos vocat, Semiarianos videlicet. Quamquam ergo ſuſpectæ fidei erant auctores, & auctores ſuos decreta ipſa redolebant, non dubitavit tamen Hilarius eadem, tanquam contra Photinum neceſſariò condita, explicare ac defendere.

matibus damnaverunt, inſpicere eam ac demonſtrare propoſui. Dixerunt enim „ ſicut narravimus, [i] Si quis non anathematizat Theodorum Mopſveſtiæ, & ejus „ dogmata, eoſque qui aut ei ſimilia ſapuerunt, aut ſapiunt, anathema ſit. In qua ſententia intende quæſo quot & quàm magna vitia reprehendam. Primum eſt, quòd eum contra ſententiam patrum, & totius Eccleſiæ judicium, in cujus pace defunctus eſt, anathemati ſubdiderunt. Secundum autem, quòd condemnando omnes qui ei non dicunt anathema, memoratos quoque venerabiles patres, & ipſam quæ Theodoro communicavit Eccleſiam, atque omnes præſentes in corpore Chriſti fideles, qui ſive quòd in Eccleſiæ pace * vitam finierint, ſive quod nec errores ejus, nec nomen audierint, eum non anathematizant, decreverunt ut anathema fierent: quod aperte contra juſtitiam, & contra morem Eccleſiæ factum eſſe jam diximus, nec ullum tale invenimus exemplum, ubi anathema facti ſint, qui alicui hæretico, quem ignorare poſſunt, non dicunt anathema. quod nec iſti decernerent, niſi ad ſynodi Calchedonenſis injuriam, quæ cùm apud ſe recitarentur ejus laudes, non ei dixerit anathema. Tertium verò eſt, quòd ſine ulla exceptione generaliter ejus dogmata, & univerſos qui eis non dicunt anathema condemnantes, in quibus nec ipſi negant plurima recta eſſe, non ſolùm quos ſuprà memoravimus patres, & alios præteriti vel præſentis temporis innocentes, verùm & ipſam catholicam fidem, cujus aſſertionibus omnem hęreſem, teſtante Joanne & Domno Antiochenis, atque Orientali Concilio, Theodorus expugnavit, & quam ſecundum Cyrillum, ut interim perhibent, magnificè adverſus Arianos & Eunomianos aſſeruit, anathematizare procul dubio convincuntur. Quartum eſt, quod contenti non fuerint illos tantùm anathematizare qui ſimilia ſapiunt: ſed iterum contra juſtitiam Eccleſiæque regulam addiderunt & illos qui ſimilia ſapuerunt. Et quamquam Theodorum nihil male ſapuiſſe probaverint; quantum tamen ad eos attinet, condemnaverunt omnes ab ipſo, in quem illum incidiſſe putant, errore converſos: nihilque illis præſtitit ſua converſio, quod jam talia non ſapiunt, quando & propter hoc damnantur, quod aliquando talia ſapuerunt. Ubi quid agent de Martha & Maria ſororibus Lazari, quæ familiari devotione ipſi Domino, dum hîc in carne degeret, adhæſerunt? Et tamen utraque, id

Ioan. 11. 21. 32. eſt prius Martha ac deinde Maria legitur ei dixiſſe, *Domine, ſi fuiſſes hic, frater meus non fuiſſet mortuus.* Quæ licet crederent quod ipſe eſſet filius Dei qui in mundum veniſſet; tamen non dicerent, ſi fuiſſes hîc, ſi eum cognoſcerent ſicut Deum ubique eſſe prçſentem. Eadem ergo ſapuerunt quæ dicitur ſapuiſſe Theodorus, & cum Theodoro ſimul anathematizatæ ſunt. Et quantos vel eo tempore in Evangeliis & Apoſtolicis ſcriptis tales fuiſſe cognovimus? quantos etiam nunc tales in grege fidelium, ſola ſanctorum myſteriorum participatione, & ſimplici pręceptorum obedientia placentes Deo vidimus? cùm & ipſi primi paſtores ejus Apoſtoli ſic aliquando ſapuerint, quos omnes cum Theodoro vidimus in hoc anathemate condemnatos? Nam etſi dicantur

Ioan. 14. 8. Thomas & Philippus, qui aiunt, *Oſtende nobis patrem, & ſufficit nobis*, non hominem tantummodo crediditſſe Chriſtum, ſed Deum, quamvis patre minorem, aut ſepa-

Ibid. 10. tum à patre, propter quod etiam dictum eſt, *Non creditis quia ego in patre, & pater in me eſt?* ſimilia proculdubio ſapuerunt eis quæ putatur ſapuiſſe Theodorus. Non enim diſſimilis aut minoris ignorantiæ fuit, vel minorem crediſſe Deum, vel à patre filium ſeparatum. Niſi fortè ſic nobis error Neſtorianus diſplicet, ut placeat Arianus. Quomodo libet ergo ſapuiſſe dicantur, aut eadem proculdubio, aut ſimilia ſapuerunt. Pro hac ergo pręcipiti & inconſiderata ſententia ſua reſpondeant qui tantummodo alienis calumniari ſciunt, ſua verò defendere neſciunt, & ſi quid poſſunt, ab iſtis vinculis manifeſtæ veritatis abſolvant: & forte credimus quod acceperint poteſtatem ligandi eos qui ſuper terram non ſunt, quam nec Apoſtoli acceperunt. Ecce quatuor magna vitia, non obſcura, nec de aliquibus ſecretis educta, ſed clara & manifeſta, eos docuimus incurriſſe. Quomodo igitur ille ſubtilis eorum intellectus in nocte obſcurarum quęſtionum elucubratis excogitationibus adverſus aliena dicta pervigil, in ſuis obtuſus inventus eſt & medio die lethargicus? In quantis autem librorum voluminibus iſti cenſorii mortuorum judices tantos & numero & magnitudine feciſſe deprehenduntur errores? Nonne una breviſque ſententia eſt, quæ ſe„ mel tincto calamo ſcribi poteſt, Si quis non anathematizat Theodorum Mopſveſtiæ, „ & ejus dogmata, eoſque qui aut ſimilia ei ſapuerunt, aut ſapiunt, anathema ſit? & in his pauciſſimis ſyllabis longo tempore meditatis, tam multi ſapientes, & quod eſt

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

[i] SI QUIS NON ANATHEMATIZAT. Ut ſuprà initio libri III. Iiſdem quoque verbis & Juſtinianus in Edicto. Εἴ τις τούτων οὐκ ἀναθεματίζει Θεόδωρον, ἀλλὰ μὴ ἀναθεματίζει αὐτὸν, καὶ τὰ ἀσεβῆ αὐτοῦ συγγράμματα, καὶ τοὺς τὰ ὅμοια αὐτῷ φρονήσαντας ἢ φρονοῦντας, ἀνάθεμα ἔστω.

A amplius, alienorum dictorum ſcrupuloſiſſimi & calumnioſiſſimi diſcuſſores, in ea ip-
ſa calumniæ ſuæ ſententia ſic erraverunt, ut etiamſi vera forent, quæ in denotatio-
nem ſanctæ ſynodi de Theodoro jactant, non poſſent eorum erroribus comparari.
Et audent iſti diſcutere ac reprehendere inluſtris doctrinæ viros, quorum ſunt innu-
meri libri, qui non ſine magnis & multis erroribus ſemel intinctum calamum ſcri-
bendo fundere potuerunt? Illud etiam conſiderandum eſt, quòd Theodorus, nec-
dum Neſtorianis apparentibus, in alios intendens, & oppugnantibus Synuſiaſtis ob-
vius, aliquam offenſionem ad aliud pergentis tranſitu ſermonis incurrit. Iſti verò,
quod non immeritò venia caret, longo pacis otio ſeduli & quieti, ſi tamen quieti,
non ſolùm multipliciter & graviter erraverunt, ſed inter ſe ac tantos patres, &
univerſam quæ Theodoro communicavit Eccleſiam, ipſos quoque Apoſtolos, in-
terpoſuerunt anathema. Quod ille in quibus ab eis reprehenditur non fecit, qui
nunc pro ſolo præjudicio ſynodi ſub anathemate condemnatur. Unde ſi ante cen-
tum annos audax & aſperum ſanctis patribus apparebat, ut anathema imponere-
B tur dictis in pace Eccleſiæ mortuorum, quanto nunc audacius eſt atque aſperius,
ut non ſolùm eorum dicta, quod conſtat olim prohibitum, ſed perſonæ quoque
damnentur? Et patres illi, qui condemnare prohibebant Theodori & aliorum di-
cta, conſultiſſimè dicebant, Quis enim noſtrûm ſperet non defungi? aut à quo
non dictum eſt aliquid, quod alium poſſit movere? caventes utique, ne tali exem-
plo ipſorum quoque dictis poſt mortem imponeretur anathema. quantum nos me-
tuere debemus exemplum poſteris dare, quo non ſolùm dicta poſt mortem dicen-
tium, ſed perſonas quoque condemnent? Nam ſi Theodorus poſt tantos ſuæ de-
functionis annos deteſtandus creditur, qui non probatur correctioni reſtitiſſe dum
viveret: ſi Theodorus condemnatur, qui neminem condemnavit in Eccleſiæ pace de-
functum: ſi Theodorus excluditur, qui non invenitur in Eccleſiæ præjudicium ſcri-
pſiſſe aliquid, de quo ipſa conturbaretur Eccleſia. quid de nobis agitur, ſi multis
tumultuoſæ noſtræ præſumptioni contradicentibus, non exemplum tantummodo,
C verùm etiam cauſam poſteris demus adverſus nos talia præſumendi? ſi tamen dicen-
da videatur illa præſumptio, & non magis præſumptionis digna reprehenſio. An for-
tè cuipiam videbitur indignum, ut qui in Theodori condemnatione, tot ſanctos pa-
tres, tot innocentes, tot placitas & familiares Chriſto perſonas, atque ipſos ana-
thematizaverunt Apoſtolos, ne tantum facinus maneat, ipſum potius cum ſuis con-
demnetur auctoribus? Corrigant ergo nimis profanam temeritatem ſuam, aut ſi ni-
hil ſe putant corrigendum feciſſe, facti rationem reddant, & non in alienorum
reprehenſione dictorum, ſed potius in ſuorum defenſione, ſubtilitatem inge-
nii, de qua multum gloriantur, oſtendant. Hoc de veſtra juſtitia petimus, ut ſi
reſpondere tentaverint, ultra eis non liceat ſub titulo veſtri nominis ſua & profana
conſcribere. quia licet docentibus Apoſtolis didicerimus, quòd Deo magis quàm
hominibus oporteat obedire: quantum tamen in nobis eſt, optamus & Deo obe-
dire & hominibus, dum ea volunt & imperant homines, quæ contraria non ſint
obedientiæ quam Deo debemus.

FINIS LIBRI DECIMI.

FACVNDI EPISCOPI HERMIANENSIS,

PRO DEFENSIONE TRIUM CAPITULORUM,

LIBER XI.

CAPUT PRIMUM.

Quod multi patres antiqui ſimilia dixerint iis quæ in Theodoro reprehenduntur, atque in primis Euſtathius Antiochenus.

MULTA ſunt equidem dicta, quibus calumnias Eutychiano- A
rum magnam ſynodum Calchedonenſem etiam de Theodori
cauſa criminantium ex omni diluidimus parte. Quid enim jam
ſupereſt unde cauſari poſſint, quando non ſolùm ea conciden-
tes quæ finxiſſe illos monſtratum eſt, verùm etiam plurima quæ
nec conficta ſunt noſtra ſponte ut eis illuderemus dantes, ſic
quoque docuimus eandem ſynodum invicta & evidenti ratio-
ne defendi? At tamen quia voluimus eis amplius quàm in ſu-
perioribus fecimus comprobare, quomodo multorum patrum
doctrinam, quos & ipſi nobiſcum honorare ſe dicunt, in condemnatione dogma-
tum Theodori criminentur; & quia non tam pro memorata ſynodo, quæ jam ſa-
tis abundeque purgata eſt, quàm pro hiſdem patribus decertamus; ſtatuimus in
hoc volumine magnorum virorum dicta proferre ſimilia, ad excuſandum diffici- B
liora his pro quibus eum putaverunt, tanquam magiſtrum Neſtorii, anathema-
te percellendum: ut in plurimis exemplis videant, quòd ſapientiſſimus Joannes
Antiochenus cum orientali Concilio ſcribens beato Cyrillo de quibuſdam capi-
» tulis ſupradicti Theodori dixit. Sed illis quæ putantur obſcura ſimilia multa & à
» plurimis anterioribus ejus, & glorioſis patribus dicta invenimus; & periculum
» impendet non leve, ne iſtis etiam illorum ſolvamus, ejus viri reprobantes dicta;
» qui in Epiſcopatu defunctus, agonibus autem adverſus Arianos & Eunomianos
» & alios hæreticos decem millibus per omnem ſuam vitam ubique decoratus eſt.
» quod ſi fiat, multa etiam ab aliis ſanctis patribus apte dicta retractaturi ſumus.
» & poſt aliqua. Quis enim, inquit, noſtrûm ſperet non defungi? aut à quo non
» dictum eſt aliquid, quod alium poſſit movere? Et ſuffecerat quidem hæc proteſtatio C
tanti Concilii ad compeſcendam temerariorum audaciam, quod multa ſimilia capi-
tula, quæ in Theodoro culpant qui occaſionem faciebant contrario dogmati quo
tenebantur, etiam à plurimis anterioribus & glorioſis patribus dicta invenient. Sed
quoniam modo ei non creditur, cui hactenus bene creditum fuit, & ratio ejus ſa-
na contemnitur, qua rurſus ait, aut à quo non dictum eſt aliquid, quod alium
poſſit movere? neceſſitate compellimur ex eiſdem multis ſimilibus patrum dictis
aliqua proferre, & in quo movere poſſint oſtendere, ut Eutychiani, eorumque
ſatellites, diſſimulare non poſſint, quòd in condemnatione dogmatum Theodori
neceſſariò etiam ipſorum patrum doctrina, in qua inveniuntur ſimilia, condemnetur.

A Nam B. *a* Euſtachius Antiochenus Epiſcopus, qui primus in Nicæno Concilio fuit, ſexto adverſus Arianos libro, de eo quod ait Dominus, *Nemo ſcit diem illam*; Dicamus, inquit, cujus rei gratia filius hominis diem proprii adventus ignorat. Neque enim dubium eſt, quia & hoc cauſa utilitatis hominum providens adinvenit omnium creator & generis opifex Deus. Sicut enim hominem cauſa ſalutis hominum verbo coaptavit & Deo: ſic & inſignem judicii diem cauſa divini beneficii homini competenter abſcondit; ne fortè ineffabilia myſteria ſimilis generis hominibus homo indicans, & diem ſecundi adventus oſtenderet. Quid tale quæſo in dictis Theodori contra ſynodum Calchedonenſem Eutychiani hactenus invenerunt, aut ſe invenire finxerunt? Vt enim omittam quod hic ait, Filius hominis diem proprii adventus ignorat, nec ſaltem dixit, ignoravit, ut ante reſurrectionem tantum, non etiam poſt reſurrectionem, ignorantem eum dixiſſe videretur, quando neque in ejus fidelibus ulla ignoratio remanebit. Ut ergo hoc, ſicut dixi, prætercam, quoniam facilè dici poteſt ſecundum illud tempus, quod ante reſurrectionem Chriſtus B hic egit, locutus beatus Euſtachius. Ut illud quoque relinquam, quod ait, Hominem cauſa ſalutis hominum verbo coaptavit & Deo; quod Eutychiani proculdubio in Theodoro, ſi ipſe hoc diceret, accuſarent, tanquam prius extiterit homo, qui verbo coaptaretur & Deo. illud certè quòd ait, propterea Chriſto diem judicii competenter abſconditum, ne ſimilis generis hominibus homo diem ſecundi adventus oſtenderet, neſcimus hactenus Eutychianos in Theodoro criminatos, ſed nec aliquid tale, quod huic ſententiæ comparetur. Nam cùm Apoſtolus raptus in paradiſum audiret arcana verba, quæ non licet homini loqui, nec cuiquam prodiderit, ſed divini ſecreti cuſtos fidelis inventus eſt: quomodo dicitur quòd Deus Chriſto, non dicam ut Deo quod eſt, ſed tantùm ut homini, qui tamen inferior Paulo non eſſet, propterea diem judicii abſconderit, ne ſimilis generis hominibus proderet: tanquam non poſſet, quod Apoſtolus ejus ſervavit; commiſſum ſibi ſerC vare ſecretum. Quamquam nec illud quod ait Euſtachius, homines Chriſto ſimiles eſſe genere, Eutychiani leviter in Theodoro præterirent: ſed profectò calumniarentur, quòd hominem tantùm, non etiam Deum crediderit Chriſtum, cui genere ſimiles omnes homines prædicaſſet. Itemque in eodem libro: Dum ſederit, ait, filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ, alia quidem videtur loqui perſona, de altera autem facit manifeſtè ſermonem. Ergo divinus ſpiritus de homine clarè dicens apparet, Dum ſederit filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ, ſine contradictione denuntians, quia ſupervenientes glorias homo ſuſcipit juſtitia & virtute ornatus, & excelſum regni ſolium rite percipiens. Quid etiam hîc dicimus? numquid Theodorus alicubi verba Chriſti de ſemetipſo loquentis ſic tractavit, ut diceret aliam de alia loqui perſonam, quemadmodum B. Euſtachius, cùm tractaret ejus verba dicentis, *Dum ſederit filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ*? Nonne de omnibus, pro quibus Theodorum culpant, id conantur ſuſpicioſè vel calumnioſè colligere, quòd in Chriſto alteram Dei, alD teram hominis intelligi perſonam voluerit? quod ille quidem graviter execratur. at Euſtachius aperte dicit, in verbis unius Chriſti de ſemetipſo loquentis, quod alia perſona de altera manifeſte ſermonem faciat, & non de Deo, ſed de homine clare dicens appareat, *Dum ſederit filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ.* Verùm nec illud quod ait, ſupervenientes glorias homo ſuſcepit juſtitia & virtute ornatus, Eutychiani in Theodoro ferre poſſent; ſed accuſarent eum ſine dubio, quaſi dicentem quòd Chriſtus homo tantùm fuerit, non etiam Deus, cui gloria acceſſerit, quam antè non habuerit, & juſtitiæ virtutiſque profectu eam fuerit conſecutus, in tanto merito etiam regni ſolium rite perceperit. Rurſus autem eodem libro de verbis Chriſti diſputans dicit, *Omnia mihi tradita ſunt à patre meo*, manifeſte ex perſona hominis prophetare cognoſcitur, ſicut & ante probavimus. Iſte enim maximas & accidentes virtutes percipit ad meliora dignitate procedens. Ecce & hic cùm loquentem Chriſtum perhibet ex perſona hominis prophetare, ſubauditur quòd alteram E

Matth. 24. 36. | Matth. 25. 31. | Matth. 11. 27.

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

a EVSTACHIVS ANTIOCHENVS. Scribendum Euſtathius, Εὐστάθιος. Sic enim omnes vocant. Euſtachius etiam ſimili errore alibi dictus, qui Ibæ judex fuit cum Photio, cùm alii Euſtathium nominent. Hujus τοῦ ἁγίου Εὐσταθίου ἐπισκόπου Ἀντιοχείας, καὶ ὁμολογητοῦ, varia citantur à Theodoreto in Dialogis. Ἑρμηνεία in Pſalmos: λόγος εἰς τὸ Κύριος ἔκτισέ με. λόγος περὶ ψυχῆς. item εἰς τὰς ἐπιγραφὰς τῶν [illegible]. Viſuntur præterea in bibliothecis antiquis ejuſdem ὑπομνήματα in Hexameron, & εἰς τὸ [illegible], cujus libri meminit S. Hieronymus in viris illuſtribus. Ex hoc autem opere adverſus Arrianos, alium etiam locum profert Anaſtaſius in Eclogæ his verbis. Εὐσταθίου Ἀντιοχείας ἐκ τοῦ κατὰ Ἀρειανῶν λόγου. [illegible]

dicat eſſe Dei perſonam. Nam cum & de homine loquens diceret, Iſte enim ma- A
ximas, & accidentes virtutes percipit, tantumdem valet ac ſi diceret, Ille verò non
percipit tanquam Deus. Dicendo etiam, quòd Chriſtus accidentium virtutum
perceptione ad meliora proceſſerit, & accepiſſe eum quod aliquando non habuit,
„ & profeciſſe teſtatur. Qui octavo quoque libro ſic ait: Contemplandum autem,
Pſal. 9. 7. „ quomodo loquens Deo & dicens, *Et civitates deſtruxiſti*, rurſus alterum introducit
Ibid. 8. & 9. „ Dominum inferens, *Et Dominus in æternum manet. Paravit in judicio ſedem ſuam.*
„ Manifeſtiſſimè etenim alii de alio loquens apparet. ſignificavit quia judex eſt, qui
„ præparavit ei ſedem tamquam prius non habenti hunc honorem. ſic videbatur lo-
„ qui. quaſi per figuras enim judicabat propheticas. Quoniam homo ex membris
templũ decenter factus. „ juſtitiæ * templum dicentes factus, & ſacratiſſimo habitans verbo, virtutis adeptus
„ eſt perpetuum ſolium. Loquens, inquit, Deo rurſus alterum introducit Dominum.
Hoc ſi Eutychiani in Theodoro invenirent, profectò in reprehenſionem ſynodi
Calchedonenſis, quæ laudes ejus continentem epiſtolam judicavit orthodoxam, bi- B
cipiti nos argumentatione conſtringerent, ita dicentes, Si hæc de patre & filio di-
Deut. 6.4. xit, quomodo filius alter eſt Dominus, cùm ſcriptum ſit, *Quoniam Dominus Deus
noſter, Dominus unus eſt.* Neque enim ſic dicitur pater Dominus, & filius Dominus,
& ſpiritus ſanctus Dominus, ut tres Domini, & non potius unus dicatur Dominus:
ſicut neque ita dicitur pater Deus, & filius Deus, & Spiritus ſanctus Deus, ut
tres Dii, & non potiùs unus dicatur Deus. Si autem de Deo verbo & adſumpto
homine loquens, eidem adſumptum hominem alterum Dominum dixit, arguitur
unum Chriſtum in duos dominos diviſiſſe, atque hoc verbis etiam ſubſequentibus
adfirmarent, quibus dictum eſt, Alii de alio loquens apparet. & iterum, Quia Deus
judex præparavit adſumpto homini ſedem, tamquam prius non habenti hunc hono-
rem. Cùm verò tanta invidia criminentur in epiſtola venerabilis Ibæ, quòd ait
templum & inhabitantem in eo, quæ illis ad exaggerandum verba ſufficerent, ſi hoc C
dixiſſet quod Euſtachius ait, Quoniam homo ex membris juſtitiæ templum decen-
ter factus eſt, ut ſacratiſſimo cohabitans Verbo? Nam ſi inhabitare, quod Ibas ait,
duas dicant ſignificare perſonas, cùm anima ſuum corpus inhabitans, una cum eo
perſona ſit; quanto magis cohabitare & ipſius cohabitationis virtute adeptum eſſe
„ hominem perpetuum ſolium? Item in eodem libro. Non enim, ait, qui regni ſe-
„ dem habet, alteram ſibi apparat ſortem: ſed cui non adeſt ſedis potentia. Ergo hæc
„ ad hominem Chriſti manifeſtè reſpiciunt. Neque autem omnipotenti hæc reponen-
„ da ſunt proprium habenti ſceptrum; neque Verbo ipſum regnum habenti, quod
„ etiam pater habet; ſed in Chriſto dicendum, *Dominus in cælo præparavit ſedem ſuam.*
„ Nam omnium ſimul creaturarum dominator propter divini verbi commixtionem.
Attendant ergo quale ſit etiam hoc quod ait, Non Deo verbo regnum habenti alte-
ram ſortem apparatam, ſed potius, cui non adeſt ſedis potentia, id eſt homini Chri-
ſti. Nec ſaltem dixit, homini Dei verbi, ipſumque Chriſtum, cujus homini præ- D
paratam perhibet ſedem, ſimul cum Deo patre & ejus verbo omnium creaturarum
dominari aſſerit. Nec tamen pro his quoque, quæ necdum exorto Neſtorio ſecura
ſimplicitas loquebatur, ejus eſt anathematizanda doctrina. quod tunc nobis conſta-
re poterit, ſi nullius antiquorum Eccleſiæ prædicatorum pro talibus dicta damnen-
tur. Alioquin cujuſlibet eorum ſcriptis anathematizatis, ſicut Joannes ſapientiſſi-
mus & orientale Concilium dixit, neceſſe eſt & ea quæ ab aliis patribus ſunt dicta,
complecti. Sufficiat ergo poſteris, quòd temporum ſuorum hæreticis repugnantes
inlæſam cuſtodierunt Eccleſiam. Sufficiat quòd nobis quoque adverſus eos arma
quamplurima labore ſuo atque induſtria præparantes, cum magna laude de hoc
ſæculo tranſierunt. Non injuriam ſucceſſores labori decedentium debent, non
convitia referenda ſunt. Poſt certamen bene defunctis victoribus triumphi gloriam
negaſſe aliquis inveniatur ingratus: neſcio ſi quiſquam præter nos contumeliam re-
tulit. Quidam prædicator Eccleſiæ ſic præſentes expugnavit hæreticos, ut in nul- E
lo, aut certè in parvo, futuris occaſionem daret: hic dignus laude præcipua judi-
cetur. Quidam verò in hoſtes obvios intentus, aliis non quaſi latitantibus inſidiis,
qui nondum fuerant, ſed exorturis quandoque providè ac vigilanter occurrit: hic
minima, aut etiam nulla, ſi videtur, dignus laude ducatur; non tamen vel incau-
tus patriæ propugnator inter hoſtes habendus eſt. Unde beatus Euſtachius, quam-
quam multos poſſit talibus dictis offendere, non tamen condemnatur, velut Ne-
ſtoriani auctor erroris: ſed honoratur cum multis, & præ multis patribus, tanquam
Nicæni Concilii primus exiſtens. & Eutychianis nullam hinc invidiam commoventi-
bus, ſolenniter inter ſuos deceſſores ac ſucceſſores ad ſacrificia nominatur. Et fortaſſe
propterea nihil inde accuſant, quia in hoc, quod ultimum poſuimus, teſtimonio di-
xit, Propter divini verbi commixtionem. Ubi enim memorati Eutychiani ab aliquo

A prędicatorum Eccleſiæ dictum invenerint Deum verbum homini eſſe commixtum, ſecundum ſuum dogma dictum exiſtimant.

CAPUT II.

Quod apud B. Athanaſium quædam reperiantur non minus difficilia his, quæ in Theodoro reprehenduntur.

MULTA verò ſuperioribus ſimilia ex dictis ejuſdem beati Euſtachii proferre poſſemus, quæ poſſent in uno tractari volumine: ſed iſta legenti ſufficiant, quoniam volumus ad aliorum ſcripta tranſire, de quibus æque non omnia quæ his ſimilia dixerunt, ſed quanta tantummodo proferimus. Quid ergo etiam ſanctus Athanaſius dicat *b* in epiſtola ad Antiochenos, debemus inſpicere. Ex veteribus enim eruditus & legis doctor exiſtens, Proverbia Salomonis legens, & duas perſo-
B nas de Domino inveniens, unam quidem circa hominem, quem ex Maria pro nobis futurus erat adſumere, alteram autem circa Verbum, quod ante omnia ſęcula æterne ex patre natum eſt: & de Jeſu quidem ex Maria ſcribit Timotheo, *Memor eſto Christum Jeſum reſurrexiſſe à mortuis ex ſemine David, ſecundum Evangelium meum.* de Deo verbo autem, quod cum patre ſemper eſt, dixit, quoniam eſt omnia. Hanc autem ſancti Athanaſii ad Antiochenos epiſtolam, in qua ſcriptum eſt, duas eſſe perſonas, hominis adſumpti, & Dei verbi adſumentis, & alia ſcripturæ verba Domino Jeſu qui ex Maria, alia verò Deo verbo congruere, in tanta auctoritate adverſus Apolinariſtas ſuſcepit Eccleſia, ut ex illa hæreſi converſi ſua ſubſcriptione ita ſe ſapere faterentur. Unde ſucceſſor ejuſdem Athanaſii Petrus, ſcribens ad Epiſcopos, presbyteros, atque diaconos, qui ſub Valente Imperatore * Diocæſaream fuerant exules miſſi, Sine Deo quippe eſt, inquit, & in omnibus reprobus, qui non confitetur integrum hominem ſalvaſſe adventū ſuo ſalvatorem: & ſi totum ſalvat, to-
C tum adſumpſit, non in adjutorium ſalvationis, ſed ad totius ſalvationem. Nullus ergo piè ſe ſapere exiſtimans infidelis magis exiſtat. Si verò quærere ſtudet, diſcat ex epiſtola quam ad Antiochenos beatæ memoriæ Epiſcopus Athanaſius ſcribit, ubi omnia diligenter exponit, quam legere incipientes orthodoxi, & ita ſapere & ſubſcripſiſſe confirmant. In eadem ergo ad Antiochenos epiſtola, in qua beatæ memoriæ Epiſcopum Athanaſium ſucceſſor ejus Petrus omnia diligenter expoſuiſſe perhibuit, hoc quoque continetur. *Jeſus Chriſtus heri & hodie, ipſe & in ſæcula.* Heri quidem ante ſęcula ſempiternitatem ſignificat: hodie autem terrenum ſęculum: in ſæcula verò, poſt tranſitum hujus vitæ. Jeſus Chriſtus autem, qui juxta hominem ſalvatoris intelligitur, non eſt ipſe. qui enim provectum ætatis ſuſcepit, aliquando infans exiſtens, & aliquando vir incipiens quaſi annorum xxx. ſicut ait Lucas, non poteſt ipſe eſſe. Quomodo itaque Theodoro condemnato non etiam Athanaſius accuſetur, quaſi duos Jeſus, & duos Chriſtos docuerit: quia primùm loquens de
D Jeſu Chriſto, qui eſt heri & hodie in ſæcula, poſtea dixit quia Jeſus Chriſtus, qui juxta hominem ſalvatoris intelligitur, non eſt ipſe, & rationem ſubjicit cur ipſe eſſe non poſſit? Quamquam ſi Theodorus hoc diceret, non duos tantùm, verùm etiam tres Jeſus Chriſtos Eutychiani, ſecundum ſuas calumnias, in his verbis ſignificatos vellent intelligi. Non enim hoc ſaltem dictum eſt, Jeſus Chriſtus autem, qui juxta ſalvatorem intelligitur, ſed juxta hominem ſalvatoris: ut alium ſignificatum eſſe dicerent Jeſum Chriſtum, alium verò hominem juxta quem eſſet ipſe Ieſus Chriſtus, & rurſus alium ſalvatorem, cujus eſſe diceretur idem homo. Denuo in eadem epiſtola: Eſt, inquit, ſpiritus vitæ ſanctus cum patre & filio in ſingulis prophetarum per generationes tranſiens, qui indicat quæ erunt & quæ fuerunt, habens oculos ante & poſt, hoc eſt, ſicut diximus, ſcientiam futurorum atque præteritorum, quæ in Salomone narrat ex perſona filii hominis ex Maria, & filii Dei verbi, quod ab initio erat apud patrem: & duas perſonas ſignificans, de homine
E quidem ex Maria creato & plaſmato; de illo verò, qui ante ſæcula eſt ſine principio, & æternæ nativitatis. Quoniam ergo verborum ſeductores, & non eruditi ſpiritu obſervantes errare faciant indoctos, dicentes à quadringentis annis eſt ope-

Marginal notes: 2. Tim. 2. 8. — * Dioceſarea; ſeam — Hebr. 13. 8.

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

b IN EPISTOLA AD ANTIOCHENOS. Synodicæ Athanaſii ad Antiochenos mentio facta eſt lib. VI. cùm de hypoſtaſi ageremus. Sed aliam conſtat epiſtolam fuiſſe, de qua hîc ſermo. Apparet autem, quicquid ad refellendos Apollinariſtas in ea ſcripſerit, nunquam Athanaſium in Chriſto duas perſonas diſtinxiſſe, ſed in una eademque perſona duas naturas perfectas, ἵνα εἷς ᾖ τὰ ἀμφότερα, τέλειος κατὰ πάντα, Θεὸς καὶ ἄνθρωπος ὁ αὐτός. quæ ipſius Athanaſii verba ſunt libro 1. adverſus Apolinarium περὶ σαρκώσεως Χριστοῦ.

„ ratio corporis Domini, & quomodo in eum quidam referunt quod dictum eſt, *Domi-*
Prov. 8. 22. „ *nus creavit me principium viarum ſuarum in opera ejus*, cùm dicat ſcriptura, ante mon-
„ tes & colles, ante fontes, & ante ſæculum generatum & creatum? Hæc dicen-
„ tes à quibuſdam laudari putantur, non dividentes quæ perſona prophetico ſpiritu
„ de corpore Domini clamat, & quæ de æterna ejus à patre generatione docet. Sunt multa ſimilia in hac epiſtola, quæ adverſus Apollinariſtas dicta Neſtoriani quoque in aſſertionem ſui erroris aſſumant. Sed non ideo Athanaſius, aut ejus doctrina damnanda eſt. Igitur nec Theodorus, aut ejus doctrina, ideo dicatur à ſynodo debuiſſe damnari. Sed ad alia ejus opuſcula tranſire delegimus. Dicit itaque idem beatus
„ Athanaſius *c* in expoſitionem ſymboli. Qui in fine ſæculorum deſcendens ex ſinu
„ patris, ex immaculata virgine Maria noſtrum adſumpſit hominem Jeſum Chri-
„ ſtum, quem pro nobis paſſioni tradidit. & poſt pauca, Principium viarum conditus
„ nobis eſt in terra, quas nobis oſtendit de tenebris lumen, ſalutem ex errore, vitam ex
„ mortuis, introitum ad paradiſum, de quo excluſus eſt Adam, in quem iterum intra-
Luc. 23. 43. „ vit per latronem, ſicut dixit Dominus, *Hodie mecum eris in paradiſo*, quò & Pau-
„ lus intravit, aſcenſum in cœlum, quò præcurſor pro nobis ingreſſus eſt *d* domini-
„ cus homo, in quo judicaturus eſt vivos & mortuos. & poſt aliquanta. Ea verò
„ ſalus, quæ nobis condita eſt ad plantationem noſtram, nova eſt & non vetus, no-
„ bis & non eis qui ante nos, Ieſus qui juxta ſalvatorem factus eſt homo, qui interpre-
„ tatur paſtor, ſalus, interdum etiam ſalvator. Calumnientur igitur & huic, tanquam ſecundum Neſtorium alterum dicenti filium Dei, alterum verò noſtrum hominem Ieſum Chriſtum: quia non ait filium Dei ſemetipſum tradidiſſe pro nobis, ſicut Apoſtolus dixit, ſed potiùs quia filius deſcendens ex ſinu patris adſumpſit noſtrum hominem Ieſum Chriſtum. quem? hoc quod ait Dominicus homo, in quo judicaturus eſt vivos & mortuos. quaſi devio ſenſu alterum putaverit Dominum filium, qui judicaturus eſt vivos & mortuos: alterum verò Dominicum hominem, in quo judicaturus eſt. Calumnientur etiam quod ſimiliter ait, Ieſus eſt, qui juxta ſalvatorem factus eſt homo, dicentes quòd ex eo Ieſum à ſalvatore diviſerit, quoniam enim juxta ſalvatorem potius quàm ſalvatorem dixit. Scripſit etiam *e* librum contra Mani-
„ chæos, cujus principium eſt, Diſſolvit errorem veritas, in quo ſic ait. Quando enim
„ hominem Ieſum video, intelligo qualis eſt: quando autem modum contemplor, ad-
„ miror neque agnoſco. mutatio quippe admirationem præſtat. Et eſſentiæ quidem
„ mutatæ non ſunt. manet enim corpus non alterum effectum. neque enim corpus in
„ incorporeum verſum eſt, neque anima altera per eſſentiam extitit. Sed manentibus
„ eſſentiis ſtudia non manſerunt. Nequaquam enim eſſentialia ſunt ſtudia. nam ma-
„ nerent cum eſſentiis, & non auferrentur. Si omnia, quæ pro ſua ſtoliditate noſtri præſumptores nec defendere nec intelligere bene potuerint, pro ipſorum voluntate damnanda ſunt: quomodo non etiam iſta damnanda ſunt? aut ſi hæc bene intelligere poſſunt atque defendere, cur non etiam illa Theodori, quæ in ſynodi Calchedonenſis præjudicium culpantur, bene intelligunt atque defendunt? Ecce Athanaſius hoc etiam dicit, quia cùm modum contemplatur in homine Ieſu, admiratur, neque agnoſcit, eo quòd ei mutatio admirationem præſtat. Dicant ergo nobis, qua ratione ſub anathemate condemnato Theodoro ejuſque dogmatibus, Athanaſii poſſit doctrina defendi, ſi ſecundum verborum ſonos, & non ſecundum mentis intentionem judicanda ſunt dicta majorum? & doceant quæ mutatio in homine Ieſu facta eſt, non mutatis eſſentiis; vel quæ in illo ſtudia ipſis manentibus eſſentiis non manſerunt.

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

c IN EXPOSITIONE SYMBOLI. Ἔκθεσις πίστεως inſcribitur apud Athanaſium. In hac, ut in aliis ſæpe, vitioſo uſus eſt interprete Facundus, qui ὧν pro ὢν legerat in illis verbis. ἀρχὴ ὁδῶν κτισθεὶς ἡμῖν, ἐν τῇ γῇ ὤν, ἔδειξεν ἡμῖν ἐκ σκότους φῶς. *Principium viarum nobis factus, cùm in terris verſaretur, lucem nobis de tenebris exhibuit.*

d DOMINICVS HOMO. Κυριακὸς ἄνθρωπος. Hominem dominicum dici aliqua ratione Chriſtum poſſe non inficiatur Auguſtinus, ipſe tamen aliquando à ſe dictum retractat libro 1. cap. XIX. cùm ſit utique dominus. Quam etiam ob cauſam Apollinariſtas, quod ita loqui ſolerent, caſtigat Gregorius Nazianzenus epiſtola 1. ad Cledonium. Μὴ ἀπατάτωσαν, inquit, οἱ ἄνθρωποι, μηδὲ ἀπατάσθωσαν, ἄνθρωπον ἄνουν δεχόμενοι τὸν κυριακόν, ὡς αὐτοὶ λέγουσι· μᾶλλον δὲ τὸν κύριον ἡμῶν καὶ θεόν. *Ne alios decipiant homines iſti, nec ipſi decipiantur, hominem dominicum, ut ipſi loquuntur, vel potius dominum noſtrum & Deum, mentis expertem profitentes.*

e LIBRVM CONTRA MANICHÆOS. Tituli hujus, vel exordii, nullus hodie liber extat Athanaſii. Congruit autem & titulus, & exordium libro Serapionis Thmueos Epiſcopi adverſus Manichæos, in eoque ſunt verba, quæ recitat Facundus, & tribuit Athanaſio. Sed levior in auctoris nomine fraus fuerit, quàm in nomine JESV, quod hîc perperam verbis illis intextum eſt, nec legitur apud Serapionem. qui de iis hominibus tantum agit, qui à pravis moribus ad meliora ſtudia convertuntur: quod de Chriſto domino cogitare impium eſt. Quare Facundo impoſuit, qui hunc ei locum ſuggeſſit.

ſerunt.

A ſerunt. Hæc enim ſi Theodorus inveniretur dixiſſe, ſic eum deteſtarentur, quaſi Chriſtum à pravitate vitæ, & à malis ſtudiis ad meliora ſtudia prædicaſſet eſſe converſum. quod Athanaſius profectò non ſenſit, & abſit à nobis, ut hoc illum ſenſiſſe credamus, quòd non ſolùm perſonali diviſione, ſicut Neſtorius, hominem Jeſum à Deo verbo, verùm etiam ſtudiis non bonis aliquando putaret fuiſſe diviſum. Porro & hoc ultimum, & alia ejus ſuperiora quæ memoravimus, intellectorem quærunt. Nam cum Dei adjutorio defenduntur multo facilius, quàm ipſe B. Athanaſius Dionyſii ſui deceſſoris dicta defendit. Et poſſemus quidem hæc ipſa, pro facultate quam Dominus præſtat, quomodò rectè intelligantur oſtendere, & benigno ac pio patri hanc in ſuis dictis officii vicem redhibere, quod ipſe prius in dictis Dionyſii ſui deceſſoris exhibuit; niſi quia longum eſt, & in hoc opere non ſcripta venerabilium patrum interpretari, ſed Eutychianorum calumnias pro magna ſynodo confutare ſuſcepimus; quarum repulſioni ſufficit, ſi talia vel difficiliora his,
B pro quibus ab ea dicunt Theodorum & ejus laudatricem epiſtolam debuiſſe damnari, oſtendantur illi patres dixiſſe, quos culpare non audent.

CAPUT III.

Quod Amphilochius Iconienſis ſimilia etiam iis ſcripſerit, quæ in Theodoro reprehenduntur.

IGITUR & ex dictis B. *f* Amphilochii Iconienſis Epiſcopi aliqua proferamus; quem & ſapientiſſimus Joannes Antiochenus cum Orientali Concilio probatiſſimum doctorem pronuntiavit, & Imperatores Gratianus & major Theodoſius talem judicaverunt, ut præciperent, ſicut quarto libro memoravimus, illos ſolos Eccleſias habere, qui ex prædicti S. Amphilochii, & Diodori, atque aliorum ſimilium
C communione catholici probarentur. Hic itaque de eo quod dictum eſt, *Qui miſit me pater, major me eſt*, cùm ſermonem faceret, cujus eſt principium, Laborare nos fecit certamen hæreticorum; ſic ait, Vides quòd major eſt pater dicente *eamus*, non dicente, *Inhabitabo in eis & inambulabo*. Vides quod major eſt pater dicente, *Ego ſum vitis*, non dicente, *Ego plantavi vitem veram*. *g* Et ut non longum extendam ſermonem, breviter hæretice te requiro. Qui natus eſt ex Deo ante ſæcula paſſus eſt, an qui ex David in ultimis temporibus generatus eſt Jeſus? Siquidem divinitas paſſa eſt, dixiſti blaſphemiam: ſi autem homo, ſicut veritas habet, quare non applicas homini paſſionem, aut humilia non conſuis verba? Proinde accuſari etiam iſte doctor probatiſſimus poteſt, tamquam alterum ſignificans qui dixit, *eamus*, & *Ego ſum vitis*. alterum verò qui dixit, *Inhabitabo in eis*. &, *Ego plantavi vitem veram*. & apertè prædicans quia non ipſe qui natus eſt ex Deo ante ſæcula paſſus eſt, ſed ille potius qui ex David in ultimis temporibus generatus eſt. Matt. 26. 46. 2. Cor. 6. 16. Joan. 15. 1. Hier. 2. 21.
D Qui etiam diſputans de eo quod dictum eſt, *Amen amen dico vobis, qui verbum meum audit, & credit ei qui me miſit, habet vitam æternam*, Si das, inquit, carni paſſiones, da ei & humilia verba: & cui adſcribis miracula, ſupernos apta ſermones. Qui enim miracula facit Deus, juſtè excelſa loquitur operum digna: qui autem patitur homo, bene humilia loquitur digna paſſionum. Hîc quoque culpetur ſimiliter dicens, quod non ille qui miracula facit Deus, ipſe ſit etiam qui paſſus eſt homo. Item in quodam ſermone, cujus principium eſt, *h* Adfer hodie certativos attingamus ſermones; Joan. 5. 24.

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

f AMPHILOCHII ICONIENSIS. Quod ſuperius de Athanaſio dictum eſt, idem de Amphilochio in his ejus ſententiis intelligendum,
E duas in Chriſto naturas diſtinguere, non perſonas. Hoc enim diſertè profeſſus eſt in epiſtola ad Seleucum, quam citat Leontius, [illegible] Quò etiam ſpectat, quod in altera epiſtola ſcribens ad Paocharium diaconum Sidenſem ait his verbis, [illegible] Denique Theodoretus, qui has ipſas Amphilochii ſententias penè omnes profert in Dialogis, eo profert, ut duarum in una perſona Chriſti naturarum proprietates oſtendat.

g ET UT NON LONGUM. Theodoretus Dialogo III. hoc membrum citat, ἐκ τοῦ κατ' Ἀρειανῶν λόγου. & Leontius viciſſim verba illa: Διάκρινον λοιπὸν τὰς φύσεις, quæ Theodoretus Dialogo I. & II. citarat ἐκ τοῦ λόγου εἰς τὸ, ὁ πατήρ μου μείζων μου ἐστί. citat ipſe ἐκ τοῦ κατ' Ἀρειανῶν λόγου. Ex quibus liquet duplicem huic Amphilochii libro titulum fuiſſe.

h ADFER HODIE. Φέρε, σήμερον, &c. Vertendum fuerat *Age*, non *adfer*. ſed cujuſmodi Græcorum verſionibus uti ſoleat Facundus, jam monui. Hujus porro Amphilochianæ orationis mentionem apud alios extare non memini. reliquas, ut dixi, commemorat Theodoretus.

Joan. 20. 17. loquens de eo quod dictum eſt, *Aſcendo ad patrem meum & patrem veſtrum, & Deum* A
„ *meum & Deum veſtrum.* Communis eſt, inquit, pater: pater ipſius quidem, pro-
„ pter naturam, noſter autem, propter gratiam, communiter autem & Deus dici-
„ tur: ſed noſter quidem Deus eſt, quia ex non extantibus nos ut eſſemus fecit:
„ ejus autem Deus eſt ſecundum carnem. Ipſe enim eam formavit in virgine, ip-
„ ſe eam unxit in Jordane, ipſe eam prædicavit, ipſe eam glorificavit in paſſione,
„ ipſe eam ſuſcitavit à mortuis, in nube vacua evexit, dextera ſede dignam faciens.
„ Hæc enim omnia qui aſcendit ad patrem ſumens habet, non qui eſt in patre.
Et in hoc loco accuſetur, quòd non eum qui eſt in patre dicit eſſe qui aſcendit
ad patrem. Rurſus de eo quod dictum eſt, *Pater, ſi fieri poteſt, tranſeat calix iſte,*
„ cujus initium eſt, Tunc ſicut miles legitimus, ita dicit: Si enim oporret filium
„ hominis tradi, quomodo dicis, ſi fieri poteſt, tranſeat calix iſte? omnino au-
„ tem ſi pati nolebas, quid dicebas, tranſeat calix iſte? Non ego qui cœlum feci, B
„ qui fundavi terram, ſed ſecundum te homo dicit declinans mortem. Item inde.
„ Quoniam ego, ait, Deus & homo ſum, dic quis eſt qui paſſus eſt. Si Deus paſ-
„ ſus eſt, dixiſti blaſphemiam: ſi autem caro paſſa eſt, quare paſſionem non ap-
„ plicas ei cui timorem injicis? alio enim patiente alius non formidat: & homine
„ crucifixo Deus non turbatur. Puto quòd in hoc quoque capitulo non poſſit non
monere lectorem, quòd alium dicat eſſe hominem qui paſſus eſt, & alium Deum
qui nihil crucifixo homine formidabat. Quamobrem ſi quis Theodorum vel ejus
dicta damnaverit, conſequenter etiam Euſtachium, Athanaſium, atque Amphi-
lochium probatiſſimos doctores, vel eorum dicta, damnare cogitur. Quid ergo,
ſi aliquis Theodori, vel cujuſquam in Eccleſiæ pace defuncti, nobis error appa-
ret, adprobandus atque ſequendus eſt? abſit. Sed quærendum eſt priùs, & cum
inſtructioribus conferendum, ne quòd culpabile nobis apparet, ab auctore ſuo alia
intentione prolatum ſit. nec ex eo quod nobis videtur non interrogatus judicandus
eſt ille qui dixit. maximè ſi alia dixiſſe inveniatur contraria illi errori, in quem C
creditur incidiſſe. Nam ſæpe ſcrupuloſa & ſubtilis interrogatio, ſicut hæretico-
rum dolos inveſtigatos exhorruit, ita ſimplicitatem catholicorum ſe inveniſſe ga-
viſa eſt. Quòd ſi tam certus error eſt aliquorum in pace Eccleſiæ defunctorum,
ut his quæ diximus nequeat excuſari, ſine illorum infamia, ſine offenſione & con-
turbatione Eccleſiæ, tacitis eorum nominibus, ipſis erroribus occurratur: ut & de-
bita reverentia exhibeatur prædicatoribus in Eccleſiæ pace defunctis, & nulli ca-
tholico ſit offenſa defenſio veritatis. Sic viros ſanctos & graves, nec ſe de aliorum
reprehenſione jactantes, feciſſe novimus, quos convenientius atque utilius imita-
mur. Sicut autem illorum doctrina, qui extra Eccleſiam conſtituti multa vera &
neceſſaria conſcripſerunt, non poteſt pro hiſdem rectis & neceſſariis catholica ju-
dicari: ita domeſticorum Eccleſiæ doctrina, vel ſi in aliquibus oſtendantur erraſſe,
non pro eis condemnanda eſt velut hæretica. D

CAPUT IV.

Quod in Gregorii libris adverſus Eunomium ſimilia extent iis quæ in Theodori libris reprehenduntur.

„ VERUM quid etiam Sanctus *i* Gregorius dicat in libro adverſus Eunomium ter-
„ tio proferamus. Neque vivificat, inquit, Lazarum humana natura, neque ja-
„ centem lacrymat impaſſibilis poteſtas: ſed proprium eſt hominis quidem lacrymare,
„ vivificatio autem ejus quæ revera vita eſt. Non paſcit milia hominum egeſtas hu-
„ mana: non currit ad ficum poteſtas omnipotens. Quis eſt fatigatus ex itinere? & quis
„ ſine labore omnem mundum verbo conſtituit? quis eſt iſte ſplendor gloriæ? & qui-
„ dem quod clavis confixum eſt? quæ forma in paſſione alapis percutitur? & quæ
„ ex æternitate glorificatur? Manifeſta enim ſunt iſta, etſi nulla interpretentur ora- E
„ tione. Quoniam plagæ quidem ſervi ſunt, in quo Dominus exiſtat: honores autem
„ Domini, circa quem ſervus agnoſcitur. Attendis quemadmodum ſanctus Gregorius

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

i GREGORIUS ADVERSUS EUNOMIUM. Gregorii Nyſſeni adverſus Eunomium libri ſunt XII. ſed non uno modo citari omnes ſolent. Quæ hic enim primo loco proferuntur ex tertio ejus operis libro, eadem tertio quoque libro adſignat Ecloge Anaſtaſii. at Leontius ſecundo libro attribuit: re ipſa autem extant in quarto editionis Græcolatinæ. eodemque modo in quinto extant reliqua omnia, quæ Facundus citat ex quarto. cujus varietatis cauſas inveſtigare ſupervacaneum eſt.

A non arbitrans k duos Chriſtos aut filios, doceat hominis quidem fuiſſe proprium lacrymare, vivificare autem ejus quæ revera vita eſt. & interrogans hæreticum orthodoxus dicat, quis eſt fatigatus ex itinere? & qui ſine labore omnem mundum verbo conſtituit? & cetera. ac deinde in hoc ſententiam claudat, affirmans quoniam plagæ quidem ſervi ſunt, in quo Dominus exiſtat: honores autem Domini, circa quem ſervus agnoſcitur. Numquid ergo hæc ſecundum errorem Neſtorii talia dixiſſe credimus, quaſi alterius ſubſiſtentiæ ſit Dominus qui extabat in ſervo, & alterius ſervus in quo extabat? vel alterius perſona erit Dominus, cui adſcribendus eſt honor, & alterius ſervus, qui circa Dominum agnoſcitur, & cui plagæ ſint deputandæ? Qui rurſus eodem opere libro quarto, Sicut enim, ait, qui non cognovit peccatum, peccatum efficitur, ut auferat peccatum mundi; ſic item caro ſuſcipiens Dominum, Chriſtus & Dominus efficitur. Immuratur enim propter adunationem in hoc quod non erat per naturam. Et poſt pauca. Notum ſit omni domui Iſraël,
B quoniam Dominum eum & Chriſtum Deus fecit, hunc Jeſum, quem vos crucifixiſtis. Hac demonſtratione oſtendere ſe putant creaturam eſſe unigeniti Dei eſſentiam. Quid ergo, dic mihi, num ante ſæcula fuerunt Judæi, ad quos ſermo divinus factus eſt? num ante mundum fuit crux? num ante omnem creaturam exritit Pilatus? num primùm Jeſus, & poſtea verbum? num antiquior caro, quàm divinitas? num ante mundi conſtitutionem Gabriel ad Mariam evangelizavit? Nonne ille homo qui juxta Chriſtum eſt, ſub Cæſare Auguſto principium generationis accepit? Verbum autem in principio erat Deus & rex noſter ante ſæcula, ſecundum quod & prophetia teſtificatur? Non vides qualem confuſionem ſurſum atque deorſum, juxta proverbium, commoves verbo Dei. Quinquageſima poſt paſſionem dies fuit, quando hæc ad Judæos concionabatur Petrus dicens, *Quoniam hunc, quem vos crucifixiſtis, Chriſtum & Dominum Deus fecit?* Non attendis ordinem verborum, quid primum & quid ſecundum in eis quæ dicuntur poſitum ſit? Non enim dixit, quem Deus fecit Dominum, vos crucifixiſtis. Sed quem vos, inquit, crucifixiſtis, hunc
C Deus Chriſtum & Dominum fecit. Hic etiam de incarnationis Chriſti myſterio loquens dicit, quod caro ſuſcipiens Dominum Chriſtus & Dominus efficitur. Nec tamen arbitrandum eſt, quod Gregorius hominem tantùm, qui non etiam Deus eſſet, prius extitiſſe crediderit, qui Dominum ſuſciperet. Quid autem reſpondere poterunt Semieutychiani, vel fautores eorum, ſi eis dicatur, Qui Theodorum putatis à ſynodo Calchedonenſi fuiſſe damnandum, cur Gregorium non damnatis? Namque cùm Chriſtum, id eſt unctum, non niſi Deum credamus incarnatum, ipſaque unctio humanæ magis naturæ conveniat, unde & ipſe ait quod caro ſuſcipiens Dominum Chriſtus efficitur; ipſe iterum dicit, Nonne ille homo, qui juxta Chriſtum eſt, ſub Cæſare Auguſto principium generationis accepit? Verbum autem in principio erat Deus. Si igitur caro, id eſt homo, ſuſcipiens dominum factus eſt Chriſtus, quis eſt item ille homo, qui juxta Chriſtum eſt ſub Cæſare Auguſto principium generationis accipiens? aut quare confuſionem ſurſum atque deor-
D ſum, juxta proverbium, verbo Dei aſſerit commoveri de eo quod dictum eſt, quoniam hunc quem vos crucifixiſtis Chriſtum & dominum Deus fecit? & ammonet ut ordinem verborum Eunomius, contra quem agit, intendat, & quid primum ſit, vel ſecundum in eis quæ dicuntur intelligat, atque infert, Non enim dixit, quem Deus fecit dominum, vos crucifixiſtis, ſed quem vos, inquit, crucifixiſtis, hunc Deum Chriſtum & hominem fecit. Quid ergo? non & ante paſſionem Chriſtus & dominus fuit, qui poſtea crucifixus eſt, ſed poſt crucifixionem Chriſtus & dominus factus eſt merito paſſionis? Et quomodo ſuprà dictum eſt, caro ſuſcipiens dominum Chriſtus & dominus efficitur? Numquid poſt crucifixionem dominum caro ſuſcepit? Proinde ſi hæc, ut dixi, Eutychianis objiciantur, Gregorium quoque damnabunt? an ea melius intelligere & exponere conabuntur? Nam & S. Athanaſius in libro quem de Trinitate conſcripſit, ſicut tertio noſtro memoravimus, ad naturarum diſtinctionem ſimiliter dixit, Verbum enim & filius Dei ſemper erat dominus
E Deus, & non poſt crucifixionem factus eſt dominus Chriſtus: ſed ut prædixi humanitatem ejus effecit divinitas dominum & Deum. Sed ad propoſitum revertamur. Dicit itaque rurſus idem S. Gregorius eodem libro: Divinam ſcripturam in manibus ad exponendum habentes vetat magnus Apoſtolus aniles novitates ſuſcipere

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

k DUOS CHRISTOS AUT FILIOS. Eunomius Baſilio inter cetera objecerat, duos ab eo Chriſtos & dominos prædicari. Gregorius, cui propoſita in his libris erat Baſilii defenſio, calumniam lib. 4. refellit. Δύο Χριστὰς, inquit, καὶ δύο κυρίους λέγειν ὑμᾶς, ἀπέφηνε· [illegible] Nedum ut in hac ipſe ſententia fuiſſe videri queat.

crucem enim advertens, crucem intelligo, & humanum nomen edoctus, conſpicio eam quæ ſignificatur ex nomine ipſo naturam. Iſtum itaque doceor à Petro factum eſſe dominum & Chriſtum; iſtum qui in oculis noſtris factus eſt ab eo dici non dubito: quoniam & concinunt ſibi invicem ſancti, & in aliis omnibus rebus, & in hac parte. Sicut enim iſte eum qui crucifixus eſt dominum factum eſſe dicit, ſic & Paulus inquit ſuperexaltatum poſt paſſionem & poſt reſurrectionem. Animadvertat & in hac ſententia lector, quia cùm dicit, Iſtum itaque doceor à Petro factum eſſe dominum & Chriſtum; & iterum repetit dicens, Iſtum qui in oculis noſtris factus eſt ab eo dici non dubito, tantumdem valet ac ſi diceret, iſtum, non illum qui ante ſæcula dominus erat. nec tamen duos filios in iſto & in illo docet intelligi. Et ſuperiorem ſuam ſententiam firmans, rurſus eum poſt crucifixionem aſſeverat dominum factum, cùm ait, quia ſicut Petrus eum qui crucifixus eſt dominum factum eſſe dicit: ſic & Paulus inquit ſuperexaltatum poſt paſſionem & poſt reſurrectionem. Quocirca ſicut eum poſt paſſionem & reſurrectionem aſſerit exaltatum teſtimonio Pauli dicentis, *Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis. propter quod & Deus illum exaltavit, & donavit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen:* ita eum poſt paſſionem quoque & reſurrectionem adfirmat dominum factum. quod de illo etiam Petrus Apoſtolus ait: *Notum ſit omni domui Iſrael, quoniam dominum eum & Chriſtum Deus fecit, hunc Ieſum quem vos crucifixiſtis.* Item dicit eodem libro: Ut circa utrumque quod pietatis eſt reſervetur, ea quæ humana ſunt per adſumptionem glorificata demonſtrat, & ea quæ divinitatis per deſcenſionem nullomodo polluit. Sed dans quidem paſſionibus humanitatem, operationem autem reſurrectionis illius qui paſſus eſt divinæ virtuti. & ſic mortis experientia ad illum qui communicavit paſſibili naturæ refertur, propter eam quæ ad eum eſt hominis adunationem. * & altiora. item & divina nomina ad hominem ſimili modo deſcendunt. Numquid ſi Theodorus diceret, dans quidem paſſionibus humanitatem, operationem autem reſurrectionis illius qui paſſus eſt divinæ virtuti, non ad præjudicandum Calchedonenſi concilio ſapientes viri jactatent, quòd ideo dicit illius qui paſſus eſt, tamquam alterius perſonæ ſit Deus verbum qui paſſus non fuerit? aut quod ibi ſubſecutus adjecit, & ſic mortis experientia ad illum qui communicavit paſſibili naturæ refertur, non accuſarent in Theodoro, ſicut ſolent, dicentes quia non ejuſdem perſonæ credidit Deum quem hominem, ut diceret, illius qui paſſus eſt, id eſt hominis, ad illum refertur, id eſt ad Deum verbum: & hominis paſſionem per relationem ipſi Deo verbo adſcribi, ſicut ad hominem altiora, quæ ſunt Dei verbi, & divina nomina ſimili modo deſcendunt. Rurſus eodem libro de hoc ipſo loquens: Si enim deceret, inquit, in illa excellenti natura dicere aliquid ſecundum profectum contigiſſe; verbi gratia, ut ex privato rex fieret, ex humili excelſus, ex ſervo dominus, deceret fortaſſe & Petri vocem divinæ unigeniti coaptare perſonæ. Quoniam autem divinitas, quicquid illud eſt quod à nobis eſſe creditur, ſemper eodem modo ſe habet, & omni additamento ſuperior extat, diminutionem nequaquam percipiens, neceſſe eſt omnibus modis ad humanitatem referre ſermonem. Deus enim verbum, quod erat in principio, hoc etiam nunc eſt, & ſemper permanet, ſemper rex, ſemper dominus, ſemper altiſſimus, ſemper Deus. nihil horum per profectum ſumpſit, ſed omnia quæcumque dicitur virtute ſuæ naturæ conſiſtit. Ille autem ex homine per adſumptionem ad Deum exaltatus, aliud conſiſtens, & aliud effectus, proprie & vere Chriſtus & dominus factus eſſe dicitur. Ex ſervo enim & ex ſubjecto regem, & Chriſtum eum ex obediente fecit, & quod humile erat ſuperexaltavit, & humanum habenti nomen donavit nomen quod eſt ſuper omne nomen. His quoque conſideratis, videant qui Theodorum cum ſuis dogmatibus judicaverunt eſſe damnandum, tamquam dicentem per profectum aliquid acceſſiſſe Chriſto ſecundum humanitatem, quoniam ſive hoc Theodorus dixit, ſive non dixerit, Gregorius interim dicit, quia ſecundum profectum ex privato rex, ex humili excelſus, ex ſervo dominus in ſuſcepta humanitate factus eſt Chriſtus. Nam Deus verbum, quod erat in principio, hoc etiam nunc & ſemper eſt, nec aliquid horum per profectum ſumpſit. Ille autem ex homine per adſumptionem ad Deum exaltatus, cùm aliud per naturam conſiſteret, aliud effectus eſt, proprie & vere Chriſtus & dominus factus eſt. quem Dei verbi aſſumptio ex ſervo & ex ſubjecto regem fecerit, & Chriſtum ex obaudiente. Accuſent igitur & Gregorium tamquam duos inducentem filios, quia dixit, Deus verbum nihil per profectum ſumpſit: ille autem ex homine per adſumptionem ad Deum exaltatus eſt. Et quaſi dicentem, quòd aliquando dominus Jeſus ſic fuerit ſervus ac ſubjectus, ut non etiam rex eſſet & dominus, aut prius obediens tantùm fuerit, & poſteà ipſius obedientiæ merito Chriſtus effectus: aut ſic fuerit unquam humilis, ut excelſus quoque non eſſet: aut ſic aliquando hu-

* & altioritatem.

A manum nomen habuerit, ut non haberet etiam nomen quod eſt ſuper omne nomen. quia & hoc Gregorius dixit, Quod humile erat ſuperexaltavit, & humanum habenti nomen donavit nomen quod eſt ſuper omne nomen. Accuſent etiam quod ait, Ille autem ex homine ad Deum exaltatus, propriè & verè Chriſtus & dominus factus eſſe dicitur, quaſi Chriſtus & dominus factus homo eſſe deſierit, ut diceretur ex homine Chriſtus & dominus factus. Quanta verò talia in libris hujus ſancti Gregorii poſſint inveniri, ex hoc lector conjiciat, quia nos non ſolùm ex eodem ejus opere, verùm etiam ex eodem libro tanta protulimus, quanta neceſſaria cauſſæ judicavimus. Nec tamen pro talibus dignum eſt ejus doctrinam ſub anathemate condemnari. Primùm quidem, quia non infamia digni ſunt, qui præſentem vitam cum gloria finierunt. Deinde patres quoque Orientales dicebant, Si autem « quicquam, Imperator ſancte, obſcurum aliquis inveniri dicat in Theodori vel alio- « rum literis, hoc retractari neceſſarium non eſt. Quorum enim vita in ſacerdotio «
B & miniſterio optimum habuit finem, his prælatam gloriam dedicamus, & non ex « illis eos judicamus, de quibus aliqui atrociter eos accuſant. Impoſſibile enim eſt, « cùm homines ſint qui in Eccleſia docent, ut calumniantium vituperationes effu- « giant. Deinde quia multa hinc etiam læſio atque confuſio generatur Eccleſiæ. Un- « de iterum patres memorati dicebant, Quid non hinc læſionis vel corruptionis & « confuſionis plenum generetur, ſi aperiamus januam his qui volunt dicta tranſeun- « tium patrum evertere? quale damnum non apertum erit, dicta non ſolùm refutare, « ſed etiam anathematizare? Ut enim aliud alicui placeat, aliud non in aliquorum dictis, ſive antiquorum ſive poſterorum, ſive nunc noſtrorum, alia ratio eſt: ut autem & anathema eis imponatur, arbitramur audax & aſperum apparere, etſi perſonæ eum dictis non anathematizentur.

CAPUT V.

C *Quod apud Ioannem Chryſoſtomum quædam etiam ſimilia ſint iis quæ in Theodori ſcriptis reprehenduntur.*

SED jam ad ſancti Ioannis Conſtantinopolitani dicta pergamus: ut aut ipſe quoque cum Theodoro antiquo amico, & à principio condiſcipulo, commune cum ab Eutychianis ferat invidiam; aut & ab illo, atque à ſynodo Calchedonenſi repellat. Qui in ſermone quodam, cujus eſt principium, Iterum equorum curſus, ſic ait: Quando ergo dicit, *Si poſſibile eſt tranſeat calix iſte.* &, *Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu*, « nihil aliud oſtendit, niſi quia carnem verè circumamictus eſt timentem mortem. Ti- « mere enim mortem, & ſubtrahi, & agoniam habere, illius eſt. Nunc quidem eam « deſertam & nudam reliquit ab operatione propria, ut oſtendens ejus infirmitatem, « manifeſtaret ejus naturam. Iam quidem etiam libro tertio, quomodo idem beatus « Ioannes Chriſtum ſecundum humanitatem mortem docuerit timuiſſe, probavimus. Sed illud modò volumus adtendi, quod ait, Nunc quidem eam deſertam & nudam
D reliquit ab operatione propria, cùm ſic eam ſibi Deum verbum in unam ſubſiſtentiam adunaſſe credamus, ut ab ea divelli nequeat in æternum. quam tamen recto ſenſu, quem Eutychianorum ſtultitia non poſſet indagare, nec impietas placidè & reverenter accipere, Ioannes ab illo perhibet eſſe deſertam. Qui rurſus in commento epiſtolæ ad Epheſios libro tertio dicit: Conſidera quantum eſt inter homi- « nis & Dei naturam medium. & ab hac vilitate in illum eum honorem devexit. non « uno gradu tranſcendit. & ſecundo & tertio habe: non ſimpliciter dixit ſurſum, ſed ſu- « per ſurſum. nam virtutibus ſupernis ſuperior eſt. Ergo illuc evexit eum qui ex nobis eſt. « ab ultima meta ad ſupremum evexit principatum, poſt quem non eſt alter honor. ſuper « omnem, inquit, principatum. non hoc quidem, hoc autem non: ſed & ſuper om- « nem poteſtatem & virtutem & dominationem, & omne nomen quod nominatur in « cœlo & in terra, ſuperior factus eſt. Hoc de eo qui à mortuis ſuſcitatus eſt dignum « mirari: de Dei autem verbo nequaquam. Neque hic dicendo, quod natura divina «
E adſumptum evexit eum qui ex nobis eſt, duos voluit intelligi filios. Unde nec ita illud debemus accipere, quod in fine hujus ſententiæ dixit, Hoc de eo qui à mortuis ſuſcitatus eſt dignum mirari: de Dei autem verbo nequaquam. Item eodem libro. Duo enim, inquit, maxima fecit. ipſe in noviſſimam humilitatem venit, ho- « minem in excellentiam magnam evexit, in ſanguine ejus ſalvavit. Dixit illud prius, « quia ſemetipſum tantum humiliavit. dicit hoc poſtea magnum & ſupremum. Et licet « nullo digni efficeremur, ſufficiebat: etſi præter hoc digni efficeremur abſque oc- « caſione, ſufficiebat. quando autem duo ſunt, cujus ſermonis magnitudinem non « evincat atque tranſcendat? Non grande eſt aliquid reſurrectio, quando iſta conſi- « dero. de iſto dicit, Deus domini noſtri Jeſu Chriſti, non de Deo verbo. Quis «

autem vel hîc Joannem dicat Neſtoriaoi dogmatis inventorem, quia dixit, Ipſe in novisſimani humilitatem venit. Item, Deus verbum hominem in excellentiam magnam evexit. item, ille in cujus ſanguine nos ſalvavit. vel quia inferius ait, de iſto dicit Deus domini noſtri Jeſu Chriſti, non de Deo verbo: tamquam dominus noſter Jeſus Chriſtus non ſecundum ſubſiſtentiæ unitatem ipſe ſit etiam Deus verbum. In interpretatione quoque epiſtolæ ad Hebræos, ſermone XIV. de eo quod ſcriptum eſt, Sicut conſummatio per Leviticum ſacerdotium erat, ita locutus eſt. Dicit al-
» ter propheta, *Dolus non eſt inventus in ore ejus.* hoc eſt nulla calliditas. Hoc for-
» ſitan quiſquam de Deo dicat, & non erubeſcit dicens, quia Deus non eſt callidus,
» neque doloſus. De eo verò qui ſecundum carnem eſt, habebit forſitan rationem. Hîc etiam, quamvis dicat non de Deo verbo ſcriptum quod ait propheta, dolus non eſt inventus in ore ejus, ſed de eo qui ſecundum carnem eſt: non tamen duos voluit accipi Chriſtos, aut filios. In ſermone quoque *l* de aſcenſione Domini cujus
» eſt initium, Feſtivitatem hodie celebramus mirabilem. Utique oportebat, inquit, B
Heb. 1. 7. » differentiam ſic dicere. Ad angelos ſuos quidem dicit, *Qui facit angelos ſuos ſpiritus.*
» ad filium autem, *Dominus creavit me.* aut quia dominum eum & Chriſtum Deus fe-
» cit. Sed neque illud de filio dictum eſt, neque hoc de Deo verbo, ſed de eo qui
» ſecundum carnem eſt. Vides quomodo Ioannes in iſta quoque ſententia dicat quia non de filio dictum eſt, creavit me, ſed de eo qui ſecundum carnem eſt: nec tamen à veris & piis fidelibus eum qui ſecundum carnem eſt filium negaſſe credatur.

CAPUT VI.

Quod in ſanctis patribus, ſi quid errant, excuſanda ſit intentio, ne hæretici credantur.

CUR autem hæc, vel ipſius S. Ioannis, vel ceterorum, ſi qua memoravimus patrum, aliaque multa, quæ prolixitatis vitandæ gratia memorare nolumus, C non creduntur hæretica, niſi quia dictorum offenſionem dicentium excuſat intentio, ſecundum quam de verbis melius judicatur? Ipſa eſt intentio mentis, quæ velut quidam oculus corporis, ita non ſolùm dictis noſtris, ſed operibus quoque præſidet. de
Matth. 6. 22. qua Dominus ait, *Lucerna corporis tui eſt oculus tuus. Si fuerit oculus tuus ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebroſum erit. Si ergo lumen quod in te eſt tenebræ ſunt, ipſæ tenebræ quantæ erunt?* Itaque ſimplex horum patrum oculus, id eſt intentio, qua pro Chriſti Eccleſia, necdum ſollicitante Neſtorii quæſtione, hæreticis talia reſpondebant, totum corpus doctrinæ illorum lucidum fecit. Si quis autem nunc oculo nequam, id eſt intentione contra Eccleſiam, his patrum verbis, vel etiam ipſius divinæ ſcripturæ, abutatur in aſſertionem Neſtoriani dogmatis, totum corpus ejus tenebroſum erit. Non eſt autem nobis in hac vita conceſſum, ut propoſitum noſtræ mentis opus æquiparet, & talis tantaque D ſit actio, qualis & quanta eſt in nobis intentio: ſed quod perfecte lucet in bona intentione, aliquantum veſperaſcit in ſermone vel opere. Quòd ſi ipſa intentio tenebreſcat, multo magis dicta vel facta, quæ ab illa proceſſerint, tenebroſa erunt. Hinc ergo Dominus etiam hoc adjecit, *Si ergo lumen, quod in te eſt, tenebræ ſunt, ipſæ tenebræ quantæ erunt?* Proinde ſic horum, vel quorumcumque talium patrum ſcripta legenda ſunt, ut ſicubi nos aliquid in eis offenderit, aut melius hoc interpretemur, aut interpretandum melioribus relinquamus. Si verò tam certus eſt error, ut excuſari nequeat, credamus quod poſtea emendare potuerint, vel ſi non legatur ubi emendaverint, ne non tam ipſos de ſubrepente lapſu, quàm Chriſti Eccleſiam de ſedula ejus adprobatione culpemus. Quod ſi & aliqui, pro ambiguitate novæ quęſtionis, de qua necdum una generaliter ſententia tenebatur, ſicut aliquando fuit, cum beatus Cyprianus omnes hæreticos crederet baptizandos, aut pro ſecuritate illius temporis, quia necdum ſicut nos ex altera parte contrariis quęſtionibus pulſa- E
bantur, aut quia Eccleſiam fortè latuit, ut non admonerentur, in ipſo dicantur errore manſiſſe; infirmitatem labentium religioſa excuſet intentio. & quoniam in Eccleſiæ caritate manſerunt, credamus quod eorum culpas ipſa caritas texerit, ſi-
1. Petr. 4. 8. cut ſcriptum eſt, *Caritas cooperit multitudinem peccatorum.* Nam quis in Eccleſia Chriſti

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

l DE ASCENSIONE DOMINI. Chryſoſtomi εἰς ἀνάληψιν diverſas ſententias proferunt Theodoretus Dial. II. & Leontius Byzantius libro I. uterque ex oratione, Καὶ ἐν σημερινῇ μνείας ἐπιτελοῦμεν. Profert & Joannes Cypariſſiota ex altera, cujus initium eſt [illegible] ἑορτή. Quæ utraque excuſa eſt Tomo V. editionis Anglicanæ. Hæc autem, cujus teſtimonio utitur Facundus, hactenus edita non eſt.

A ſic inhumanus atque inimicus eſt, ut viſum Dei Auguſtinum, tanta pietate prædi-
tum, etiamſi in his quorum fide immoramur erraſſe, & non admonitum in errore
permanſiſſe cognoſceret, hæreticum diceret aut putaret? qui in exordio ſuorum de
Trinitate librorum, Nec pigebit autem me, inquit, ſicubi hæſito quærere, nec pu-
debit ſicubi erro diſcere. Proinde quiſquis hæc legit, ubi pariter certus eſt, pergat
mecum: ubi errorem ſuum cognoſcit, redeat ad me. ubi meum, revocet me. Ita
ingrediamur ſimul caritatis viam, tendentes ad eum de quo dictum eſt, *Quærite fa-* Pſal.
ciem ejus ſemper. Et hoc placitum pium atque tutum coram domino Deo noſtro 104.
cum omnibus interim, qui ea quæ ſcribo legunt, & in omnibus ſcriptis meis, maxi-
méque in his, ubi quæritur unitas Trinitatis, patris & filii & ſpiritus ſancti. quia
neque periculoſius alicubi erratur, nec laborioſius aliquid quæritur, nec fru-
ctuoſius aliquid invenitur. Quis itaque Auguſtinum ſic ingredientem viam caritatis,
& ad Deum tendentem, ut profiteretur quòd ſicubi erraret, cum diſcere non pu-
B deret, & hortantem ut ab ipſo revocaretur errore, hæreticum diceret, vel ſi in his,
ſicut jam diximus, probaret erraſſe, & nemine admonente etiam in errore manſiſſe,
cùm ipſa præparatio mentis ad corrigendum, & exhortatio ejus ut à ſuo revocaretur
errore, pluſquam correctio debeat æſtimari? Nam ſæpe verecundia preſſi, aut etiam
neceſſitate conſtricti corriguntur: iſte autem ſine ulla verecundia ut revocaretur om-
nes qui ſua legerent divina teſtificatione conſtringit. Et hoc, inquit, placitum, pium
atque tutum coram domino Deo noſtro cum omnibus interim, qui ea quæ ſcribo le-
gunt. Ergone huic tutum, ſicut credidit, non eſſet hoc placitum pium coram do-
mino Deo noſtro cum omnibus qui ſua legerent initum, etiam ſi non admonitus in
aliquo permanſiſſet errore? quis niſi crudelis aut dicat, aut credat? Tales igitur æſti-
memus & alios doctores Eccleſiæ, qualem ſe nobis Auguſtinus oſtendit; & nullum
dicemus hæreticum in Eccleſiæ pace atque honore defunctum. Qui enim me lædit,
ſi de omnibus taliter ſentiam, vel ſi non omnes fuerint tales? Hîc forſitan aliquis di-
C cat, Sed de Auguſtino rectè ſic audis, cujus animum profeſſio ſua declarat. de aliis
autem qua ratione ſic credas? Quaſi vel ipſe qui contradicit certum habeat quòd
hoc alii quoque non dixerint; tanquam omnia omnium legerit, omniumque memi-
nerit. aut vel ipſe animus Auguſtini ideo talis fuit, quoniam taliter eſt locutus, &
non potius quoniam talis fuit, ideo taliter eſt locutus: ac per hoc, etiamſi nihil ta-
le dixiſſet, idem tamen eſſet habitus animi ad corrigendum quod juſtè offenderet
præparati. De quo ſi etiam ſic bene ſentiremus, & pium proculdubio eſſet, & ve-
rum, quamquam videretur incertum. Hoc igitur & de aliorum animis ſentiamus,
quia interim pium eſt, vel ſi videatur incertum. quod ſi & malè de illis ſentiamus,
hoc quoque certum non erit, ſed certa impietas erit. Melius ergò eſt, ut de duo-
bus illud eligamus incertum, in quo certa pietas adprobetur, quàm hoc incertum,
in quo impietas certa damnetur. Arbitror autem, quoniam & ipſi, qui nolunt de
ceteris doctoribus Eccleſiæ ſimiliter ut de Auguſtino ſentire, quia non inveniunt
D ubi ſimiliter & illi dictorum ſuorum lectores exhortati fuerint, ut eos de errore de errore
corripiant, impium judicent credere quòd nemo ceterorum fuerit ad corrigendum corri-
paratus, ſi quid meritò legentem in ejus dictis offenderet. Si ergo impium eſt cre- piant.
dere, quod nullus alius fuerit ejuſdem propoſiti, unde ſcit ne ille fuerit talis, quem
æſtimat damnandum? Omnifariè ergo colligitur, quod nemo pro tali ignorantia, in
Eccleſiæ duntaxat pace defunctus, niſi ex magna impietate ac temeritate damne-
tur. Unde ſi aliquis apud ſanctam ſynodum Chalchedonenſem Theodorum accuſaret,
& aliquos oſtendere poſſet atque oſtenderet ejus errores, modeſtè ac piè procul-
dubio prædicta ſynodus faceret, ſi etiam de incerto ejus animo bene ſentiret. Nunc
autem accuſatus eſt apud illam, nec animus ejus erat incertus, quem libro ſupe-
riore docuimus negligentiam ſuam etiam in opere in quo ab amico Cerdone lauda-
tus eſt. ſponte provideque confeſſum, ne quis auctoritate nominis inductus eum
ſequeretur errantem, & offenſionem auditorum non contempſiſſe, cùm diceret ali-
E quid quod rectè dictum non putaretur: ſed pernicioſi pudoris victorem eandem offen-
ſionem, quam per incuriam verbi contraxerat, abſtuliſſe. Quæ correctio illum non
ab his tantùm, in quibus evidenter apparuit, ſed à ſimilibus quibuſque purgavit.
Cur ita non laudetur in ceteris ejus ſana doctrina, cùm & in ipſo errore laudan-
da ſit, per quam nos exemplo potius quàm verbis ducuit & errata ſponte fateri, &
reprehenſam offenſionem ſine pudore corrigere? Nihil igitur eſt, quod de cauſa
Theodori ſynodus ſancta culpetur. Neque enim cuiquam auctoritate dictorum ejus
impoſuit, ut ſine ullo examine legerentur, & quicquid ſcripſit inconcuſſum atque
indiſcuſſum teneretur ab omnibus. In his igitur habeatur, de quibus Apoſtolus ait,
Omnia probate, quod bonum eſt tenete. Aliter itaque ſcripturas divinas legimus, quæ ca-
nonicæ vocantur: aliter autem eorum, qui legendi atque ſcribendi ſtudio profi-

cientes, per acquiſitam quotidiano labore facultatem, ſicut potuerunt de his locuti ſunt. ex quibus erat & ille vir ſapientiſſimus ac modeſtiſſimus Auguſtinus, qui ter- A
,, tio quoque de Trinitate libro ſic ait: Sanè cùm in omnibus litteris meis non ſolùm
,, pium lectorem, ſed etiam liberum correctorem deſiderem, multo maximè in his,
,, ubi ipſa magnitudo quæſtionis utinam tam multos inventores habere poſſet, quàm
,, multos contradictores habet. Verùm tamen ſicut lectorem meum nolo eſſe mihi
,, deditum, ita correctorem nolo ſibi. Ille me non amet amplius quàm catholicam
,, veritatem; ſicut illi dico, noli meis litteris, quàm ſcripturis canonicis inſervire. ſed
,, in illis & quod non credebas cùm inveneris, incunctanter crede: in iſtis autem quod
,, certum non habebas, niſi certum intellexeris, noli firmè retinere. Ita illi dico, noli
,, in meis litteris ex tua opinione vel contentione, ſed ex divina lectione, vel incon-
,, cuſſa ratione corrigere. Si quid in eis verum comprehenderis exiſtendo non eſt
,, meum, ut intelligendo & amando & tuum ſit & meum. ſi quid autem falſi convi-
,, ceris, errando fuerit meum: ſed jam cavendo, nec tuum ſit, nec meum. Aliter ita- B
que, ſicut iſte vir prudentiſſimus docet, cononicas litteras legimus, in quibus ne-
ceſſe eſt etiam quod non credimus, cùm invenerimus, incunctanter credere: aliter
autem, vel ipſius Auguſtini, vel talium ceterorum, in quibus quod habemus incer-
Epiſt. 97. tum, niſi certum intellexerimus, non firmè retinere debemus. Qui etiam Hiero-
,, nymo ſcribens dicit, Ego enim fateor caritati tuæ, ſolis eis ſcripturarum libris, quæ
,, jam canonicæ appellantur, didici hunc timorem, honoremque deferre, ut nullum
offendero litteris. ,, eorum auctorem ſcribendo erraſſe aliquid firmiſſimè credam. ac ſi aliquid in eis
,, offendere litteris, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quàm vel mendo-
,, ſum eſſe codicem, vel interpretem non aſſecutum eſſe quod dictum eſt, vel me mini-
,, mè intellexiſſe non ambigam. Alios autem ita lego, ut quantalibet ſanctitate do-
,, ctrinaque præpolleant, non ideo verum putem, quia ipſi ita ſenſerunt, ſed quia mi-
,, hi vel per illos auctores canonicos, vel probabili ratione quod à verò non abhor-
,, reat, perſuadere potuerunt. Nec te, mi frater, ſentire aliud exiſtimo. prorſus in-
,, quam, non te arbitror ſic legi tuos libros velle, tanquam prophetarum vel Apoſto- C
,, lorum, de quorum ſcriptis quod omni errore careant dubitari nefarium eſt. Abſit
,, hoc à pia humilitate, & veraci de temetipſo cogitatione. qua niſi eſſes præditus, non
,, utique diceres, utinam mereremur complexus tuos, & collatione mutua, vel doce-
,, remus aliqua, vel diſceremus. Tenentes ergo hujus ſapientiſſimi viri ſapientiam, & divinam auctoritatem libris non canonicis non adſcribamus, nec humanam compaſſionem, ſicubi ſcriptores eorum quaſi homines lapſi ſunt, denegemus. Quid enim faciat, cujus animam cùm caro coruptibilis aggravet, & deprimat terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem, ſuſcepti officii neceſſitate docere compellitur, niſi ut quæ ſcribit aut dicit, ipſius Eccleſiæ, pro qua & à qua ſuſcepit docendi periculum, diſcuſſioni ſententiæque permittat? Sed ſi officio alieno incubuit, ſi quod ei non eſt creditum uſurpavit, merito venia caret, nec poteſt aliquatenus excuſari, qui ſe ultro ac temere alienis ingeſſit periculis. Doctorem verò Eccleſiæ excuſat loci neceſſitas, ſi ea in quibus offenderit corrigere ſit paratus. D

CAPUT VII.

Quod Cyrilli quoque plurima ſint Theodori dictis quæ reprehenduntur ſimilia. quorum decem profert exempla.

SED jam ex dictis quoque beati Cyrilli aliqua proferamus, ut & hinc lector intelligat, utrùm recipiendum ſit, quod in præjudicium ſynodi Calchedonenſis eum perhibent quædam Theodori ſcripta, poſt ejus mortem, quaſi Neſtoriana culpare. Atque ut appareat, quia ſuperius memoratorum patrum teſtimonia ex multis pauca protulimus, hujus, qui & Neſtorii condemnator fuit, & quem fecerunt Diodori ſcripta Theodorique culpaſſe, dupla, id eſt decem proferemus, & ipſa pauca de pluribus. Nam in libro quem m Scholia nuncupavit, titulo ſeptimo, Quam
,, eſſe dicimus adunationem. Anima, inquit, omnia quæ ſunt corporis eſſe repu- E
,, tat ſua, licet per naturam propriam expers ſit paſſionum corporis, & naturalium,

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

m SCHOLIA NUNCUPAVIT. Id rectius, quam ſingulari numero Scholium, ut in vulgatis exemplaribus Cyrilli. Theodoretus Dial. II. Κυρίλλου ἀπὸ τῶν σχολίων. Anaſtaſius presbyter in Ecloge τῶν χρήσεων, cap. III. ubi Scholiorum exordium, quod Latinè tantum editum eſt, recitat his verbis: Κυρίλλου ἐκ τῆς ἀρχῆς τῶν σχολίων. Τὸ Χριστὸς ὄνομα οὔτε ὅρου δύναμιν ἔχει, οὔτε μὴν οὐσίαν τινὰ σημαίνει ... ἀμέλει ... τὸ ἄνθρωπος, ἢ ἵππος, ἢ βοῦς. πρᾶγμα δὲ μᾶλλον ὑποσημαίνει τὸ ἐπιτελούμενον. Singula ergo capita ſuum quodque Scholium continebant. inde libro nomen Scholia.

& quæ

A & quæ extrinſecùs accidunt. Movetur enim corpus in concupiſcentias naturales, &
conſentit anima, nullo quidem modo particeps facta concupiſcentiæ, tamen exitu
delectationem propriam ducit. Et *n* ſi fortè à ſuo corpore deprimatur, aut tor-
queatur, condolet quidem quòd ſuum corpus patiatur; ipſa verò in ſua natura nullum
patitur omnino tormentum. tamen ſuper hæc quoque dicimus eſſe adunationem, quæ
eſt in Emmanuel facta. Erat enim neceſſe cum ſuo corpore adunatam ei animam dolere,
ut timendo paſſiones ſubditam cervicem Deo ſubmitteret. Hæc ſi Theodorum inve-
nirent Eutychiani dixiſſe, quemadmodum putamus ſingillatim omnia ventilarent, di-
centes inprimis, quomodo anima expers eſt paſſionum corporis, ſi conſentit cùm
movetur corpus in concupiſcentias naturales? aut quomodo rurſus conſentiens concu-
piſcentiis naturalibus, nullo modo fit particeps concupiſcentiæ, exitu tamen delecta-
tionem propriam ducit? aut quomodo corpori potius concupiſcentia tribuitur, cùm
anima etiam ſine corpore concupiſcere poſſit, corpus verò non poſſit? Namque cùm
B dicitur, caro concupiſcit adverſus ſpiritum, ſpiritus autem adverſus carnem; non
aliud intelligitur, niſi quia carnalis terrena affectio animæ adverſus bonam ejus affe-
ctionem, quam habet de divino ſpiritu, concupiſcat; ſicut illa etiam, quæ dono ſpi-
ritus datur, affectio concupiſcit adverſus carnalem. Deinde qua ratione dicitur, quia
cùm à corpore ſuo deprimitur aut torquetur, condolet quidem quòd ſuum corpus pa-
titur, ipſa verò in ſua natura nullum patitur omnino tormentum? Si enim nullum pa-
titur omnino tormentum, quomodo à corpore ſuo torquetur? aut quomodo ſine ſuo
tormento condolet, cùm nemo condoleat, niſi qui doleat? an torquetur quidem &
dolet, ſed non ſua natura: Et quid invenitur in rebus, quòd extra ſuam naturam tor-
queatur, aut doleat? In tantum verò animæ natura non eſt paſſionibus aliena, ut mul-
ta etiam ſæpe tormenta, vel ſi pro ſuo corpore, non tamen à ſuo corpore patiatur, id
eſt, ſollicitudinis, metus, triſtitiæ, tædii, zeli, & ceterorum. Super hæc autem & ille
dives, qui non eſt miſertus Eleazaro; in inferno ſine corpore ſuo torquetur. Sed his
omiſſis illud magis conſiderare volo, quantam invidiam ſynodo Calchedonenſi Ace-
C phali commoverent, ſi Theodorus dixiſſet, Super hæc quoque dicimus adunationem,
quæ eſt in Emmanuel facta: erat enim neceſſe cum ſuo corpore adunatam ei animam
dolere, ut timendo paſſiones ſubditam cervicem Deo ſubmitteret? Hęc ergo ſi Theo-
dorus dixiſſet, quomodo exclamarent cum maxima invidia, & deteſtatione dicentes,
En cujus laudes continentem epiſtolam ſynodus Calchedonenſis pronuntiavit orthodo-
xam. qui tantum non Deum, & Dei filium credidit Chriſtum, ut exiſtimaret non pro
noſtris doloribus auferendis, cujus vulnere ſanati ſumus; ſed ipſi potius neceſſarium
fuiſſe quod doluit, ut timore paſſionum non ſuperbiret, ſed ſubditam cervicem Deo
ſubmitteret. Hoc quoque dicerent, quia nec perfectæ ſaltem virtutis hominem cre-
didit Chriſtum, quem putavit ab elatione temporalium paſſionum timore com-
peſci, quibus virtus exerceri ſolet. Nam ſi imperfecti ſunt qui metu coercentur
æterni ſupplicii, Apoſtolo Joanne de talibus quoque dicente, *Timor non eſt in carita-* 1. Ioan. 4.
te, ſed caritas foras mittit timorem. quoniam timor pœnam habet, qui autem timet non eſt 18.
D *perfectus in caritate.* nedum illi, quos præſentium moleſtiarum timor retrahet à pec-
catis. Quòd ſi quiſquam, adverſus tales Eutychianorum querelas, alia ejuſdem Theo-
dori, de quibus pauciſſima ſuperius memoravimus, ſcripta proferret, in quibus
Chriſtum confeſſus eſt ante ſæcula naturaliter eſſe Deum, & gignenti patri ſem-
per æqualem; illi protinus contrà referrent ac dicerent; Tolerabilius fuerat, ut
Chriſtum natura Deum, & patri ſemper æqualem non crederet, quod aliquando
nec ipſi Apoſtoli crediderunt, quàm ut illum, quem ſempiternum credidit Deum,
timore paſſionum crederet ab elatione compreſſum. Rurſus autem eodem libro,
titulo decimo, quid dixerit, vel quid prima fronte ſolus ipſe titulus præferat, ad-
vertamus. Nam hoc in illo ſe oſtenſurum eſſe promiſit dicens, Quod & adunato
Deo verbo veræ humanitati, inconfuſæ tamen ſubſiſtentiæ permanſerunt. utque hoc
probaret ſubjecit iſta: Erectum eſt ſecundum Dei voluntatem ſanctum tabernaculum
per deſertum, & in eo multis modis formabatur in Emmanuel. & poſt alia. *o* Quòd

E

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

n SI FORTE À SVO CORPORE. Græca longè aliud ſonant: κἂν εἰ κατατέμνοιτο τύχοι τὸ σῶμα, ἢ σιδήρῳ κατατέμνοιτο, συναλγεῖ μὲν, ὡς ἰδίου πάσχοντος. *Et ſi fortè corpus percutiatur, ac ferro laceretur, condolet quidem, quippe cùm ſuum corpus patiatur.* Vitioſa interpretatio Facundum ejus veſtigiis hærentem tranſverſum mox aget.

o QVOD AVTEM NATVRÆ SIVE SVBSISTENTIÆ. Græca ſunt apud Leontium libro 1. ὅτι δὲ ἀσυγχύτου ὑπολείπεται αἱ φύσεις αὐτῶν ὑποστάσεις, ἐντεῦθεν σαφές. τὸ γάρ τοι χρυσῷ ἐπικαλυπτόμενον τῷ ξύλῳ μεμένηκεν ὅπερ ἦν· καὶ κατεπλουτεῖ μὲν τὸ ξύλον ὡς τοῦ χρυσοῦ τὴν δόξαν· πάλιν οὐκ ἀπέστη τὸ εἶναι ξύλον. Duas hypoſtaſes in Chriſto duas ſubſiſtentias dicere ſi voluit Cyrillus, meritò reprehenditur. Sed quid alienius à dogmate Cyrilli? Hypoſtaſes ergo poſuit hoc loco pro ſubſtantiis, Athanaſii exemplo, & Alexandrinorum more, de quo dictum eſt lib. vi. Quare *ſubſtantias* reddere debuit interpres, non *ſubſiſtentias*. Ligni verò & auri comparatio, qua utitur, diſpar ac diſſimilis hac in parte.

autem naturæ, ſive ſubſiſtentiæ, inconfuſæ manſerint, hinc ſcimus. Aurum enim ſuperpoſitum ligno manſit id quod erat. & ornabatur quidem lignum auri decore, tamen lignum eſſe non deſiit. Quòd verò arca in Chriſti accipiatur imagine, pluribus poſſit probationibus declarari. Conſideret ergo lector, quomodo aſſeratur quòd in Chriſto naturis inconfuſè manentibus ſubſiſtentiæ quoque permanſerint, quæ nunquam fuerunt. quoniam ſemper ad Dei verbi ſubſiſtentiam humanitas illa pertinuit, nunquamque ſibi velut in propria perſona ſubſiſtit aſſumentis ſubſiſtentiam nacta, & in illam naſcendo tranſiens, vel tranſeundo naſcens, cui cauſa oriendi, A

Acacium Melitinenſem.

» initiumque quod orta eſt, ipſa fuit adſumptio. Itemque p ad * Acacium Meletenſem. Quo autem modo, inquit, incarnatus & hnmo factus eſt ſi perſcrutetur, contemplabitur ex Deo Deum verbum, & ſervi formam ſumpſiſſe, & in ſimilitudinem homionm factum, ſecundum quod ſcriptum eſt: & ſecundum hoc ſolum conſiderabitur naturarum ſeu ſubſiſtentiarum differentia. Hic quoque ſicut duarum naturarum, ſic etiam ſubſiſtentiarum conſiderandam eſſe differentiam docet. Rurſus interpretans ad Hebræos dicit libro 11. Cùm dixerimus quia Verbum caro factum eſt, carni communicavit ſecundum ſubſiſtentiam ineffabiliter, & quomodo nec intelligi poteſt. Tunc etenim, tunc & uniuſcujuſque ſubſiſtentiæ perſona intellectu ſuſcepta ſimul concurrit naturis ad unitatem. B Quis ſciens Cyrillum prædicaſſe, quòd ita Deus verbum carni communicavit, ut in eo myſterio non ſolùm duæ naturæ ad unitatem concurrerent, ſed etiam duæ ſubſiſtentiæ atque perſonæ; non miretur cùm audit quod Diodori ac Theodori ſcripta quaſi Neſtoriana culpaverit, & non potius imitator ſui deceſſoris Athanaſii ſcripta omnium in pace Eccleſiæ quieſcentium ſtuduerit excuſare? Qui poſtea in eodem opere libro quarto, Ergo, inquit, refloruit & velut renatus eſt, quaſi ex radice ſecunda, omnium noſtrûm ſalvatoris Chriſti homo, ad incorruptionem & antiquarum cauſarum virtutem per ſæcula ſe vicit. Si calumniari libet, objiciatur & iſti: tanquam alium ſalvatorem Chriſtum, & alium crediderit hominem ipſius ſalvatoris Chriſti; quia non ait, & velut renatus eſt, quaſi ex radice ſecunda, C omnium noſtrûm ſalvator, ſed omnium noſtrûm ſalvatoris Chriſti homo, & addant inſuper dicentes, Si Chriſtus, id eſt unctus, eſt homo, quoniam non niſi natura humana in illo uncta eſt, qui rurſus eſt ille homo qui dicitur Chriſti? neque enim Dei verbi dictum eſt bumo, ſed Chriſti, qui ſic Deus creditur, ut & homo eſſe credatur. In expoſitione quoque Heſaiæ Prophetæ libro 4. ſic ait. Ergo quantum ad incredulorum acerbitatem, & ineptè illis meditatam contradictionem, inaniter laboravit ſalvator, & in vanum & in nihilum dedit fortitudinem ſuam. Nec enim ſuſtinuit, ſicut dixi nuper, ſacras ejus prædicationes ſtolidus Iſraël, non honoravit ejus laborem. Labor enim erat Verbo, ut fieret ſecundum nos, & humanam ſuſtineret parvitatem. Sed judicium meum, inquit, apud Dominum, & labor meus coram Deo meo. Agnovit enim, inquit, pater quos conſumpſit labores pro eorum ſalute: propter hoc & judicium ab eo prolatum eſt. Ecce Deum verbum, de quo Gregorius, ſicut ſuprà memoravimus, dicit quia ſine labore omnem mundum conſtituit, Cyrillus dicit quoniam laboravit ut fieret ſecundum nos, & humanam ſuſtineret parvitatem. D quaſi anguſtiam in humano corpore pateretur impaſſibilis ejus divinitas, quam nec anima noſtra patitur ex corporis parvitate; ſed potius ex lege peccati, quæ in noſtris membris eſt mentis legi repugnans, nam in futura vita nullam in incorruptibili corpore patietur anguſtiam. Nec non in commento Evaogelii ſecundum Matthæum, libro ſecundo. Quando, inquit, baptizatus eſt Chriſtus, tunc à ſpiritu duci dicitur, hoc eſt habitare ſpiritaliter, vel vitam agere ſpiritalem. & poſt pauca. Adſueſaciens ad vitam ſpiritalem proprium templum, in quo jam Deus verbum, & in quendam inconſuetum & incompoſitum vitæ modum transformans ea quæ noſtra ſunt, & in novitate vitæ, quæ nondum fuerat priùs agnita, reformans, jejunium agit ita longum. Nunquid antequam baptizaretur Chriſtus non ſpiritalem vitam egit, aut baptiſmo Joannis indiguit, ut illo ſacratus inſtitueretur etiam ſpiritaliter vivere, E cùm neque illi, qui ab Apoſtolis baptizabantur in nomine ipſius Domini noſtri Jeſu Chriſti, eguerint Joannis baptiſmo ſacrari? Quomodo ergo dicitur, quia cùm baptizatus eſſet Chriſtus, ſpiritaliter vixit; & quod ſcriptum

Matth. 4. 1.

eſt, *Tunc Ieſus ductus eſt à ſpiritu ut temptaretur à diabolo*, hoc ſignificatum eſſe

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

p AD ACACIUM MELITINENSEM. Edita eſt Græcè ac Latinè Cyrilli ad Acacium epiſtola poſt Synodum Epheſinam num. XXXV. ubi τῶν φύσεων, ἤγουν ὑποστάσεων, διαφορᾶς rectius, quemadmodum dicebamus, exponitur *naturarum ſeu ſubſtantiarum*, quam ut hoc loco *ſubſiſtentiarum*.

A ereditur, ut habitaret ſpiritaliter, & vitam ageret ſpiritalem? Itemque dicitur adſue-
faciens ad vitam ſpiritalem proprium jam templum; in quo Deus verbum: quaſi priùs
eidem templo conſuetudo fuerit vitæ carnalis, quod de Spiritu ſancto conceptum
aliud quàm vitæ, ſpiritalis eſſe non potuit. Quomodo igitur adſuefieri dicitur
ad ſpiritalem vitam, cùm ad eam non ſtudio ſed natura fuerit ordinatum? cui
nihil unquam deſuit ad perfectionem largitatemque virtutis. quoniam de eo
ſcriptum eſt, *Non enim ad menſuram dat Deus ſpiritum.* & item, *De plenitudine ejus* Ioan.3.34.
omnes accipimus, & gratiam pro gratia. Ioan.1.16.

Exponens etiam Evangelium ſecundùm Joannem, libro primo ſic ait. Dii &
Dei filii per fidem oſtendimur. Inhabitavit enim in nobis, qui ſecundùm naturam
ſilius eſt & Deus. Propterea & in ſpiritu ejus clamamus Abba pater. Inhabitat au-
tem Verbum ſicut in omnibus, & in uno quod propter nos & ex nobis ſuſceptum
eſt templum, ut omnes habens in ſemetipſo, reconciliet, & omnes in uno corpo-
re apud patrem. Si ex verborum ſonis, & non ex intentione, doctores Eccleſiæ ju-
B dicentur, quid de iſto putabimus qui dixit: Inhabitat autem Verbum Dei ſicut in
omnibus, & in uno, quod propter nos & ex nobis ſuſceptum eſt templum? Quid
ergo Cyrillum Neſtorii damnatorem hoc ſenſiſſe credimus, quia Deus Verbum ſic
inhabitat in uno templo, quod propter nos & ex nobis ſuſceptum eſt, quem-
admodum communiter in omnibus habitat, & non potius ut una eſſet ipſius habi-
tantis Dei Verbi templique perſona? cùm Theodotus, qui condemnatur quaſi
Neſtoriani auctor erroris, ſicut in tertio libro memoravimus, dicat, Inhabitato
quidem à Deo verbo ab ipſa in utero matris plaſmatione: inhabitato verò non
ſecundum communem inhabitationem, neque juxta eam quæ in multis intelligitur
gratiam, ſed juxta quandam excellentem, ſecundum quam etiam adunari dicimus
utraſque naturas, & unam juxta adunationem effectam eſſe perſonam. Diſcant ergo
Eutychiani, eorumque fautores, antiquorum Eccleſiæ prædicatorum ſcripta aut me-
C lius interpretari, aut melioribus interpretanda relinquere, ne Theodoro, qui ab eis
dicitur multo deterior fuiſſe Neſtorio, deteriorem B. Cyrillum dicere compellantur.
qui non propterea dixiſſe credendus eſt, Inhabitat autem Verbum ſicut in omni-
bus, & in uno quod propter nos & ex nobis ſuſceptum eſt templum, quaſi una per-
ſona Dei verbi templique non fuerit: ſed potius quia divinitas ejus in proprio tem-
plo inconvertibilis manſit. Namque in iſto incarnationis myſterio duo quædam in-
telligenda & confitenda ſunt: ſcilicet & unam eſſe perſonam Dei hominiſque, & duas
inconfuſas manſiſſe naturas. Quantum ad unitatem perſonæ attinet, Deus verbum
non ſicut in omnibus, ita in uno quod propter nos & ex nobis ſuſceptum eſt tem-
plum: quantum verò ad id quòd duæ naturæ ſine confuſione manſerunt, Deus ver-
bum ſicut in omnibus, & in uno, quod propter nos. & ex nobis ſuſceptum eſt tem-
plum inhabitat. quia ſicut in omnibus habitans inconvertibilis ejus divinitas manet,
ita & in uno, quod propter nos & ex nobis ſuſceptum eſt templum, inconvertibilis
D ejus divinitas manſit. Hac igitur intentione dictum credamus, ut nec improbemus
dicentem, nec adprobemus errorem. Poſſemus & aliorum ex his quæ memorata ſunt
dictorum ejus non contemnendam reddere rationem, & ſine dubio doctiores plurium
poſſent. Ob hoc igitur non eſt temere de mortuis judicandum. Dicit autem & hoc ex
perſona Domini eodem opere libro quarto, *Pater ſi poſſibile eſt.* Non poſſum morte ob-
tinere vitam his qui in eam ceciderant, ſi moritur mors me non moriente. Certum eſt
autem, quia ſecundum carnem dicit, tranſeat calix. Verumtamen quia non poteſt,
inquit, aliter fieri, non ſicut ego volo, ſed ſicut tu. Reſpice quomodo deficiens qui-
dem rurſus hominis natura, quantum ad eam attinet, ſublevatur autem per unitum
ad eam Verbum ad divinam audaciam, & ad ſapientiam juvenilem edocetur, ut non
propriis voluntatibus quod videbatur faceret, ſed intentionem divinam potius ſequere-
tur. Propterea Theodorum pejus dæmonibus blaſphemaſſe dixerunt, quia dixit quod
Dominus timuerit paſſionem. Quod ſi recipimus, Cyrillum quoque cogemur dicere
E pejus dæmonibus blaſphemaſſe, qui nos admonet, ut reſpiciamus quomodo deficiens
hominis natura, quantum ad eam attinet, ſublevatur per unitum ad eam Verbum ad
divinam audaciam. Hoc autem quod adjecit, Et ad ſapientiam juvenilem edocetur, ut
non propriis voluntatibus quod videbatur faceret, doctiores cum quibuſdam quæ ſu-
perius memorata ſunt interpretentur, ſi tamen Eutychiani eorumque complices ve-
lint admittere. Nam cùm Athanaſius, qui deceſſoris ſui Dionyſii ſcripta purga-
vit, aliquid invenitur tale dixiſſe quod legentem poſſet offendere, vel cùm Baſi-
lius, qui magni Gregorii dicta, ſive Hilarius, qui Concilii contra Paulum Samo-
ſatenum congregati, atque Sirmienſis conſtituta defendit, fas non eſt omnino de tan-
tæ pietatis viris malè ſentire, qui ex ſemetipſis alios æſtimantes, excuſare ſtuduerunt
dicta majorum, & qualiter à ſe dici poſſent, taliter ab illis prolata, & ab Eccleſia ſuſ-

cepta crediderunt, ut in ea permanerent Epiſcopi. Sed & quicumque alii vene- A
rabiles patres, quos dicta præcedentium non legimus excuſaſſe, aliquid tale dixe-
runt, denotandi proculdubio non ſunt, quando & ipſi ejuſdem pietatis fuiſſe cre-
dantur. Cùm verò de B. Cyrillo in deſtructionem ſynodi Calcbedonenſis Euty-
chiani cum ſuis ſatellitibus dicunt, qui non fortè interveniente aliqna occaſione,
ſed ſedulo, & ad hoc inſtituto opere, Theodori à tantis patribus prædicati dicta no-
taverit; quid aliud niſi ut ipſe in his quæ memoravimus ceteriſque ſimilibus inexcu-
ſabilis judicetur? Veritas enim dicit, Nolite judicare, ut non judicemini. in quo
autem judicaveritis, judicabimini. in qua menſura menſi fueritis, metietur vobis.
Si ergo vel ipſi B. Cyrillo parcnnt, ſi eum volunt in talibus excuſari, non ulteriùs
contra Calchedonenſe Concilium dicant, quòd non parcens mortuis accuſaverit in-
ſignis teſtimonii viros, & plenos dierum in maxima Eccleſiæ dignitate defunctos.
Attendere ſanè debent in hac ſententia, qnia cùm dicit humanam naturam per uni-
tum ad eam verbum ſnblevari, ut non propriis voluntatibus quod videbatnr face- B
ret, ſed intentionem divinam potius ſequeretur, duas doceat voluntates, ſi tamen
duas tantùm, cùm ſolius humanæ naturæ non propriam, ſed proprias eſſe dixerit
voluntates, quas ut ipſe locutus eſt docebatur Chriſtus non facere, & aliam divinæ
intentionis, quam ſequi docebatur. Quid autem rurſus in eodem opere, atque in
eodem libro dicat de duabus Chriſti voluntatibus, de quibus etiam B. Athanaſium
» tractare tertio noſtro libro docuimns, lector advertat. Quid erat, inquit, volun-
» tarium & non voluntarium Chriſto? à Judæis exhonoratio, detractiones, injuriæ,
» plagæ, ſuper hæc quoque calumniæ, & quod eſt in omnibus nltimum, mors cor-
» poris. Sed ſi fuiſſet poſſibile, ut non paſſus obtineret in nobis quod ſtudebat, non
» voluiſſet pati. Quoniam autem omnino & inexcuſabiliter futuri erant Judæi præ-
» ſumere quæ in eo facta ſunt, ſuſcepit ut pateretur, & fecit voluntarium qood non
» erat voluntarium, propter utilitatem ex paſſione. Attendant ergo, quemadmo-
dum B. Cyrillus, etſi non iiſdem verbis quibus S. Athanaſius, duas tamen volun- C
tates doceat in Chriſto fuiſſe, cùm dicit & voluntarium & non voluntarium fuiſſe quod
paſſus eſt, & quia quæ propter nos volens paſſus eſt non voluiſſet pati, & quia
fecit voluntarium quod non erat voluntarium: nec per boc duos Cbriſtos aut filios
prædicaſſe credatur. Quòd ſi dicitur iſtud voluntarium, hæc quidem propter nos
volens paſſus eſt Chriſtus, & non voluntarinm Cbriſto, vel quod volens paſſus eſt
qnod non voluiſſet pati, non duas divinæ humanæque naturæ voluntates oſtende-
re; ſed humanæ tantùm, propter aliud & aliud, aliam atque aliam voluntatem,
quod in natura divina non congruit, ut eandem rem velit ſimul & nolit. ſupereſt
ut exceptis bis voluntatibus, alia fuerit in Cbriſto, eademque in patre & Spiritu ſancto,
naturæ divinæ voluntas, cui aliud & aliud convenire non poſſit. Proinde hoc ab
Eutychianorum vel Semieutychianorum fautoribus expectamus, ne in condemna- D
tione doctrinæ Theodori doctrinam quoque B. Cyrilli pro his atque hujuſcemodi
ceteris damnent. Quod ſi B. Cyrillum condemnare nefas exiſtimant, nec Theodo-
rum in præjudicium ſancti Concilii culpent, quaſi Neſtoriani erroris auctorem. Jam
verò ſi & poſt exortam ac diffamatam Neſtorii quæſtionem beatus Cyrillus talia vel
taliter eſt locutus, quid mirum ſi Theodorus, necdum contradicente Neſtorio, ca-
lumniam ſive ſuſpicionem inopinati erroris incurrit? Cognoſcis autem ex his quæ
memoravimus, clementiſſime Imperator, quod veraciter ſapientiſſimus Joannes An-
tiochenus cum orientali Concilio ſcribens beato Cyrillo, ne quædam excerpta ex
» dictis Tbeodori ſub anathemate damnarentur, addit, atque ait. Excerptis enim
» iſtis ſimilia quædam invenimus apud beatum & nobilem Athanaſium, quædam etiam
» apud B. Baſilium, quædam apud Gregorium utrumque, multa verò & apud Am-
» philocbium ſæpius dicta: non parva verò & apud communem patrem B. Theopbi-
» lum. Sunt enim quæ tua ſanctitas ita confitetur, ut eumdem de illis babeas intel-
» lectum. His ergo commoniti, non ex hæreticorum, vel quorumque minus intel- E
» ligentium arbitrio, dicta omnium in pace Eccleſiæ quieſcentium judicemus: ſed
» potius ex intentione dicentium. quoniam hæc quæ quocumque modo videntur
» lectorem offendere, non ſegregantes ſemetipſos adverſus Eccleſiam, ſed pro Eccle-
» ſia ſcripſerunt adverſus hæreticos. Numquid enim probare quiſquam poteſt, quòd
» contra eos talia dixerunt, qui ſacramento dominicæ incarnationis unam Dei verbi
» atque hominis factam credebant eſſe perſonam: & non potiùs adverſus illos, qui
» duas in una Chriſti perſona denegabant manſiſſe naturas? Si quis igitur dicat, illo
tempore, cùm non hiſdem quibus nos hæreticorum quæſtionibus Eccleſia pulſare-
tur, & neceſſaria hæc adverſus alios hæreticos, & catholicis innoxia fuiſſe: nunc
autem, Neſtorianis occaſionem ſimplices decipiendi quærentibus, abſtinendos eſſe
fideles, maximeque parvulos, ab ſcriptorum talium lectione. cui ſano ac prudenti

A diſpliceat hoc ſanum prudenſque conſilium ? ut quoniam hoſtes, quos modò nos patimur, aliter armantur adverſus Eccleſiam, ejus quoque fideles ac propugnatores in aliis ſeſe armis exerceant. atque ita ſine antiquorum Eccleſiæ prædicatorum infamia, ab hæreticorum inſidiis calumnietur. nec videbitur inſultare defunctus, aut religioſiores nos aut ſapientiores in aliorum reprehenſionibus oſtentare, & gloriam de ignominia defunctorum appetere. quod ita beatus Gregorius in Apologetico ſuo notat: Omnes, inquit, ex hoc docti & catholici volumus videri, ſi alios reprehendamus, & impios judicemus. Cùm igitur Eutychiani, eorumque complices, doctos & catholicos ſe, non de unius Theodori, ſed de magnæ ſynodi Calchedonenſis reprehenſione jactarent, illorum patrum ſimilibus dictis eos duxi convenientius coërcendos, quos non audent culpare velut hæreticos. non quod eoſdem patres videri notabiles velim, ſicut illi Theodorum ad evacuandam auctoritatem magnæ
B ſynodi volunt videri notabilem: ſed ut eis oſtenderem, quod ſine his patribus, quos culpare non audent, Theodorum pró ſimilibus, vel eamdem ſynodum, quòd eum non damnaverit, culpare non poſſint. Sic Dominus, cùm ſabbato per ſata tranſiret, & diſcipuli ejus eſurientes cœpiſſent vellere ſpicas & manducare, culpantibus eos Phariſæis, & dicentibus, *Ecce diſcipuli tui faciunt quod non licet eis facere ſabbatis*, reſpondit, *Non legiſtis quid fecerit David, quando eſuriit, & qui cum eo erant. quomodo intravit in domum Dei, & panes propoſitionis comedit, quos non licebat ei edere, neque his qui cum illo erant, niſi ſolis ſacerdotibus? aut non legiſtis in lege, quia ſabbatis ſacerdotes in templo ſabbatum violant, & ſine crimine ſunt?* Sicut ergo Dominus Phariſæis Apoſtolos culpantibus hæc reſpondens, non prophetam David, & qui cum illo erant, neque ſacerdotes voluit videri notabiles: ſed potius ut ipſi Phariſæi, ſanctarum & indubitatæ auctoritatis perſonarum exemplo coërciti, innocentes diſcipulos non culparent: ita nos non venerabiles patres offendere delectavit, ſed Eutychianorum ſa-
C tellitumque eorum præſumptionem talium exemplorum objectione compeſcere. quibus hoc dicimus, ut ſi hæc Euſtachii, Athanaſii, Amphilochii, Gregorii, Joannis, & Cyrilli dicta, quæ memoravimus, melius interpretari poſſunt, etiam Theodori melius interpretari dignentur. ſi non, & doctioribus ea relinquunt, etiam Theodori ſic relinquant. Quod ſi putantes memoratorum patrum dicta melius interpretari non poſſe, non tamen ex his quæ necdum ſolicitante Neſtorii quæſtione minus examinatè prolata ſunt, laudabilem eorum doctrinam exiſtimant judicandam: hoc etiam de Theodori doctrina ſanctam ſynodum judicaſſe non arguant. Nam quia non ignorantia, ſed obſtinatio facit hæreticum, & in ſuperioribus multa jam diximus, & ſequenti libro aliquanta dicemus.

Matt. 12.

FINIS LIBRI UNDECIMI.

FACVNDI
EPISCOPI
HERMIANENSIS,

PRO DEFENSIONE TRIVM CAPITVLORVM,

LIBER XII.

CAPUT PRIMUM. C

Quod hæreticum faciat non ignorantia, ſed obſtinata defenſio falſitatis. & quod hæretici non ſtatim judicandi ſint qui in aliquibus erraverint.

DEFENSIO magnæ ſynodi Calchedonenſis, quam crimi-
nantur Acepbali, quòd epiſtolam venerabilis Ibæ doctrinam
Tbeodori laudantem judicavit orthodoxam, compulit nos,
orientalium maximè admonente Concilio, quædam ex dictis
antiquorum patrum proferre, quæ legentes non minus quàm
illa quæ in ipſo Tbeodoro culpant, offendere videantur. Et
quoniam contemnenda non eſt talis offenſio, nec omnia quæ
ex dictis eorum protulimus poſſumus excuſare, neque ſi poſſe-
mus tempus ſufficeret ad excuſanda etiam cetera, quæ in ip- D
ſorum atque aliorum patrum ſcriptis poſſunt offendere: hac compendioſa & ſecu-
ra omnes in Eccleſiæ pace defunctos ratione defendimus, ut doceamus quòd nul-
lum eorum bæreticum digne judicare poſſimus, vel ſi quidam inveniuntur aliquid
de hujuſmodi quæſtionibus ignoraſſe. Non autem me quiſquam illud in præſenti
libro putet aggreſſum, ut definiam quid ſit quod hæreticum faciat: quia boc tantùm
monſtrare propoſui, quod quidem jam in ſuperioribus acceptabili, ſicut æſtimo,
ratione monſtravi, neminem pro talium quæſtionum ignorantia, in Eccleſia viven-
tem, ſive defunctum, qui ſe docilem Cbriſtianæ doctrinæ præbet, aut præbuit, bæ-
reticum debete judicari. Nam ſi nunc Eccleſia quædam Cbriſti ſchola eſt, omneſ-
que fideles ejus Chriſti dicuntur eſſe diſcipuli, nec quiſquam poteſt veraciter dici
diſcipulus, qui non aliquid diſcit, neque diſcitur niſi quod ignoratur, proculdubio
aut docilis ignorantia non facit hæreticum, aut omnis Chriſti diſcipulus erit E
hæreticus. Et quis jam catholicus eſſe dicetur, ſi omnis qui de Cbriſtiana religione
aliquid diſcit hæteticus eſt dicendus? Quòd ſi etiam credantur aliqui ſic omnia di-
diciſſe, ut nibil jam poſſint habere quod diſcant: quia tamen aliquid ignorabant
antequam diſcerent, ex hæreticis videbuntur facti catholici. atque ita colligitur,
ut nullus inveniatur in Eccleſia Chriſti, qui non aut eſſe aut fuiſſe perhibeatur
bæreticus. at boc dicere vel putare cùm impiiſſimum, tum etiam nimis abſur-
dum eſt. Scire igitur debemus, quòd hæreticum non faciat ignorantia, quæ do-
ctrinæ veritatis contumax non eſt, ſed potius obſtinata defenſio falſitatis. Ad
hanc obſtinationem pertinere dicimus, immo principatum in ea tenere firmamus,
illas etiam doctrinas, quas quidam non quaſi minus intelligendo ſcripturas divi-
nas, ſed eis apertè reſiſtendo, ſola præſumptione ſpiritus condiderunt, ſicut

A a Manichæus, atque Origenes, & ceteri, qui non ut alii * ſequentes eorum intentionem, in abſtruſis quæſtionibus erraverunt, ſed ſuper illas elati melius ſe crediderunt vel ſapere, vel dicere. (* ſequentes earum intentione.) Nam ſi obſtinatus ille dicendus eſt, qui non cedit Eccleſiæ conſtitutis earumdem ſcripturarum auctoritate firmaris, quanto deterioris obſtinationis dicendus eſt, qui ipſis divinis ſcripturis dedignans acquieſcere, inviolabili earum plenitudini aut abrogat veritatem, aut aliquid deeſſe putat quod propria debeat adinventione ſupplere? Quibus autem in rebus hæc obſtinatio hæreſis habenda ſit, majoris eſt quæſtionis, & intentione hujus operis alienæ. nunc quod propoſuimus exequamur. Dicimus ergo, quòd alienus à Chriſto ſit omnis hæreticus. Corinthiis autem dicit Apoſtolus, *Non potui loqui vobis tanquam ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus. tanquam parvulis in Chriſto lac vobis potum dedi, non eſcam, nondum enim poteratis. ſed nec nunc quidem poteſtis: adhuc enim eſtis carnales.* (1. Cor. 3. 1.) Si igitur Corinthii, qui adhuc perfectam ſcientiam in miniſterio abſconditam neſciebant, hæretici non erant, quia,
B ſicut ait Apoſtolus, in Chriſto parvuli erant: quomodo quiſquam, ſive adhuc vivens, ſive defunctus in Eccleſia Chriſti, propter ſolam ex parte ignorantiam judicetur hæreticus, de qua nemo redarguit ut correctionem recipere noluiſſe dicatur? Philippenſibus etiam ſcribens, *Ego meipſum*, inquit, *non arbitror comprehendiſſe. unum autem, quæ quidem retro ſunt obliviſcens, ad ea verò quæ ante ſunt extendens me, ad deſtinatum ſequor, ad palmam ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Ieſu. Quicumque ergo perfecti hoc ſentiamus. & ſi quid aliter ſentitis, & hoc vobis Deus revelavit. Verumtamen ad quod pervenimus in hoc ambulemus.* (Philip. 3. 13.) Quæ cùm ita ſint, quid de hiſdem Philippenſibus credimus, quibus dicebat Apoſtolus, quòd aliter ſentirent, & quos monebat, ut in eo interim ad quod pervenerant ambularent, id eſt proficerent? Hæreticos ergo tales pronuntiabimus, an indoctos catholicos? Sed hæreticos dicere non audebimus, quibus cum tota Eccleſia communicabat Apoſtolus. Reſtat igitur ut eos, licet indoctos, & aliter quàm docet veritas ſentientes, catholicos tamen fuiſſe dicamus. Nec
C non & Coloſſenſibus ita ſcribit: *Etſi corpore abſens ſum, ſed ſpiritu vobiſcum ſum gaudens & videns ordinem veſtrum, & id quod deeſt utilitatis fidei veſtræ.* (Coloſſ. 2. 5.) Numquid ergo debuimus iſtos hæreticos dicere, quoniam videbat Apoſtolus quod illis ad utilitatem fidei deerat? abſit. Nam quomodo ſpiritu cum talibus idem eſſet Apoſtolus, & eorum ordini congauderet? De illa quoque muliere, quæ erat in fluxu ſanguinis ab annis XII. & in medicos erogaverat omnem ſubſtantiam ſuam, nec ab ullo potuit curari, quid ſentiendum eſt? Non enim Deum crediderat Chriſtum, cùm fimbriam veſtimenti ejus attingeret. Nam dicente Domino, quis eſt qui me tetigit, & reſpondente Petro, & qui cum illo erant, *Præceptor, turbæ te comprimunt & affligunt, & dicis quis me tetigit?* (Luc. 8. 45.) rurſumque Domino dicente, *Tetigit me aliquis. nam ego novi virtutem de me exiſſe*, nec prodente quid factum fuerit, ut illa potiùs quæ ſanata erat teſtis divinæ virtutis exiſteret, ſicut ibi ſecutus Evangeliſta dicit, *Videns mulier*
D *quia non latuit, tremens venit, & procidit ante pedes illius.* & ob quam cauſam illum tetigerat, indicavit coram omni populo, & quemadmodum confeſtim ſanata ſit. Igitur ex verbis Lucæ dicentis: *Videns autem mulier quia non latuit*, intelligimus quid ſic tetigerat ut lateret. latere autem poſſe non crederet Deum. Chriſtum ergo non Deum crediderat, quem latere poſſe crediderat, adeo ut quod in ſe factum ſciret indicandum ei putaret. Sic enim & alius refert Evangeliſta. *Mulier autem timens & tremens, ſciens quod factum eſſet, in ſe venit, & procidit ante eum, & dixit ei omnem veritatem.* (Marc. 5. 33.) ut quod prius ægrotæ pudor abſconderat, ſanatæ devotio fateretur. Et fortaſſis ideo retro tetigit Chriſtum, ut ipſo quoque actu ſignaret, quòd non ejus anterius, quo præcedit omnia, ſecundum quod dictum eſt, *In principio erat verbum*, ſed humanitatem, qua poſtea *Verbum caro factum eſt*, fide contigerit. (Joan. 1. 1. & 14.) Sicut enim nobis ad rerum ſignificationem verba ſunt data, ſic omnipotens Deus, cujus poteſtati ſubjecta ſunt omnia, & cujus ſapientia ſingulariter novit in uſum doctrinæ etiam vo-
E luntarios neſcientium motus convenienter aptare, quaſcumque res voluerit actu creaturæ ſuæ ſignificat. Unde non incongruè puto, quòd ideo & ad fimbriam tantùm veſtimenti ejus acceſſit, quæ pro menſura fidei ſuæ non potuit ad excellen-

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

a MANICHÆUS ATQUE ORIGENES. Utriuſque cognati multis in rebus errores ac deliria fuerunt, par proinde adverſus ſacras litteras audacia. Quod ergo de Manichæis ad ſolitarios ſcripſerat Athanaſius, fictis illos diſſertationibus ſuis divinas ſcripturas adulterantes, fabulas narrare. Μανιχαῖοι γὰρ, inquit, ὑποκρίνονται τὰς θείας γραφὰς τοῖς ἑαυτῶν ὑποπλάστοις λόγοις μυθολογοῦντες, hoc de Origene ad Menam ſcribens innuit Juſtinianus, illum ſacras litteras in ſpeciem interpretandas ſuſcepiſſe, ἵνα τὰ Ἑλλήνων μυθολογήματα, καὶ τὴν Μανιχαϊκὴν αὐτοῦ πλάνην ἐπεισάγῃ. ut gentilium fabulas, & Manichaicos, quibus laborabat, errores induceret.

tiam majeſtatis ejus accedere, ſed ad id quod piæ incarnationis fuit, per quam incli- A
natus in terras humilitati noſtræ propinquior factus eſt. Nec mirum, ſi fides hujus
mulieris fuerit imperfecta, vel quod in ipſa imperfectione de Chriſti miſericordia rece-
perit ſanitatem, cùm in ipſis quoque videatur Apoſtolis tales aliquos fuiſſe, ſicut jam de
Thoma & Philippo docuimus, per quam tamen virtutes perficiebant in populo. Nec
incredibile ſit, quod licet Deum non crederet Chriſtum, dicebat tamen quia vel ſi ve-
ſtimentum ejus tetigero, ſalva ero: cùm ſcriptum ſit in actis Apoſtolorum, quòd
tantùm fideles Chriſti de ipſorum quoque diſcipulorum ejus virtute crediderint, ut
Act. 19. 12. non ſolùm ſuper languidos deferrentur à corpore Pauli ſudaria vel ſemicinctia; &
recedebant ab eis languores, & ſpiritus nequam egrediebantur; verum etiam quòd
Act. 5. 15. credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum in plateis ejicerent infirmos,
& ponerent in lectulis & grabatis, ut veniente Petro ſaltem umbra illius obumbra-
ret quemquam eorum, dum concurreret multitudo vicinarum civitatum Hieruſa-
lem, afferentes ægrotos & vexatos à ſpiritibus immundis, qui curabantur omnes. B
Placet igitur, ut iſtam quoque mulierem condemnemus inter hæreticos pro ea fide
qua ſanari meruit, & de qua ei Dominus dixit, *Filia, fides tua te ſalvam fecit, vade in
pace?* Si enim damnanda eſt parvulorum fides ab eis qui magnæ & perfectæ fidei ſibi
videntur, cur non & iſta damnetur? cur non etiam Maria & Martha ſorores La-
Ioan. 11. 21. zari, quoniam utraque Domino dixit, *Si fuiſſes hic, non fuiſſet mortuus frater meus?* Quod
ſicut jam diximus, profectò non dicerent, ſi Deum crederent Chriſtum. Quis enim
Deum alicubi putet abſentem? Martha verò, etiam cùm veniret ad monumentum
Dominus, & lapidem qui ſuperpoſitus erat tolli præciperet, quaſi neſcienti, ſicut
Ibid. 39. & illa mulier quæ ſanguinis fluxu curata eſt, indicandum putavit dicens: *Domine,
jam fœtet, quatriduanus enim eſt.* Cur ergo non & iſtas familiares Chriſto perſonas hæ-
reticas fuiſſe dicamus, ſi & ignorantia ſimplex hæreticum facit? immo cur non C
omnes Dei cultores ab initio mundi, qui vel ſicut Corinthii & Philippenſes, atque
Coloſſenſes, vel ſicut iſtæ mulieres, minùs aliquid credentes de his quorum fide
mundamur, ſanctam & ſimplicem vitam in præceptorum Dei obedientia finierunt?
Hoc eſt autem mirum, quòd & illius mulieris quæ fuit in fluxu ſanguinis imperfe-
cta & parvula fides, perfectam & magnam exigit de Chriſti juſtitia ſanitatem: ha-
rum vero ſororum, ſtupendam promeruit quatriduani fratris reſurrectionem. At
noſtra, quæ nobis tantùm magna videtur atque perfecta, ut non parcamus mor-
tuis, vel ſi verum eſſet quod dicitur imperfectis, nec parvum valet aliquid impetra-
re. Diſputamus inceſſanter atque inconditè de fidei Chriſtianæ dogmatibus, vo-
lentes in reprehenſione aliorum docti & religioſi videri: & quæ reverenter, par-
ceque tractanda ſunt, cœleſtia paſſim myſteria ventilamus. Inane jam nomen eis
relictum eſt, quo ſunt nuncupata myſteria. Nam inter otioſas fabulas & vulgares D
habentur neceſſariæ & paucis committendæ fidei quæſtiones. Et in his omnibus
videmur nobis cautam pietatis agere, conturbantes Eccleſiam, in cujus pace defun-
ctos pro parvula, ſicut putamus, fide velut hæreticos abdicamus, cum ipſi Apoſto-
li aliquando fuerint in fide imperfecti, numquam tamen hæretici, cumque adhuc
parum de Chriſto crederent, magnam poteſtatem acceperunt ſpirituum immundo-
rum, ut ejicerent eos, & curarent omnem languorem & omnem infirmitatem, mit-
Matt. 10. 7. tente eos Domino, atque mandante, *Euntes prædicate dicentes, quia adpropinquavit
regnum cœlorum. infirmos curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate, dæmones ejicite, gratis ac-
cepiſtis, gratis date.* Si verò Apoſtoli nec in ipſo ignorantiæ ſuæ tempore fuerunt
hæretici, qua ratione quiſquam eos qui tales de hac vita tranſierunt, affirmare
poſſint hæreticos? & ſi illi, qui præſentem habebant ipſam in corpore veritatem,
potuerunt abſque crimine ſecus aliquid de illo minuſve ſentire, cur hæreſis crimini
deputetur, ſi quiſquam in Eccleſia pietate præditus, obedientiæ devotus, ſubjectus E
& habilis ad diſcendum, aliter de illa ſenſerit, quod reprehenſum corrigere ſit
paratus? Quocirca omnes, qui in diſcipulatu ſunt veritatis, & ſemetipſos rationi
dociles, & ſubjectos auctoritati præbent Eccleſiæ, ſi aliter ſapiant de his, quo-
rum fide mundantur, vel propter incapacem ſuam intelligentiam, vel minus tem
animadvertendo quàm opus eſt, impiè proculdubio tamquam hæreticos execran-
tur. Qui enim ſtatuit in corde ſuo firmius hoc credere, quod in talibus doctrina
& fides habet Eccleſiæ, quamvis non perfecte omnia de hiſdem ſapiat vel loqua-
tur; quia tamen ſuæ ſcientiæ non confidit, & multa in quibus errat aut dubitat,
ab Eccleſia rectè teneri non dubitat, ubi poſitus velut in ſchola veritatis pium ha-
bet diſcendi propoſitum; non eſt dicendus inimicus ipſius veritatis, quod eſt hæ-
reticus, ſed perficiendus potius diſcipulus. Imperfectus iſte profectò nihil ſui cor-
dis adinventione confictum propria quadam auctoritate docere præſumit, ſicut
quidam hæretici, neque talia docentes ſequitur: ſed auctoritati divinarum littera-
rum

A rum innititur, atque ubi earum intelligentiam non fuerit aſſecutus, (in multis ſiqui-
dem, pro illarum magna profunditate, humanus caligat aſpectus) cognoſcens quid in-
de ſtatuerit univerſalis Eccleſia, errori ſuo pia cordis humilitate renuntiat, quia num-
quam ſibi ne aliter ſaperet interdixit. Sicut ergo ſunt perfectiores quidam, qui ma-
gno ſapientiæ dono prævalent mente contemplari, quæ tantumodo creduntur ab
aliis in vita perfectis: ita multi ſunt imperfecti in Eccleſia Chriſti; & tamen in ſervan-
da ejus unitate perfecti: qui cùm per ignorantiam ſuam in plurimis errent, in nullo ta-
men errare credunt Eccleſiam, cujus ſe confidunt unitate ſalvari. Quamobrem vel ſi
nobis ſapientiores videmur, quamquam ſcriptum ſit quòd pietas eſt ſapientia: non
debemus iſtos Dei cultores ab Eccleſia ejus expellere, nec à muris Sion ſpiritalis eje-
ctos inter ejus adverſarios deputare. *Circumdate*, inquit propheta, *Sion, & complectimi-* [Pſal. 47. 13.]
ni eam, narrate in turribus ejus. ponite corda veſtra in virtute ejus, & diſtribuite domos ejus. vel
ſicut alii codices habent, *Diſtribuite domus gradus ejus.* Circumdare igitur omnes de-
B fenſionibus noſtris, & amplecti potius in caritate debemus, qui pertinent ad Sion, nec
in quolibet ejus gradu conſtitutos excludere: ſed ita ſuperioribus in ea honorem ma-
gnum reddere qui debetur, ut etiam inferioribus ejus quibuſque dilectio non negetur.
Hoc enim eſt quod ait, *Diſtribuite gradus ejus*, quod alibi dic[i]tur, *ordinate in me carita-* [Cant. 2. 4.]
tem. Sicut ergo non ideo quorumdam perfectorum in fide ſpernendus eſt inferior gra-
dus, quòd non poſſunt intellectu capere veritatem, quia hoc ſublimioris gradus alii
poſſunt: ita nec ipſi ſpernendi ſunt, vel ab Eccleſia poſt mortem, quod eſt crudelius,
ſub anathemate coodemnandi, qui licet imperfectæ fidei fuiſſe videantur, quia non
in omnia, quæ tam multa & magna continet Chriſtiana religio, ſicut dignum eſt
animum potuerunt intendere, omnia tamen vera & recta eſſe in Eccleſiæ fide non
dubitaverunt, ut in ea perficiendi manerent, ac per hoc ita credentes, juxta quemdam
gradum, & ipſi videntur in fide perfecti, qui ſe perficiendos ex unitate Eccleſiæ
crediderunt. Illi ergo excellentinre gradu intelligentiæ præditi, ipſam rem, cujus in
C futurum revelatio plena ſervatur, quantum in hac vita conceſſum eſt, evaluerunt
attingere. Illi etiam fide tantummodo perfecti ad eum propiùs acceſſerunt. Iſti verò
inferiores, quos tertio gradu poſuimus, quamquam per aliquod longius intervallum,
ad idem tamen adſpiciunt, & illuc habent veniendi propoſitum. Qui ſi hæretici ju-
dicentur, quota pars nobis, non dicam de omni plebe, ſed de ipſis Eccleſiarum
præpoſitis relinquetur, quæ catholica debeat judicari, cùm & illos excellentioris
intelligentiæ, neceſſitate ſuſcepti officii per ardua gradientes, nonnunquam lapſos
ſinus pietatis * excipiat, qua ſe auctoritati ſubdunt Eccleſiæ cujus magiſtri ſunt, ut [* excipiat; quia ſe auctoritati]
non glorietur omnis caro in conſpectu ejus? Non igitur hæreſis dicenda eſt niſi con-
tradictio ſuperborum pervicax, quæ ſibi ne aliud ſapiat interdicit, & admonita
contemnit adquieſcere veritati. Illa magis contumaciter ab Eccleſia ſeparari deli-
git, vel in ea doloſè latere, quàm pravam mutare ſententiam. Sed ignorantes in eo
D diſcernimus à doloſis, quia nec probantur ſufficienter aliquando correpti pro his quæ
minus intelligunt, nec ſuis rationibus occultis corrumpunt facilium mentes, ſed li-
berè ſolent, & ſimpliciter aperire quid ſentiunt. Si quis autem & in ipſis Chriſti diſ-
cipulis, quos habuit cum hîc converſaretur in carne mortali, quærat cognoſcere,
quantum differat inter rationis impatientem, vel auctoritati contumacem ſpiritum,
quo aguntur hæretici, qui ſcandalizari & ſeparare ſemetipſos magis ſunt prom-
pti, quàm diſcere; & inter minus capacem intellectum piorum, manſuetè oppor-
tunitatem præſtolantium diſciplinæ, & ſervantium unitatem ſpiritus in vinculo pa-
cis; in uno capitulo Joannis Evangeliſtæ ſimiliter inveniet, ubi Dominus dixit:
Ego ſum panis vivus, qui de cœlo deſcendi. ſi quis manducaverit ex hoc pane, vivet in [Ioan. 6. 51.]
æternum. & *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, &*
ego in illo. Sicut miſit me vivens pater, & ego vivo propter patrem, & qui man-
ducat me, & ipſe vivet propter me. Et litigantibus Judæis, & dicentibus ad
E invicem, *Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandam?* multi etiam ex [Ibid. 53.]
diſcipulis ejus audientes dixerunt: *Durus eſt hic ſermo, quis poteſt eum audire?* propter [Ibid. 61.]
quod, ſicut in conſequentibus narrat, *multi diſcipulorum ejus abierunt retro, & jam* [Ibid. 67.]
non cum illo ambulabant. Ecce eſt ille ſpiritus rationis impatiens, & auctoritati contumax,
quo aguntur hæretici, qui ſcandalizari & ſeparare ſemetipſos magis ſunt prompti, quàm
diſcere. Ignorantia verò piorum manſuete opportunitatem præſtolantium diſcipli-
næ, ſervantium unitatem ſpiritus in vinculo pacis, ita in conſequentibus aperitur.
Adjungit enim Evangeliſta ſic referens: *Dixit ergo Ieſus duodecim, numquid & vos vul-* [Ibid. 68.]
tis abire? quod niſi æque * myſterium intelligentibus, ſed non æquè immitibus & au- [* myſterium non intelligentibus.]
ctoritati contumacibus, minimè diceretur. Cur interrogarentur utrum & ipſi
abire vellent, ſi quod myſticè dictum fuerat cognoviſſent? nam myſterium cognoſcentes

ſcandalizari & abire non poſſent. Sed interrogati ſunt ut reſponderent, utrum A
eos, quamvis non intelligentes quod dictum eſt, boni tamen magiſtri teneret auctoritas; & nobis pietatis & manſuetudinis hujus ſalubre in eis præberet exemplum,
ut ſicubi non intelligimus, auctoritati cedamus. Denique ſic ibi interroganti Domino reſpondit & Petrus, ut non ideò ſe diceret nolle abire, quòd myſterium intelle-
Ibid. 94. xerit, ſed quia illud ipſum quod à tali magiſtro diceretur, ad vitam æternam proculdubio pertineret. Ait enim: *Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. & nos credidimus, & cognovimus quia tu es Chriſtus filius Dei vivi.* Quod ſi myſterium intellexiſſet, hoc potius dixiſſet, Domine cur abeamus non eſt, cùm credamus nos corporis & ſanguinis tui fide ſalvandos. Multum itaque differt inter hæreticorum * protervium immitem corpus Eccleſiæ diſcindentem, vel in Eccleſia corde ficto latentem,
& minus capacem catholicorum intelligentiam, doctrinæ Chriſti ſubjectam, & ſervantem unitatem ſpiritus in vinculo pacis. Quem ſpiritum illi profectò non habent, B
Iud. 69. qui ſe ab Eccleſia ſegregant, Apoſtolo Juda dicente: *Hi ſunt, qui ſegregant ſemetipſos, animales, ſpiritum non habentes.* Sed nec illi hunc habent, qui ficto corde in Eccleſia latent. ſanctus enim ſpiritus diſciplinæ fugiet fictum. Non ergo debemus hæc multum diſcreta confundere, nec idem putare quod longè diverſum eſt. Ob hoc igitur ſancti patres, quorum Apoſtolicam regulam videntur quidam malè tranſgreſſi, non his Eccleſiæ doctoribus condemnationem ſtatuerunt, qui pacem ejus ad finem uſque ſervantes, in quibuſdam fidei Chriſtianæ forſitan erraverunt; ſed illis, qui poſt unam & ſecundam correptionem, manifeſtata etiam regula veritatis per ſynodum paterna conſtituta ſervantem, aliud credere ac docere præſumerent. quia nec poſſent ſolos ipſos condemnare abſque omni Eccleſia, quæ cum eos adverteret, non arguit talia prædicantes. Omnium quippe fuerant, à quibus non ſunt improbata, cùm eis non eſſent incognita. Pervides igitur, clementiſſime Imperator,
quantorum damnatio conſequatur, ſi quiſquam ex talibus poſterorum præſumptio- C
ne damnetur. Tanti verò penditur in unitate corporis Chriſti manere*, & non contentioſum ſe objicere, ſed docilem ſubjicere animum veritati, ut pro pacis ipſius & caritatis fructu, quod forſitan aliter ſapitur quàm vera fides exigit, purgetur à Domino, ut plus in pace fructificet. *Fructus enim juſtitiæ*, ſecundum Paulum Apoſtolum, *in*
Ioan. 15. 1. *pace ſeminatur facientibus pacem.* ideo quòd Dominus in Evangelio dicit, *Ego ſum vitis vera, & pater meus agricola eſt. omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eum, & omnem qui fert fructum purgabit eum, ut plus fructum afferat.* Nec mirum videatur, ſi permanentes in compage corporis Chriſti, & ſervantes unitatem ſpiritus in vinculo pacis, per ipſam caritatem à ſuis purgentur erroribus, cum ſcriptum ſit, quòd univerſa delicta operiat caritas. Quemadmodum verò multorum vitam pro ſcripturæ Dei teſtimonio, à qua laudati ſunt, uſpiam dicere non audemus, licet aliquibus eorum fa-
ctis graviter offendamur; ſic etiam multorum doctrinam pro Eccleſiæ Dei teſtimonio, D
à qua honorati ſunt, hæreticam dicere non debemus, licet in aliquibus eorum dictis graviter offendamur. atque ut illos, quamvis à divina ſcriptura laudatos, non arbitramur in omnibus imitandos; ita nec iſtos, quamvis ab Eccleſia honoratos, arbitremur in omnibus adprobandos. Hanc autem reverentiam ipſi divinæ ſcripturæ deferimus, ut non credamus quòd aliquid indignè laudavit. Et ideo cùm audiamus Apoſtolum
Hebr. 11. 32. inter alios juſtos Samſon quoque laudantem, atque dicentem, *Deficiet enim me tempus enarrantem de Gedeon, Barac, Samſon, Iephte, & Samuel, & prophetis. qui per fidem vicerunt regna, operati* ſunt juſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones*, & cetera, intelligimus quòd ut ſe idem Samſon cum allophylis ruinæ ingentis necaret oppreſſu, non ſuæ calamitatis impatientia, ſed nutu divino inſpiratus hoc fecerit. Alioquin nec ſufficiens ei virtus daretur, ut tantæ magnitudis fabricam, in qua gens allophylorum convivia celebrabat, ſuis manibus quateret atque dejiceret: neque ſi nutu proprio ſibi necem ingereret, inter juſtos ab Apoſtolo laudaretur. & ideo factum ejus ex divinæ ſcripturæ
teſtimonio, non ex noſtra conſuetudine judicamus. Item cùm ab eadem ſcriptura E
videamus laudari David, qui perpetrato adulterio homicidium quoque conjunxit: quoniam in ea ſimul legimus, quod horum ſcelerum pœnitentiam egerit, idcirco ab ea credimus eſſe laudatum. Cum verò laudet etiam Pontificem Aaron, qui vitulum
Exod. 32. fecit in Coreb, ut adoraretur à populo, nec refert ubi eum tanti ſacrilegii pœnituerit, exigit à nobis reverentia, quam eidem ſanctæ Scripturæ debemus, ut quamquam hoc tacuerit, non tamen credamus quòd eum laudare poſſit, niſi de tanto ſacrilegio pœnitentem. Hanc igitur obſervantiam tenere nos oportet & in his quorum doctrina in Eccleſia Dei recepta eſt, ut ſi quid nos in eorum verbis offenderit, prius quæramus, ne fortè non ipſi veritatem, ſed nos eorum intentionem minùs potuimus invenire. Et quemadmodum illud opus Samſon ex divinæ ſcripturæ teſtimonio, & non ex noſtra conſuetudine judicamus: ita & horū dicta ex Eccleſiæ

A teſtimonio, & non ex noſtra intelligentia judicemus. Si verò certus illorum eſt
error, ſicut David atque Aaron, non niſi pro ejus correptione credamus fuiſſe lau-
datos, ſive hoc oſtendatur, quemadmodum Theodorum quæ minus cautè protu-
lerat oſtendimus emendaſſe; ſive hoc fortè non poſſit evidenter oſtendi. nam ali-
ter illos Eccleſia Dei approbare non poſſit. Sicut autem nimis indecorum eſt & of-
fenſum, ut eorum peccata, quibus teſtimonium juſtitiæ ſcriptura Dei perhibuit,
curioſiſſimè reqnirentes enumerata denotemns, hinc volentes ſancti atque inconta-
minati videri: ita nimis indecorum eſt atque offenſum, ut ignorantiam eorum,
quibus teſtimonium ſanæ doctrinæ Eccleſia Dei perhibuit, ſcrupuloſiſſimè perqui-
ramus, & ſi quos eorum deprehenderimus vel putaverimus errores, in unum conge-
ſtos ventilemus, hinc volentes videri docti atque catholici. Sed quemadmodum
illorum peccata, ita & horum ſi qua invenitur ignorantia, ſufficit ut cùm legimus
B improbemus, Apoſtolo dicente, *Omnia probate, quod bonum eſt tenete.* Atque ut 1. Theſ. 5.
illorum vitam, non ex quibuſdam culpabilibus factis impiam, ſed ex aliis multo 21.
pluribus rectis juſtam, ſecundum ſcripturæ Dei teſtimonium judicamus: ita & ho-
rum doctrinam, non ex quibuſdam culpabilibus dictis hæreticam, ſed ex aliis multo
pluribus rectis catholicam ſecundum Eccleſiæ Dei teſtimonium judicemus. Unde
ſancta ſynodus orientis Theodoſio ſcribens dicebat: Si autem quicquam, Imperator
ſancte, obſcurum aliquis inveniri dicat in Theodori, vel aliorum litteris, hoc retra-
ctari neceſſarium non eſt. Quorum enim vita in ſacerdotio, & miniſterio optimum
habuit finem, his prælatam gloriam dedicamus, & non ex illis eos judicamus, de
quibus aliqui atrociter eos accuſant.

CAPUT II.

C *Quòd retractari non debeant ea quæ in Synodo ſemel ſunt conſtituta.*

SED ecce, quod ultimum nobis ad demonſtrandam rationem totius cauſæ re-
manſerat, etiam de laude Theodori Mopſveſteni ſatis ſuperque docuimus, hanc
epiſtolam velut hæreticam juſtè non poſſe culpari; nos tamen, ſicut prædictum eſt,
non in noſtra ratione, quamquam videatur invicta, ſed in auctoritate ſancti Conci-
lii, quo ſuſcepta eſt, conſtituimus firmitatem. Sufficiat igitur inſtructioni parvu-
lorum noſtrorum, ne ſcandalizentur in his, quæ de illa conficta ſunt, quòd omnia
diverſo atque multiplici, & in obſequium veritatis undique concurrente genere
defenſionis excluſimus. Nec apud ſe reputent dicentes, cur non magis illud Con-
cilium, quod ipſam epiſtolam merito rectæ fidei, quam continet, orthodoxam ju-
dicavit, cunctorum, quæ in illa calumniantur hæretici, rationem actis inſeruit?
cùm intelligere debeant, quòd accuſatoribus Ibæ epiſtolę nihil in eam opponen-
D tibus, neceſſe non habuerit in talibus immorari. Quòd ſi propterea ſuccenſendum
magnæ ſynodo putetur, quia futuras hæreticorum calumnias non prævertit, ipſis
quoque prophetis atque Apoſtolis ſuccenſeatur neceſſe eſt, cùm multa ſint in eo-
rum litteris, quorum cùm ipſi poſſent ſine ulla difficultate pandere rationem, ma-
ximo nunc ſtudio atque labore ab ingenioſiſſimis atque doctiſſimis exponuntur. Co-
gnoſcant igitur, quòd his difficultatibus fidem ac pietatem Eccleſiæ ſuæ Chriſtus
exerceat. Nam utique magis prophetæ, magis atque Apoſtoli, futuras quas prævidebant
calumniantium, vel non intelligentium, aut vitarent, aut ſolverent quæſtiones. Adten-
dant quod Petrus Apoſtolus dicat, *Dilectiſſimus frater noſter Paulus, ſecundum eam quæ da-* 2. Petr. 3.
ta eſt illi ſapientiam, ſcripſit vobis ut in omnibus epiſtolis, loquens in eis de his, in quibus ſunt quæ- 15.
dam difficilia intellectu, quæ indocti atque inſtabiles pervertunt, ſicut & ceteras ſcripturas, ad pro-
prium ſuum interitum. Vos igitur amantiſſimi præſcientes cavete, ne infauſtorum errore ſeducti
E *decidatis à corroboratione veſtra* Ecce non ſolùm cùm prævidерent non vitaverunt futuras,
ſed etiam cum præſentes viderent, non nobis abſolverunt indoctorum atque inſtabilium,
quas ex eorum litteris opponunt Eccleſiæ quæſtiones. Nec quiſquam illis imputare
Chriſtianus audet, quòd talia locuti ſunt, quę iidem indocti atque inſtabiles pro in-
tellectus difficnltate perverterent: ſed Dei potius in hoc judicium contremiſcit, quòd
hujuſmodi tentationibus illud impletur, ut qui in ſordibus eſt ſordeſcat adhuc, ju-
ſtus autem juſtiora faciat, & ſanctus ſanctiora. Unde ſi quam reverentiam deferimus
etiam ſynodalibus inſtitutis ab Eccleſia univerſali receptis, in omnibus quæ obſcu-
ra in eis & ad intelligendum difficilia reperimus, divinam voluntatem cognoſcere
atque adprobare debemus. Cognoſcis autem, ſereniſſime Imperator, quòd non
immerito beatiſſimus Leo temerarios à retractatione prędictæ ſynodi coercebat, cùm
Leoni principi ſcriberet dicens, Nihil prorſus de bene compoſitis retractetur. Qui
rurſus, cùm ab eo ſuis litteris flagitaret memoratns Auguſtus, ut in regiam civitatem
veniens aliquid in ejuſdem ſyuodi ſtatutis vel corrigeret, vel ſuppleret, quod

Epiſt. 81. » fieri ſine deteſtabili prævaricatione non poſſet, ſic ei reſcribit: Litteras clementiæ tuæ, A
» plenas virtute fidei & lumine veritatis, veneranter accepi. quibus cuperem in eo quod
» præſentiam meam pietas veſtra neceſſariam exiſtimat obedire, ut majore fructu conſpe-
» ctum veſtri ſplendoris adſequerer: ſed magis vobis arbitror placiturum, quod eligendum
» ratio demonſtravit. Nam cùm ſancto ſpiritali ſtudio univerſæ pacem Eccleſiæ muniatis,
» nihilque ſit convenientius fidei defendendæ, quàm his quæ per omnia inſtruente ſpiritu
» ſancto inreprehenſibiliter definita ſunt inhærere: ipſi videbimur bene ſtatuta convelle-
» re, & auctoritates, quas Eccleſia univerſalis amplexa eſt, ad arbitrium hæreticæ peti-
» tionis infringere; atque ita nullum collidendis Eccleſiis modum ponere, ſed data
» licentia rebellandi, dilatare magis quàm ſopire certamina. Unde quia poſt illas
» Epheſinæ ſynodi impietates, quibus Dioſcori ſcelere fides catholica refutata, &
» perverſitas Eutychiana ſuſcepta eſt; nihil ad conſervationem fidei Chriſtianæ
» utiliùs potuit ordinari, quàm ut prædicti facinus ſancta ſynodus Calchedonenſis
» aboleret, & tanta illic haberetur cæleſtis cura doctrinæ, ut nihil in cujuſquam B
» opinione reſideret, quod à prædicationibus, vel propheticis, vel Apoſtolicis diſſo-
» naret: ea ſcilicet moderatione ſervata, ut rebellibus tantùm ac pertinacibus ab
» Eccleſiæ unitate rejectis, nulli correcto venia negaretur. quid probabilius? quid
» religioſius poterit pietas veſtra decernere, quàm ut quæ non tam humanis quàm di-
» vinis ſunt ſtatuta decretis, nullus ultra ſinatur impetere; ne verè digni ſint tantum
» Dei munus amittere, qui de veritate ipſius auſi fuerint dubitare? Perſpicis, quem-
admodum Leonem principem moneat, his quæ per omnia inſtruente ſpiritu ſan-
cto in memorata ſynodo inreprehenſibiliter definita ſunt inhærere, atque decer-
nere, ut quæ non tam humanis, quàm divinis ſunt ſtatuta decretis, nullus ultra
ſinatur impetere. Quomodo ergo non profanè retractantur, ut non dicam re-
prehendantur, divina decreta? Sed quis hujus Romani Antiſtitis gravitatem non
prædicet? quis tantam conſtantiam non honoret? Movere hunc poſſet ullo mo-
do ſæcularis poteſtas à ſententia non retractandi quæ divinitus fuerant conſtituta, C
quem corporaliter loco movere non potuit? Splenderet equidem proculdubio ubi-
cumque ſol eſſet: ſed in cœlo ſol longe honoratius longeque decentius, ubi locus
ejus eſt ſummus & congruus univerſis pariter illuſtrandis, ne multos deſerat, cùm
declinat ad aliquos. Denique tanta libertatis atque rationis ejus auctoritate per-
motus etiam religioſiſſimus princeps, ſupervacuam, quin potius multis nocituram, cu-
piditatem deponit, & tanquam pacis filius, hoc & ipſe ſequitur, quod eligendum
ratio demonſtravit. Ille tamen, velut æterna lege præfixus in quodam ſuæ dignita-
tis & fidei firmamento, ſic luce veritatis irradiat, & quaſi clariſſima tuba ſuæ aucto-
Epiſt. 84. » ritatis intonat inquietorum auſibus inhibendis, & dicit: Quæ patefacta ſunt quæ-
» rere, quæ perfecta ſunt retractare, & quæ ſunt definita convellere, quid aliud eſt
» quàm de adeptis gratiam non referre, & ad interdictæ arboris cibum improbos ap-
» petitus improbæ cupiditatis extendere? Verùm autem his atque aliis multis hujuſ-
modi, quæ Leoni principi ſæpiſſime ſcripſit ille vir Dei, minus quàm volo, & D
quàm meæ affectioni debeo, demonſtravi, quanta fuerit ejus ſollicitudo atque cau-
tela pro cuſtodienda reverentia ſynodalium ſtatutorum. Nam in illis omnibus ſu-
perius memoratis, neque ulterius retractare, neque diſcutere ſe poſſe profeſſus eſt
ea, quæ ſemel fuerant Calchedonenſi definita Concilio, velut quæ noſſet non tam
humano quàm divino ſpiritu conſtituta. In eis autem, quæ adhuc commemorare diſ-
poſui, alios etiam qualemcumque diſputationem de memorata ſynodo cum hæreticis
inire prohibuit. Namque cùm ſcriberet non ſolum *b* Epiſcopis, ſed etiam clericis
catholicis & confeſſoribus ex Ægypto apud Conſtantinopolim conſtitutis, ſic
» eos admonuit. Omni itaque dilectioni veſtræ ſtudio ac labore nitendum eſt, ne
» ulla inſidiantium diſceptatio poſſit admitti; neve hoc ab hæreticis valeat obtineri,
» quo Evangelicam fidem manifeſtum eſt impugnari. Nam definitarum rerum,
» quas tantæ ſynodi vel Chriſtianiſſimi principis ſanxit auctoritas, & Apoſtolicæ
» ſedis confirmavit aſſenſus, nihil oportet diſcuti, ne contra fas aliquid videatur E

Jacobi Sirmondi Notæ.

b Epiſcopis ex Ægypto. Exciderunt epiſtolæ duæ Leonis, quarum fragmenta ſubjeciuntur. Prior hæc ad Epiſcopos & clericos Ægyptios ſcripta, qui à Timotheo Æluro pulſi Conſtantinopolim confugerant, eamque ob cauſam confeſſores appellantur. Poſterior ad clericos Conſtantinopolitanos. Utrinſque idem erat argumentum, contra Timotheum parricidam, qui Alexandrinæ ſedis pervaſionem Proterii cæde cumularat, & pro Synodo Calchedonenſi, quam oppugnabat, ut eſt apud Liberatum cap. xv. Tum ergo ſcriptas liquet, cùm a Leone Auguſto de eadem re miſſa eſt Encyclica ad omnes provincias, quæ poſt Synodum edita legitur cum reſcriptis provinciarum, de quibus dictum eſt libro II. & hoc ipſo capite iterum dicetur.

A infringi. multumque fidei & ſacerdotali conſtantiæ derogatur, ſi cum his, qui ho-
micidiis & furore repleti ſunt, ac volunt convertere Evangelium Chriſti, & fa-
cinore ſuo Deo probantur exoſi, ſuperfluæ & plurimum nociturae altercatio-
nis conflictus habeatur. Leo tam fortis ac præpotens nec ſuæ virtuti fidit, nec
aliis permittit, de rebus apud Calchedonam ſicut Deo placuit definitis alterca-
ri ſaltem atque confligere: & neſcio qui præſumunt etiam decernere congregati, &
impiam vocare epiſtolam, quam catholicam ſancta illa & magna ſynodus judicavit.
Scribens etiam preſbyteris, diaconibus, & clericis Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ di-
cit. Habemus propitio Deo magnum, & divinitus præparatum Chriſtianiſſimi Im-
peratoris auxilium. quem ſcriptis meis quantum cauſa expetit obſecravi, ne impro-
bis parricidarum petitionibus in aliquo clementiæ ſuæ præberet aſſenſum, neque ullo
modo fineret ſanctæ Calchedonenſis ſynodi definitiones, quæ verè de cæleſtibus pro-
B diere decretis, tanquam neceſſaria retractatione violari: cùm inſidiatores piorum
ad hoc ſubrepere velle manifeſtum ſit, ut ſtatuta Evangelicis prædicationibus & pa-
trum traditionibus conſonantia, novo faciant infirma judicio, ut dum diſceptatio
admittitur, auctoritas auferatur. Quid ergo ſe dicunt novitiæ diligentiæ repertores
novitii ſuo decreto Calchedonenſem ſynodum confirmaſſe, cujus ſtatuta Evange-
licis prædicationibus & patrum traditionibus conſonantia magnus hic Chriſti ſacer-
dos novo potius ſenſit infirmanda judicio? Quæ quidem ſicut firmari non indigent,
ita infirmari non poſſunt. Verumtamen, quantum in iſtis eſt præſumptoribus, no-
vo ea fecerunt infirma judicio, etiamſi nihil contrarium judicaſſent. Unde Marcia-
nus quoque Imperator poſt ſacerdotum ſententiam aliquid tractare impium duxit at-
que ſacrilegum, nec cuiquam ſemel judicata recteque diſpoſita revolvere, & de his
publicè diſputare permiſit, qui ſuo edicto omnibus diſcuſſionem eorum, quæ Cal-
chedone judicata ſunt negans, Verè, ait, impius & ſacrilegus eſt, qui poſt tot ſa-
cerdotum ſententiam opinioni ſuæ aliquid tractandum reliquit. Extremæ quippe
C dementiæ eſt, in medio & perſpicuo die commentitium lumen inquirere. quiſquis
poſt veritatem repertam aliquid ulterius diſcutit, mendacium quærit. Nemo ita-
que vel clericus, vel militans, & alterius cujuſlibet conditionis, de fide Chriſtiana,
publicè congregatis populis & audientibus, tractare præſumat in poſterum. & hoc
tumultus & perfidiæ occaſionem requirens. Nam injuriam facit judicio religioſiſſi-
mæ ſynodi, ſi quis ſemel judicata ac rectè diſpoſita revolvere & publicè diſputare
contendit. Et infrà, poſtquam diverſas pro tranſgreſſorum conditione ſtatuit pœ-
nas: Univerſa ergo, inquit, quæ à ſancta ſynodo Calchedonenſe ſtatuta ſunt cuſto-
diri debeant, nihil poſtea dubitari. Hoc itaque noſtræ commoniti tranquillitatis
edicto, abſtinete profanis vocibus, & ulterius deſinite de divinis diſputare, quod ne-
fas eſt. quia non ſolùm divino judicio peccatum hoc prout credimus punietur,
verùm etiam legum & judicum auctoritate coercebitur. Ecce Marcianus princeps,
verus reipublicæ pater, & verus Eccleſiæ filius, ſacerdotalium non prævius, ſed pe-
D diſequus decretorum, edicto ſuo pronuntiat, quòd quiſquis poſt veritatem reper-
tam aliquid ulterius diſcutit, mendacium quærit. & poſt hanc ejus ſententiam, ab
Eccleſia Dei receptam, neſcio qui ſe jactant inſolenti diſceſſione inveniſſe alteram
veritatem. Ille dicit, injuriam facit judicio religioſiſſimæ ſynodi, ſi quis ſemel ju-
dicata ac rectè diſpoſita revolvere, & publicè diſputare contendit: & iſti dicunt ho-
noraſſe ſynodum, de cujus judicio judicaverunt. immo cujus judicium diſſolventes,
impiam vocaverunt epiſtolam, quam pronuntiavit illa catholicam, & ſanctorum
patrum ſententiam labefactare nituntur Epiſcopi, de qua Martianus princeps nemini
vel diſputare permiſit. Sit ejus memoria in benedictionibus, & iſta vox ei pro ta-
libus meritis ſemper à toto orbe reddatur: per quem non ſolùm deſperatæ reipubl.
ſalus, verùm etiam Eccleſiæ diu concuſſæ requies data eſt.

CAPUT III.

E *Quod principum ſit in cauſis fidei obedientiam exhibere, non ea ſibi uſurpare, quæ ſunt propria ſacerdotum, docet exemplo Marciani & Leonis Imperatorum.*

COgnovit ille, quibus in cauſis uteretur principis poteſtate, & in quibus ex-
hiberet obedientiam Chriſtiani. Et ideo, ne impius atque ſacrilegus videre-
tur, poſt tot ſacerdotum ſententiam opinioni ſuæ nihil reliquit. Sicut qui me-
minerat exitus Oziæ, qui poſtquam prævaluit multis gentibus, & factus eſt glo-
rioſus, exaltatum eſt cor ejus, ut incenſum poneret ſuper altare, quod non lice-
bat niſi ſolis ſacerdotibus filiis Aaron. propter quod ejus obſtinatiſſimam frontem,
quam reverentia deſeruerat, lepra confudit. Sciens igitur ille modeſtiſſimus prin-
ceps, Oziæ regi non impune ceſſiſſe, quia ſacrificare præſumpſit, quod licitum eſt

A ſuo terrere principem Chriſtianum. Qui cùm de domo patris ejus adduceretur arca
ſuper plauſtrum novum impoſita, quoniam cùm calcitrarent boves extendit manum,
& tenuit eam ne caderet, iratus eſt indignatione Dominus contra eum, ſicut ſcriptu-
ra dicit: *Et percuſſit eum ſuper temeritate. qui mortuus eſt ibi juxta arcam Domini.* & ut
formidinis æternæ memoria poſteris quoque relinqueretur, vocatum eſt nomen lo- 2.Reg.6.7.
ci illius Oza. Propter quod etiam David, qui eam lætabundus adducens præce-
debat cum omni Iſraël, extimuit Dominum in illa die dicens: *Quomodo ingredietur* Ibid.9.
arca Domini ad me? & noluit divertere ad ſe arcam Domini. Si exiſtimationem
cordis malè præſumpti ſequimur, nonne magis illud plectendum videbitur, arcam
Domini, quam putabat eſſe caſuram, non continere cùm poſſet? Sed pro divi-
na timore præcepti, non pro temerariorum ſuſpicione, judicare debemus. Nam is
qui Levitis nuntiatum eſſe didicerat, *Non tangent ſancta, ne moriantur*, quomodo le-
gitimè non poſſet interdicta contingere, qui licet in diſtricto temporis articulo, non
B repentino pavore nutantis arcæ moveri, ſed obſervantia divini præcepti retineri de-
buit? Cùm igitur Oza, non ex propoſito conſilioque tranſgreſſus, ſed inopino &
fortuito caſu præventus, pro ſolo inconſulto tactu extremum ſuæ temeritatis ſup-
plicium luit: qua probabili ratione Marcianus Auguſtus, quæ apud Calchedo-
nem conſtituta ſunt in diſceptationem revocare præſumeret? Sed enim prædicato-
ribus veritatis, quaſi bobus, de quibus dicitur; *Bovi trituranti os non infrænabis*, non- 1.Cor.9.9.
nunquam contra ſtimulum calcitrantibus, videtur Eccleſia, cujus vectores docto-
reſque, velut arca illa nutare, ſed non eſt Ozæ officii continere. Præcedit illam
ſuus David, qui deducit exultans. ipſe manu fortis inviſibiliter eam regit, per quos
eam regi conſtituit. Et ideo nutare quidem poteſt, cadere numquam poteſt. Ni-
hil igitur habes Oza, quod ſimulatione piæ ſollicitudinis excuſeris; quia divino ju-
dicio pro temeritate percuteris. His autem atque hujuſmodi rationibus & exem-
plis auguſtæ memoriæ Marcianum communitum & edoctum fuiſſe credibile eſt, ne
imperii ſibi commiſſi decorem alieni officii uſurpatione fœdaret. Quòd ſi etiam
C minus ejus animo quæ memoravimus occurrerent, modeſtum virum ina proculdu-
bio ratio temperavit, qua cogitare & noſſe facillimè potuit, Chriſti ſolius eſſe
regnum cum ſacerdotio ſimul habere. quoniam etſi quidam reges in ejus venturi fi-
guram ſacerdotio functi ſunt, tamen cùm manifeſta lux veniret in mundum, um-
bras removens futurorum, nulli alteri dedit quod ſibi ſingulare ſervavit: ſed in diver-
ſos dona ſua diſtribuens, ſic quæ propria ſunt ſacerdotii, regibus interdixit. Quo-
circa quemadmodum vir ſapiens non profanum judicaret hoc velle videri quod ſolus
eſt Chriſtus? Sed cùm vel decreto ſancti & magni Concilii, vel auctoritate ipſius
principis Marciani, ab hæreticorum colliſionibus requieſcens Eccleſia, poſtea
Leone imperium ſuccedente, rurſus eorum factionibus pulſaretur, volens eos non
ſua tantùm, ſed communi Eccleſiæ reſponſione confundere, hoc & ipſe fecit quod
Imperatorem decuit Chriſtianum, ut per Metropolitanos Epiſcopos litteras gene-
rales mitteret, conſulens de Timotheo Alexandrino Epiſcopo parricida, vel de Cal-
D chedonenſi concilio, ut convenientibus ſecum coepiſcopis ſuis & clericis ſua reſ-
ponſione ſignarent quid eis videretur. Quibus litteris hoc quoque adjiciendum ju-
dicavit, ut diceret, Reſpondete ſine aliquo timore, & ſine gratia alicujus &
odio, ante oculos tamen timorem Dei omnipotentis ponentes, ſcituri quod di-
vinæ majeſtati de cauſa hujuſmodi dabitis rationem. His ergo acceptis, iidem Me-
tropolitani cum ſuis collegis, ſicut erant commoniti, de ſua quiſque provincia reſ-
ponderunt tam concordi atque conſtanti ſententia, quàm ſolet multos unire ſpiritus
veritatis. Nam licet è diverſis longeque diſtantibus locis data, nihil tamen habue-
runt omnium reſponſa diverſum, quibus decreverunt inretractabiliter eſſe cuſto-
dienda Calchedonenſis decreta concilii: proteſtantes, ſicut libro ſecundo jam memo-
ravimus, atque dicentes, Neque iota vel unum apicem poſſumus, aut commove-
re, aut commutare eorum quæ apud illam definita ſunt. & iterum. Quo-
niam ſicut ſoli nihil minùs eſt ad demonſtrandum quia ſol eſt; ſic & magnæ & ſanctæ
E & univerſali ſynodo Calchedonenſi minùs quidem bonorum nihil omnino eſt, ne-
que additamento aliquo eget, neque detractione, ab ſpiritu ſancto veluti divino
quodam ſole condita. Etenim qui in ea ſecundum tempus damnati ſunt, indigni
ſacerdotalis ordinis judicati, decreto ac judicio magni Dei velut impii condemnati
ſunt. Qui verò in ea ſuſcepti ſunt, injuſtam & tyrannicam antè ſuſtinentes in-
ſcriptionem, confeſtim decreto ſancti ſpiritus juſtè ſuſcepti ſunt, in quibus eſt &
noſtrorum temporum ſecundus Abel, beatus Flavianus. Ad hæc omnia contempſe-
runt attendere, qui de ſententia tantæ ſynodi auſi ſunt judicare, exiſtimantes quia
vel deeſſe illi potuit aliquid quod ſupplere, vel ineſſe quod emendare deberent.
Conſiderandum verò eſt, quæ fuerint illo tempore Chriſtianæ libertatis, in quam

ſumus vocati, reſponſa, cùm Leo religioſiſſimus Imperator, non de temporali po- A
teſtate, quam acceperat, ſacerdotes Dei terreret; ſed potius contra timorem hu-
„ manum timorem eis Dei omnipotentis incuteret. Ait enim: Reſpondete ſine ali-
„ quo timore humano, & ſine gratia alicujus & odio, ante oculos tantùm timorem
„ Dei omnipotentis ponentes. Nec ſibi eos rationem ipſius ſuæ reſponſionis datu-
ros eſſe præmonuit, ut dici forſitan poſſit, hoc eos reſpondiſſe, quod ejus animo
„ placiturum crederent, qui eis dixit: Scituri quod divinæ majeſtati de cauſa hujuſ-
„ modi dabitis rationem. Quod ille princeps non pro ſola Chriſtianæ religionis diſ-
ciplina & obſervantia dixiſſe credendus eſt: verùm etiam quòd nulla coactorum
decretorum eſſe poſſit auctoritas, & extremæ ſit vanitatis vel proferre adverſus ali-
quem, vel recipere ſententiam poteſtati conceſſam: cùm & ipſum nomen ſenten-
tiæ pereat, quando non illud dicitur quod ſentitur. Unde nec aliquid præſtatur
cauſæ, de qua ſic fuerit judicatum, & contradicentibus multum ex hoc firmitatis acce-
dit. Convincitur enim non rectè quiſque judicaſſe, quod compellente alio judi- B
cavit. Hinc aliquando jam conturbata fuit Eccleſia, cùm in ea ſibi ſæcularis po-
teſtas per Imperatorem Conſtantium quod ei non datum eſt uſurparet. Pro quo
„ B. Hilarius in epiſtola, cuius partem in decimo libro protulimus, dicebat: Poſt
„ multum & gravem omnium noſtrûm, ob eas res quæ inreligioſè ab impiis gereban-
„ tur, dolorem ex eo intra nos tantùm communio dominica continetur, ex quo his
„ perturbationibus vexari Eccleſia cœpta eſt, ut exulent Epiſcopi, demutentur ſa-
„ cerdotes, plebes terreantur, fides periclitetur, humano arbitrio ac poteſtate doctri-
„ næ dominicæ decreta ſtatuantur. Idcirco igitur piæ memoriæ Leo quietem non
conturbavit Eccleſiæ, quia non ſuo arbitrio ac poteſtate præſumpſit doctrinæ do-
minicæ decreta ſtatuere, nec quicquam ſolis creditum ſacerdotibus uſurpavit. Hinc
etiam quæ temporibus ejus definita ſunt, ſine ullius violentiæ cauſatione fidenter hæ-
reticis opponuntur, quoniam ſciens, quod poſt adventum Domini gentiles tantùm
principes imperium ſimul ſacerdotiumque tenuerunt, judicavit non decere princi- C
pem Chriſtianum quod fuit aliquando gentilium. Quòd ſi dominari appeteret fi-
dei Chriſtianæ, quod nec Apoſtolus appetivit, qui dixit: *Non enim dominamur fi-*
2. Cor 1. 24. *dei veſtræ, ſed adjutores ſumus gaudii veſtri*, prius ipſe quod ei videbatur pro libito ſuo
decernens, poſtea ſupervacuè ad ſubſcribendum Chriſti ſacerdotes adduceret, &
cogeret his quæ ipſe adinvenerat, manus aſſentorias dare. Qui ſi ea tanquam Con-
cilii decreta ſuſciperent, quæ unius laici eſſent compoſita voluntate, ſtatueret om-
nia cui de talibus cauſis judicare non competit, illi verò nihil decernerent quibus
competit judicare. Memor etiam prædictus Auguſtus, quòd nuſquam coactum
Concilium niſi falſitati ſubſcripſit, ſicut in Arimino factum eſt Conſtantio compel-
lente, & apud Epheſum opprimente Dioſcoro, confirmationem fidei ſacerdotum
dimiſit examini, quorum & commiſſa eſt poteſtati: quæ tunc verè facta creditur,
ſi non ſæcularis poteſtatis ſententiæ ſubſcribatur. Aliud eſt enim, cùm in Conci-
lio locum judicis inter alios Epiſcopos quiſque tenens, quod ſentit ſubſcriptione D
deſignat: aliud autem, cùm ſicut teſtis adducitur, & quod eſt deterius, nolens pla-
cito alieno ſubſcribit. Unde licet falſum nomen ſynodalium decretorum hujuſmo-
di ſcripturæ præferant, ad hoc tamen proficiunt, ut oſtendant quales cauſæ ſint,
quibus niſi compulſus nemo ſubſcripſit, quales illi qui ſubſcribere compulerunt, &
quales qui humanæ præſumptioni ceſſerunt. Hoc quoque non neſciens idem reli-
gioſiſſimus Imperator, quòd pauci admodum ratione, multi verò auctoritate du-
cantur; non ſolùm non extorquere, ſed nec præire temptavit ſententiam ſacerdo-
tum, ut dum in cauſa, licet jam decreta & manifeſta, eorum magis elegit expecta-
re judicium, omni populo, quantam reverentiam ſacerdotali auctoritati deferre de-
beat, ipſa ſua expectatione monſtret. Quòd ſi prior hoc quod æquum erat conſti-
tuere vellet, & poſtea quærere Epiſcoporum ſententia quod conſtituerat roborari,
quamvis juſtum religioſumque decretum, multis tamen faceret tali præſumptione
ſuſpectum. Promptiùs enim crederetur ab eis qui minùs capaces ſunt rationis, E
quod non veritati obediſſent. Si qui enim decreto ſubſcripſiſſent Epiſcopi, ſed
potius temporali timuiſſent reſiſtere poteſtati, atque ita veris rebus quæ multis eſt
utilis abrogaretur auctoritas. Et quis explicare poteſt, quæ mala conſequantur eos
qui divinæ diſpoſitionis ordinem non ſequuntur? Porro cum in his quæ tam Mar-
ciani principis, quàm Leonis temporibus conſtituta ſunt, nihil habeant Semieuty-
chiani quod querantur, cur fautores eorum nova retractatione in irritum ea dedu-
cere voluerunt? Numquid enim Marcianus ac Leo ad confirmandam præcipitem
ſententiam ſuam Concilia congregabant, rurſumque mutati, pro ſui animi diſcurſa-
tione, cogebant Dei ſacerdotes priſtina mutare decreta, ut in ludibrium gravitas,
& in ſatietatem veniret expectanda reverenter ſynodalis auctoritas? Illi numquam
diſpen-

A diſpenſationem divinorum ſacramentorum Eccleſię prędicatoribus abſtulerunt.
Quoniam ſciebant, quod ſicut in admonitione regum per Salomonem Dominus
dixit, *Rectorem te inſtituerunt? ne extollaris. Eſto in illis, quaſi unus ex ipſis; curam illo-* Eccl. 32. 1.
rum adhibe, & ſic conſidera: ſic proprie de prędicatore divini verbi rurſus idem Do-
minus in Evangelio dixit: *Quis putas eſt fidelis diſpenſator & prudens, quem conſtituit* Luc. 12. 42.
Dominus ſuper familiam ſuam, ut det illis in tempore tritici menſuram? Beatus ille ſervus,
quem cùm venerit Dominus, invenerit ita facientem. Quæ verba Evangelii quomodo
religioſos & ſapientes principes non moverent, ne ſe tanti negotii periculis inſolen-
ter ingererent? Primùm quòd iſte ſervus non erogator, ſed diſpenſator dicitur à
Domino conſtitutus, cui vigilantiſſima diſcretione opus eſt, ut unicum ſibi offi-
cium probabiliter poſſit implere. Ideo non tantum fidelis, verum etiam prudens
à Domino quęritur: qui non ęqualiter familiæ ſibi creditę, nec eodem modo ero-
get; ſed omnibus, pro cujuſque captu & habitu mentis dominicam moderatè at-
B que convenienter diſpenſet annonam. Deinde quod in tempore admonetur triti-
ci dare menſuram. Sępe enim, quæ opportunè prolata ſalubria forent, incongruo
tempore nocuerunt. Ergo & opportunitas obſervanda eſt, ut in tempore tritici
menſura familiæ diſpenſetur. Si quis igitur horum periculorum neſcius, cùm vi-
deri doctus appetit, importunè ac nulla utilitate ſuadente, ſpontaneis quæſtionibus
Eccleſiam turbat, hic non diſpenſator familiæ dominicæ, ſed diſſipator eſt, & my-
ſteriorum Dei diſperſor. Quod illi principes eſſe timuerunt: & idcirco, non tan-
tùm quia vires eorum ſuperabat tanti negotii magnitudo, verùm etiam quia
non acceperant, non ſibi adſumpſerunt hujus diſpenſationis officium. Unde ni-
hil eſt quare dicantur infirma, vel minùs idonea, quæ contra hęreticos eorum ſunt
temporibus conſtituta, quoniam extra judicium atque auctoritatem ſacerdotum geſta
ſunt: quorum ſententiam & ipſi principes ſequebantur, non immemores, quod
quemadmodum Petrus Apoſtolus dicens, *Deum timete, regem honorificate*, non lai- 1. Pet. 2. 17.
C cis tantùm, ſed ipſis quoque ſacerdotibus commendet principes honorare: ſic
etiam, cùm Paulus ejus coapoſtolus Chriſtianis omnibus legitur dicens, *Obedite* Hebr. 13.
præpoſitis veſtris, ſubjacete eis. Ipſi enim pervigilant quaſi rationem reddituri pro anima- 17.
bus veſtris, ut cum gaudio hoc faciant, non gementes. hoc enim non expedit vobis, non
tantùm plebeiæ multitudini, neque ſolis proceribus, ſed ipſis quoque regibus de-
mandatur, ut obediant & ſubjaceant prępoſitis Eccleſiæ Chriſti, ſuaſque ani-
mas ſacerdotum rationi commiſſas intelligant, ſi non inaniter funguntur nomine
Chriſtiano. Ideoqne neminem ſacerdotum premebant, ut cum gaudio facerent om-
nia, & non gementes, quoniam hoc ſibi non expedire Apoſtolo admonente credebant.
Inde eſt quòd eorumdem ſacerdotum decretis modò premuntur hæretici, quia ipſi,
à quibus conſtituta ſunt, non offenduntur oppreſſi.

CAPUT IV.

D

Quod Zeno Imp. de rebus fidei decernere præſumens Eccleſiam diuturno & gravi ſchiſmate turbavit.

EA verò quæ poſtea *d* Zeno Imperator, calcata reverentia ordinis Dei, pro ſuo
arbitrio ac poteſtate decrevit, quis accipiat? quis attendat? in quibus poteſtas
inconſiderata non quod expediret, ſed ſibi liceret, attendit: nec intellexit quod
non confuſio faciat unitatem. Nam ſi unitas non hæreticorum converſione, ſed con-
tagio & commixtione facienda eſt, cur Acephali tantùm, & non omnes hęretici, ad-
mitterentur in Eccleſiam ſuis erroribus non antè damnatis, neque receptis defi-
nitionibus quæ adverſus errores eorum conſtitutæ ſunt? Exhortans quippe memo-
ratos Acephalos ad Eccleſiam reverti priore loco ſic dicit: Flavius Zeno pius, victor, «
triumphator, maximus ſemper Aug. orthodoxis Epiſcopis, Archimandritis, & «

E

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

d ZENO IMPERATOR. Zenonis Henoticon, ſive Unitivum, ut Liberatus interpretatur, edictum ad Alexandrinos, cujus hîc capita quædam excutiuntur, Græcè integrum habet Evagrius lib. III. Hiſtoriæ cap. XIV. Latinam verſionem aliam Liberatus cap. XVIII. Idem ejus ſcribendi auctorem Zenoni Acacium fuiſſe tradit cap. XVII. ab Acacio ipſo dictatum quoſdam affirmaſſe narrat Theophanes in Chronico. Τότε, inquit, καὶ ὑπογράφει Ζήνων, καὶ πέμπει τὸ Ἑνωτικὸν, ἀπὸ Ἀκακίου τοῦ Κωνσταντινουπόλεως ὑπαγορευθὲν, ὥς φασί τινες. Henotico recepto confuſi primùm Alexandriæ cum hæreticis orthodoxi; tum exinde Conſtantinopoli & Antiochiæ, ac toto demum Oriente labes eadem ſecuta. Victor Tononenſis: *P. C. Theodorici V. C. Orientales Epiſcopi, præter paucos, per henoticum Zenonis communione atque conſenſu polluti Petri Alexandrini, Petri Antiocheni, & Acacii Conſtantinoplitani Epiſcoporum Synodo Calchedonenſi renuntiant.* De hoc item Facundus contra Mutianum: *Zeno Imp. ipſum Concilium promulgato ſprevit edicto.*

„ populis, per Alexandriam, & per Ægyptum, & Penrapolim, & Lybiam conſtitutis. A
„ & poſtquam eos vocavit orthodoxos, commonet nt ſocientur Eccleſiæ, dicens:
„ Conjungimini igitur matri ſpiritali Eccleſiæ, ut una divioa communicatiune frua-
„ mini. O virum prudentem, & ondique circumſpectum, qui incubare præſumpſit
officio ſacerdotum; Orthodoxos vocat Acephalos, ſi nihil aliud, ab Eccleſia ſepa-
ratos. Cur igitur eos hortatur, ut conjungantur matri ſpiritali, ſi ex ea disjuncti
permanſeruot orthodoxi? Ut una, inquit, divina communicatione fruamini. Num-
quid ſine divina communicatione iidem alieni à Deo, iſti fuerunt orthodoxi? an ha-
bebant quidem divinam communicationem, ſed unam cum Eccleſia non habebant?
Ergone poſſunt duæ divinæ communicationes eſſe diſſentientes ab invicem ſibique
cootrariæ? Sed ſi unus eſt Dens Zenonis, una eſt & divina communicatio. Quod
ſi duæ & à ſe diſſentientes divinæ communicationes dicuntur, conſequitur ut non ſo-
lùm doo eſſe Dii, ſed ab invicem qnoque diſſentire credantur. Et quid mali non
Auguſtus prima poteſtas ſæculi, cùm te non cogitans divinæ ſubditam poteſtati, B
terminos tibi præfixos exceſſeris? Orthodoxos appellas ab Eccleſia Dei diſſentien-
tes, & alterius divinæ communicationis dicis eſſe participes. Quæ ſi hoc ipſum,
quod tibi omnia licent, caminum eſſe tuæ probationis intelligeres, etiam ipſius pur-
puræ qua veſtiris ſpecie, id eſt colore ſemper admonita, velut in medio flammæ
„ te crederes conſtitutam. Iterum verò dicit: Sancta enim mater noſtra Eccleſia
„ ſicut proprios filios ſuos ſuſcipit, amplectimini eam. Deſiderat enim poſt lon-
„ gum tempus dulcem veſtram vocem audire. Adjicite vos ergo illi. Quo fructu
rogo amplectantur Eccleſiam? quo fructu ſe illi adjiciant, cùm & ab ea ſegrega-
tos vocet orthodoxos, & divinæ communicationis participes eſſe credat? Sed
quid adhuc poteſtas mundana ſibi & non rationi confidens agat accipite. Nam vo-
lens eiſdem Semicutychiaois ſatisfacere, in hoc edicto fidem ſuam expoſuit, pro-
fitens quòd Nicænum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum concilium ſuſciperet,
tacens autem de Calchedonenſi, & duarum Chriſti naturarum profeſſionem refu-
giens: quaſi non antidoto ſanandi ſint morbidi, ſed ad aliorum contagium colli- C
Pſal. 118. 44. gendi. Cumque ſcriptum ſit: *Loquebar in teſtimoniis tuis in conſpectu regum, & non con-
fundebar*, rex confundebatur in conſpectu ſubjectorum loqui quod verum eſt.
Hoc merebatur de juſtitia divina Dei contemptor, ut qui ejus ordini ſubditus eſſe
noluit, ſubditos vereretur. Qui etiam aliud deterius addens ait, quòd ſanctæ, quæ
ubique eſſent, catholicæ Eccleſiæ, & qui eis præeſſent Deo amabiles ſacerdo-
tes. non aliter crederent. Quaſi omnium fides Eccleſiarum ex ejus voluntate
penderet, & nemini liceret aliter credere, quàm præciperet Imperator. Videbar,
ut arbitror, quoſdam timidos, vel rerum temporalium cupidos, ſibi favere, & ex
illis ceteros æſtimabat. quibus etſi vocem contradictionis abſtulerat, animum cer-
tè mutare non potuit. Nec enim ampliùs aliquid mundi poteſtas valet in his quos
à libera fidei aſſertione retraxerit, niſi ut in illud incidant, quod Dominus ait,
*Qui me erubuerit & ſermones meos, hunc filius hominis erubeſcet cùm venerit in majeſtate
ſua, & patris, & ſanctorum.* Aliquos igitur jus mundanæ poteſtatis Eccleſiæ va- D
let auferre, nullum tamen ſibi acquirere. Melius ergo eſt, ut ſemet intra limi-
tem ſuum contineat, qnem cùm tranſgreditur, perdere multos poteſt, lucrari ne-
minem. Nam & ſuas habent officinas vel artifices, omnia quæ ex propoſito do-
ceri videmus. Numquam enim de textrino perſonare incudes audivimus, & ignem
illic in fornacibus anhelare. Numquam comperimus à ſutore quæſitum, quæ cujuſ-
que fabricæ longitudini proportio latitudinis conveniret, & quanta utriſque con-
grueret altitudo. Quoniam illi integrè ſcire poſſunt, qui ab ipſius artis ſunt præcepto-
ribus inſtituti. Solæ in contemptu ſunt divinæ litteræ, quæ nec ſuam ſcholam nec
magiſtros habeant, & de quibus peritiſſimè diſputare ſe credat qui numquam didi-
cit. Deinde cùm palatii cauſæ transferantur ad Eccleſiam, quomodo Eccleſiæ cau-
ſam ad palatium transferebat? Poſtremo numquid jam domuerat vel pacaverat om-
nes infenſas reip. barbaras natiooes? jam per diverſas imperii ſui provincias ſedi-
tiones ac ſeditionum cauſas abſtulerat? jam cunctis criminalium ſive civilium cau- E
ſarum querelis convenientem dederat finem? Cùm igitur his non ſufficeret, qui-
bus nemo ſufficere poteſt, quomodo, ſi cogitaret taota loci ſui pericula, & de om-
nibus ſe rationem Deo crederet redditurum, etiam periculis ſe alienis immergeret;
vel ſi talem præſumptionem divina juſtitia non damnaret? His autem non con-
tentus, hoc quoque ad injuriam ſanctæ ſynodi Calchedonenſis adjecit dicens:
„ Adunate ergo vos in nullo dubitantes. Hæc enim ſcripſimus vobis, non in-
„ novantes fidem, ſed ut vobis ſatisfaceremus. Omnem verò aliter ſapientem,
„ ſive nunc, ſive quandoque, ſive Calchedone, ſive in quacumque ſynodo, ana-
„ thematizamus. Ad hoc autem deteſtandum facinus adulantium laudibus eum

A credimus excitatum : cum ei dicerent, quemadmodum ſolent, quòd omnes ſuos deceſſores ſapientia & religione præcelleret, quod nullus ei poſſet in univerſis, qui eſſent vel fuiſſent, Dei ſacerdotibus comparari, quòd in ipſo tantum, & uſque ad ipſum, fides catholica ſtaret. Quibus ille credulus, exiſtimavit per ſingularem ſapientiam, quam ei præter aſſentatores nemo tribuerat, invenire ſe poſſe rationem faciendæ unitatis, quam nullus antè per tot tempora potuerit invenire. Denique ſic in memorato dixit edicto : Coaptentur membra membris, quæ inimicus boni ex multo tempore ſeparare feſtinavit : ſcit enim quoniam ſi integrum Eccleſiæ corpus impugnet, facilè ſuperatur. Ex hac ergo diviſione contigit per tantas generationes tantorum annorum, ut alii quidem lavacro regenerationis fraudati de hac vita diſcederent. & cetera. Quòd ſi conſentiamus prędicationi potentiæ ſęcularis, quæ poſt tantas generationes, fallendo vel tacendo quod verum eſt, facere ſe poſſe credidit unitatem; dicemus etiam nos, quod niſi aggregati ſimus Eutychianis, integrum non ſit B corpus Eccleſiæ. Sed væ nobis eſt, ſi abſque Acephalis truncos nos credimus remanſiſſe. Cumque beatiſſimus Leo diceret, Nam nullomodo fieri poteſt, ut qui divinis audent contradicere ſacramentis, aliqua nobis communione ſocientur; ille contradictores in Eccleſiam miſit, dans ſanctum canibus, & conculcandas ante porcos projiciens margaritas. Denique in ipſos temeratores converſi diſruperunt eos, & ab Eccleſia diviſerunt. Propter quod etiam grande ac ᵉ diuturnum ſchiſma factum eſt, donec miſericors Deus per veſtræ pietatis miniſterium eos redderet unitati. Unde & maximam gloriam conſecuti eſtis, quam ut in finem cuſtodiatis optamus, nihil agentes huic prædicabili facto veſtro contrarium. Sed memineritis quæ tunc fuerit lætitia populi Chriſtiani; cùm totus catholicus orbis vos paternorum decretorum cuſtodes, vos recuperatores pacis Eccleſiaſticæ, vos violati ordinis ejus vindices prędicaret. O quàm ſuaviter nomen veſtrum per ora laudantium ferebatur! quàm gratus illius memorandi veſtri operis erat auditus! Et ideo con- C ſiderate, quæſumus, & videte, ſive quæ vos illo tempore, ſive quæ principes Marcianus & Leo temporibus ſuis per ordinatum ſacerdotale officium geſſerint, & quæ contrà egerit Zeno, divinæ diſpoſitionis ordine calcato, & alieno abutens officio, cùm adulantibus credit, cùm eorum ſe laudibus æſtimat, cùm illis præconiis elevatur, quibus omnino gravatur humanitas, non attendens quod Apoſtolus admonens dixit : *Opus autem ſuum probet unuſquiſque, & tunc in ſemetipſo gloriam habebit, & non in altero.* Gal. 5. 4. id eſt, ut teſtimonio ſuæ conſcientiæ fidat, non ut eo relicto glorietur in ore laudantis. Et ſuavis quidem aſſentatio videtur, ſed pernicioſe recipitur : amata verò nonnumquam veritas, ſemper bene tamen accipientibus ſalubris eſt. Illa blanditur & decipit : hęc caſtigat & corrigit.

CAPUT V.

D *Concluſio totius operis, cum paræneſi ad Iuſtinianum ut Theodoſii exemplo errorem agnoſcat.*

QUAM ſi tenerent magnifici ſacerdotes, & non inde vellent placere principibus, unde paraſiti fallaces incautis ſolent patronis illudere; nunquam in contumeliam ſanctæ ſynodi Calchedonenſis dicerent; Si quis dicit rectam eſſe ad Marim impiam epiſtolam, aut eam defendit, & non anathematizat eam, anathema ſit. neque ſtatuerent, ut ſi quis non anathematizat Theodorum Mopſveſtiæ, & ejus dogmata, eoſque qui aut ſimilia ipſi ſapuerunt, aut ſapiunt, eſſent anathema. In quo, ſicut

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

ᵉ DIUTURNUM SCHISMA. Annorum, ut contra Mutianum ſcribit, propè XL. à Felicis III. pontificatu ad Hormiſdam uſque, E cujus temporibus in communionem recepti Orientales, & pax Eccleſiæ reddita eſt anno Chriſti DXIX. adnitente in primis apud Juſtinum Imp. Juſtiniano tum adhuc Comite. Vigilius in Encyclica. *Et ideo ſi cauſa Eccleſiæ ordinatur, ut pacem ei, quam avunculi ſui piiſſimus princeps fecit temporibus, & modo reſtituat, ego ſacramentis opus non habeo, ſed ſtatim egredior.* Extant Juſtiniani gratulatoriæ de pace conſtituta litteræ ad Hormiſdam. Extat & Aviti Viennenſis ad Ioannem Conſtantinopolitanum ejuſdem argumenti & gratulationis epiſtola nondum edita, qua publicam ex ea pace lætitiam declarat. *Adjecit*, inquit, *vir illuſtris omne nubilum, quod quietem Orientalium populorum ambiguo caligante fuſcaverat, redintegratæ pacis ſerenitate deterſum : & eam cum Romano Antiſtite vos habere concordiam, quam velut geminos Apoſtolorum principes nunc do aſſignare conveniat. Quis enim, qui vel catholicus dici poteſt, de tantarum ac talium Eccleſiarum pace non gaudeat, quas velut in cælo poſitum religionis ſignum pro gemino ſidere mundus aſpectat? Quis non meritò delectetur infirmantium reditu, incolumique ſtatu, cùm aliis ovibus intra clauſtra ſalvatis, illa quæ vitio errantis arbitrii fuerat evagata, cæleſtibus caulis lætitia plaudente revocatur?*

oſtendimus, non ſolùm memoratam ſynodum Calchedonenſem, & Antiochenam, A
verùm etiam prioris temporis quæ Theodoro communicavit Eccleſiam, atque om-
nes præſentes in corpore Chriſti fideles, qui & dogmata & nomen ejus ignorant,
ſed & ſanctas ac familiares Chriſto perſonas, ipſoſque Apoſtolos, & catholicam
fidem ſub anathemate damnaverunt. Et hinc ſe putant excuſabiles, quòd hoc
non ſua ſponte fecerunt, ſed alienam fuerunt ſecuti ſententiam: minùs ad-
tendentes, quòd paſtores gregem ducere, non grex paſtores debeat. Unde nec
error paſtorum gregi, ſed gregis paſtoribus, ſi non arguerint, imputatur. Ad
Ezech. 3. 17. Ezechielem Dominus dicit, *Fili hominis, ſpeculatorem dedi te domui Iſraël, & audies
ex ore meo ſermonem. In eo cùm dixero peccatori morieris, & non fueris locutus, ut caveat
impius à via ſua; ille quidem in iniquitate ſua morietur, ſanguinem autem ejus de manu tua
requiram. Tu autem ſi prædixeris impio viam ſuam iniquam, & non averſatur ab ea,
ille quidem in iniquitate ſua morietur, & tu animam tuam liberabis.* Ad hanc autem B
domum Iſraël certum eſt etiam principes populi pertinere, & ipſis quoque ſpecu-
latores eſſe præpoſitos. quorum culpas ſi pro acceptatione perſonarum diſſimula-
verint ſacerdotes, ipſis proculdubio tamquam cohibentibus adſcribentur. Quod ſi
& concedatur quod eis non fuerit vetandi facultas, quis concedat quod eis defuerit
vitandi poteſtas? atque ideo vel ſi non potuerunt hæc prohibere ne fierent, potuerunt
ſaltem declinare ne facerent. Cur autem ſacerdos, cujus eſt populi peccata portare, o-
Exod. 28. neri ſuo non conſulat, ut omnem, pro cujus peccatis offert ſacrificium, prohibeat à
29. peccato? Scriptum eſt enim: *Et portavit Aaron judicia filiorum Iſraël.* In quo intelligimus,
quia pro peccatis populi ſacerdotes judicabuntur. Unde & illud, quod ſuprà memora-
Hebr. 13. vimus, ait Apoſtolus, *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis. ipſi enim pervigilant quaſi*
17. Exod. 28. *rationem reddituri pro animabus veſtris.* Hinc iterum dictum eſt, *Et portabit Aaron peccata*
38. *eorum.* Quapropter, ſi principes non alieni ſunt à populo Dei, & pro ipſis quoque C
offertur ſacrificium, ſacerdotes etiam ipſorum peccata portent neceſſe eſt. Et
ideo nec temeritati, nec arrogantiæ deputetur, ſi ſacerdos etiam principem pec-
care prohibeat. Humanus enim ſermo eſt, & omni acceptione dignus dicentis,
Non aggraves onus meum, quod ſuſcepi pro tua ſalute portandum. Non enim
eſt aliud cùm dicit cuiquam ſacerdos, Noli peccare, quàm ſi dicat, Sarcinam,
quam pro te ſuſtineo, noli gravare. Ac per hoc ſi princeps quoque pro ſuis pec-
catis interceſſorem vult habere ſacerdotem, etiam in ſuis peccatis caſtigatorem fer-
re non dedignetur, ut pro illo intercedens poſſit audiri, ne dicatur ei quod Hiere-
Hier. 7. 16. miæ dictum eſt: *Noli orare pro populo hoc. & ne poſtulaveris miſereri illius, & non ac-
ceſſeris ad me pro eis, quia non exaudiam te.* Quod metuens beatæ recordationis ma-
jor Theodoſius Imperator, cujus ſemper memorabilis erit in Eccleſia Chriſti memo-
ria, quamquam ſæpe de magnorum barbarorum prœliis, & de maximorum tyranno- D
rum triumphaverit: non tamen ex hujuſcemodi victoriarum frequentia, in quibus
Trajano filio gehennæ comparari non poteſt, veram meruit gloriam, ſed de ſupplici
& publica peccati ſui pœnitentia, quam expugnato regali faſtigio placide atque
humiliter antiſtite Ambroſio caſtigante ſuſcepit, & indictum ſibi debitæ ſatisfactio-
nis tempus ab Eccleſiæ communione remotus implevit. Pie admodum credens, &
ſapienter intelligens, quod non ex temporali poteſtate, qua fuerat etiam ſacerdo-
tibus Dei præpoſitus, ſed ex eo pervenire poſſet ad vitam, quod illis erat ipſe ſub-
jectus. Unde credendum eſt, quia ſi nunc Deus aliquem Ambroſium ſuſcitaret,
etiam Theodoſius non deeſſet. Sed cum minor eſt exigendi fiducia, minor
& reddendi devotio. Non eſt autem magnus amator veritatis, cui eam per-
ſonæ commendat auctoritas. Sed quoniam ad illud, quò longi ſermonis am-
bitu tendebamus, aliquando perventum eſt, obſecro te, clementiſſime Impe-
rator, per manſuetudinem & modeſtiam Chriſti, ut indignum me non indignè E
accipias, neque ſpernas. Nam ſi vera ſunt quæ dicuntur, non ideo debent abji-
ci, quòd ea vobis abjectus inſinuat. Quid enim tua intereſt, per cujus os tibi lo-
quatur veritas, quæ aliquando etiam per os aſinæ loqui dignata eſt? Quòd ſi
Nathan propheta quærendus videatur quotiens princeps deliquerit, ubi nunc in-
veniemus Nathan, ut princeps argui poſſit, quem peccaſſe certum eſt ut David?
Et ideo qui peccavit non alterum Nathan quærat, quoniam puto quòd nec ipſe
præſumat meritis ſe comparare ſancti David. Siquidem non regno tantùm, ſed in
ipſa quoque prophetia, cujus ſolummodo habebat auctoritatem Nathan, multo
fuerat excellentior rex David. Et ille vehementer increpans peccatum prodebat
occultum: nos autem hoc ſupplices petimus emendari, quod ſi velimus celare non
poſſumus, nec exaggeramus quod non in multos peccatum eſt. Et non tale aliquid
petimus corrigi, quale fuit quod excommunicatione ulciſcebatur Ambroſius. Illud
enim, quamvis fuerit malè geſtum, creditum tamen erat Theodoſii poteſtati. Quod

A autem nunc factum eſt, vel ſi rectum fuiſſet, recte non fieret: quia nulli regum hinc
aliquid agere, ſed ſolis eſt ſacerdotibus datum. Verùm ſic quoque præcavens, ne
videar menſuram, non quidem officii, ſed meriti mei tranſgreſſus, nihil hinc impu-
tare præſumam. Hoc tantùm ſimpliciter rogo, ut illos ipſos, quos in iſto decreto
novitio probavimus eſſe damnatos, fideli mente conſideres. In primis Philippum
& Thomam Chriſti diſcipulos, qui ob hoc anathema facti ſunt, quòd aliquando his quæ
dicitur ſapuiſſe Theodorus ſimilia ſapuerunt. Deinde ſanctos patres, qui Calchedona
convenerant, & epiſtolam Ibæ reverentiſſimi Epiſcopi per ſuam ſententiam rectam eſſe
dixerunt, nec anathematizaverunt Theodorum Mopſveſtiæ, cùm ex ea recitari laudes
ejus audirent: inſuper & epiſtolam B. Leonis illarum epiſtolarum exemplo vel teſti-
monio defenderunt, in quibus & defenſus eſt idem Theodorus, & laudatus. Quorum
venerabilium patrum primum memoratum Leonem animo contemplare, qui propter
B quod approbatis geſtis ejuſdem Concilii prædicti non anathematizavit epiſtolam, cum
ipſo Calchedonenſi conſilio, à quo judicata eſt orthodoxa, anathema factus eſt.
Orientalem quoque ſynodum, quam à ſapientiſſimo Joanne Antiocheno congrega-
tam, & à Calchedonenſi concilio approbatam oſtendimus, intuere, quòd non ſo-
lùm non anathematizavit Theodorum Mopſveſtiæ, & ejus dogmata, verùm etiam
anathematizari prohibuit, eo quod multa ſimiliter dicta & ab aliis anterioribus & glo-
rioſis ejus patribus inveniret. Cui ſanctæ orientalium ſynodo velut præſidentem ad-
ſpice Joannem Conſtantinopolitanum, Theodori condiſcipulum, & Gregorium
Nazanzenum: quorum ſententiæ congruens, adverſus calumnioſos Eccleſiæ con-
turbatores ejuſdem Theodori ſcripta defendit. Huic ſynodo etiam beatus Cyril-
lus accedat, qui ejus decreto conſentiens, & ſimul prohibens quædam Theodori di-
cta redargui, dixit quòd occaſionem facerent contrario dogmati, quo tenebantur «
C hi qui eam condemnari volebant. Accedat etiam beatus Proclus Conſtantinopolita- «
nus, qui non ſolùm pariter vetuit abdicari Theodorum, verum etiam teſtatus eſt,
quòd eum nec vivum aliquando culpaverit. Accedat etiam venerabilis Domnus An-
tiochenus, qui ſui deceſſoris Joannis, aliorumque præcedentium collegarum ſenten-
tiam tenens, Eutychi Apollinaris hæreſiarchæ impietatem renovare tentanti, & ob
hoc Diodorum atque Theodorum anathematizare præſumenti, primus reſtitit ad Im-
peratorem Theodoſium ſcribens. Quibus omnibus, ut de perſona Theodori præju-
dicaretur Calchedonenſi concilio, æquè anathema dictum eſt, quòd ſuo exemplo,
ſive teſtimonio, vel decreto prohibuerunt, ne aut ipſi, aut dogmatibus ejus, anathe-
ma diceretur. Sed ecce nos, religioſe Imperator, quocumque niſu tot ſanctas reve-
rendaſque perſonas in conſpectum tuæ mentis adduximus: quis dabit, ut tu quoque
conſiderans, quòd ex illis ſint iſti condemnati, qui in regeneratione juſtorum, cùm
ſederit filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ, ſedebunt & ipſi ſuper ſedes duodecim judi-
D cantes duodecim tribus Iſraël, illis oculis in eos intendas, quibus te ab eis non dubitas
judicandum, non quibus nunc Chriſti ſacerdotes conſpicis ad tempus tibi ſubjectos?
Intuere igitur oculis fidei, qua credis in Chriſtum, velut in quadam cæleſti curia con-
fidentes, ſummo & primo loco Philippum & Thomam reverendos Apoſtolos, ſequenti
deinde ordine omnes quorum ſententias memoravimus, ſimulque damnatos eſſe docui-
mus, beatiſſimos patres. quibus licet pro tantæ cauſæ merito verba minimè commen-
dare poſſumus, quia nec perſona permiſit: quis tamen eorum condemnationis con-
ſcius, vel tacitum ferre poſſit adſpectum, cum fideliter intelligentem magis terreant
ipſo ſilentio? Videntur enim per hoc condemnationem ſuam, niſi quantocius aufe-
ratur, futuro judicio reſervaſſe, cujus & inretractabilis erit ſententia, & ſine fine
perpetuum quod ſententiam fuerit conſecutum.

E

FINIS LIBRI DUODECIMI ET ULTIMI.

FACVNDI EPISCOPI HERMIANENSIS,

LIBER

CONTRA a MOCIANVM SCHOLASTICVM.

OPORTUERAT, venerabiles filii, ut qualecumque hoc
opus à vobis impoſitum veſtris ex more nominibus dedica- G
rem. Sed metuens, ne tanquam latebrarum noſtrarum con-
ſcii, perſecutorum quos fugimus incideretis in calumnias,
nominare vos nolui. Nec pro vobis id præloqui neceſſarium
fuit, qui noſtræ preſſuræ non eſtis expertes: ſed pro aliis igno-
rantibus, in quorum manus hæc fortè ventura ſunt. Volo
autem vos noſſe, quia nuntius quem miſiſtis gravi me infir-
mitate reperit laborantem: ita ut in talibus diebus, ſicut &
ipſe poterit veſtræ ſublimitati referre, nec uſque in horam tertiam valeam differre
jejunium. Indicavit autem mihi ex veſtro mandato, quòd pro ſæculi noſtri me-
ritis & Mocianus jam reprehendere audeat Conciliorum decreta, palamque jacta-
re, quòd Epiſcopi Africani, aliarumque provinciarum, indignè ſtatuerint vitare
communionem eorum, qui manifeſto, promulgatoque decreto reveriti non ſunt D
impugnare Calchedonenſe Concilium. Quando autem nobis ceſſare, quando re-
quieſcere conceditis, qui nos & Muciano reſpondere compellitis? Sed hoc quoque
comperi memorato nuntio mihi narrante, quia idem Mocianus volens ad interdi-
ctam tranſgreſſorum communionem ignaros quoſque deflectere, quædam beati Au-
guſtini dicta circumferat: & quæ ille contra Donatiſtas convenienter locutus eſt,
inconvenienter ipſe ad decipulam ſimplicium cauſæ nitatur aptare præſenti. Sic
aliquando etiam b Fauſtus Gallus in quæſtione liberi arbitrii, malè intellectis & in-
congruè adhibitis ipſius beati Auguſtini ſententiis, fallebat & in aſſenſionem ſui er-
roris inducebat incautos. qui tamen à ſanctæ memoriæ Fulgentiu Ruſpenſi dete-
ctus atque convictus eſt. Quid autem in hoc miremur? Neque enim melius loqui
potuit Auguſtinus, quàm Prophetæ, quàm Apoſtuli & Evangeliſtæ, quorum ver-
bis ſimiliter malè intellectis, & incongruè adhibitis, tam multi hæretici ſuos defen-
dere conantur errores. Gaudeo tamen quòd eum nuntiaſtis apertè jam confite-
ri, quia Theodorum Mopſveſtenum Epiſcopum in Eccleſiæ pace defunctum, ejuſ- E

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

a MUTIANUM SCHOLASTICUM. Non abs re, ut opinior, Baronius Mutianum hunc illum eſſe putat, qui Chryſoſtomi Homilias in epiſtolam ad Hebræos, & ad Philemonem Latinas fecit. Congruunt enim præter nomen ætas & profeſſio. Hic ergo cùm Africanos antiſtites, propterea quod ſe à Vigilio, & ab Eccleſia trium capitulorum cauſa poſt illius judicatum ſegregarant, meritò redargueret. Facundus tum exul hoc ei libello reſpondit. In quo nihil mirũ ſi concitatior in Mutianũ videatur, qui Vigilio ipſi Papę non parcat.

b FAUSTUS GALLUS. Epiſcopus Rejenſis. quem Avitus Viennenſis ad Burgundionum regem ſcribens, Fauſtique ipſius ad Paulinum epiſtolam refellens, ortu Britannum, habitaculo Rejenſem fuiſſe ait. Ac Britannum protſus fuiſſe innuit etiam Sidonius lib. ix. epiſt. ix. quod de Britannis Gallis ſupra Ligerim, ut Sidonius alibi loquitur, ſitis accipiendum eſt. Ideo Facundus Gallum vocat.

A que doctrinam, cujus laudes in concilio Cachedonenſi recitatæ ſunt nemine refra-
gante, ſed & epiſtolam Ibæ antiſtitis Edeſſeni, quæ ibi eſt orthodoxa judicata,
& Theodoreti Epiſcopi Cyrri ſcripta, qui aſſertor illic inventus eſt epiſtolæ dog-
maticæ Papæ Leonis, in ipſius Concilii Calchedonenſis præjudicium damnaverint
impugnatores Eccleſiæ. Nam ſanctus frater *c* Abba Felix, inter alia mala quam-
plurima quæ nobis de illo ſcripſit, etiam hoc retulit, quòd amicus factus fuerit
Theodoro Cappadoci, & eum ſæpius præſentaverit Imperatori, quia capitula ei
quædam ſubminiſtravit pro damnandis poſt mortem in Eccleſiæ pace defunctis. Sed
& Carthagine ſimiliter, ut advertimus, adſtruebat quòd prædictus Mopſveſtenus
Theodorus juſte ac regulariter poſt mortem fuerit condemnatus. Nunc ergo,
quoniam indicaſtis eum culpare quæ priùs velut recta & inculpabilia defendebat,
ſed hoc tamen aſſerere, quòd ipſorum impugnatorum Eccleſiæ communio ſit fe-
renda, atque ad confirmationem ipſius aſſertionis beati Auguſtini verbis contra
B Donatiſtas prolatis abuti; coegit me, ut voluiſtis, non conſideratis viribus valetudi-
nis meæ, & quomodocumque ineptis ejus aſſertionibus reſpondere. Nam &
codices ad neceſſaria teſtimonia requirenda, tamquam fugato & in latebris con-
ſtituto, mihi nunc deſunt, *d* quia ipſe unus eſt, cui nullus placeat. Si autem vi-
detur quia nos Donatiſtis ſimiles ſumus, cur ipſe non erubeſcit Tychonio ſimilis
inveniri, quem fatuitatis beatus arguit Auguſtinus, quòd reprehendens de ſuo ſchiſ-
mate Donatiſtas, eis communicaret? An aliud iſte nunc facit, qui Africam ſchiſma
feciſſe, atque ab Eccleſia ſegregatam eſſe confirmat, & ei communicat? cumque
ſibi ſolus videtur ſapiens, factus eſt unus ex illis, de quibus dicit Apoſtolus, *Eva-* Rom. 1.
nuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt cor eorum. dicentes enim ſe eſſe ſapientes, 21.
ſtulti facti ſunt. Cur autem ſolis Donatiſtis, qui à ſchiſmate proſiluerunt in hæreſim,
ut poſtea etiam de baptiſmate & divina Trinitate malè ſentirent, & non omnibus hæ-
C reticis, vel ab ipſo beato Auguſtino, vel ab aliis Eccleſiæ doctoribus exprobratur,
quòd malos in Eccleſia ferre noluerint: niſi quia Donatiſtæ, nullis intercedenti-
bus decretis, quibus oppugnata dicant antiqua de fide decreta, ſeſe ab Eccleſia di-
viſerunt: alii verò, qui decretorum interceſſione ſunt ſeparati, non de impatientia
diſceſſionis, ſed de ſolo ſuo dogmate culpantur, quia juſtam & neceſſariam haberent
cauſam diſcedendi, niſi ipſi in dogmate fallerentur? Scripſit beatus Gelaſius Ro-
manus Epiſcopus adverſus Acephalus magnum opus, nec eos vel ipſe, vel alius quiſ-
quam culpavit de impatientia, dicens quia vel ſi prava eſſent Calchedonenſis
Concilii definita, communionem malorum ferre debuerant, nec ſe ab Eccleſia ſe-
gregare: ſed de hoc ſolo culpantur, quòd ſanam doctrinam recipere noluerunt. Cur
quæſo, niſi quod iſti decretis intervenientibus, non ſicut Donatiſtæ ob alias ſunt cau-
ſas ab Eccleſia ſeparati? Non ergo ulterius abutatur in ſuam aliorumque perniciem
novus hic doctor aſſertionibus & exemplis quibus Danatiſtæ repulſi ſunt: ſed atten-
D dat potiùs, qui ſecundum prophetæ dictum, *noluit intelligere, ut bene ageret*; aliam Pſal. 35.
eſſe Donatiſtarum cauſam, & aliam quæ nunc agitur, in qua tot patrum noſtro- 4.
rum ſectamur exempla. Nam & cùm Acacius Conſtantinopolitanus Epiſcopus ali-
quid adverſus auctoritatem ſynodi Calchedonenſis auderet, non equidem, ſicut
nunc factum eſt, decreto cum anathemate conſtituto, ſed ſola inimicis ipſius ſynodi
communione permiſſa: prævidens Apoſtolica ſedes, quòd ſicut exitus docuit hæc re-
miſſio ad deſtructionem Concilii memorati pertenderet, (poſtea quippe Zeno Im-
perator, qui eis communionem præberi mandaverat, à minoribus ad majora proſi-
liens, ipſum Concilium promulgato ſprevit edicto) eumdem Acacium, quamvis præ-
dicto Zenone reſiſtente, damnavit. Qui mortuus quoque per libellos ordinandu-
rum Epiſcoporum nunc uſque damnatus eſt. At poſtquam contigit, ut in libellis
ſuis Epiſcopi ordinandi Theodorum Mopſveſtenum cum ſuis dogmatibus, & epiſto-
lam Ibæ, & Theodoreti ſcripta damnarent, memoratus Acacius, & alii Concilii
E Calchedonenſis adverſarii, damnationi ſubtracti ſunt. Quia igitur ſupradictus Zeno,
ſedis Apoſtolicæ decreta contemnens, prædicto Acacio communicabat, & omnes

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

c ABBA FELIX. Afer Gillitani, ſive Gillenſis in Africa monaſterii hegumenus. Hunc ut incentorem pravitatis Ruſtici diaconi Vigilius cum Ruſtico ipſo damnavit. Cùm eodem poſtea, quòd Quintæ Synodo ſcriptis ſuis obtrectarent, in exilium ejectus eſt à Iuſtiniano ibique mortuus. Victor Tononenſis. *P. C. Baſilii V. C. anno* XVII. *Felix hegumenus monaſterii Gillitani in exilio apud Sinopem de hac vita migravit ad Dominum.*

d QVIA IPSE VNVS EST. Mutilum hoc loco librum videri, & verba iſta declarant cum ſuperioribus non cohærentia, & alia quæ poſt tres pagellas de Hilario, & ceteris, velut antè dicta, commemorat.

Eccleſias in ſui regni finibus conſtitutas idem facere compellebat, Anaſtaſio dein- A
de in imperium, & in præſumptionem ſimilem ſuccedente, omnis Oriens, præter
admodum paucos, qui in illa multitudine occulti latebant, à communione ſedis
Apoſtolicæ per XL. ferme annos uſque ad tempora Juſtini permanſit. Et cùm qui-
dam per illud tempus ejuſdem partis Epiſcopi communionem ſedis Apoſtolicæ ſibi
ac ſuis Eccleſiis poſtularent, non impetraverunt, donec principis Juſtini tempori-
bus Acacii damnationi ſubſcriberent. Nec tamen quiſquam eorum dixit, Nos zi-
zania non ſumus, ſed zizania toleramus, ne ſimul eradicemus & triticum. Cur au-
tem & hoc Apoſtolicæ ſedi non dicerent, ſi & talibus cauſis ſimilitudo iſta con-
grueret? Immo nos rectè facimus, nos in mandatis Evangelii permanemus, qui zi-
zania toleramus, quàm vos qui pro zizaniis ſimul eradicaſtis & triticum, aut diſ-
ceſſiſtis à tritico. Quid igitur hic dicemus, religioſi filii? Numquid per tot an-
norum ſpatia non eſt inventus quiſquam in Romanis ſacerdotibus, à [a] Felice Aca- B
cii damnatore uſque ad Hormiſdam qui Orientis reconciliavit Eccleſias, inter quos
fuerat etiam B. Gelaſius in ſanctitate vitæ atque ſcientia per univerſum mun-
dum celebrioris famæ gloria prædicatus, non eſt inventus vel in Romano clero,
Chriſtiana plebe inibi conſiſtente, vel in cunctis occidentalibus Eccleſiis, qui vel
tantum eſſet pro Eccleſiarum unitate ſollicitus, quantum magiſter hic novus no-
viſſimis temporibus deſtinatus; ut nemo cognoſceret & doceret quòd in eadem
quoque cauſa malorum communio toleranda foret, ne cum zizaniis eradicaretur
& triticum? Si fas eſt credere, quòd ſcientia & diſciplina ſervandæ unitatis à bea-
to cœpit Auguſtino, cujus adverſus Donatiſtas convenientia ſcripta incunvenien-
ter iſte cauſæ præſenti nunc adhibet. Et ideo præclarus Eccleſiarum doctor Hila-
rius, & ceteri antiquiores cum eo patres, quorum ſuprà meminimus, non obſer-
vaverunt quæ ad cuſtodiam pertinent unitatis, ut priùs quàm aliquid contra Ni- C
cænum Concilium ſtatueretur, ab eorum qui hæc moliebantur ſeſe communione
ſubtraherent. Quamvis ut diximus ipſi Donatiſtas antè damnaverint; tamen num-
quid & Apoſtolica ſedes, cùm poſtea pro violatis Calchedonenſis Concilii decre-
tis, reſiſtente Zenone damnaret Acacium, hæc atque hujuſmodi ſcripta beati Au-
guſtini non legerat; tametſi putetur minus per ſemetipſam intelligere potuiſſe
quæ ad obſervantiam pertineant unitatis, ut Acacium damnaret, quem ſine mul-
to tritico Imperator expelli non ſineret? Sed nec Romana Eccleſia reconciliare
debuit Orientis Eccleſias, & eas in communionem ſub debita ſatisfactione re-
cipere: ſed Eccleſiæ potius Orientis, quæ zizania toleraverant, Romanam
Eccleſiam reconciliare debuerunt à tritico ſeparatam. An propterea factum
non eſt, quòd iſte adhuc per Eccleſiam catholicam, ſicut nunc docere non
poſſet? aut potius quod necdum ad Eccleſiam catholicam deveniſſet, qui hanc per- D
verſam atque confuſam ei vult inferre doctrinam, & utinam non Auguſtini nomi-
ne coloratam? Nam vult Apoſtolicam ſedem, quæ tunc aliis culpam dimiſit, ipſam
potiùs cum ceteris, qui ejus in Acacio ſententiam ſervaverunt, veluti pro facto
ſchiſmate fuiſſe culpabilem: & more ſuo nemini parcens, illos quoque orientales,
quibus petentibus dimiſſa eſt, videri vult ad ſchiſmaticos occidentales fuiſſe con-
verſos, quos ipſi ad ſe convertere debuerunt. Et hæc quidem nobis ad iſtius con-
victionem ſufficerent, ſi adverſarii, quos & ipſe culpat non inferentes anathema
Calchedonenſi concilio, neque in nos omnes, ſed aliquid adverſus ejus auctorita-
tem gerentes ipſi potius à nobis ſub anathemate damnarentur. Nunc autem, illis im-
piè gerentibus, & nos ac patres noſtros anathematizantibus, ſeſeque per hoc ana-
thema ſegregantibus ab univerſa Chriſti Eccleſia, nos qui Deo regente in paterna
ſententia & communione perſtamus, nos inquam in Eccleſia conſtituti, cui dede-
runt anathema, ſtatuimus ſecundum Chriſtianæ religionis obſervantiam non com- E
municare ab Eccleſia ſegregatis. Non igitur vel hoc iſti conceſſerim, id nos fe-
ciſſe quod cum ſuis collegis Hilarius fecit, qui nullo adhuc in prejudicium Nicæ-

Apoſtolicæ remotus per XL.

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

[a] FELICE ACACII DAMNATORE. Poſt epiſtolam Felicis III. Papæ ad Acacium de ipſius damnatione datum Venantio Conſule, ſequitur in codice ſanctæ Mariæ Virdunenſis Edictum ejuſdem perbreve, nondum hactenus vulgatum, in hæc verba.

Edictum ſententiæ Felicis Papæ directum propter Acacii Epiſcopi Conſtantinopolitani damnationem.

„ Acacius, qui ſecundo à nobis admonitus ſta-
„ tutorum ſalubrium non deſtitit eſſe contem-
ni

A ni Concilii procedente decreto, cum prima contrariorum molimina præſumpſiſſent, properaverunt ab eorum ſe communione dividere. Non iſti conceſſerim, quòd Africana Eccleſia ſe ab impugnatoribus Calchedonenſis Concilii ſegregaverit: ſed potiùs quòd jam ſegregatis communicare vitaverit. Unde acceptabilius poteſt quiſquam diligentior, & in zelo Dei ferventior, exemplo Hilarii nos de tarditate culpare, quàm de ſchiſmate vel de feſtinatione Mocianus arguere. Quis porrò, niſi vecors ac ſibi ſapiens, & ſicut dicit Apoſtolus, *fruſtra inflatus ſenſu carnis ſuæ*, contra totius Eccleſiæ judicium, non reſpiciens vel exitum rerum qui conſecutus eſt, reprehendere audeat Hilarium prudentem ac moderatum gubernatorem Eccleſiæ: qui neque ipſis Galliarum Epiſcopis, quòd eus in tanta cauſa tacuiſſe crederet, nec adverſariis reſtitiſſe, litteris ſaltem communicare pertulerit? aut quis illum non audens reprehendere, Africanam le- [Coloſſ. 2. 18.]

B vitatis vel impatientiæ reprehendat Eccleſiam; quæ non niſi aperto jam promulgatoque decreto anathematizatum videns Calchedonenſe Concilium, & omnes qui ejus ſententiam tenent, damnatoribus patrum ſuorum ac ſuis communicare vitavit, non quaſi Auguſtini adverſus Donatiſtas doctrinæ contraria, ſed Hilarii contra impugnatores univerſalis ſynodi obſervantiam conſecuta? Ut autem noveritis, quomodo in adjutorio Dei qui nos regit ac dirigit Auguſtinum concorditer Hilariumque ſectemur, nec eos ſibi velut contrarios opponamus, ut altero approbato improbemus alterum, ſed pro cauſarum diverſitate utrumque ſectemur, „accipite quæ *f* in judicio ipſius Vigilii inter alia fuerim proſecutus, ſicut editæ nobis ab officio tertiæ actionis geſta declarant. Peto, inquam, de juſtitia veſtra, utrum ſuſcepta ſit à ſynodo Calchedonenſi epiſtola Ibæ, quæ velut Neſtoriana damnata eſt, inquiratis: & dum conſtiterit non obeſſe ſynodo quod pars adverſa de Theodori perſona proponit, ſic ea quæ proferre volunt relegi permittatis: ne fortè quæ aguntur ad retractationem videantur me-

C moratæ ſynodi pertinere. Ego enim fateor ſimpliciter beatitudini veſtræ, non pro Theodori Mopſveſteni damnatione me à contradicentium communione ſubtraxiſſe. Hoc enim vel ſi approbandum non ſit, ferendum tamen exiſtimo, nec tantam eſſe cauſam judico, pro qua deberemus à communione multitudinis ſegregari. Sed quia ex perſona Theodori epiſtolam Ibæ Neſtorianam probare conati ſunt, & ex epiſtola Ibæ ſynodum, à qua ſuſcepta eſt, improbare. In his itaque verbis meis cognoſcitis in primis pro ſtatu generalis ſynodi me fuiſſe ſollicitum, ne quod Acephali ſemper quæſierunt in retractationem deducta frangeretur ejus auctoritas. Deinde videte, quòd non ab iſto nunc diſcimus, quia pro Eccleſiæ unitate ferendi ſunt mali, ſicut docuit Auguſtinus. Nam cùm dixi, Ego enim fateor ſimpliciter beatitudini veſtræ, non pro Theodori Mopſveſteni damnatione me à communione contradicentium ſubtraxiſſe. hoc enim vel ſi approbandum non ſit, ferendum tamen exiſtimo, nec tantam eſſe cauſam judi-

D co, pro qua deberemus à communione multitudinis ſegregari, doctrinæ Auguſtini memorem me fuiſſe monſtravi. Sed quoniam & Hilario ejuſque collegis contrarius eſſe non debui, qui cùm proculdubio multos & ipſi malos in Eccleſiis ſufferrent, ſchiſmaticoſque damnarent, non tamen ferendos judicaverunt eſſe illos Eccleſiarum præpoſitos, qui ſuis decretis auctoritatem generalium ſynodorum, per quas munitur Eccleſia, conarentur infringere: propterea ſecutus adjeci, dicens ideo me iſtorum vitaſſe communionem, quia ex perſona Theodori epiſtolam Ibæ, in qua ejus doctrina laudata eſt, Neſtorianam probare conati ſunt, & ex epiſtola Ibæ ſynodum à qua ſuſcepta eſt improbare. Nam quæ alia cauſa fuiſſe dicenda eſt, ut poſt centum & viginti ſuæ defunctionis annos dam-

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

E „ptor, meque in meis credidit carcerizandum, hunc „Deus cœlitus prolata ſententia de ſacerdotio „fecit extorrem. Ergo ſi quis Epiſcopus, clericus, „monachus, laicus, poſt hanc denuntiationem ei„dem communicaverit, anathema ſit ſpiritu ſan„cto exequente.

f IN IUDICIO IPSIUS VIGILII. Hæc illa eſt Vigilii apud Conſtantinopolim Synodus, cujus facta eſt mentio in Præfatione Librorum XII. *Adductus eſt*, inquit, *Romanus Epiſcopus, in cujus examine cùm geſtis ſuper hac cauſa diſceptaremus, mediante conflictu interrumpi acta præcepit, & ab univerſis Epiſcopis qui aderamus expetiit, ut ſcripto quiſque reſponderet quod ei de his capitulis videretur.* Hujus acta, præter hæc quæ à Facundo recitantur, interiere: niſi quòd ex ea natum conſtat Iudicatum Vigilii ad Mennam Archiepiſcopum, in quo Tria capitula ſub aliqua diſpenſatione, ſalva Synodi Calchedonenſis reverentia condemnabat, ut docet epiſtola cleri Romani ad legatarios Francorum Tomo I. Conciliorum Galliæ.

naretur cum dogmatibus ſuis Epiſcopus in Eccleſiæ pace defunctus, vel epiſtola A
cujus auctor incertus dicitur? Non enim vel hoc fatentur quòd Ibæ ſit, ſed quòd
ejus eſſe dicatur. Aut cur tantorum in hoc Epiſcoporum ſubſcriptio quæreretur,
niſi quia non paucorum, ſed multitudinis conſenſus præjudicare poſſet univerſo
„ Concilio? Et quoniam Judex hoc ſe neſcire fingebat, petivi ſimul ac dixi: Hoc
„ ergo primùm me demonſtrare præcipite, ut doceam falsè negari quòd à ſancta
„ ſynodo Calchedonenſi recepta fuerit, & omnia contradicentium figmenta redar-
„ guam, quibus eam in deſtructionem ſynodi Calchedonenſis velut impiam dam-
„ naverunt. Sed quoniam occulta ejus ante judicium pollicitatio tenebatur, in
qua ſe ſpopondit eadem capitula damnaturum, ut ſe quaſi per ignorantiam poſ-
ſet abluere, probationem quam offerebam, quamque ipſe inſtanter exigere de-
buit, me facere non permiſit. Sed geſtis de medio ſublatis, quibus cauſa cœpe-
rat aperiri, & interrupto ſuo judicio, à conſidentibus Epiſcopis flagitavit, ut
quid eis de cauſa videretur prolata quiſque in ſcriptis reſponſione ſignaret. Et B
quia illi Epiſcopi maxime Conſtantinopolim occurrerant in ejus adventum, quo-
rum nulla in hac cauſa ſubſcriptio tenebatur, & de ſua fuerant integritate ſe-
curi, per occaſionem hujus interrogationis ipſi quoque ſeparatim compulſi ſunt
ab adverſariis Eccleſiæ quomodo dictaverunt in præjudicium magni Concilii reſ-
pondere. Ac ne poſtea ſubtraherent, & quæ ſcripto reſponderant judicio non
offerrent, jam ſub proſecutione ipſorum atque cuſtodia palàm ad illum deduce-
bantur tradere ſua profana & deteſtanda reſponſa. Oculis nos hæc vidimus
Acephalos coram ipſo judice alacres & exultantes aſpeximus, cùm Epiſcopos ad
eum adducerent eadem reſponſa portantes. Et quando hæc ſic inhæreant cor-
dibus audientium, aut ſic ea deteſtari ac lugere poſſitis, ſicut nos, in quorum
animis ipſorum malorum adhuc imago verſatur? Suſcipiens verò ille memoratas
reſponſiones, poſt aliquot dies ad palatium detulit, atque alteri tradidit parti, C
in præjudicium ſynodi Calchedonenſis cum aliorum chirographis qui antea ſub-
ſcripſerant reſervandas. Verùm ne ſuis traditor videretur, talibus verbis eos
fefellit, ut diceret, Quid apud nos reſervamus iſta contraria ſynodo Calche-
donenſi reſponſa, ut inventa quandoque in Eccleſiæ Romanæ ſcrinio à no-
bis approbata credantur? Sed adferamus illa in palatium, & de illis agant.
ipſi jam noverint. Quaſi ea ſcindere, vel urere ipſe non poſſet, aut per
ſuam evacuare ſententiam, aut ipſis à quibus fuerant data refundere: quæ
nec ſuſcipere ab eis, nec extorquere debuerat, ſi verè præjudicium genera-
lis ſynodi præcavebat. Atque iſta ſolita fictione, fingens ejus præjudicium ſe
cavere, hoc pro voluntate contrariorum fecit, quod ei ſi diſſimulemus, præ-
judicet. Quomodo enim non præjudicet, ſi demonſtrentur LXX. circiter Epiſ-
copi cum Romano Antiſtite Conſtantinopolim congregati, ut illos omittam
qui antè ſubſcripſerant, condemnaſſe cum approbatoribus ſuis epiſtolam à Cal- D
chedonenſi Concilio approbatam? & illum Epiſcopum, cujus doctrinæ laudes
in memorato Calchedonenſi concilio recitatæ ſunt nemine reſiſtente, cum ſuis
dogmatibus anathematizaſſe poſt mortem, ſcientibus ceteris, & in eorum com-
munione manentibus? Ob hoc ergo neceſſarium fuit non modò ab eorum nos
communione ſubtrahere: verùm etiam, quia potiorem videbantur in Eccleſia
tenere locum, qui primi huic præjudicio Imperatore jubente ceſſerunt, ne ipſo-
rum magis tenenda ſententia videretur, commemorare, quod alibi fecimus, quo-
modo ſive Mennas Conſtantinopolitanus, ſive Zoilus Alexandrinus, ſive Antio-
chenus Ephræmius, & Petrus Hieroſolymitanus, antequam vel conſentirent vel
cederent, teſtati ſunt fieri non debere. Ob hoc etiam de ipſius Epiſcopi Ro-
mani chirographis, vel prius ambitionis impulſu, cùm fieri arderet Epiſco-
pus, vel poſtea venalitate parti alteri factis, neceſſarium duximus non tacere,
ne auctoritate nominis ejus præjudicium fides vera ſufferret. Quòd ſi hoc non E
fuiſſet, neque ipſe prius univerſam anathematizaſſet Eccleſiam, ſervare nos in
illo oportuit ſententiam ſuam, ſequi quod nobis præbuit priſcæ integritatis exem-
plum. Nam priuſquam hoc & ipſe committeret, ſcribens de itinere Conſtanti-
nopolitano Epiſcopo, qui præjudicio magnæ ſynodi primus aſſenſit, ſed quem
„ litteris ſuis præveniens ait: Quapropter credidimus Indicandum, quòd dominus
„ filius noſter clementiſſimus Imperator per Leonem illuſtrem virum nos ſereniſſi-
„ mis hortatur affatibus, ut pacem, quam Chriſtus dominus Deus & ſalvator no-
„ ſter ſupra omnia holocauſta diligit, vobiſcum & cum univerſis fratribus & coepiſ-
„ copis noſtris, & cuſtodiente ſtabili firmitate ſervemus. Quam piiſſimi principis

A adhortationem libenter amplectimur. Sed ſi pacis bonum, ſicut locum ſacerdo-
tii tui convenit, ſapienter attendas, & advertere & prædicare te neceſſe eſt quæ
pax in Dei Eccleſia ſit tenenda, cùm Apoſtolus qui dominum noſtrum ſpiri-
tum in ſe loqui perhibuit ait, *Pax Chriſti, quæ exſuperat omnem ſenſum, cuſtodiat cor-* Philip.
da veſtra & intelligentias veſtras. Ipſe autem Chriſtus Deus noſter volens perfe- 4. 7.
ctæ pacis indicia demonſtrare dicit, *Pacem meam relinquo vobis, pacem meam do* Ioan. 14. 27.
vobis. non quomodo mundus dat, ego do vobis. Qualem enim mundus dare poſſit, Hier. 6.
ipſe nos inſtruit per prophetam qui ait, *Dicentes pax, pax cùm non eſſet pax.* Et 14.
illud ſimili ratione penſemus, quia in Apoſtolorum actibus de perfecta pace ſic Act. 4. 32.
eſt de credentibus in Domino declaratum, quod erat in illis cor unum & anima
una. Multa ergo ſunt, quæ de terrena & cœleſti pace diſcernenda invenia-
mus ſcripta. Quæ quia vos non credimus ignorare, ſufficiat excerpſiſſe pauca
B de plurimis: ut magis tuæ fraternitatis poſſit æſtimare judicium, quæ pax po-
tiùs à ſacerdotibus ſit tenenda. Nonne perſpicuum eſt & evidenter apparet ex
his quæ memoravimus, quòd & ipſi contrarii, qui à nobis in multis diſſen-
tiunt, in hoc tamen conſentiant, quòd in talibus cauſis prævaricatorum ſit
vitanda communio? & quod illa pax à Dei ſacerdotibus in Eccleſia ſit tenen-
da, quæ ſtatum ipſius non ſubvertat Eccleſiæ? ſubvertitur autem, ſi ejus de fi-
de generalia conſtituta decretis aliorum ſacerdotum qualibet occaſione frangan-
tur. Propter quod & illos, qui talibus communicaverant, veniens in regiam
civitatem *g* à communione ſuſpendit. Qui ſic rurſus in memoratis ſuis literis
dicit: Quando nobis non ſit incognitum, quia diaconus Stephanus tunc reſpon-
ſalis noſtræ, cui per Dei gratiam præſidemus, Eccleſiæ, cum plurimis Chriſtia-
nis quandiu vixit à tua ſe communione ſuſpenderit, & in Sicilienſi inſula conſti-
tuti, fratre & coepiſcopo noſtro Datio referente didicimus, quòd & ipſe & alii
conſacerdotes noſtri, & multi filii Eccleſiæ Chriſtiani, à tua ſe nihilominus com-
C munione ſubtraxerint: & dum cauſas exorti quæreremus ſcandali, antedictus fra-
ter & coepiſcopus noſter reſpondit, hoc fraternitatis tuæ feciſſe perſonam, quod à
nullo deceſſorum tuorum deceſſorumque noſtrorum temporibus qualibet fuiſſet ratio-
ſolus hic judex, ejuſque diaconus, ſed & Datius Mediolanenſis Epiſcopus, cum
ne commiſſum. Cernis quòd non aliis ſacerdotibus, talium prævaricatorum com-
munionem ferendam eſſe non duxerit? Quid igitur adhuc nobis de hoc quæſtio com-
movetur, unde nec inter contradicentes invicem ulla eſt contradictio, nec inter diſſen-
tientes in multis habetur ulla diſſenſio? Nam Judex aſſerit, quòd invitus illud *h* pro-
tulerit judicatum. Nos contrà reſpondemus, quòd ultro per ambitionem pollicita-
tione facta peccaverit, nec ulla ſuſtinuerit tormenta, quibus ceſſiſſe credatur. Cum-
que hoc invitum ſe feciſſe aſſerat, rurſus ibidem dicit, quòd ignorans fecerit.
Nos verò probamus, non eum potuiſſe ignorantem facere, quod invitum ſe aſ-
D ſerit admiſiſſe. Poſt hæc etiam videri vult nihil in præjudicium Calchedonenſis
egiſſe concilii. Cui nos ſuas excuſationes opponimus: quia niſi hoc egiſſet,
quod præjudicaret, nequaquam ſe vel de principum violentia, vel de ſua igno-
rantia purgare atque abſolvere niteretur. Cùm igitur multa inter nos de his at-
que aliis inveniatur eſſe diſſenſio, inde tamen convenit inter partes, & apud om-
nes ſine ulla controverſia conſtat, quòd in talibus cauſis prævaricatorum ſit

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

g A COMMVNIONE SVSPENDIT. Mennam in primis, qui Trium capitulorum damnationi primus conſenſerat, quatuor menſium excommunicatione multavit, ut dictum eſt ad librum IV. Theophanes in Chronico: ὡς ἐν ἀκοινωνησίᾳ τεσσάρων μηνῶν δοῦναι Μηνᾶ τῷ Κωνσταντινουπόλεως ἐπισκόπῳ ὡς ἐπτήμων.
E Quem tamen poſtea Theodoræ rogatu, ut Theophanes idem refert, in communionem recepit die XXIX. Junii.

h PROTVLERIT JVDICATVM. De quo proximè jam dictum eſt. Clerici Romani ad Francorum legatos Conſtitutum appellant. Hoc enim eſt, quod ab Imperatore poſtea recepiſſe Vigilium narrant. *Præſtitit*, inquiunt, *Deus, ut hac ratione ſanctus Papa Vigilius Conſtitutum, quod in ipſa cauſa fecerat publicè in conventu reciperet, denuntians quia ſi quis Græcorum Epiſcoporum uſque ad univerſalis Concilii tractatum de iſtis Capitulis aliquid feciſſet, aut facientibus acquieviſſet, à communione ſedis Apoſtolicæ alienus exiſteret.* De hoc etiam agens Vigilius ipſe in epiſtola ad Ruſticum & Sebaſtianum, nunc Iudicatum, nunc Conſtitutum vocat: prolatumque oſtendit die Sabbato ſancto, miſſumque ad Menam Conſtantinopolitanum. Sed longè diverſum ab hoc Iudicato aliud fuit Conſtitutum, quod Vigilius de eadem re aliquot poſt annos, cùm Synodus V. inchoaretur, edidit ad Iuſtinianum pridie Idus Maias P. C. Baſilii XII.

communio vitanda. Denique nec Surcius præcipuom decus partis ipſorum, & A
quem eſſe niſi cum talibus non deceret, huic ſententiæ contradicit. immo verò
& aliquid ampliùs ipſe dicit. Nam ſcribens beato *i* ſeni Beotho, priuſquam
navigaret, quæ damnaverat reſumpturus, anathema, quod Africana Con-
„ cilia non fecerunt, in eos protulit dicens, Anathematizo Eutychem cum om-
„ nibus ſectatoribus ejus adjutoribuſque ipſius, quicumque conantur tomum
„ ſancti Concilii Calchedonenſis in aliquo infringere. & quincumque epiſtolam
„ Ibæ, quam illud ſanctum Concilium Calchedonenſe ſuſcepit, anathemat, a-
„ nathema mihi eſt. Proinde ſi Mociano diſplicet in ſimili Nicæni Concilii
cauſa obſervantia Hilarii, & aliorum collegarum ejus, per quos orthodo-
xa fides in illa tempeſtate ſervata eſt, atque ad nos intaminata pervenit: ſi diſ-
plicet etiam ſollicitudo & cautela ſancti atque doctiſſimi orthodoxi viri Hierony-
mi, ſi diſplicet in Calchedonenſis quoque Concilii cauſa dudum nobis præbitum B
in Acacio à tantis præſulibus Apoſtolicæ ſedis exemplum, univerſalis Eccle-
ſiæ conſenſione firmatum: ſi diſplicet quod in præſenti quoque ipſius Concilii
oppugnatione ſtatuerunt Africana Concilia: ſi diſplicet quod aliarum quoque
provinciarum Epiſcopi faciendum eſſe viderunt, ſicut Illyrici atque Dalmatiæ.
placeat vel quod ipſe Vigilius, vel quod ipſe Surcius ſenſit, quòd in hujuſmo-
di cauſis communio talium prævaricatorum vitanda ſit. Idcirco beatus quoque
Stephanus præſul Apoſtolicæ ſedis, cùm ſanctum Cyprianum, atque alios Afros
Epiſcopos, de baptizandis omnibus hæreticis decreviſſe cognoſceret, quamvis, ut
dictum eſt, nullo interpoſito anathemate, neque adverſus ulla Concilii genera-
lis antiquiora decreta, aut conniventes hæreticis talem ſententiam protuliſſent;
continuò tamen ei denuntiavit, quòd ſi qui hoc auderent, ab Eccleſia pelleren-
tur. & Stephani potiùs quàm Cypriani ſententiam tenet Eccleſia, non ſolùm de C
non rebaptizandis hæreticis, verùm etiam de rebaptizantibus non ferendis. Sed
vir prudentiſſimus Auguſtinus, ad arguendos de ſuo ſchiſmate Donatiſtas, qui au-
ctoritate beati Cypriani ſacrilegium quo baptiſma iterant conantur defendere, ſuf-
ficere credidit ejus exemplum. quia cùm aliter quam plures aliarum provinciarum
Epiſcopi de baptiſmo ſaperet, non tamen ſe quemadmodum ipſi Donatiſtæ ab Ec-
cleſia ſegregavit. Segregaret autem, ſi inter ſe ac diſſentientes anathema defi-
niſſet. Hoc igitur exemplum beati Cypriani hujus aſſertionem nihil adjuvat, ut
videtis, ſed quomodo nos potius adjuvet, videre debetis. Dicimus ergo, quo-
niam ſicut quamvis rebaptizantes Donatiſtas damnemus ab Eccleſia ſeparatos;
non tamen damnamus Cyprianum & ſocios ejus, qui nullius anathematis inter-
poſitione ab Eccleſia ſe diviſerunt, cùm de baptiſmate definirent, quod nunc vide-
tur occaſionem Donatiſtarum errori dediſſe. Ita quamvis damnemus Neſtorianos D
ab Eccleſia ſeparatos, non tamen damnamus Mopſveſtenum Theodorum, qui nullius
anathematis interpoſitione ab Eccleſia diviſit, vel ſi aliquid ſcripſit, quod fortè
nunc videtur occaſionem Neſtorianorum errori dediſſe. Et ſicut nobis ſufficit ſen-
tentias de baptiſmo Cypriani & ſociorum ejus reſpuere, nec ſub anathemate con-
demnare. ita ſi quid fortè minus intelligens Theodorus malè ſcripſit, ſufficit no-
bis reſpuere, nec ſub anathemate condemnare. Quoniam hanc reverentiam ſem-
per Eccleſia detulit in gremio pacis ſuæ atque honore defunctis, ut non ſolùm
eos qui fortè in talibus quæſtionibus per ignorantiam humanæ infirmitatis erraſ-
ſent, verum nec ipſa eorum dicta, ſicut hæreticorum, ſub anathemate condem-
naret. Hæreticum enim non humanæ infirmitatis ignorantia, ſed pervicacia
„ facit. Unde B. Auguſtinus in libro de catechizandis rudibus: Quamquam inquit
„ & illi, qui catholici ex hac vita migrarunt, & aliquid literarum Chriſtianarum
„ poſteris reliquerunt, in quibuſdam locis opuſculorum ſuorum, vel non intelle- E
„ cti, vel ſicuti eſt humana infirmitas, minùs valentes acie mentis abditiora pene-
„ trare, & veri ſimilitudine à veritate aberrantes, præſumptoribus & audacibus fue-
„ runt occaſioni ad aliquam hæreſim moliendam atque gignendam. Catholicos ita-
que dicit ex hac vita migraſſe catholicus Auguſtinus, qui in Eccleſia conſtituti per

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

i SENI BOETHO. Hoc eſt Primati. Sic enim ab ætatis prærogativa appellari ſolitos in Africa primates provinciarum alibi oſtendimus. Primas autem Boëthus fuit Byzacenæ provinciæ. Victor in Chronico. *P. C. Baſilii. V. C. anno* XII. *Primaſius quoque Acœmetenſi monaſterio relegatur. Sed Boëtio primate Byzaceni Concilii more prævento, ut ei ſuccederet, memoratæ damnationi protinus aſſenſit.*

A humanam infirmitatem minùs valuerunt acie mentis abditiora penetrare, & veri ſimilitudine à veritate aberraverunt: nec vult eos hæreticos dici, quamvis præſumptoribus & audacibus occaſioni fuerunt ad aliquam hæreſim moliendam atque gignendam. Et ideo beatum Cyprianum, ejuſque collegas, qui per humanam infirmitatem in quæſtione baptiſmatis erraverunt, vel Theodorum Mopſveſtenum, ſi à veritate in aliquo fortè aberraſſe monſtretur, & de hac vita in ipſo poſitus errore migraſſe, hæreticos non dicimus, quos uſque in finem manſiſſe in Eccleſia catholica non negamus. Fruſtra igitur neſcio qua iſte ad cauſam non pertinentia ſolitè ſibi colligebat exempla, quibus probare nitebatur ſæpe dictum Mopſveſtenum Theodorum juſtè ac regulariter fuiſſe damnatum. Non enim, ſi quiſquam damnandus Epiſcopus, qui moriens hæreticum in ſuis facultatibus teſtamento fecit hæredem, acie mentis ut hoc faceret abditiora penetrare non valuit, aut veri ſimilitudine à veri-
B tate aberravit: ſed manifeſtum facinus non infirmitatis ignorantia, ſed voluntatis pravitate commiſit. Inde eſt quòd Philippo dicenti, *Domine oſtende nobis patrem, & ſufficit nobis*, impune ceſſit tanto tempore Chriſtum non cognoviſſe. (Joan. 14. 8.) Ananiæ verò & Sapphiræ ſubtrahentium de pretio ſui prædii commiſſum paulo ante delictum mortis pœna eſt protinus conſecuta. Aliter itaque judicatur à Domino ſimplex pietatis ignorantia, & aliter duplex conſcientia pravitatis. Et Apoſtolica quidem ſedes per beatum Gelaſium nefas judicat (k) poſt mortem condemnari quempiam in Eccleſiæ pace defunctum, cùm dicit, Quod ſuper noſtræ facultatis eſt modulum, divino judicio relinquamus. Non autem nobis poterunt imputare prævaricationis offenſam, ſi viventibus remittamus, quod Eccleſiæ Deo largiente poſſibile eſt, qui nos etiam mortuis aut veniam aut condemnationem dare poſcunt, quod nobis poſſibile non eſſe manifeſtum eſt. (In Synodo qua abſolutus Miſenus.) quia cùm dictum ſit: *Quæ ligaveritis ſuper terram erunt ligata & in cœlo*, quos non eſſe jam conſtat ſuper terram, non humano ſed ſuo judicio reſervavit. (Matth. 19.)
C Nec audet Eccleſia ſibimet vendicare, quod ipſis beatis Apoſtolis conſpicit non fuiſſe conceſſum. Si enim licet ligari mortuos, licet & ſolvi: & ſi licet mortuis damnationem inferre, licet & veniam dare. Sed ſi fortè cuiquam videtur illam tenere ſententiam, qua damnandi creduntur aliqui in Eccleſiæ pace defuncti, & non magis hanc Apoſtolicæ ſedis, quæ ſoli hoc intelligit divino judicio reſervatum, & conceſſerit, quoniam ſi licet ligari mortuos, licet & ſolvi, & ſi licet mortuis damnationem inferre, licet & veniam dare: conſequens non eſt, ut ei propterea videatur etiam Mopſveſtenus Theodorus eſſe damnandus. Non enim eos impetit illa ſententia, qui ſicut beatus Cyprianus, ejuſque ſocii, per humanam infirmitatem minùs potuerunt acie mentis abditiora penetrare, & veri ſimilitudine à veritate aberraverunt, ſed eos potius, qui probantur ſcientes volenteſque peccaſſe. Inſuper & notum eſt, quòd de hac Theodori cauſa tum fuerit judicatum, cùm Apollinariſtæ progenitores Ace-
D phalorum, cum quibuſdam dictorum ejus capitulis eum quærerent abdicari, & à Ioanne Antiocheno atque orientali Concilio, nec non Cyrillo Alexandrino, & Proclo Conſtantinopolitano repulſi ſunt. Sed nunc in præjudicium magnæ ſynodi Calchedonenſis reſuſcitatur ejus quæſtio ante centum & viginti annos finita, & oblivioni jam tradita. Cui præjudicio quoniam communicare timuerunt beatæ memoriæ Marianus Doracenus, & Baſiliſcus Serdicenſis Epiſcopi, ſed & Lampridius presbyter & abbas Hieroſolymitani monaſterii, Mocianus eos Conſtantinopoli, ut ſe commendaret, in gehennam abiiſſe dicebat. Sed non hac via pergitur in gehennam, quam Hilarius cum ſuis collegis, quam Hieronymus tenuit in cauſa Nicæni Concilii, quam tot Apo-

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

E k POST MORTEM CONDEMNARI. Gelaſii verba ſunt è Synodo Romana, in qua abſolutus eſt Miſenus Epiſcopus. Cujus alia quoque in eandem ſententiam ſimilia extant in aliquot ejus epiſtolis. Idem etiam argumentum, eodem Gelaſii utens teſtimonio, uberius tractat Vigilius in Conſtituto. In quo propterea Theodori Mopſveſteni aliorumve dicta & errores, qui objiciebantur, ita condemnat, ut ipſos tamen auctores in pace defunctos minimè damnandos decernat. Sed quoniam & Conſtitutum Vigilii cùm Judicato confundi, & alia perturbatè in hac tota cauſa referri vulgo ſolent; haud abs re viſum eſt, præcipua rerum capita, tum ea præſertim quæ ad Vigilium ſpectant, quantum ex cleri Romani ad Legatos epiſtola, atque ex Vigilii ipſius encyclica, Conſtituto, & aliis obſervare licuit, ſuis annis ſingula brevi compendio diſtincta ſub oculos hic ponere.

ſtolicæ ſedis antiſtites poſtea ſecuti ſunt, cùm temporibus Zenonis viderent A
Calchedonenſe concilium ſimiliter impugnari. Sed illa gebennæ eſt via, quam
pro voluntate Conſtantii apud Ariminum & Seleuciam Iſauriæ ingreſſa eſt
temporibus Sirmienſis multitudo. quam & iſte ſecutus eſt, qui Wandalis re-
gnantibus Arianus fuit; deinde imperio ſuccedente Romano, cum tempore
verſus eſt ut catholicus videretur. nunc etiam de palatio præjudiciis catholi-
cæ religionis exortis eadem ſequitur, quoniam ſicut videtis actionem illi Con-
ſiliarii præſtiterunt. qua non contentus, adhuc ambire non ceſſat ex aliorum
quoque perditione aliquid ſublimius adipiſci. Sic quippe tempore iſto pro-
ficitur. & ſicubi poteſt, per tales adjutores conſueta nequitia, teſtimoniis incon- B
venientibus undecumque collectis, etiam hoc ſuadet, quod licet Calchedo-
nenſe concilium retractetur. Ubi verò id non poteſt ſuadere, aut nefandum
illud Iudicatum excuſat, aut condemnationem defendit Mopſveſteni Theodo-
ri. aut ſi nihil horum poteſt, ſub nomine pacis & regis ad pollutam com-
munionem vel temporalis utilitatis cupidos, vel indoctos, & improvidos co-
natur inducere. illos invitans promiſſionibus, iſtos veriſimilibus rationibus fal-
lens, qui legunt tantùm vel audiunt quæ ſcripta ſunt, cauſam verò pro qua
ſcripta ſunt non requirunt.

FINIS.

SYNOPSIS CHRONICA ANNORUM VIII.

Præcipua quæque digerens & illuſtrans, quæ in Trium Capitulorum cauſa contigerunt.

ANNO CHRISTI DXLVI. Juſtinianus Imperator Theodori Cæſarienſis Epiſcopi ſuaſu librum edit adverſus Tria capitula, eorumque damnationi Mennam C P. & alios Patriarchas cum Epiſcopis ſuis ſubſcribere cogit. Vigilium etiam eadem ex cauſa Roma evocat.

ANNO CHRISTI DXLVII. Vigilius urbem regiam ingreſſus VIII. Kalendas Februarii, Mennam & alios Capitulorum damnatores à communione ſuſpendit. Mennam poſtea, Theodoræ Auguſt. rogatu, in communionem recipit die XXIX. Junii. Juſtinianus fruſtra vim adhibet, ut à Vigilio damnationem extorqueat.

ANNO CHRISTI DXLVIII. Vigilius pacis ſtudio ad damnanda capitula inflexus conventum habet Epiſcoporum, cui Facundus interfuit, & ſuam unumquemque ſententiam ſcripto proferre jubet. Allatas ad ſe reſponſiones Epiſcoporum mittit in palatium: & Judicatum ipſe ad Mennam ſabbato ſancto profert, in quo Theodorum Mopſveſtenum cum dogmatibus ſuis, ibæque epiſtolam, & ſcripta Theodoreti, ſalva Synodi Calchedonenſis reverentia, damnabat. Afris, Illyriis, Dalmatis, aliiſque in Trium capitulorum defenſione perſtantibus.

ANNO CHRISTI DXLIX. Ruſticus & Sebaſtianus diaconi ſub anni exordium à Vigilio deficiunt, & Judicatum impugnantes, Vigilium per provincias, tamquam Synodi Calchedonenſis prævaricatorem infamant. Qua de re miſſus ab Aureliano Arelatenſi Anaſtaſius litteras Vigilio attulit pridie Idus Julias.

ANNO CHRISTI DL. Vigilius Valentiniano Epiſcopo Scythiæ XV. Kalendas Aprilis, & Aureliano Arelatenſi III. Kalendas Maii reſcribit, docens in Judicato ſuo nihil admiſſum fuiſſe contra Synodum Calchedonenſem. Ruſtico & Sebaſtiano falſi rumoris auctoribus gradus ſui honorem & miniſterium abrogat. Urgente porro Juſtiniano, ut abſolutè ac ſine mentione Synodi capitula damnaret, rem ad Concilium generale deferendam perſuaſit, receptoque interim cum aliorum Epiſcoporum manibus Judicato, quod antè fecerat, omnem deinceps uſque ad Concilium de capitulis quæſtionem annuente principe interdicit.

ANNO CHRISTI DLI. Iuſtinianus inſtigante Theodoro edicta in capitulorum damnationem contra interdictum proponit. Vigilius reclamat, & excommunicationem in eos indicit qui aſſenſum præbuerint. Quam ob rem incenſo ita Iuſtiniano, in baſilicam ſancti Petri in Hormiſda Auguſto menſe confugit. unde illum per vim abducere conatus Prætor populi tumultu repellitur. Accepto tandem per Imperatoris legatos ſacramento redit in domum Placidianam. Sed multis rurſum injuriis affectus, & inſidiis appetitus, noctu iterum ſub Natale Chriſti Calchedonem abiit ad S. Euphemiam.

ANNO CHRISTI DLII. Miſſi à Juſtiniano ad revocandum Vigilium ſenatores ſex V. Kalendas Februarii re infecta redeunt. Miſſus etiam ſeorſim ſemel atque iterum Petrus referendarius; primò cum charta contumeliis in Vigilium referta pridie Kalendas, deinde ut ad reditum excitaret, pridie Nonas. Nonis verò Februarii Vigilius encyclicam de calamitatibus ſuis ſcribit, depoſitioniſque ſententiam in Theodorum, quam ante ſex menſes condiderat, profert in lucem. Edictis poſthæc ſublatis à Juſtiniano, libelliſque fidei & pœnitentiæ oblatis à Menna, Theodoro, & aliis, Calchedone relicta redit Conſtantinopolim.

ANNO CHRISTI DLIII. Profeſſiones aliæ Vigilio die Theophaniorum editæ à Patriarchis, Eutychio qui Mennæ mortuo ſucceſſerat, Apolinario, & Domno. Synodus V. generalis inchoata IV. Nonas Maii. Cui abnuens intereſſe Vigilius, ut ſuam ſcripto ſententiam expromeret, Conſtitutum pridie Idus Maias miſit ad Iuſtinianum, in quo Trium Capitulorum defenſionem reſumit, & de iis quæ à Synodo Calchedonenſi judicata fuerant, novari quicquam vetat. Ceterum Synodus V. tria capitula damnavit. Vigilius verò, quod damnationem adprobare refugeret, in exilium pulſus. Inde aliquot poſt annos Narſetis Comitis opera revocatus, cùm urbem repeteret, morbo in Sicilia extinctus eſt P. C. Baſilii, ut Victor in Chronico notat, anno XVII. id eſt, anno CHRISTI DLVIII.

in ſcripto dicentes : Anathematizamus impiam Epiſtolam Ibæ, quam ad Marim Perſam ſcripſit, cum bis qui vindicant eam, & rectam eſſe dicunt, vel partem ejus : omnem procul dubio anathematizaſſe probantur Eccleſiam, quæ eam vindicavit & vindicat, rectamque eſſe dixit, & dicit : utpote quæ hoc de Incarnatione Chriſti, in qua ſalutis noſtræ ſacramentum conſiſtit, confitetur quod eadem per omnia continet epiſtola. Verba quippe ejuſdem epiſtolæ ubi ſanitas Catholicæ confeſſionis, poſt alia ſic ſe babent : Eccleſia autem ſic dicit ; Duæ naturæ, una virtus, una perſona, quod eſt unus Filius Dominus noſter Jeſus Chriſtus. Quaproptèr ſi hęc duarum naturarum Domini noſtri Jeſu Chriſti in unitate perſonæ confeſſio, ut iſti dixerunt, impia eſt, & ſine Deo, dicant ipſi noviter quid ſit pium rectæque Chriſtianorum fidei conveniens. Profectò ergo, ſicut veritas eos ex operibus & ſcriptis eorum redarguens fateri cogit, aut unam in Cbriſto oaturam, ſicut Eutychiani vel Acephali, quorum votis eeſſerunt, & ab Eccleſia receſſerunt, dicunt, aut nullam : quod qoàm ſit impium & blaſphemum, atque à Catholica veritate alienum, quiſquis ſana eſt præditus mente, abſque dubitatione cognoſcet.

Nunc deinde illud pertractemus, quod dicunt verbis, unò ſe ſymbolo baptizare, utrum rebus & effectibus verum eis eſſe conſtet. Quod ut liquidò clareat, ipſiùs ſymboli primitus cooſideranda eſt atque penſanda vis magnitudoque veritatis : quoniam niſi præceſſerit per quod creditur, virtus munuſque credulitatis ; quod ſubſequitur nequaquam conceditur, ſicut ſcriptum eſt : *Niſi credideritis, non intelligetis.* Iſaiæ. 7. 9.
Symbòlum itaque collatio ſive pactum quod fit hómini cum Deo, Patres noſtri Catholici doctores interpretari docuerunt. Juxta 70.
Quoniam ergo pactum cum Deo fecimus, & ſic in uno ſanctæ Trinitatis nomine baptizati ſumus : Si quis unum ïota, vel unum apicem ex pacto quod cum Deo iniit diſſolverit, ſine dubio fidem, quâ Deo credidit, & ipſum Deum cui credidit, perdidiſſe convincitur. Qui autem ſint qui hoc violaverint pactum mox videbimus, cum ipſius ſymboli verba, non quidem in ordinem prolixitatis vitandæ gratia ; ſed admodum delibando poſuerimus. Principium itaque ſymboli hoc eſt. *Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem ; & in unum Dominum* JESUM *Chriſtum filium ejus natum ex Spiritu-ſancto, &* MARIA *Virgine, qui ſub Pontio Pilato crucifixus eſt & ſepultus : tertia die ſurrexit à mortuis ; aſcendit in cœlum, ſedet ad dexteram Patris, unde venturus eſt judicare vivos & mortuos*, & reliqua. En certè in hoc nunc omnis conſiſtit quęſtio, de vivorum mortuorumque judicio : quod contra nullam aliquando hęreſim, ut illud de æqualitate Patris & Filii in Nicęno Concilio contra Arrium, vel de omnipotentia Spiritus-ſancti in Conſtantinopolitano contra Macedonium in Symbolo eſt additum, à nulla unquam hæreſi, niſi ab hac noviſſimis temporibus velut ex compacta omnium bęreticorum fęce exorta, violatum eſt ; per damnationem ſcilicet vivorum mortuorumque quam ſic in ſcripto protulerunt, dicentes inter alia : Si quis defendit impium Theodorum & impia ejus conſcripta, ſed non anathematizat eum & impia ejus conſcripta, & omnes qui ſuſcipiunt vel defendunt eum ; & dicunt orthodoxa eum expoſuiſſe : & qui ſcripſerunt pro eo ; & eadem illi ſapuerunt, vel ſcribunt pro eo, vel impiis ejus conſcriptis, & eos qui ſimilia illi ſapiunt, vel aliquando ſapuerunt, talis anathema ſit. Si quis defendit impia Theodoreti ſcripta, ſed non anathematizat ea, & eos qui ſimilia ejus ſapuerunt, vel ſapiunt, talis anatbema ſit. Si quis defendit impiam Epiſtolam quam dicitur Ibas ad Matim Perſam hæreticum ſcripſiſſe, ſed non anathematizat eam & defenſores ejus, & eos qui dicunt eam rectam eſſe, vel partem ejus, & eos qui ſcripſerunt, vel qui ſcribunt pro ea, vel pro impietate quæ in ea continetur, & præſumunt eam defendere, talis anatbema ſit. Qua blaſphema ſententia & illos mortuos, quos in corpore conſtitutos nemo damnavit, nec hęreticam eorum doctrinam quiſquam judicavit, immò verò ſicut evidentiſſimis documentis probari poteſt, orthodoxam Synodica Patrum pronuntiavit authoritas, & devota hactenus conſervavit, conſervatque poſteritas, & ipſos Patres qui eos dictaque eorum laudaverunt, & nos viventes pari cum eis anatbemate quantum in ipſis eſt, involverunt. Ubi eſt ergo quod Chriſtiani videri volunt, aut dici, ſymbolique ſe cuſtodire fidem inani multiloquio jactitant, qui judicium ſibi quod ſoli Filio Pater dedit, ſuperba ſatis nimiumque dolenda temeritatis audacia uſurpaverunt, cùm per hujuſmodi præſumptionem etiam diaboli ſupergredi probentur inſaniam ? Si quidem ille ſuperbiſſimo cordis appetitu dixit : *Ero ſimilis Altiſſimo.* Iſai. 14. 14.
Hi autem præveniendo judicium Dei, & opere mortifero damnationem mortuorum vivorumque non ſibi conſentientium perpetrando, non jam æquales aut ſimiles ſicut ille adhuc de futuro dixit, *Ero*, ſed ſuperiores eſſe ſuò Domino quantùm ad eorum attinet intentionem, conſtituerunt. Et non erubeſcunt miſeri ore ſacrilego atque impudenti procacitate dicere, ſe unam

cum non damnantibus fidem tenere? Quaſi verò non & dæmones credant & contremiſcant, ſed operationem non niſi erroris, quam & iſtæ novitiæ peſtes exercent, habere noſcuntur ipſi errantes, & alios in errorem mittentes. Neque tantummodò verbis mendacibus in errorem traducentes, ſed violentis inſuper perſecutionibus ad conſentiendum ſibi vel communicandum quos potuerint pertrahendo cogentes. Et non intendunt infelices neque animadvertunt, quòd non eos juvet, immò & ſatis gravet, dictis polliceri noſſe Deum, factis autem negare? Quoniam revera ſi veraciter confeſſi, ſive alii pro eis cùm baptizarentur profeſſi ſunt, credere ſe in Deum Patrem omnipotentem, & in Jeſum Chriſtum Filium ejus, & in Spiritum ſanctum, quod ſymboli tenet authoritas, veraciter quoque credere debuerunt, & patienter expectare eumdem Filium Dei & hominis Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum tempore præfinito venturum de cælis ad judicandum vivos & mortuos, & non ipſi nunc impia vehementer atrocitate, & viventes nos, & mortuos olim Catholicos Pontifices non ſolùm judicare, verum etiam quaſi perpetuæ ſententiæ anathemate condemnare: ſed forſitan pro ſua ſanctitate & mirabilium operum efficacia, ut pote Judices vivorum & mortuorum, à ſemetipſis, quin immò à patre ſuo Diabolo conſtituti hos ipſos mortuos, quod damnaverunt reſuſcitaſſe ſe dicunt, & ſic audita eorum cauſa ſicut Dominus in Evangelio dicit: *Ego*
Joan. 5. 30. *ſicut audio judico*, judicii ſententiam adverſus eos protulerunt. Quærimus ergo ab eis quando redivivos eorum cineres collegerint, eoſque reſuſcitaverint, aut ubi ad judicandum ſederint. Nempe in valle Joſaphat judicaturus eſt Dominus omnes gentes, quamvis & alium habeat intellectum. Numquid tamen Vallis Joſaphat Conſtantinopolis, ubi hoc inchoatum ſacrilegium? Numquid Vallis Joſaphat cæteræ urbes & civitates quæ nefandum in damnatione vivorum & mortuorum prolatum ſubſcripſere ſuſcepereque decretum? Dicant etiam & oſtendant ubi damnatos ſuos conſtituerunt, ut à nullo non damnante, niſi tantùm à damnatoribus ſciatur, an ipſis ſolis aditus reſeratus eſt inferorum locus? Dicant deinde nobis viventibus quos cum pridem mortuis damnaverunt, quando hos mori fecerint, protinuſque reſuſcitaverint, ſicut in illo, vel ante illud Domini judicium erga hos quos in carne viventes ejus adventus invenerit, futurum Catholica confitetur Eccleſia. Quod ſi hæc & alia, quæ tempore ſoli Deo cognito ventura credimus, facere nequiverunt, quæ dementia corda eorum invaſit, oculoſque eorum fumoſa ſua vanitas, velut denſarum palpabiliumque tenebrarum opaca nox obcæcavit, ut non viderent, nec perſeveranter tenerent, quod in ſymbolo quando baptizati ſunt, acceperunt? Sed pro ſuo libitu, modò muneribus corrupti, modò honoribus & ambitionibus illecti, modò etiam peregrinæ, ſive potius ſerpentinæ verſutiæ doctrina circumducti ventoque ſuperbiæ afflati & inflati contra Deum ſuperbiæ criſtas erexerunt, præripiendo judicium ejus, novumque errorem per damnationem vivorum ac mortuorum condendo, & veterem reſtaurando, cùm & Acephalorum fautores conſorteſque effecti ſunt, & cæteris hæreticis dextras dederunt, ut liceat eis quoties libuerit, & quomodo libuerit, Orthodoxorum Pontificum decreta reſcindere vel damnare. Neque enim, ut ignorantes quidam dicunt Trium Capitulorum geritur cauſa, ſed omnium Pontificum, qui ab Apoſtolis, Apoſtolorumque ſucceſſoribus uſque ad Synodum Calchedonenſem, in qua eadem capitula Orthodoxa ſunt judicata, ac deinceps ad noſtra uſque tempora in una eademque defenſione atque communione perdurantes, Catholici ex hac vita emigrarunt, perpetrata doletur damnatio. Quod evidentiſſimis documentis & veridicis rationibus paternarum traditionum hîc latius oſtendere poſſemus, ſi caſtigata ſineret brevitas.

Quibus diligenter conſideratis atque libratis judicet quiſquis judicium Dei metuit, quiſquis Dei filium tempore opportuno in forma ſervi, quam pro nobis ſuſcepit, venturum credit, & confitetur judicem manifeſtum, quem credendo didicit in plenitudine temporis veniſſe occultum, ſi hi tales qui ſuperbiores & excellentiores audacia diabolo, Antichriſto quoque exiſtunt deteriores, Chriſtiano ſaltem nomine cenſendi, & non potius Antichriſti miniſtri appellandi, modiſque omnibus ſint fugiendi. Quæ cùm ita ſint, quomodò jam eis poterit conſtare quod credere ſe dicunt in Deum Patrem, & in Filium ejus, quod præcedit in ſymbolo, cùm non eis conſtet quod illic ſubſequitur de uno eodemque Chriſto ſpecialiter dictum, *qui venturus eſt judicare vivos & mortuos.* Quoniam iſti, ſicut ſuperius dictum, oſtenſumque eſt, & in mortuis olim & in viventibus nobis, damnationis ſuæ jacula vibraverunt.

Sed his præmiſſis aliud adhuc videamus. Si enim mortuos quos damnaverunt pravè docuiſſe, & hæretico ſenſu libros conſcripſiſſe dicunt, quærimus ab eis, utrum

cum viverent admoniti ſint juxta morem Catholicæ obſervantiæ ac diſciplinæ, ut ſanum rectumque ſaperent, pertinaciter reſtiterint, convictique de errore ſuo, vel in aliquo Concilio accerſiti, ut Arius in Nicæno, Macedonius in Conſtantinopolitano, Neſtorius in Epheſino primo, Eutyches atque Dioſcorus in Calchedonenſi, condemnati fuerint, necne. Si factum dixerint, mox ferri ſynodalia geſta flagitaverimus, ſicut horum proferuntur, ubi condemnatus eorum error, ubi prolata adverſus eos ſententia doceatur. Si oſtenderint, rurſus quærimus quomodo per centum & amplius annorum ſeriem univerſam Catholicam latuerint Eccleſiam, cùm & humanæ leges triginta annis humanas adimant quæſtiones, & Dominus noſter Jeſus Chriſtus Apoſtolis ſuis poteſtatem ligandi atque ſolvendi tantummodò quæ ſuper terram ſunt, divinam dederit legem. Aut ubi putamus eadem delituerint geſta, ut nuper ad damnantium ſolummodò, non etiam ad non damnantium notitiam pervenire potuiſſent? Si autem quod magis verum certumque eſt, proferre aliquid tale antiquitus geſtum nequeunt, quia in veritate quod proferant non habent: Nos è contra proferimus Synodicas Epiſtolas Antiocheni Concilii in defenſionem Theodori, dictorumque ejus, qui ab iſtis novo jam hæreſis nomine crimineque cauteriatis, id eſt, Nectodioctis, ſive Porcianiſtis damnatus eſt. Congregatæ deinde ſanctæ Calchedonenſis Synodi, cujus authoritati nullus niſi hæreticus contradicit, geſta demonſtramus, ubi non ſolùm Beati Theodori laudes ſuſceptæ & recitatæ, & cum admirabili gloria prædicatæ ſunt: verùm etiam Epiſtola venerabilis Ibæ, quæ ab iſtis ut impia condemnata eſt, orthodoxa illic pronuntiata docetur atque laudata. Theodoreti quoque doctrinam dudum, & à principio orthodoxæ fidei concinere in eadem ſynodo acclamatum, & digni utrique, hoc eſt Theodoretus & Iba, Epiſcopatu judicati ſunt, & gubernare ſicut pridem Eccleſias ſibi creditas ordinati.

Quibus præoſtenſis proponimus iſtis Capitulorum noſtriſque damnatoribus, eorumque communicatoribus, quid de eodem magno Calchedonenſi Concilio ſentiant, utrum Catholicum eum dicant, an non? Si dixerint, Catholicum eſt, reſpondemus, Vos ergo proculdubio hæretici eſtis. Quoniam vel quod, vel quos illi Patres ibidem præſidentes laudaverunt, & Catholicæ fidei convenire pronuntiaverunt, vos ut hæreticos & impios condemnaſtis: unde conficitur, velitis nolitis, ſicut conſequentia exigit rationis, ut illos quos damnaverunt hæreticos, id eſt Neſtorium, Euticben, atque Dioſcorum, vos eos Orthodoxos etſi non verbis pro hominum forſitan timore, operibus certè & effrænatis perſecutionibus, ex Catholicorum Pontificum depulſionibus, & hæreticorum ſubrogationibus, * ſcriptoque ſcripſiſque.
in Catholicos prolatis, damnationibus pronuntiatis atque prædicatis. Denique in una eademque Calchedonenſi Synodo inter alia hæc quoque definita conſiſtit cauſa, approbatio ſcilicet trium, & damnatio trium. Ecce enim adſtant quodammodo ex una parte ejuſdem Concilii Theodorus, quamvis jam defunctus, ſed in Synodicis Epiſtolis ejus laudes continentibus, ibidemque r lictis & approbatis, vivens Theodoretus quoque & Iba laudati & orthodoxi pronuntiati. Et ex alia nihilominus parte Neſtorius in Epheſo quidem primo damnatus, ſed iterato damnationis vinculo Calchedone illigatus. Eutyches etiam atque Dioſcorus illic ſimiliter ut hæretici condemnati. Quid dicitis? Nunquid non ita eſt? Nunquid quantolibet callo duritiæ frons veſtra ſolitis mendaciis obducta ſit, negare poteritis ita eſſe? Quod ſi & negare præ confuſione veſtra duplici volueritis, ecce adſunt geſta Calchedonenſis Concilii, ecce adſiſtunt ſexcenti & triginta Pontifices illic congregati, vociferant nimirum per eam, & dicunt: Nos laudes Theodori in pace & communione Catholicæ Eccleſiæ defuncti relectas cætui noſtro ſuſcepimus, & approbavimus. Nos verò venerabiles Theodoretum & Ibam orthodoxos pronunciavimus, atque in definitionem Catholicæ fidei nobiſcum ſubſcripſiſſe veraciter novimus. Epiſtolam quam venerabilis Iba Mari Perſæ ſcripſit, relectam à nobis orthodoxam eſſe judicavimus, & judicium noſtrum concorditer ſubſcribendo firmavimus. Nos Neſtorium ante quidem damnatum iterata damnatione cum Eutyche atque Dioſcoro, ſancto nobis Spiritu præſidente proſtravimus: qui judicium noſtrum violare nitetur, hæreticus eſt: qui decreta noſtra in aliquo convellere pertentat, alienus à Catholica fide, alienus à Chriſtiano nomine eſt. Qui enim hos quos Catholicos pronuntiantes laudavimus, damnat illos; è contrario quos, ut hæreticos condemnavimus, * laudet, & ideo hæreticus eſt. Quiſquis laudat.
bene à nobis definitis non acquieſcit: quiſquis legitimo & Catholico ordine determinatis ſuperbus reſultat. Hæc audientes quid rogamus dicturi eſtis tot præclaris Pontificibus vel univerſæ per totum mundum diffuſæ Catholicæ Eccleſiæ, quæ eorum

ſtatuta devotè ſemper cuſtodivit, hactenuſque in ſuis reliquiis ubique propagatis cuſtodit; niſi fortè verum dicere volueritis: & quomodò futura erat hæreſis Necrodioctirum ſive Porcianiſtarum? Si autem dixerint; hæreticum eſt Calchedonenſe Concilium, non eſt jam neceſſarium contra eos noviter decertare, niſi ut habeantur ab univerſis in veritate Catholicis, ſicut ille qui à Domino in Evangelio interrogatus quod ei nomen eſſet, reſpondit: *Legio, quia multi ſumus.* Quoniam revera qui ſanctæ & magnæ Calchedonenſis Synodi authoritati contradicere in aliquo præſumit, aut pertentat, & Arianus eſt, & Macedonianus, & Neſtorianus, & Eutychianus, & Acephalus, vel quicquid ex variis impietatis hæreticæ germinibus derivari, eiſque coaptari poterit, contra quas utriuſque peſtes ipſius Synodi vigilavit intentio, ut & præteritos hæreticos iterata damnatione percelleret, & præſentes anathematizaret, & futuros præſago Dei Spiritu damnationis vinculis cum eorum ſequacibus, modoque quolibet participibus innecteret.

Jam porrò de hoc quod dicunt eodem ritu lectionum ſolemnia, vel ſacrificii ordinem celebrare, poſſemus breviter reſpondere, quoniam præciſis, ſicut docuimus, ab unitate Catholica nihil proſit divini nominis verbis fictis facta invocatio, nec uſurpata, & ab Eccleſia tracta celebratio, cùm & Diabolus Dominum tentans ſcripturarum protulerit teſtimonia, ſed unde deſtrueretur, non unde muniretur: ipſæque ſanctæ ſcripturæ non in legeodo, ſed in intelligendo conſiſtant, & diverſi hæretici quod bene & ſalubriter in Catholica acceperant, præciſi jam perniciosè & lethaliter retinuerunt. Poſſemus & illud de ſacrificio dicere quod initio mundi Dominus ad Cain dixit: *Si rectè offeras, rectè autem non dividas, peccaſti.* Sed & illud quod prævaricatoribus, pactumque Dei violantibus Sacerdotibus idem Domious per Prophetam dicit: *Cùm multiplicaveritis preces veſtras, avertam faciem meam à vobis. Et cùm obtuleritis ſacrificium mihi, non ſuſcipiam illud de manibus veſtris, nec placabor vobis, quoniam iniqui ſunt cœtus veſtri.* Multaque ſimilia quæ commemorare longum eſt. Sed opportunum judicavimus etiam glorioſiſſimi Martyris & Epiſcopi Cypriani, vel unum aut duo contra eos pro ſimili cauſa ſcripta proferre teſtimonia, quia diligenter cordis oculis conſiderata atque perſpecta animadvertet quiſquis corde intelligens eſt, ſi ultrà novorum hæreticorum ſacrificia appetere debeat. Hic namque in Epiſtola pro ſancto Cornelio ſimiliter martyre & Epiſcopo urbis Romæ, quem Novatianus hæreticus expulerat, & ſe loco ejus, ſicut & nunc à novellis hæreticis factum eſt, ſu-
„ brogaverat, ad Magnum ſcripta poſt alia dicit: Si autem grex unus eſt, quomo-
„ dò poteſt gregi adnumerari qui in numero gregis non eſt? Aut paſtor haberi
„ quomodò poteſt, qui manente vero paſtore, & in Eccleſia Domini ordinatè ſuc-
„ cedente ac præſidente, nemini ipſe ſuccedens & à ſeipſo incipiens, alienus fit &
„ prophanus, Dominicæ pacis ac divinæ unitatis inimicus, non habitans in domo
„ Dei, id eſt in Eccleſia Dei, in qua non niſi concordes atque unanimes habitant?
„ Denique quàm ſit inſeparabile unitatis ſacramentum, & quàm ſine ſpe ſint, &
„ perditionem ſibi maximam de lodignatiooe Dei adquirant qui ſchiſma faciunt, &
„ relicto Epiſcopo alium ſibi Pſeudo-epiſcopum conſtituunt. Quod ſi aliquis illud
„ opponit, ut dicat eamdem Novatianum legem tenere, quam Catholica Eccleſia
„ tenet, & eodem Symbolo quo & nos baptizare, eumdem noſſe Deum Patrem,
„ eumdem Filium Chriſtum, eumdem Spiritum-ſanctum; ſciat qui hoc opponen-
„ dum putat, hoc adjuvare tales non poſſe. Nam & Chore, & Dathan, & Abi-
„ ron, cum Sacerdote Aaron & Moyſe eumdem Deum noverant, pari Lege & Re-
„ ligione viventes, unum & verum Deum qui colendus atque invocandus fuerat
„ invocabant: tamen quia loci ſui miniſterium tranſgreſſi contra Aaron Sacerdotem,
„ qui Sacerdotium legitimum dignatione Dei atque ordinatione perceperat, ſacrifi-
„ candi ſibi licentiam vindicaverunt, divinitus percuſſi pœnas ſtatim pro illicitis co-
„ natibus rependerunt, nec potuerunt rata eſſe & proficere ſacrificia irreligiosè &
„ illicitè contra jus divinæ diſpoſitionis oblata. Quare qui Novatiano, ſive cœte-
„ ris hujuſmodi patrocinantur, fruſtrà contendunt. Atque ut magis intelligi poſſet
„ contra hujuſmodi audaciam, quę ſit cenſura divina, invenimus in tali facinore
„ non ſolùm duces & authores, ſed & participes pœnis deſtinari, niſi ſe à commu-
„ nione malorum ſeparaverint, præcipiente per Mnyſem Domino, & dicente: *Se-
paramini à tabernaculis hominum iſtorum duriſſimorum; & nolite tangere ab omnibus quæ ſunt eis, ne ſimul pereatis in peccatis eorum.* Et quod comminatus per Moyſem
„ Dominus fuerat, implevit: ut quiſquis ſe à Core, & Dathan, & Abiron oon ſe-
„ paraſſet, pœnas ſtatim pro impia communione perſolveret. Quo exemplo

oſtenditur & probatur, obnoxios omnes & culpæ & pœnę qui ſe ſchiſmaticis contra Præpoſitos & Sacerdotes Dei irreligioſa temeritate miſcuerint, ſicut etiam per Oſeam Prophetam Spiritus-ſanctus conteſtatur, & dicit: *Sacrificia eorum tanquam panis luctus, omnes qui manducant ea, contaminabuntur:* docens ſcilicet & oſtendens omnes omninò cum authoribus ſupplicio conjungi qui fuerint eorum peccato contaminati. Quid hoc teſtimonio evidentius? Quid lucidius? Quid dici veracius poteſt? Ecce enim omnes omninò pari reatu, parique pœna conſtrictos docet, quotquot fuerint malorum communione polluti. Quid ergo eſt, quod quidam quaſi ex ſe curantes dicunt; ipſe ſcit Epiſcopus meus ſi damnavit quempiam, talibus comminetur, dicens: *Tu autem odiſti diſciplinam, & abjeciſti ſermones meos retrò. Si videbas furem currebas ei; & cum adulteris portionem tuam ponebas.* Et infra manifeſtat & comprobat Paulus Apoſtolus morte dignos eſſe, & ad pœnam venire non tantùm illos qui malè faciunt, ſed etiam eos qui talia agentibus conſentiunt, qui cum malis & peccatoribus, & pœnitentiam non agentibus illicita communicatione miſcentur, nocentium contactibus polluuntur, & dum junguntur in culpa, ſic nec in pœna ſeparantur.

At iſti: ſed non conſentimus, inquiunt, damnationi mortuorum. O intolerabile malum! O inauditum opprobrium, non conſentire quaſi verbis, damnationi dicunt, & conſentiunt operibus, quod deterius eſt, execrabili communioni; cùm magis cumulatior maneat pœna eis qui & non ignorant veritatem, & tamen communicant veritatis inimicis. Si enim hæreſim fecerunt, ſicut docuimus, hi, quibus communicatis damnando vivos & mortuos, ſi ad hæreticos exierunt, faciendo quod Acephali voluerunt: hæretici profectò utriſque admiſſis remanſerunt. Quomodò ergo qui hæreticis communicant, hæreſis crimine teneri negabuntur? aut qua fronte Catholicæ communicare ſibi videntur? An quia manufactas Eccleſias palatino fulſi ſuffragio depulſis Catholicis pervaſerunt? Ideò vos fidem Catholicam, pacemque Chriſtianam in parietibus eſſe arbitramini. Si hoc opinamini, audite quod etiam Sanctus Hilarius Epiſcopus Confeſſor & Doctor egregius quibuſdam Epiſcopis tempore Conſtantii Imperatoris, quo ſic Ariani ſub nomine Pacis & Regis pervaſerant univerſas penè totius orbis locales Eccleſias, ſicut nunc Eutychiani ſive Acephali, de hac re ſcribat, poſt alia dicens: Oro vos Epiſcopi qui hoc eſſe vos creditis, quibuſnam ſuffragiis ad prædicandum Evangelium Apoſtoli uſi ſunt? quibus adjuti poteſtatibus Chriſtum prædicaverunt, genteſque ferè omnes ex Idolis ad Dominum tranſtulerunt? Anne aliquam ſibi aſſumebant è palatio dignitatem? Et infra: Unum moneo, inquit, cavete Anti-chriſtum; malè enim vos parietum amor cepit, malè Eccleſiam Dei in tectis ædificiiſque veneramini; malè ſub his pacis nomen ingeritis. Anne ambiguum eſt in his Anti-chriſtum eſſe ſeſſurum? montes mihi & ſylvæ, & lacus, & carceres, & voragines ſunt tutiores. In his enim Prophetæ erant manentes, & ſpiritu Dei prophetabant. Hæc interim pro brevitate prolata ſufficiant teſtimonia: quoniam ſi ampliùs coacervare, vel ratiocinari vellemus, legentium forſitan memoriam oneraremus.

Nunc jam illud quoque breviter commemorare debemus quod ex Beati Auguſtini opuſculis contra Donatiſtas ſcriptis objiciunt, dicentes: dixit S. Auguſtinus; Bona eſt pax, habete pacem: bona eſt unitas, diligite unitatem, non ſcindatur unitas. Sed hæc & talia egregii Doctoris teſtimonia, quantum eos ſupplodant, nos verò ſtabiliant, nequaquam perſpiciunt. Si enim iſti qui hæc contra ſe potiùs opponunt nolebant ſcindere unitatem; ſi nolebant bellum inferre Catholicæ Eccleſiæ, per quod pax violaretur, quod in ea invenerunt, hoc utique ſervare & viriliter cuſtodire, ſicut ſupra oſtenſum eſt, debuerunt. Quòd autem in illa, aut ab illa non acceperunt, tanquam verè noxium & lethale fugere, caveréque debuerunt. Nam habenda eſt pax ſecundum Apoſtolicam doctrinam cum omnibus ſi fieri poteſt hominibus, non tamen cum omnibus tenenda. Si quidem longè aliud ſit habere aliquid, aliud tenere. Non ſolùm igitur cum Schiſmaticis & Hæreticis, ſed etiam cum Judæis carnalibus, atque Paganis habenda eſt pax. Sed illa profectò pax, per quam eos exoptamus & cupimus Deo acquirere, & veritati unitatique ſociare Catholicæ: propter quod etiam ut convertantur ſecundum mandatum Dei pro eis oramus: non ſic tenenda ut ad illos nos exeamus, & quod illi ſunt, hoc nos quoque efficiamur. Denique quod B. Auguſtinus dicebat, & ſuadebat Donatiſtis; habere pacem, diligere unitatem, egregiè ſatis & ſalubriter dicebat: Ipſos enim cupiebat, quemadmodum & nos iſtos, damnato errore ſuo ad Catholicam redire, ſicut in multis Opuſculis contra eorum ſchiſma

ſcriptis luculentiſſimè edocet. Non ut ipſe, aut quiſquam Orthodoxorum relictâ, quod abſit, Catholicâ, errori eorum communione ſacrilega miſceretur. Hoc & nos iſtis cum magna pace dicimus: Damnate errorem quem induxiſtis, auferte damnatioois malum quod intuliſtis, per quod & hæretici facti, & hæreticorum fautores extitiſtis, & nobiſcum pacem habentes, & ſicut pridem tenentes, uoiverſos hæreticos confudiſtis, & Catholicæ vos unitati reddidiſtis. Quiſquis itaque hæc legis, eloquium noli quærere, ſed res, ponduſque veritatis diligenter intuere. Et ſi prævaricatorum communione pollutus non es, ora Deum, ut perſeveres. Si verò aut ignoranter aut violenter lapſos es, reparare ad Catholicam veritatem recurrendo feſtioa, communiooem ejus reſumeodo: omnibus ſi quidem pœnitentibus promiſſa eſt venia: Nemo deſperatione frangatur. Nullus ſerpeotinis deceptionibus ulteriùs irretiatur: quooiam ſicut tranſgreſſoribos, & impœnitenti corde permanentibus ſempiternum cum Diabolo præparatum eſt ſupplicium; ſic à Domioo Deo pactum ejus conſervaotibus, & fidei Catholicæ fundamenta cuſtodientibus, novitateſque prophanas devitantibus, æternum & ſine fine reſervatum eſt præmium glorioſum.

INDEX

A

AARON in vitulo peccat, 190. c. d. pœnitentiam egiſſe credendus eſt, 186. c
Abel ſecundus, Flavianus 31. a. 191. e
Abſens nemo damnandus, 80. a. 155. b
Acacius Epiſcopus Conſtantinop. cur damnatus, 199. d. 200. c. ab ordinandis Epiſcopis per libellos etiam mortuus damnatur, 199. d
Accuſationis ordo & forma, 155. a. b. c. d. accuſatione non prolata nullus damnatur hæreticus, 154. c. accuſator jurare ſolitus per nomen Domini, 155. b. c
Acephali Semieutychiani, Eutychianorum ſchiſmatici, 14. b. c. 61. b. impugnatores Concilii Calchedonenſis, 1. a à Zenone admiſſi in Eccleſiam, 193. d. 195. b. fingunt ſe venerari Cyrillum, 89. a. Acephalorum unio promiſſa ſi tria capitula damnarentur, 5. e. 18. c. alacres de eorum damnatione, 202. b
Adoptio filiorum an à Chriſto ſuſcepta, 144. a. b
Adverſitas ſanctorũ juſtitiam clariorem facit, 112. b
Adulantium laudibus falluntur principes, 194. e. 195. a. aſſentatio ſuavis videtur, ſed pernicioſè recipitur, 195. e
Ægenſis Eccleſia, 55. b
Ægyptii Epiſcopi exules ſub Valente, 53. e. 57. d. clerici apud Conſtantinop. 188. d
Aëriani hæretici, 127. d
Aëtiani, qui & Eunomiani, *ibid.*
Africani Epiſcopi Pelagianam hæreſim detegunt, 100. a. vitant communionem eorum qui tria capitula damnarant, 198. c. 201. a. 204. b. baptizandos decernunt hæreticos, 204. b
Agrippinus Epiſcopus Carthaginenſis, 153. a
Alexandriæ Eutychianorum pars magna, 17. e
Alexandrina ſedes ſecundi honoris privilegium habet, 73. e
Alius & alius in Trinitate, non aliud & aliud, 15. c. aliud & aliud in Chriſto, non alius & alius, *ibid.* 17. d. alius adſumens, alius adſumptus, quo ſenſu dictum à quibuſdam patribus ante Neſtorium exortum, 141. b. 142. d
Ambroſius omnes partes Heſperias illuſtravit, 114. b. Ambroſii hymnus, 9. d. libri ad Gratianum, 15. a. Ambroſio caſtigante Theodoſius publicam ſuſcepit pœnitentiam, 196. d. e
Amphilochius Epiſcopus Iconii probatiſſimus doctor, 114. b. 169. b. ſimilia quædam ejus dicti Neſtorianis, 169. b. c. d. e. 170. a. b. Amphilochii ſermo de eo, Qui miſit me pater, &c. 169. c. De eo, Aſcendo ad patrem meum, 170. a. De eo, Pater ſi fieri poteſt, tranſeat &c. *ibid.* inter orthodoxos Epiſcopos laudatus à Theodoſio Imp. 58. d
Anania, Hanani, propheta regẽ Aſa redarguit, 81. d
Anathema melius eſt audire cum Chryſoſtomo, quàm ei dicere, 111. b. anathema in eos dici non ſolet, qui anathema hæreticis non dicunt, quos neſciunt. 36. a
Anatolius Epiſcopus Conſtantinop. ab Eutychianis ejecto Flaviano ordinatus, 27. a. 72. b. reprehenſus à Leone, quod in Concilio priore loco ſederit, quàm Maximus Antiochenus, 32. d. 71. a. 73. e. 74. b. 75. c. 76. a. b. Dioſcorum non propter fidem damnatum dixit, 66. b. 72. c. 73. a. b. 94. e. 99. c. Eutychianum dogma damnavit, 73. b. Anatolii de Iba reſtituendo ſententia, 70. b
Anatolius diaconus Eccleſiæ Romanæ cum Pelagio ſcribit ad Ferrandũ Carthaginenſem, 61. a
Ancyra civitas Provinciæ primæ Galatiæ, 5. c
Animæ & corporis ſimilitudo, qua Eutychiani ad naturæ unitatem in Chriſto utebantur, confutata, 18. d. e. 19. a. b. convenientius ad perſonæ unitatem à patribus uſurpata, 19. c. 140. d. e. 141. a. anima ſine corpore torquetur, 177. b. animæ anguſtia in corpore unde ſit, 178. d
Anthimus Tyanorum Epiſcopus; 160. a
Antidicomaritæ hæretici, 117. d
Antidotum, ſi morbus non ſit, non ſine ſuſpicione auferendæ ſalutis ingeritur, 26. a
Antiochena ſedes tertiam dignitatem obtinet, 73. e. 75. e. Antiochena omnis Eccleſia, 151. b
Antiquitas multũ roboris ad auctoritatẽ addit, 106. e
Apollinaris hæreſiarcha, 57. a. 58. a. 121. b. Vitalem ordinat Antiochiæ, 54. d. accuſat Paulinum Antiochenum, 57. d. item Epiphanium & Diodorum, 58 a. contra Diodorum ſcribit, 121. c. 122. c. Apolinarius, 57. d
Apollinaris dogma, 82. c. 85. a. partem ſubſtantiæ Verbi putabat in carnem fuiſſe converſam, 87. a. 143. b. c. d. 145. c. naturarum in Chriſto diverſitatem confundebat, 88. b. idem natura templum & verbũ Dei docebat eſſe, 90. d
Apollinariſtæ progenitores Eutychianorum, 88. e. 90. d. 120. d. 129. b. 205. c. d. auctores, 137. c. Theodorum Mopſveſtenum cum ejus capitulis abdicari quærunt, 205. c. Apollinariani gregem Dei vaſtant, 111. d. 112. a. b. c. infamant Eccleſiæ Catholicæ doctrinam, 143. b. c. Homini colas videri volunt orthodoxos, 137. a. b. Apollinariſtæ Synuſiaſtæ, 120. d. 143. b. c
Apollinariſtæ humanam in Chriſto naturam evacuant, 41. a. carnis & animæ naturam ſine mente aſſumptam credunt, 136. d. carnem ex utero Virginis habuiſſe negant, 143. b. etiam in carne conſubſtantialem dicebant patri, *ibid.*
Apoſtoli quando fuerunt in fide imperfecti, nunquam tamen hæretici, 184. d. rationem eorum quæ ſcribunt non pandunt, 187. d
Apoſtolica ſedes corripere ſolita excedentes à fide, 61. c. ſine Apoſtolica ſede nihil acturum ſe Mennas promittit, 61. c
Ara citra Jordanem extructa cauſa diſſidii, 117. c. d. e. 118. a
Arimini ſubacti in Arianorum dogma Epiſcopi, 73. a. 192. c. 206. a
Arriani de Sabelliana hæreſi orthodoxos infamabant, 6. b. minorem patre filium dicebant, 10. d. carnis tantum naturam aſſumptam credunt, 136. d. abuſi verbis Pater major me eſt, 144. a
Arius in urbe Nicæna damnatus, 17. a. negat filium unius cum patre eſſe ſubſtantiæ, 160. c

definitione valet, verum etiam in aliis omnibus decretis, 51. d. ad Concilia pertinent etiam quæ poſt fidei definitionem ab illis ſtatuuntur vel judicantur, 71. d. e. auctoritati non officit, quod in iis ſedeant qui ab hæreſi reſipuerunt, 72. c. d. 73. a

Conciliorum decreta & definitiones retractare non licet, 51. d. 52. a. b. nec poſt illa diſceptare, 77. c. d. e. 188. d. 189. a. injuriam Synodo facit qui retractat, 189. e

Concilium coactum nunquam niſi falſitati ſubſcripſit, 191. c. ad Concilium quando devocandus qui accuſatur, 155. b

Concupiſcere ſpiritus adverſus carnem quomodo dicatur, 177. a. b

Confuſio in Eccleſia non facit unitatem, 195. d

Conſiliarii actio, 206. a

Conſtantinopolitanum concilium contra Macedonium, 58. b. conſubſtantialem Patri & filio Spiritum ſanctum decrevit, 77. d

Conſubſtantialis naturæ non eſt niſi tota toti æquetur, 14. d

Contrarium. In contrarium currentia ſequi nulli poſſibile eſt, 51. b

Cyprianus Carthaginenſis antiſtes & martyr, 7. d. Cypriani fides & doctrina toto orbe radians, 153. a. de rebaptizandis hæreticis ſententia, 152. c. 174. d. c. 204. b. Epiſtola ſeu liber de Trinitate, 7. d. epiſtola ad Pompeium, 152. e

Cyrillus Alexandrinus ab Orientalibus Epiſcopis damnatus propter. xii. capitula, 85. e. 102. b. Imperatoris juſſu in cuſtodiam traditus, 102. b. cum Orientalibus reconciliatus per Paulum Emeſenum, 16. e. d. e. &c. 91. e. Cyrilli & Orientalium eadem fuit intentio, 88. d. cur creditus ſic errorem priſtinum damnaſſe, 89. b. 92. a. Cyrilli intentionem Orientales & Ibas non intellexerunt, 89. a. 125. b

Cyrilli capitula jure recepta in Synodo Epheſina, 106. c. d. dicta quæ objiciuntur ab Eutychianis quomodo accipienda, 16. a. b. 17. b. c. Cyrillum magnificant Eutychiani putantes hoc ſenſiſſe quæ ſentiunt, 83. d. minus contra Eutychianorum qui exorti non erant, quàm contra Neſtorianorum vigilavit errorem, 17. e. aliter loquitur differens contra Apollinarem, aliter contra Neſtoriũ, 88. a. b. multa ſcripſit, in quibus ſimilia dicere videtur Neſtorianis, 176. d. &c. 178. b. &c

Cyrillus cum Theodoro donec vixit communicavit, 125. a. Theodori opera commendat, 39. c. d. eundem adverſus accuſatores defendit, 48. e. 205. d. de Theodoro aliter poſtea ſenſiſſe dictus, 124. a. 176. d. de illis ſcriptis quod judiciũ, 124. c. d

Cyrillus Joannis Chryſoſtomi nomen è diptychis tollendum ſcribit Attico, 51. c. 52. a. 94. a. 125. a. in ſacrificio recitari prohibuit, 51. 94. a. 125. a. cum Ioanne Chryſoſtomo non conferendus, nedum præferendus, 125. a

Cyrillus in Ibæ epiſtola vituperatur, ut in Apollinaris dogma lapſus, 85. a. reprehenditur ab Iſidoro Peluſiota, 29. a. b. e. contra xii. ejus capitula ſcripſit Gennadius Conſtantinopol. 28. a

Cyrilli epiſtolæ ad Orientales, 4. a. 29. b. 48. c. per Paulum Emeſenum, 82. a. ad Ioannem Antiochenum, 16. d. e. &c. 70. c. d. 123. c. ad Atticum Conſtantinopol. 51. c. ad Acacium Melitinenſem, 178. a. ad Neſtorium, 70. c. Scholia, 87. a. 176. d. 177. d. Homilia ad populum Alexandriæ 17. d. Expoſitio in Eſaiam, 178. c. in Matthæum *ibid.* d. in Ioannem, 179. a. 180. b. ad Hebræos, 178. b. contra Diodorum & Theodorum, 59. d. 47. c. 125. b. c.

Cyri Epiſcopus Theodoretus, 1. a

D.

DAlmatiæ Epiſcopi pro tribus capitulis ſtant, 204. b.

Damaſus Papa Timotheum Apollinaris diſcipulum ab Athanaſio commendatum, ſuſcepit velut orthodoxum, 99. d

Dathan & Abiron exitium, 190.

Datius Epiſcopus Mediolanenſis Vigilio in Sicilia occurrit, 60. c

Decretorum coactorum nulla eſt auctoritas, 192. a

Deus occultè ac mirabiliter in ſuorum cordibus operatur 156. b. humana ignorantia ſapienter utitur ad inſtructionem prædeſtinatorum, 95. b. Dei bonitas omnipotens in magnam utilitatem noxia quæque convertit, *ibid.*

Dei auxilio virtutem poſſident juſti, 131. c. Dei proprium eſt de occultis judicare, 156. d. Deus ſolus judex mortuorum, 157. b. Dei conjuges in ſcriptura, qui per ſcientiam ei copulantur, 131. d

Deum nemo melius laudat quàm qui quod aliis eſt creditum non uſurpat, 190. d. divinitas ſemper eodem modo ſe habet, & omni additamento eſt ſuperior, 172. d

Diocæſareæ exules monachi Ægyptii, 57. d

Diodorus Epiſcopus Tarſenſis, 39. d. 114. a. à B. Silvano nutritus, 55. c. Tarſenſi Eccleſiæ præpoſitus à Meletio, 121. d. doctor Ioannis Chryſoſtomi, *ibid.* magiſter Theodori Mopſveſteni, 53. b. 57. d. 58. b. 121. d. Concilio Conſtantinopol. cum aliis interfuit, & Nectarium Epiſcopum ordinavit, 54. d. 58. b. 121. d

Diodorus idem à magnis Eccleſiæ luminibus laudatus, 125. c. optimum & maximum habet ſanctorum patrum teſtimonium, 53. c. 54. a. b. c. d. e. Athanaſii, 54. a. Petri Alexandrini 54. c. Timothei Alex. 54. d. Baſilii Cæſar. 55. b. Chryſoſtomi 55. d. 56. d. Epiphanii, 57. a. b. Ægyptiorum monachorum, 57. d. Hieronymi, 58. b. c

Diodorus laudatur adoleſcens ab Athanaſio, jam gravis à Petro, ſenex à Timotheo, 55. a. magnus certator pietatis dictus à Domno Antiocheno, 121. c. cum Ioanne Baptiſta comparatus à Chryſoſtomo, 56. a. b. vivus martyr, 56. d. filius & diſcipulus & ſucceſſor Heliæ ab Epiphanio, 57. a

Diodorus dum Antiochiæ eſſet presbyter, magis claruit, 58. c. quæ ſcripſerit, & quo ſtylo, 55. c. 58. e. à Theodoſio Imp. inter orthodoxos recenſitus, 58. d. à Iuliano Apoſtata vituperatus, 59. a. b. ab Eutyche anathematizatus, 121. b. c. 197. c. ab Apollinari, quia illum arguebat, perſtrictus, 121. e. à Cyrillo culpatus, 59. c. d. 33. b. 58. b

Dionyſius Alexandrinus ab Athanaſio excuſatur de multis, quæ Arrianis ſimilia docuerat, 157. c. d. &c.

Dioſcorus Alexandrinus damnatus in Concilio Calchedonenſi, 69. c. d. e. 70. a. b. d. Eutychis atque Eutychiani dogmatis defenſor, 80. a. 99. d. Dioſcori apud Euſebium violentia, 188. a. 190. a

Diptycha ſacra, 52. a. d. catalogus Epiſcoporum, 125. a. 166. e

Doctorem Eccleſiæ excuſat loci neceſſitas, ſi ea in quibus offenderit corrigere ſit paratus, 176. c

Domitianus Epiſcopus Ancyræ, Vigilio confeſſus Origenianos ad Eccleſiæ conturbationem trium capitulorum quæſtionem ſuſcitaſſe, 5. c. 62. d

Domnus Epiſcopus Antiochenus, 21. c. 110. d. 117. e. Ioannis ſucceſſor, 121. b. 123. c. primus reſtitit Eutychi ad Theodoſium ſcribens, 197. c.

Domni Synodica ad Theodoſium, 121. b
Donatiſtæ, 198. d. 199 b. à ſchiſmate proſiluerunt in hæreſim, *ibid.* auctoritate Cypriani ſacrilegium defendunt, 204. b. c

E.

Eccleſia Chriſti ſponſa, & regina, 131. c. d. Chriſti ſchola eſt, fideles omnes Chriſti diſcipuli, 181. d. Eccleſiam regit Chriſtus qui redemit, 158. b. Eccleſia ſicut arca, Deo illam regente, nutare poteſt, cadere non poteſt, 190. b
Eccleſia omnem novitatem, mox ut exorta eſt, refutavit, 142. b. Eccleſiæ verax ſemper eſt pro veritate defenſio nonquam indiga falſitatis, 65. c. Eccleſia poſitos ſibi æternos patrum terminos non excedit, 32. b. Eccleſiæ matris virginitas adulterinis dogmatibus nunquam corrupta, 142. b
Eccleſiæ quies ſupervacuis quæſtionibus non agitanda, 21. a. 184. c. d. ejus diſcuſſioni ſententiæque permittenda quæ dicimus aut ſcribimus, 17. c. Eccleſiæ fidem qui ſequi ſtatuit, quamvis aberret, non eſt hæreticus, 184. c. 185. b. extra Eccleſiam conſtitutorum doctrina non poteſt catholica judicari, nec Eccleſiæ domeſticorum hæretica, 170. c. Eccleſiæ inſtituta minimè contemnenda, 27. d
Id eſt, quia modo ad hos, modo ad illos inopinatò ac temerè volat, avolatque pariter fortuna, neminem ô mortales! ab his inſtabilis deæ muneribus prædicate felicem ac beatum, niſi quem ſuis, ut ita dicam manibus ſecunda ipſa fortuna beatum item ac felicem compoſuerit. At filius Sirach vir inſtinctus à Deo, ac cœlitus edoctus longè aliud animo verſat, ac multò ſaniora commendat futuris hominibus. Hoc enim ſi quid aſſequor vult intelligi; tacitis hujus vitæ commodis & incommodis, unum hunc in beatorum numero reponendum eſſe, eum unum tanquam felicem ad poſteritatis memoriam conſecrandum, quem omni purgata vitii labe, comitata virtus morientem in cœlum tranſmiſerit. Ex hoc enim ultimo vitæ momentò ſi cum virtute effluxerit, beatitudinem aptam nexamque pendere.

Hæc certè filiorum Dei, hoc eſt divinitus eruditorum hominum eſt diſciplina; ad eam alti & inſtituti ſumus ſcholæ rationem quotquot initiati ſumus; hos credimus unos audiendos eſſe doctores quos ſapiens antè ſic erudierit: quò faciliùs ad ea quæ mihi ſunt propoſita, hoc eſt ad obitum Reverendiſſimi noſtri prǽſulis, orationem convertam. Is enim eſt ejuſmodi ut fœlix omnibus ac fortunatus merito jure videri debeat, ipſeque jam prǽſul beatos inter cœlites, quietum ac ſempiternum ævum degere. Age igitur rem illam omnem paucis auditam, ac certe ſingularem nullo, quod ad veritatis lucem intereſt, fuco ſermonis pandamus ordine.

Gg

Jam typis erat excuſus prima ſui parte hic Obſervationum contra Donatiſtas liber.(Lector benevole) cum ejus auctor Gabriel Albaſpinæus Reverendiſſimus Aureliorum Antiſtes magno piorum ac literatorum hominum mœrore ſublatus è vita eſt. Ierat ineunte Julio anni ſuperioris milleſimi ſexcenteſimi triceſimi ad Chriſtianiſſimum Regem Ludovicum XIII. tum ad alpes fulminantem magnis itineribus: Eò maximi ingenii virum, & de Gallicanæ Eccleſiæ rebus optime jam pridem meritum, Præſules omnes qui tum erant Pariſiis, delegarant. Dicam id quod eſt verum. Neſcio qua futuri prę ſagitione totum hoc iter, & munus ſemper exhorruit; nec adeo ſe continere poterat, quin hunc animum ſuum identidem in familiari ſermone prodere; hanc ejus præſenſionem adjuvit, quod mihi poſtea ejus à domeſticis narratum prętererire non debeo. Etenim dum hinc proficiſcitur Aurelias, ac ſeſe ad Lugdunenſe iter comparat, illic ubi plana & facilis via campum dabat apertum currentibus equis, tres Epiſcopalis currus explorati validi axes, medii franguntur; perculit omnes atque aurigam ipſum imprimis non ſua ſponte pavidum caſus; nonnihil id etiam Antiſtitem movit; ſed cedere retro ac referri, timidi & ſuperſtitioſi ut videbatur hominis fuiſſet. Et ſi quid timendum foret, incredibili omnium luctu, arguit eventus: Et quędam ſunt à Deo maximis in rebus pręmonitiones, quas omnino negligere haud conſulti hominis videtur. Quid in ſimili cauſa ſapientiſſimi hujus noſtri præſulis exemplo facere prudentem & cum ratione cautum oporteat; hic maximè locus efflagitat ut dicam. Hoc ejus ſingulari humanitati qua me immeritum vivens amplexus eſt, quamque ſempiterna colam memoria; hoc eruditis omnibus qui ejus monumenta legent; hoc illuſtriſſimæ Albaſpinçorum familiæ, quo ſe in damno ſuo conſoletur debeo.

Non ſemel igitur pręmoneri ſe ſenſit à prępotente Deo Reverendiſſimus Antiſtes, ter graviſſimis morbis afflictatus, ſe denique infularum in ſplendore mortalem eſſe ſtatuit; ſibi ergo demerendum ac conciliandum quàm præſtantiſſima poſſet ratione numen, quod & naviter ac ſtudioſe perfecit. Cum enim multæ ſint ad hanc reconciliationem rationes, & viæ, quas nobis de cœlo delapſa, atque ore humano prædita divinitas editis oraculis patefecit; tum illa certiſſima ſemper, tutiſſimaque credita eſt, quæ adjuvandis egentibus, & ad eorum uſus opibus, & copiis profundendis innitur. Et quidem hîc adſcribere libet ex Optati lib. 3. quod incredibili ſuavitate ipſe ſecum meditans identidem referebat. Agitur de Donati ſchiſmatis Donatiſtarum auctoris intolerabili ſuperbia dicam? an ſævitia? qui cùm certis nunciis didiciſſet miſſam ab imperatore pecuniam, qua ſublevarentur oppreſſi, præmiſit ipſe quoquò litteras ad ſuos, ne quod allatum fuerat, pauperibus alicubi diſpenſaretur. Hanc ad rem *ô Conſulere miſeris! clamat Optatus, ô providere pauperibus! ô peccatoribus ſubvenire*. Deinde *Clamat Deus dicens ego ſum qui feci pauperem & divitem, non quia non potuit & pauperi dare, ſed ſi ambobus daret, peccator quà ſibi ſuccurreret, invenire non poſſet. Tum denique ſic ſcriptum eſt: quemadmodum aqua extinguit ignem, ſic eleemoſyna extinguit peccatum.* Hoc inquam Albaſpinçus miſericordiſſimus Præſul identidem cum mente reputans, nihil habuit animo impreſſum altius, quàm copias ſuas pauperibus ingentes elargiri. Nihil ſigillatim ac nimis anxiè referam; pauperum gemitibus & lachrymis ex amiſſo tam benigno ac tam liberali Præſule eloquentia nulla potior. Eſt enim hęc hodie vox Aureliorum frequens, & publica, ſi viveret Albaſpinæus Præſul, cum caritati annonæ ingenio ſuo, conſilio, labore, ſed maxime liberalitate, proviſurum. Rectè verò liberalitate, illius enim fructuum quanta vis quotan-

nis tota ejus Diœceſi in pauperes effundebatur; hîc, illîc, paſſim in oppidis, quæ Aurelianenſi Præſuli ſerviunt, erant qui rebus ad vitam neceſſariis, qui pani, qui pecuniæ piè fideliterque partiendæ præeſſent. Neque vero dubitabat humaniſſimus Antiſtes pauperum cauſa nomina facere: hos uberiores ac pinguiores ſuos fructus vocitare ſolebat. Idem ſæpe piis hominibus dixit, ſe ſi gravior annona incumberet, non ea tantum quæ in numerato, vel hortis haberet cum pauperibus communicaturum, ſed omnem inſuper ſupellectilem ſuam, & abacum, & currum & ſacrarii ſui argentum atque aurum oppigneraturum.

Defuerint aliæ virtutes, doctrina, ingenium, conſilium, acritas mentis, navitas, canonum veterum, decretorumque ſcientia, dotes ingenii ceteræ, quas in ipſo mirabamur omnes, ejus ſcriptis monimentis nationes ſuſpiciunt, ac venerantur exteræ. At liberalitas, at miſericordia, at humanitas quæ Paſtorum propriæ ſunt virtutes, in eo maximæ & illuſtriſſimæ fuerunt. Ipſe ſua manu famulis ægrotantibus juſcula condiebat; tangebatur eorum doloribus ac convellebatur. Quoties ei nunciatum eſt aurigam ſuum, vernulam, ſtabularium puerum periculoſo morbo conflictari, ſubeſſe ſuſpicionem peſtis, peſte denique infectum hunc & illum mori, neque tamen eorum quemquam vel in morbi periculo, vel in ſuſpicione, re adhuc integra, vel denique in tabe ipſa, & lue peſtifera moveri ex ædibus ſuis paſſus eſt; neque loco ipſe ſe movit? Tum vero ejus elucebat benignitas ac miſericordia, cùm exquiſitiora menſæ fercula ægrotis ſeponebat, & medicamenta imperabat & conficiebat ipſe; & jacentes ſolabatur & per ſuos identidem ſalutabat. Hoc video profecto uſu verum eſſe quod lib. de Ira 1. ſplendide Seneca, capite credo 16. *Sola ſublimis & excelſa virtus eſt; nec quicquàm magnum niſi quod ſimul & placidum.* Adde magne vir; & benignum & miſericors; vult dicere in benignitate, & manſuetudine, ac miſericordia nihil exile, nihil parvum ac minutum eſſe. Hanc unam magnificam virtutem, contrà quàm vulgo putant homines, & illuſtrem maxime, popularem atque ut ita dicam theatralem videri. Plus dicit os illud aureum homil. 4. in 8. caput ad Romanos, vult enim ſanctitatis qua Deum propè attingimus notam certiſſimam eſſe propenſionem illam animi erga ſuos, prolixamque benevolentiam. φιλόστοργον, inquit, ἐστι τὸ τῶν ἁγίων ψυχῶν; & tanquam modice aliquid dixiſſet homil. 29. in cap. 15. ubi de charitate ſpiritualium paſtorum erga ſuum gregem diſputat. καὶ γὰρ σφόδρα εἰσὶ αἱ τῶν ἁγίων ψυχαὶ ἥμεροι, καὶ φιλάνθρωποι, καὶ ἐπὶ τοῖς οἰκείοις καὶ ἐπὶ τοῖς ἀλλοτρίοις. Quaſi dicat à ſanctitate tanquam à ſacro fonte benignitatem ac miſericordiam effluere aut certè à benigna miſericordia tanquam à pia matre naſci ſanctitatem.

Equidem ſic puto, veriſſimum eſſe quod ore ſapientis Deus protulerit. Eccleſ. ergo 29. *Conclude*, ait ſapiens, *eleemoſynam in corde pauperis.* Habet editio Græca aliquanto clarior ad ſapientis mentem σύγκλεισον ἐλεημοσύνην ἐν τοῖς ταμείοις σου. Quid ex ea ſequetur? *Et hæc pro te exorabit ab omni malo.* Miſericordiam igitur illam erga egeſtate perditos, & afflictos ſequitur vitiorum fuga & interitus, lux & vita virtutum, innocentiæ imprimis, modeſtiæ, gratiæ, ac denique ſanctitatis illius quæ eſt cœleſtium omnium abſolutio, perfectioque donorum. Hæc eſt Amalthææ cornu ex quo vis fructuum omnis generis & copia redundat ac diffluit. Ille eſt panis qui mitti jubetur à Deo ſuper traſeuntes aquas. Is effundi, diſpergi, diſſipari creditur, & in plenitudine dierum cum ſponte ſua exaruiſſe atque evanuiſſe poterat, invenitur.

Gg

Hoc adeo ſpectaſſe mihi videtur noſter Antiſtes, neque illum ſua ſpes exſpectatioque fefellit: cum enim tempus eſſet quo illum Deus quæ benigne ſparſiſſet ac dediſſet pauperibus colligere in cœlo volebat, ſic ardere cœpit amore ſanctitatis, ut nihil invita fervidius optarit. Referam hic quod ejus domeſtici non ſine multis lachrymis, & jacturæ ſuæ morſu prædicant, quod & Patrum noſtræ ſocietatis ex literis didici, qui rei gerendæ interfuerunt, quod denique imponendæ ſibi neceſſitatis in perfungendo munere, atque optimi exempli gratia Antiſtes ipſe edi de ſe in vulgus, prædicarique voluit.

Redibat ex Alpibus è curia, rebus, quarum cauſâ venerat, credo, compoſitis, cum tentare eum febricula cœpit; mirum dictu, integris adhuc viribus, necdum affecto male corpore imminere ſibi demigrandi ex hac vita diem, non quaſi conjiciens timidè, ſed quaſi divinitùs impulſus, affirmanter dixit. It Gratianopolim citatis itineribus, mox ſocietatis noſtræ patres duos ætate ac ſcientia maturos evocat, neque prius aliud, aut maturius agi vult; Adſunt hi; ipſe illico univerſæ vitæ labes oſtendit; ſed quanta diligentia? quanto dolore? quibus ſingultibus & lachrymis? Patres ipſi toto animo colliqueſcebant, neque uberes lachrymas poterant tenere. Mox veluti cœlitus ictus, valida voce Antiſtes ſua ſponte, quæ amoris erga ſuos familiares, erga ſuas oves, erga Deum argumenta non edidit? quos ſibi nexus, quæ vincula bene de cœlitibus ac de religione merendi non injecit? ut nullam optabat vitam, niſi quàm Deo penitus addictam ac conſecratam degeret? ut de vitæ honorumque vanitate, de piorum operum ſtudio, & cura; de miſericordiæ erga pauperes viſceribus fervidè, vere, ſolida virtute loquebatur: quot verba ac temporis momenta, tot ſuſpiria erant ad Deum; ut ſi quid in vita offendiſſet unquam, quod humanum eſt, id ardentiſſimis votis, & precibus ac lachrymis, non uſitato more & modo, maximo eorum qui aderant, ſtupore reſarciret. Porro ex eo tempore, quo ſic familiariter & amice cum Deo agere cœpit ſacer Antiſtes, varia fuit ejus valetudo, meliuſcule interdum habuit, deteriùs interdum, nunquam alio animi ſenſu, quàm quo Deo, ſe amoris nexu obſtrinxerat. Nam quod certiſſimis auctoribus accepimus, in ſuſcepta pietate Chriſto Domino ſuo ſanctam quod ſperare debemus ac beatam animam edidit.

Et verò fas ſit ea poſteritati tranſmittere, quæ ſanctitatem Antiſtitis ac beatitudinem probent. Iis ipſis temporibus quibus Gratianopoli ex morbo laboraret periculoſè, neque periculi tamen rumor vel leniter afflaverat Aurelios, ecce mendiculus vili in tugutiolo degens cum matre, inopia rerum omnium miſera & afflicta, illic qua Aurelia Magdunum itur (eſt autem Magdunum oppidulum Aurelia diſtans quatuor milliaria in quo habet Aurelianenſis Antiſtes hortos amœniſſimos, ædeſque magnificas) mendiculus inquam media de nocte magno ejulatu matrem excitat, ac fame poſthac peribimus, inquit ô mater! obiit ſacer Antiſtes. Jamjam vale mihi dixit; atque ut ſua cauſa Deum orarem contendit multis precibus obnixe. Quid poſtea? Res ad Magdunenſem delata judicem, quò deteſtaretur tam dirum omen & averteret, contemnitur: ſed octiduo poſt aut non multò ſecus, non jam de valetudine adverſâ ac periculoſa miſericordiſſimi præſulis, ſed ipſa de morte acceptæ litteræ totum ſcilicet omen nimis approbant, & quomodocumque res acciderit, at divinitus impulſum & excitatum ad preces mendiculum oſtendunt. Hoc liquidò conſtat, fuiſſe cauſam cur ita contingeret: Nam Aurelia Magdunum ad Caſtellum ſuum numquam ibat benigniſſimus Antiſtes, neque Magduno redibat unquam

Aureliam quin mendicanti ad currum pauperculo argenteum nummum impertiret, unde arctiſſima in rerum omnium egeſtate ſuſtentaretur oppreſſa familia. Inquiritur ergo diligenter ac ſtrenuè cordatiſſimis à viris: nihil præſtigiarum ac doli ſubeſſe comperitur. Illud ipſum ita eſſe didicit explorata re Comitiſſa à ſancto Paulo fœmina claritate generis, ſed maximè dote ingenii ac ſolida virtute princeps, & defuncti Præſulis loco benigne agere exinde cum puerulo mendico, liberaliterque voluit. Hoc addam pios omnes qui interius noſſent humaniſſimum præſulem prædicare palam, & religioſe non ſine lachrymis affirmare, liberalitati ejus, ac miſericordiæ erga pauperes eſſe rribuendum, quod adeo ſanctam ac Deo optimo maximo deditam devotamque animam ediderit.

Ac mihi jam ſcilicet merito jure exclamare cum Optato liceat *O conſulere miſeris! ô providere pauperibus! ô peccatoribus ſubvenire! quemadmodum aqua extinguit ignem, ſic eleemoſyna extinguit peccatum.* Neque profecto aliud, quod mihi videtur Gabriel noſter miſericordiſſimus Antiſtes commemorari de ſe prædicarique vult.

Omitto igitur claritatem generis, nobilitatemque familiæ, quam ſcio ſanctiſſimis à viris, in piorum hominum funeribus non fuiſſe præteritam. *Habet cum iucunda luce virtutis cognatum aliquid natalium ſplendor, neque latere turpiter unquam poteſt generoſæ venæ ſanguis. Ab optimis naſci, primus ad recta ſtudia, gradus eſt.* Sunt quibus hæc ramen magis ambitioſa & avorum propria commendatio videtur. Etſi non dubitabo equidem Guillelmi Albaſpinæi Illuſtriſſimi ejus parentis Marchionis à Caſtello novo, cujus adhuc vivit in animis omnium ſpiratque memoria, pulcherrimam ex omni parte, ac toti nobilitati cum eximio fructu imitandam ætatem curſim relegere: ex ea pariter tanquam ex ſua ſtirpe, Albaſpinæorum virtute clara ac fœcunda ſoboles agnoſcetur, cujus gratia hoc qualecumque eſt orationis munus inſtituo ac dependo.

Lutetiæ ergo Pariſiorum naſcitur Guillelmus Albaſpinæus Marchio à Caſtello novo anno milleſimo quingenreſimo quadrageſimo ſeptimo, Aug. decimo ſeptimo. Inir, ubi per ætatem poteſt, ibidem Lutetiæ ſtudiorum curſum, quem Patavii, Academiæ tum celebritate urbe nobili, feliciter abſolvit, mox rediit in Gallias Tridento, quo tempore celebre illud œcumenicum Concilium habebatur. Illic totius orbis politiſſimos & erudítiſſimos viros audire, in eorumque vita familiari contemplari virtutem propius cœpit.

Anno ætatis ſuæ viceſimo, Æræ Chriſtianæ milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſeptimo, in Conſiliariorum ſummæ curiæ Pariſienſis ordinem votis ac ſtudiis omnium adlegitur. Tanta inerat juveni jam tum & morum & conſiliorum velur canities ac maturitas. Hoc ipſo anno, die ante ſolemne feſtum D. Martini, quo die ad D. Dionyſii proxime Pariſios acie conflictum legimus, pater ejus cariſſimus, nobiliſſimus clariſſimuſque vir D. Claudius Albaſpinæus, primus tum ab arcanis ac ſanctioribus conſiliis, Regiis in ædibus Luparæ vita ceſſit. Jam tum conteſtata erar Albaſpinæorum in gerendis maximis Regum ac rotius Franciæ negotiis & æquitas & fides.

Exinde tollere ſe altius cœpit patriæ virtutis hæres Guillelmus, & Conſiliarii ſummæ curiæ dignitate poſita, fir ſupplicum libellorum Magiſter, mox Reginæ Eliſabethæ Cancellarius. Anno denique Æræ Chriſtianę milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo in ſanctius Regis conſilium ſingulari cum laude ac ſummæ ſolertiæ ſuæ fructu ingreditur, Avunculorum

ſuorum illuſtriſſimorum virorum Domini Morvillieri Procancellarii ac Domini Lemovini auſpiciis. Stare loco non poterat generoſa indoles quæ ſua vi ac commendatione omnium, ad ſumma gliſcebat. Hęc erant igitur illi veluti gradus ad excelſiora. Et quidem anno octogeſimo mittitur in Angliam legatus; ubi quanta prudentia, auctoritate, fide, Galliæ res ſummas adminiſtrat? Id facta liquidius verbis loquantur, quæ magnis Annalium auctoribus eruditis viris ornanda relinquimus. Eo certè legationis Albaſpinæi tempore, Scotiæ ſanctiſſima Regina moritur, neque alium verò in omni re gerenda ſolertiorem ac fide prętantiorem Albaſpinæo videt, cujus in ſinu interiores ſuos ſenſus ac ſecretiora conſilia ſępe depoſuerat. Eum ergo præter cæteros teſtamenti ſui vult ac ſcribit executorem, quadriennio poſt quàm illuc ierat. Henrico III. mortuo redit in Gallias.

Tum obſidebat Henricus IV. Lutetiam, habebatque ad D. Dionyſii caſtra, res erant turbulentiſſimæ ac mire ut ita dicam ancipites; nihil verò ille dubitans ad Regem, quî cum jura pugnarent, convolat. Nec eum aut Villa Regius, aut Mareſchallus Chaſtręus, ambo ejus ſororum mariti, omni tum virtute atque honore clariſſimi abducere unquam à ſua mente potuerunt. Sedit igitur pro cooptationis ſuæ die in conſilio, illuſtri cum fidei laude: ô præclara ſinceraque laus! atque ut Villa Regium (tanti erat momenti) ſuas ad partes adduceret ab Henrico Magno in mandatis habuit. Cui hominum felicius commiſſa res cecidit? Cui non dictus poſtea in maximis Regni negotiis Villaregius? Hoc fideliſſimo Nepoti clariſſimus avunculus debet.

In luce porro virtus ſemel poſita pulchritudine ſua pellicit ac ſibi conciliat omnes; Contendit igitur biennio poſt ab Henrico Magno Ludovicia Regina tum vidua, Albaſpinæum ut Cancellarium haberet ac domus ſuæ prępoſitum. Hoc in illuſtri munere vixit ad annum uſque milleſimum ſexcenteſimum primum quo piis rebus addictiſſima Regina terram cœlo mutavit. Hic in laudando viro cujus non exhauriretur oratoris induſtria facultas? Sed ſumma perſtringimus, & ſibi eſt virtus ſua merces ac pretium. Liquet ejus conſilio eò deductam Ludoviſiam Reginam ut ſua jura omnia quæ ad conciliandam aut turbandam pacem graviſſima erant, Henrici IV. in manibus poneret, (hęc tranquillitatis initia fuerunt) eique proſpera ac ſecunda ſceptra cuperet evenire. Idem in eam mentem impulit illuſtriſſimum Principem Mercœurium, quî cum annum integrum egit ea virtute, ac palæſtra nihil ut mallet quàm poſitis armis Britannia cedere, quam propè dominatu tenebat.

Neque hic ceſſat de Francia ac Franciæ Rege mereri. It legatus in Italiam, agit de Saluciorum Marchionatus lite componenda, & diſſolvendo Reginæ Margaritæ connubio: res utraque tam proſperè ac feliciter Franciæ cecidit, quàm ſolers & providus in his inſtituendis & promovendis auctor fuerat. Tibi inquam cœlites præmia digna referant Illuſtriſſime vir, jam ſtudiorum tuorum fructu Europa lætatur. Per te verò ſuo Ludovico Juſto hęreſis domitore, fidei propagatore, S. R. E. filio, ac defenſore floret, ac triumphat Gallia.

Redit in Gallias Albaſpinæus, verum ut erat ætate ad otium jam devexa, vivere ſtatuit apud ſuos Bituriges placide in ſuæ nobilitatis incunabulis, ſed qui noverat viri ſingularem ſolertiam ac Franciæ ſuæ rebus penitus addictum animum Henricus Magnus, relangueſcere illum otio non ſinit. Evocat illum ad ſeſe, & ſacri ordinis Cancellarium, ac præpoſitum creat, anno milleſimo ſexcenteſimo quarto, ſummâ procerum omnium, ac Franciæ totius approbatione.

Ex eo tempore reſedit in ſanctiore conſilio, nec ab Henrici Magni latere diſceſſit; tam rebus omnibus felix quàm gravis maturo ſenio; Nam & Ludovici Juſti exinde ſacro interfuit, & torque ſummi magiſtri ordinum illum induit, mox & honoratiſſimæ Regni quæſturæ præfuit, cum integritatis ea laude, quam rectus ubique animus, æquabilis vita, mediocres opes, publica & conſtans ordinum commendatio detulit. Neque verò unquam, quæcunque turbæ ſecuræ ſint, à ſacro conſilio receſſit.

Ita (quæ ſumma rerum omnium eſt) in aula, Guillelmus ſine offenſione ulla, incredibili virorum principum, ac totius Franciæ, ipſius addam Chriſtianæ virtutis approbatione vitam impendit quatuor Regibus, quam ad octogeſimum & unum annum uſque produxit. Biennio porro ante mortem, cum debilitari ſibi corporis vires ſenſiſſet (nam animo ſemper vegeto & acri fuit) ſecedere voluit à curia, totumque ſe divinis rebus penituſque dedere. In eo ſeceſſu explicari non poteſt, quàm piè, quàm fervidè, quàm toto denique animo ferretur in Deum. Conſtat in eo pietatis ſenſu vivere denique deſiiſſe. Hoc ſcilicet tam pie traductæ vitæ meritum fuit.

Hæc in omni ſua vita duo conſtanter tenuit, quæ adjumenta illi credo, ad ſecundos eventus; nobilitati verò documenta maxima. Alterum quod nihil magnopere ambiret, eo contentus quod vel merito, vel gratiæ deferret ſponte ſua princeps. Alterum quod pro ſuis copiis nunquam non liberaliter, prolixeque pauperibus faceret. Hæc in ejus factis & dictis & conſiliis ſemper elucebant; ad hanc ſuos diſciplinam & domeſticos & naros educatos volebat, ut nemini jam mirum videri debeat, tantæ, ac tam illuminaræ familiæ, hodieque decus ſplendide propagari.

Anno certe milleſimo ſexcenteſimo decimo nono, quo creabantur equites, quàm facile obtinuit honoratiſſimus ſenex à Ludovico Juſto Rege Chriſtianiſſimo, ut ſe ſublato è vivis ſua illa Cancellarii ac præpoſiti ſacri ordinis dignitas in Carolo Albaſpineo filio ſuo chariſſimo, velut ſuperſtes reſideret? Nemo erat è ſacro illo conceſſu qui non votis omnibus ad hanc cooptationem exardeſceret. Neque verò non magnum ac ſingulare aliquid exſpectandum erat ab eo, cujus tanto magiſtro virtus adoleverat. Elucebant in Carolo patrii mores omnes, vis incredibilis mentis, ſingularis conſtantia, navitas, liberalitas, patriæ amor, æqui rectique ſtudium, tum in rebus maximis domi gerendis, tum in legationibus apud exteros Reges obeundis felicitas, & fides, virtutes poſtremò cæteræ, quæ ſummam ei denique dignitatem, ac ſigilla ipſa Franciæ nuper tanta conſenſione omnium attulerunt.

Hoc ipſo anno Gabriel, ramus alter Guillelmi aureus, in eundem ſacrum ordinem merito ſuo adlectus eſt, ſed nihil inquam eorum, ut eò demùm unde ſermo deflexit, redeat; nihil eorum inquam quæ ad honores dignitateſque pertinent commemorari vult ſacer Antiſtes. Nam & de bonarum artium ac doctrinæ ſtudiis, de ſanctorum Patrum ac Conciliorum exquiſita ſcientia; de veteris Eccleſiæ ac ſummorum Pontificum decretis explicatis ſumma diligentia, fœlicitate pari; de ſuo ad tuendam fidem ac jura Eccleſiarum incredibili ardore, de vi ac ſolertia mentis, de inſita præterea quotidianis moribus infuſaque manſuetudine, de omnibus inquam naturæ ingeniique dotibus quas fatentur omnes maximas in eo, illuſtriſſimaſque fuiſſe vult taceri. Una eſt in pauperes, miſericordia, quam ait ſibi ſaluti fuiſſe, cui contriti animi dolorem, perfungendi ſacri muneris obligationem ac votorum ſanctitatem refert acceptam. Unam illam prædicari de ſe ad omnes, ac pro nænia optat, pro funebri pompa, pro ara, ac monumento habere.

Et quidem, cui Martyrologium Romanum legenti non videtur hoc elogium ſine vanitate magnificum, illuſtre, ſingulare. VI. *Idus Decembris Romæ B. Eutychiani Papæ qui per diverſa loca trecentos quadraginta duos Martyres manu ſua ſepelivit.* Quanto eſt clarius hoc opus miſericordiæ, mille trophęis erectis ac purpuratis ſanguine hoſtium & galeis & clypeis, & enſibus? Iſtud autem apud D. Hier. Eximium Doctorem & ſanctorum narratorem ingenuum quanti eſſe videtur? *Pammachius munerarius pauperum, & egentium candidatus ſic feſtinat ad cœlum.* Niſi orationes omnes diſertorum hominum arte politas, & exequiarum ac præficarum conductum ordinem & ſuperba faſtigia Pyramidum ac Mauſoleorum, pretio & dignitate ſuperat. Parum intereſt ubi vile jaceat corpus, dum immortalis animus tuto loco ſit; faeit ad premendos cineres & obruenda cadavera elata illa & aggeſta lapidum moles: ad ſublevandum animum in cœlum, & beatorum cœtibus inſerendum valet erga pauperes miſericordia. Quid porro ſunt eruditorum virorum artificio perfecta & expolita elogia? Quid funebrium orationum pompa? Niſi denique ingenii ludus, & inanis pompa. Rectè teſtamento caveras Præſul miſericors: Gabriel miſericors: (hęc enim ambitionis tuæ ac nobilitatis jam ſunt nomina) ut ubicumque morerere, ibi nulla extraordinaria pompa communi cum cæteris ſepulchro, ac vulgari exequiarum jure corpus conderetur. Multo plus aſſecutus es; & pro te habendo & honoribus conſecrando certant, quibus, quia cara miſericordia, carus ſemper fuiſti. Hanc igitur unam libens volenſque tibi dependo. Is ſepulchralis eſto monumenti tui titulus, hæc honoris inſcriptio, hoc elogium laudis, hæc ut vitæ tuæ denique, ſic mei erga te obſequii officiique clauſula.

GABRIEL ALBASPINÆUS
Reverendiſsimus Aureliorum Antiſtes
dum vixit, hominibus iuxta, & ſuperis
carus, quia miſericors.

GABRIELIS

GABRIELIS
ALBASPINÆI
AVRELIANENSIS
EPISCOPI
DE
VETERIBVS ECCLESIÆ RITIBVS,
Obſervationum Libri duo.

EIVSDEM NOTÆ IN CONCILIVM ELIBERITANVM, quoſdam alios antiquos Canones, & aliquot Tertulliani libros.

COLLEGIS
ET FRATRIBVS
NOSTRIS GALLIARVM
COEPISCOPIS.

GABRIEL AURELIAN. EPISCOPUS S. D.

NON eò mihi eſt inſtituenda præfatio, uti operis hujus, quòd ſcio quàm leve ſit ac puſillum, ratio lectori conſtet: ſed ut obiter conquerar nimiam hac tempeſtate explicandi atque intelligendi antiquos Eccleſiæ Patres incuriam. Noſtra ſiquidem hæc eſt provincia, noſtræ partes ſunt docere populum, & hæreticos ab erroribus in viam autoritate & doctrina Patrum illorum reducere, ut ſi minus huic muneri ſatisfactum ſit, penes nos omnis culpa reſideat. Et potiſſimum quidem in hoc regno ubi hæreſis eò devenit audaciæ, ut libris paſſim ſuis falſas allegationes infarciat, & quæ ab initio illi arma erant metuenda, tam nunc ignaviâ noſtrâ, quàm arrogantiâ ſuâ, ſibi accommodet. Quibus incommodis nullum aliud quàm in Patribus ſubſidium invenies. Quòd ſi nullæ eſſent hæreſes, nihil æquè tamen eſſet Eccleſiæ neceſſarium ac lectio Patrum & intelligentia: ſi enim apud nos Eccleſiaſtica diſciplina aliquam veteris ſplendoris retineret imaginem, non eò uſque corruptelæ ventum eſſet, quando prioribus illis ſæculis unicum delictum mortale non niſi perpetuâ, aut ſaltem multorum annorum pœnitentiâ expiaretur. Et quidem cenſura Eccleſiaſtica quæ hodie in contemptum venit, quæ poteſtati Iudicum laicorum tradita, tantum ad detegenda minutarum mercium latrocinia uſui eſt, nec timorem aut ictum niſi pro peccato alieno & non proprio incutit, iam non eſſet Eccleſiæ ruentis indicium. ſubiretque animis identidem, quanti ponderis & gravitatis ſit quod ab illis Patribus dictum eſt, Ne ſolvatur Cenſura divina. Cætera noſtra incommoda ne pudor noſter ſuggilletur, ſilentio prætermitto. Verùm procul ab omni dubitatione eſt, Patrum lectione remedia horum malorum doceri, nobiſque nullius propè negotii futurum res collapſas reſtituere, ſi ex Patribus diſceremus, quid ſit Epiſcopus, ſubindeque intelligeremus penes nos eſſe, ſpretis exiguis quæ in manu noſtra ſunt opibus, Epiſcoporum Eccleſiæ autoritatem in integrum revocare. Quod attinet ad hæreſes, nullum adverſus eas efficacius comperio, quàm quòd in Patribus exiſtit præſidium: idem nobiſcum de Sacramentis & ſcripſerunt & locuti ſunt, eandem nobiſcum fidei regulam tenuerunt, eaſdem ceremonias obſervabant: ad nos iſta fides continuâ ſucceſſionis ſerie pervenit: huic ſtandum eſt, hac nihil verius atque tutius eſſe credendum. Hæc veritas firmis adſtructa rationibus, ius habet in

omnes mortales, nec quiſquam eſt adeo pervicax, qui non ſuo ipſius calculo coudemnetur. Nam ut quis obteudat homines eſſe, ideoque errare potuiſſe, vana eſt exceptio: fierine poteſt, ut omnibus ſaeculis, omnibus prope aunis, omnibus in partibus terrarum tot ſaucti Patres hallucinati ſint, quodque ipſi credebant ac factitabant, falsò ſcriptis prodiderint? Vno verbo reſpondet Tertullianus, Ecquid veriſimile eſt, ut tot ac tantæ in unam fidem erraverint? Addit, quòd apud multos unum invenitur, non eſt erratum ſed traditum: ii ſunt apud quos Domini noſtri teſtamenta & Apoſtolorum mandata, & antiquitatis tabularia, denique acta Eccleſiae publica & antiquá ſunt depoſita. Et ſi obiiciatur centum iam annos, tot religioſis ordinibus mancipatos, tot doctrinâ praecellentes viros in hoc inſudaſſe, iamque ita noſtrae fidei, noſtrorum ſacramentorum, & ceremoniarum cum autiqua Eccleſia convenientiam elucidaſſe atque comprobaſſe, ut qui conetur meliora, vel magis profutura ſperet, fruſtra ſit. Nihil hercle, meritis ac doctrinae tot excellentium virorum addi poteſt, ſed tria expendenda ſunt, uuum, hereſim ſuo naſcendi primordio à Patribus abhorruiſſe, iiſque rarenter uſam eſſe, quos verò poſtmodum Patres in ſui defenſionem aſſumpſerit, eos demum hereticorum calumnia & contagione eſſe liberandos. alterum, haereticos contra ſe allegata quodammodo reſolviſſe, atque in dies uovis apologiis & replicationibus edendis pergere: quibus ſit reſpondendum: poſtremum, quod ut facile eſt inveutis addere & vetera interpolare, ingenia hujuſce temporis quae omiſſa ſunt in Patrum ſcripeis tum exercitatione tum labore eruere, eorumque ſenſum multò faciliùs quàm hactenus factum ſit, poſſidere. Cuius rei exemplo eſt Illuſtriſſimus Cardinalis Perronius, qui diviuo ingenio, & tot praerogativis ad intelligentiam Patrum ſibi datis, immane quantum ad ea quae adverſus haereticos dicta fuerant, addiderit: quod idem ſcribit, quod expromit, quanto ſolidius eſt, quanto nervoſius, quanto maiorem omnibus affert admiratiouem? Argumento eſt, quod nec eius ſcripta audire, nec legere ſuſtinent. Verùm ne diſciplinam Eccleſiaſticam & Coutroverſias omittamus, cui noſtrum Theologia horum Patrum magnam partem ſatis intelligitur? Debuitne quidquam ex eorum ſcriptis nobis incognitum eſſe aut difficile? Quot loca, quòd minus intelliguntur, corrupta eſſe dicuntur? Quàm multi ex nobiliſſimis huius aevi ſcriptoribus atque interpretibus in explicaudo aberrarunt? Ipſi etiam haeretici audent in Patres ſcribere Commentarios, quaſi aliquid ipſorum interſit, eoque modo multa Patribus, quaſi ſecum facieutibus, prorſus ab eorum mente aliena in rem ſuam affiugunt. Quod quidem Eccleſia facilè impediret, ſi quid penſi haberet, illis optimos dare Interpretes. Ergone huic cauſae & muneri noſtro ſemper indormiemus? Au opes, au homines, an voluntas ipſa nos deficit? Nunquid in hos uſus omnes Eccleſiae opes noſtri arbitrii ſunt? Quid ſinimus perire tempus, captum & labores tot hominum, tot virorum excellentium, quorum ingenia otioſa reliquuntur? Nunquid effici poteſt, ut horum vota, labores, vigiliae, eodem ductu, eadem autoritate & conſilio, progreſſu temporis ad intelligendos peritiſſimè Patres, ad legendas Controverſias, ad reſpondendum omuibus omnium haereticorum ſcripeis inter ſe devotione quadam conſpireut? Nunquid nonnullorum doctiſſimorum exercitatiſſimorumque hominum collegium inſtitui, tanquam ſcientiarum templum & oraculum, unde antiqui Patres ſuę doctrinę, ſuorumque ſcriptorum reſponſa & rationes edant. Et quandoquidem in unum ſępe convenimus, ut rerum Eccleſiaſticarum rationem & curam aliquam ineamus, Deum Optimum Maximum oro obſe-

troque, ut hanc mentem nobis det, & in hoc negotium totis animis incumbamus. Valete. Aureliis anno Domini milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo ſecundo, Menſis Iunii vigeſimo primo.

SERIES
OBSERVATIONVM
LIBRI PRIMI.

I.	*QVID ſit Communio, Communicare, Excommunicatio.*	*fol. 9.*
II.	*De Communione Eccleſiaſtica.*	*10.*
III.	*De Communione peregrina.*	*11.*
IV.	*De Communione laica.*	*13.*
V.	*De Oblationibus.*	*18.*
VI.	*De Communione ſine Oblatione.*	*20.*
VII.	*Nomen Offerre.*	*21.*
VIII.	*De Communione per Eulogias.*	*22.*
IX.	*Cur mortuis Sacramenta Baptiſmi & Euchariſtiæ praberentur.*	*ibid.*
X.	*Qua ratione mortuis ius Communionis redderetur.*	*24.*
XI.	*Quid ſit viaticum.*	*25.*
XII.	*Lætitia ob ſuſceptam Euchariſtiam.*	*27.*
XIII.	*De celebritate & jejuniis Sabbathorum.*	*ibid.*
XIV.	*Primis ſæculis tempore jejunii nemini licuiſſe Euchariſtiam ſumere.*	*30.*
XV.	*Quæ feſtorum dierum ſolemnitas à Paſchate ad Pentecoſten interjecta fuerit.*	*32.*
XVI.	*De Stationibus Chriſtianorum.*	*33.*
XVII.	*Ab oſculo pacis abſtinebant diebus jejunii.*	*37.*
XVIII.	*De Agapis.*	*38.*
XIX.	*De Fraternitate Chriſtianorum.*	*40.*
XX.	*De Martyrum authoritate.*	*41.*
XXI.	*De Martyribus, Confeſſoribus, Extorribus, Libellaticis, Thurificatis, Sacrificatis, Blaſphemis, & Lapſis.*	*42.*
XXII.	*De Sacerdotio Gentilium.*	*43.*
XXIII.	*D. Cypriani Epiſtolæ ad Antonianum locus inſignis de Summi Pontificis authoritate.*	*47.*
XXIV.	*Petere maritum à vidua.*	*48.*
XXV.	*Chriſtianus, Fidelis, Sanctus, Iuſtus.*	*ibid.*

SERIES
OBSERVATIONVM
LIBRI SECUNDI.

I.	*PRIMA Catechumenorum Pœnitentia.*	*50.*
II.	*Altera Catechumenorum Pœnitentia.*	*54.*
III.	*Pœnitentia quæ poſt baptiſmum imponebatur.*	*56.*
IV.	*Diſcrimen inter Excommunicatos & Pœnitentes perpetuæ pœnitentiæ.*	*62.*
V.	*Vnica poſt baptiſmum Pœnitentia.*	*63.*
VI.	*Toties indultum, quoties peccatum.*	*64.*
VII.	*Abſolutio in morte denegata.*	*ibid.*
VIII.	*Canonum auctoritas.*	*66.*
IX.	*Apoſtatæ nec in morte abſoluti.*	*67.*
X.	*Quando primùm admiſſi.*	*ibid.*
XI.	*Lapſis nec in morte pax conceſſa.*	*68.*

XII. *Lapſorum reſtitutio.* ibidem.
XIII. *Monſtris nulla unquam venia indulta.* 73
XIV. *Quo tempore monſtris gratia facta.* ibid.
XV. *Homicidis pax in exitu denegata.* ibid.
XVI. *Quo tempore eis indulta.* 74
XVII. *Mœchi ad communionem non admiſſi.* 75
XVIII. *Quando primùm ad eam admiſſi.* ibid.
XIX. *Pacem à Martyribus exorabant.* 76
XX. *Hæreſim quamobrem induxerit Novatianus.* 77
XXI. *Qua in re potiſſimum verſaretur.* ibid.
XXII. *Primus gradus Pœnitentiæ.* 78
XXIII. *Secundus gradus Pœnitentiæ.* 81
XXIV. *Tertius gradus Pœnitentiæ.* 82
XXV. *Quartus gradus Pœnitentiæ.* 88
XXVI. *Exomologeſis.* 90
XXVII. *Apud Diaconum Exomologeſim facere. D. Cyprianus Epiſtola 17. libro 3.* 92
XXVIII. *Mortis metu abſoluti, ad pœnitentiam revocabantur.* 93
XXIX. *Excommunicatos & Pœnitentes orare inter Catechumenos.* 94
XXX. *Quid ſit plena Pœnitentia.* 95
XXXI. *Quatuor manûs impoſitiones in decurſu pœnitentiæ.* 96
XXXII. *Prima & minima reconciliatio.* 98
XXXIII. *Vltima & maxima reconciliatio.* 100
XXXIV. *Pœnitentes à Clero removebantur.* 102
XXXV. *Panis benedictus nunquam dabatur Catechumenis.* 105
XXXVI. *Minuta Catechumenorum Sacramenta ex fidelium Oblationibus deſumpta.* 106.

NOTÆ IN VARIA
CONCILIA.

Notæ in Canones Concilii Eliberini. fol.108
Notæ in quoſdam Canones Conciliorum Hiſpaniæ. 127
Notæ in quoſdam Canones Conciliorum Aſiæ. 129
Notæ in Caput ſecundum Epiſtolæ tertiæ ſancti Innocentii ad Exuperium. 139
Notæ in quoſdam Canones Conciliorum Galliæ. 141
Notæ in quoſdam Canones Conciliorum Carthaginenſium. 149

NOTÆ IN QVOSDAM
TERTVLLIANI LIBROS.

Notæ in librum Tertulliani ad Scapulam. 156
Notæ in libellum Tertulliani de Pœnitentia. 157
Notæ in libellum de Oratione. 161
Notæ in Librum II. ad Vxorem. 162
Notæ in Libellum de Præſcriptionibus. 166
Notæ in Librum de Pudicitia. 169

QVIDAM TERTVLLIANI LOCI EXPLICATI.

De Spectaculis cap. 29. p. 281

Lib. V. Carminum cap. 8. ibid.

De Monogamia cap. 11. p. 282

De Corona militis cap. 3. ibid.

De Spectaculis cap. 25. p. 283

GABRIELIS ALBASPINÆI
EPISCOPI AVRELIANENSIS
OBSERVATIONVM ECCLESIASTICARVM
LIBER PRIMVS.

OBSERVATIO I.

QVID SIT COMMVNIO, COMMVNICARE, EXCOMMVNICATIO.

MULTA in uſu & conſuetudine hominum poſita ſunt, quæ etſi à majoribus noſtris manaſſe tradantur, longo tamen temporis tractu ſunt ita mutata, aut in alium uſum tranſlata, fere ut nihil aliud quàm nomen ex priſtino inſtituto retineant. Satis ſi mihi eſſet otii, in cunctis artibus & diſciplinis ita ſe rem habere oſtenderem. Inde verò magni errores conſecuti ſunt: nam harum rerum ſi fortè nunc incidat mentio, eas non uti fuere, ſed quales hodie ante oculos noſtros verſantur, concipimus, atque de iis diſſerimus. Animus enim ſe à conſuetudine rerum quas videt, quas cernit, quibus utitur, non patitur adduci neque poteſt mente complecti, earum quarum nomen uſque adhuc permanſit, vim quoque & naturam non permanſiſſe. Quod cùm ſæpe in aliis rebus, tum maximè in his vocibus cernere eſt, *Communio, Communicatio, Communicare, Excommunicatio.* Nam nihil eſt aliud quidquam, cur apud Patres quæ de his habentur, ad Euchariſtiæ Communionem, ipſamque ſolam Euchariſtiam omnes referant, niſi quod hodie inter nos nihil ſit in uſu quod *Communionis* appellatione intelligatur præter Euchariſtiam, vetuſque ille communicandi ritus partim vetuſtate deſierit, partim ad ſolam Euchariſtiam reſtrictus ſit. Quis enim unquam meminerit, ſi memoria plus valet, excommunicatum ab omni hominum commercio & ſocietate expulſum & ablegatum ſe vidiſſe? Si quis unquam hoc ſæculo, quod neſcio an acciderit, Communione fuit privatus, ſola fuit Euchariſtiæ perceptione: in reliquis ſuæ vitæ partibus, quam ante excommunicationem habuit, eandem cum cæteris fidelibus conſuetudinem & uſum retinuit. Eò fit ut quoties de Communione eſt ſermo, quæ nunc eſt hujuſce vocis ſignificatio, quam quæ olim obtinebat libentius occurrat: animuſque uſitata ac familiari notione quàm veteri, citiùs occupetur. Sed ut hunc errorem tollamus, legitima hujuſce vocis explicatio è veteribus eruenda eſt: qui quò propiùs aberant ab ortu & origine Eccleſiæ, hoc meliùs fortaſſe quid ſit Communio, docere poterunt.

Communionem latiùs multò patere quàm Euchariſtiam, vel ex eo perſpicuum eſſe poteſt, quòd Eccleſiæ Communionem accipere, atque adeò ad eam pœnitentes ſine Euchariſtia poſſent admitti
A quæ nullo etiam tum negotio probare poſſemus; niſi ſatius eſſet continenti oratione hanc explicationem diſcutere. Communio igitur quæ aut ad res ſacras, aut ad vitæ conſuetudinem & hominum ſocietatem pertinet, prorſus ea omnia complectitur. Qui enim omnimode communicabat, in rebus non ſolùm ſacris & Euchariſtia, ſed etiam in omnibus omnino rebus quæ in hominum vita & commercio verſantur, cum cæteris fidelibus communicabat. Atque ut jus illud Communionis ſitum erat in rerum omnium humanarum & divinarum participatu & ſocietate, ita Excommunicatorum (ex quorum cognitione quid ſit Communicare, & Communio conſtabit liquidiùs) diverſa omnino erat conditio, non ſolùm à ſacris arcebantur; ſed etiam omnes eos aſpernabantur, omnes abhorrebant, omnes eos ut putre membrum & reſecandum fugiebant, cum iis rationem inire, aut
B rem ullam contrahere nefas erat, nemo eos ſalutatione, nemo fratris appellatione, nemo aſpectu, nemo alloquio, nemo convivio eos dignos judicabat, tanta ſeveritate ut ne Deo quidem preces cum eis adhibere liceret. Canone Apoſtolorum 10. *Si quis cum Excommunicato, licet in domo preces conjunxerit, iſte Communione privetur.* Canone 33. Laodicenſis Concilii: *non oportet cum hæreticis, vel ſchiſmaticis orare.* Canone 2. Antiochenæ Synodi primæ: *non autem licet communicare Excommunicatis, neque cum his per domos ingredi, & cum eis orare, qui Eccleſiæ non participant in oratione, nec in alteram Eccleſiam recipi, qui ab alia excommunicantur.* Canone 73. Carthaginenſis quarti: *qui communicaverit, vel oraverit, cum Excom-*
C *municato, ſive Clericus, ſive Laicus, excommunicetur.* Quod à conviviis excluderentur, ſi authoritatem poſtulas, habes Canonem 30. Arelatenſis ſecundi: Canonem 15. 16. 18. Toletani primi: Cononem 3. Concilii Venetici: Canonem 8. Turonici primi: Canonem 3. 3. 15. Concilii Aurelianenſis primi: Can. 13. Ilerdenſis, Canonem 4. & 14. Avernenſis, Canonem 6. & 11. *Si quis relictam fratris, ſororem uxoris, privignam, conſobrinamve relictam, id eſt patrui, vel avunculi carnalis contagii macula crediderit violandam, à Chriſtiano cœtu atque convivio & Eccleſiæ Communione privabitur.* Quid? ne panem quidem cum eis ſumere ſatis tutum videbatur: Canone 15. Epaonenſis Concilii: *Si ſuperioris loci Clericus hæretici cujuſcunque convivio interfuerit, anni ſpatio pacem Eccleſiæ non habebit. Quod ſi minores Cleri-*

ei præſumpſerint, vapulabunt. A Judæorum conviviis etiam Laicos conſtitutio noſtra prohibuit, & ne cum illo Clericus panem comedat, quiſquis in Judæorum fuerit convivio inquinatus Canone 39. Antiſſiodorenſis Concilii: *Si quis presbyter aut quilibet de Clero aut de populo Excommunicato abſque voluntate ipſius qui eum excommunicavit, ſciens receperit, aut cum illo panem manducaverit, vel colloquium habere decreverit, ſimili ſententia ſubjacebit.*

Colloquia præterea cum eis habere iidem ipſi Canones vetabant, quos modò ex Conciliis Toletano, Aurelianenſi, & Antiſſiodorenſi retulimus. In reliquis denique, quæ in quotidianæ vitæ uſum cadunt, nihilo magis eos cum cæteris fidelibus communicaſſe, vel hoc argumento colligere licet, quod eis in publicum aut in cujuſquam conſpectum venire, ne quidem, niſi lugendi cauſa, liceret; ſi decreto quod vulgò tertio Carthaginenſi adnectitur, fides habenda ſit. Expoſui fere quicquid de Excommunicatis traditur, ſed paulò fuſiùs, ut faciliùs in cognitionem Communionis, quave in re conſiſteret, deduceremur.

Cæterum ex ipſius etiam vocis notione, atque ex iis quæ de ea in Conciliis tradita ſunt, poſſumus oſtendere, qua in re potiſſimum jus illud Communionis poſitum eſſet, unde quilibet etiam intelligere poterit conſuetudinem, & uſum ejus vocis qui nunc eſt, à vera, legitima, & antiqua illius verbi acceptione deflexiſſe. Patres Concilii Nicæni canone undecimo, duodecimo, & decimo tertio quoſdam pœnitentes omnium rerum, præterquam Euchariſtiæ participes fecerunt: quam communionem Joannes Zonaras ita explicat: *Si cui verò in eo diſcrimine Communio quaſi morienti conceſſa ſit, ſeque is poſtea morti ſubtraxerit, cum fidelibus quidem orare, non tamen iterum communicare Sacramentis licebit.*

Quin etiam deſines quærere quid ſit Communio, ſi ad Ancyrani Concilii Patres rem deferas; nam eorum in lapſos judicium ad Euchariſtiam referri nequit, quibus poſt aliquod tempus omnia, cum cæteris fratribus volunt eſſe communia, præter Euchariſtiam: cui enim cum fidelibus ſupplicationes facere, & orare liceret, is ad omnia quæ erant in ſocietate Chriſtiana, unâ exceptâ Euchariſtiâ, jus habere cenſebatur: itaque probè definitur hæc Communio à Zonara, *Communionem* namque hoc loco, non ſacri corporis & ſanguinis perceptionem; ſed ſolam cum fidelibus conſociationem intelligit.

Sed cùm omnia antiquorum ſcripta luſtraveris, nullibi clariùs quàm in canone duodecimo Concilii Arelatenſis ſecundi, hæc vox Communionis explicatur: *De his qui in pœnitentia poſiti, vitam exceſſerunt, placuit nullum Communione vacuum debere dimitti; Sed pro eo quod honoravit pœnitentiam, oblatio ejus recipiatur.* Homo mortuus, cui propterea Euchariſtia præberi non poterat, ad Communionem, & ſocietatem cæterorum fidelium revocatur; neque obeſt, quod quis poſſet ſuſpicari, ſolitos nonnunquam fuiſſe mortuis Euchariſtiam infundere, ut refertur in Canone 6. Concilii Carthaginenſis tertii. Nam ille ipſe de quo agitur in Concilio Arelatenſi muneribus & oblationibus, quas parentes ex ejus teſtamento præſtare debebant in communionem fidelium revocabantur; ut eodem canone habetur, *oblatio ejus recipiatur.*

Ni longum eſſet, & moleſtum, pluribus docerem vim hujuſce vocis, & ſignificationem multa alia præter Euchariſtiam complecti, ut canone 7. Concilii Carthaginenſis primi *Communio paſſiva.* Item *alterius fugiens Communionem*, item canone

A Apoſtolorum 29. Concilio Romano tertio apud Innocentium ad Exuperium, Concilio Antiocheno canone 4. Concilio Agathenſi canone 2. 3. & 32. Concilio Carthaginenſi canone 79. oblationibus in communitatem Eccleſiæ mortui pœnitentes recipiuntur, quemadmodum judicatum fuiſſe diximus in Concilio Arelatenſi 2. Concilio Taurinenſi canone 5. Concilio Toletano primo canone 17. Concilio Milevitano canone 22. 24. 25. Concilio Carthaginenſi 6. canone 10. Concilio Carthaginenſi 7. canone 5. Concilio Africano canone B 101. Concilio Arauſicano canone 3. Concilio Vaſenſi primo, & ſecundo, canone 2. & 8. Concilio Arelatenſi tertio canone 3. Concilio Venetico canone 3. Concilio Tarraconenſi canone 6. quibus omnibus locis Communio pro Euchariſtia nequaquam ſumitur, verum pro jure quod quis *habere poſſet in communitate fidelium, & corpore Chriſtianorum*, quod jus & ſocietatem tanta religione defendebant, (teſte Tertulliano *ſocietates Eccleſiam defendere*) ut non solùm Excommunicatum fugerent quia ab Eccleſia ita juberetur; ſed etiam, quia revera exiſtimarent colloquio aut alia cum Excommunicato familiaritate fidelem infectum iri Scriptura id atteſtante, *modicum fermentum totam maſſam corrumpit*, item, *quæ communicatio luci & tenebris.* Unde S. Cyprianus C exiſtimat, eum cum Hæreticis communicare, qui eorum Baptiſmum probaret, & pari jure & poteſtate cum Orthodoxorum baptiſmo pollere aſſereret: atque iſtam Communicationem vel hoc ipſo facto conſtituere, & deſignare cæteros fideles, conſcios ac reos errorum omnium, ac peccatorum quibus implicantur hæretici, *à quacunque hæreſi venientem baptiſari in Eccleſia vetuit, id eſt omnium hæreticorum baptiſmata juſta eſſe, & legitima judicavit, & cum ſingulæ hæreſes ſingula baptiſmata habeant, hic cum omnium baptiſmo communicans, univerſorum delicta in ſinum ſuum coacervata congeſſit.* Epiſtola contra Stephanum. Ita Concilio Carthaginenſi habito, tempore Divi Cypriani, Epiſcopus Victor ait eos qui hæretico- D rum baptiſmum probant, & cum eis hac in re communicant, Chriſtianos fideles inficere, nec ab iiſdem hæreticos purgari: *nec hæreticos purgat, & Chriſtianos inquinat*, ita Epiſcopus Confeſſor eodem in Concilio aſſerit: *qui enim baptiſma Eccleſiæ commune cum hæreticis facit, ſponſam Chriſti adulterii prodit.* Hujus autem odii publici & execrationis, quo ab Excommunicato tantopere abhorrerent, cauſa non fuit alia, quàm quod timerent, ne corpus Chriſti, Eccleſiam, fidelium ſocietates, jus Communionis Chriſtianæ, peccatores conſortio ſuo inficerent.

De Spectaculis.

1. Cor. 5.
2. Cor. 6.

OBSERVATIO II.

E

De Communione Eccleſiaſtica.

COmmunio eo modo ſumpta pro ea parte & commonione quæ cuique fidelium cum cæteris eſſet fidelibus, in corpore Chriſti in laicam & Eccleſiaſticam ab antiquis dividebatur: quarum hæc clericorum, illa laicorum, jus in Chriſti corpore myſtico & Eccleſia ſignificabat. Et quemadmodum eadem in plebem, & ordinem, ut ait Tertullianus, dividitur, totaque ex his duobus inſtituitur, ita Communio Chriſtiana, id eſt corpus Chriſti, ex laicis & clericis, atque ea iſtis duabus Communionibus, laica ſcilicet & Eccleſiaſtica, conſtat. Nam cùm Communio generatim ſumpta, nihil aliud ſit quam ipſamet Eccleſia, ex iiſdem eas partibus & membris componi neceſſe eſt. De laica paulò poſt erit dicendum: de Eccleſiaſtica hoc nunc ha-

beo, quod tot genera & ſpecies hujuſce Communionis cenſerentur, quot ſunt ordinum gradus, & quot modis ab his gradibus excidere poterant clerici: qui enim in Epiſcopum adlectus eſſet, longè alia ratione hujuſce communitatis erat particeps, quàm qui ſola Diaconatus aut Preſbyteratus dignitate pollebat. Rurſus cùm nonnunquam evenire poſſet, ut gradus ſui honore is non privaretur, cui tamen ob aliquod crimen, ejuſdem gradus munia obire non liceret, exempli cauſa, ſedis & conſeſſus honor cuipiam Epiſcopo relinqui poterat, cui verbi divini adminiſtratio, pœnitentiæ conceſſio, & cæteræ ejuſmodi Epiſcopatus partes interdictæ, & prohibitæ eſſent; huic ergo, quamvis Epiſcopo, non eadem erat pars, nec æqua omnino in eadem Communione cum cæteris Epiſcopis, quod videlicet de ea nonnihil amiſiſſet, & jus illud ei imminutum eſſet. Itaque ut paucis abſolvam, nam longum eſſet nimis per ſingulas depoſitionum claſſes percurrere, tot erant hujuſce Communionis ſpecies, totque in Conciliorum canonibus enumerantur, quot diſpoſitionum genera, quæ cùm eſſent penè infinita, hujuſce etiam Communionis jus, & participatio variis modis concedi, & imminui poterat: Illud unum monendum eſt, cùm quis omnimoda depoſitione, ut aiunt Canones, & perpetua puniretur, hoc eſt, cùm quis, tam à gradus honore quàm functione removeretur, eum jus integrum Communionis Eccleſiaſticæ amiſiſſe, & inter laicos fuiſſe relegatum, cum quibus Communione laica non minùs quàm cæteri laici fruebatur. Præterea notandum eſt quotieſcumque in Canonibus à communione clerici ſecluduntur, quamvis nihil aliud adjectum ſit, quo genus Communionis ſignificetur, id de Eccleſiaſtica Communione eſſe accipiendum: Quæ ab iiſdem Eccleſiaſtica, nonnumquam etiam Sacerdotalis vocatur.

OBSERVATIO III.

De Communione Peregrina.

Significavit author hoc loco in scholiis ſecundo ſe e- [illegible] *de hac communione peregrina* [illegible] *ſententiam.*

Significavit author hoc loco in scholiis hanc ſententiam ſuam ſibi diſplicere, ſed nihil reperimus amplius.

HÆc vox Communio, cùm in uſu ſermonis quotidiani nihil extra Euchariſtiam ſignificet, mens noſtra locutioni huic innutrita, in acceptione vocabuli uſitatiore acquieſcit, paulum admodum attendens tempus canonum, Patrum ſcripta, & ſignificationem, qua in veteri Eccleſia uſurpatur: id nimirum cauſæ eſt cur paſſim Communio pro Euchariſtia accipiatur. Inde quamplurimi doctrina præſtantes viri, ſi vera conjicio, exiſtimaverunt Communionem peregrinam, nil aliud eſſe quàm Communionem Euchariſtiæ ſub altera ſpecie, licet loci ferè omnes in quibus de ea fit mentio, liquidò refragentur, & longè aliam ſignificationem inſinuent. Sed quoniam communi calculo ſententia hæc obtinet, diſſolvenda nobis eſt, antequam noſtram adducamus. Vix ſuperant quatuor aut quinque loci qui de ea mentionem faciant, in pleriſque omnibus pro *pœna inuritur clericis, qui maximorum facinorum criminibus obnoxii ſunt, & ob delicta, quæ anathemate coerceri debeant, ut probra, contumacia, furtum, ſacrilegium.* Inde perſpicuum fieri veroſimile non eſſe, rem tam ſanctam, & ſacram Communionem nimirum ſub altera ſpecie, adhibitam fuiſſe pro pœna graviſſimorum criminum, ſaltem illis ſæculis, quibus leviſſima peccata Excommunicatione in multos annos luebantur. Accedat veteres Patres Euchariſtiam tanti feciſſe, & in ea diſpenſanda tantum curæ & ſagacitatis adhibuiſſe, ut eam non rarò quibus gratiæ beneficium impertiebant, etiam morte inſtante, aut laborioſiſſima & cruciabili pœnitentia purgatis denegarent. Ab hac ante omnia peccatorem removebant, hanc ægrè & ultimo loco pœnitenti reſtituebant, ejuſque concedendi facultatem ſolis Epiſcopis largiebantur. Quapropter quis credere poterit Euchariſtiam in pœnam clericorum facinoroſorum adhibitam fuiſſe? Præterea hoc illis probandum incumbit teſtimoniis minimè levibus tempore Conciliorum, in quibus de peregrina Communione fit mentio, omnes qui in canone eccleſiaſtico recenſerentur, Clericos, Diaconos, Subdiaconos, Lectores, Exorciſtas, Oſtiarios, Acolytos, cæteros denique, ſub utraque ſpecie communicaviſſe: alioqui peregrina Communio in pœnam uſurpata non fuiſſet, cùm eorum judicio nihil ſit aliud, quàm Euchariſtiæ participatio ſub altera ſpecie. Quem enim hodie tam vacui capitis reperias, qui ab Acolyto ſat graves pœnas exegiſſe crederet, ſi eum ſub una tantùm ſpecie juberet communicare? Tertiò quare laici etiam Communione peregrina non puniuntur, cùm primis illis temporibus ſub utraque ſpecie communicarent. Quòd ſi mihi reſpondeatur quinto ſæculo tum demum Concilia Communionis peregrinæ mentionem feciſſe; tandem ediſſerant, quamobrem clerici qui a Diaconis ſuberant, & qui nunquam, niſi laicorum more communicabant, peregrina tamen Communione plecterentur?

Sed quoniam exiſtimant peregrinam Communionem nihil aliud eſſe quàm laicam Communionem: quærendum ex eis, cur temporum illorum Eccleſia, rem eandem verbis tam diſſitis, & repugnantibus nuncupaverit?

Sed accedamus ad penſiculatam horum quatuor canonum examinationem. Quis non videat dictu eſſe ridiculum Agathenſis Concilii Patres Euchariſtiam conceſſiſſe, etiam ſub altera ſpecie, ei qui capitale crimen admiſiſſet, & bona Eccleſiæ ſurripuiſſet? *Si quis Clericus furtum Eccleſiæ fecerit, peregrina ei Communio tribuatur* Canone quinto: peccatum illud nempe, quod Sacrilegium vocatur, quodque à cæteris Conciliis indeſinenti Excommunicatione vindicatur.

An cenſere debemus Patres Concilii Agathenſis, qui tam acerbè in clericos vinolentos animadverterunt, qui clericos tribunali laicorum ſe ſubmittentes tam ſeverè proſcripſerunt, & eos qui bona Eccleſiæ, quorum uſus ab Epiſcopo conceſſus erat diſtrahebant, fulmine cenſurarum afflaverunt, ſacrilegis Euchariſtiam conceſſiſſe, ut patet in Canonibus ſeptimo, octavo, vigeſimo ſecundo, & quadrageſimo primo? In Concilii Agathenſis canone ſecundo, quibuſcumque tandem clericis contumacibus peregrina Communio indulgetur. Atque exiſtimarem Agathenſis Concilii tempore minorum ſubſelliorum clericos, ut & laicos ſub altera tantùm ſpecie communicaviſſe, quamvis non tam facilè expediri poſſit, quo tempore utriuſque ſpeciei uſus immutatus fuerit, & ſola panis ſpecies populo exhibita: unde colligitur in illo canone de Communione ſub una ſpecie non agi: *Et ſi qui prioris gradus ſuperbia elati Communionem fortaſſe contempſerint, aut Eccleſiam frequentare, vel officium ſuum implere neglexerint, peregrina eis Communio tribuatur, ita ut cum eos pœnitentia correxerit, reſcripti in matricula gradum ſuum dignitatemque recipiant.* Denique canon 16. Concili Ilerdenſis Communionis peregrinæ meminit, ſed non alio ſenſu quàm Concilium Agathenſe: nam clerico ſacrilego, itidem Communionem indulget. Nec ergo Concilium Ilerdenſe Communionem peregrinam pro Euchariſtia ſub una ſpecie accepiſſe

Gab. Albaſpin. Obſervat. lib. 1.

dicendum eſt. *Vix quoque peregrina ei Communio concedatur.* Non deerunt forſan qui adderent 2. canonem Concilii Agathenſis innuere videri, in peregrina Communione pœnitentiam adhiberi ſolitam, propter hæc verba, *ita ut cum pœnitentia eos correxerit.*: quapropter ab omni ratione alienum eſſe peregrinam Communionem pro Euchariſtia accipere. Nam ante peractam pœnitentiam, Euchariſtia nunquam pœnitentibus indulgebatur. Sed ut arbitror, non ibi pœnitentia accipi debet pro pœna quæ pœnitentibus ab Eccleſia imponebatur; cùm canon nil aliud velit, niſi quod dum à cæteris ſegregatus fuerit clericus qui peccavit, ſi animum mœroribus dejiciat, & quæ admiſit triſti tractatione mutare ſit paratus, in priorem gradum reſtituatur: & ibi pœnitentia accipitur pro anxietate, & non pro afflictationibus carnis, quæ ab Eccleſia imponebantur. Nam quando Clerici ſolo gradu aut Communione Eccleſiaſtica privarentur, non privabantur Communione Euchariſtiæ niſi id expreſſum eſſet in eorum elogiis & judiciis. Adde pœnitentibus ſpem omnem redeundi in clerum proviſam fuiſſe, quapropter cum eodem canone dicat eos gradum recuperare poſſe, de Eccleſiæ pœnitentia ea vox *pœnitentia* non eſt intelligenda. Atque etiam inter cætera advertendum eſt, hæc verba, *Communionem contempſerunt*, quæ in eodem canone habentur, non intelligi de Euchariſtia, ſed Communione, quam clerici habebant ad invicem.

Supereſt ut explicem meam de Communione peregrina ſententiam, quæ nihil aliud eſt, niſi me fallit opinio, quàm communitas & conſociatio, quæ preſbyteris, ſive aliis clericis, qui ſine formatis, aut commendatitiis litteris peregrinabantur, indulgebatur in ſocietate clericorum, & Communione Eccleſiaſtica. Hac interdum puniebantur clerici qui peccaverant, licet peregrini non eſſent, & in certa diœceſi domicilium haberent. Atque ut luculentius perſpiciatur, qua in re poſita fuerit, meminiſſe oportet omnem antiquam diſciplinam, in nulla re alia conſtitiſſe magis, quàm in communicatione cum corpore Eccleſiæ, omneſque pœnas eò directas fuiſſe, ut ab hac Communione peccatoribus interdiceretur, utputa laicos Communione laica privare, & fideles à participatione cum ipſis abſtinere, clericos à Communione Eccleſiaſtica oppidò ſummovere; necnon & à laica, ſi peccatum præponderaret. Præterea animadvertendum eſt, veteres Patres non tantùm cenſuiſſe peccatum in Deum eſſe ſi peccatoribus communicaviſſent, aut orando, aut comedendo, aut combibendo; ſed etiam ſe tanquam conſcios maxima contagione inquinari, & fraudes inexpiabiles concipere. Ea de cauſa litteræ formatæ ſubintroductæ ſunt: inde etiam veteres canones omnem curam, & cautionis omne genus adhibent, ut fideles à conſortio & ſocietate peccatorum ſecludantur. Quando igitur Epiſcopus, preſbyter, clericus peregrinabantur, placuit, ut nullus Epiſcoporum navigaret, ſine formata Primatis: item, ut clerici ſine formata, & conſcientia Epiſcopi, per alienas plebes non vagarentur. Tum demum, ut nullus peregrinus ſine formata Epiſcopi acciperetur, ſuper quibus litteris Epiſcopi ad quos facilis aditus patebat, ſcribebant peregrinis illac iter fuiſſe, viſiſque litteris, eorum à quibus profecti erant Communionem indulſiſſe: alioqui peregrinus ille non accipiebatur, neque ulli rei Eccleſiaſticæ aut civili cum clericis diœceſis, qua illi iter erat communicabat, & quaſi excommunicatus habebatur. Verum enimverò quamvis frons, oculi, vultus perſæpe mentiantur, oratio verò ſæpiſſime, ſi tamen peregrino litteræ formatæ excidiſſent, ſi interceptæ, aut alio quovis caſu amiſſæ fuiſſent, aut Epiſcopus quacunque tandem de cauſa eas denegaviſſet; vel ſi qua tandem ſuſpicio ſubeſſet, non omnino rejiciebatur, quia dubitatio oboriebatur, num vera eſſent quæ allegaret. Itaque non ea injuria afficiebatur, ut excommunicatis annumeraretur; ſed neque ad Communionem Eccleſiæ admittebatur, ne aut ovis morboſa, & tabida quæ gregem inficeret, in caulam Domini noſtri Jeſu Chriſti intraret: ſed ſeorſim ſumptibus Eccleſiæ in loco ſemoto alebatur ubi orabat, & in eo ſtatu erat ut laicus non eſſet, nec tamen Communioni Eccleſiæ participabat, neque ullis clerici muneribus defungebatur, id videre eſt in 32. canone Apoſtolorum, *Nemo peregrinorum Epiſcoporum, aut Presbyterorum, aut Diaconorum ſine commendatitiis ſuſcipitor litteris, & ſi eas obtulerit, attentius in diſquiſitionem vocantor. Et quidem ſi prædicatores pietatis fuerint, ſuſcipiuntor, ſin minùs ubi neceſſaria eis ſuppeditaveritis, ad Communionem & ulteriorem ipſos conſuetudinem non admittote, multa enim per ſubreptionem fiunt:* quo canone mea quidem ſententia exponitur quid ſit Communio peregrina, quæ ab initio non erat genus pœnæ & animadverſionis, ſed inſtituta fuerat ut clerici, de quorum ſtatu, & conditione non conſtaret, non omnino rejicerentur. Poſtea verò hoc eodem genere Communionis uſa eſt Eccleſia, ut clericos non peregrinos in officio contineret; & ita factum eſt, ut hæc Communio genus quoddam pœnæ cenſeretur. Sunt qui exiſtimant Eccleſiam, hanc diſciplinam & Communionem ex Romanorum legibus deſumpſiſſe: nam utebantur hac Communione peregrina & qui ad eam erant redacti, puta deportati, ſtatim jus Civitatis amittebant, & jus teſtamenti faciendi, & erant ſine Civitate ἀπόλιδες. Ulpian. in l. 1. §. 2. & 4. D. de legat. 3. amittebant etiam ea quæ erant Juris Civilis, & retinebant ea ſolùm quæ eſſent Juris Gentium. Marcianus in l. ſunt quidam 17. D. de Prev. ex Trajano apud Plinium epiſt. 59. libri 10. removebantur à ſacris Juris Romani, de quibus cum ab amico & doctiſſimo Merillo admonerer, quædam animo inſedit ſuſpicio Eccleſiam hoc inſtituto, & Communioni nomen & appellationem ab hac Romana conſuetudine mutuatam eſſe. Eſt locus quidam inſignis in vita Sancti Joannis Chryſoſtomi, qui huic obſervationi multum lucis affundere poteſt. *Si places, inquiunt, Domine ſpiritualis Communionis nondum illis conſortium trade, ne Papam contriſtes; cæterùm in aliis omnia in eos officia humanitatis exerce, id enim tibi Epiſcopo convenit, ita illos excepit Joannes, ad Communionem minimè admittit.* Hac peregrinæ Communionis ſpecie, Eccleſia punivit non ſolùm clericos peregrinos; Sed eos etiam qui in Diœceſi habebant domicilium, quod degradationis, ſive ſuſpenſionis à muneribus Eccleſiæ, & ſeparationis à cæteris clericis genus eſt, tam in rebus civilibus quàm Eccleſiaſticis: Hinc patet, ut mea fert opinio, quid fuerit communio peregrina, & unde denominationem acceperit, qua qui puniebantur gradu excidere, & catalogo, quo recenſebantur Clerici, expungi liquet ex can. 2. Concilii Agathenſis: non quod clerici eſſe deſinerent; nam idem canon docet, eos denuo Catalogo adſcribi poſſe. Quod à cæteris clericis ſemigrarent, id eſt convictu mutuo, ſynodis aut aliis congreſſibus prohiberentur, & capita cum fidelibus conferre non poſſent, docet canon Ilerdenſis ſecundùm correctionem in eo quod dicit, *vel forſitan dolo aliquo ſuppreſſiſſe, reus ſacrilegii prolixiori anathemate condemnetur, & vix quoque peregrina ei Communio anima concedatur.* Quòd ſubducerentur, non tantùm à con-

verſatione cæterorum clericorum; ſed etiam jure Communionis Eccleſiæ privarentur, id eſt quod nullus Eccleſiaſticorum eis communicaret, perſpicitur ex eodem canone ultimo Ilerdenſi, qui eos plectit anathemate, quod in eam partem valere debet, ut ſaltem à Communione Eccleſiaſtica ſeparati cenſeantur. Quod confirmatur ſupracitato loco, in vita beati Chryſoſtomi, ubi dicitur: *ita eos minimè ad Communionem admiſit*. Et Concilio Agathenſi, nam catalogo expuncti, corporis clericorum partem non amplius conſtituebant, & conſequenter nemo clericus eis tanquam clericis communicare poterat. Neque ideo in numerum laicorum recenſebantur: nam ut ſuperiores canones docuerunt, in priſtinum gradum admitti, & prioribus muneribus defungi poterant. Atqui, ex antiqua diſciplina, clericus dum gradu excidebat, & fiebat laicus, nullus ei amplius ad clerum patebat regreſſus: hæc nempe degradatio univerſalis erat & perpetua, ex clerico laicum fieri. Inde colligitur Communionem peregrinam, quiddam medium inter laicam, & Eccleſiaſticam fuiſſe, aut potius quandam diminutionem ab Eccleſiaſtica, à qua niſi ad tempus ſummovebantur.

Quod munia conſueta illis abrogarentur, ex iis quæ diximus, patet ſatis, atque certum eſt, eos ſumptibus Eccleſiæ ſuſtentatos fuiſſe. Nam cum in ordinem laicorum redacti non eſſent, neceſſum erat eos tanquam clericos exhiberi. Adde quod apud Sanctum Chryſoſtomum reperimus, *cæterorum in aliis omnia in eos humanitatis officia exerce*, aut juxta aliam verſionem, *eos honorificè quidem excepit*, idque videtur innuere canon Concilii Rhegienſis, *aut peregrina Communione foveatur*.

Sed aliquid difficultatis ſubeſt, utrum nunquam hæc pœna perpetua fuerit. Nam aliquando ad tempus irrogatam fuiſſe ex quatuor canonibus duo ſunt, quibus hoc probatur, primus Agathenſis & ultimus Ilerdenſis, *prolixiori anathemate* & locus Divi Joannis Chryſoſtomi ad tempus fuiſſe, evincit. Poterat etiam eſſe perpetua, ut ſi Epiſcopus ſchiſmaticos nullam vacuam parochiam reperiret, ævum in Communione peregrina exigebat, non quod ad hoc cogeretur: nam conſtitui Epiſcopus alterius loci poterat, aut Epiſcopatum ejerare, & chorepiſcopatus, aut Preſbyterii locum juxta Concilium Nicænum obtinere.

Quæri poteſt, num peregrina Communione damnati, ſacra Euchariſtia donarentur. Qui hoc negant dicerent, cùm Miſſarum ſolemnia celebrare non poſſent Preſbyteri, nec clerici ſuis muneribus defungi, conſequenter Euchariſtia abſtentos fuiſſe. Nam quo tandem pacto eis diſtributa fuiſſet, cùm ex ordine laico non eſſent, & ea de cauſa, laicis ad eam accipiendam immiſceri non poterant, cum clericis multò minùs, quia ſeparati erant à conſortio clericorum; adde quod nullus eis in Eccleſiam aditus patebat. Sed nec credendum eſt, in domos eorum deferri ſolitam, quia Patres modum longè efficaciſſimum perſpiciendæ unionis quam arctiſſimæ, Euchariſtiæ diſtributionem judicaverunt, ut videre eſt in hiſtoria Eccleſiaſtica. Cùm ergo non communicarent, iis qui Communione peregrina plectebantur, nec deferre poterant, nec tradere Euchariſtiam. Tertiò Divus Chryſoſtomus, ut ſcripta ejus memorant, renuit communicare cum Iſidoro & Dioſcoro, id eſt, Euchariſtiam indulgere. Erat enim in more poſitum, ut advenientibus Epiſcopis, vel Preſbyteris, in Communionis ſignum Euchariſtia porrigeretur; Sed nec conſentaneum rationi videretur, Euchariſtiam ſacrilegis tributam fuiſſe, ſacrilegos enim Communione peregrina damnatos retro duobus canonibus evicimus. Ad extremum nihil clarius canone Ilerdenſi ſtatuente, prolixiori anathemate puniatur, vix peregrina Communione conceſſa. At qui anathemate feriebatur, Euchariſtiæ participare non poterat: nam anathematis percuſſio, non ſolùm Excommunicationem hoc loco, ſed etiam dirarum devotionem ſonat. Quamvis in quodam Canone Romano aliter anathema accipiatur. Dubitandi anſa, vel ex eo maximè oritur, quod de Epiſcopo ſchiſmatico Concilium Rhegienſe inſinuat: duo enim ſtatuit quæ æqualia eſſe debent, aut non ita diſſita: *Quod ergo in quibuſdam ſchiſmaticis, magis quàm hereticis reſpiciendis, Nicænum Concilium à ſingulis per territoria ſua hoc etiam præſens conventus in hoc ſtatuit, ab omnibus ſervari debere, id eſt ut cuicunque de fratribus tale aliquid charitatis concilia dictaverint, liceat ei unam parochiarum ſuarum Eccleſiam cedere, in qua aut chorepiſcopi nomine, ut idem Canon loquitur, aut peregrina, ut aiunt, Communione foveatur*. Nam altero muneribus preſbyterii fungi poteſt, nihilo ſecius Epiſcopatus quibuſdam (nam Choreſcopi ſupra Preſbyteros munera digniora exequebantur) altero Euchariſtiam ſumere, aut ullis Epiſcopatus muneribus defungi non poterat, quodque miſere magis Communione clericorum expungebatur, & ab iis cogebatur ſemigrare, unde colligerentur duæ Communionis peregrinæ ſpecies, ſeverior altera, altera mitior. Et certè veriſimile eſt Epiſcopum cui dignitas abrogata erat, quique Chorepiſcopi munera obire poterat, quamvis omnis muneris exſors eſſet, tantiſper donec in vacuam parochiam ſuccederet, eum Euchariſtiam ſumere potuiſſe: nam cùm Choreſpicopus eſſe poſſet, & non eſſet excommunicatus, non video quamobrem Euchariſtia privaretur, quibus perſuadeor eam Communionem peregrinam ſacris Euchariſtiæ eos dumtaxat interdixiſſe, quibus ob ſcelera aliqua, puta furtum aut contumaciam in pœnam irrogaretur, cùm verò tribueretur Epiſcopis, qui ſponte Epiſcopatui renuntiarant, quoſque vellet Eccleſia in aliquo honore eſſe, nihil aliud ea illatum niſi quòd ab Epiſcopo cui locum ceſſerat ſepararetur, & ſumptibus Eccleſiæ aleretur, Euchariſtiæ tamen Communione non fruſtraretur. Lucubrationi huic antequam finem impono, dicam in quo conveniant Communio laica, & peregrina, & in quo diſcrepent, ut appoſita comparatione, utriuſque perfectior cognitio eliciatur. In hoc conveniunt quod Euchariſtiam non ſignificent ſub altera ſpecie; ſed partem ſeu conſociationem qua gaudebant clerici in corpore Eccleſiæ, antequam obnoxii fierent. In eo præterea conveniunt, quòd irrogabantur pro pœna clericis, & nunquam laicis. In eo differunt quòd Communio laica in ordinem laicorum omnino cogebat clericos, præcluſo omni in clerum regreſſu. At è contrario Communio peregrina ſuſpendebat munera ordinis; ſed clericum non abdicabat. Nam quamvis à Communione excluderentur, nihilo ſecius ſumptibus eccleſiæ alebantur, & denuo tandem in ordinem reſtituebantur.

OBSERVATIO IV.

De Communione Laica.

OMnis de laica Communione quæſtio, non plures quam duas, ut ego quidem arbitror, ab Interpretibus explicationes habet. Aut enim laica Communio dicta eſt de Euchariſtia, quæ more laicorum, extra cancellos, & ſepta altaris accipiebatur; cujus opinionis ſunt Baronius, Pamelius, & Durantus: aut quod laici ſub altera tantùm ſpecie communicarent. Neutra mihi ar-

b iij

ridet; prima ſiquidem, Concilio Sardicenſi liquidò evertitur. In eo enim Communio laica, etiam ei qui ſupremo vitæ die in lecto procul ab Eccleſia decumbit, procul à cancellis altaris, denegatur. Quapropter Communio laica ea eſſe non poteſt, quæ extra cancellos, & ſepta altaris accipiebatur, cùm procul ab Eccleſia decumbenti porrigi poſſit. Inſuper Felix Pontifex cap. 3. ſtatuit eos quos Epiſcopos, vel Preſbyteros, vel Diaconos fuiſſe conſtiterit, & ad ſecundam tinctionem veniſſe, uſque ad exitus ſui diem in pœnitentia, ſi reſipiſcunt, jacere, nec orationi non modò fidelium, ſed nec cathecumenorum quidem omnimodis intereſſe, illis nihilominus Communionem laicam in morte redhibendam: poterat ergo accipi Communio laica extra Eccleſiæ cancellos. Ob quam cauſam veriſimile fit, neque ſepta altaris Communionem laicam, neque locum, neque tempus, diſtribuendæ laicis Euchariſtiæ opportuna diſcriminaſſe.

Sed luculentius perſpicietur veritas hujus refutationis, explicatione ſententiæ noſtræ, & refutatione opinionis Cardinalis Bellarmini, & aliorum qui exiſtimant Communionem laicam nihil aliud eſſe, quam communionem Euchariſtiæ ſub ſpecie panis, quę inde dicitur laica, non quod laici ſub altera tantùm ſpecie communicarent, ſed quòd in domos auferre ſolam ſpeciem panis liceret. Sed eodem vitio laborat hæc explicatio, atque ſuperior. Nam veroſimile fit, Communionem laicam ſi ad Euchariſtiam eam velis referre, inde dici, quòd qui ea plectebantur, laicorum more communicare deberent. Atqui ſi detur, quod concedi omnino neceſſe eſt, quo tempore Concilia, & Patres de Communione laica mentionem fecerunt, laicos ſub utraque ſpecie communicaviſſe; ſequitur non eſſe ſub una ſpecie Communionem. Deinde ſi ingenuè fateri volumus, futilis & jejuna explicatio illa eſt, quæ inde laicam, quòd laicos non aliam quàm panis ſpeciem auferre potuiſſe, dictam eſſe contendit. Cur enim denominationem haberet ex eo, quòd unam tantùm ſpeciem attingere, potius quàm quòd ſub utraque ſpecie communicare poterant; Qua tandem de re ingenui homines diſputant, nempe de ea quæ clariſſimo Cyrilli Hieroſolymitani teſtimonio convincitur. Docet enim laicos, Euchariſtiam ſub ſpecie vini aſſompſiſſe, & tetigiſſe, catecheſi quinta, *ſanctificeris eo ſanguine Chriſti quem aſſumis*, & *cùm adhuc eſt humiditas in labris tuis manibus attingens, & oculos, & frontem, & reliqua ſenſuum organa conſecra*. Cedo ſi quid Euchariſtiæ reliquum in labris hæſiſſet, eo vultum demulceri qui præcepiſſet, niſi manibus licuiſſet attrectare? Sed quo tandem pacto probare poterunt laicis Euchariſtiam ſub ſpecie panis domum portare licuiſſe, ſub vini, non licuiſſe. Nam ſi aſſerant nihil hac de re extare, argumentum valde jejunum eſt; Nec verò dici poteſt Communionem laicam eam eſſe, quæ ſub una ſpecie ſumeretur. Nam ſi laicis Euchariſtia ſub utraque ſpecie indulgebatur, qui Preſbyteri, aut alii clerici ea plectebantur, ſub utraque ſpecie communicabant. Atqui tempore Conciliorum quibus de laica Communione fit mentio, quin etiam Divi Cypriani fidelibus ſub utraque ſpecie communicare licebat, vel ſupracitato Divi Cyrilli teſtimonio, & pluribus in Divo Cypriano tractatu de lapſis. Quapropter miſſis ambagibus, Communio laica non poteſt dici de Euchariſtia, neque quòd ſub una ſpecie communicaretur, neque quòd extra cancellos, vel ſepta altaris, vel quovis alio loco in Eccleſia, aut quocunque demum Miſſæ tempore ſumeretur.

Quibus perſpecta erit Eccleſiæ veteris diſciplina, agnoſcent mecum laicam Communionem ſine Euchariſtiæ perceptione potuiſſe eſſe, & inde colligetur, neque in loco, neque in tempore, neque ſub utraque ſpecie poſitam fuiſſe. Quæ cùm ita ſe habeant, maximi momenti eſſe poterunt qui in veteri Eccleſiæ politia non inſtrenuè verſati ſunt, & quorum oculos ſpirans nativis coloribus imago naſcentis religionis oberrat. Si quis Preſbyter poſtquam gradu excidiſſet, & cenſuris perculſus diem functus fuiſſet, is poſt mortem citra ullam dubitationem, in Communionem fidelium reſtitui poterat, ut videre eſt in 12. can. 2. Concil. Arelatenſis, etiamſi in curſu pœnitentiæ & ante abſolutionem obiiſſet, neque temere quidquam in contrarium objiceretur. Præcepit enim Nicæna Synodus, & ſigillarim ſubſequentia Concilia voluerunt, ut nemo vacuus Communione diſcedat; quamvis ſine abſolutione mortuus fuerit. Cùm igitur Preſbyter in perpetuum gradu pulſus, & in curſu pœnitentiæ mortuus, poſſit Communioni poſt mortem reſtitui, nemo dixerit Communionem illam de Euchariſtia intelligi debere, magis quàm de Communione Sacerdotali. Nam ad priſtinum gradum aditus ei qui in perpetuum eſſet Excommunicatus, omnino intercluſus erat, ad ſalutem etiam animæ poſt mortem reſtitutio hujuſmodi in honorem gradus erat ſupervacanea, & ob eam cauſam, Communio cui reddi poterat Preſbyter poſt mortem, nihil aliud eſſe poteſt, quàm Communio laica, id eſt ſocietas cum laicis, ac ſi diceres hunc Preſbyterum Communioni laicorum ita reddi, ut ſuffragiis fidelium poſſit adjuvari, non ut Preſbyter, ſed ut laicus.

Nec deeſt alia ratio qua probari poſſit Communionem laicam de Euchariſtia non præciſè intelligi, nimirum quia nihil intererat inter peregrinam, & laicam Communionem, ut Bellarm. voluit, atqui 2. can. Concil. Agathenſis pœnitens clericus in pœnitentiæ actu poterat gaudere peregrina, & conſequenter laica, cùm inter eas nullum ſit diſcrimen; ſed nemo inficias ierit in curſu pœnitentiæ, (ut ea tempora ferebant,) Euchariſtiam omnino pœnitentibus fuiſſe denegatam: hinc igitur fit, ut laica, de Euchariſtia non poſſit accipi, cum ad eam pœnitentes admitterentur, quibus Euchariſtiam ne quidem intueri conceſſum eſſet: inſuper capi de peregrina communione, eam Euchariſtiam eſſe non poſſe demonſtramus.

Si quis refutationem opinionis Bellarmini urgere vellet, poſſet addere clerico pœnitenti. can. 50. Concilii Eliberini, poſt quinquennium acta pœnitentia Communionem laicam impoſitam eſſe, & inter laicos eum redactum eſſe: at veriſimile ne eſt, ei qui pœnitentiam conſtituto tempore expleverat, quidquam pœnarum ac moleſtiæ ſuperfuiſſe, atque eum à cæteris fidelibus non ſine nota diſtinctum? Nam is de quo eſt mentio in illo canone, ſi laica Communio ſignificaret Euchariſtiam ſub una ſpecie ſumendam ab aliis fidelibus, diſtinctus fuiſſet, cùm omnes ea ætate ſub utraque ſpecie communicarent. At non facilè id ex Patrum ſcriptis deducetur, nam qui veniæ beneficium conſequebatur, dimidium Communionis adipiſci quis crederet? Sed parum eſſet, haſce duas explicationes confutaviſſe, niſi melior proferatur, quæ utramque à vero aberrare commonſtret. Sic itaque cenſeo, Communionem laicam de Euchariſtia unico modo intelligi non debere, ſed Communionem latiſſimè, jus illud quo unuſquiſque in corpore fidelium cenſetur, & neceſſitudinem, quæ Chriſtianis inter ſe intercedit, complecti. Atque ut duo erant Chriſtianorum ordines, Eccleſiaſticus, & laicus; ita duo erant Communionis

genera, alterum Eccleſiaſticum, alterum laicum; vel ut appoſitiùs dicamus, una erat tantùm Communio generalis, unum corpus, una Eccleſia, cui nonnulli ut Eccleſiaſtici, cæteri ut laici communicabant. Communio igitur laica erat, eſſe in Eccleſia, & de Eccleſia tanquam laicum; ita ut qui Eccleſiaſticus laicæ Communioni deputabatur, gradu ſuo perpetuò excideret, & ex clerico fieret laicus: quòd ſi Eucbariſtiæ participaret, laicorum more, non more Eccleſiaſticorum participaret. Sed omni ratione contendo potuiſſe fieri, ut quis laicorum more communicaret, nec tamen ſumeret Euchariſtiam. Nam communicare nihil aliud eſt, quam partem habere in conſociatione fidelium, quæ etiam conſiderata extra Euchariſtiam multas alias rationes complectebatur, quamvis nolim negare ejus conjunctionis, per quam in corpus unum fideles coaleſcunt, præcipuè vim & modum in Euchariſtia reſidere. Ut autem lector de harumce trium explicationum veritate clariùs dijudicet, producendi ſunt nobis canones, in quibus de laica Communione fit mentio. Nam ubi ſub oculi ictu plerique omnes comparebunt, omnis erit faciliima ratio expediendarum difficultatum.

Apoſt. 14. c. *Si quis Presbyter aut Diaconus relicta parochia in aliam conceſſerit, hunc jubemus ne ſit in miniſterio publico Eccleſiæ, ut laicus tamen ibi locorum in Communionem admittitor.* In Communionem ut laicus admitti, idem eſt, ac laicè communicare. *Pœnitentiam autem agens ut laicus recipiatur.*

36. Roman. *Nemo clericus intret in curiam; quòd ſi introierit anathema ſuſcipiat, nunquam rediens ad matrem Eccleſiam, Communione autem non privetur, propter tempus turbidum* (de laica Communione canon hic accipiendus) *laicorum numero accerſentur ii, ſi pœniteant, more clericorum tondeantur.* 13. Conſtan. 36. Eliber. *Si quis Diaconus ſe permiſerit ordinari cum peccato, ſi ipſe detegat poſt triennium redeat ad Communionem Eccleſiaſticam.* 30. Agat. *Si alius poſt quinquennii pœnitentiam, ad laicam Communionem redeat, in monaſterium detrudatur, ibique quandiu vixerit, laicam tantummodò Communionem accipiat.*

4. Tolet. 1. *Qui verò tertiam acceperit, quod nec dicendum eſt abſtentus biennio, poſtea inter laicos reconciliatus, per pœnitentiam communicet.*

Cyprian. *Sic tamen admiſſus eſt Trophimus, ut laicus communicet, non ſicut ad te malignantium litteræ protulerunt, quaſi locum & ſacerdotis uſurpet.*

Idem. *Et Epiſcopatum pro conſcientia vulnere deponens, & ſatis gratulans ſibi, ſi vel laico communicare contingeret.*

Cyprian. 50. *Eos quoque hac conditione ſuſcipi, cùm revertuntur, ut communicent laici, & ſatis habeant quod admittantur ad pacem, qui hoſtes pacis extiterint: nec debere eos revertentes ea apud nos ordinationis, & honoris arma retinere, quibus contra nos rebellaverint.*

Euſebius. *Ex quibus Epiſcopis, inquit, unus non longè poſt peccatum flebiliter lamentatus, ad Eccleſiam reverſus, populo univerſo pro eo rogante, tandem ut laicus in Communionem receptus eſt.*

Bas. 11. *Quiſquis ſanè clericus, aut viduam, aut certè ſecundam conjugem duxerit, omni Eccleſiaſticæ dignitatis privilegio mox nudetur, laica tantùm ſibi communione conceſſa.*

Inn. 4. Can. 22. ep. *Sed noſtra lex Eccleſiæ eſt, venientibus ab hæreticis, qui tamen illic baptiſati ſunt per manus impoſitionem, laicam tantùm tribuere Communionem, nec ex his aliquem in clericatus honorem vel exiguum ſubrogare.*

Idem. epiſt. 6. *Ac ſic evenit, ut indigni quique honores ſuſcipiant Eccleſiaſticos, & admittantur ad clerum, qui nec inter laicos quidem, dignum locum habere mererentur.*

A *Uſque ad exitus ſui diem in pœnitentia, ſi reſipiſcunt, jacêre convenit: nec orationi, non modò fidelium; ſed nec catechumenorum omnimodis intereſſe, quibus Communio laica in fine reddenda.* Felix. 3. c. 2.

Nec ad Eccleſiaſticam militiam permittantur accedere, quibus ſatis eſſe debet, quod iu Catholicorum numero ſunt recepti: quoniam de ſuo ordine & Communione videbitur ferre judicium, quiſquis hoc violaverit inſtitutum. Felix 3.

Qui peccatum ad mortem peccant, clerici quidem à gradu deponantur, à laica autem Communione non arceantur. Baſilius. c. 32.

Ut nullus clericorum à ſubdiacono, & ſupra quot uxores in propoſito ſuo accipere inhibetur, propria, ſi fortè jam habeat miſceatur uxori. Quòd ſi fecerit B *laica Communione contentus, juxta priorum canonum ſtatuta, ab officio deponatur.* Aurel. 3. c. 2.

Primo igitur loco ſtatutum eſt, ut qui parochiam deſeruerit, id eſt à parochia ſua, in aliam migraverit, deponatur: non tamen Communione laica privetur, id eſt conſortio fidelium, & jure communicandi cum laicis fidelibus: non autem Euchariſtia ſub altera ſpecie, aut extra cancellos ſumenda. Nam ſic Apoſtolorum canon eſt explicandus, per ſubſequentia Concilia, quæ hanc quæſtionem definiverunt, quæ quidem ſemel ſtatuunt, eos qui locum mutaverint, aut avaritia, aut ambitione ducti, deponendos eſſe. Neque adjiciunt, verumtamen tanquam laici ibi communicent, ſicut adjectum videmus c. 15. Apoſtolo- C rum, ſuperfluum enim hoc fuiſſet. Nam qui clericum, ut ita dicam, exauctorat, in Communionem laicorum eum amandat, quia depoſitio nihil aliud eſt, quam ex clerico fieri velut laicum, & à gradu ſacerdotali, in laicorum ordinem incidere; & canon 3. Concilii Antiocheni, quamvis tantam ſeveritatem præ ſe ferat contra clericos, nihil tamen citra depoſitionem decernit. Arelat. 1. c. 21. Arelat. 2. c. 13. Marti. Bracar. c. 14. Damaſus ad Paulinum. Carthag. 4. c. 27. Meldenſe, can. 30. Turon. 1. c. 14. Leo epiſt. 24. Synodus Romana ſub Leone 4. Cabilonen. c. 41. Pelagius ſecundus epiſtola ad Benignum Archiepiſcopum. Nicænum 1. can. 16. Tribur. c. 28. Aquiſgr. c. 43. Carthag. 3. c. 38. Carthag. generale c. 49. Regio. c. 6. & plures Pontificum epiſtolæ, qui omnes D canones, exceptis Nicæni, Sardicenſis, & Arelatenſis ſecundi, de ſola depoſitione loquuntur. Quod argumento eſt, neque decretum Apoſtolorum aliud continere, & laicam Communionem, de qua illic eſt mentio, nihil aliud eſſe, quàm inter laicos cenſeri. Quin etiam, Zonaras & Balſamo commentariis in eum can. 15. interpretantur Communionem laicam, non Euchariſtiam ſub altera ſpecie, aut extra cancellos ſumptam, *ipſi tamen*, inquit Zonaras, *indultum communicare tanquam laico*, & Balſamo, *eum tamen, ut laicum in alia civitate verſari, canon non prohibet.* Neque contra hanc explicationem 15. canonis Apoſtolorum, adduci poſſunt canones 16. Nicæni, & 15. E Arelatenſis ſecundi, (quod in omnibus Nicæno avertitur) quæ Concilia Communione privant Presbyteros, qui à ſua diſcedunt Eccleſia: quaſi per Excommunicationem, quæ his duobus canonibus continetur, Communio ſub una ſpecie ſit intelligenda, quæ eſt ſpecies Excommunicationis. Nam cùm canones utuntur hoc verbo, *Excommunicatur*, generaliter accipi debet, & de Excommunicatione generali, non ſpeciali. Adde quod Zonaras, & Balſamo explicant Excommunicationem, cujus fit mentio can. 16. Conc. Nicæni, de ſeparatione à conſortio clericorum, & à muneribus ſacerdotalibus, non de privatione Euchariſtiæ; *Communioniſque nomine ait, non ſacrorum*

myſteriorum perceptionem, ſed in ſacris muneribus, ac miniſteriis unà obeundis, ſocietatem hic à Patribus reor eſſe ſignificatam. Idem dicendum eſt de can. 13. Concil. Arelat. 2. Et quamvis hi canones intelligendi eſſent, de ſacrorum myſteriorum perceptione, quod non exiſtimo, dicendum eſſet, hæc Concilia pœnam criminum intendere, ot produci videmus in Concilio Sardicenſi: quo etiam à corpore fidelium ſemoventur, & ò ſocietate Chriſtianorum, in ſupremo vitæ ſpiritu: ubi Communio laica pro ſocietate fidelium, non pro Euchariſtia intelligenda eſt, quoniam crimen illud nuſquam ſeveriùs plectitur, ot habetur in ipſomet Concilio quàm antiquis canonibus. Atqui, ex antiquis caoonibus, Excommunicati propter B illud crimen, non ſolùm Eccleſiaſtica Communione privabantur, ſed etiam inter pœniteotes adigebantur: quare cùm hoc canone ſeveriùs puniri dicantur, veriſimile eſt, eos ad ſocietatem fidelium laicorum, ne in ſupremo quidem vitæ die, admiſſos fuiſſe prohiberi.

Prior locus Sancti Cypriani qui Baſilidis mentionem facit refragatur Baronii ſententiæ; nam qui morbo ſuæ vitæ neſcius lecto affixus eſt, Euchariſtiam extra ſepta altaris non ſumit. Præterea ex his verbis dici non poteſt, Communionem fuiſſe ſub una ſpecie, *ſi vel laico communicare contingeret.* Nam ſi ageretur de Communione ſub una ſpecie, neceſſum non erat his verbis uti, C *laicorum more communicare*, cùm ſub utraque ſpecie, tum temporis laici communicarent. Deinde quod adjicit Baſilidem ægrotum ingenuè agnoviſſe ſe indignum Epiſcopatu, ſibique ſatis abunde factum, ſi in ſocietatem Chriſtianorum, ut laicus admitteretur, evincit, perſpicuè Divum Cyprianum opponere communicare laicorum more, & ut laicum, ſacerdotio, & Epiſcopatui: Communionemque laicam nihil aliud eſſe, quàm jungi fidelibus, non ut ſolet clericus, ſed ut laicus: & quod apud eum ſequitur, confirmat hunc tantùm Baſilidem efflagitaviſſe, ut tanquam laicus, juxta ſtatutum, in eodem crimine admitteretur. *Decrevit hujuſmodi homines ad pœnitentiam quidem agendam poſſe admitti, ab ordinatione autem cleri atque ſacerdotali honore prohiberi.*

D Secundus locus ex epiſtola ad Stephanum Pontificem eſt ejuſdem argumenti, ſenſus, & explicationis cum priori. Itaque accipiendus eſt de Communione, ſive conſociatione cum corpore laicorum, & non de Euchariſtia, & apprime ootantur hęc verba; *ſatis habeant quod admittantur ad pacem, nec debere ordinationis arma retinere.* Deinde, *ſatis eſt talibus revertentibus veniam dari, non tamen debent promoveri*, eumdem enim ſenſum habent cum ſequentibus, *hac conditione ſuſcipi cùm revertuntur, ut communicent laici.* D. item Cyprianus inculcat & interpretatur rem eandem diverſis loquendi generibus, & conſequenter ſi veniam dari ſignificat, Euchariſtiam ſub altera ſpecie communicare, ut laicus idem ſignificat, at vice verſa, E ſi ſignificant conſociari, & reſtitui ſocietati laicorum fidelium, & alia phraſis tantumdem ſignificabit.

Tertius locus Divi Cypriani maxime omnium ſententiæ noſtræ adſtipulatur. Nam Antonianos conquerebatur Epiſcopum Trophimum, qui ſacrificaverat, & incenſum idolis obtulerat, in Eccleſiam reſtitutum fuiſſe, Corneliumque ei communicaſſe, & ut Epiſcopum admiſiſſe; hinc Antoniani querelæ contra Cornelium, cui Divus Cyprianus reſpondet, *vel Cornelius qua ratione Trophimo & thurificatis communicet: deinde, non ſecundum quod ad te malignantium littera pratulerunt, quaſi locum & ſacerdotis uſurpet.* Cur autem

A Antonianus excandeſceret; quod ut intellexerat, Cornelius Trophimo communicaverat tanquam Epiſcopo, non aliunde petenda ratio eſt quàm ex eo, quod piaculi inſtar fuiſſet, ſi Epiſcopus criminis capitalis reus, ut puta idololatriæ, etiam peracta pœnitentia, in Epiſcopatu manſiſſet, perſuaſumque erat omnibus Deum averſari quaſcunque hoſtias, & preces laudis obtuliſſet pro populo, & communoicationem qoæ cum eo interceſſiſſet, fideles omnes contaminaviſſe; hoc patet tum hac epiſtola, tum Baſilidis, & alia quam Auctor ſcribit Pontifici Stephano. Divus ergo Cyprianus reſpondet Aoroniano, & certum eum facit Trophimom, ut Epiſcopum admiſſum non fuiſſe; ſed B ea tantum conditione, ut tanquam laicus communicaret. *Sic tamen admiſſus eſt Trophimus, ut tanquam laicus communicet, non ſecundum quod ad te malignantium littera pertulerunt, quaſi locum & ſacerdotis uſurpet.* His itaque verbis, *ut laicus communicet*, arguit Trophimum amplius non eſſe ut epiſcopum, ſed ut laicum, & invicem opponit, *quaſi locum ſacerdotis uſurpet*, unde patet Communionem laicam oihil aliud eſſe, quam ut quis ex ſacerdote fiat laicus. Præterea pœnitentes & peccatores reſtituebantur Eccleſiæ non perceptione Euchariſtiæ, ſed reſtitutione juris conſociationis, & communitatis, quo per peccatum exciderant. Nec fortaſſe quis male conjecerit, ſi exiſtimet Trophimum, & cæteros qui Eccleſiæ Com- C munioni reſtituti ſunt nunquam Euchariſtiam participaſſe. Idcirco quando legimus Epiſcoporum aliquem in ordinem laicorum redactum fuiſſe, illud ita intelligere debemus, ac ſi diceretur per veniam quam conſecutus eſt, poſtliminio redditum fuiſſe, oon ſacris myſteriis, quæ nunquam in hoc priore actu intercurrebant.

Ad extremum Divos Cyprianus ſcribit multitudinem, quam Trophimus ſecum reduxit in Eccleſiam, pro eo ſatisfeciſſe, unde colligitur reſtitutioni ejus nihil pœnarum ſuperfuiſſe, cùm peccato ſatisfeciſſet; & non ſolùm ſi alias interpretationes ſequeremur, multa illi luenda fuiſſent, quinetiam ſeveriſſime, & peſſimis modis acceptus fuiſſet. Nam fuiſſet depoſitus, & ex parte excom- D municatus. Deinde exiſtimo tempore Divi Cypriani Communionem ſub altera ſpecie, non in gratiam, nedum in pœnam uſurpatam fuiſſe.

Quartus canon Sancti Innocentii epiſtola ad Epiſcopos Macedoniæ, in eadem ſignificatione accipi debet. Nam ſuper eodem negotio decernit, & eaſdem pœnas ſancit, quas Cornelius, Sanctus Cyprianus, & Concilium Eliberinum. Valentini ſententia de depoſitione Euphratæ habet neſcio quid latentis ἐπεγχείας: ſi inſuper habitis duabus alüs noſtra accipiatur: argumentum enim erit longe acutius, ſi dicatur Euphratam ex albo Epiſcoporum eradendum eſſe, cùm ex Chriſtianorum expungi debeat, quàm ſi dicatur ex albo Epiſcoporum eradendum, eo qood noo ſit dignus qui Eu- E chariſtiam ſub altera ſpecie participet. *Valentinus Epiſcopus dixit, quia Euphrata Chriſtum Deum negat, conſentio eum Epiſcopum eſſe non poſſe, qui nec laicam debet Communionem accipere.* Præterea Epiſcoporum permulti in eodem Concilio id argumenti, repetunt & ſtatuunt eum deponendum, quòd Chriſtianus oon eſſet: onde colligendum Chriſtianum eſſe, & laico more communicare idem eſſe. 32. canon Sancti Baſilii ad Amphilochium, in quo Communionis laicæ fit mentio, deſumitur ex 24. canone Apoſtolorum, nam idem argumentum eſt, eadem verba, eædem rationes, idem ſtatutum, omnia congruunt. Itaque unus locus ex alio interpretationem accipit, ut concludi poſſit Communionem laicam de qua loquitur Baſilius,

In Conc. [illegible] ... an. 340.

Baſilios, nil aliud eſſe, quàm corpori Eccleſiæ adhæreſcere, more laicorum, idque maxime cùm Apoſtolorum canon inſinuet, reddendos eſſe Eccleſiæ Presbyteros, qui ob ſcelera depoſiti fuerint, oeque ſimul puniendos depoſitione, & Excommunicatione: & ſanè interpretatio Balſamonis ad 31. canonem Sancti Baſilii præclarè congruit: *Nam*, inquit, *eos Communione fidelium non privat, ceu non ſegregat.*

Poſtremò Divus Baſilius omnino Bellarmino reſragatur. Nam Bellarminus Communionem laicam pro pœna accipit. At verò Divus Baſilius aſſerit ideo concedi, ne qui depoſitus eſt puniatur, & ideo à Divo Baſilio non pro coërcitione, ſed pro miſericordia uſurpatur, quod apprimè interpretationi ooſtræ convenit. Nam qui reddebatur Communioni laicorum, ſola depoſitione plectebatur: ſi verò ſub altera ſpecie communicare juberetur, altero tanto graviùs punitus fuiſſet; nam ſpectandum eum propinaviſſent inter laicos ſub utraque ſpecie communicantes, & quod cæteris laicis concedebatur, illi demptum foret. Eodem ſenſu accipi debet canon 50. Concil. Agathenſis; nam pro eodem argomento ſancitus eſt, & iiſdem nititur rationibus, ut pote qui ex duobus præcedentibus Sancti Baſilii & 24. Apoſtolorum ſit deſumptus.

Undecimum caput epiſtolæ Syricii ad Epiſcopum Tarraconenſem; per alios canones Conciliorum, & per decreta Pontificum ejuſdem temporis, aut quod proximè ſuccedit, quæ ob eadem delicta ſimiles pœnas experunt. Quis enim tam iniquus rerum æſtimator, qui tantillo tempore cenſuram divinam, & diſciplinam mutaſſe ſibi perſuadere poſſet: ergo Communio laica quam indulget ei qui depoſitus fuerit, quòd viduam duxiſſet aut ſecundam, illud ipſum eſt, quod ſcribit Innocentius ad Epiſcopum Rothomagenſem, deponantur, & à numero Eccleſiaſticorum excludantur, ut habetur can. 2. Concilii Epaon. 43. Agathenſis, 26. Aurelian. tertio 10. Aurelian. 4. 17. & 18. Apoſtolorum 4. 1. Toletani & 2. Valentini, & aliis Canonibus, tum epiſtolis Pontificum, qui ſtatuentes pœnas in clericos viduas ducentes, nullum verbum faciunt de perceptione Euchariſtiæ ſub una ſpecie, ſed tantùm de depoſitione, aut prohibitione tales admittendi in clerum, unde colligitur cæteros Canones qui iiſdem de cauſis deponunt clericos, & adjiciunt quod depoſiti laico more communicabunt, nec aliud ſibi velle quàm depoſitos habendos eſſe pro laicis, & illis tanquam laicis communicandum, quæ clauſula gratiam non pœnam redolet.

Canon 76. Eliberitini explicari debet per alios Canones, qui ſanciunt pœnas in eadem crimina, ut 10. Ancyr. qui deponit poſt promotionem maritum, nulla alia pœna adjecta, unde probari poteſt Eliber. Ancyrano conſonare, & quod in eo additur de Communione laica, in gratiam depoſitorum addi, non ut diverſus modus a laicis percipiendi Euchariſtiam præcipiatur.

Hic modus loquendi Pontificis Felicis, *reddenda ei Communio laica in fine*, ſatis evincit pœnam non eſſe, ſed gratiam quæ Chriſtiano deberetur. Nam non dicitur *reddenda eſt illi pœna aliqua*, ſed reddendum eſt illi jus Communionis laicæ, quod peccatum ei eripuerat. Quod ſi ex circunſtantia argumentum ducere velimus, noſtra ſententia aliis præponderabit. Primùm conſtat in his locis quos permultos adduximus, laicum nullum Communione laica puniri, quod tamen canones prætermiſſuri non erant, ſi Bellarmini opinio probabilitate niteretur, quando quidem temporibus illis laici ſub utraque ſpecie communicabant.

A Quid ergo cauſæ eſt cur laici eadem peccantes, quæ clerici, non tamen eadem pœna plectantur? illis neceſſariò hærendum in hoc ſalo, nihil autem eſt, quod faciliùs expedire poſſim, nimirum laicos nunquam afflictos fuiſſe ea pœna, quia clerici non erant, & cùm jus Communionis inter clericos non haberent, eo privari non poterant. Neque enim injungendum erat, ut laici manerent, qui non erant clerici. At clericus Communione laica plectebatur, quia laicus poterat fieri; hinc fit, ut nunquam in laicos, ſed tantùm in ſacerdotes hoc pœnæ genere animadverteretur.

Secundò rationem non reddunt, cur hæc coërcitio communicandi laico more, nunquam inuratur ad tempus, ſed in perpetuum, ita ut non repe- B riatur, *non communicet laicè tres vel quatuor annos*, quod tamen in cæteris omnibus pœnis obtinet. In hoc autem ſingulare hoc eſt, quod qui damnabatur Communione laica, nunquam à tali Communione relaxabatur: hæc pœna erat inexorabilis, ob eam nimirum cauſam, quod omnimodo à corpore clericorum diſtraheretur. At qui deponitur ſecundùm omnimodam depoſitionem, ut verbis canonum utar, nullo modo reſtitui in integrum poterat. Hoc enim habebat vetus Eccleſiæ diſciplina, ut qui ſe ingenti ſcelere contaminaſſet, fraudem inexpiabilem in ſe concepiſſe cenſeretur, ita ut nunquam ad priſtinum gradum poſſet redire. Si peccatum autem minimum fuiſſet, poſt C exigui temporis ſpatium, depoſitus primum munus adipiſci poterat: hinc patet cur Communio laica, ſit pœna indeſinens, & perpetua, quòd ſi alias explicationes amplecteremur, non pateret. Nam ſi vis pœnæ in Communione ſub una ſpecie fuiſſet, poterat in unum aut alterum annum prorogari: ſed hac de re verbum nullum, aut in Communione extra ſepta altaris poterat certum tempus definiri.

Illud autem confirmandæ noſtræ ſententiæ palmarium eſt, plures fuiſſe depoſitionis gradus. Primò erat depoſitio ſempiterna deinde ſecundùm quid, & ad tempus. In hac igitur clericus licet Miſſarum ſolemnia celebrare prohiberetur, aut ordinis ſui munera obire, non tamen ſede in Eccleſia D aſſueta pellebatur, ut pote Epiſcopus munere epiſcopali prohiberi poterat, qui tamen officium Presbyteri impleret, & quæcumque Sacerdotes exequuntur præſtaret: non diſſimili modo Presbyter, Diaconus & cæteri poterant deponi, aut ſuſpendi a divinis. At nec in antiquis canonibus, nec in Patrum ſcriptis reperias ullos Communione laica plexos, quàm qui perpetuam depoſitionem meruiſſent: quòd ſi Communio laica ut volunt, fuiſſet perceptio Euchariſtiæ ſub una ſpecie, aut extra ſepta altaris, poterat infligi depoſitis ad tempus, aut muneribus ſuis abrogatis, maximè, cùm celebrare non poſſent, & Euchariſtiam de manibus aliorum presbyterorum accipere cogerentur; nec alia ratione potuiſſet etiam indulgeri, qui- E bus honores, & ſedis prærogativa adempta aut imminuta. Cogebantur enim extra cancellos altaris, ut & Presbyteri depoſiti Euchariſtiam percipere. Nec tamen exemplum obvium eſt, nullæ enim damnationes niſi in perpetuò depoſitos, & alia ratio reddi non poteſt, niſi quod certa nulla pœna irrogari poterat in depoſitos ad tempus; nam licet ſuſpenſi, corpori tamen cleri & Communioni Eccleſiaſticæ participabant. Quamobrem in ordinem laicorum redigi non poterant, & ex Clericis laici fieri, cùm adhuc Eccleſiaſtici perſeverarent. Id verò contra depoſitos in perpetuum ſtatuebatur, nam deponi in perpetuum, & communicare laicorum more idem eſt. Nec prætermittendum nonnullos poſt annoſam pœnitentiam damnari ſolitos

communione laica, ut patet apud D. Cyprianum, & Concilia, quod omnium maximè cum noſtra explicatione congruit, cum aliis longè ſecus. Docent enim Canones, eum qui pœnitentia publica, aut quapiam fraude ex qua infamia redundaret, notatus fuerat, nunquam in corpus cleri, aut ad ordines admiſſum, ut & clericus qui pœnitentiam egerat, gradu in perpetuum excidebat. Hinc petenda ratio quare canones clerico, qui pœnitentiam egit, Communionem laicam irrogent, quia nimirum cùm in perpetuum eſſet depoſitus, & pœnitentiam egiſſet, neceſſariò in ordinem laicorum redigendus erat, ut Communioni Chriſtianorum tanquam laicus participaret, qui clericus eſſe deſierat.

Ultima circunſtantia eſt, quòd hæc communio laica ſemper opponitur functionibus Eccleſiaſticis, & tanquam pugnans cum gradu & ordine clericaturæ accipitur. Nam qui canones damnant Communione laica ſemper etiam deponunt; unde cùm Communio laica Eccleſiaſticæ opponatur, non poteſt eſſe perceptio Euchariſtiæ ſub una ſpecie. Quibus veterum locutiones perſpectæ ſunt, facilè mecum ſentient hæc verba *Communio*, & *Communicare*, frequenter in canonibus & patribus uſurpari pro jure ſocietatis fidelium, quo quis ſive laicus, ſive clericus gaudebat, ægrè autem pro Euchariſtia, niſi aliquid aliud addatur. Igitur perſuaſam eſſe debet, hæc verba *Communio laica*, & *communicare laicè*, quæ habentur in canonibus, & Patribus, magis ſignificare jus in corpore Jeſu Chriſti cum cæteris fidelibus, qui ſunt omnes ejuſdem corporis membra, quàm perceptionem Euchariſtiæ.

Quæ cùm ita ſe habeant, explicatio noſtra non tantùm oſtendit quid ſit Communio laica, ſed etiam benignam copiam ſufficit rerum reconditiorum in veteri diſciplina. Primò, in ſolos Eccleſiaſticos, in laicos nunquam, hac Communione animadverſum, Communionem laicam depoſitionem generalem, & ſecundùm omnem modum præ ſe ferre. Depoſitum ſecundùm quid nunquam hac Communione punitum. Depoſitum ſecundùm omnem modum, potuiſſe quidem non communicare laicè, & ſic Communione laica privari, quia præter depoſitionem, poterat etiam in perpetuum excommunicari. Quod ſi depoſitus eſſet ſecundùm omnem modum, eo inſtanti laicè communicabat, ſi depoſitus, & excommunicatus ad tempus pœnitentia peracta communicabat laicè, & nunquam poſt excommunicationem, licet ad tempus in communionem eccleſiaſticam recipiebatur, exceptis hæreſiarchis.

Poſſet addi cunctos canones qui dicunt ſimpliciter *deponatur*, omnimode neceſſariò debere intelligi de Communione laica, id eſt, quamvis non adjiciant, deponatur, & communicet laicè, neceſſario tamen admittendum eſt, depoſitum ſecundùm omnem modum, & non excommunicatum, laicè communicaviſſe. Nam cùm eſſet ſolùm depoſitus & non excommunicatus, continebatur etiamnum corpore fidelium, & participabat juri conjunctionis Chriſtianæ, atqui non participabat tanquam clericus, reſtabat ergo participaret ut laicus. Lucem fortaſſe aliquam deſideraret, quod quando dicitur, *in fine accipiat aut non accipiat Communionem laicam*, id longè commodius accipi poſſe de perceptione Euchariſtiæ ſub una ſpecie, quàm de jure conſociationis Chriſtianorum. Sed quibus perſpecta erit Eccleſiæ antiquitas, non diffitebuntur, hoc jus Communionis, in extremo vitæ ſpiritu reſtitui ſolitum fuiſſe, non tantùm quòd Euchariſtia indulgeretur; ſed etiam oblationes reciperentur, aut impoſitione manuum, reſtituto jure corporis Jeſu Chriſti, non conceſſa tamen Euchariſtia. Canones ſiquidem qui poſt Concilium Nicænum præcipiunt, ne Communione quis vacuus diſcedat, de ejuſmodi jure intelligendi ſunt. Quod ſi quis canon explicet reſtitutionem fieri huic ſocietatis Chriſtianæ juri per Euchariſtiam, ab hac ratione pendet, quòd Euchariſtia ſit modus longè efficaciſſimus reſtituendi pœnitentes, & excommunicatos huic juri, non quòd omnis alia reſtitutionis via præcluſa ſit, ut patet 12. can. Concilii Arelatenſis: hæc igitur verba *accipiat Communionem laicam in fine*, debent intelligi de hoc jure, & non de Euchariſtia.

Ut ergo tandem me colligam, ſic ſtatuo Communionem laicam nihil aliud eſſe, quàm jus communicandi cum cæteris fidelibus more laicorum, & ut laicum participem eſſe ſocietatis Chriſtianorum, non ut clericum. Nec diffiteor qui communicabat laicè, accepiſſe Euchariſtiam more laicorum, aut extra ſepta altaris, aut ſub una ſpecie, aut ſub utraque, prout uſus Eccleſiæ obtinebat. Cùm enim Communio Euchariſtiæ præcipua eſſet pars ſocietatis Chriſtianorum, oportuit eum qui eſſet inter laicos, eam ſumpſiſſe more laicorum, quando eſſet laicus. Quoniam vero Communio præter Euchariſtiam multa alia complectebatur, aſſero eum, quia in ſocietate Eccleſiæ communicabat ut laicus, multis etiam aliis rebus præterquam Euchariſtiæ participaſſe.

OBSERVATIO V.

De Oblationibus.

NEminem pene præterit, *Oblationum* vocem, frequentius ab Antiquis, quàm ullam aliam uſurpatam, quique non exiſtimet ejus ſignificationem adeo notam & vulgarem, ut ſit operam perdere, aliquo ſtudio eam illuſtrare; attamen ſi eorum quempiam percuncteris, quo ritu quave ratione ejuſmodi oblationes a Sacerdotibus reciperentur, benedicerentur, & offerrentur, aut quid demum de his, peractis ſacris, fieret, quemve in uſum cederent, nomen duntaxat intelligi, rem verò ipſam ignorari deprehendes. Quis enim unquam ſcripſit ex his oblationibus particulas quaſdam inter Chriſtianos dividi ſolitas ut ſpeciem aliquam, & imaginem corporis Chriſti repræſentarent? quin potiùs ſi quid in Patrum locis, aut canonibus de ea re & conſuetudine legatur, id omne ad Euchariſtiam transferunt, voluntque *Oblationis* vocem, pro Euchariſtia illis in locis ſumendam eſſe, ut in Divo Cypriano, libello de opere & eleemoſyna. Quæ res nos impulit pauca de ejuſce vocis ſignificatione, & poteſtate, in hiſce obſervationibus inſerere; quibus multi Patrum loci & canones lucem aliquam ſunt accepturi.

Itaque fideles primis illis temporibus, diebus dominicis & feſtivis raró ad altare ſine donis & muneribus accedebant, ſi res eis tenuis adeo non eſſet & exigua, ut ſine incommodo id præſtare non valerent. Hæc dona Oblationes vocabantur, quæ à ſacerdotibus in altari, paulò ante ſacra, Deo offerebantur, certiſque precibus benedicebantur, quorum poſtea pars aliqua fidelibus, cætera in ſacerdotum, clericorum & pauperum alimentum erogabantur: nonnunquam etiam ex his oblationibus benedictis eulogiæ, cùm eſſent per parochias mittendæ, ſumebantur, ut ex D. Pii decreto, ſi ejus ſit, dignoſcitur. Interea ex his omnibus nihil magis probatione indigere videtur quàm quod diximus, ex his Oblationibus particulas ac buccellas viritim

in Eccleſia diſtributas fuiſſe, ut hac participatione ſignificaretur, omnes fideles ſub uno eodemque capite, & de eodem corpore eſſe, quemadmodum omnes de eodem pane ſumerent & ederent, atque ut hoc myſterio aliquam unionis Chriſtianæ ſub Chriſto ſpeciem oſtenderent. Ad quod probandum hic Cypriani locus ſatis idoneus videtur locuples & dives: *Dominicum celebrare te credis, quæ Corbonam omnino non reſpicis, quæ in Dominicum ſine ſacrificio venis, quæ partem de ſacrificio quod pauper obtulit, ſumis.* Item ille D. Auguſtini ſermone 215. de tempore; *Oblationes quæ in altario conſecrentur offerre, erubeſcere debet homo idoneus, ſi de aliena oblatione communicet.* qui loci perperam à quibuſdam de Euchariſtia explicantur, exiſtimantque nonnulli ex his oblationibus partem aliquam ad Euchariſtiam conficiendam ſepoſitam fuiſſe, quod in his locis conſecrari dicantur, & ex his fideles ſumpſiſſe: atque Cyprianum de pauperis ſacrificio divitem ideo manducare dixiſſe, quod Euchariſtia ex qua omnes reficerentur, ex pauperis pane & oblatione confecta eſſet. Sed allucinantur egregiè; nam quidquid offerebatur, pauperibus & clericis alendis deſignabatur, ut ex eodem Cypriano in eodem libello manifeſtum eſt: *Cùmque univerſa quæ dantur pupillis & viduis conferantur.* Quapropter veriſimile non eſt, panes ſine fermento oblatos fuiſſe (quales deberent eſſe qui ad corporis Chriſti conſecrationem apponebantur) quos ſcirent à pauperibus conſumendos eſſe. Adhæc conſtat ex Epiphanio in ſuis ſacris, eos uſos fuiſſe parvo pane ad id facto, & rotundæ formæ, atque ei ſimillimo quo utimur, non autem eos ex quolibet pane, qui offerebatur, ſacris operatos. Inſuper certum eſt, per parochias, quemadmodum ex Pii primi epiſtola dignoſcitur, certis diebus eulogias miſſas, quæ ex ipſis oblationibus ſumebantur, & ex fermentato conficiebantur, ut ſcirent, qui in agris & oppidis degebant, ſe ab Epiſcopi matricíſque eccleſiæ non eſſe communione ſeparatos, ut ait Innocentius. Quod cùm ita ſit, neceſſe eſt fateamur, eadem die qua ipſæ eulogiæ mitterentur, ex iiſdem omnes qui erant in matricibus eccleſiis, particulam aliquam deguſtaſſe, alioquin nulla inter eos, & qui in agris morarentur, interfuiſſet ſocietas & Communio, nullumque unionis Symbolum. Unde perſpicuum ſit, non ſolùm verba illa D. Auguſtini & Cypriani ad ejuſmodi Oblationes, non autem ad Euchariſtiam referenda eſſe, ſed etiam ex ejuſmodi oblationibus, poſtquam à ſacerdote conſecratæ eſſent, particulas unicuique in unionis & communionis argumentum oblatas fuiſſe. Unde apparet falſiſſimum eſſe, quod quidam exiſtimant, panem benedictum vicarium eſſe Euchariſtiæ, & inſtitutum ideo fuiſſe, ut qui nollent communicare, eo uterentur, ut imaginem aliquam & ſimulacrum Euchariſtiæ celebrarent. Nam ab initio naſcentis eccleſiæ ſemper panis benedictus fuit in uſu: ſemper enim ex benedictis oblationibus panis dividebatur inter fideles, ut ex Cypriano & Auguſtino vidimus.

Præterea ex D. Innocentio epiſtola prima cap. 5. conſtat jus aliquod Communionis per ejuſmodi oblationes, & eulogias, quæ ex oblationibus fidelium ſumebantur, quæſitum fuiſſe; nam ait, *ut ſe à noſtra Communione, maximè illa die, non judicent ſeparatos.* Poſſem etiam ad eandem rem confirmandam quærere, qua ratione pœnitentes poſt mortem in cæterorum fidelium Communionem & ſocietatem potuerint revocari & admitti (ut habetur in concilio Arelatenſi 2.) per oblationes, quas eorum nomine parentes offerebant, aut ex ejuſmodi oblationibus partem aliquam ſinguli A ex ſacris delibarent; nam privatis eleemoſynis non poterant recuperare jus Communionis, quod amiſerant; ſed ſolis Oblationibus factis in Eccleſia: cujus rei non aliam reperies rationem, niſi quòd cenſerentur in Communionem reſtituti, ſi cæteri fideles eorum donis communicaſſent, & partem aliquam deguſtaſſent. Denique cur eccleſia tanta diligentia tantóque ſtudio pœnitentium munera reſpuiſſet, ni de ejuſmodi muneribus mos fuiſſet particulas unicuique fidelium offerre, ut corporis Chriſti imaginem aliquam & Communionem exprimerent. Oblationes autem pœnitentium repudiatas fuiſſe patet ex cap. 28. concilii Elibertini: *Epiſcopum placuit ab eo qui non communicat,* B *munera accipere non debere.* Can. 13. concilii Ilerdenſis. *Catholicus qui filios ſuos in hæreſi baptiſandos obtulerit, oblatio illius in Eccleſia nullatenus recipiatur.* Canonib. 93. 94. concilii Carthaginenſis 4. *Oblationes diſſidentium fratrum, neque in ſacrario, neque in gazophylacio recipiantur.* Item, *eorum qui pauperes opprimunt, dona à ſacerdotibus refutanda.* Hæc ipſa verba canonis primi concilii Valentini Hiſpaniæ: *Sacroſancta Evangelia ante munerum illationem in ordine lectionum poſt legantur, quatenus ſalutaria præcepta Domini noſtri Jeſu Chriſti, vel ſermones ſacerdotis, non ſolùm fideles, ſed etiam catechumeni ac pœnitentes audire licitum habeant.* Satis declarant pœnitentes receſſiſſe ab eccleſia antequam munera C fidelium altari apponerentur. In concilio Arelatenſi 2. can. 12. dubitabatur an pœnitentis Oblatio eſſet recipienda, ſi antequam expleſſet pœnitentiam, fato oppreſſus eſſet. Sed meritò eorum dona, qui non communicabant, rejiciebantur. Primùm quia nomen illius, cujus munera recipiebantur, ſemper offerebatur cum ipſis muneribus, ut conſtat ex can. 2. epiſtolæ Innocentii: at verò minimè conſentaneum illis videbatur ejus munera accipi, qui dignus non habebatur, cujus nomen publicis precibus enunciaretur. Deinde munera illa in ipſis ſacris benedicebantur, ſolemnibuſque verbis, nomine totius eccleſiæ, Deo offerebantur, ut ex eodem canone 2. Innocentii licet cognoſcere. At hominis impuri, nocentis, & D nondum plenè in fidelium corpus reſtituti munera eis indigna videbantur, quæ in ſacris Deo offerrentur, quæ in ipſis ſacrificiis ſolemnibus benedicerentur, quæ eccleſia accepta haberet, & ſuo nomine Deo commendaret; ex quibus denique partem aliquam omnes ſumerent, quæ omnia cum ſumma religione ab eis fierent, nullaque alia re eccleſia magis probare poſſet, ſe partem & ſocietatem cum aliquo habere, quàm omnibus his ritibus, idcirco pœnitentium & aliorum qui extra eccleſiam degebant, dona & munera aſpernabantur.

Ex his omnibus liquet Oblationes illas, genus quoddam Communionis fuiſſe, quod tanto in honore & religione apud eos erat, ut nihil antiquius E poſt Euchariſtiam haberent, quàm ejuſmodi oblationes: nulluſque Communionis modus ad ſummam & abſolutiſſimam Communionem, quæ erat Euchariſtia, magis accederet, & tam propè, ut myſterii, ſacramenti, conſecrationis, ſacrificii nomine appellaretur. D. Innocentius epiſtola ad Decentium c. 5. vocat has oblationes Sacramenta, *quia non longè portanda ſunt ſacramenta:* quæ verba de Euchariſtia accipi nequeunt, cùm dicat ſe loqui de fermento.

OBSERVATIO VI.

De Communione ſine Oblatione.

MEum judicium ſemper fuit ad ſacrum Euchariſtiæ Myſterium minimè pertinere, quæ apud Patres aut Conciliorum decretis dè Communione ſine Oblatione, aut cum oblatione leguntur, neque ibi Oblatione Euchariſtiam aut Euchariſtiæ ſacrificium ſignificari: quamvis cum doctiſſimis viris pugnandum ſit, qui plerique omnes ad Euchariſtiam referunt, quæ de ejuſmodi Communione ſine Oblatione ſtatuuntur in canonibus. Illuſtriſſimi C. Baronii ea eſt ſententia anno Chriſti 314. numero 87. *Sed quid eſt quod frequentiùs dicitur communicare abſque oblatione, vel cum oblatione, cùm & perfectam gratiam plenamque communionem ejuſmodi tum conſequi dicerentur? Sed hæc omnia ex verbis 4. canonis ejuſdem ſynodi facilè aſſequi poſſumus, quibus ex prima nempe Dionyſii verſione dicitur: Placuit eos inter audientes nempe catechumenos, uno anno conſtitui, tribus verò annis ſuccumbere, nempe pœnitentiæ, (ut habet ſecunda verſio) ex tribus verò annis biennio communicare in oratione. videlicet ſatis ſufficere, cum fidelibus orare, nec à precibus ut audientes excludi; id enim erat communicare abſque oblatione: tertio verò anno ad perfectionis gratiam pervenire, quod erat communicare cum oblatione, id enim (ut habet ſecunda verſio) erat reconciliari Sacramentis, nempe participem fieri corporis & ſanguinis Chriſti, quod perfectionis gratia dicebatur, ſive plena Communio, dum ſcilicet nihil minus à cæteris Chriſtianis haberet*; Zonaræ ad canonem quintum Concilii Ancyrani: *quos quidem exacto ſubſtrationis triennio in conventum abſque oblatione admitti, hoc eſt in Eccleſia quidem cum fidelibus conſiſtere, non tamen communicare jubet*: item, *Communionem namque hoc loco non ſacri corporis & ſanguinis perceptionem, ſed ſolam cum fidelibus conſociationem intelligit, ex quo illud addit ſine oblatione, ut tertio anno, quod perfectum eſt accipiant, ut inquam exacto triennio communionis quoque participes fiant.* Idem ad canonem ſextum: *biennio abſque oblatione communicare, hoc eſt inter fideles abſque ulla tamen ſacrorum perceptione verſari.* Idem ad canonem 8. *Sine oblatione tamen; hoc eſt ſine boni perceptione fundere.* Balſamonis in 4. canonem ejuſdem Synodi: *In Eccleſiaſticam Communionem ſuſcipiantur; ſed non etiam divinis digni Sacramentis habebuntur, id enim eſt ſine Oblatione ſuſcipi.*

Sed hæ explicationes non convenient ſi cum canonibus comparentur; etenim quomodo ad Euchariſtiam, aut ejuſdem ſacrificium pertinere poterit, quod habetur in vulgari, & Dionyſii, ut volunt verſione ejuſdem 5. canonis Concilii Ancyrani: *ſi compleverint pœnitentiam triennii temporis, ſine Oblatione ſuſcipiantur ad Communionem, id eſt ut ipſi non offerant.* Quis unquam laicos ſacris operatos eſſe dixit, aut dignos eos exiſtimavit qui ſacris interdicerentur? neque eſt quòd quiſpiam in clericos hiſce canonibus animadverſum eſſe ſuſpicetur, cùm nullus unquam poſt pœnitentiam inter ſacerdotes receptus ſit, aut in altari ſacrificia attrectare viſus ſit.

Sed quid ad hunc Felicis canonem reſponderi poteſt? *De clericis autem, & monachis, aut puellis Dei, aut ſecularibus ſervari præcipimus hunc tenorem, quem Nicæna Synodus circa eos qui lapſi ſunt, vel fuerint, ſervandum eſſe conſtituit: ut ſcilicet qui nulla neceſſitate, nullius rei timore aut periculo, ſe, ut rebaptizentur, hæreticis impiis* A *dederunt, ſi tamen eos ex corde pœniteat, tribus annis inter audientes ſint: ſeptem autem annis ſubjaceant inter pœnitentes manibus ſacerdotum: duobus autem annis oblationes modis omnibus non ſinantur offerre; ſed tantummodò ſecularibus in oratione ſocientur.* Nam de quarto pœnitentiæ gradu eſt mentio in illo canone, de quo etiam agitur in canonibus Concilii Ancyrani: quare cùm in hoc canone habeantur hoſce pœnitentes, qui quartum ſuæ pœnitentiæ gradum attigerant, poſſe quidem orationibus intereſſe, & communicare cum cæteris in orationibus: oblationes verò & munera eis nequaquam offerre licere; atque cùm nihil tam liquidum ſit quàm oblationem hoc loco pro donis B & muneribus, quæ pœnitentes in pœnitentiæ ſuæ & ſatisfactionis commendationem elargiebantur, explicandam eſſe, quis non conceder in canonibus Concilii Ancyrani his verbis, *ſed ex ipſo triennio, per biennium tantummodò orationi communicare*: item, *ſine oblatione recipiatur.* item, *tertio anno communicent ſine oblatione.* item, *& poſt duos alios annos communicare ſine oblatione.* item, *an unumquemque autem cum oblatione recipere oporteat.* item *duobus autem annis ſine oblatione cõmunicent.* item, *alio autem anno ſine oblatione communicent*: Oblationis vocem eadem prorſus ſignificatione eſſe accipiendam? quando de eadem oblatione, & de eodem gradu pœnitentiæ utrobique Patres loquantur. Quòd verò in hoc ipſo Felicis canone C oblatio ſumenda non ſit pro oblatione & ſacrificio Euchariſtiæ, vel ex his manifeſtum fit quòd puellæ & ſeculares in quarto gradu pœnitentiæ conſtituti, ejuſmodi oblationes offerre prohibeantur.

Neque magis commodè Euchariſtiam hac voce ſignificari dices, cùm nullus unquam ad eam ſignificandam, cùm de ſacrificio non eſt mentio, hoc loquendi more uſus ſit. Et quamvis rectè Euchariſtiæ ſacrificium vocetur Oblatio, à nullo unquam eodem nomine Euchariſtiam vocari reperies, cùm laicis præbetur manducanda. Quapropter omnes hi canones qui de laicorum oblationibus aliquid ſtatuunt, hi omnes de muneribus quæ à laicis in Eccleſia offerebantur intelligendi ſunt.

D Meritò dubitari poterat in noſtra explicatione, an ejus munera & oblationes eſſent recipiendæ, cùm liceret preces ſuas cum cæteris fidelibus ſociare, & ob hanc cauſam cautum eſt in hiſce canonibus, ne ſolis precibus communicantes, oblationum etiam fierent participes. Sed quis unquam (ſi veterem illam diſciplinam tibi proponas) dubitare potuit, aut exiſtimare Euchariſtia eum eſſe reficiendum, qui ſingulari beneficio ad precum Communionem revocatus eſſet?

In Concilio Ilerdenſi, canone 9. Patres Euchariſtiam ab ejuſmodi oblatione (de qua eſt quæſtio in canonibus Concilii Ancyrani) diſtingunt, huncque ritum, quem modò explicuimus, quamvis leviter perſtringant, nihilominus ſatis declarant E de muneribus & donis pœnitentium ejuſmodi oblationes accipiendas eſſe, quòd eam oblationem ante Euchariſtiam ponant: *poſtea moderatione & clementia Epiſcopi fidelibus in Oblatione & Euchariſtia communicent*: hæc duo enim *Euchariſtia & oblatione*, particula illa, & disjungi voluit correctior Hiſpaniæ editio.

Id unum in hac obſervatione mirum videri debet quòd hi orantes & ſubſiſtentes omnibus orationibus, quibus oblationes fidelium ipſa Euchariſtia & corporis Chriſti ſacrificio conſecrarentur, intereſſent, eaque omnia ſacra & myſteria auribus & oculis quodammodo haurirent, iis tamen frui & participes eſſe prohiberentur. Atque non ſolùm ſi bene conjicio, Euchariſtiæ & oblationum

communione & fruitione privabantur; ſed ne quidem quantum in eis erat, & quantum ex animi ſententia & deſtinatione efficere poterant, ſinebant eos in partem beneficiorum, meritorum & gratiæ, quam ex ſacrificiis Euchariſtiæ promereri poterant, obrepere: quare neque eos oſculo pacis, ut cæteros inter ſacra ſalutatos reperies, quòd iis ſolis ea darent, cum quibus, ut ait Tertullianus, de ſua pace volebant tranſigere, id eſt, ut ipſe explicat, de ſua operatione volebant aliquid communicare.

Cæterum quæ cauſa eos impelleret, ut ejuſmodi pœnitentes ab Oblationibus removerent, facile eſt expedire: cùm enim aliquid offerre, & ex aliorum Oblationibus aliquid deguſtare genus quoddam eſſet Communionis, & ultima quaſi diſpoſitio, & proxima qua ad Euchariſtiam perveniebatur, ea meritò pœnitentibus quarti gradus denegabatur, qui pœnitentiam non expleverant, quique non ſatis purgati cenſebantur, ut tanta gratia donarentur.

OBSERVATIO VII,

Nomen offerre.

SI politè poſſem eloqui, & litteris mandare quæ e majorum ritibus & veteri diſciplina inter legendum hauſi, nihil profectò (adeo operam in eam exercitationem ſtudioſè darem) illuſtrare non poſſem. Verùm ingenii tarditate aut elocutionis inopia ineptum ad hæc ſtudia me gratiæ effecerunt; tentabo tamen quid in eo genere poſſim, atque in hac obſervatione conabor exponere, quid ſit *Nomen offerre*; tum ſi minus obtineo eorum ſaltem corrigere errorem qui de diptycis putant explicandum, quod de hujuſmodi nominum oblatione apud antiquos reperitur.

Inſcribebantur quidem in diptycis Epiſcoporum, Martyrum, Confeſſorum, aliorum quoque tam vivorum, quàm defunctorum nomina, qui pro Eccleſię ſalute ſeſe ad mortem obtulerant, aut aliquo apud illos in honore erant, ut non ſolùm hac mercede poſt mortem nobilitarentur; ſed etiam ut cæteri, cùm eorum nomina die anniverſaria in diptycis inſcripta, eaque in orationibus celebrari intelligerent, ad eandem gloriam incenderentur, ut ex Divo Cypriano intelligere licet lib. 3. epiſtola 6. *Denique & dies eorum quibus excedunt annotate, ut commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare poſſimus.* & lib 4. Epiſt 5. *ſacrificia pro eis ſemper, ut meminiſtis, offerimus, quoties paſſiones & dies anniverſaria commemoratione celebramus.* Sed hanc nominum recitationem non commemini Oblationem nuncupari; & neſcio an aliqua antiquorum authoritate, ad hanc, quam volunt obtinere, explicationem & ſententiam ſtabiliendam, uti poſſent: multò minùs cùm de alicujus pœnitentis, lapſi, aut reconciliati eſt mentio, & nomen ejus offerri dicitur, de diptycis exponendum eſſe probabunt. Nam quis crederet id partem remunerationis cum Martyribus aut ejuſmodi viris, qui in conſervanda, & tutanda Eccleſia operam præſtiterant, lapſos aut pœnitentes veniſſe, & iiſdem honoribus cumulatos fuiſſe, quorum profectò talis erat ſtatus & conditio, ut veniam potiùs quàm gloriam ambirent, & ſatis haberent ſi vel ex limine in Eccleſiam reducerentur. Præterea quantis, aut quàm amplis opus fuiſſet diptycis & tabellis, ſi omnium quotquot peracta pœnitentia Eccleſiæ paci reſtituebantur, nomina inſcribenda fuiſſent? Porrò dicant quæſo, cur potius pœnitentium nomina, quàm cęterorũ fidelium ex tabellis recitãda eſſent?

A Neque etiam aliorum mihi probatur ſententia, qui, *Nomen alicujus offerre*, nihil aliud putant eſſe quàm pro eo nullo ritu, nullove loci aut temporis diſcrimine orare, & Deo ſupplicare: nam ex Divo Cypriano nefas erat pœnitentis, & ex canone 29. Concilii Elibertini, energumeni nomen offerre, pro quibus oratum fuiſſe legimus in canone 19. Concilii 4. Carthag. & can. 14. Concilii Arelatenſis 2. in Tertulliano de pœnitentia, *omnibus fratribus legationes deprecationis ſuæ injungere.*

Nobis igitur elaborandum eſt, ut aliquantò clariorem lucidioremque horum ſententiam reddamus. Cùm igitur ſacris operarentur, & pro alicujus ſalute Euchariſtiam celebrarent, ejuſque B dona & oblationes offerrent: eum ipſum non ex diptycis, propria & peculiari quadam oratione poſt Euchariſtiam & oblationes Deo commendabant, ejuſque nomen in eadem oratione proferebant: hoc eſt *Nomen offerre*, ſive niſi moleſtum eſt rem uberiùs explicari, Nomen offerre eſt, cùm alicujus mortui, aut viventis, in orationibus quibus ſacro-ſanctum ſacrificium fieret, & ſacra perficiebantur; aut quibus eleemoſynarum oblationes, quas attulerant, offerebantur, nomen enunciaretur & commendaretur, nulluſque unquam oblationes & munera ſacerdoti in Eccleſia obtulit, quin Sacerdos ejuſdem nomen cum ipſis muneribus propria, & privata quadam oratione C Deo in ipſis Miſſæ ſacris commendaret.

De Oblatione nominis ejus qui diem ſuum obierat, varia extant apud antiquos monumenta. In Concilio Aphrorum can. 48. *ſaltem poſt mortem anathema illi dicatur, neque ejus nomen inter Dei ſacerdotes ullo modo recitetur.* In Divo Cypriano epiſtola ſuperiùs notata. *Ac ſi quis hoc feciſſet, non offerretur pro eo, nec ſacrificium pro dormitione ejus celebraretur: neque enim ad altare Dei meretur nominari in ſacerdotum prece qui ab altari Sacerdotes & miniſtros ſuos Levitas avocare voluit.*

Eadem prorſus ratione, eodemque ritu pœnitentes, exantlatis pœnitentiæ laboribus, cùm in ſocietatem fidelium admittendi eſſent, & jus D Communionis recuperaturi, nomen eorum in ſacris offerebatur. Quod ut clariùs, liquidiúſque concipiatur, rem totam eodem quo perficiebatur, & ordine, & tempore lubet exponere. Nam nullus primis illis ſæculis abſolvebatur, nec perfectæ & integræ Communioni reddebatur, niſi hoc ritu, & formula. Primùm paulo antequam orationes & myſtica liturgia celebraretur, ab Epiſcopo & limine Eccleſiæ in medium adducebantur pœnitentes: de eorum deinde pœnitentia & converſione paucis diſſerebatur: venia poſtmodum eodem ab Epiſcopo accepta, id eſt majori reconciliatione, ſacris Euchariſtiæ intererant; quibus peractis ea quæ in gratiam reconciliationis, & veniæ impetratæ dona & munera attulerant, benedicebantur, E Deoque offerebantur. Poſtremò certis deſtinatiſque verbis pro ipſorum pœnitentium ſalute ſupplicabatur, eorumque nomina inter ipſas orationes proferebantur: hoc eſt nomen pœnitentis offerre; neque unquam pœnitentes Euchariſtiâ paſcebantur, quin prius eorum oblationes, munera, & nomina in orationibus ſacrificii, quæ fiebant, antequam ſacra Communio deferretur, oblata eſſent.

Hoc ritu, atque hac formula eos uſos fuiſſe conſtat, ut pœnitenti integrum jus Communionis, quod peccando amiſerat, redderetur. Quamvis negare nollem variis aliis modis, multiplicique ratione, ut aliàs dicemus, in partem Communionis eos veniſſe, verbi gratia, ad precum Com-

munionem ſine nominis oblatione, eos admiſſos fuiſſe. Sed nemo unquam antiquitus, perfectam, & ultimam Communionem adeptus eſt, quin iiſdem ſacris ejus nomen offerretur. Quin etiam eorum qui baptiſmi aquis abluerentur nomina Deo inter ſacra offerebantur: unde intelligas neminem alioi cum cæteris fidelibus, vel in baptiſmo, vel poſt pœnitentiam ſocietatem coiiſſe, quin hoc ritu nomen ejus celebraretur. Poſtremò non ſolùm defunctorum pœnitentium, aut baptiſatorum nomina inter ſacras orationes Deo offerebantur; ſed eorum omnium qui dona & munera obtulerant in ipſis ſacris, & de eorum nominum oblatione, Innocentii canon 2. eſt accipiendus: *De nominibus verò recitandis, antequam preces Sacerdos faciat, atque eorum oblationes, quorum nomina recitanda ſunt, ſua oratione commendet, quàm ſuperfluum ſit, ipſe per tuam prudentiam recognoſcis, ut cujus hoſtiam necdum Deo offeras, ejus antè nomen inſinues: quamvis illi incognitum ſit nihil. Prius ergo oblationes ſunt commendandæ, ac tunc eorum nomina, quorum ſunt oblationes, edicenda, ut inter ſacra myſteria nominentur, non inter alia quæ antè præmittimus, ut ipſis myſteriis viam futuris precibus aperiamus.* Quo 10 canone multa quæ ad hanc obſervationem pertinent, manifeſta fiunt: primùm eorum, quorum Eccleſia oblationes & munera recipiebat & offerebat, nomina etiam peculiari oratione oblata fuiſſe Deo, & commendata. Deinde quoſdam ejuſmodi nominum oblationes celebraſſe, non ſolùm ante Euchariſtiam; ſed etiam antequam eorumdem munera offerrentur, quem morem & conſuetudinem corrigit Innocentius. Cæterum ejuſmodi nomina uſurpata, & oblata fuiſſe, inter Euchariſtiæ confectionem, & ejuſdem Euchariſtiæ ſacrificium & ſumptionem, hæc ipſa verba declarant, *ut inter ſacra myſteria nominentur*. Et Concilium Emeritenſe canone 19. Antequam finem huic obſervationi imponamus, ejuſdem ritus multa in calce hujuſce obſervationis teſtimonia addenda ſunt. Divus Cyprianus epiſtola 14. lib. 2. *ad communicationem admittuntur, & offertur nomen eorum, & nondum pœnitentia facta, nondum exomologeſi finita, nondum manu eis ab Epiſcopo aut Clero impoſita, Euchariſtia illis datur.* Item, *ante ipſum penè martyrum exceſſum communicent cum lapſis, & offerant, & Euchariſtiam tradant.* Indignatur quòd nomen eorum offeratur, nec injuriâ; quia iniquum erat eos, pœnitentiâ nondum expletâ, cæterorum fidelium fratres & ſocios haberi, & jus conſequi Communionis: epiſtola 15. de eodem ritu accipiendum eſt quod ait: *ante manum ab Epiſcopo & Clero in pœnitentiam impoſitam, offerre pro illis, & Euchariſtiam dare:* item quod ſequenti iterum epiſtola legitur: *jam cum lapſis communicare cœpiſſe, offerre pro illis, & Euchariſtiam dare, cùm oporteat per hæc ad ordinem pervenire.* In Concilio Elibertino c. 29. *Energumenum qui ab erratico ſpiritu exagitatur, hujus nomen neque ad altare cum Oblatione eſſe recitandum.* Quamobrem autem eorum & pœnitentium nomina ad altare non viderentur recitanda, ea eſt cauſa quòd nulla aliâ re, magis confiteri poterant ſe cum aliquo ſocietatem & communitatem iniiſſe, niſi cùm ejus nomen privata quadam oratione totius Eccleſiæ nomine, & per ſacerdotem ejus legatum commendabatur. At verò ejuſmodi pœnitentes, & energumeni nondum perfecta & ultima Communione fruebantur; idcirco eorum nomina non erant offerenda nomine totius Eccleſiæ.

OBSERVATIO VIII.

De Communione per Eulogias.

GEnus quoddam erat Communionis apud Antiquos quod Eulogiis celebrabatur, quodque ideo inſtitutum eſſe ſuſpicor, ut abſentibus pars aliqua & ſocietas eſſet cum Epiſcopo & cæteris fidelibus, qui in matrice Eccleſia (ut vocant) morarentur. Nam cùm per vicos & pagos ſparſi & diffuſi ex eadem non poſſent ſumere Communione, cuperentque ſemper unionis Chriſtianæ, & Chriſti corporis ſpeciem quam poſſent maximam retinere, ſolemniſſimis diebus & feſtivis ex matrice per parochias, benedictus mittebatur panis, ex cujus perceptione communitas quæ inter omnes fideles ejuſdem Diœceſis intercedere debet, intelligebatur, & repræſentabatur. Tanta enim apud eos hujuſce Communionis & ſocietatis erat religio, ut ſi una Euchariſtia, id eſt, ab uno Epiſcopo conſecrata toti orbi ſufficere, & ex ea univerſa Eccleſia communicare potuiſſet, non alia, neque alio ſacerdote uſi fuiſſent; quin etiam hac religione ducti nonnulli ipſa ſacra, ipſamque Euchariſtiam ex urbe per pagos mandabant, ut ex 14. Concilii Laodiceni canone licet colligere. Hanc hujus inſtituti cauſam fuiſſe, ipſa Innocentii verba declarant, *ut ſe à noſtra Communione maximè illa die non judicent ſeparatos.* Eulogiæ igitur mittebantur per Diœceſim, ut fideles qui ab eodem Epiſcopo regebantur, omnes ſcirent ejuſdem Chriſti corpus unum ſe ſimul componere & referre.

Sed in hac re duo ſunt conſideranda: primum an antequam ea conſuetudo per vicos Eulogias mittendi invaleret, ipſæ Eulogiæ celebrarentur, quod certiſſimum eſſe arbitror. Nam tametſi initio Eccleſiæ foras non mitterentur, tamen in unaquaque Eccleſia panis benedictus inter fideles dividebatur, id eſt ex oblationibus partes aliquæ in ipſis ſacris fidelibus offerebantur, quæ oblationes per benedictionem Eulogiæ nuncupabantur. Aliud quod diſcutiendum eſt, an qui in matricibus feſtos dies agerent, ex ipſis Eulogiis, quæ per vicos mitterentur deguſtarent, hoc enim deſiderari videbatur ad perfectam & intimam unionem exprimendam: quod ita factum fuiſſe exiſtimo, quamvis ex Concilii Carthaginenſis tertii canone 5. poſſit objici fideles eo ipſo die quo Euchariſtiâ donarentur, à minoribus ſacramentis & myſteriis abſtinuiſſe: ſed poterant panem illum poſt Euchariſtiam ſumere, aut domum deferre.

OBSERVATIO IX.

Cur mortuis Sacramenta Baptiſmi & Euchariſtiæ præberentur.

VIx ullus error aut hæreſis in Eccleſia ſerpere ac prodire cœpit, quin ſpecioſo quodam ac probabili rationum fundamento niteretur, atque adeo ab auſtera ac recepta Eccleſiaſtica diſciplina ortum ſuum duceret. Quam cùm juſtis gravibuſque de cauſis, aut mutare aut temperare vellet Eccleſia, eam nihilominus hæretici mordicus ac tenaciter tueri vellent. Nam qui animo, & cogitatione veteris memoriæ hæreſes, erroreſque varios repetent, in meam facilè ſententiam deſcendent. Ita Montaniſtæ, ſua prava imbuti opinione à primorum ſeculorum ſeveritate errorem hauſerunt ſuum: quem illi retinere ac corroborare conabantur. Idem omnino dici poteſt de Novitianis, qui

ab Eccleſia veniam dari non poſſe clamarent, non aliam ob cauſam niſi quòd in cauſa lapſorum, ante tempus Cornelii his judiciis uteretur Eccleſia. Quod eò ab Orthodoxis fiebat non aliqua diminutione poteſtatis, quam Deus Eccleſiæ ſuæ præripuiſſet, ſed ut Eccleſiaſticæ diſciplinæ vis ac robur non infringeretur; quæ indulgentia debilitari videbatur, imo ut metus quidam ſalutaris injiceretur perſecutionum temporibus, ne tam facilè fidem proderent: ſed non ſolùm hæreſeon, verùm & errorum quorumdam qui non in hæreſim prolapſi ſunt, defenſio quædam ac origo deprompta ex Eccleſiaſtica diſciplina videtur. Inter quos errores, ille cenſendus eſt eorum qui ſcrupulo quodam implicabantur, quos nunquam adduxiſſes, ut ante, ſed nec poſt ſacrificium, diebus quibus jejunaſſent, ſuos fratres aut ſalutarent, aut oſcularentur. Id autem ex eo ritu Eccleſiæ profectum, quòd publicis ab Eccleſia decretis indictiſque jejuniis, ab oſculis & pacis oblatione abſtinerent. Quemadmodum & error eorum fluxit, qui diebus ſtationum è templo egrediebantur, illaſque ſumptâ Euchariſtiâ interrumpebant. Hi autem morem illum ac conſuetudinem non repudiandam arbitrabantur, quod moris eſſet eo cultu ac veneratione Sacramentum illud proſequi; ut cùm eo refecti recreatique eſſent, omnem à ſe triſtitiam mœſtitiamque depellerent: nec ullum acerbitatis, uti ſunt ſtationes, aut afflictionis genus admitterent, negarentque poſt Euchariſtiæ ſumptionem, quam tanto in pretio haberent, licere corpori moleſtias ullas arceſſere.

Hic autem modus percommodus, & maximè utilis eſſe poteſt, ut veteris diſciplinæ exacta ratio & via teneatur, ſi omnium hæreſeon atque errorum occaſiones ac ſemina perfectè cognoſcantur, multáque ſcitu ac cognitione digna ſeſe objiciant inveſtiganti, quæ alios fugiunt. Dæmon namque qui ut hominum improvidas mentes decipiat illudatque, veritatis ſemper imitator, ejus ſpeciem quandam falsò adumbrat, quò faciliùs errores ſuos diſpergat: Ita qui veritatem acutè acriterque diſpexerit à quo illa fonte dimanarit, agnoſcit. Sæpe enimverò Tertullianus, aliique patres conſimili genere argumentorum utuntur ad res Eccleſiaſticas confirmandas, paganorumque cæremonias, quo noſtræ corroborentur, arceſſunt: quod veriſſimè ſentiant imitatione quadam, dæmonem ad ſuæ religionis propagationem, ac obſervationem eas aſſumpſiſſe promulgandas. Ita cum mecum ipſe perpenderem, quamobrem mortuis Baptiſmus, & Euchariſtia præberetur, & undenam error iſte falſo quodam prætextu invaluerit, ut Balſamonis & Zonaræ ſententiam omittam, qui non aliam fuiſſe hujus rei originem atque fundamentum contendunt, quàm quòd aliqui perperam interpretantes verba illa, *ut quid baptizantur pro mortuis?* baptizandos mortuos crederent: Opinor non alio fulciri fundamento, neque ſpecie veritatis quàm Eccleſiæ præcepto, quod generatim obſervabatur, ut nullus unquam pœnitens, aut catechumenus è vita diſcederet, quin antè in fidelium Communionem advocaretur, aut corpori Chriſti Domini, unde diſtractus fuerat, reſtitueretur. Cæterum ad id, quod inculco toties remigrandum eſt, neceſſe, inquam, quo vetus illa Eccleſiæ diſciplina penitus cognoſcatur: confeſtim animo & cogitatione complecti & aſſequi temporum illorum, & antiquæ pietatis ſtatum, aliter omnia ad aniles fabulas quæ dicuntur revocanda. Omnino verò exiſtimandum eſt plurimos fuiſſe & pœnitentes, & catechumenos primis illis temporibus. Nemini enim ad Communionem accedere licebat qui non antea diuturniori pœnitentia ſatisfeciſſet: neque ad Baptiſmum ſe conferre, qui non longo antè interjecto intervallo, rudimenta Chriſtianæ fidei combibiſſet: propterea non parva vis ac copia erat pœnitentium & catechumenorum: neque raró contingebat ut ex illa multitudine aliqui antè vitam amitterent, quàm fidelium gregi conſociarentur, aut ſacro Baptiſmi fonte abluerentur, aut abſolutionem ſortirentur. Quidam ergo miſeram, & acerbam illorum conditionem deplorantes, quòd eos pietatis quidam ſenſus angeret, ſimplicitate animi ducti, ut mandato Eccleſiæ obſequerentur, *Ne quis vacuus Communione diſcedat,* Euchariſtiam illis & dabant, & Baptiſmum poſt eorum mortem conferebant, cùm hoc modo exiſtimarent ad Communionem Eccleſiæ eos adoptari, & jus Communionis illis reddi.

Volo igitur & concedo canones iſtos, qui mortuos baptizari, aut illis Euchariſtiam miniſtrari vetant, ut putà ſeatum tertii Concilii Carthaginenſis XVIII. & XX. Farraginis Græcanicæ; Conciliorum Carthaginenſium LXXXIV. Concilii in Trullo: XII. Antiſſiodorenſis, de pœnitentibus qui ſine abſolutione morerentur: & de catechumenis ſine Baptiſmo verba facere. Quod ad hoc ultimum attinet, in dubium revocari non debet: neque enim iterari poterat baptiſmus: illud autem probabile eſt: quorſum enim homini mortuo Euchariſtiam dediſſent, qui eam dum viveret ſumpſiſſet, aut qui inter fidelium gregem reperiretur? Nam cùm è corpore fidelium cenſeretur, idem poſtea ſi morte ſine Euchariſtiæ perceptione extingueretur, non propterea fidelis eſſe deſinebat: neque Communione Sanctorum privabatur, neque quemquam ejus miſereri poterat, aut Euchariſtiæ ei impertiendæ ulla cauſa & ratio ſuppetere. Quod verò ad eos ſpectat, qui dum pœnitentiâ à ſe pœnas repeterent, nec adhuc abſolutione gauderent, interim tamen morerentur: dolor ille & angor neſcio quis ex eorum morte naſcebatur, qui hunc errorem in lucem intulit invexitque. Quapropter nonnulli Euchariſtiam & Baptiſmum eis licet mortuis tribuebant, quod opitulari poſſe ſe iis exiſtimarent, atque hoc modo illóſque in fidelium numerum tranſcribere. Ad hæc Canonibus ferme omnibus affirmatur errorem illum ex ſimplicitate & opinione populari eſſe profectum. Adde quod conſtat, ut noſtra non inſulſa ſententia videatur, maxima ex parte Canones de Baptiſmo & Euchariſtia conjunctè ſimul diſputare: quod conjectura facit de pœnitentibus, quos ſine abſolutione mors eripuiſſet, loqui eoſdem canones, idque ab antiqua illa ſimplicitate quo Communio Eccleſiæ illis redderetur, excogitatum tanquam quoddam ſubſidium, quo juvarentur. Nam quando patres de Catechumenis, unaque de Pœnitentibus loquuntur, eadem omnino ſententia eodemque ſenſu de utriſque loquuntur: ut cùm Cathecumenis quibus vocem morbus quidem repentinus occluſerit, Baptiſmum dandum aſſerunt, hoc addunt, *ſimiliter & de pœnitentibus agendum eſt*, id de pœnitentibus qui in morte abſolutione caruerint, intelligi oportet. Quapropter cùm Canones illi de Cathecumenis qui ſine baptiſmo è vita abierunt, agunt; arbitror etiam de pœnitentibus in iiſdem Canonibus, qui exaperte abſolutionis interierint mentionem fieri, triſtitiamque illam quæ ex eo contracta fuerat, quod ſine Communione & ſocietate fidelium deceſſiſſent, ortum illi errori occaſionemque commodaſſe, ut poſt mortem Baptiſmus & Euchariſtia præberetur: per quæ Sacramenta, quamvis hac lucis uſura frui deſiiſſent, opinabantur ad fidelium numerum cœtumque poſſe revocari, ildemque imperiti & rudes, quamquam minimè mali,

Euchariſtiam potiùs quàm abſolutionem tribuendam credebant, quod in abſolutione non tantum præſidii quantum in Euchariſtia erat conſtitutum, ut pœnitens inter fideles reponeretur. Quare cùm talis premeret neceſſitas, ad potentiſſimum remedium confugiebant. His adde abſolutionem non niſi loquenti, & peccata ſua confeſſione patefacienti, eaque deteſtanti dari ſolitam.

OBSERVATIO X.

Qua ratione mortuis ius Communionis redderetur.

Eccleſia non minùs ægrè moleſtéque ferebat nonnullos, cùm è cœtu fidelium ejecti extorreſque dicerentur emori, quàm de quibus ſuperiori capite egimus, proptereaque à ſe aliquid afferri opis & auxilii oportere meditabatur; ſed non ab Eccleſia fuerunt excogitata quadam cum temeritate præſidia, qualia fuerunt ea quæ ſuprà commemoravimus. Cùm igitur pœnitentiæ tempore quis necdum abſolutione percepta vivere deſiiſſet, Eccleſia quicquid opis poterat, ejus protegendi cauſa impendebat, & ad Communionem fidelium revocabat, non Euchariſtiæ aut Baptiſmi quodam beneficio, ut authores hujus erroris præſtabant, ſed Oblationes, quæ eorum cauſa à cognatis aut affinibus proponebantur, admittendo comprobabat. Id autem apertè docent Canones XII. Arelaten. II. II. Vaſenſis. I. XVII. Antiſſiodoren. poſtremus Epaonenſis XXXIX. XIII. Carthagin. XII. II. Toletani XIIII. II. Aurelian. Adde id cognoſci ex reſponſione Timothei Archiepiſcopi Alexandrini, & aliis quàm multis locis, ex quibus clarè diſpicias qui ſine abſolutione tempore pœnitentiæ obiiſſent, eos verè in ſocietatem Chriſtianorum receptos, beneficio oblationum quæ fiebant. Duo ergo ex hoc ritu & obſervatione educas oportet. Primum Oblationes fuiſſe inſtar modi, ſeu facultatis cujuſdam qua jus Communionis comparabatur, quando illæ ab Eccleſia altari expoſitæ & repræſentatæ Deo à Sacerdotibus erant. Alterum poſt mortem jus Communionis à quo vivus quis exciderat, poſſe recuperari.

Quod ad primum attinet, Oblationibus jus Communionis acquiri, idque genus quoddam Communionis videri & dici, quia is cujus Oblationes excipiebantur, inſeri numero Sanctorum cenſebatur: non ſolùm Canones ſuprà à nobis citati teſtantur, ſed etiam ea afferri cauſa poteſt, quod antiquitus impurorum hominum, & quos noxæ lethalis conſcientia vexaret, Oblationes rejiciebantur: quod in obſervatione de *Communione ſine Oblatione* demonſtravimus. Nam quanta vis maxima Oblatione à pœnitente propoſita, aut argenti vi ac copia, quam excommunicatus obtuliſſet Eccleſiæ, nihili pendebatur ea munerum magnitudo, cuius rei non alia ratio affertur, quàm quòd ſi Oblationes pœnitentis probatæ, Deoque exhibitæ fuiſſent, ad Communionem Eccleſiæ admiſſus cenſeretur; à quo, tanquam deteſtabili ſcelere, ita refugiebant, nulla ut unquam cibi aut potionis Communione cum aliquo pœnitente conjungi vellent. Quid ita? quòd arbitrarentur, ſi quiſpiam cum ejuſmodi hominibus, qui flagitioſe viverent, congrederetur, eundem contagione quadam ejuſdem criminis contaminari ſolere, & in eandem quaſi capitalem fraudem pertrahi. Neque vero aliter putandum ob aliam cauſam Marcioni fuiſſe pecuniam redditam, quàm cùm poſtliminio ad Eccleſiam rediret ſecum attulerat, ne quid in Eccleſia reſideret quod ab Excommunicato eſſet profectum. Par eademque ratio eſſe poteſt cur pœnitentes quarti gradus, quique in partem precum & ſupplicationum veniebant, Oblationes aliquas offerre non poſſent quæ probarentur; quia necdum omni labe ſoluti, omninoque digni judicabantur, quorum oblationes Deo gratæ acceptæque eſſent, ut hunc Communionis gradum aſſequerentur. Quin Canone IIII. Titulo de Pœnitentia, Nicolai Papæ conſtat, non licere per illum pœnitenti oblationes adhibere qui Euchariſtiam ſumpſiſſet, quaſi hoc facto beneficio longè maximo affectus putaretur. Unde liquet maximum Communionis jus fuiſſe Oblationes offerre, longéque majus, quàm in Eccleſiam introire, rei divinæ intereſſe, & ſupplicationibus: quandoquidem illa Communio ad poſtremum locum reſervaretur, & perfectiſſima poſt Euchariſtiam haberetur. Nam qui quarto in gradu conſtituti eſſent, omnium aliarum Communionum participes, præterquam duarum ultimarum erant; hoc eſt Oblationum, & Sacro-ſanctæ Euchariſtiæ.

His & aliis rationibus apparet *jus Communionis* obtineri Oblationibus; ſed ab Eccleſia tamen receptis: propterea Patres indoluerant, ſi qui pœnitentiæ tempore morte interciperentur; decreveruntque ad Communionem fidelium eſſe reducendos, tametſi vita functi eſſent, Oblationum beneficio, nullo alio ad id beneficium conferendum propoſito remedio, cæteris de quibus ſuprà actum eſt, magna ex parte ſi non contemptis, ac certè non probatis. Ea eſt ſententia & ratio Canonis duodecimi ſecundi Arelatenſis: *de his qui in pœnitentia poſiti vita exceſſerunt, placuit nullum Communione vacuum debere dimitti, ſed pro eo quod honoravit pœnitentiam, Oblatio illius recipiatur.* Quibus verbis perſpicuum eſt, ei qui extremum vitæ diem in pœnitentia terminaſſet, Oblationibus fuiſſe redditam Communionem. Idem omnino II. Canone Concilii Vaſenſis traditur per Oblationes Communionem eidem fuiſſe reſtitutam. Canon XII. Concilii II. Toletani, magnam huic rei lucem affert, poſt mortem ad Communionem licere reverti: ait enim hanc fuiſſe reliquam dubitationem, ſi decedentium pœnitentium ſine abſolutione oblationes aſſumerentur: *Quanquam diverſitas præceptorum de hoc capitulo habeatur:* & verè cùm alii antiqui Canones id conſtituerint, de eo fuiſſe aliquando dubitatum, argumentum eſt certiſſimum. Dubitationem autem fuiſſe non aliundè exortam certum eſt, quàm quòd utrum ad Communionem fidelium reducendi eſſent ii, qui ſine abſolutione necdum plena atque integra ſatisfactione expleta deceſſiſſent, dubitaretur. Perlibenter autem quæſierim quamobrem eorum qui ſe præcipites dediſſent, oblationes improbarentur: ut videre eſt Canone XVII. Concilii Antiſſiodorenſis: an non ea fuit ratio quòd oblationibus illorum receptis videbatur, quaſi quidam gradus fieri ad Communionem fidelium obtinendam? Quod fieri nullo modo poterat, quòd in peccato mortui eſſent: ideoque Communio eorum fuiſſet quaſi inſtar fermenti quod totam maſſam corrumpit: & meo judicio ſuggeri alia cauſa, ratioque non poteſt, cur tam diligentes eſſent in conquirendo genere mortis, quando de oblationibus faciendis agebatur: ut illa Timothei reſponſio probat, qui dicit parentes, *ut aſſequantur, oblationem & orationem mentiuntur, & dicunt eum non fuiſſe apud ſe*, propterea que conquiſitione duriſſima perveſtigandum genus mortis ejus, pro quo oblationes offerantur. Et certè hoc Eccleſiæ decretum, Communionem qui ſine abſolutione à nobis abiiſſent, reſtitui oportere æquiſſimum videri. Quod cùm illi omnem curam & cogitationem eò contuliſſent ut ſatisfacerent

terent, maximiſque de peccatis dolor, angorque eos prope confeciſſet, omnibuſque modis elaboraſſent uti in gratiam cum Eccleſia redirent, eos ipſa Eccleſia ot omni labe peccati perpurgatos cenſebat: unde oon eſt mirum ſi Eccleſia ad corpus fidelium, Chriſtique corporis ſocietatem eos aſciſcendos eſſe duceret. Opinor etiam & planè aſſeverare auſim, neqne teſtimonia poſſe reperiri, quæ in promptu mihi eſſe non poſſunt, catechumenorum oblationes receptas eſſe, eorum præſertim qni ante Baptiſmum ex hac vita migraſſent in ipſo catechumenatn. Nam cùm ad id omnem ſuam mentem & ſtudia contuliſſent ut baptizarentur, ipſique in numerum Chriſtianorum allegerentur, pari indulgentia & benevolentia, atque ipſi pœnitentes cumulandi videbantur.

OBSERVATIO XI.

Quid ſit Viaticum.

QUi hoc verbum *Viaticum* in omnibus canonibus Euchariſtiam interpretantur, non minùs errant, labunturque, quàm ii qui ubivis animadvertunt & legunt hanc vocem *Communionem*, pro Enchariſtia eam accipiunt. Nam Viaticum meo quidem judicio nonniſi generatim ſumi debet, cùm id ſignificet Commonionoi fidelium reſtitui, appropinquante mortis obeundæ neceſſitate: & inter *Viaticum* & Communionem generali quodam ſumpto nomine, ut corpori myſtico Chriſti Domini communicemus, oihil intereſt, niſi quòd Viaticum ſit illa ipſa Communio, quæ Excommunicato redditur, quem brevi moriturum conſpicimus. Quare tot ſunt gradus aut genera *Viatici*, quot & Communionis in corpore fidelium: aut ut clariùs res tota explanetur, tot ſunt genera Viatici, quot & modi viæque perhibentur ad Eccleſiæ Communionem, & quoddam quaſi corpus reſtituendi eos qui à morte propiùs aberant, neque unquam in Eccleſia fuerant, aut qui ab ea peccato quodam ſuo abrupti ejectique fuiſſent. Atque hæc meâ ſententiâ, non aliter explicanda vox hæc eſt, *Viaticum*, ut omnes canones, qui de Viatico diſſerunt, intelligantur, & quadam inter ſe ratione conſentiant. Nam qui paſſim verbum hoc, *Viaticum*, pro Euchariſtia exponunt; nonquam ita mentem judiciumqne canonum ita diſpicient, ut non aliquo modo inter ſe pugnent obſcuraque ſit & minimè aperta eorum argumentatio & ratio. Nolim tamen eis negare Euchariſtiam, cùm datur pœnitenti ad mortem præcipitanti eſſe Viaticum, imò tutiſſimum, abſolutiſſimum, & potentiſſimum quod mortuis tali tempore præberi poſſit, tamen confiteantur neceſſe eſt, non omne *viaticum* dici Euchariſtiam. nam quemadmodum Eccleſiæ cammunio & jus multis aliis, præterquam Euchariſtiæ, modis comparari poteſt; ita & pœnitens ex hac vita demigrans, aliud quàm Euchariſtiæ viaticum poteſt accipere, denuoque aliis quibuſdam viis & modis quàm Euchariſtiæ beneficio, eidem corpori reſtitui & inſeri: quamvis illud veriſſimum ſit uti dixi, Euchariſtiam quemadmodum eſt perfectiſſima communio, & ultimns Chriſtiani finis & perfectio, ita eſſe perfectiſſimum Viaticum quod ſuppeditari poſſit morituris.

Antequam autem ad ea teſtimonia veniam, quibus declarem omne Viaticum non dici Euchariſtiam, plurimaque eſſe genera *Viatici*: quin tot videri & eſſe gradns, qnot ſint modi reſtituendi, aut revocandi aliquem ad communiooem Eccleſiæ: & priuſquam ad explicandos canones pro-

A grediar, qui in medio quaſi conſtituunt illos gradus, quique planè convincunt non paucos finiſſe modos rationeſque exolvendi anathematis, & ſtabiliendæ ſocietatis fidelium; redigenda in memoriam eſt vetus illa diſciplina Eccleſiaſtica, & ante oculos conſtituendns ſtatus Eccleſiæ primorum temporum; aliter quidquid à nobis proferetur, merè commentum hominum, ne dicam deliramentum monſtri ſimillimum putaretur. Eccleſia ergo majorum noſtrorum memoriâ, peccatum mortiferum excommunicatione, quaſi debito ſupplicio vindicabat; aut pœnitentia plurimorum annorum, ut puta VIII. X. XII. XX. XXV. & XXX. quandoque ad mortem uſque producta: B vixque, ac ne vix quidem, demonſtres pœnitentem fuiſſe abſolutum antequam pœnitentiæ tempus definitum tranſegiſſet; quæ cauſa eſſe poteſt cur quamplurimi eſſent, qui pœnitentiam peragerent. Qui ergo ſecum conſiderarit Viaticum nihil aliud dici, quàm quod in morte ſumitur, & in alteram vitam proficiſcenti prodeſſe poteſt: non eam imbibit animo opinionem, ut Euchariſtiam ſolum Viaticum Chriſtianorum ſentiat. Nam cùm magna eſſet pœnitentium copia, multique ante præfinitum pœnitentiæ tempus poſſent emori, quibus ſi ſola concederetur abſolutio (canone enim 13. Nicæn. & 5. Cartha. 2. Euchariſtia non poterat dari pœnitentibus morientibus, niſi ex authoritate & præſcripto Epiſcopi) noo alio Viatico C dimittebantur. Eaque verè eis erat Viaticum, cùm Euchariſtiâ non donarentur. Præterea Baptiſmus, Extrema-Unctio, Confirmatio, bona opera, Abſolutio, Euchariſtiaque ipſa, Viatici nomine comprehendi poſſunt, quando ea morientibus impertiuntur; namque ea omnia morientibus prodeſſe poſſunt, quidni Viatica cenſeri poſſunt? Sic Patres non prohibent, imo imperant, ut ſacro fonte intingantur in morte, quòd Baptiſmus ad ſalutem omnino requiratur & valeat. Propterea *Viaticum* appellant Sanctus Baſilius Homilia de Baptiſmo, Balſamo in Canonem XVIII. Concilii Carthaginenſis, & initio reſponſionum Timothei, Sanctus Cyprianus Eleemoſynam vocat *Commeatum* eorum qui ex hac vita diſcedunt. Ve- D rùm duo genera *Viatici*, hac acceptione generali dicuntur: qoorum unum Eccleſia ipſa tribueret, alterum quod quivis in ſe accerſeret & applicaret, opera bona, & contritio. Eorum autem quæ Eccleſia largiretur, duo item genera: alia abſolutè neceſſaria ad ſalutem, ut abſolutio pœnitenti, & Baptiſmus catechumeno: alia non fuere merè neceſſaria ad promerendam Eccleſiæ communionem; ſed illa, quò acceſſio gratiæ major fieret, iſque qui moreretur ad perferendas æquo & forti animo tentationes munitior, inſtructiorque redderetur, tradebantur: ut Euchariſtia, Extrema-Unctio, & Confirmatio.

Canones multò ſæpius de iis quæ ad ſalutem æternam promerendam neceſſaria ſunt, diſputant, E quàm de aliis quæ minùs opportuna videbantur, ut Canon XIII. Concilii Nicæni, prima illa ſua parte aut diviſione, quemadmodum in obſervatione à me inſtituta & perfecta videre licet. Canon etiam VI. Concilii Ancyrani, *hic Communio propter Viaticum ſuum non negabitur*, de reconciliatione illa ſumi debet, quæ inſtar Viatici ad ſalutem ſatis eſſet, non autem pro Euchariſtia: nam in illo canone agitur de iis qui ingreſſi ſunt pœnitentiæ curriculum; quique in eo percurrendo morte ipſa intercepti è vita abeunt. In illis autem primis ſæculis obſervatum eſt, ſatis præclarè & liberaliter cum illis agi, ſi illis abſolutio ſine Euchariſtia concederetur: & quotieſcumque præſcriptum eſt, ut communio pœnitenti de-

tur ; ſi dum in curriculo pœnitentiæ verſatur, ad mortem ruere videatur, hæc communio eò pertinet, ut non de Euchariſtia, ſed de communione & ſocietate quæ illi eſſe poteſt cum fidelium corpore, & Eccleſiæ communitate, accepta abſolutione intelligatur : id enim ipſum ex ordine quodam & quaſi gradatim fiebat, ut in explicatione Canonis XIII. Concilii Nicæni legitur. Canones item LXXVI. VII. VIII. IX. Concilii Carthag. IV. id edocent : aliquod enim diſcrimen ponunt inter Viaticum abſolutionis, & Viaticum Euchariſtiæ. nam LXXVII. præcisè decretum eſt ut cuivis morienti Viaticum ſubminiſtretur, quod tantùm de reconciliatione quæ ante Euchariſtiam præberi ſoleret, quæque ad ſalutem valeret, dici poteſt : nam præter rationem illam quæ à nobis generatim ſumpta eſt ſuprà, Patres ejuſdem Concilii nonne id ſatis indicant, & ſe præcedenti Canone de Euchariſtia verbum ullum feciſſe ? qood cùm de ea loqui vellent, ſequenti canone non ſimpliciter dixerunt *Viaticum*, ſed additamento quodam protulerunt, *Viaticum Euchariſtia*, ut hoc pacto oſtenderent ſe non de Euchariſtia locutos eſſe, aut voluiſſe loqui canone LXXVII. Canone nono Concilii Gerundenſis, Patres pœnitentiæ benedictionem vocant Viaticum. *Pœnitentiæ benedictionem, quam viaticum deputamus, per Communionem acceperit*, ubi Viaticum omnino accipi non poſſe pro Euchariſtia patet : nam nemo unquam Euchariſtiam pœnitentiæ benedictionem vocat. Neque verò illa verba quæ ſequuntur objici poſſunt *per Communionem*, ac ſi Canon diceret, cenſeretque pœnitentes iſtos ſtatim poſt pœnitentiæ benedictionem, quæ eſt abſolutio, Euchariſtiam ſumpſiſſe, atque ita ſemper Euchariſtiam eſſe quam appellant Viaticum ; nam accipere pœnitentiæ benedictionem vel communionem, nihil aliud eſt in illo canone, quàm una eademque benedictione pœnitentiæ donum cum reconciliatione accipere : raro enim cum pœnitentia porrigebatur Euchariſtia. Canon ille 39. Concilii Arauſicenſis 1. *Qui recedunt de corpore pœnitentia accepta, placuit ſine reconciliatoria manus impoſitione eos communicare, quod morientis ſufficit conſolationi, ſecundùm definitiones Patrum, qui hujuſmodi communionem congruenter viaticum nominaverunt*, omnem dubitandi cauſam præcidit : nam verbis illis abſolutionem peccatorum, & ſimplicem reconciliationem, præter illam quoque, quæ cęremoniarum quarumdam ritu perageretur, nominari Viaticum conſtat. In quo quidem canone nemo ſuſpicari, aut conjicere poſſit, de Euchariſtia verbum fieri : nam de communione una diſputat, quæ ſine reconciliatoria manus impoſitione daretur. Euchariſtia nemini porrigebatur, quin pœnitens reconciliatoriam manus impoſitionem, & quidem majorem recepiſſet. Canon 34. 3. Carthaginenſis : *Ut ægrotantes ſi pro ſe reſpondere non poſſunt, cum voluntatis eorum teſtimonium ſui dixerint, baptizentur. Similiter & de pœnitentibus agendum eſt*, de duobus Viaticis, de Baptiſmo, & de abſolutione eſt accipiendus : & qui ſolertiùs illum examinarit, non diffitebitur, pleraque Baptiſmum dici Viaticum neceſſarium catechumenis, aut non baptiſatis, ut abſolutionem pœnitentibus ; qua de cauſa Patres hujus Concilii utrumque conjungunt, idemque de utroque ſtatuunt, quid fieri placeat, quod Viatici neceſſarii rationem utrumque induat & ſuſtineat. Canon 12. 1. Concilii Matiſconenſis, eandem ſententiam complectitur, verbumque illud *Communio*. quod morituris pœnitentibus dari oportere decernit, non ad Euchariſtiam, ſed ad abſolutionem peccatorum transfert. Idem quo-

A que Canon 1. Concilii Agathenſis, & in epiſtola S. Innocentii ad Epiſcopum Toloſanum ſtatuitur. Canones præterea omnes, qui de Viatico diſſerunt, nonniſi de abſolutione, quæ Viaticum quoddam ad ſalutem neceſſarium eſt, & ſine Euchariſtia præberi ſoleret, explicandi ſunt : quid quòd ea peccata non modò relaxabantur, ſed etiam pœnitentes ad fidelium communionem reducebantur : quemadmodum & 6. Ancyrani 77. 4. Carthaginenſis 9. Gerundenſis 13. Nicęni 19. Epaunenſis 24. Aurelianenſis 3. Syricius epiſtola ad Tarraconenſem Epiſcopum, 2. 12. Toletani ? Quò autem demonſtremus canones, qui ſtatuunt Viaticum non eſſe negandum pœnitentibus morituris, aut alios item Canones, qui præfiniunt
B non eſſe eos communione ſpoliandos, de abſolutione, non de Euchariſtia intelligi oportere, ac proinde non omne Viaticum eſſe Euchariſtiam, verbumque hoc *Communionem* non ſemper pro Euchariſtia ſumi debere ; omnium hęc erit ſententia & conſenſio canonum omnium, qui hac formula verborum utuntur, *in ultimo fine reconciliationis gratia tribuenda* : aut eos, *quibus per communionis gratiam volumus ſubveniri*, eodem omnino ſenſu accipi & explicari, atque eos qui his verbis utuntur *in infirmitate viaticum accipiunt*. Adde quod canones promiſcuè ſcripti omnes idem deſignant, hoc eſt conſtituendum eſſe ut Viaticum ad ſalutem neceſſarium pœnitentes accipiant,
C qui nondum exacto pœnitentiæ tempore, ad mortem tamen ex improviſo rapiuntur. Neminem autem eſſe puto, qui affirmet hos canones in quibus illa verba ſcripta animadvertis, *reconciliationis gratià ſubveniendum eſſe*, de Euchariſtia eſſe explicandos ; notum quippe apud patres olim reconciliationem fuiſſe ab Euchariſtia diſtinctam, ipſamque reconciliationem aliud nihil eſſe, quàm corpori fidelium reſtitui eos, à quo peccata illos diſtraxerant ; pœnitenteſque de ea, non verò de Euchariſtia ſollicitos fuiſſe.

Ut autem modus quidam huic obſervationi conſtituatur, & ratio quędam diſtribuendi Viatici neceſſaria cognoſcatur, perpendenda ſunt varia multipliciaque genera mortis, quibus peccatores
D & pœnitentes poterant opprimi. Primum quando peccatores fato urgerentur, antequam eis pœnitentiæ agendæ facultas fieret, hi duo ſibi dari poſtulabant, pœnitentiam ſcilicet, & abſolutionem, quæ Viaticum cenſebatur : nulli enim abſolutio unquam impertiebatur, quin & una quoque pœnitentia tribueretur : quæ cùm propter peccatorum ſatisfactionem concederetur, eaque ſemper pœnitentiam antecedere deberet ; nunquam peccator antiquitus abſolutione donabatur, quin priùs pœnitentiæ ſatisfactione peccata diluiſſet : ideoque quamvis morte certiſſima interciperetur, breviſſimumque temporis ei intervallum ad ſatisfactionem reliquum eſſet, tamen non illi pœnitentia denegabatur & remedium pœnitendi,
E ut vocant, quo conceſſo abſolvebatur. Secundum quando pœnitentes aut in primo, aut in ſecundo, aut tertio, aut ad extremum quarto gradu verſabantur. Si primo anno aut duobus inſequentibus moriebantur, non pœnitentia, cùm in ea agenda occuparentur, ſed ſola abſolutio, qua carebant, tanquam Viaticum concedebatur. Ultimo ſi in quarto, morbo conflictabantur, in eam propendeo ſententiam, ut exiſtimem, tametſi mihi exploratum non ſit, datum Euchariſtiæ Viaticum : nam arbitror eos qui in quarto gradu pœnitentiæ eſſent, abſolutionem peccatorum fuiſſe adeptos, aliudque nihil ab his quàm Euchariſtiæ Viaticum deſiderari. Ad extremum ut omnes intelligant patres inter *Viaticum abſolutionis* & *Via-*

ticum Euchariſtia, diſcrimen aliquod conſtituiſſe, illud indubitatum eſſe oportet, quando decernunt, ut in morte Euchariſtia præbeatur, nomen Viatici non ſimpliciter aut communionis uſurpare, ſed aliquo adjoncto ſeu epitheto id deſignare, ut canone 18. Concilii Toletani 1. appoſuerunt Sacramentum. Quinto Ilerdenſi nominant hoc Euchariſtiæ Viaticum *ſanctam Communionem*, alibi *abſolutam reconciliationem*, *perfectiſſimam*, *abſque Sacramentorum Viatico*. Unde videas quotieſcumque iiſdem verborum formulis non utuntur, & tamen ſtatuunt dandum eſſe Viaticum, id non pro Euchariſtia, ſed pro abſolutione accipiendum.

Ad hæc quaſi duo veluti capita revocatur hæc omnis obſervatio, omne Viaticum non eſſe Euchariſtiam, totidemque genera eſſe Viatici, quot modi reperiuntur, quibus quiſpiam ad Eccleſiæ communionem adſciſcatur, aut ejus communis pars aliqua ei cumulatior addatur: ita abſolutio, reconciliatio Sacramentis, Euchariſtia, Extrema-unctio, Baptiſmus, & Confirmatio, in morte omnia illa collata, Viatici appellationem continent; cùm Patres ita appellarint: quare loci illi non indiligenter perſcrutandi, in quibus vox illa reperiatur, & quo de genere agatur, ne quid in eorum explicatione peccemus.

OBSERVATIO XII.

Lætitia ob ſuſceptam Euchariſtiam.

MUltis argumentis, luculentiſque teſtimoniis exponere poſſem in hac obſervatione, quanto olim gaudio ex Euchariſtiæ ſumptione afficerentur Chriſtiani, quantaque ex ejus participatione, in eorum oculis, vultu & ore hilaritatis & geſtientis animi ſigna & indicia notarentur. Sed cùm in ſequentibus obſervationibus pleraque quæ ad eundem ritum pertinent adducantur: ne eadem repetere videamur, præcipua tantùm capita, hoc loco perſtringenda duxi, & quantùm neceſſitas ipſa ferret; ut probationis ſeries aliqua intexeretur & quaſi gradus ſtruerentur, quibus fides faciliùs iis, quæ deinceps dicturi ſumus, adhiberetur. Itaque apud Antiquos tam inſignia erant gaudia, quibus ex Euchariſtia percepta complebantur, ut reperti ſint, qui ea ſumpta, mox ad martyrium quaſi impotentes lætitiæ, ultro ſe ſe offerrent. Omnibus olim nefas viſum, jejuniis, aut aliqua alia anxietate, quam ex ea conceperant, hilaritatem confundere. Et quidquid tantillum hanc interturbare poſſet, penitus illis diebus removebatur. Eadem religione, atque ob eandem cauſam, cùm ea reficiendi eſſent, non genibus nixi, non humi jacentes, ſed erecti, & in cælum intuentes preces concipiebant. Antequam autem aris admoverentur, ut hoc tam divinum & immortale munus haurirent, vidiſſes mutuos inter ſe complexus, quò tanta ſibi invicem gaudiorum oblectamenta oſculo impertirent: cùm ut communi hominum vita, & conſuetudine contingat, mortales ipſos, mutuo ſeſe complexu, & oſculis gaudia, voluptateſque ſuas, quas tacitis animis concipiunt, occurrentibus amicis communicare. Sacri & feſtivi dies, non alia re ab aliis diſtinguebantur, quàm his clariſſimis & gaudii & lætitiæ, quibus Chriſtiani delibuti geſtiebant, argumentis. Hi dies, quibus Euchariſtiam ſumpſiſſent, vocabantur ab antiquis dies lætitiæ, dies remiſſionis, dies immunitatis, dies ſolemnes, dies feſtivi; quorum omnium ratio & cauſa in ſequentibus fuſiùs exponetur.

A OBSERVATIO XIII.

De celebritate & jejuniis Sabbatorum.

QUod ad Sabbata attinet, Græci & Orientales eandem pene rationem ſequuti ſunt. Nam ut ex antiquioribus Authoribus conſtat, feſta celebritate colebantur, jejuniumque interdicebatur. Latinorum autem varius in ea re uſus fuit. Ea enim aliàs perinde ac Græci celebrarunt, ſed ſenſim inductus eſt ille mos ut jejunaretur, triſtitiæ dies haberentur. Porro apud Orientales & Græcos celebrata fuiſſe, feſtaque habita Sabbata, vel ex can. 5. B Laodic. efficitur, ubi cavetur, ne aliis quadrageſimæ diebus quàm Dominicis & Sabbatis natalitia Martyrum celebrentur. Ex quo facile eſt animadvertere, eos dies ſolemnes ipſis feſtoſque fuiſſe, quandoquidem publicæ Chriſtianorum lætitiæ, ſolemnioribuſque feſtis, perinde ac Dominici conſecrati erant, & ab aliis diebus diſtincti. Confirmatur iſtud præterea ex cap. 35. lib. 8. Conſtitutionum, quæ vulgò Divo Clementi attribuuntur, ubi expreſsè Chriſtiani jubentur diebus Sabbati, atque Dominicis feriari à labore. *Ut ſervi quinque dierum opus faciant, Sabbato autem & Dominica die vacent in Eccleſia.* 13. item reſponſione Timothei Alexandrini Patriarchæ, quæ maritis uxorum uſum Sabbatis & Dominicis diebus interdicit, quò C majori cum pietate & reverentia communicare poſſint. Denique nullum luculentius feſti diei argumentum eſſe poteſt quàm ſi communicabatur. Ex his Gregorii Nyſſeni verbis, *quibus oculis vides diem Dominicum qui deſpicatus es Sabbatum:* his item Anaſtaſii Nicæni, *Sabbatum & dies Dominicus ſunt dies ſancti & feſti.* denique innumeris aliis locis quos apud Annaliſtam videre eſt anno Chriſti 57. n. 205. 6. & 7. id etiam ex plurium Sanctorum vitis apud Palladium & alios efficitur, qui diebus Sabbati perinde ac Dominicis ad ſacram ſynaxim accedebant. Huc accedit Orientalium cautio ne diebus illis jejunaretur, quod in feſtos tantùm ac celebres cadere poteſt. Sed objici contra poſſunt verba canon. 29. Laod. *Quod non oportet Chri-* D *ſtianos judaiſare, & in Sabbato otiari.* Quæ ſtatuta antè à nobis de Sabbatorum celebritate evertere funditus videntur, ſed dupliciter reſponderi poſſunt. Primum eſt canonem in eos eſſe factum, qui non tantùm celebrare Sabbata contenti erant, ſed ea more Judæorum obſervabant, hoc eſt, ſacrificabant, & ea qua Judæi religione ab omni opere vacabant. Itaque non prohibet canon eo more celebrari Sabbata, quo dies Dominicos Chriſtiani obſervabant, ipſumque inſertum canoni verbum *Judaiſare* ſatis probat, eos tantùm peti ac notari, qui Judæos imitarentur. Alterum eſt feſtorum obſervationem apud Chriſtianos in eo ſitam non fuiſſe, ut ab omni prorſus labore abſtinerent; quod ex eodem canone ſatis patet, ubi non ſimpliciter jubentur Chriſtiani E feriari ab omni opere diebus Dominicis, ſed quantùm commodè fieri poteſt, idque adeo multò maniſeſtiſſimum eſt ex quinquaginta illis diebus, qui à Paſchate ad Pentecoſten maximè ſolemnes erant, quamquam nemo illos feriatos unquam dicat. Sed objici præterea poteſt Epiphanius, cui cum exactè catalogum texuerit eorum dierum, quibus Chriſtiani communicabant, ſolemneſque habebant; nunquam tamen Sabbati meminit: quod utique homo Græcus nunquam prætermiſiſſet, ſi ſolemne & feſtum in Græcia fuiſſet. Sed reſponderi poteſt Cyprios Alexandrinorum vicinorum apud quos neque in Sabbatis, authoribus Socrate & Sozomeno, communiones fiebant, neque ut ſolemnia, feſtaque habebantur, æmulos fuiſſe. Verùm notare

poteſt iſta reſponſio, nam ut verum ſit horum hiſtoricorum tempore celebrata Alexandriæ non fuiſſe Sabbata, non continuò efficitur, eundem morem Epiphanii temporibus, qui Socrate & Sozomeno octoginta aut circiter annis antiquior fuit, obſervatum; præſertim cùm conſtet primis ſæculis cùm Alexandriæ, tum apud Orientales Sabbata feſta fuiſſe, in iiſque jejunia interdicta. Commodiùs igitur veriùſque reſpondebimus, ſi dicamus commemorati tantùm ab Epiphanio generales conſuetudines, & Apoſtolorum traditionibus conſtitutionibuſque obſervatas, cùm ſemetipſum his verbis interpretetur; *ordinata ſunt ab Apoſtolo*, item, *& tradiderunt Apoſtoli*. Itaque cùm hanc conſuetudinem ſciret non eſſe univerſam, ut quæ ſuo tempore in Eccleſia Latina non obſervaretur, noluit ejos meminiſſe. Quod autem Socrates ait Sabbatis Alexandriæ, auguſtiſſima myſteria celebrata non fuiſſe, vereor ut ſatis locuples author eſſe poſſit; tam multa enim in eodem illo capite parum fide digna ſunt, ut iſti etiamnum rei abrogent. Verùm ut ut ſit, tam multi ſunt loci, qui id dicant, ut ſi attentè conſiderentur, nemini dubium eſſe poſſit, quin Orientalibus Sabbata omnia, præter Sanctum, feſta fuerint.

Iejunium autem Sabbatis in Oriente interdictum facillimum eſt probare. nam ut una eſſet antiqua conſuetudo, quæ feſtos dies eſuriales eſſe prohibebat, id ſatis conſtaret. Verùm innumeri ſunt loci qui id evincant, cujuſmodi eſt 66. canonum, qui Apoſtolorum dicuntur. 24. cap. lib. 5. conſt. D. Clem. textos Ignatii 4. epiſtola. 55. canon Concilii in Trull. & quæ paſſim in Annalibus Eccleſiaſticis habentur. Sunt tamen qui hæc in dubium vocent, quod canones illos, & conſtitutiones Apoſtolorum eſſe negent, de quibus quando ſe commoda dederit occaſio, pauca dicam, ut omnes intelligant quænam in ipſis ineſſe authoritas, ponduſque debeat, etſi quod rem noſtram attinet, ſatis multa ſint, quamquam ille Apoſtolicus canon, & D. Clementis conſtitutio rejiciatur, quæ ipſam confirment.

Certè ſi quis eſſet qui canones Apoſtolorum, & D. Clementis conſtitutiones Apoſtolorum authoritate ſancitas, publicataſque certò affirmaret, imperitus cenſeretur: nam qui antiquarum conſuetudinum gnati, quo quidque tempore aut loco obſervari deſitum ſit, aut mutati cœptum norunt, de iis ne dubitare quidem poſſunt. Et verò quæ mox dicam ita clára ſunt, ea ut revinci à nullò poſſint. Multa ſunt in iis adeo clarè, dilucidéque explicata & conſtituta, ut de eorum ſenſu dubitari non poſſit, quæ tamen tertio, quartoque ſæculo ſumma contentione diſputata ſont. Hujuſmodi ſunt Sabbatorum jejunia, pœnitentium, hoc eſt adulterorum, ficatiorum & idololatrarum receptio. de Baptiſmo hæreticorum. Si canones iſti, conſtitutioneſque ab Apoſtolis probatæ, ſancitæque fuiſſent, quis exiſtimet ea in dubiom fuiſſe revocanda, quæ ab Apoſtolis decreta ſancitaque fuiſſent. An adeo ignorantes erant illius ætatis Patres, ut ſi extitiſſent illi Apoſtolorum canones, eos continuò non produxiſſent. Sunt tamen illi canones conſtitutioneſque antiquiſſimæ, multaque in illis excellentiſſima & magni ponderis continentur. Nec dubito quin olim Græcæ Eccleſiæ pro legibus, manuali, Pontificali, rituali ut vocant, codice fuerint: ſatis enim conſtat, nihil quicquam in iis reperiri quod Eccleſiaſticæ 4. primorum ſæculorum diſciplinæ conſentaneum non ſit. Quod attinet ad canones, exiſtimo eos ita appellatos eſſe ab antiquitate: nam cùm eorom aliquot ab Apoſtolorum ſucceſſoribus, qui teſte Tertulliano de præſcriptionibus, Apoſtolici viri nominabantur,

A facti eſſent, Apoſtolicorum primùm canones; deinde nonnullorum Latinorum ignorantiâ aliquot litterarum detractione, Apoſtolorum dicti ſunt. Et apud Græcos quoque res ita proceſſiſſe videtur. Aucti ſunt poſtea, cùm illis adjuncti eſſent, & eodem volumine comprehenſi Græcæ Eccleſiæ canones. Quod quidem confirmari duabus maximè rationibus poteſt: primùm quòd iis qui eorum meminerunt, authoribus, non unus aliquis conſtans canonum numerus ſit, ſed 50. nonnunquam, plures aliàs, aut pauciores cenſeantur. Altera ratio eſt, quod ex toto canonum corpore, manifeſtè appareat alios aliis ſæculis factos eſſe, quòd controverſias dirimant eas, quæ variis ſæculis contigere. Cujuſmodi eſt canon qui de ad-
B mittendis ad pœnitentiam lapſis factus eſt, qui certè ante Cyprianum ſancitus eſſe non potuit, cùm alius eſſet Eccleſiæ uſus, & illa demum tempeſtate admittendos eſſe lapſos decretum ſit. Hinc igitur manifeſtò conſtat canones eos, tempore auctos eſſe, idque ita factum cùm unà colligarentur, unoque veluti codice continerentur privatarum Eccleſiarum ſtatuta, quæ ab aliis poſtmodum Eccleſiis obſervarentur. Hæc autem conjectura eò probabilior redditur, quò certius eſt Græcos ſolitos fuiſſe uno eodemque quaſi titulo & volumine complecti cùm antiquos canones, tum recentes, nulla concilii, temporis, authorumque mentione facta: quique præcedentibus addebantur, tacito ordine numeroque, quem in
C conciliis, unde decerpebantur, habebant, ab iis ordinem, numerumque accipiebant, quibus in illa collectione adjiciebantur: quare ſi jam centum canones præpoſiti fuiſſent, qui de novo addebatur centeſimus primus, quæ ratio par fuit in cæteris, cenſebatur. Idque adeo certum eſt ut jam à pluribus ſit adnotatum, putà Baronio anno 341. num. 34. Antonio Auguſtino libro primo de emendatione Gratiani. cap. 11. Facit alia conjectura ut affirmem canones iſtos Apoſtolorum, de quo dixi modo, decurſu temporum, non autem ſimul collectos & compactos, nempe quod ſi & aliquot conſequentes ex Concilio Gangrenſi deſumpti ſunt, ut vel ipſa lectione conſtabit. Quod efficit ut credam id eſſe veriſſimum quod ante dixi canones iſtos nihil eſſe aliud, quàm Breviarium & Epi-
D tomen privatorum Conciliorum, & rerum ab Epiſcopis privatis ſancitarum, qui Eccleſias Græcas ante Concilimn Nicænum adminiſtrarunt. Nam & poſtrema verba, quibus cavetur ne octo libri conſtitutionum Apoſtolicarum publicentur, apertè indicant eas primis ſæculis factas non eſſe, cùm primi ſæculi Chriſtiani ſua lubentes myſteria, ut vel ex Juſtino conſtat, enunciarent.

De Conſtitutionibus porrò iſtis nemini dubium eſſe debet, quin probus juxta & antiquus liber ſit: certoque affirmare poſſum trecentis primis annis eo Eccleſiam Græcam, tanquam rituali, & Pontificali uſam eſſe; quique eas attentiùs legerit, eadem de illis quæ de canonibus judicabit, additas
E videlicet decurſu temporum primis novas, quemadmodum & novæ leges, ac conſtitutiones in regimine Eccleſiæ novis occaſionibus enatis, factæ ſunt.

Sed ad Sabbata noſtra veniamus, & inquiramus porro, quæ rationes majores noſtros inducere potuerint, ea ut feſta ſolemniaque obſervarent. Exiſtimant antiquiores ideo factum eſſe, cùm ut creationis mundi memoria coleretur, tum quòd ſeptimo die Deus ab omni opere conquieverat. Baronius anno Chriſti 57. num 105. vetiti in Oriente Sabbatis Jejunii eam putat eſſe cauſam, quòd in anthoris mundi deteſtationem, quem malum Deum appellabant, Hæretici Sabbatis jeju-

narent, quales fuere Saturninus, Baſilides, & ante Marcionem plurimi. Verùm iſtæ rationes non uſquequaque legitimæ videntur. nam qood ad poſteriorem attinet, ea 2. tantùm ſæculo valere potuit: at ipſorum etiam Apoſtolorum temporibus, Sabbata uti feſta colebantur. Exiſtimo igitur eam veram, ac germanam fuiſſe cauſam, quòd cùm primùm inter fratres, ac Judæos diſſeminari Evangelium cœpiſſet, nollent aut certè non auderent ceremonias ſtatim omnes Judaicas reſcindere. Eam igitur quæ ad Sabbatum attinebat, quæque magnos motus, ſi ſublata fuiſſet excitatura videbatur, ne eos à Chriſtianis ſacris amplectendis avocarent, retinuerunt. Nonne ex ipſis Apoſtolorum Actibus diſcimus magnum omnino tumultum contentionemque excitatam, quòd ceremonias omnes legemque Moïſi deſtruere Paulus diceretur, eundémque à Sancto Jacobo cùm Jeroſolymam veniſſet, perſuaſum eſſe, ut eam è mentibus hominum opinionem tolleret, contrariumque palam prædicaret: imò eam fuiſſe cauſam ſcimus quamobrem Paulus in carcerem datus ſit. Non audebant igitur primùm ceremonias omnes legis, ne Judæos in ſe provocarent, abolere; ſed earum præcipuas, & quæ ſacris Chriſtianis minùs adverſari videbantur, ſervaverunt. Ea igitur meâ ſententiâ ratio fuit quamobrem apud Chriſtianos Sabbata feſta fuerint.

In Eccleſia autem Latina varius, ut dixi, uſus fuit, cùm aliàs eos dies feſtos habuerit, aliàs Eſuriales. Id autem fusè & multis probare convenit quod plerique omnes quaſi certum & conteſtatum ponunt Sabbatis Romæ jejunatum ſemper eſſe: id ego tanquam maximè dubium incertumque habeo. Nam ſi efficitur primis ſæculis in Eccleſia Latina feſta fuiſſe, veriſimillimum eſt, Romæ pariter feſta ſolemniaque extitiſſe: nam ex omnium ſæculorum memoria conſtat, ea quæ Romæ obſervata, aut mutata ſunt, in omni pariter Eccleſia Latina obſervata, aut mutata fuiſſe; atque adeo in hac ipſa, de qua ſermo eſt, materia, cùm Romæ in Sabbatis jejunari cœptum eſt, ea conſuetudo in univerſam Eccleſiam Latinam, quamvis paulatim ſparſa eſt. Sic Tertullianus Orthodoxos libro de Jejuniis alloquens, notat eos Sabbatis, excepto ſancto, non jejunare: *Et jejuniis paraſcevem quanquam vos etiam Sabbatum ſi quando continuatis, nunquam niſi in Paſcha jejunandum, ſecundùm rationem alibi redditam.* Quibus ex verbis manifeſtum eſt, Tertulliani tempore Chriſtianos ne Romæ quidem, Sabbatis jejunaſſe: nam ſi quæ varietas fuiſſet, eam nunquam Tertullianus, ut quæ maximè cauſæ ſuæ favebat, omiſiſſet: quippe inde oſtenſurus erat in obſervatione Jejuniorum variam eſſe Eccleſiam & diverſam, cùm aliqua Romæ obſervarentur, quæ alibi repudiarentur. Quandoquidem eos notat quaſi plura Jejunia obſervantes, quàm aut ſcripturâ, aut Apoſtolorom traditionibus imperata eſſent. Et verò cùm ibi ageretur de novitatibus quas Montani inducerent, ſi quid diverſum fuiſſet in Eccleſia, quod ad jejunia attinebat, num id omiſſurum fuiſſe Tertullianum exiſtimamus hominem acutum; & qui eo, quod appellant ad hominem argumento, tam ſæpe utebatur? Præterea cùm Orthodoxos notat, Romanam maximè Eccleſiam, quæ Orthodoxorum caput eſt, petit: quare ſuperiora verba, minimè tam in Romanam Eccleſiam, quàm in ullam aliam dicuntur. Certè in omnibus aliis libris, quos de dogmatis ſuis ſcripſit, unam præcipue Romanam Eccleſiam, ſummoſque Pontifices aggreditur: quippe Romanos ritus Africanæ Eccleſiæ ſequebantur, & ſi quæ in Eccleſia Africana conſuetudo obſervabatur, ea à

A Romana Eccleſia profluxerat. Sed præter locupletiſſimum illud teſtimonium, de non obſervatis in Sabbato Jejuniis, primis temporibus, author eſt Auguſtinus epiſtola 86. variam in ea re fuiſſe Occidentalis Eccleſiæ conſuetudinem; imo etiam ævo ſuo aſſerit, non ſolùm Mediolani, & in aliquibus Africæ Eccleſiis, Sabbatis non jejunari, ſed in eadem Eccleſia, in ipſa Africa varium fuiſſe uſum ac diverſum. Eò ſpectant etiam canonis 26. Concil. Eliber. hæc verba, *Errorem placuit corrigi, ut omni Sabbati die, jejuniorum ſuperpoſitiones celebrentur*: quibus manifeſtum eſt, novam aliquam legem fuiſſe inductam: ea enim verbi *ſuperponere* vis eſt, uti & canone 23. probatur. Sed præterquam quòd verbo ipſo *imponere*, ſatis conB ſtat novam aliquam obligationem, & quaſi arctiorem diſciplinam intelligi, & aliquid additum eſſe cùm de jejuniis agitur, Eccleſia antiquioreſque ſcriptores cùm illa, his vocibus utuntur, *Jugum imponere*, Actorum 15. *ut imponatur jugum*, Tertullianus cap. 2. de jejuniis, *ſic & Apoſtolos obſervaſſe, nullum aliud imponentes jugum* pari ſenſu Concil. Elib. *ſuperponere*, non autem imponere dixit, quo manifeſtiùs ſignificaret, novum aliquod onus imponi, & quaſi ſuperaddi, cùm in Sabbatis jejunia imperaret, quibus antea non jejunabatur. Nec alia ſignificatio vocis hujus eſt, falluntúrque, qui volunt idem eſſe, atque Græcis [illegible], hoc eſt cibum differre. Ex quo facile eſt colligere Sabbati jejunia in Hiſpaniis huC jus Concilii tempore, tum primùm celebrata fuiſſe. Ad hæc Sanctus Innocentius in Sabbatis jejunandum eſſe docet 4. cap. 1. ep. ejuſque diſciplinæ, propter variam illius obſervationem ſuper ea re conſultus, rationem reddit. Unde apparet nihil adhuc certum, & determinatum fuiſſe, neque ubique obſervatum, quod & ipſum, ut dicebam, confirmat Auguſtinus ejus æqualis. Notandum porro, ſimul ac Sabbatis jejunari cœptum eſt, apud Latinos diei Mercurii jejunium deſiiſſe, & in Sabbatum tranſmiſſum eſſe.

Cæterum, cùm apud Latinos in Sabbatis non jejunaretur, probabile admodum eſt, ea etiam feſta, ſolemniaque fuiſſe, cùm jejunia, & feſta ſimul eſſe non poſſent: faciléque adducor, ut creD dam, primis ſæculis, æquè atque Orientales Latinos in Sabbatis communicaſſe. Neque quicquam facit quod neque Juſtinus, neque Epiphanius meminerunt, cùm ille non locutus ſit de communionibus ſtationum, quas æque ac Sabbatorum obmiſit: iſtius autem tempore, jam in Eccleſia Latina Sabbatis jejunaretur. Tertullianus ſanè adverſus Iudæos negare videtur, celebranda eſſe Sabbata, ſed intelligendus eſt more modoque Iudæorum; itaque unà ceremonias, ſacrificia, ſeveritatemque quæ apud Iudæos obſervabantur, attingit. Nonnulli ex his D. Innocentii verbis: *Quid utique non dubium eſt, in tantum eos jejunaſſe biduo memorato, ut traditio Eccleſiæ habeat, iſto biduo ſacramenta penitus non celebrari*: conE firmare voluerunt Innocentii tempore, Sabbatis myſteria, communioneſque celebratas non fuiſſe, iiſque obſervandis, Eccleſiam Latinam omni tempore abſtinuiſſe. Sed à vero longiſſimè aberrarunt: hæc enim verba D. Innocentii, dies omnes Veneris Sabbatique non complectuntur, ſed de ſanctioris duntaxat hebdomadæ diebus intelligenda ſunt, & hæc verba *biduo iſto*, pro ſingularibus tantùm duobus illis diebus, apud D. Innocentium capienda ſunt.

OBSERVATIO XIV.

Primis ſæculis tempore ieiunii nemini licuiſſe Euchariſtiam ſumere.

PRimis ſæculis Chriſtianos, injecta qoadam religione, metuque propoſito, videmus prohibitos tangere, videre, ſumere, atque adeo ſacroſanctũ Domini noſtri corpus conſecrare, quo tempore jejunium celebrarent: propterea planum eſt diebus illis. quibus jejunia integra exercebantur, hoc eſt quibus abſtinebant, *uſque ad auctoritatem demorantis ſtellæ*, ut loquitur Tertullianus, nunquam Miſſas celebraſſe, neque Euchariſtiam præbuiſſe manducandam; conſuetudinemque, ac morem illum Miſſas celebrandi, diebus jejuniorum non uſurpari ſolitum, niſi cùm dimidiato die, non autem pleno, atque integro jejunium ita obſervandum judicarunt.

Quo autem ſolertiùs, probabiliuſque rationes allatæ perpendantur, duo fuiſſe jejuniorum genera ignorandum non eſt, jejunia integra, & dimidiata: hæc, ſtationes appellabantur, quas curabant diebus Mercurii & Veneris, cùm ad nonam uſque, cibum non ſumerent: illa autem dicebantur, cùm ad noctem uſque proferebantur. In jejuniis integris, nec interruptis, rei divinæ, ceu Miſſæ ſacrificio non operabantur, quod jejunium ad noctem protraherent: idque ex Concilio Laodicenſi cognoſci poteſt, quod quadrageſimâ offerri ſacrificium vetat, ſi excipias Dominicum diem, & Sabbati: quia in Græcia totum *quadragintale* tempus ad noctem jejunantes, prætermiſſis diebus Dominicæ, & Sabbati tranſigebant. Canon interponendus 49. *Non oportet in quadrageſima panem offerri, niſi Sabbato & Dominica tantùm.* Id autem anni conſequentes conteſtantur, qui paulatim (conſeneſcente & intermoriente priſtina illa ſeveritate, quæ tum erat) cùm ſe aliquantulum ad mitiorem diſciplinam deflexiſſent; ſed ita tamen, ut antiquam illam diſciplinæ durioris vim, non omnino imminuerent, imo veſtigiis ejus propiùs inſiſterent, ſemper Miſſæ ſacrificii horam, tempuſque, cum ea hora, & tempore quo jejunium dividi interrumpique poſſet, conjunxit. Quamobrem quæſo 4. 5. 6. & 7. ſæculis celebratur Miſſa, horâ nonâ veſperique jejuoii temporibos, niſi qoòd ſacrificium offerri, neque ſumi Euchariſtia potuit, quandiu jejunium perſeveranter obſervabatur?

Quod autem iis ſæculis Miſſa fieret veſpertino tempore, quibus jejunium colebatur, non deſunt infinita, & prope innumerabilia ad id probaudum teſtimonia. Paulinus tempore D. Auguſtini:

Et ſero libatis veſpere ſacris,
Quiſque ſuas remeare domos, tunc ergo ſolutis
Cœtibus, à templo domini.

Canon 16. Concilii primi Bracarenſis, quod ex eorum imputatione, ac recenſione habitum, & indictum eſt, æra 599. qui eſt annus Domini 561. *Si quis quinta feria Paſchali, qua eſt cœna Domini, hora legitima poſt nonam jejunus in Eccleſia Miſſas non tenet, ſed ſecundùm ſectam Priſcilliani, feſtivitatem ipſius diei, ab hora tertia per Miſſas defunctorum ſoluto jejunio colit, anathema ſit.* 9. & 10. ſecundi Concilii Bracarenſis, *tertio autem die, celebratis horâ nonâ, ſive decimâ, Miſſis.* Gelaſius & Gregorius ſecundus decreverunt, *Sabbati jejunio, circa veſperam noverint celebrandas.* Item *veſpere Sabbati, noverint celebrãdas.* Micrologus de Eccleſ. obſerv. ca. 49. *Eſt Eccleſiaſtica conſuetudo, ut ad nonam reficiamur, cùm ad ſextam Miſſam celebramus, ad veſperam autem cùm ad nonam ſacrificamus.* Theodulphus ad Presbyteros Aurelianenſes

A de jejuniis diſſerens, *auditis Miſſarum ſolemnibus, ſive veſpertinis officiis, largitis eleemoſynis, ad cibum accedendum eſt.* Suprà dixerat, *mox ut ſignum audiunt ad nonam.* & Concilio Gerund. c. 3. *Et in Sabbati veſpere Miſſâ factâ finiatur, quibus tamen diebus, à carnibus & vino decrevimus abſtinendum.* Quodam capite Concilii Catalaunenſis ſcriptum, non niſi veſperi ſacro Miſſæ ſacrificio, veſpertiniſque precibus ſolemni religione peractis, jejunium ſolvendum.

Ex his omnibus quæ authoritate temporum nituntur, concludendom omnino, & colligendom eſt, temporibus illis Miſſæ ſacrificium peragi ſolitum circa veſperam diebus jejunii: cujus rei atque facti alia ſubeſſe cauſa, aut ratio non poteſt, quàm B quod id inſtitutum ex antiqua diſciplina hauſtum, & delibatum eſſet, quæ contingendi, videndi, & adorandi corporis Chriſti copiam non faceret jejunii tempore; & cùm à primis illis temporibus, quantum fieri poſſet, non diſcreparent, rejeciſſe Miſſam in diebus jejuniorum cùm adveſperaſceret; quòd ad eam temporis horam jejunium produxiſſent & ad noctem protraxiſſent continuaſſentque, non minùs Miſſæ auditione, quàm primis ſæculis caruiſſent.

Quod quò probabilius reddatur quod ſuprà dictum eſt, noſtræ hujuſce tempeſtatis, & diſciplinæ ratio ſpectanda maximè: nonne ex illo vetere & antiquo ritu, ad nos quodammodo id tranſlatum dimanavit, ut publica & ſolemnia in Eccleſiis caC thedralibus precum aut orationum myſteria, non niſi circa meridiem, jejuniorum diebus peragantur; quòd eâ maxime horâ, jejunium ſuo quodam termino ac fine definiatur?

Id ex iis quæ de ſtationibus & dimidiatis jejuniis ſuprà commemorata ſunt, planiſſimè probabitur: dies quippe *Mercurij & Veneris*, qui deſtinati aſſignatique erant ſtationibus, non niſi circa nonam Miſſam celebrari patiebantur: quo tẽpore ciborum abſtinentia præfiniebatur, teſte Epiphanio in Ancorato: *communiones autem ſive ſynaxes fieri ordinatæ ſunt ab Apoſtolo, quarta & pro Sabbato & Dominica:* & infrà, *cæterùm pro communionibus, quæ quarta, & pro Sabbato ad horam nonam fiunt, in die Dominica matutinis horis fiunt communiones.* Quæ verba claD riſſimè patefaciũt diebus Mercurii, & Veneris, (uti in obſervatione de Stationibus docuimus) preces illas ſolẽnes recitari, & cõmunionem præberi ad nonam tantùm: Dominicis autẽ diebus, matutinis eadẽ præſtari. Cedo rationem aliquam hujuſce diſcriminis ceu diverſitatis diſciplinæ, aliam ab ea quæ à oobis cõmemorata eſt, Communionem ſcilicet, neque ſacrificium diebus Mercurii & Veneris offerri maturiùs potuiſſe, quàm circa nonam, propter jejunium. Et quanquam Epiphanius non id ſatis diſertè, & perſpicuè explicat, tamen videtur eam non obſcurè afferre & tangere, cùm eodem in loco dicat duos illos dies fuiſſe ſtationum jejuniis præſtitutos. *Quarta verò & pro Sabbato jejunium ſtatutum eſt uſque ad horam nonam.* Tertullianus, qui E ætate & tempore Epiphanium anteibat, ab eo nullo modo diſſentit, ſtatioonum tempore Miſſam non niſi circa nonam fuiſſe procuratam: increpita namque graviter, & accuſata quorumdam nimia feſtinatione, libro de oratione, qui è templo Eccleſiaque proſilirent paulò ante alios, ſtationeſque interrumperent, ſumptaque quàm primum Euchariſtia, necdum peracta recitataque ſacrificii quadam precum orationumque formula, quæ ſupererant, quæque poſt communionem, & ſacrificium pronunciabantur: declarat non ſolùm omnes qui in ſtationum excubiis erant, exire ſolitos, paulò poſt communionem & ſacrificium, ſed etiam Miſſam eo tempore, quo jejunii & ſtationis modus

ſtoiſque appetebat, celebrari ſolitam, id eſt, ut ait in libro de jejuniis, ad boram nonam. Nam cùm ait paucas ſupereſſe preces ſacrificii, quæ eſſent à ſacerdote dicendæ, innuit non longiùs à fine & termino ſtationum, ſacrificium fieri ſolitum illis diebus, quam ex preces durarent: ſed ea clariùs, in obſervatione de ſtationibus.

Cæterum cùm ex variis Patrum locis animadverterent nonoulli, uti ex D. Baſilio Epiſtola ad Corſariam, *nos quater in quaque bebdomada communicamus, Dominica, feria quarta, Paraſceve, Sabbato; ſed & diebus cæteris, in quos memoria Martyris alicujus incidit.* & ex Tertulliano libro de Oratione: hiſce ſtarionom diebus ſacrificia, & communiones celebrari ſolitas, quod de jejunio dictum quoqoe, ſæpius apud antiquos occurrit, nulla in co peracta fuiſſe myſteria, Chriſtianoſque dum jejunarent ab Euchariſtia abſtinoiſſe, id de ſolo quadrageſimali jejunio intelligendom eſſe arbitrati ſunt; verum egregiè hallucinantur: nam quamvis quartâ, & ſextâ feriâ, quæ ſtationum erant dies, Euchariſtia antiquitus ſumeretur; tamen certum eſt eos nuoquam ipſiſmet diebus participaſſe corpori dominico, aut ſacrificiis operatos eſſe, niſi hora nona, & cùm ſtationis, & jejunii exitus immineret: quaptopter nuſquam teperient, neque ullo teſte, aut Patrum loco oſtendent religionem illam, qua tempore jejunii à ſacris & myſteriis abſtinebant, violatam antiquitus fuiſſe. Hic ego cauſam aliam aut rationem lubens audierim, quam quæ à me allata eſt, quomobtem ſtationum tempore non niſi circa nonam Miſſæ ſacrificinm procuraretur, fuiſſe opioor omnino hanc, quòd cùm jejunium ſibi indixiſſeot, eo tempore dorante jejunio, teligione quadam, & triſtitia impediti conſtrictique, non facilè auderent, vellentque ad Euchariſtiam accedere. Hujus autem antiqui inſtituti ac conſuetudinis, hæc veluti apud nos impreſſa, conſignataque ſunt veſtigia, quod die Veneris Sancto, neque Miſſam dici, neque ſacrificari, neque quidquam de Euchariſtia ſumenda cogitamus: cujus rei quidem non alia afferri, aut ſubjici poteſt ratio verior, aut probabilior, quàm quod id ad nos è vetere primorum temporum memoria tranſmiſſum & deportatum eſt; & quia nos, aut ſaltem pleriquc eodem ipſo die imponimus nobis hanc legem, & conditionem vitæ indicimus, ut auſtero quodam more ad conſpectum uſque veſpertinarum ſtellarum, aut noctis adventum jejunemus: aot quia exiſtimamus illius diei jejunium ſeveriùs ducendum eſſe. Ideo retenta eſt hæc, & quaſi corroborata tempore conſuerudo, ut neque Miſſam dicere neque communicare liceat.

Hujus antiqui ritus ſeu moris Zonaras & Balſamon has rationes proferunt: *Sacrificare Deo feſtivæ celebritatis eſt, ea verò celebritas hilaritatis atque lætitiæ: at quo pacto mœrori quiſpiam ac lacrymis indulgere, idemque ſimul exultare lætitia ac triumphare gaudio queat*, minus boneſtum, decorumque, & tempori conſentaneum judicabant, tempore jeiunii celebrare Miſſam, & ſacro ſe Euchariſtiæ pabulo reficere: propterea jejuniorum tam integrorum, qoàm dimidiatorum diebus quibus ſtationes decernebantur, nemini ſas erat ulla ratione Chriſti Domini corpus contrectare, ſive ut offerretur ſacrificium, ſive ut ſumeretur Sacramentum.

Quod qub commodiùs quod à Zonara prolatum eſt intelligatur, & quamobtem jejunium non committeret, ut Euchariſtiæ Sacramentum palàm repræſentaretur, aut offerretur: conſiderandum qua in re antiquorum jejunium verteretur, hodierno autem die, aut noſtra hac ætate tolerabilia iſta ſunt, & apud nos invaluit ot cum jejunio ſit & Euchariſtiæ frequentatio & uſurpatio. Jejunium igitur veterum non in ciborum, aut eduliorum quorumdam abſtinentia, temperantiaque, diminutione aot mutatione quadam poſitum erat, quemadmodum hoc tempore nos ea acceptione ſumimus, ſed eorum publica jejunia oon alia erant, quàm coioo, ac veluti conjuratio totius Eccleſiæ cootra Deum, ut ita loquar, ſanctè inita: qua commuoi quodam conſtato ac conſpirante conſenſu, ad Eccleſiam ſummo manè omnes confloerent, borrido, inculto, cinereque comperſo ſacco ſqualidi, tectique ſe ſe ad Chriſti Domini conſpectum proſternebant, ac omni genere precum, orationum, jejuniorum armati, manantibus ubertim ex oculis lacrymis, magno cum ejulatu cælum ipſum laceſſantes oppugnabant, & *quaſi manu facta*, ut ait Tertullianus, eò Deum perpellebant adigebantque ad id quod obnixè peterent concedendum: atque ita dies noctéſque, hoc eo ſqualore ſituque prope perditi, ac profligati traducebant. Eò pertinent illa Tertulliani, eoque graviſſimus Author reſpexit, cùm ait, *invidia cælum tundimus, Deum tangimus.* Hac ratione atque via freti quadam fideles nihil non à cælo extorquebant, ſic ut cælom ipſum ex coodicto, atque pacto quodam ultrò quod exigeretur, impensè & prolixè effunderet. Hinc tam multa portenta, atque miracula divinitus facta produntor; ut ipſi primi Chriſtiani non diffidenter, neque titubanter pollicerentur, ſe è cælo ploviam, imbreſque neceſſarios, cùm vellent, & ſalutares expreſſuros: adeo ut Imperatores, fama atque celebritate harum rerum commemorabilium compulſi, qoò ſitis ardentiſſima, qua conficiebantur armatorum hominum copiæ reſtingueretur, ad id à Deo ſuo poſtulandum beneficium illos invitarent & ſollicitarent, *quando geniculationibus, & jejunationibus noſtris*, ait Tertullianus, *depulſa non ſunt ſiccitates?* quid quòd avertendæ, aut depellendæ peſtis, famis atque belli cauſâ, non alio armorum genere ſuffulti Chriſtiani utebantur? Hi ſunt fletus clamoreſque in cælum emiſſi converſique, qoibus venti, procellæ, tempeſtateſque obſecundabant, tam promptè & obedienter, ut ad eorum petitiones, obſecrationeſque exaudiendas omnia quodammodo elementa conſpirarent. hæc ſuot quæ appellabantur antiquorum Jejunia.

Ideoque cum luctu lacrymiſque quodamoıodo contabeſcebant, Euchariſtiam locum inter lamentationes & afflictati corporis cruciatus dare neſas ducebant. Quòd Euchariſtiam apud majores noſtros & quadammodo proſeminatores, jam inde ab Apoſtolis taoto io bonore & pretio fuiſſe deprehendimus, ut cùm ejus aſpiciendæ, contrectandæ, aut ſacrificandæ facultas daretor, incredibili quodam gaudio primorum Chriſtianorum mentes perfuſæ triumpharent: omnem animi mœrorem, triſtitiamque funditus deponerent. Hæc erat illis fœderis arca, ad cujus jucundiſſimum conſpectum exultantes, ac tripudiantes voces gaudii qoo complerentur indices continere non poterant; ſimul, inquam, atque Euchariſtia oculis obſervabatur, illico omni dulcedine voluptatis delibuti, ſtantes erecto corporis ſtatu, omnem qui requirebatur cultum, ut lætitiam teſtarentur, præ ſe ferebant; quod ſe mentis oculis intueri dicerent, Deum illum, quem ſuæ ſalutis vindicem, & aſſertorem, communis & ſempiterni exitu depulſorem, æternæ vitæ, ceu fœlicitatis authorem ac parentem, bonorum omnium fontem inexhauſtum & perennem aſſeverarent.

Sexcentas prætereo rationes, quas enumerare

longum eſſet, quibus adducebantur Chriſtiani, ut ad lætitiam potius, quàm ad ullam triſtitiam animum applicarent, cùm iis Euchariſtiam ipſam aſpicere liberet. Quamobrem mirari deſine, ſi primis illis temporibus, inter illa ſolemnia jejunia Euchariſtiam cernere, pulchrum ſibi & decorum non ducerent. Neque toto illo temporis intervallo, quo jejunii vis omnium animos, & mentes occuparat, Miſſæ Sacrificium ullum eſſe vellent, neque ullius communionis, ceu cæleſtis pabuli uſuram. Quo pertinet & illud, quod tempora illa quæ à primis propius aberant, (uti diximus) non niſi circa veſperam rem divinam, ceu Sacrum fieri oportere contenderent, eo nomine maximè, quòd ad veſpertinum tempus jejunium proveheretur, hodieque Eccleſiarum Cathedralium divinum officium, ut ſic loquar, tum tantùm ſolemni religione decantatur cùm jejunii-ceſſatio, finiſque contigerit.

Quod autem hilaritas, & alacritàs illa ſumma animorum, quam Chriſtianis ſacræ ſynaxis frequentatio uſurpatioque pariebat, non ferret, neque committeret, ut eum jejunio Euchariſtia conjungeretur: præter ea quæ ſuprà à nobis fosè ſatis ac copioſè tractata ſunt, Tertullianum locupletem teſtem habemus. Nam cùm gravi quodam pondere verborum oppreſſiſſet, & inſimulaſſet eos qui cæteris in æde Sacra, ceu Eccleſia commorantibus, confeſtim ex ea ſumpto Euchariſtiæ Sacramento, properanterque egrederentur, exemploque propoſito militariom ſtationum, non eſſe facile, aut omnino quæcunque tandem lętitiæ aut mœroris cauſa, ratioque ſe ſe obtuliſſet, è templo diſcedendum, ſatis clarè; vel etiamnum tacitus demonſtrat non alia fuiſſe cauſa commotos illos fideles, ut tam feſtinanter ſe ex Eccleſia proriperent, ſtationeſque infringerent, quàm quòd tanta lætitia efferrentur poſt Euchariſtiam ore delibatam, hauſtamque; ut indignum planè judicarent angoribus quos in ſtationibus perferebant, mœſtitięque ſe dedere: verba hujus ſunt: *utique nulla lætitia ſive triſtitia obveniens caſtris ſtationes militum reſcindit. Nam lætitia libentiùs, triſtitia ſolicitiùs adminiſtrabit diſciplinam.* Et quanquam id tanquam quid inſolens, abſurdumque carpat, non ideo tamen illos ab eo reprehenſos putes, qoòd poſt Euchariſtiam populo adminiſtratam, tanto gaudio afficerentur, ut geſtu motuque corpòris incluſam animo voluptatem indicarent: ſed quòd paulò maturiùs exirent ex Eccleſia, nec tantiſper pro craſtinarent dum precum & orationum formula quędam, quæ poſt Euchariſtiam datam fieret, abſolveretur. Neque verò id obſtat, quòd illo exemplo & ſimilitudine militarium ſtationum, non ſecus de triſtitia, quàm de lętitia verba faciat. Unde quiſpiam ambigere poſſet, non minùs utrumque videri, dicique cauſam egreſſus, ceu diſceſſus illius: neque enim niſi caſu, aut ex accidenti, ut ita dicam, de triſtitia loquitur, quemadmodum verbom illud, *ſive*, deſignat, poſitaque primum illa voce, *lætitia*, manifeſtò indicat totam illam ſuæ comparationis vim ex ea voce pendere. Ad hęc idem author lib. de Baptiſmo vocat gaudium quod ex Euchariſtia concipere debent fideles, *neceſſarium gaudium: quid impedit*, inquit, *niſi neceſſitas gaudii?* quibus docet non ſolùm Chriſtianos olim ſumma lętitia ex Euchariſtia affectos, verùm etiam eandem obſtare lætitiam quominus à Paſchate ad Pentecoſten jejunarent.

Verùm ad hæc quæ diximus reſponderi, aut opponi illa poſſunt, contrectatam ab iis fuiſſe Euchariſtiam, quo tempore jejuniis conflictarentur; cùm ex Concilio Laodicenſi, & ſexto in Trullo, & ordine Romano Miſſam facerent in *præſanctificatis*, in quadrageſima, & die Veneris, & Sabbati ſacro. Reſpondeo, primò illis duobus primis ſæculis exiſtimare me non fuiſſe Miſſæ ſacrificium oblatum in *præſanctificatis*. Secundò diminota, aut magna ex parte jejunii ſeveritate relaxata, id ſolatii, aut allevamenti fuiſſe Chriſtianis conceſſum, ut ſaltem iis Euchariſtiæ videndæ copia fieret, cùm ipſum jejunium finiendum eſſet. Tertiò longè maximum communionis, & Miſſæ faciendæ in *præſanctificatis*, diſcrimen, vel offerendi ſacrificii & conſecrandi, quemadmodum uſu & conſuetudine receptum eſſe videmus.

OBSERVATIO XV.

Quæ Feſtorum dierum ſolemnitas à Paſchate ad Pentecoſten interiecta fuerit.

ADmirandam planè, & propè continuam primis illis temporibus, à Paſchate ad Pentecoſten uſque ſolemnitatem fuiſſe comperimus; adeo ut Tertullianus confirmet dies omnes feſtos Paganorum, & numero, & dignitate, & illuſtri hilaritatis omnis ſignificatione, nullo negooo ſuperari, ſi ejus temporis interpoſiti per ſe religio, celebritaſque ſpectetur: *excerpe ſingulas ſolemnitates nationum, & in ordinem retexe, Pentecoſten implere non poterunt.* Ejus autem ſolemnitatis non leve, aot contemnendum operæpretium fuerit cauſas omnes perveſtigare, quas ad ſolemne Miſſæ ſacrificium, niſi me fallit animus, referendas eſſe cenſeo; quòd ſcilicet pari cultu, religione ac ceremonia per totos illos quinquaginta dies, Dominicarum dierum celebritatem æquabat. In eo autem omnis opera, actioque fidelium verſabatur, ut ſumma cum animi voluptate, Chriſti Domini laudes ac præconia fundendis, concinendiſque hymnis, ac canticis, in cælum efferrentur, crebroque per hos quinquaginta dies, ac quotidianæ ſacræ ſynaxes viſerentur, atque ut diebus Dominicis, ita à Paſchate ad Pentecoſten jejunia Chriſtiani intermitterent, neque in genua procumberent, ut ait Tertullianus, *nec de geniculis adorare, eadem immunitate à die Paſcha, ad Pentecoſten gaudemus.* Sed præcipua, ni fallor, ejus ſolemnitatis & feſtivitatis ratio fuit, quòd toto illo tempore omnes fideles Sacramento Euchariſtiæ reficerentur, quam tanto cultu, ac veneratione proſequebantur, incredibili gaudio colliquefacti, ut diem illum qoo ſacro pane veſcebantur, feſtum ſolemnemque docerent. Quinquaginta autem illos dies ſine ullo labore, ac ſervili opere, eum ſumma ceſſatione (ut apud nos hodieque feſti dies agitantur) ab illis fuiſſe traductos, non eſt credibile: alioqui agnoſci facilè quis potuiſſet Chriſtianus, ſi tandiu operas intermiſiſſent. Ad hæc non pauci Chriſtiani quibus tenues fuiſſent opes, maximum ex operis intermiſſione detrimentum capere potuiſſent. Tertullianus lib. de Baptiſmo, ait, hanc quinquaginta dierum ſolemnitatem adeo neceſſariam fuiſſe, ut Chriſtianis neceſſe fuerit, tanto dierum intervallo, profuſæ illi lætitiæ & hilaritati, ſed ſine ſcelere ſeſe dedere, cujos rei neceſſitas non aliunde qoàm ex Euchariſtiæ perceptione oritur. Illod perinde accipiendum eſt, quod idem author aſſerit, Chriſtianos Dominicis ſolere diebus lætari magnopere, diemque illum ſumma religione recolere, ob id maximè quòd ſacræ Euchariſtiæ participes omnes efficerentur. Nam quòd ea cauſa afferri poteſt reſurrectionis memoriam repræſentari, non id quidem rejicio, cùm vtraque ratio atque cauſa

ad

ad unam, eandemque rem pertineant. Nam ut Dominicæ & quinquaginta illi dies, continua quadam religione traducerentur, præſcripta deſignataque eo tempore fuit Communio, qua facta, perceptaque Chriſtiani omnes, ad iſtos dies cum Dominico rite & intimo ſenſu pietatis concelebrandos incitabantur, vel eò magis, quod cùm Euchariſtia dici propriè poſſit reſurrectionis noſtræ pignus, ſementiſque certiſſima, ut memoria hujus rei infixa animis Chriſtianorum hæreret, quinquaginta illis Dominiciſque item diebus ſuaviſſimè compellebantur, & cogebantur Chriſtiani ſinguli, Euchariſtiam, quod ea, uti dixi, reſurrectionis, ceu æternæ vitæ ſpes explorata eſſet, ſumere.

OBSERVATIO XVI.

De Stationibus Chriſtianorum.

QUid ſit Statio, quidve apud antiquos Eccleſiæ ſcriptores hoc vocabulo ſignificetur, quove ritu celebraretur, non tam facile eſt explanare, quàm Pamelium qui de ea ſcripſit in notis ad Tertullianum, qui eam à jejuniis minimè diſcrepare exiſtimat, refellere. Nam ex ipſis locis & verbis Patrum quæ ad ſententiam ſuam confirmandam affert, liquidò conſtat magnum inter utrumque diſcrimen eſſe, ut paulo poſt dicemus. Interea non erit alienum à propoſito ejus rationes diſcutere, ut tota res, & controverſia clarior evadat. Ea potiſſimùm ratione nititur Pamelius, ut Stationes Chriſtianorum à jejuniis nihil differre perſuadeat, quòd antiquitus moris erat abſtinere à jejuniis diebus Dominicis, ut probatur ex Tertulliano lib. de Corona militis: *die Dominico jejunium nefas ducimus*. quo die idem author eodem libro, ait, non licere Chriſtianis ſtationes facere, *jam ſtationes aut alii magis faciet quam Chriſto, aut & Dominico die, quando nec Chriſto*: unde colligit jejunium, & ſtationem pro uno eodemque accipi debere, quoniam neutrum diebus dominicis fieret: quæ ſanè ratio parum firma eſt, quandoquidem nec multæ aliæ ceremoniæ diebus ſolis haberentur, quibus tamen nihil commune cum jejunio: quemadmodum *de geniculis Deum adorare*: ait enim idem ipſe Tertullianus, non licere diebus Dominicis de geniculis preces fundere. Meminiſſe debuit atque animadvertere, unam eandemque cauſam omnibus his ritibus, qui mœrorem aliquem inferrent, impedimento fuiſſe; hoc eſt, Chriſtianos jejunii ſimul, & ſtationum, earumque rerum quæ hilaritatem turbarent, diebus Dominicis uſum remiſiſſe: nec tamen inde ſequi ex Tertulliano jejunium & ſtationem idem ſonare. Cauſa hæc eſt, quòd Chriſtiani diem ſolis tanquam reſurrectionis Domini noſtri honoratum, & ejus æternæ memoriæ conſecratum, omni alacritate & exultatione celebrarent, ut ex ejus Apologetico cap. 16. licet intelligere, *æquè ſi diem Solis lætitiæ indulgeamus, alia longè ratione quàm religione Solis*: & ex Minutio Fœlice, & beato Juſtino; unde factum eſt, ut Ethnicis perſuaſum eſſet Chriſtianos adorare Solem. Ne itaque lætitiæ atque alacritati publicæ aliquid detraherent, immunes illis diebus agebant ab omni auſteritate, & corporis vexatione, atque adeo ab omnibus auſteris rebus, ut ſunt jejunium, ſtatio & de geniculis adorare.

Altera Pamelii conjectura hæc eſt, quod ſtationem nonnulli Patrum jejunium vocent, ut Hermas, lib. 3. ſimili. v. *Quid eſt*. inquit, *ſtatio & dixi* jejunium? Divus Ambroſius ſermone 36. *Stationes vocantur jejunia. quòd ſtantes & commorantes in eis, inimicos inſidiantes repellamus*. Rabanus Maurus lib. 11. de inſtitutione clericorum, cap. 18. *Jejunium eſt cujuſlibet diei abſtinentia. Non per legem, ſed ſecundum propriam voluntatem: Statio, Obſervatio ſtatutorum dierum, ut quarta, & ſexta feria vel quadrageſima*: quibus ſibi perſuaſit inter jejunia & ſtationes, id diſcriminis tantum eſſe, ut illa ex arbitrio; ſtationes verò ex præſcripto Eccleſiæ fierent. Sed facile eſt reſpondere, ſtationes à Patribus propterea vocari jejunia, quòd durante ſtatione, cùmque in ea Chriſtiani morarentur jejunarent, ut explicabitur poſtea, ideo fieri ut ſtationem dicant eſſe jejunium Chriſtianorum. Sed ex multis aliis Patrum locis oſtenditur, eas à jejuniis differre, vel ſaltem multa in eis fieri, & præſtari à Chriſtianis pręter jejunia.

Quòd autem ſtationes differant à jejuniis, verba Tertulliani lib. 2. ad uxorem clarè demonſtrant, *ut ſi ſtatio facienda ſit, maritus de die condicat ad balneas, ſi jejunia obſervanda ſunt, Maritus eadem die convivium exerceat*. Primùm enim manifeſtò jejunium à ſtatione diſtinguit: deinde utrique opponit res diverſas, ſtationi balneum, jejunio epulum: denique ſi ſtatio nihil aliud fuiſſet quàm jejunium, quid ni hęc mulier utrique ſatisfeciſſet, & jejunaſſet, & ad balneas iviſſet? Sed quoniam diebus ſtationum manendum erat in Eccleſia, uſque ad horam nonam, ideo dicit huic mulieri fore ut maritus Ethnicus eam impediat balneis, quò minùs Eccleſiis intereſſe & ſtationes obire poſſit.

Nunc verò quid ſit ſtatio, & quo ritu potiſſimùm expleatur, hoc loco diligentiùs inquirendum eſt, ne cùm aliorum ſententiam refutaverimus, meliorem non ſubſtituamus. Omnes igitur Chriſtiani prioribus illis ſeculis diebus Mercurii, & Veneris, ſummo manè in Eccleſias conveniebant, ibique ad horam nonam morabantur, & precibus & rerum divinarum contemplationibus vacabant, corporaque jejuniis, adgeniculationibus, lacrymis, pœnis, & laboribus exercebant: denique horâ nonâ ſacris peractis, Euchariſtiaque accepta (nam nunquam à ſtatione niſi ea accepta recedebant) ſtationem ſolvebant, domumque revertebantur. Hoc religioſum officium, & moram illam quam in Eccleſia illis diebus ducebant, vocabatur inter eos Statio: nomenque ſumpſiſſe videtur à militari ſtatione. Nam quemadmodum excubiæ militum & eorum pro foribus palatii ſtandi, excubandive functio, ſtatio vocabatur: ita veriſimile eſt Chriſtianos moram illam atque officium illud quod pro tutela Eccleſiæ, atque ut Dei miſericordiam & gratiam ſibi conciliarent, in Eccleſia uſurpabant, excubias & ſtationem vocaſſe, ut inſinuat Tertullianus, lib. de oratione, *ſi ſtatio de Militari exemplo nomen accepit*.

Supereſt ut ſingula quęque quæ in ejuſmodi ſtationibus fieri diximus, diſcutiamus & probemus: tum demum liquidò conſtabit, ſtationes jejunia dumtaxat non eſſe, eoſque qui eas à jejunio non ſecernunt, veteres Eccleſiæ ritus & officia, ob eorum certè eximiam pietatem digna ſtudio, & quæ ab omnibus intelligantur, non ſatis explicaſſe & commendaſſe.

Primum occurrit probandum eos ſummo manè in Eccleſia conveniſſe, quòd ex verbis Plinii ſecundi in Epiſt. ad Trajanum colligere licet, qui de Chriſtianorum conventibus loquens, eos antelucanos vocat: deinde ex his verbis Tertulliani ad uxorem, *ſi ſtatio facienda ſit Maritus de die condicat ad Balneas*: nam ait Balneis ſtationem ejuſmodi mulieris, quæ Gentili nupta eſſet, impediri poſſe. at verò ait alibi Gentiles ſummo manè lavari, in Apolo. cap. 42. *Non lavor diluculo*. ut Gentiles, ſcilicet Saturnaliorum diebus, *ſed lavor*

honeſta hora. Igitur cùm eadem hora, eodem diei tempore, eundum eſſet ad Balneas, & ad ſtationes, uterenturque balneis tempore matutino, liquidò conſtat incipiendis & convocandis ſtationibus idem tempus conſtitutum fuiſſe.

Verùm an diuturniores in Eccleſia moras agerent, partemque illam diei à matutina ad nonam integram & ſolidam in eadem Eccleſia conſumerent, ad rem pertinet inquirere: ex hujus enim rei illuſtratione quæcumque apud authores de ſtationibus reperiuntur, plana, & perſpicua fiunt, neque deſunt argumenta quæ ſuadeant eos à ſtatione, & ab Eccleſia ante nonam non receſſiſſe, functionemque illam tres illas diei partes integras duraſſe: ſi enim ſecundùm ſtationis vocabulum de hac re diſſerendum ſit, quemadmodum de Oratione, de corona militis, & adverſus Pſychicos diſſerit Tertullianus, in ſtationibus & excubiis certum eſt milites diem integrum & ſolidum permanſiſſe. Prętereà ſi ad exempla, quibus eodem libro utitur, rem deferas, diuturnam aliquam moram, & ſtationem omnia inducere videntur: *In Exodo habitus ille Moyſi adverſus Amalech orationibus prælianis uſque in occaſum perſeverans, nonne ſtatio fuit ſera?* Item, *quæ ipſis elementis ſtationem imperavit.* Item, *ſtetit ſol medio cælo.* Item, *inſtantem tandiu in officio. ſtationem etiam ſera longiorem.* Deinde quęnam potuiſſet eſſe horum dierum ſolemnitas, aut pietatis officium, niſi in ipſa aſſiſtendi commorandique functione? Denique cùm ſtationes eſſent jejunia, eaque non domi, ſed in Eccleſiis olim tranſacta fuiſſe conſtet, credibile ſit Chriſtianos, ab Eccleſia hiſce ſtationum diebus, ante nonam non receſſiſſe. Unde à vera horum verborum Epiphanii ſententia, *Cæterùm pro ſynaxibus quæ quarta & pro Sabbatho ad horam nonam fiunt in die Dominica matutinis horis ſynaxes fiunt:* eos aberrare certum eſt, qui pro hac voce *ſynaxis*, conventus reddunt, exiſtimantque de Euchariſtia illic mentionem non eſſe, ſed de conventibus Chriſtianorum, quos docet Epiphanius ſummo manè diebus Dominicis, quarta verò & ſexta feria hora nona incœpiſſe. Nam qua ratione id tueri poſſint non video. Si enim pro ſynaxi hoc loco conventus ſubſtituunt, neceſſe eſt fateantur diebus ſtationum eos ipſos conventus hora nona inchoatos, cùm hoc ipſo loco dicat Epiphanius ſynaxes quarta & ſexta fieri hora nona: aliunde verò certiſſimum eſt ut poſtea probabitur ex Tertulliano, & aliis Patrum locis, Chriſtianos ſtationes & conventus quartæ & ſextæ, eadem hora nona diremiſſe, neque ultra hoc tempus productos: quapropter doceant quęſo, quomodo eadem hora eodemque temporis puncto conventus ejuſmodi potuiſſent, & celebrari & dirimi, & qua ratione Tertulliani & Epiphanii verba quæ inter ſe pugnare videntur, conciliari poſſint: quæ ſi in eodem Epiphanii loco pro ſynaxi, ut vulgaris fert explicatio, communionem & Euchariſtiam ponas, nulla erit inter Epiphanium & alios authores pugnantia: cùm enim acceptâ Euchariſtiâ ſolverentur Stationes, & conventus quartæ, & ſextæ feriæ, una eademque hora nona Chriſtiani poterant communiones facere, id eſt Euchariſtiam ſumere, & à Stationibus recedere. Quapropter retinenda eſt prior explicatio, quam vir ille doctus non mutaſſet, ſi rem ipſam potius quàm Caſauboni verba conſideraſſet.

An verò omnes tenerentur aliqua pœna, aut peccato Stationes facere ex verbis Tertulliani adverſus Pſychicos, quibus eorum rationes proponit, & ſibi objicit, conſtat id munus uniuſcujuſque arbitrio permiſſum fuiſſe: *paſſivè tamen currant, neque ſub lege præcepti.* item, *hoc quoque munus & ex arbitrio obeundum eſſe dicentes.*

Quòd hiſce Stationum diebus Chriſtiani jejuniaque ſua ad nonam uſque & pari menſura cum ſuis precibus continuarent, nullo negotio obtinere poteſt. Nam quæ à Pamelio afferuntur, ſufficerent ad id probandum, ſi aliis careremus argumentis: quorſum enim Hermas, & Divus Ambroſius ipſas Stationes vocarent jejunia, ſi Stationum tempore non jejunaretur? Prętereà Tertullianus vocat jejunia Stationum ſemijejunia: quod argumento eſt, eos in Stationibus à cibis abſtinuiſſe. quin etiam hęc verba eodem inclinant: *poſſum æquè ſera Stationis ex eodem rei ordine ſtatum figere, ut jejunemus ad ſerum.* Item omnia omnino exempla quæ ex veteri teſtamento profert, ut perſuadeat Stationes ad veſperam, & ultra nonam producendas eſſe: omnia inquam ea exempla de jejunio mentionem faciunt, & ex jejuniis aut jejunantibus deſumpta ſunt. Quid ſit autem, cur à Tertulliano jejunia Stationum dicantur ſemijejunia, facile eſt concipere, ut enim res ſuas & Montaniſtarum ſententiam, & mores extollat, qui ad veſperam Stationes producebant, eaſque hora nona, ut Orthodoxi, dimittere nolebant, per contemptum vocat ea jejunia, quibus Orthodoxi diebus Stationum ſeſe exercebant *ſemijejunia*, quia ea non continuabant ultra horam nonam, qua hora jejunia, æquè ac ipſas Stationes, dirimebant.

De geniculis eos adoraſſe hiſce Stationum diebus, id eſt in genua provolutos, non autem ſtantes, preces concepiſſe veriſimile eſt. nam quoties à Deo aliquid impetratum vellent, aut imminentem ab Ethnicis procellam, ac tempeſtatem avertere cuperent, toto corpore jacentes ac cernui, non autem ſtantes precabantur. Stationes autem fuiſſe luctum publicum, & preſſuram publicam, & eas inſtitutas, ut Dei iram mitigarent, idem ipſe Tertullianus oſtendit in eodem libro de Jejuniis: quapropter dubium non eſt, quin procumbentes orarent illis diebus. Deinde erat apud antiquos & naſcentis Eccleſiæ Chriſtianos, quædam immunitas, & quoddam genus gaudii de geniculis non adorare, ut ait idem Tertullianus de Corona militis: *Die Dominica nefas ducimus de geniculis adorare, eadem immunitate à die Paſcha in Pentecoſten uſque gaudemus.* Quare cùm hunc morem & precandi habitum, diebus duntaxat lętitiæ uſurparent. contrarium omnino veriſimile eſt, eos uſurpaſſe diebus illis, quibus mœrorem, & ſqualorem ſuum Deo objiciebant. Prętereà quoties de jejuniis loquitur Tertullianus, adgeniculationes adjungit tanquam jejunii partem: *Quando non geniculationibus, & jejunationibus noſtris etiam ſiccitates ſunt depulſæ?* Neque obſtat, quòd à ſtando vocabulum illud ſtationis deducitur: nam verbum illud, *ſtare*, eaque quæ ab eodem derivantur in pedes ſtare, & manere non ſemper ſignificant: quin imò ſtatio militaris, quæ ab eodem verbo nomen accepit, eum uſum ac notionem non habuit, militeſque qui excubabant, quovis modo hanc functionem obire poterant: ita hìc ſtatione nihil aliud deſignatur, quàm mora, ac pręſentia Chriſtianorum in templis, dum preces, & alia pietatis exercitamenta facerent.

In publicis Jejuniis aut Pœnitentiis lacrymas non cohibuiſſe Chriſtianos ſatis liquet ex Patrũ ſcriptis; in his ideo pietatis officiis & ſtationibus quibus ut cœlum moverent, & miſericordiam Dei extorquerent, fungebantur, par eſt credere eaſdem eos lacrymas Deo obtuliſſe, & oſtendiſſe. Quid autem pręter ea quæ diximus, toto hoc ſtationum tempore, à matutina videlicet ad nonam agerent, quibuſve operã darent, non alienum erit oſtendere. Primùm orationibus vacabant aliquantulum, hoc ex Tertull.

dignoſcitur lib. adverſus Pſychicos cap. 10. ubi cùm de Stationibus fiat mentio, hæc habentur: *ad horam nonam orationis templum introgreſſi leguntur.* Item, *ubique & omni tempore orandum.* Item, *tertio orantem ſuprema orationis muner*. Item cap. 11. *Quando & orationes ferè hora nona concludebat de Petri exemplo.* Cæterum argumenta quæ ex veteris Teſtamenti hiſtoriis obtrudit, ut ſeras Stationes ſuas confirmet, penè omnia de precibus & orationibus Danielis, Moyſi, Joathan, aut aliorum mentionem faciunt. Pſalmos quoque & Hymnos in ejuſmodi excubiis & Stationibus Chriſtianos cecinisse, ex his verbis Tertulliani confirmatur, quibus de eiſdem Stationibus agens, ait: *Hoc tu pſallere non facilè noſti, niſi quo tempore cum pluribus cœnas.* Locus hic obſcurus ſatis, quem ut intelligas opus eſt ut ad authoris ingenium & argutias reſpicias. vult enim dicere Montaniſtas, diebus Stationum non cœnaſſe eadem horâ, qua Orthodoxi cœnabant, ſed eadem ipsâ Montaniſtas in Eccleſia ſtetiſſe, & pſalmis & orationibus Stationes ſuas continuaſſe. Nam cùm horâ nonâ jejunia ſua dirimerent Orthodoxi, & cibos ſtatim ſumerent, Montaniſtæ verò ea continuarent uſque ad veſperam, eadem hora qua hi pſallebant in Eccleſia, & cantabant, *vide quàm bonum, & quàm jucundum habitare fratres in unum:* Eadem, inquam, Orthodoxi ſimul cœnabant & manducabant, & eundem pſalmum ad cœnam ſuam recreandam poterant canere. Uno verbo arguit Orthodoxos, quòd illis melius atque jucundius videatur habitare fratres in unum, in cœna, quàm in Eccleſia, quia hora veſpertina vel ante eam cœnarent diebus Mercurii & Veneris, qua hora ipſi Montaniſtæ hunc pſalmum in Eccleſia canerent. Sed quicumque tandem horum verborum ſenſus eſſe poſſit, ex his ſemper elicitur in Stationibus Chriſtianos pſalmos decantaſſe.

Quibus autem diebus Stationes fierent, non eſt ambiguum: nam omnes antiqui ſcriptores Mercurii & Veneris dies hiſce officiis ſeponunt. Tertullianus: *cur Stationibus quartam, & ſextam Sabbati dicamus.* Item, *qui & quarta Sabbati, & ſexta plurimum fungimur.* Item, *proinde nec Stationum quæ & ipſos ſuos quidem habeant quarta feria & ſexta.* Epiphanius in compendio doctrinæ Chriſtianæ: *Quarta verò & pro Sabbato jejunium ſtatutum eſt uſque ad horam nonam.* Idem adverſus Aetium: *à quo verò non eſt aſſenſum in omnibus orbis regionibus, quod quarta & pro Sabbato jejunium eſt in Eccleſia decretum.* Idem, *deinde verò ſi non de eodem argumento quartarum, & pro Sabbatorum iidem Apoſtolò in conſtitutione dixiſſent.* Petrus Alexandrinus: *non reprehendet nos quiſpiam quartam & ſextam feriam obſervantes, in quibus nobis jejunare ſecundùm traditionem præceptum eſt.* Hos verò dies ejuſmodi Stationibus adſignarat Eccleſia, quia ut eſt in conſtitutionibus Clementis, deliberatum eſt à Judæis de interficiendo Chriſto, aut ut docet Petrus Alexandrinus, quia *quarta initium de proditione Domini à Judæis factum eſt, ſexta autem, quod ipſe paſſus ſit pro nobis.* Ex iiſdem veterum teſtimoniis, ni conſtaret Stationes ultra nonam non duraſſe, multa ad id probandum ex Tertulliano afferrem, qui reprehenſus ab Orthodoxis quod eas Montaniſtæ ad veſperam producerent, nititur oſtendere, adverſus Pſychicos, ſolemniores eas fore, ſi ad noctem producantur, & nona non ſolvantur. Ex Prudentio in Agone Fructuoſi eadem hora finiendis Stationibus notatur:

Jejunamus, ait, recuſo potum,
Nondum nona diem reſignat hora.

Gab. Albaſpin. Obſervat. lib. 1.

A Nam die Veneris, ut in actis ejus martyrii legitur, morte & ſanguine ſuo Chriſti nomen & fidem confeſſus eſt. Quid ſit cur Stationes nonâ potius quàm ſextà, aut recedente ſole, finirent, Stationumque jejunia minus ſevera, brevioraque eſſent, quàm ea quæ ab Epiſcopis jubebantur, aut ea quæ ex more & inſtituto Eccleſiæ obſervabantur in Quadrageſima, nihil repetio quod magis ſatisfaciat, quàm quòd ejuſmodi muneribus & officiis cupiebant ſibi & Eccleſiæ Deum placatum reddere: quæ cùm eſſent uſitata, & ſæpius in unaquaque hebdomada uſurparentur, ſatis gravia & oneroſa viſa ſunt, ſi ultra nonam non detinerentur. Alia verò quæ mandabantur ob aliquam Eccleſiæ ſollicitudinem, ut ait Ter- B tullianus, non niſi ob gravem aliquam cauſam mandabantur, ideo in ſerum producebantur.

Cæterum in hac obſervatione nihil difficilius occurrit, nihil in his Stationibus plus negotii viris eruditis exhibuit, quàm inveſtigare, qua hora Stationum diebus ſacra & Euchariſtiæ ſacrificia offerrentur: quave hora fideles qui iiſdem Stationibus intererant, ipſa communione donarentur. Denique an ipſæ Stationes ipſius Euchariſtiæ ſumptione finirentur, an verò poſt communionem aliquantulum etiam durarent. ſed quia in alia obſervatione de ſacrificio & communione dierum jejunii multa dicentur, hoc loco eadem adſcribere ſuperſedi, ſatiſque viſum eſt de ultima difficultate diſſerere: qui negant Stationes illas C antiquas accepto corpore Chriſti ſolutas fuiſſe, hoc uno Tertulliani loco nituntur libri de Oratione: *Similiter de Stationum diebus, non putant plerique ſacrificiorum Orationibus interveniendum, quòd Statio ſolvenda ſit accepto corpore Domini. Ergo devotum Deo obſequium Euchariſtia reſolvit, an magis Deo obligat? nonne ſolemnior erit Statio tua, ſi ad aram Dei ſteteris accepto corpore Domini, & reſervato? utrumque ſalvum eſt, & participatio ſacrificii, & executio officii.* Quibus verbis Tertullianus innuere videtur Chriſtianos, poſt acceptam Euchariſtiam in eadem Statione manſiſſe, eamque poſt communionem duraſſe. Cùm enim caſtiget quoſdam, qui ea accepta volebant diſcedere, dicatque orationes ſacrificii D ſupereſſe, quibus non intererant qui diſcedebant poſt communionem, ſatis demonſtrare videtur, nequaquam ſolvi Stationes ſumptione corporis Chriſti: ſed ſi ſingula quæque horum verborum explicentur, ſeorſimque exponantur, ex his conſtabit Stationes miſſas & ſolutas fuiſſe Euchariſtiæ acceptione: *Sacrificiorum orationibus interveniendum.* Hoc loco ſacrificia, aut pro corporis Chriſti ſacrificio, aut pro oblationibus quas fideles peractis ſacris offerebant, accipi poſſunt. Quod de ſacrificiis in plurali locutus ſit, ſenſum ad oblationes torquere non nihil videtur; nihilominus de ſacrificio corporis Chriſti hæc accipienda eſſe ſuadet, quòd hæ oblationes diebus Dominicis potius, quàm quovis alio die, ex ritu antiquo, & mori- E bus Eccleſiæ, offerrentur. ſed quidquid hujus ſit, nemo eſt qui velit ejuſmodi orationes, quæ pro oblationibus, aut poſt ſacrificium Euchariſtiæ fierent in altari, paulò longiores fuiſſe. Nam cùm ex Juſtino manifeſtum ſit, & ex conſtitutionibus Clementis, atque ex Canone 19. Laodiceni Concilii, fideles accepta Euchariſtia ſtatim ab Eccleſia receſſiſſe, vel etiam diebus Dominicis Euchariſtiam ſub fine Miſſæ porrigi ſolitam, Tertullianuſque loquatur de orationibus quæ poſt ſacrificium fierent, non eſt quod eas multum duraſſe exiſtimemus.

Quod Statio ſolvenda ſit, multùm intereſt ſcire quorſum hi, quos Tertullianus caſtigat, vel-

e ij

lent recedere à Statione, accepto corpore Domini : A cujus nulla alia poteſt eſſe cauſa, quàm quòd lętitia, quam ex ſumptione Euchariſtiæ conceperant, non patiebatur eos diutius in Stationibus, quæ erant preſſura & luctus publicus, remanere. Quam cauſam ipſe Tertullianus indicar his verbis : *nulla lætitia à tapite, ergo devotum Deo obſequium*, id eſt Stationem : *Si ad aram Dei ſteteris* : ſtare, ni fallor, hoc loco ſignificat in pedes ſtare. nam acceptâ Euchariſtiâ, non licebat ex eorum inſtitutis, & ex veteri diſciplina, de geniculis orare. Quare cùm eis ſuadeat ſtare ad aram acceptâ Euchariſtiâ, hoc verbum, *ſtare*, ea ſignificatione accipiendum eſſe videtur, quamvis in notis ad hunc de oratione libellum, vocem illam non ita acceperim.

Accepto corpore Domini & reſervato olim in B manus cujuſque fidelium, Euchariſtia à Diacono tradebatur, eamque poſtea manducabant. Tertullianus igitur his verbis docet qua ratione fideles poſſint utrique ſatisfacere, id eſt qua ratione poſſint remanere in Eccleſia, & intereſſe precibus ſacrificiorum, Stationeſque uſque ad exitum producere, & nihilominus poſſint ſalvam facere conſuetudinem illam, qua viſo aut accepto corpore Chriſti, in nimiam lætitiam ſe ſe effundebant. Hi enim quos redarguit, non videbant ſe poſſe triſtes & alacres ſimul vultus ſumere. Quapropter potius ducebant, Euchariſtiæ reddere quod ex veteri Religione illi deberi ſciebant, & à Statione ſtatim diſcedere eâ acceptâ, & ejuſmodi excubias mœroris & triſtitiæ plenas diſrumpere, ut lætitiæ C indulgerent, quàm in iiſdem Stationibus remanere. Quibus hanc viam aperit Tertullianus, & modum quo poterunt officio & ſacrificio ſatisfacere, id eſt, quo poterunt Stationes integras facere, & nihil detrahere ex lætitia quæ Euchariſtiæ debebatur : ſi nimirum tantiſper reſervent in manibus ſuis Euchariſtiam, eamque non manducent quin hæ exiguæ orationes, quæ poſt ſacrificium, atque ut id Deo commendarent, habebantur, dictæ eſſent. Is eſt, ni fallor, horum ſenſus, neque alium fingere quiſquam poterit, qui ad ritus Eccleſiæ antiquæ reſpexerit.

Ex his igitur licet colligere eos Stationes ſuas ſumptione corporis Chriſti finiſſe, neque quidquam in contrarium ab illo authore dictum. nam D cùm utrumque ſalvum vult fieri, id eſt Stationes, & lætitiæ publicæ conſuetudinem, ſatis demonſtrat communionem cum Stationibus conſiſtere nequaquam poſſe, eaſque finiendas eſſe Euchariſtiæ manducatione.

Quæ de beato Fructuoſo martyre leguntur ad idem comprobandum, & quòd Stationes Euchariſtiæ ſumptione & manducatione ſolverentur, ſi integrè incorruptéque explicentur, magnopere conferunt : *Cumque multi ex fraterna charitate eis offerrent condimentum uti permixtum poculum ſumerent, ait, nondum eſt hora ſolvendi jejunii : agebatur enim hora diei quarta, ſiquidem in carcere quarta feria Stationem ſolemniter celebraverunt. Igitur ſexta feria lætus atque ſecurus feſtinabat*, E *uti cum martyribus & prophetis in Paradiſo, quem Dominus præparavit amantibus ſe, perſolveret Stationem.* Ex his ut ſenſum aliquem qui ad propoſitum faciat, eliciamus, ſingula quæque ſunt conſideranda. Primùm, non aliam eum ob cauſam poculum recuſaſſe certum eſt, niſi quòd Stationis erat dies, ejuſque ſolvendæ nondum adeſſet hora : nam quartâ ad ſupplicium ducebatur, ut ex Prudentio apparet.

Quoſdam de populo vidit ſacerdos,
Libandum ſibi poculum offerentes.
Jejunamus, inquit, recuſo potum.
Nondum nona diem reſolvit hora,
Nunquam conviolabo jus dicatum,
Nec mors ipſa meum ſacrum reſolvet.

Nam per jejunium, jus dicatum, & ſacrum, Statio intelligenda eſt, cujus erat dies & tempus cùm hæc verba penè moriens proferebat : ſed hæc in ejus vita obſcura videntur, *Siquidem in carcere quarta feria Stationem ſolemniter celebraverunt.* Nam quæ ratio hac die poculum aſpernandi potuit eſſe, quod quartâ feriâ Stationem perſolviſſet ? Nonne potuit de illo poculo deguſtare, & illud ebibere, quamvis quarta feria jejunium & Stationem præſtaſſet ? niſi quod Stationem, & excubias ſuas, piamque illam erga Deum functionem perfectam & integram, & ſatis ritè ea ſeſe defunctos eſſe non exiſtimarent, ni duobus illis diebus eiſdem officiis vacarent, atque de ratione Stationis eſſet, utroſque diei quartæ, & ſextæ feriæ in ejuſmodi officiis conſumere. Quapropter cùm Stationem & officium illud quartâ exorſus eſſet, ne ſexta illud corrumperet, à poculo abſtinuit, & hoc verbum, *igitur*, hanc notionem & explicationem offerre videtur. nam refertur ad ea quæ antè leguntur : & innuit & ſignificat Fructuoſum non minùs Stationem eo ipſo die ſe velle facere, quàm die Mercurii.

Præterea verbum illud, *ſolemniter*, alicujus eſt momenti in hac hiſtoria : nam vix reperies quemquam antiquitus eo uſum eſſe, niſi ad Euchariſtiam ſignificandam. Quare hoc loco ſignificat, Fructuoſum quartâ Stationem ſuam ſolemnem Euchariſtiæ ſumptione feciſſe. His itaque explicatis ſæpius mecum ipſe cogitavi, quæ vis hujuſce ſermonis, quænam in eo poſſet eſſe gratia, qua denique ratione in Paradiſo potuerit beatus ille martyr Stationem ſuam, quam hîc inter humanos inchoaret, perficere & perſolvere : verùm hanc tandem eſſe reperi, quòd quemadmodum die mercurii, Stationem ſuam uſu & manducatione Euchariſtiæ expleverat, & ſolemniter perfecerat ; ita illius diei Stationem ſperare ſe poſſe in cælis terminare, & implere ejuſdem corporis fruitione, ſed nudi, aperti, & omni ſpecie & velo purgati. Quamobrem autem haſce Stationes inſtituerant, non alia commodior ratio apparet, quàm eos has excubias & officia pietatis, & mœroris plena uſurpaſſe, ut Deum ejuſque iram demulcerent. uti enim videmus oborta aliqua nova perſecutione, ad jejunia, preces, lacrymas, & adgeniculationes ſobrios olim Chriſtianos confugere ; ita veriſimile eſt primis illis ſeculis quibus miſeriis, & perſecutionibus undique, & quaſi perpetuis ſtiparentur, has functiones, & pia officia inſtituiſſe ut peccata ſua expiarent, Deumque Eccleſiæ, & fidelibus pacatiorem redderent.

Ut nihil in hac obſervatione deſideretur, nihilque relinquatur quod non illuſtratum ſit, animadvertendum eſt haſce Stationes à die Reſurrectionis ad Pentecoſtes remiſſas fuiſſe. nam quemadmodum omnia omnino jejunia, vigiliæ, & alia ejuſmodi officia toto hoc tempore remitterentur ; ita Stationes eodem tempore non habebantur, & ſi in eoſdem dies veneris, & mercurii Nativitatis Chriſti dies, & ſolemnitas incidiſſet, Statio quoque quæ eodem die erat facienda, differebatur. Epiphanius : *Inſuper verò in quinquaginta diebus Pentecoſtes, de quibus dixi, non eſt jejunium neque in die Epiphaniarum, hoc eſt apparitionis, & adventus quando natus eſt in carne Dominus, jejunare licet etiamſi contingat ut ſit quarta aut pro-Sabbatum.* In fine hujuſce obſervationis duo ſunt explicandi Tertulliani loci, qui ad Stationes pertinent. Primus de corona militis : *jam & Stationes aut alii magis faciet quàm Chriſto ?* Quibus ait, ſi Chriſtianus miles fiat, fore ut Stationes

magis faciat imperatori, quàm Chriſto: quia cùm A Stationes Chriſtianorum nonâ finirentur, militiæ verò excubiæ noctem diemque integrum, & ſolidom durarent, Stationes Chriſtianus miles majores faceret imperatori quàm Chriſto. Secundus à viris doctiſſimis obſcuriſſimus videtur; is legitur in capite decimo quarto libri adverſus Pſychicos: *Cur Stationibus quartam & ſextam Sabbati dicamus, & jejuniis Paraſceven?* cùm enim jejunia Stationum ultra nonam non producerentur, jejunia verò integra ad noctem uſque obſervarentur, quomodo fieri poteſt, ut eoſdem dies Veneris Stationibus ſimul & jejoniis dicatos eſſe dicat Tertullianus? Bonus noſter Pamelius ut ex hac difficultate ſeſe explicet, ait *Paraſceves*, hoc loco accipi de- B bere pro Sabbato, quo nihil à mente Tertulliani magis alienum fingi potuit, ut rectè monet Dionyſius Petavius in ſuis ad Epiphanium notis. Alii exiſtimant rem ita illuſtrari, & componi poſſe; nimirum ut quartâ & ſextâ feriâ Stationes fierent, ambæque ad nonam uſque producerentur, ſed feriâ quartâ ſtatim poſt Stationis exitum, horamque nonam jejunium ſolvere licitum eſſet, ſextâ verò feriâ expleto Stationis tempore, non ſtatim fas fuiſſe cibis uti, ſed ad veſperam tantùm: unde feriâ quartâ ſemijejunium, ut Tertullianus vocat obſervatum eſt, ſextâ jejunium integrum. Sed hęc explicatio non magis conſentanea videtur hiſce Stationum ritibus: nam omnes conſtanter affir- C mant Stationes, & jejonia Stationum, ſolvi poſſe horâ nonâ; quare nulla authoritate aut ratione hanc explicationem defendere poſſunt. Præterea, cùm tota quæſtio, & controverſia, quæ hoc loco inter Orthodoxos, & Montanum agitatur, in eo potiſſimùm verſetur, quo tempore, & hora ſolvendum ſit Stationum jejunium & abſtinentia, & hi ad veſperam, illi non ultra nonam cenſerent eam eſſe obſervandam, ſi vera & legitima ea eſſet explicatio, quę inter eos potuiſſet eſſe diſſentiò? aut quamobrem quæſo Tertullianus, cujus acre ingenium nihil potuit effugere, mirum ſibi videri non clamaſſet in hoc libello, quòd Orthodoxi ſeras Montaniſtarum Stationes culparent, & reprehenderent, cùm ipſis diebus Veneris ſuas, vel ſaltem earum jejunia ad noctem continuarent? unde pla- D num ſit hanc vocem, *Paraſceve*, non eſſe de ſingulis aliis diebus Veneris accipiendam.

Ego verò exiſtimo hoc loco *Paraſceve*, poni à Tertulliano pro diebus majoris hebdomadę, quibus jejunium ſtrictiùs multò, quàm tota Quadrageſima obſervabatur; & id facile eſt credere ex ejus loquendi more, ut enim Paſchatis voce non ſolùm ad diem Paſchæ, ſed etiam ut totos illos dies ſeptimanæ ſanctæ ſignificet, utitur ad uxorem lib. 2. *Quis denique ſolemnibus Paſcha obnoctantem ſecurus ſuſtinebit?* aliquando etiam pro paſſione Domini, & die Veneris eandem ipſam vocem uſurpat, ut libro adverſus Judæos: ita etiam hac voce Paraſceve, eum uſum eſſe fas eſt credere, ut dies ejuſdem ſeptimanæ indicaret: præſertim cùm E præparatio quædam eâ ſignificetur, & totam illam hebdomadam jejuniis, & orationibus conſecrarent, ut gratioſiores reſurrectionis Chriſti memoriam, & diem celebrarent; qui ſenſus, & ſignificatio ſi admittatur, nihil in hoc loco ſupererit difficultatis. nam in illa majori hebdomada Stationes non fiebant ordinariæ, quia ſeveriùs erat jejunandum, ideo dicit Eccleſiam dicaſſe quartam, & ſextam feriam Stationibus, dies verò illius hebdomadæ jejuniis.

OBSERVATIO XVII.

Ab oſculo pacis abſtinebant diebus jejunii.

MOris erat apud Chriſtianos primis illis temporibus oſculo ſe ſe invicem ſalutare; quod genus officii non ſolùm certo quodam, & præſtituto Miſſæ tempore, verùm etiam domi intra privatos parietes, ſed & in vicis uſurpabant: à qua tamen conſuetudine abſtinebant diebus illis, quibus indictum, & promulgatum eſſet plenum, atque integrum jejunium, quemadmodum de die veneris magnæ Septimanæ teſtatur Tertullianus lib. de Oratione his verbis: *Sic & die Paſcha, quo communis & quaſi publica jejunii religio eſt, merito deponimus oſculum, nihil curantes de oſculando, quod cùm omnibus faciamus*, &c. Idem etiam colligitur ex ordine Romano, & aliis ſcriptoribus de Divinis Officiis, qui omnes planè, & apertè declarant, feria ſexta in Paraſceve & Sabbato proximè inſequenti, à pronuntiatione illorum verborum, *Pax Domini*, abſtinuiſſe Eccleſiam, quòd dicatur inter fideles oſculum eſſe illo tempore intermiſſum.

Cujus quidem conſuetudinis non ſum neſcius à Patribus unam præſertim afferri rationem, quòd Judæ oſculum refugeret, & execraretur Eccleſia, memoriamque radicitus ex animis hominum evelli cùm vellet, propterea illis diebus Oſculi intermiſſionem fuiſſe factam: ſed illius moris aliæ atque aliæ rationes proponi poſſunt, quarum nonnullæ concionibus ad populum inſeruntur: aliæ omnino veræ, & quę intimam rei naturam, ejuſque conſuetudinis cauſam germanam indicant, qualis illa eſt quam Tertullianus eodem in loco profert, non fuiſſe oſculum uſurpatum, quod publicum populo jejunium, die Veneris ſancto celebrandum indiceretur: unde vides jejunium, in cauſa fuiſſe, cur die Veneris ſancto oſculo parcerēt Chriſtiani. Qui autem errorem illorum quem Tertullianus carpit, perpenderit accuratiùs, (nolebant quippe aliqui, quibus diebus ſua ſponte, non alio quodam Eccleſiæ præcepto coacte jejunabant, oſculari fideles) itemque rationes ejuſdem auctoris, quas contra objicit, diſcuſſerit, ſimul & quod dico probabit, & Tertullianum verum ſcopum attigiſſe non negabit, videlicet hujus conſuetudinis cauſam, & rationem attigiſſe: ait enim ab imitatione quadam illius conſuetudinis publicæ, errorem hunc derivatum, & quòd illam communem ſeu popularem conſuetudinem æmolari vellent, iſtos quoſdam particulares homines, jejuniorum voluntariorum tempore, noluiſſe oſculo quodam ſuos fratres ſalutare: qua ex re concludas oportet, Eccleſiæ conſuetudinem hoc uno quaſi fundamento jejuniorum nixam fuiſſe: quandoquidem qui illum morem quodam modo adumbrabant; ab Oſculo Pacis cùm privatis ſeſe jejuniis exercerent, caput averterent, & verbum hoc, *conſuetudini domi ſatisfacient*, referri aut traduci debet ad Eccleſiæ conſuetudinem generalem, non autem ad privatum quoddam eorum inſtitutum quos reprehendit, intelligique vult, cùm privatis in ædibus amicos ſuos & domeſticos jejuniorum, quæ ſibi impetraſſent, diebus, non oſculo impreſſo ſalutarent, communi Eccleſiæ conſuetudini ſatisfeciſſe: indéque planum fieri a jejunio id profectum, ut cùm jejunii tempus obtigiſſet, intermiſſio oſculi conſequeretur.

Supereſt, ut rationes ſuggerantur, cur jejuniorum integrorum temporibus Oſculum Pacis exclu-

deretur : neque enim, quo hujus antiquæ diſciplinę ratio penitus cognoſcatur, ſatis fuerit dicere, die Veneris ſancto, oſculum quodammodo vetitum, quòd jejunium eo die non interruptum, ſed integtum eſſet. Sed præterea demonſtrandum eſt, cur diebus jejuniorum integrorum minus honeſtum decorumque oſculum putaretur, qua de re obſcurè neque ſatis planè, & perſpicuè Patres loquuntur : neque quid ſentiendum ſit, niſi conjecturâ aſſequi potes, cujus quidem conjecturæ ratio ſola, non ea eſt meo judicio, oſculum lætitiæ & gaudii publici teſtimonium quoddam, & indicium fuiſſe certiſſimum : quòd animi lætantis, & geſtientis argumentum die jejunii præſertim in lucem quodammodo proferre nefas ducerent ; ſed hoc unum verè, appoſitè, & propriè dici poteſt cùm jejunia illa integra inducerentur primis illis temporibus, neque ſacrificii, neque communionis uſum illum extitiſſe : ex eoque conſectarium illud, nullum ut oſculum multas ob cauſas libaretur. Primò, cùm neque ſacrificii, neque communionis ulla mentio fieret : neque Miſſa, neque ſacrificium ullum ſolemne uſurparetur, oſculum ideo fuiſſe quaſi neglectum, & omiſſum. Secundò, prætermiſſo Miſſæ ſacrificio, ſacerdotem pacem domini populo non impertiri conſueviſſe : propterea Chriſtianos non mutuò inter ſe circumlato oſculo uſos fuiſſe. Tertiò, verba illa ſancti Chryſoſtomi afferri poſſunt homilia de proditione Judæ : *Sanctum oſculum teneamus, quod animas ſociat, reconciliat mentes, & unum corpus oſtendit, quia unum corpus videmur eſſe ſortiti, & ideo miſceamus nos in corpore uno, non in corporum mixtione, ſed animorum charitate devincti, ut ſic divina menſa poſſimus fructibus ſatiari.* Oſculum inſtar pignoris ac Symboli communionis, ac propè fœderis omnium Chriſtianorum in uno eodemque corpore, ſumptâ ad cibum Euchariſtiâ, præbebatur : eamque ob cauſam, quibus diebus à Chriſti corpore ſumendo abſtinerent, ejus Symboli intermiſſio fiebat. Adde, quòd oſculum ante Euchariſtiæ ſacram communionem, ſeu participationem porrigebatur, ut ante Chriſtianorum inter ſe concordia, ac reconciliatio gratiæ iniretur, quàm Deo illi ſuo paſcerentur, quo ſi non reficiebantur, reconciliationis ejus omnino nulla componendæ memoria refricabatur. Ad extremum Tertullianus, Oſculo Pacis in partem meriti, & gratiæ quæ tempore Miſſæ ſacrificii comparabatur, unumquemque à fratribus cooptari, & aſciſci : cujus ſacrificii ceſſatione ejus quoque fruendi cauſa nulla erat, ut ipſi de noſtra operatione participent, quam auderent de ſua pace tranſigere fratri. Uno verbo, ut paucis perſtringam, quid aliud his verbis innuit, quale ſacrificium eſt, à quo ſine pace receditur, quàm oſculum dari omnino conſueviſſe, propter ſacrificium? Sed objicitur Divus Ambroſius ſermone 34. cujus expreſſa ſunt verba, quæ confirment. *Etiam in Quadrageſimis jejuniis oſculum datum eſſe : quemadmodum pacem Epiſcopo porrigetis, ne fortè ipſo ſpiritu oſculi veſtri vos reprobet.* Poſſunt & ſtationum dies proferri, quibus, & ſi hora tantùm tertia pomeridiana jejunium ſolveretur ; Pacis tamen Oſculum intercederet. Sed reſpondeo, vera illa eſſe, tantumque à nobis aſſeri jejuniorum integrorum diebus oſculum vetitum : jejuniis, inquam, iis, quæ ſub veſperam tantùm ſolverentur : quibus quia ſacrum, nullumque ſacrificium offerebatur, ita etiam nullum Pacis Oſculum interponeretur : ſicuti neque feria ſexta majoris hebdomadæ, Sabbatoque ſancto, extraordinariiſque jejuniis, quæ graviori aliqua de cauſa ab Eccleſia imperarentur. Sed quibus diebus ad nonam tantùm, aut etiam ad meridiem jejunium protrahebatur, cùm in iis etiam ſacrum fieret, Oſculum etiam porrigebatur. Quare cùm in Quadrageſimæ ſtationumque diebus primùm horâ tertiâ pomeridianâ, & deinde remittente ſe nonnihil ſeniore diſciplina, meridie ſacrum procuraretur, Oſculi etiam erat conceſſa uſurpatio, atque eam eſſe cauſam illius conſuetudinis arbitror, non autem in Judę oſculum quaſi deteſtandum referendam : ſed enim tantùm in feriam ſextam ſanctioris hebdomadę, non item in Sabbatum ſanctum cadere poteſt. Deinde conſtat ex Tertulliano, eos qui lubenter & extraordinariè quocumque anni die jejunarent, voluiſſe etiam Oſculo parcere, imitantes in eo quidem, ſed malè Eccleſiam, quę integris jejuniis Oſculum interdiceret.

Addendum item ceſſari ab Oſculo in ſacrificiis, & ſacris quæ pro mortuis offeruntur, quod ut author eſt Almainus lib. 3. cap. 44. ea Chriſti mortem referant & repræſentent : diebus autem qui ei recolendæ celebrandæque conſecrati ſunt, cùm nullum ſic Oſculum, neque in ſacris quæ pro mortuis offeruntur eſſe debet. Sed cùm omiſſi in morte Chriſti recolenda Oſculi, cauſam in Judæ proditoris oſculum teferat ; non video quî convenire mortuorum ſacris poſſit. Exiſtimo itaque probabilius eſſe, ideo in mortuorum ſacris Oſculum non perſolutum eſſe, quod olim privata eſſent illa ſacra, non autem ſolemnia, hoc eſt, non eſſent inſtituta, ut in eis publicè fideles omnes communicarent, perindo atque Dominicis, feſtiſque diebus fieret, ſed autem apparet ex Canone 4. Concilii 2. Vaſenſis, ubi diſcrimen ponitur inter ſolemnia, mortuorumque ſacra. Itaque cùm in iis ſacris non communicaretur, nullum etiam Oſculum dabatur, quod quidem ſymbolum quoddam, & argumentum erat communionis fidelium, eoque tantum nomine permittebatur, ut ad communionem fideles præpararentur, & ad mutuam benevolentiam excitarentur. Eadem ratio facit pro Monachorum ſacris, in quibus pariter Oſculo parcebatur, non quidem, ut nonnulli authores de divinis officiis volunt, quòd mortui mundo cenſerentur, quaſi mortuos inter & vivos nulla intercederet communio : & cum iis communicandum non eſſet, qui uno eodemque cum vivis Eccleſiæ corpore comprehenduntur ; quare ſi cum mortuis communicandum eſt, non eſt in eorum ſacris prohibendum oſculum : quandoquidem communionis ſignum eſt, coarguitque & convincit Chriſtianos, ut ſimul oſculo conjunguntur, ita & eodem Eccleſiæ corpore ſimul omnes conſociari. Vera igitur ac germana ratio inde reſumenda eſt, quòd Monachorum Miſſæ ſacrificia privata eſſent, & in iis nulla generalis communio fieret, quare oſculum quod ad ſolas pertinebat generales communiones, omittebatur. Huc accidit raro admodum Monachos Euchariſtiam percepiſſe, quòd laici eſſent, perpetuòque pœnitentiæ, & aſperitatibus vitæ conficerentur : quo in ſtatu, ſeu tempore vix ad Euchariſtiam participandam, ac nec vix quidem accedere ſolerent.

OBSERVATIO XVIII.

De Agapis.

CONducit ad intelligentiam Patrum, & ad defenſionem doctrinæ fideique Eccleſiæ planum fieri, quid eſſent Agapæ, docerique in illis nullam fuiſſe Euchariſtiæ mentionem : nec ibi ſumi omnino aut conſecrari ſolitam. Nam inde adverſarii argumenta in nos depromunt, & propè eſt ut dicant, minimè probabile videri Chriſtia-

nos ſuſcepturos fuiſſe Euchariſtiam inter convi- A via, ſi præſens corpus Chriſti, neque ipſa ineſſa arbitrati eſſent, etiam poſt epulas, & ubi ſe aliis cibis ſaturaſſent: *In conviviis Chriſtianorum*, inquit Pleſſæus lib. 1. c. 3. *panis & vinum apponebantur, ut eis benedicerentur, de quibus epulis loquitur Tertullianus in Apologetico his verbis: cœna noſtra de nomine rationem ſuam oſtendit, vocatur enim ἀγάπη, id quod dilectio penes Græcos eſt.*

Diebus igitur Dominicis cœnas celebrabant, quas Agapas vocabant, quibus omnes intererant, & in privatam aliquam domum conveniebatur; ubi poſt fuſas ad Deum preces ſimul cœnabant, cœnati manus abluebant, candelas cereoſque ac- B cendi jubebant, Deum precabantur, precibus functi, ſcripturam ſacram legebant, quo peracto, præſes unum aliquem è cœtu de fide ſua interrogabat, mox inter ſe omnes de rebus divinis ſermones ſerebant, pecunias aliquas colligebant in alimenta viduarum, inopum, & pupillorum, naufragorum, atque martyrum, tum de dormitione cogitabant: at de Euchariſtia ibi nullum verbum; id quod perſpicuè demonſtratur his rationibus, quod Agapæ cœna erat, quæ fiebat tantùm veſperi. Tertullianus in Apologetico c. 34. *Ita ſaturantur*, (de Agapis videlicet loquens) *ut qui meminerint etiam per noctem adorandum ſibi Deum eſſe.* Niſi nocti proximum fuiſſet hoc convivium, non utique dixiſſet, eos meminiſſe dandam C de nocte operam orationi. Quæ mox ſequuntur, idem etiam oſtendunt: *Inde diſceditur, non in catervas cæſionum, neque in claſſes diſcurſationum, nec in eruptiones laſciviarum.* Hæc de die fieri non ſolent, ſed ſunt nocturnæ ebriorum, ac temulentorum graſſationes, obvios quoſque pulſantium, & cædentium. De corona militis de Agapis fortè loquens, *ad lavacra, ad menſas, ad lumina, ad cubilia.* Quamvis autem reſponderi poſſit, candelas poſt cœnam non in uſum luminis, ſed ob preces accendi ſolitas, tamen inde quoque colligitur nocturnum tempus fuiſſe. Nam Gentiles eis exprobrabant, quod candelas extinguerent, ut ſublatâ verecundiâ quamlibet impietatem committerent. D

Supereſt etiam, ut elucidemus eos non niſi manè ſumpſiſſe Euchariſtiam, & ante omnem etiam cibum; quo probato, lectori dijudicandum relinquam, an cùm Agape non niſi veſperi fieret, Euchariſtia non niſi mane ſumeretur, hæc duo unquam concurrere potuerint? Libro ad uxorem: *non ſciet maritus quid ſecretò ante omnem cibum guſtes.* Sumebant igitur Euchariſtiam manè, & ante omnem cibum. Libro de corona militis; *Euchariſtiæ Sacramentum & in tempore victus, & in omnibus mandatum à Domino, etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu, quam Præſidentium ſumimus:* Quibus verbis apparet eos non niſi manè ſumpſiſſe Euchariſtiam. Etenim quamvis Dominus noſter eam celebraſſet, ac ſumpſiſſet inter E cœnandum, tamen ſic ab Eccleſia inſtitutum fuiſſe, ne alio quàm matutino tempore, atque ante alia eſculenta ſumeretur. Mitto alios Patrum locos qui idem aſſerunt, contentus authoris noſtri teſtimoniis, libro contra Pſychicos, videtur hunc morem tetigiſſe in hunc modum: *quales nos ante pabulum, & potum, in virgine adhuc ſaliva exhibere conſuevit, rebus dumtaxat ſenſim agendis, quo divina tractantur.* Et Plinius ſecundus in epiſtola ad Trajanum, docet Chriſtianos ſtato die ante lucem conveniſſe, ut ſua ſacra facerent: atque eadem epiſtola, rurſus omnes coiiſſe ad cibum capiendum, ubi utriuſque Euchariſtiæ, & cœnæ capiendæ tempus diverſum fuiſſe oſtendit.

Cùm ergo in Agapis nuſquam celebraretur Euchariſtia, magnopere falluntur adverſarii, qui in cæremoniis Agaparum formam celebrandæ Miſſæ præſcribere intendunt, & quod illarum eſt, huic attribuunt; videlicet quia in Agapis familiariter inter ſe verſarentur, ederent, biberent, pani & vino atque cibis tantummodo benedicerent, lingua vernacula loquerentur, viri, fœminæ, pueri- que promiſcuè pſalmos canerent, miniſtrique habitu conſueto degerent. Hæc & alia ejuſmodi ubi compererere adverſarii, ceu validis freti argumentis, ad Miſſam omnia eadem transferunt. Quod quid aliud eſt, quam non diſcernere unum ab altero & imperitè Agapas cum Euchariſtia confundere.

Sed objici poteſt. unde igitur enata opinio inter Gentiles in ejuſmodi Agapis Chriſtianos comediſſe infantem? Nunquid ex eo quod celebrarent, aut comederent Euchariſtiam in illis cœnis? quæ cùm verè caro eſſet, ac pro Domini noſtri corpore ſumeretur, Chriſtianis criminii datum eſt, quaſi carnem humanam manderent. Reſpondeo confictum eſſe hoc crimen, & inſimulatos ejus rei Chriſtianos. jam inde à Tiberio, hoc eſt ab Apoſtolis, ut docet Tertullianus in Apologetico; nam loquitur de hoc ipſo crimine quod Chriſtianis intentabatur, quod a temporibus Tiberii commentos ait, ſive Judæos, ſive quoſvis alios religionis Chriſtianæ ignaros.

Atqui non inficias ierim, tempore Apoſtolorum, Agapas fortè factas eſſe cum celebratione Euchariſtiæ, quod non prohibet, quin Euchariſtia huic impoſturæ colorem, ac locum dederit; vel quod Gentiles ſacrorum ignari, Miſſam, & ſolemnia cum Agapis confunderent.

Alia ratio admittenda videtur: ſi Euchariſtia data eſſet in Agapis, utique potius a cœna, quàm antè dari conveniſſet: quoniam ut ait Tertullianus, tunc preces funderentur, cerei accenderentur, pſalmi cantarentur, Scriptura ſacra exponeretur. Quinetiam volunt adverſarii has preces, & pietatis exercitamenta, quæ Tertullianus poſt cœnam commemorat, omnino pertinere ad Euchariſtiam: atqui abſurdum eſt credere, contra teſtimonium Tertulliani, eos poſt convivium Euchariſtiam ſuſcepiſſe, ſcilicet poſtquam ſe aliis cibis ingurgitaſſent.

Cæterum, in ejuſmodi conviviis nulli prorſus præter fideles admittebantur: nam neque Catechumeni, neque pœnitentes accumbebant; propterea quod jus communicationis & fraternitatis aut amiſerant, aut nondum eſſent conſecuti.

An verò ejuſmodi convivia à Philone deſcribantur, ut ait Divus Hieronymus, non crediderim facilè, quoniam negat in eis & ſervos miniſtraſſe, & vinum apponi ſolitum: utrumque tamen ex Euſebio & Tertulliano probatur. Euſebius libro. 4. ex epiſtola Lugdunenſium, & Vienenſium: *Accidit autem etiam ſervos comprehendi quorumdam ex noſtris Paganos, quoniam quidem publicè juſſum fuerat requiri omnes & teneri. Quique dæmonis inſtinctu, cùm tormenta pertimeſcerent, quæ inferri ſanctis videbant, monentibus ſe hoc in ipſum militibus, quibus ita fuerat præceptum, commenti ſunt adverſum nos, velut Thyeſteas cœnas, & inceſta Oedipia perpetrantes, & alia quæ nec proloqui, aut cogitare nobis fas eſt.* Per tormenta de ſervis Chriſtianis non quæſiſſent, ni epulis Chriſtianorum interfuiſſent. Plinius quoque eadem docere videtur: nam ex duabus ancillis dicit ſe inquiſiviſſe per tormenta, quid eſſet veri de ſacris, & conviviis Chriſtianorum. Denique Tertullianus, & Minutius aiunt, vinum accumbentibus præbitum fuiſſe, *bibitur quantum pudicis eſt utile.* Item, *hinc probatur quomodo biberit.* Itaque quæ de convivio,

quod Gentiles inſamarent, habent Patres, cùm ea omnia de Agapis, non de Euchariſtia accipienda ſunt, ut in Apologetico c. 7. 8. 9. & in fine 39. Priora enim de ſacris dicta ſunt. Item, cùm ait, lib. 2. ad Uxorem. *Quis ad convivium illud dominicum quod infamarent.* Ad Scapulam *quam inceſtam, quam crudelem nemo tanto tempore probavit.* De ſpectaculis c. 19. *ſi tales ſumus, quales dicimur, delectemur ſanguine humano*: quod non animadvertentes, plerique perperam de Euchariſtia explicarunt. Similiter quæ apud Minutium de inhumanis cibis, de infante farre contecto, quòd coëunt ſolemni die, & quæ hiſce objectionibus reſpondet Minutius, de Agapis neceſſe eſt intelligere, & apud Euſebium, Irenæum, & Juſtinum.

OBSERVATIO XIX.

De Fraternitate Chriſtianorum.

QVæ de Fraternitate Chriſtianorum apud antiquos Authores commemorantur, neminem reperies, qui ſe ignorare putet; cùm nulla ſit pagina quæ hujuſce affinitatis mentionem non faciat: verùm in hiſce tritis & vulgatis plerumque evenire ſolet, ut non ſatis intelligantur, quia plus ſatis cognoſci, & intelligi putantur, quod in hac re mihi videor obſervaſſe. Quis enim in Apologeticis non legit Chriſtianos fratres eſſe, totamque Eccleſiam Fraternitatem appellari? verùm hujuſce neceſſitudinis rationes, aut quo modo id juris acquireretur, quâve ex cauſa amitteretur, non tam facilè reperies, qui tibi explicet. A Tertulliano, & Minutio Fœlice, hujuſce conſanguinitatis cauſæ, hæ afferuntur, *qui unum Patrem Deum agnoverunt*: item: *qui unum ſpiritum biberunt ſanctitatis*: item, *qui de utero uno ignorantiæ, ejuſdem ad unam lucem expaverint ſanctitatis*: item, *ſic nos, quòd invidetis, fratres vocemus, & unius Dei parentis homines, ut conſortes fidei, ut ſpei cohæredes.*

Hæc amicitia religionis ſocietate tam fortiter erat conjuncta, ut Gentilibus ſuſpecta eſſet, eamque magno aliquo ſacramento aut myſterio contractam, & conjuratam eſſe crederent; *ut pro alterutro mori ſunt parati.* Ab hac ſocietate, non ſolùm arcebantur hæretici, Schiſmatici, Abſtenti; ſed etiam pœnitentes, & Catechumeni; qui omnes à cæteris fidelibus fratres non appellabantur, quòd ſcilicet neque ſui hæredes, neque jus ad hæreditatem Chriſti habere cenſerentur. Hoc jus fraternitatis in quadam bonorum, precum, meritorum, voluntatis denique, ac animæ conjunctione, ſocietate, & communione conſiſtebat, unoſquiſque pro facultate, & modo fortunæ cæteros libenter juvabat, neque erat quiſquam inter Chriſtianos ea tempeſtate, qui oſtiatim mendicaret, in ægrotis curandis, in viduis, captivis, & iis qui ad metalla, aut arenarias damnati eſſent, alendis, quantam diligentiam, quantam curam adhiberent? Puellis quæ tempeſtivæ viro ad ætatem nubendi pervenerant, ex publica pecunia dos adſignabatur, prorſus nullum officii genus prætermittebatur, omnia præter uxores, ut ait Tertullianus, illis erant communia. Si quiſpiam fratrum obviam fieret, ſi è longinquo rediret, ſi peregrè proficiſceretur, continuò ad amplexum, & ad oſculum currebant: mutua ſibi fratrum appellatione, & ſalutatione congratulabantur.

His legibus, atque his moribus, Eccleſia in eam quam videmus amplitudinem, & magnitudinem excrevit. Ex hac etiam conſuetudine & jure D. Polycarpi verba ad Marcionem clariora multò ac magis perſpicua evadunt: quem ut ſeſe vellet agnoſcere roganti, ferunt reſpondiſſe: *Agnoſco: primo genitum Satanæ.* ſatis ex facie, & conſuetudine notus erat D. Polycarpo Marcion, neque hoc petebat, ut ſe pro noto, & familiari intueri vellet, ſed cùm moris eſſet apud Chriſtianos hoc nomine ſeſe ſalutare, optabat plurimùm Marcion pro fratre haberi, & appellari à D. Polycarpo: quem cùm ab Eccleſia receſſiſſe, & novam ſectam inſtituiſſe ſciret, eum ſe pro fratre habiturum negavit, qui communem matrem deſeruiſſet: quod reſponſum in hanc conſuetudinem referas, non video quomodo convenire poſſit.

Cæterùm, quemadmodum hoc jure non utebantur, ita non niſi à lavacro Dei & Jeſu Chriſti filii nuncupabantur. S. Cyrillus Hieroſolymitanus in præfatione: *unius matris filii, & filiæ facti eſtis omnes quicunque hic nomina dediſtis.* in prima Catecheſi, *ad ingenuam adoptionis regenerationem pervenire.* D. Ambroſius lib. 5. de Sacramentis cap. 4. *Ex malo ſervo factus es bonus filius.* D. Cyprianus ad Pompeium, *qui filius Eccleſiæ non eſt, ut habere quis poſſit Deum patrem ante matrem Eccleſiam.*

Hoc loco collocandum mihi videtur quod obſervavi de Oratione dominica, nam ad idem argumentum pertinet. qua enim ratione iidem ipſi Catechumeni, neque fratres, neque filii Dei cenſebantur, eadem prorſus Deum patrem neque appellant, neque orationem dominicam, qua ipſius vocis ſignificatio continetur, antequam ſalutaribus aquis purgati eſſent, recitabant; indignum enim illis videbatur Deum Patrem eos invocare, qui nondum à diabolo manumiſſi, filii tenebrarum eſſent. D. Ambroſius ibidem; *Ergo attolle oculos ad Patrem qui te per lavacrum genuit, ad Patrem qui te per Filium redemit, & dic Pater noſter.* item, *Dic ergo & tu per gratiam Pater noſter, ut filius eſſe merearis.*

Hujuſce obſervationis confirmatio dubia non erit intuenti, quo tempore, & hora eandem ipſam orationem dicebant: nemo noſtrûm ignorat Catechumenos ab Eccleſia poſt primas conciones, & antequam ſacrificium celebraretur, ex templo receſſiſſe; neminem etiam latere puto, hanc orationem ad ſacrificium faciendum adhibitam fuiſſe; unde rectè ſequitur ne quidem eos in ipſius orationis recitatione interfuiſſe. At verò de hac oratione, quomodo ſcripſerunt Patres, aut quibus ſcripſerunt? neminem reperies, qui non eodem tractatu, eadem pagina, eodem denique loco & linea, de Euchariſtia ſimul cum ea ipſa orationo verba non fecerit: quod argumento eſt Catechumenos orationem illam non didiciſſe, neque recitaſſe, cujus explicatio, & cognitio eis occultabatur. Conſule D. Cyprianum de Oratione Dominica, Tertullianum in eodem libello, D. Ambroſium de Sacramentis, D. Cyrillum in catecheſibus, cæteroſque qui de eadem oratione commentarios reliquerunt, conjunctam ſemper utriuſque & Euchariſtiæ, & orationis explicationem reperies.

Addam quædam ex D. Cypriano in probationem ejuſdem obſervationis: *homo novus renatus, & Deo ſuo per gratiam ejus reſtitutus, pater primo in loco dicit.* item de eadem oratione verba faciens, *Et profiteatur ſe Dei filium, dum nominat Patrem ſibi eſſe in cœlis Deum.* item, *Nec hoc ſolùm fratres dilectiſſimi animadvertere, & intelligere debemus, quod appellamus Patrem qui ſit in cœlis, ſed conjungimus, & dicimus Pater noſter. id eſt eorum qui credunt, eorum qui per eum ſanctificati, & gratia ſpiritualis nati novitate reparati filii Dei eſſe cœperunt.*

Præterea ſi ab illa prima Eccleſiæ ætate ad poſteriora

ſteriora demum tempora deſcendamus, & hujuſce ritus & conſuetudinis veſtigiis inſiſtamus, nonne à D. Auguſtino monentur competentes illa homilia 42. quàm habuit feria ſecunda palmarum, orationem Dominicam ita ediſcere, ut eam memoriter Sabbato ſequenti & proximo poſt Baptiſmum reddere poſſent? *Accipite hodie quomodo invocatur Deus.* & pauló poſt: *tenete ergo, & orationem hanc quam redditurì eſtis die Sabbati noviſſimi quo baptiſandi eſtis.* Nonne in ordine Romano, & cæteris qui de ritibus Eccleſiaſticis, atque de divinis officiis ſcripſerunt, inter cæteros ritus reperies certis quibuſdam diebus quadrageſimæ Catechumenos orationem dominicam percepiſſe, ad eam ſcilicet Sabbato Paſchæ reddendam?

Poſſem etiam authoritatem ſeptimi Canonis eorum novem, qui in calce ſextæ Synodi Conſtantinopolitanæ ſupecti habentur, addere; ſed nullus eſt, ut puto, quin ex his quæ attulimus exiſtimet Catechumenos toto tyrocinii tempore, ac deſu ad Deum invocandum, & adorandum ea oratione uſos fuiſſe. Nam ſi tribus modo aut quatuor diebus antequam Baptiſmo purgarentur, ejus verba non dicam explicationem aut myſteria docerentur, nonne vinco orationem ipſam olim illis ignotam fuiſſe? atque ut eam tantùm memoriæ mandarent, paucos dies eis ante lavacrum creditam, non vero ut Deum antequam filii lucis eſſent, hac oratione interpellarent.

Denique ut hanc obſervationem concludam, eorum mihi nequaquam probatur ſententia, uti Vicecomitis lib. 3. cap. 16. qui exiſtimat ejuſdem orationis arcana & myſteria ante Baptiſmum expoſita fuiſſe Catechumenis, & competentibus; quod fieri potuiſſe mecum negabit, ſi animo repetat hæc verba, *panem noſtrum quotidianum*, ab omnibus penè de Euchariſtia explicari; cujus myſterii participes eſſe non poterant Catechumeni, ut ex eadem ipſa homilia 42. Divi Auguſtini nemini dubium erit: quam etſi verba orationis moneat eſſe diſcenda, paucaque de eorum explicatione & ſignificatione perſtringat, nihilominus ubi ex ordine ad illa *panem noſtrum* ventum eſt, eadem conſultò prætermiſit, fidelibuſque nota eſſe maluit dicere, quàm explicare: *norunt*, inquit, *fideles quid accipiant, & bonum eſt eis accipere panem quotidianum huic tempori neceſſarium.*

OBSERVATIO XX.

De Martyrum authoritate.

QUanti, amabo, debet eſſet hominibus ſanguis & crux Domini noſtri Jeſu Chriſti, cùm Deus in hoc, & altero ſeculo, tantam mercedem reponat us Martyribus, qui vel unam ſanguinis guttam profuderint, vel aliquas pœnas & cruciatus perpeſſi ſint. Antiquitùs Eccleſia nihil rarum, aut pretioſum habebat, quod non impertiretur Martyribus, de omni quaſi ejus jure, ac authoritate illi ſuccurrebant: etſi nullum ordinem, nullumve characterem haberent, tamen & ſolvebant, & ex laicis Epiſcopi, ſi non dignitate, ac munere, ſaltem poteſtate fiebant, eòque exiſtimationis apud homines pervenerant, ut plus propemodum authoritatis, & ponderis, quàm vel Preſbyteri, vel Epiſcopi haberent. Tertullianus: *Quid ergo? ſi Epiſcopus, ſi Diaconus, ſi vidua, ſi virgo, ſi Doctor, ſi etiam Martyr lapſus à regula fuerit:* ubi plus facere Martyres quàm Epiſcopos, & Preſbyteros, atque aliquid ſupra Epiſcopum addere videtur.

Canone 34 Concilii Laodiceni, tantam de eorum authoritate opinionem olim eos concepiſſe apparet, ut etiam ad falſos, & hæreticos conſugerent: *non oportet* (inquit Concilium) *omnino Chriſtianum derelictis Martyribus Chriſti abire ad falſos Martyres; hi enim alieni à Deo ſunt. Quicunque autem abire voluerit, anathema ſit.* Legimus in Concilio Eliberino Canone 25. *Omnis qui attulerit litteras confeſſorias, ſublato nomine Confeſſoris, eo quòd ſub hac nominis gloria partim concutiant ſimplices, communicatoria ei deinde danda ſunt littera.* Et in Concilio Arelatenſi primo can. 9. *De his qui Confeſſorum litteras afferunt, placuit, ut ſublatis iis litteris, alias accipiant communicatorias:* quorum etſi variæ ſint expoſitiones, nulla tamen eſt, quâ non intelligatur ſummæ eos in Eccleſia authoritatis fuiſſe.

Sed ne prolixiores ſimus, miſſum faciamus quanto in pretio fuerint, quibus laudibus ornati ſint, quæ omnia ediſcentur ex Patribus, & præcipuè libellis ad Martyres, Tertulliani de Pudicitiâ, de fugâ in perſecutione: & à Divo Cypriano epiſtolis 5. lib. primi, 12. lib. ſecundi. 4. 6. 25. lib. tertii, 1. lib. quarti, & de exhortatione martyrii. Veniamus tantùm ad eorum poteſtatem, quam quis faciliùs concipiet, ſi intelligat illis temporibus tales ſe in eccleſiaſtica diſciplina retinenda præſtitiſſe, ut nullius omninò (dummodo præcipiti morte non raperetur) culpa, niſi ab Epiſcopo, & expleto pœnitentiæ tempore tolleretur: at Martyres, ſi eſſent ſacerdotes, utrumque perficere poterant, & à culpa ſimul & pœna abſolvere; ſi verò tantùm eſſent laici, à pœnis, & ab ipſo tempore permultum diminuere poterant. Tertullianus, *quam pacem quidam non habentes, à Martyribus in carcere exorare conſueverunt.* Sed validiùs de Pudicitia: *At tu jam, & in Martyres tuos effundis hanc poteſtatem.* locutus præcedenti capite, & toto libro de poteſtate ſolvendi & ligandi, & de abſolutione peccatorum mortalium. Item, *ad metalla confugiunt, & inde communicatores revertuntur*, non poterant redire in communionem Eccleſiæ niſi abſoluti eſſent. Item, *Quis permittit donare quæ Deo reſervanda ſunt.* Explicat duobus his poſtremis capitibus, quod Deo reſervatum erat, nempe noxas mortales, proinde infert Martyres ea tempeſtate illas condonare potuiſſe. Item, *quis alienam mortem ſuâ ſolvit, niſi ſolus Dei filius?* Item, *proinde qui illam æmulans donando delicta.* Item, *ſi verò peccator es, quomodo oleum facula tua ſufficere & ſibi & mihi poterit?* Teſtimonia equidem nullo pacto refellenda, quibus convincitur, Martyres ſacerdotes purè & abſolutè culpas mortales remiſiſſe: atque in omnibus his locis, aliiſque etiam partibus, quamvis non ſit diſtinctum inter Martyres, Preſbyteros & laicos; tamen crediderim ſacerdotes pœnam & culpam, laicos verò pœnam dumtaxat & pœnitentiæ tempus remiſiſſe.

Veniamus ad D. Cyprianum, qui epiſt. 15. lib. tertii refert formulam, qua Martyres ſignificabant ſe lapſos abſolviſſe: *communicet ille cum ſuis*, quod ſatis oſtendit eos abſolutos fuiſſe cùm redirent: non potuiſſent aſſequi jus communicationis niſi abſoluti. In eadem epiſtola ait nonnullos ſacerdotes dare ſolitos Euchariſtiam lapſis, *ante manum ab Epiſcopo, & clero in pœnitentiam impoſitam.* quia videlicet à Martyribus abſoluti, & liberati erant: quod quamvis improbet, tamen interea docet nos, rei uſum vel abuſum talem fuiſſe ortum ex opinione, quam Eccleſia imbiberat de Martyribus, eorum magnam eſſe vim & poteſtatem. Epiſt. 16. idem dicit, ſed multò dilucidiùs epiſtola decima ſexta editionis Pamelii, & 22. ejuſdem editionis, *cùm benedictus Martyr Paulus adhuc in corpore eſſet, vocavit me, & dixit mihi, Luciane, coram Chriſto tibi dico, ut ſi quis poſt receſſionem meam abs te pacem petierit, des in nomine meo.* Et tractatu de lapſis: *Credimus quidem poſſe apud judicem plurimum valere Martyrum merita, & opera Juſtorum: ſed cùm judicii dies venerit.* Item, *ſi quis præpropera feſtinatione temerarius remiſſionem ſe dare cunctis*

putat poſſe, aut audet Domini præcepta reſcindere, non tantum nihil prodeſt, ſed obeſt lapſis. Id quidem damnat, ſed improbando, nihiloſecius declarat talem uſum fuiſſe, nempe recipiendi lapſum ſine ulla alia abſolutione, cùm Martyris commendatione niteretur; nam paulò ſupra dixit in eodem tractatu: *Ante purgatam conſcientiam ſacrificio, & manu ſacerdotis.*

Profertur epiſtola 22. editionis Pamelii, ad probandum non ſatis fuiſſe lapſis à Martyribus pacem obtinuiſſe, niſi per Epiſcopum reconciliarentur Eccleſiæ: tamen Divus Cyprianus hac ipſa epiſtola ſcribit Lucianum, nomine aliorum Martyrum ſcripſiſſe: *univerſis eos pacem dediſſe:* Idem, *& pacem quam ſemel cunctis à Martyribus, & Confeſſoribus datam clamitabant, confeſtim ſibi repræſentari coëgerint.* Idem, *pacem dari & peccata dimitti in Pauli nomine:* quæ certiſſima ſunt teſtimonia, Martyres id juris ſibi arrogaſſe, tolerante etiam Eccleſiâ. Fateor quidem Tertullianum primum negaſſe id juris & authoritatis eſſe Martyribus: fateor Divum Cyprianum contrahere in anguſtum poteſtatem Martyrum quantum poteſt: fateor quoque id ſublatum fuiſſe in Eccleſia circa tempora Divi Cypriani, aut paulò ante Nicænam Synodum, ut ex canone Concilii Laodiceni apparet, aliquid ex tanta authoritate Martyribus ſuperfuiſſe: ſed negari non poteſt uſque in illa tempora, eos quos protulimus locos, ſatis adſtruere tanto in precio Eccleſiam habuiſſe Martyres, ut quicquid feciſſent, rectè & ordine factum, quicquid remiſiſſent, rectè remiſſum arbitraretur.

Eſt *Aurora conſurgens*, quæ ſemper augetur & perficitur, ſemper naſcitur, ut quod uno tempore receperit, in altero conſultò rejiciat. Perſcrutanti mihi quamobrem & quo fundamento nixa eſſet illa Martyrum authoritas, quamvis laici, & non ſacerdotes eſſent (nam epiſtola illa 27. dictum eſt, Aurelium cujus nomine litteræ Lapſis dabantur, ſcribere neſciviſſe, *quod litteras ille non noſſet*) non aliæ efficaciores occurrunt rationes, quàm quas affert Tertullianus de Pudicitia c. 22. prima quod tantum Martyris meritum eſſet, ut aliis peccatoribus communicari poſſe in ſatisfactionem delictorum crederent: *Si verò peccator es quomodo oleum faculæ tuæ ſufficere, & tibi & mihi potuit?* Altera quòd exiſtimarent Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum peculiari quodam modo Martyribus ineſſe & inſidere, unde abſolvendi authoritas illis emanaret: *Si propterea Chriſtus in martyre eſt, ut mœchos & fornicatores Martyr abſolvat.*

Cæterùm, ex ipſis D. Cypriani verbis conjecturam facio, Martyrum commendationem nulli penitus, niſi poſt eorum mortem profuiſſe; id eſt, ſi quis veniam à Martyre impetraſſet, cum Eccleſiam neque recepiſſe, neque ad communionem admiſiſſe, niſi poſt mortem ejus Martyris à quo liberatum eſſe jactabat: epiſtola 14. libri tertii: *Ante ipſum penè martyrum exceſſum communicent cum lapſis, & offerant.* exceſſus enim, & excedere pro morte uſurpantur à Divo Cypriano epiſtola 13. *ſufficiat multos illic ex fratribus noſtris annis iſtis ſuperioribus exceſſiſſe ſine pace. vel cæteris ſubveniatur qui ſuperſunt.* epiſtola 7. libri ſecundi, *poſt exceſſum nobiliſſimæ memoriæ viri Fabiani.* Eos igitur increpat, qui antequam Martyres è vita migraſſent, eorum petitioni ſatisfacerent, atque lapſos ea pace quam ab iiſdem Martyribus acceperant, frui finerent. Epiſtolæ 22. Pamelii verba quæ paulò antea protulimus, in hanc conjecturam deducere videntur: *Cùm benedictus Paulus Martyr adhuc in corpore eſſet, vocavit me, & dixit mihi Luciane coram Chriſto tibi dico, ut ſi quis poſt receſſionem meam abs te pacem petierit, des in nomine meo.* Fatetur Lucianus, quamvis in carcere detineretur, non ſuo, ſed Pauli nomine peccata condonare. Item epiſtola 23. ejuſdem editionis, *ut manu ejus ſcripto libelli gregatim multis nomine Pauli darentur.*

OBSERVATIO XXI.

De Martyribus, Confeſſoribus, Extorribus, Libellaticis, Thurificatis, Sacrificatis, Blaſphemis, & Lapſis.

Etſi omnia hæc nomina, quæ Chriſtianis, ob odia Gentium, perſecutiones, & proſcriptiones, indita ſunt, cunctis penè nota ſentiam, uno tamen intuitu ea omnia complecti poſſe, atque diſcrimen eorum intueri, non injucundum fore putavi. Confeſſoris, & Martyris nomina, & gloriam merebantur, qui in tuenda fide & religione Chriſtiana pœnam aliquam ſubierant, etſi Martyres ii ſolùm verè ſint exiſtimandi, qui morte, aut aliqua leviori pœna mulctati, Confeſſores verò qui ante Magiſtratum conſtituti, nomen, fidemque Chriſti conſtanter, & impavidè profeſſi fuiſſent. Extorrium duo erant genera, quidam ob religionem & fidem Chriſtianam in exilium pellebantur: Alii verò ſecedebant, ut ſe ſe periculis ſubducerent, & tormentis, in quibus deſpondebant ſe animum invictum, & propoſiti tenacem retenturos.

Cæterùm hos aliquando reperies objurgari à Divo Cypriano, interdum etiam laudari. Cujus rationem non aliò referes, quàm ad temporum ſtatum, & conditionem. Nam initio perſecutionum, ut cæteris animos ad mortem pro Chriſti nomine obeundam augerent, puſilli animi & infracti eſſe in perſecutione fugere clamitabant: ea verò ingruente, nulli vitio dabatur, quoquo modo fidei vitæque ſuæ conſulere. Ita factum eſt, ut l. 2. epiſt. 5. habeatur *nec Extorribus quæ oportuit objurgatio,* quos tamen tractatu de lapſis ſtantes appellat, & in illo triumpho Martyrum quem repræſentat, ovantes eos in Eccleſiam poſt Martyres triumphantes, inducit. De Thurificatis, Lapſis. Sacrificatis non dubitatur. De Blaſphemis nihilo magis, quos Gentiles abjurata fide, probra inſuper & convicia in Chriſtum conjicere compellebant, ut refertur à Plinio, *ut maledicerent Chriſto.*

Qui verò ſint *Libellatici* quæſtionis eſt: Card. Baronius anno Chriſti 253. rem ita explicat: *At colligitur ex iis non ſic Libellaticos eſſe dictos, ut multi putant quòd libellum offerrent magiſtratui, quem potius ab eo acciperent.* & paulo inferiùs: *tamen aliqua per ſe, vel per alium edita profeſſione fidem negaret, ne verò ſicut cæteri, traheretur ignominiosè ad aram, id pecunia redimebat.* Idem, *dicimus Libellaticos non eſſe ejuſmodi, ut pretium ſolverent, ne cogerentur negare, ſed negaſſe eos Chriſtum: verùm, nec palam, ut alii offerre ſacrificium vel libamina cogerentur, ſpopondiſſe pecuniam;*

Duo tamen, inter legendum Libellaticorum genera mihi videor deprehendiſſe: Primum eorum qui in carcere conſtituti pœnas quæ de Chriſtianis ſumebantur, quoquo modo effugere, quàm ſubire malebant; & ut id conſequerentur, Libello affirmabant ſe neque eſſe, neque Chriſtianos fuiſſe. de his eſt mentio apud Divum Cyprianum tractatu de Lapſis: *Qui etſi nefandis ſacrificiis manus non contaminaverunt, libellis conſcientiam polluerunt.* ep. 5. l. 3. *vel nefandis libellis nihilominus conſcientiam polluiſſent.* epiſt. 4. l. 1. *Baſilidem, & Martialem libellis idololatriæ maculatos.* Ibidem, *Actis publicè habitis, apud Procuratorem Ducenarium obtemperaſſe idololatriæ, & Chriſtum negaſſe conteſtatus ſit.* epiſt. 7. l. 2. *illicita nefariorum libellorum profeſſione prodiderunt.* epiſt. 3. l. 1. *vel ſacrificio, vel libello eſſe maculatum.*

Porro, hos Libellaticos non exiſtimarim pecunia judices corrupiſſe, neque libellum ab eis accepiſſe. nam quid amplius ab eis, exuta fide,

deſiderari poterat ? Divos Cyprianus ad Demetr. *Torqueri enim debui, ſi negarem.* Tertullianus: *Abſolvimur negantes, quia nominis prælium eſt.* Idem: *Chriſtianum hominem omnium ſcelerum reum cogis negare, ut abſolvas.* Idem: *Cæteris negantibus adhibetis tormenta ad confitendum, ſolis Chriſtianis ad negandum.* Idem: *Vociferatur homo Chriſtianus, ſum quod eſt, dicis, tu vis audire quod non eſt.* Et quamvis, ut ex Plinio cognoſcitur, mutata religione, Diis nihilominos bbare cogerentur, ſæpius tamen expugnata fide dimittebantur. Satis præterea firmum non videtur, qood ait Baronius, eos ne palam ſacrificarent, pecuniam obtuliſſe: nam de Baſilide Libellatico habetur 10 D. Cypriano: *Cum actis publicè habitis, obtemperaſſet idololatria.*

Libellaticorum aliud in eodem Divo Cypriano genus obſervabis, epiſtola ad Antooianum. Hi enim ubi pecuoiâ judicis animum tentari, atque commoveri poſſe ſentiebant, mox Chriſtianos ſe eſſe noo dubitabant fateri, & ob banc cauſam ſibi non licere idolis ſacrificare; rogare ne vi neve tormentis ad id facieodum inducerentur, pecuniam ut libellum obrioereot, quo ſe ſe in poſterum in libertatem vendicarenr, liheorer offerre: *Cum occaſio libelli fuiſſet oblata, quem nec ipſum acciperem, niſi oſtenſa fuiſſet occaſio, ad magiſtratum veni, vel alio eunte, mandavi Chriſtianum me eſſe, ſacrificare mihi non licere, ad aras diaboli me venire non poſſe, dare me ob hoc premium, ne, quod non licet, faciam.* Idem in eadem epiſtola: *& pejor ſit mœchi, quàm Libellatici cauſa, cum hic neceſſitate, ille voluntate peccaveris, hic exiſtimans ſibi ſatis eſſe, ſi non ſacrificaveris, errore deceptus ſit.* De Libellaticis igitur eſt mentio, qui neque Chriſtum negaverant, neque ſacrificaverant: nam mœchi cauſa pejor non eſſet ejus Libellatici, qoi Chtiſtum negaſſet, aut ſacrificia feciſſet.

Ex his utroſque Libellaticos licet inter ſe conferre, & utriuſque diſcrimen ex hac comparatione deprehendere: dixit illos Chtiſtum ejuſque religionem & fidem repudiaſſe; hos verò ſe Chriſtianos facere & fateri: pecuniâ ſeſe præterea liberaſſe, illos verò pecuniam obtuliſſe non reperies: eorumdem etiam ſcelus & ſacrilegium multis verbis execratur; bos verò ait non tam crimine, quàm errore deceptos eſſe, qui ſi Chriſtum oegaſſent, nequaquam eos errore, non crimine, deceptos fuiſſe dixiſſet: fatendum igitur oeceſſe eſt Libellaticorum duo fuiſſe genera.

OBSERVATIO XXII.

De Sacerdotio gentilium.

DE Ethnicorum Sacerdotio aliquid io hiſee notis ſcholiiſque inſerere, non alienum, neque inutile erit: non eo quidem conſilio, ut ritus omnes, ceremoniaſques perſcrutemur; ſed ut canonum quorumdam explicatio illuſtrior multò exiſtar, quorum vis, intelligentiaque quamplurimos interpretes effugit: cujus rei perficiendæ cauſâ primùm illud obſervandum erit, Chriſtianos cùm omnes falſorum Deorum cultus, anileſque ſabulas non ignorarent, eò tamen flagitiosè progreſſos, ut Sacerdotia Gentilium ambitioſa quadam penſatione nundinarentur. Deinde, non omittemus oculis ſubjicere edicta illa, & rationes quibus Eccleſia vetuit ne dignitatum illi gradus expeterentur. Tertiò quantùm erit in oobis, conaitemur ex his quæ dicta erunt afferre lucem quibuſdam canonibus, quorum alium fuiſſe ſenſum, ac ſententiam, ac antiqui Patres cenſerent, plerique judicarunt.

Gab. Albaſpin. Obſervat. lib. 1.

A Trium rationum momentâ quædam impellebant Chriſtianos ad Sacerdotii Ethnicorum petitionem: Primùm ambitio, cujus incenſa cupiditate conflagrabant homines ætate florentes. nihil enim æquè, cùm Romæ, tum in aliis Provinciis, ad conſequendos honores, authoritatemque, & nominis exiſtimationem comparandam valuit, ac ludorum quorumdam apparatus & magnificentia, quòd eorum commiſſio, populi gratiam animoſque conciliaret: iis autem in provinciis, & municipiis flamines præſidebant, nonnunquam etiam eos populo, ſuis ſumptibus exhibebant: ad civium ergo benevolentiam eo genere obſequii devinciendam, non pauci Chriſtiani ſpreta religione incitabantur, ot ejuſmodi honorum gradus, &

B flaminium ſibi deferri vehementer poſtularent, quò faciliùs editione ſpectaculorum, & ſcœnæ pompâ maximâ, imperitæ multitudinis applauſum, & acclamationem promererentur. Id perſpici poteſt ex L. onica 4. tit. 61. libri. 10. Cod. in qua, rogatione interpoſita, ſumptus neceſſarios & liberales qui ad ludorum commiſſionem requirerentur, ſe ſuppeditaturum Parens quidam profiteretur, modò ſibo ad Sacerdotium venire liceret. *Si de proprio ſuo patrimonio muneris editionem tuo nomine pater tuus promiſerit, ideoque etiam ſacerdotem te creari impetravit, onus erogationis commune omnium hæredum ejus eſſe, Præſes Provincia non ignorabit.* Verùm id ita eſſe facilè crediderint, qui tempore Tertulliani didicerint

C Chriſtianos, qui idola fabricarentur, extitiſſe: *adleguntur in ordinem eccleſiaſticum artifices idolorum.* quin tempore Siricii, & Innocentii non deerant, (quamvis otio & tranquillitate maximè Eccleſia frueretur, rerumque publicarum munera à Chriſtianis hominibus adminiſtrarentur,) qui ad impia illa ſacerdotia provehi ſe cuperent, eorumque officio fungerentur. Siricius Epiſcopo Tarraconenſi. c. 5. *De iis verò, qui acta pœnitentia, tanquam canes, ac ſues ad vomitus priſtinos & volutabra redeuntes, & militia cingulum, & ludicras voluptates.* Innocentius epiſtola 4. c. 3. *De Curialibus autem manifeſta ratio eſt, quoniam, & ſi inveniantur hujuſmodi viri, qui debeant clerici fieri.* Item epiſt. 24. c. 4. *Neque*

D *de Curialibus aliquem ad eccleſiaſticum ordinem venire poſſe, qui poſt Baptiſmum, vel coronati fuerint, vel ſacerdotium, quod dicitur, ſuſtinuerint, & editiones publicas celebraverint.*

Secundò, metu quandoque perculſi aliquo cogebantur obire illa ſpectaculorum ſeu ludorum munia, ne ſi id facere detrectarent, pro Chriſtianis haberentur: ætate namque & opibus florentes, ſi ea pro nihilo habuiſſent, in ſuſpicionem veniſſent Chriſtianæ fidei, & religionis admiſſæ: accedit & illud, exerceri illa potuiſſe munia, etiamſi ſacrificium nullum feciſſent, ut planum eſt, can. 55. Concilii Eliberini. Quare Eccleſia cùm videret homines mortis oppetendæ propoſito horrore magnopere commoveri, in eos non

E ita graviter animadvertere conſueverat, quamvis munera illa non defugiſſent, modò ab omni ſacrificio, manus oculoſque cohibuiſſent; eamque ob cauſam eodem in Concilio non duriùs quicquam ſtatuendum in illos judicat, qui domi ſuæ idola reſervarent, modò ab eorùm adoratione, atque cultu abſtinerent, atque ea ſuis ex ædibus deturbare non poſſent, quin à ſervis judicibus deferrentur, & detegerentur, can. 41. *Admonere placuit fideles, ut quantùm poſſunt, prohibeant, ne idola in domibus ſuis habeant; ſi verò vim metuunt ſervorum, vel ſeipſos conſervent, ſi non fecerint, alieni ab Eccleſia habeantur.*

Tertio, ratio illa afferri poteſt, quæ Chriſtianis

eam vim afferebat, ut illa quaſi munera, officiaque non recuſarent, quod ſacerdotia illa erant munera patrimonialia, ut aiunt Juriſconſulti, à quibus Curiales non poterant excuſari. Quare Chriſtiani quocumque locorum, aut gentium conceſſiſſent, ſi eſſent Curiales, aut fortunæ ampliſſimæ, ſuſtinere illa munera cogebantur, aliter ad eos bona illa omninò tanquam hæreditates perveniſſent, qui illorum vicem in adminiſtratione eorum munerum ſubiiſſent. Sacerdotium autem fuiſſe quoddam officium, ceu munus patrimoniale, probatur lege 8. tit. 41. l. 10. Cod. *Nec protoſtaſia vel ſacerdotii, vel decaprotia, munera corporalia ſunt, ſed tantùm patrimonii eſſe non ambigitur.* In quam legem Cujacius hoc habet: *Sacerdotium autem interpretor, veluti Alytarchiam, Aſiarchiam, Syriarchiam, Phœnicarchiam, quo qui funguntur, ludis præſunt in honorem Deorum inſtitutis, cum ſumptu aliquo.* Idem auctor in l. Unicam de mulieribus, in quo loco Cod. ait: *Sacerdotium Provinciæ munus patrimoniale eſt, veluti Aſiarchia, nam qui eo fungitur, ſumptu ejus eduntur certamina, & ludi in honorem Deorum*: & obſervat. lib. 5. c. 15. aſſerit: *inde ſacerdotium ipſum, Alytarchia dicitur, ea forma qua & Aſiarchia, & his ſimilia ſacerdotiorum nomina, & flaminum.* Præterea quæ narrat Cujacius, magiſtratus & ſacerdotes ſolere ſpectacula ſeu certamina edere, ſuccurrunt & alia teſtimonia l. 1. Cod. Theod: lib. 15. tit. de ſpectaculis. *Magiſtratus, & ſacerdotiorum editiones, quæ aut in civitatibus, aut certè in his debent exigi, quas delegit antiquitas.* Tertullianus de ſpectaculis: *Quis tibi Prætor, aut Conſul, aut Quæſtor, aut Sacerdos de ſua libertate præſtabit?* Munera verò patrimonialia ab unoquoque ſuſtineri oportere plurimæ leges teſtantur. 1. tit. 41. lib. 10. Cod. *Civilia munera per ordinem, pro modo fortunarum ſuſtinenda ſunt.* Ubi Cujacius ait: *Et non omnia, ſed patrimonialia, ut apparet*, ex l. 2. ejuſdem tituli: *Munera quæ publicæ utilitatis causâ indicuntur, ab omnibus ſubeunda ſunt*: & aliis omnibus legibus illius tituli, apparet ab ejuſmodi muneribus neminem liberum ſolutumque videri. Cùm igitur Chriſtianus ſuo quaſi ordine ac per vices, illius in quo commorabatur loci, deſignari flamen aut ſacerdos deberet: tametſi illa renunciatio, creatioque ſuæ religioni fideique repugnaret, cogebatur eam oblatam admittere, ejuſque perinde ac aliorum munerum, procurationem capeſſere. Ex his verò locis quos ex D. Innocentio dedimus, ſatis conſtat Curiales ab ordinibus Eccleſiaſticis prohibitos, quòd quibus in locis Curiales eſſent, inde digredi iis non liceret, ſuæque Reipub. ac publicorum munerum habere eos rationem oporteret: nec quæ in iiſdem locis ex præſcripto, inſtitutoque legum præſtanda eſſent, negligere; cùm autem ex iis locis quorum Curiales erant, demigrarent, eò poſtliminio reverti neceſſe erat, quamvis in ordines ſacros adlecti eſſent: quæ cauſa eſſe poteſt, cur Patres præcisè & aſſeveranter Curiales ad illos ſacros ordinum ritus accipiendos, urgeri, aut admitti non oportere arbitrarentur; quia eo honore affecti, adigi poterant, ut eò unde deceſſerant, quòd ibi Curiales eſſent, redirent, atque adeo Provinciis publicis defungerentur: in quorum numero ac recenſione, (ut non dubiè, neque obſcurè apud Sanctum Innocentium videbis) Sacerdotia, flaminia Paganorum, ludique publici committebantur, quo tempore nullum genus idololatriæ peccatorumque ac flagitiorum prætermitti ſoleret.

Illud autem perpendendum eſt, totum illud de A quo agimus, munus uſurpari ſolitum, tum, cùm Imperatores Chriſtiani Imperii clavum tenerent, Eccleſiaque compreſſis perſecutionum procellis conquieſceret. Illudque mirum videri debet, ſi quis ſe tali munere abdicare voluiſſet, deſiderio quodam incenſus vitæ aſperioris intra clauſtra religioſæ familiæ, aut etiam in deſerta aliqua religione, ac ſolitudine traducendæ, cogi potuiſſe, ut ad ſuam illam urbem, quo publica illa munera exerceret, volens nolens reverteretur, lib. 26. tit. 32. 10. Cod. *Quidam ignaviæ ſectatores, deſertis civitatum muneribus, captant ſolitudines ac ſecreta, hos igitur atque in hujuſmodi deprehenſos erui latebris conſultâ præceptione mandamus, atque ad munia* B *patriarum ſubeunda revocari.* Sacerdotia igitur Gentilium in Provinciis, earumque civitatibus erant munera patrimonialia, à quibus ſe vindicare nemo cùm poſſet, pro ratione facultatum, ac divitiarum ſuo ordine ad illa obtinenda, gerendave aſſumebatur: quemadmodum prima illa lege tit. 41. decernitur.

Quæ apud Euſebium de quodam Aſiarcha leguntur, ad rem pertinet hoc loco referre. Cùm igitur ſancto Polycarpo mors eſſet obeunda, Philippus quidam Aſiarcha, ſacerdoſque Epheſi cùm eſſet, Sacerdotii ſui exacto expletoque tempore, poſtulanti turbæ leonem, ut in Polycarpum immitteret, reſpondiſſe fertur munus ſe dediſſe, quod apparere debuerat, eoque ſe poſthac liberum, ſo- C lutumque munere videri: *His dictis ſuccelamabant, & à Philippo Præſide Aſiæ petebant, ut Polycarpo leonem immitteret, quibus ille reſpondit, non hæc licere ſibi, eo quod munus venandi jam adimpleſſet*: ubi verbum, *Munerario*, pro *Præſide Aſiæ ſubſtituendum*. Quod Ἀσιάρχης non Præſidem, aut Principem, ſed Sacerdotem Aſiæ, & Munerarium ſignificet, eumdemque qui *ludos præſtat ſuis ſumptibus*, Ita vertit Rufinus, & Cujacius in legem primam tit. 62. l. 10. Cod. obſervavit, cui cùm Rufini explicatio, verſioque hanc lucem attuliſſet, qui ita hoc verbum Ἀσιάρχης Munerarium expoſuit, excogitavit, ſed acutè & ſolerter meo judicio, non rejiciendam emendationem Actorum Apoſtolorum c. 19. Nam cùm in or- D dinaria & vulgata legas, *quidam ex Aſiæ principibus*, contendit reponendam eſſe; *ſed quidam Munerariorum*, & ſanè correctio illa non levibus, nec infirmis rationibus corroboratur: nam qui tandem Principes in Aſia eſſe poterant, cùm in Romanorum poteſtatem, ditionemque longè antea tota ceſſiſſet, & ad Provinciæ formam eſſet redacta? Quòd ſi qui principem locum Epheſi occupant, Principes Aſiæ dicuntur; quæ tandem ea de re afferri ratio poteſt, aut cur unius ſingularis urbis Principes, non modò civitatis, ſed & totius Provinciæ, quæ ex variis plurimiſque conſtabat provinciis, Principes nominabantur. Et quanquam non mihi dubium ſit, quin, ut ex Cicerone didici, in Aſia Magiſtratus de rerum pu- E blicarum ſtatu in theatris deliberarent, ipſaque theatra non modò publicis ludis locum, ſed etiam ſenatorio ordini præberent; veriſimilius tamen eſt, qui è theatro ſe commoverat, ut D. Paulum moneret, quò minus in theatrum ſe daret, fuiſſe paganorum ſacerdotem, & Munerarium, qui tum ludos edebat, non autem magiſtratum; quandoquidem locus ille Euſebii in verſione Rufini, non mediocriter hanc explicationem ſubl. vet. Sed ut ad ea quæ probata jam ſunt, iterum gradum faciamus, locus ille D. Hieronymi in vita ſancti Hilarionis, quod diximus, tuetur, & confirmat Chriſtianos cogi ſolitos ea munera patrimonialia obire, quibus ludi, & ſacerdotia Ethnicorum continebantur: *Sed & Italicus ejuſdem oppidi muni-*

ceps Chriſtianus ; adverſum Gazenſem Duumvirum Marnæ idolo deditum, Circenſes equos nutriebat, venit ad beatum Hilarionem, cùmque ſubrideret, cur enim non magis equorum pretium pro ſalute animæ tuæ pauperibus erogas? ille reſpondit functionem eſſe publicam, & hoc non tam ſe velle, quàm cogi. Chriſtiano quidem nihil optatius fuiſſet, quàm ut ipſi liceret non profundere pecuniam ad illos ludos faciendos, & ad multitudinem Etnichorum tali lenocinio delioiendam, ſed de conſilio ſententiaqoe optimi Patris ad inopum & egenorum inopiam ſuſtentandam; ſed reſpondet ſe ad id præſtandum compelli, quòd bona quæ à parentibus hæreditario jure acceperat, iis ſcilicet muneribus publicis obeundis, & ludis coram populo exhibendis tenerentur.

Extra verò controverſiam & illud eſt, pro poteſtate imperioque Eccleſiam vetuiſſe, quò munia Chriſtiani ambirent, aut ſuſtinerent ſacerdotia Ethnicorum, canonibus id conteſtantibus, quibus eos qui iis functi fuiſſent muneribus, mulctam irrogatam legimus, ut can. 2. 3. 4. & 55. Concilii Eliberini. Quanquam autem nulla lex eſſet, quæ id prohiberet, aut pœnâ aliquâ comprimeret, certum tamen, & omnino planum eſt horum munerum actiooem, ſeu adminiſtrationem magnopere Chriſtianæ religioni adverſatam fuiſſe, quòd ea exerceri omninò non ſine execrabili idololatriæ crimine poſſet. Neque verò proferendus eſt canon ejuſdem Concilii 55. qui noo ita graviter, & atrociter paganorum ſacerdotes incuſat, punitque, cùm non niſi ad biennii pœnitentiam perfereodam in eo adigantur. Nemo aotem neſcius temporibus illis lethalem noxam vigioti aut triginta annorum perpeſſiooe ſeu pœoitentia caſtigatam, unde non à quoquam mortiferum committi poſſe peccatum Patres illi antiqui exiſtimabant, ſi ſacerdotem ſe, aot flaminem Paganorum ſiviſſet renunciari, cùm oon tanquam capitalia, quæ dixi, peccata illa duo ponirent. Reſpondebo, canone illo, eos deſignari, quos neceſſitas quædam impuliſſet, ut impoſitam iſtam flaminis provinciam detrectare non poſſent, vel qui, cùm fortunis opibuſque abundarent, oblata mandataque ſacerdotia, quæ erant munera patrimonialia ſubterfugere non poterant: vel quia ad illos honorum gradus aſcendiſſent, ut ex hominum animis, fidei Chriſtianæ qoam profiteri coràm non audebant, ſuſpicionem opioionemque evellerent. Eccleſia autem tanquam optima & indulgentiſſima mater, cùm illa duo quæ propè vim afferebant, perpenderet, non in eos quicquam durius ſtatuendum ducebat; modò non idolis immolaſſent: neque quicquam quo delatus quidam illis honos diceretur, obtuliſſent. Quemadmodum eodem conſilio non graviori ſeveritate Eccleſiam eſſe uſam, videns in eos, qui intra privatos parietes idola reſervarent, modò iis non adolerent: neque ea alio, ſine aperto vitæ diſcrimine, aut ſine manifeſta nominis Chriſtiani delatione quam reformidabant, exportare liceret.

Locus ex. Papian.

Reliquum eſt, ut ex iis quæ attulimus, explicationem eruamus quatuor Canonum Concilii Eliberini, & locorum quorumdam, quæ ex ſancto Innocentio citavimus. Verùm quo apertior, planiorqoe fiat res ipſa, poſtulat, ut hoc loco commodiore alia explicatione refellamus: ad quod præſtandum, invitus ſanè, ac omnino propè reluctando accederem, quòd præſertim apud Baronium ea reperiatur, qui ſit optimè de Chriſtiana religione meritus; cùm quamplurima denſiſſimis ſempiternoi quaſi ſilentii demerſa, ſepultaque tenebris, in lucem evocarit, ut ejus ſingularem admirari eruditionem potius liceat, quàm ut quiſquam eum reprehendat. Sed cùm nihil æquè, ac Eccleſiæ veteres ritus, mores, & diſciplinam explanare, & eruere nos oporteat, nihil detrectandum eſt, ut antiquis conſtitutionibus lucem aliquam afferamus, numero 40. 41. 2. 3. 4. anni Domini noſtri 305. canones illos exponit, ac ſi contra lapſorum cauſam confecti eſſent, nec flamines ferme à lapſis diſtinguit, quales à Divo Cypriano, & ab aliis ejuſdem temporis authoribus depinguntur; quin etiam ſibi perſuadet ſanctum Innocentium, cùm ipſe antiquarum conſtitutionum vim, ac ſeveritatem excuſaret ac emolliret, voluiſſe intelligi, & verba fieri de illo coofilio, conſtitutionemque ſecundam ſancti Inoocentii ad Epiſcopum Toloſanum eſſe contra lapſos qui Chriſti fidem deſeruerant præſcriptam. Ad extremom in 3. caoone opinatur verbum illud, *Munera*, accipi pro pecunia, quam ut ſe aliquis lapſus immolationis metu liberaret, obtulerat: omnia tamen illa, non conſentanea, imo contraria canonum illorum ſententiæ videri. Primùm enim quantum intervallum interjectum eſſe putas inter flamines illos, quorum in his canonibus facta eſt mentio, & lapſos. Lapſi enim Chriſtiani ſunt, & judicio omnium tales exiſtimantur, quos vis ſuppliciorum, aut metus coëgit ad immolandum Diis, & ad Chriſtum ejurandum. Flamines autem de quibus eſt mentio in Concilio Eliberino, pro Chriſtianis non habebantur, imò ad illa munera capeſſenda animum adjiciebant, deſiderio quodam diſſimulandæ & occultandæ religionis in Chriſtũ: ſive quod divitiis affluerent, ad eorum publicorum munerum adminiſtrationem ex ordine procuraodam, taoquam miniſtri, ſacerdoteſque ſacrificiorum accedere cogebantur. Illos enim Ethnici, ut veros legitimoſque idolorum ſacerdotes, oon ut Chriſtianos nominabant; atque hoc eſt flaminum, & lapſorom diſcrimen, veluti Apoſtatarum oomen, ſeu appellatio non propriè cadit in lapſos, tametſi religionis eſſent deſertores. Illam namque oon cujuſquam impulſu, aut tormentis coacti, ſed ſuapte ſponte tum cùm ſummo otio Eccleſia frueretur, neque ad id ſcelus mortis metu inſtigarentur, pernegabant. Quod autem ad conſtitutionem ſecundam epiſtolæ ſancti Innocentii ad Epiſcopum Toloſanum attinet, non illa quidem ad horum canonum ſeveritatem magis reſpicere potuit, quàm ad totius Eccleſiæ diſciplinam, quæ prioribus illis ſeculis, non ſolùm à communione, id eſt, abſolutione, gravia crimina in perpetuum removebat, ſed vix jus penitendi eis indulgebat: in ea enim cooſtitutione, ne verbum quidem de flaminibus factum: ſed quæſtio quæ dijudicatur ab Innocentio in ea conſtitutione ejuſmodi eſt, nimirum, quid faciendum ſit iis, qui poſt Baptiſmum propter vitæ flagitioſæ rationem, quam ad mortem uſque produxerunt, excommunicati fuiſſent, ſi in periculum vitæ adducti, communionem & pœnitentiam ſibi concedi efflagitarent. Divus Innocentius reſpoodet per veteres leges communionem in morte, non autem pœnitentiam illis adimi: legemque hanc ſeveram quidem, ſed juſtam & neceſſariam pro ratione temporis videri. Nam ſi ejuſmodi hominum generi perfacilè Eccleſia peccatorum relaxationem, & communionem impertiiſſet, lapſis ſine dubio, eandem beneficentiam negare non potuiſſet, quorum magna vis, ac multitudo, tali præſertim tempore, cerneretur, cùm ubique ad necem & ſupplicium Chriſtiani quærerentur: atque is eſt, meo judicio ſenſus illius canonis ſancti Inooceotii, quo ad hunc modom explicato, non potuit illos Eliberini canones, neque eorum ſeveritatem reſpexiſſe. Nam ſanctus Innocentius non de lapſis diſputat, ut definitè quicquam de iis ſta-

A ruat, ſed ſolùm contendit diſciplinæ eccleſiaſticæ ſtatum eo tempore non tuliſſe, ut excommunicati reciperentur; ne lapſis ob eaſdem rationes veniam laxare cogeretur, quorum cauſa, conditioque multò æquior, juſtiorque, quàm aliorum eſſet futura, ob id maximè quod dicit Tertullianus: *Magis negat Chriſtum, qui delectatus; quàm qui vexatus amiſit, & qui cùm averteret doluit; quàm qui cùm amitteret, luſit.* Denique multò ante Concilium Eliberinum, de lapſis revocandis res erat expedita, & in Eccleſiam poſt pœnitentiam admittebantur. Quapropter ad alia tempora, & ad alias conſtitutiones referenda ſunt verba Divi Innocentii, quàm ad Concilium Eliberinum.

Ad extremum verbum hoc, *Munera*, quod in B tertio canone legitur, non potes explicare, ut ait, numero 44. *Sed quod non ſine aliqua animadverſione eum eſſe ſinerent, qui aliquo oblato munere, à neceſſitate ſacrificandi ſe redemiſſet.* Nam ibi, *Munus*, pro ludis publicis, qui populo dabantur, ſumitur, & quos antiqui deliniendæ plebis cauſa, & aliqua voluptate demulcendæ gratia, partim Romæ, aliiſque in locis inſtituerant, ut vulgò fertur, *Panem, & Circenſes.* Neque verò capi poteſt pro pecunia, quam flamines, ut ſe ſacrificandi munere liberarent, largiebantur: non enim hæc explicatio ullo modo congruere poteſt explicationi ſententiæque textus. Deinde quamobrem quæſo hominem, qui non immolaſſet, ad tam duram, & auſteram pœnitentiam ſubeundam ſen- C tentiâ ſuâ Eccleſia adegiſſet. Non ſum quidem neſcius eos non caruiſſe reprehenſione, ac vituperationis infamia, qui quò ſe à neceſſitate ſacrificandi redimerent, pecuniam numeraſſent. Imo & in eoſdem ſupplicium aliquod decretum fuiſſe conſtat. Sed tempore D. Cypriani planum eſt morem illum è medio ſublatum: idemque author Libellaticos excuſandos cenſet, qui pecuniam dederant, qui quidem Cyprianus, multò antequam Concilium Eliberinum extitiſſet, floruit. Quamobrem non video cur Patres iſtius Concilii, pœnitentiam differre, ac protrahere ad mortem ipſam voluiſſent eos, qui pecuniam aliquam quo minus ſacrificarent, profudiſſent; præſertim cùm canone 55. biennii pœnitentiâ molèſtarentur, ii qui Paganorum Sacerdotes fuiſſent, & ve- D ſtes coronaſque geſſiſſent. Mihi quidem videtur id quod can. 55. profertur in majori crimine ponendum, quàm quod canone tertio dicitur, eoſque qui ſacerdotio paganorum præditi in Capitolio, aliiſque in ſacrificiis ſacerdotalem veſtem, coronamque tulerunt, majori ſupplicio coërcendos eſſe, quàm qui pecuniam tantùm, ut tormenta, & cruciamenta vitarent, ſeque è ſacrificio eximerent, dederint. Unde colligi quidem illud verè poteſt, non eſſe hujus rei ſententiam, aliumque eſſe hujus canonis tertii ſenſum inveſtigandum: quò autem hæc explicatio apertior, illuſtriorque ſit, in tres claſſes dividi poſſe Chriſtianos judicaſſe Patres, perpendendum eſt: Chriſtianos inquam, quibus neceſſitas quædam impoſita E fuiſſet, ut ſacerdotium Paganorum ſuſciperent.

Prima claſſis eorum fuit, qui inviti & reluctantes ſacerdotium iniiſſent, ſed qui ejus curationem non attigiſſent, neque populum ludis oblectaſſent, neque Diis honorem ſupremo Numini debitum perſolviſſent. (demonſtravimus autem Sacerdotes ludorum ſpectaculis retinere plebem, & delectare ſolitos.) Ii autem can. 55. duorum duntaxat annorum pœnitentiâ caſtigantur quòd ad illa munera obeunda, & capeſſenda eſſent coacti, ne ſe Chriſtianos palam proderent, vel quòd bona quædam poſſiderent, quæ muneribus patrimonialibus obligata eſſent. Eccleſia ſagaciſſimè proſpiciebat, ad ea munera repugnanter admotos fuiſſe, proptereaque cum illis leniùs agendum eſſe.

Secunda claſſis eorum eſt, qui Flamines contra quàm volebant creari, & renuntiati fuiſſent, eoque ſacerdotio affecti, & ornati ludos fecerant: ſed qui à ſacrificio abſtinuerant. Patres iſtius Concilii can. 3. perpetuæ eos pœnitentiæ peragendæ addicunt, communione tamen illis in morte non erepta: hic eſt ſenſus, ſententiaque canonis tertii.

Tertia claſſis fuit eorum qui flamines, & ſacerdotes ſua ſumma voluntate ſe deſignari curarent, quique non ſolùm ludorum celebritate populum leniiſſent, ſed etiam thura Diis adoleviſſent. Patres eos ex vi canonis 2. excommunicationis perpetuæ fulmine percellunt: eoſdemque in morte communionis beneficio privant. Si cui horum trium canonum alius ſenſus atque intelligentia occurrerit, ex ejus ego laude præclari inventi, ſeu explicationis nihil decerpo: ego quidem hanc quam attuli, non à textu ipſo ullo modo diſcrepare, ſed & ſententiæ & judicio Patrum congruere, rebuſque illis quæ tum à Paganis temporum illorum, quibus Concilium illud indictum fuit, gerebantur, exiſtimo, quemadmodum in notis diximus, quas in illud Concilium protulimus.

Supereſt explicetur, & interpretatio proferatur quæ conſentanea ſit iis, quæ in ſecundo canone dicuntur, *ſi geminaverint ſcelera.* Quatuor fuiſſe ludorum genera nemo non audiit, Circenſes, rem ſcœnicam, Agones, & munera: quibus in omnibus Diis immolare mos erat, cùm illis ipſis ludi dedicarentur. In muneribus autem ſeu ſpectaculis, gladiatores mutuis ſe ſe vulneribus conficiebant, plurima cæde facta, ut populi ſpectantis oculi ſanguine paſcerentur. In ſcœnicis ludis, nullum genus impuritatis & libidinis prætermittebatur Tertulliano teſte: *Theatrum propriè Veneris ſacrarium eſt.* Item: *non theatrum, ſed & Veneris templum nuncupavit*: à quibus impuritatibus, quaſi à quodam fonte & ſeminario innumerabilium peccatorum, & vitiorum vis incredibilis profluxit, in quibus etiam floralia exhiberi & exerceri ſolita conſtat. Sacerdotes igitur, & Flamines, cùm populum ſpectaculis recrearent, tria in ſe peccata admittere poterant, Idololatriam, Homicidium, & Adulterium. ſacrificabant namque ipſo aditu, initioque ludorum in gladiatoria pugna, aut ſcœnicis ſpectaculis adulterio ſe, & homicidio polluebant, aut ſaltem authores ſe illorum ſcelerum conſtituebant, cùm ludorum illorum ſumptus ſuſtinerent, iiſque præeſſent.

Alia etiam ſuſtineri poteſt explicatio, in illis canonibus mentionem fieri illorum, qui non tantùm ſacrificaverant, ſed etiam præter idololatriam, privatim homicidia, & adulteria perpetrarant. Nam in 3. can. verba illa ad hunc torquenda ſunt ſenſum, nec cum priore explicatione ſatis conveniunt: *Ipſi ſi poſt pœnitentiam fuerunt mœchati.* quibus apparet Patres loqui de Flaminibus, qui ob flaminia & ſacerdotia ſuſcepta agerent pœnitentiam: quod ſi ita eſt, prior explicatio non admittetur; credibile enim non eſt quo tempore à ſe pœnitentiæ pœnas repeterent, Flaminum munera exercere, & obire voluiſſe, cùm ejus rei cauſâ pœnitentiâ ferirentur.

Canone autem ſtatui decernique ſentimus, ut pœnitentiæ locus ejuſmodi Flaminibus tribuatur, ſi pœnitentiæ tempore adulterari eos contingat, tum demum indignos cenſeri, qui in exitu abſolvantur, quod ludibrio quodam communionem & pœnitentiam habuerint, cùm quo tempore eos

pœniteret, peccarint. Quo in loco negotioque illud verbum, *poſt pœnitentiam*, quaſi obiter ponderandum eſt, ut dicamus id quoque non dici, aut ſignificare poſt peractam pœnitentiam, aut ſi Flamen ipſe, abſolutâ antè pœnitentiâ, in adulterium incurreret: nam cùm canon perpetuâ illum pœnitentiâ puniendum cenſeat, ejus non erat unquam pœnitentiæ finis aut modus expectandus: neque canon de illo pœnitente dicere poterat: *Si poſt pœnitentiam fuerit mœchatus*. ſed eſto hic ſenſus, ubi Eccleſia beneficium tribuerit, ut pœnitentiæ remedio ſeſe erigat, ſi in peccatum prolabatur: neque enim Eccleſia omni generi hominum eam impertiendam duxit; neque quiſque ſine ejus pręſcripto atq; imperio ea uti poterat. **B** Si igitur, Flamen admiſſus ad pœnitentiam quę ei data fuerat ob ludos populo datos, adulterio ſe ſe pœnitentiæ tempore contaminatet, is per Eccleſiam cōmunionis beneficio, in morte privabatur: atque ego quidem ſentio aliter explicari non poſſe verba illa, *Si poſt pœnitentiam*. Quartus canon de Catechumenis ſermonem inſtituit, qui in ipſo Catechumenatu, Sacerdotio & Flaminio paganorum fungerentur: neque tamen ſacrificaſſent. Ii autem canone illo, trienni pœnitentiâ puniebantur, qua in re ſeſe duæ objiciunt difficultates: una, an triennii tempora aut pœnitentiam, aut catechumenatum reſpiciant, hoc eſt, an Patres triennium pœnitentiæ, aut catechumenatus prorogent: mihi quidem videtur, **C** triennium illud ad tres annos pœnitentiæ reduci poſſe: catechumeni namque publicâ pœnitentiâ caſtigabantur, ob illa quæ in ipſo catechumenatu peccata commiſerant, ex vi canonum, 5. can. Neocæſ. & 14. Nicæni Concilii.

Secunda difficultas, hoc Concilio gravius in Catechumenos animadverti, qui ad ſacerdotia acceſſerant, quàm in Baptiſatos. nam hi canone 55. non niſi duorum annorum pœnitentiam ſubeunt, illi autem trium. Ad id reſponderi poteſt triennium pœnitentiæ, qua catechumenus mulctabatur, non ita grave acerbumque videri, ut biennium, quo baptizatus puniebatur: non enim Catechumenus excommunicatus erat, neque ab Eccceſia illi, ut baptiſato, interdictum erat, **D** ob id maximè quòd in Eccleſiæ gremium ſinumque nunquam admiſſus fuiſſet, quod unum baptiſatus ignominiæ, & ſupplicii gravioris loco duceret. Quod ad S. Innocentii loca attinet, eorum perfacilis eſt ſolutio ex iis quæ ſuprà allata ſunt, ſi meminerimus Curiales ad ea procuranda quæ ipſorum curæ commiſſa erant, & ad alia officia quæ alibi adminiſtranda ſuſceperant, obligari: quòd ſi à ſuis digreſſi civitatibus aliò longius conceſſiſſent, legum vi teneri eo redire, ut ſuarum urbium munera obirent, quæ & ludos, & ſacerdotia complecterentur: ideoque S. Innocentius vetat omnino ad ordines Eccleſiaſticos ejuſmodi genus hominum promoveri.

OBSERVATIO XXIII. **E**

D. Cypriani epiſtolæ ad Antonianum locus inſignis de ſummi Pontificis Auctoritate.

SCribit D. Cyprianus Epiſt. ad Antonianum: *cùm multò patientius, & tolerabilius audiret levari adverſus ſe æmulum Principem, quàm conſtitui Romæ æmulum ſacerdotem*. Quod cujuſmodi ſit, non miror ab interpretibus ignorari; ſed eos qui omnia undique argumenta ad ſummi Pontificis probandam authoritatem colligunt, hoc tam præclarum ejus ſummæ authoritatis, & poteſtatis, teſtimonium prætermiſiſſe. Quod enim præclarius aut magis inſigne reperiri poteſt quàm ejus dignitatem illis temporibus eò deveniſſe potentiæ, ut Ethnicis Principibus qui rerum potiebantur, non ſolùm inviſa & ſuſpecta eſſet, ſed etiam æmulationem pareret? Qua enim ratione æmuli eſſe potuiſſent, niſi de ſumma authoritate inter eos aliqua fuiſſet contentio? vel ſaltem exiſtimaſſent Cæſares tantum ſibi detrahi, quantum ab omnibus Chriſtianis obſequii, & obedientiæ ſummis Pontificibus præſtaretur. Quòd verò major pars militum, civitatum, curiæ, urbis denique, & orbis, eſſet Chriſtiana: quòd nullis minis nulliſve ſuppliciis ab hac ſecta, & religione poſſent deterreri Chriſtiani: quòd tanta inter ſe eſſent animorum, & voluntatum ſocietate conjuncti: quòd ii omnes non ſolùm unius ſummi Pontificis Romani dicto audientes eſſent, ſed etiam ejus nutu, quocunque juberet, ferri poſſent; quantum Imperatoribus negotium moviſſe, & in Romanos Epiſcopos invidiam excitaſſe putatis?

Accedebat etiam quòd ab Auguſto omnes Imperatores Pontificatus Maximi, atque Tribunatus plebis poteſtatem, & nomen una cum imperio retinuerant. Satis enim illis ad imperium tuendum, ejuſque integram ſibi authoritatem conſervandam, nudum Imperatoris nomen validum non videbatur, ni etiam cæteræ poteſtates, quæ olim apud populum alicujus fuerant momenti, accederent. Suetonius in Auguſto cap. 3. *Poſtquam Pontificatum maximum, quem nunquam vivo Lepido auferre ſuſtinuerat, mortuo demùm ſuſcepit*. Dio lib. 53. in Auguſto. *Quòd autem omnibus ſacerdotiis inaugurati ſunt, ac pleroſque in ea collegia adſciſcunt, ſemperque unus eorum, ſi quidem duo vel tres ſimul Imperatores ſunt, ſummum Pontificatum gerit: eò fit ut omnes religiones, & ſacrificia in ſua habeant manu.* De Macrino etiam fertur à ſenatu Pontificem Maximum ſalutatum, quâ appellatione electio militum comprobatur. Apud Zoſimum lib. 4. legimus: *Simul enim atque ſummum Imperium quiſque conſequebatur, amictus ei ſacerdotalis offerebatur à Pontificibus, & continuò Pontificis Max. titulus ei tribuebatur: ac cæteri quidem Principes univerſi lubentiſſimis animis hunc honorem accepiſſe, & hoc uſi titulo videntur: adeoque Conſtantinus etiam potitus imperio; licet is à rectâ ſacris in rebus viâ deflexerit, & fidem Chriſtianorum amplexus ſit: itemque poſt illum reliqui ordine ſecuti, & Valentinianus, & Valens. Cùm ergo Pontifices, ex more, talem Gratiano amictum attuliſſent, averſatus eſt id, quod petebant, ratus non eſſe fas illiuſmodi habitu Chriſtianum uti, cùmque ſtola Flaminibus reddita fuiſſet, aiunt eum qui dignitate Princeps inter eos erat, dixiſſe? Si Princeps non vult appellari Pontifex, admodum brevi Pontifex Maximus fiet.*

Omnes igitur Imperatores veteribus inſtitutis & religionibus erant conſecrati, & rerum ſacrarum Præſides, & Pontifices Maximi appellabantur, nullamque aliam ob cauſam in Romanos Epiſcopos incitabantur, niſi quòd honores & titulos ſibi debitos adſumerent, & de eadem quaſi dignitate contenderent. Gratianus verò quòd eſſet Chriſtianus, Pontificem Maximum ſe appellari paſſus non eſt, ne adverſus religionem ſuam quicquam moliri videretur.

Unde licet colligere hoc Pontificis Maximi nomen nominiſque authoritatem, & poteſtatem penes Romanos Epiſcopos ſemper fuiſſe. Nam quorſum Gratianus eam vel cum vitæ diſcrimine recuſaſſet, ni rem contrariam Chriſtianorum inſtitutis ſibi viſus eſſet facere? Decius quoque quę

ratione in Cornelium tanto impetu invectus fuiſſet, ni hunc honorem ſimul cum poteſtate ſibi ereptum, & ad Romanos Pontifices tranſlatum iri indignatus eſſet? His adde Tertulliani teſtimonium de Pudicitia, qui Romanæ urbis Epiſcopum Pontificem maximum appellat.

Quòd autem D. Cypriani verba de ea æmulatione, non verò de Novariano, ut bonus explicat Pamelius, ſint accipienda, non alio, neque magis firmo utar argumento, quàm his quæ ſequuntur: *Tyrannum armis & bello poſtmodum victum prior ſacerdotio ſuo vicit:* ait Beatum Cornelium ſacerdotio viciſſe Decium; quia de Pontificatu maximo, cùm inter eos eſſet certamen, victoriam Cornelius reportaſſe videtur, qui in eadem dignitate ſuperſtes teſtiterit.

OBSERVATIO XXIV.

Petere maritum à vidua.

QUo minus ab Interpretibus præſcripta eſt cujuſdam ſermonis ſententia, eò majore in ea quærenda, & inveſtiganda voluptate duci debemus, cùm pulchrum illud ſcituque jucundum cenſeri neceſſe ſit, quod eorum oculos effugerit, ut accidit in hiſce Tertulliani verbis: *Miror conſiliariorum prevaricationem*, atque his quæ habentur in libro de Monogamia: *Petere maritum ab Epiſcopo, à vidua.* Nam cùm ea ab omnibus præteriri viderem, & obſcurari potius, quàm exponi, ſuſpicatus ſum id quod erat; aliquid in hiſce contineri, quod ad priſcam illam diſciplinam pertineret, cujuſque explicatio gratiam, apud eos qui cognitione rerum antiquarum delectantur, inveniret.

Itaque cùm in his explicandis nonnihil ſollicitus eſſem, eaque inter ſe diu, multumque conferrem: tandem reperi in Eccleſia olim ſtatutum fuiſſe, ne quiſquam uxorem duceret, aut de nuptiis cogitaret, quin priùs Eccleſiam, id eſt Epiſcopum, ſacerdotes, viduas, cæterumque clerum conſuluiſſet, eiſque conditiones futuri conjugis, ſtatum, religionem, ſectam, patriam denique, ac mores, & ætatem expoſuiſſet.

Hujuſce legis cauſam cum exquirerem, non alia mihi occurrit, quàm quòd primis illis temporibus, omne ſtudium, ac diligentiam adhiberent, ne parva manus Chriſtianorum pollueretur, aut eorum quiſquam Gentilis conjugio, vel Judæi, aut hæritici maculaterur. Multa præterea incommoda ex ejuſmodi conjugiis, & matrimoniis futura prævidebant. Nam quid ſibi conjuges negare, aut celare poſſunt? ſcilicet uxor immerſa in Gentilis conſuetudinem, & ejus amore flagrans, religionis arcana, & ſacramenta reticuiſſet? aut eam à ſuo latere diſcedere, & nocto cum cæteris convenire æquo animo tuliſſet maritus? Accedit etiam quòd iiſdem artibus, eiſdemque blanditiis, aut minis fidem uxoris facilè Gentilis expugnaſſet. Denique cum exortâ novâ aliquâ in Chriſtianos invidiâ, conventus ſuos clanculum agere cogerentur, cujuſlibet mulierculæ indiciis, quæ vitiata & corrupta eſſet à marito, omnes ſimul unà intercipi, & opprimi potuiſſent. Ob eas igitur cauſas Eccleſiam olim præcepiſſe reor, ne quiſquam matrimonio jungeretur, quin priùs Epiſcopos, aut ſacerdotes conſilii ſui participes feciſſet.

Tertullianus lib. 2. ad uxorem, non modò eam mulierem increpat, quòd Gentili nupſerat, verùm etiam eos qui ejuſmodi nuptiarum authores extiterant: *Miror conſiliariorum pravaricationem*, quos prævaricationis nequaquam inſimulaſſet, ni officio defoiſſent, & fidem quam in hiſce rebus præſtare debuerant, violaſſent. Eodem libro laudat nuptias quæ authoritate Eccleſiæ, & conſilio factæ ſunt: *Quibus laudibus efferam matrimonium illud, quod Eccleſia conciliat.*

Libro de Monogamia extant verba difficillima, quæ niſi ad hunc ritum, & Eccleſiæ legem & ſtatutum referas, nequaquam explicabis: *ut igitur in Domino nubas, ſecundùm legem & Apoſtolum (ſi tamen id curas) qualis es, id matrimonium poſtulans, quod eis, à quibus id poſtulas, non licet habere ab Epiſcopo Monogamo, à presbyteris, ac Diaconis ejuſdem ſacramenti, à viduis quarum in te ſectam recuſaſti.* quandam mulierem percunctatur, qua fronte, quave audacia poterit maritum ab Epiſcopo Monogamo petere, & à vidua: unde manifeſtum fit, nihil aliud eſſe mulieres petere maritum ab Epiſcopo, aut à viduis, quàm eis nubendi conſilium & futuri conjugis vivendi conſuetudinem & mores exponere: ut ſi honeſti, & à lege Chriſti minimè alieni viderentur, ſalva fide & religione nubere poſſent. Nam de nuptiali benedictione verba illa nequeunt explicari, cùm de Diaconiſſis, id eſt viduis illic ſit mentio, quibus ne quidem in Eccleſia loqui fas eſſet. Atque ut faciliùs intelligi poſſit, quid ſit, *Petere maritum à vidua*, de earum numero, & officio non erit abs re pauca commemorare. Ut ſacerdotes à conſuetudine, & mulierum familiaritate longiùs amoverentur, certæ quædam viduæ, natæ annos magis ſexaginta, cæteris mulieribus præficiebantur, ut non ſolùm eas ope & conſilio in domeſticis negotiis juvarent: ſed etiam ut eis in rebus ſacris, & religionis ritibus operam ſuam præſtarent. Igitur hæ viduæ & Diaconiſſæ ad hoc erant inſtitutæ, ut Catechumenas primis fidei rudimentis domi imbuerent, docerent, formarent, cùm paulò ante Baptiſmum eſſent lavandæ, ungendæ, immergendæ, (ne ſacerdotum oculi læderentur) præſto aderant hæ viduæ, quæ iis omnibus manum admovebant. Difficillimis quoque Eccleſiæ temporibus, poterant ſine ſuſpicione per domos diſcurrere, Epiſcoporum mandata deferre, monere, colligere, preces denique, jejunia, pervigilia, ſtationes injungere: ſi quid ab Epiſcopo cæteræ mulieres cuperent obtinere, iiſdem viduis utebantur, quibus ſolis illius adeundi tum erat poteſtas: nuptias, neque facere, neque de iis cuiquam mulierum fas erat cogitare, quin priùs per eaſdem viduas Epiſcopum conſuluiſſent. Petere igitur maritum à vidua, eſt cum vidua communicare, cui, aut qua de cauſa quæpiam nubere vellet. In eandem planè ſententiam accipienda ſunt quæ eodem libro leguntur: *Et illi planè ſic dabunt uxores & viros, quomodo buccellas*, dare enim uxores & viros, nihil aliud eſt, quàm nubendi poteſtatem facere.

OBSERVATIO XXV.

Chriſtianus, Fidelis, Sanctus, Iuſtus.

PLacet hoc loco referre, quæ fuerit apud antiquos horum nominum, Chriſtianus, Fidelis, Sanctus, Juſtus, vera & germana ſignificatio. Nam etſi ea nimis trita & nota eſſe videantur, aliquid tamen habent non plebeii aut vulgaris ſaporis, quorū non ingrata videbitur explicatio. Infantes in ipſis hodie Baptiſmi aquis Chriſtiani nomen cum ipſa gratia hauriunt, eoque nomine vocantur, antequam divino Chriſmate perfuſi Spiritum ſanctum induerint, quos tamen antiquitas pro Chriſtianis non agnoviſſet, cùm eos dumtaxat Chriſtianos eſſe cenſeret, qui Spiritu ſancto confirmati, & oleo

oleo Sancto obliti eſſent. Tertullianus de Pudicitia: *Nam ſi Chriſtianus eſt, qui acceptam à Deo patre ſubſtantiam utique baptiſmatis, utique Spiritus ſancti, & exinde ſpei æterna.* Concilium Eliberitanum canone trigeſimo nono: *Gentiles ſi in infirmitate deſideraverint ſibi manum imponi, ſi fuerit eorum ex aliqua parte vita honeſta, placuit eis manum imponi, & fieri Chriſtianos.* Beatus Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi tertia myſtagogica: *Hujus ſancti Chriſmatis dono accepto, meritò appellamini Chriſtiani, veram efficientes appellationem, in ipſa regeneratione: antè enim quàm hac gratia vobis donata eſſet, non eratis propriè digni eo nomine, ſed pergentes, eò uſque progreſſi eſtis, ut efficeremini Chriſtiani.* Nemo enim Chriſtiani nomen olim ſortiebatur, nemo perfectus exiſtimabatur Chriſtianus, qui dono Spiritus ſancti confirmatus, & donatus non eſſet: quemadmodum enim Baptiſmi aquis traduces, & originales noxæ deterguntur; ita precioſo Spiritus ſancti oleo & unguento anima, quæ in baptiſmo emerſit deterſa & candida, cæleſtibus donis variiſque beneficiis veſtitur, & ornatur. Illud ad purgandum, hoc ad ornandum inſtituta eſſe videntur: quapropter cùm ſine ejuſmodi virtutibus nemo poſſit Chriſto ſimilis effici, ideo Confirmatione cenſemur fieri Chriſtiani: quæ res à Patribus Concilii Laodicenſis his verbis indicari videtur: *Oportet eos qui baptiſantur, poſt lavacrum chriſma accipere, Eccleſia & regni Chriſti participes inveniri.* Regnum enim Chriſti poſſidere, nihil aliud apud Patres, & antiquos eſſe reperies, quàm ejuſdem fidei regulam, virtutes, vivendique rationem ab eo præſcriptam imitari. Eodem B. Pauli verba accedunt, 2. Cor. 1. *qui confirmat nos nobiſcum in Chriſto.* Urbanus paucis, ſed quæ manifeſtè, & liquidò demonſtrent Confirmatione nos fieri Chriſtianos: *Omnes fideles per manus impoſitionem Epiſcoporum, Spiritum ſanctum per baptiſmum accipere debent, ut plenè Chriſtiani inveniantur.*

Propterea etſi innumera in nos beneficia, inſigniaque divinæ liberalitatis munera, Confirmatione, & Spiritus ſancti adventu accumulentur, & conferantur, quibus perfecti efficimur Chriſtiani, & conformes filii Dei; tamen hoc uno Sacramento Chriſtiani nomen vel præcipuè meremur, quòd oleo ſancto corpus, & Spiritu divino anima noſtra ungatur & perfundatur; ut hac duplici unctione deliniti, uncti, & Chriſti dici poſſimus. Tertullianus: *Caro ungitur, ut anima conſecretur.* D. Cyrill. Hieroſol. Catech. myſt. 3. *Participes ergo Chriſti effecti, meritò Chriſti, hoc eſt uncti vocamini, & Deus dixit de vobis, nolite tangere Chriſtos meos, Chriſti verò eſtis facti, poſteaquam ſancti Spiritus imaginem recepiſtis.* Canon quadrageſimus quartus Eliberini Concilii his repugnare, & obſtare videtur, qui ex emendatione Garſiæ, catechumenos vocat Chriſtianos; verùm vulgaris lectio mihi magis probatur: *Si enim de clero quiſquam agnoverit, voluiſſe eſſe Chriſtianum.*

Fidelis diſtinguitur à Catechumeno, & à Confirmato. non enim inter fideles adſumebantur, qui fidem in baptiſmo, aut qui chariſmata, & dona Spiritus ſancti, ipſumque Spiritum ſanctum in Confirmatione adepti eſſent: verùm ii ſolùm cenſebantur, & appellabantur fideles, qui iis duobus ſacramentis muniti, Euchariſtiâ inſuper donarentur. Cùm enim ea ſit ſummum Chriſtianæ Religionis myſterium, arcanum, & Sacramentum, non cuivis olim temerè concedebatur, ſed ei duntaxat, qui multò antea morum, & probitatis ſuæ ſpecimen exhibuiſſet; quique ſe ita fidum probaſſet, ut tutò ei myſteria divulgari poſſent. Is igitur vocabatur fidelis, non qui baptiſatus, aut confirmatus, ſed qui Euchariſtiæ ſacris participaſſet.

Sanctos & juſtos non ſolùm eos intelligas, quos Eccleſia poſt mortem vindicaſſet, & in beatorum numerum retuliſſet: ſed etiam eos qui inter mortales viſerentur, ſi eximiæ eſſent pietatis. Hoc auſim affirmare, authoritate adductus canonis ſeptimi Concilii Milevitani: *Item placuit, ut quicunque dixerit in oratione Dominica, ideo dicere Sanctos, dimitte nobis debita noſtra, ut non hoc pro ſeipſis dicant, quia non eſt eis jam neceſſaria iſta petitio, ſed pro aliis qui ſunt in ſuo populo peccatores; & ideo non dicere unumquemque Sanctorum, dimitte mihi debita mea, ſed dimitte nobis debita noſtra, ut hoc pro aliis potius, quam pro ſe juſtus petere intelligatur, anathema ſit. Sanctus enim & juſtus erat Apoſtolus Iacobus, cùm dicebat:* Jac. 3. *in multis offendimus omnes.* Tertullianus ad uxorem libro ſecundo, *permiſerat ſancti vulgò nubere.* iis in locis homines vocantur Sancti antequam cælo eſſent recepti, & cùm adhuc in terris agerent. Etſi verba illius canonis Concilii Milevitani attendantur, de Epiſcopis, Preſbyteris, & iis qui plebem regerent, accipienda videntur. nam laicis hæc non conveniunt: *Sed pro aliis qui ſunt in ſuo populo peccatores.* Item illa, *ut hoc pro aliis, potius quam pro ſe petere juſtus intelligatur:* neque enim populo præerant, aut pro ejus ſalute ſacra perſolvebant. In Concilio Eliberino hæc vox, *Iuſtus*, aliud ſignificare videtur, quàm in aliis Conciliis: *Quod ſi ante de ſeculo receſſerit ſub fide quâ quis crediderit, poterit eſſe iuſtus:* hoc eſt, ſi quis è vivis receſſiſſet nondum Confirmatus, is tamen inter ſanctos recenſeri potuiſſet, ejus oblationes recipi, & precibus invocari. Eadem verò vox in Concilio Milevitano de vivis dicitur, & huic alteri, *Sanctus*, reſpondet, eandemque rationem referre videtur.

Finis primi libri Obſervationum.

GABRIELIS ALBASPINÆI EPISCOPI AURELIANENSIS OBSERVATIONUM ECCLESIASTICARUM

LIBER SECUNDUS.

OBSERVATIO I.

PRIMA CATECHUMENORUM POENITENTIA.

IN veterum Patrum monimentis, primis ſeculis non verbum iſtud, *Pœnitentia*, ad indicandum pœnitentiæ Sacramentum animadvertas, ſed ad dolorem, & angorem animi ſignificandum, qui ex turpitudine peccati admiſſi proficiſcatur, quo affecti, ad pœnitentiam de perpetrato peccato peragendam, impellimur: adde quòd pœnitentiæ verbum, ad pœnas laboreſque maximos, quos pœnitentes ob ſcelera à ſe ſceleratè concepta declarandos excipiebant, nonnunquam pertinebat. Hujus autem ſignificationis, *Pœnitentiæ*, olim duo genera fuerunt, quorum illa, quæ ante Baptiſmum ſuſcipiebatur, prima vocabatur: quæ autem poſt Baptiſmum, ſecunda. Permagni autem intereſt, utriuſque pœnitentiæ vim rationemque penitus cognoſcere: ſed etiam diſcrimen differentiamque utriuſque, atque adeo convenientiam quandam non ignorare; perſæpe quippe utriuſque apud antiquos Patres plurimis in locis mentionem fieri videas: ſic ut qua in re diſcrepent, ſi id te lateat hallucineris omnino oportet. Prima igitur, quæ ante Baptiſmum fieret à Catechumenis, dicebatur: Secunda verò, non niſi ab iis qui ſuſcepto Baptiſmo peccaſſent, peragebatur. Primam non Epiſcopus, non quivis Sacerdos imponebat, ſed ſibi eam ad voluntatem aut arbitrium Catechumenus irrogabat: contrà quod ad ſecundam attinet, quas decreviſſet, aut præfiniſſet pœnas aut ſupplicia Epiſcopus, pro gravitate & atrocitate criminum, ea exactè omnia pœnitens obſervanda ſibi ducebat. Prima intra privatos parietes agebatur, hoc eſt, Catechumeni non in publicum prodire, aut ſeſe in populi conſpectum dare, horrido quodam ſacco veſtiti, cinere, & pœdore obſiti, ſqualidique cogebantur; neque ad limina, aut fores Eccleſiarum progredi, ut prætereuntium ſe ſupplicationibus, comploratione quadam facta commendarent: ſed pro voluntate & arbitrio, à ſe pœnas ſceleribus debitas repetebant, protractâ doctaque in longum temporis pœnitentiâ: aut verò ita ſi vellent, ad breve ſpatium prolata, & quantum doloris ex flagitiis, quæ ante agnitam perſpectamque fidem Chriſtianam in ſe nefariè admiſiſſent, concipiebant: uno verbo prima illa pœnitentia, non ut ſecunda, publica dicebatur. neque ab Epiſcopo imperabatur; quibus maximè circumſtantiis, inter ſe duo illa genera pœnitentiæ diſtinguebantur. Sed quoniam A non pauci reperiuntur, qui hac de prima pœnitentia ſcripſerunt, & qui Patrum teſtimonia quæ ad eam pertinent, aliter explicant: hoc eſt opinantur, hanc pœnitentiam publicè exerceri ſolitam, & ab Epiſcopo fuiſſe impoſitam; utrumque probare aggrediemur, ea perſpicuitate, ut lectoris judicio, clarius nihil eſſe poſſit.

Publicam non fuiſſe pœnitentiam, Catechumenoſque non fuiſſe coactos in foribus, aut limine templorum, pœnitentiæ leges ſubire; neque quas baptiſati tolerare tenebantur pœnas & afflictationes, argumento & indicio illud eſt, quòd nullibi apud Patres deprehendas, neque ullum proferre B exemplum poſſis, quo quiſquam Catechumenus ſqualido quodam ſacco coopertus in conſpectum Eccleſiæ ſeſe dederit. Deinde non ea de re, ullum verbum factum legas, quempiam Cathecumenum pœnitentiæ publicæ gradum ingreſſum, aut inter flentes lamentanteſque, aut audientes, ſobſtratos, aut ſine oblatione communicantes, qui ſunt quatuor pœnitentiæ publicæ gradus. Tertullianus, cujus de pœnitentia liber extat, quique primam illam pœnitentiam ſeptem primis capitibus depinxit, primam illam non fuiſſe publicam commemorat, aut certè nihil quod ad id indicandum per- C tineat, videtur attuliſſe; neque Catechumenos unquam exomologeſi faciendæ addictos; ſed cùm de ſecunda loquitur, omnes exactè, & enucleatè percenſet pœnas, & exomologeſes publicas, quas ſubire oporteret, quibus ſecunda imponebatur. Deinde, apertè docet ſecundam, non clàm, ſed palàm & in oculis omnium fieri oportere: neque tantùm de peccato quod commiſeris privatim, procul à conſpectu populi, dolorem ſuſcipiendum; ſed etiam manifeſto aliquo, quod oculis omnium expromatur ſigno declarandum. Quod à Tertulliano dictum eſt, ut qui inter primam & ſecun- D dam pœnitentiam interſit, multóque plus difficultatis & negotii in ſecunda, quàm in prima, laboreſque majores in ſecunda quàm in prima exhauriendos demonſtret: unde conjectura perfacilis primam ſine exomologeſi, privatim, domi, omiſſa omni publica auſteritate, quæ omnium oculis pateat, conſtare.

Qui autem conſiderarit, quid Patres judicarint de peccatis ante Catechumenatum commiſſis, & de iis quæ poſt Baptiſmum, non opinor inſulsè exiſtimatit pœnitentiam, quam ob prima peccata requirerent, non fuiſſe acerbam, neque gravem. Nam Patres vocant illa peccata *involuntaria*, hæc,

voluntariâ; quod qui in legis alicujus ignoratione verſatur, non ei poteſt ejus violandæ aut perfringendæ voluntas aſſignari, & quaſi omnis culpæ liberatione dignus eſt, cùm id eum feciſſe contigerit: *Jam quidem nullum ignorantiæ prætextum tibi patrocinatur, quod Domino agnito, præceptiſque ejus admiſſis, denique pœnitentiâ delictorum functus, rurſus te in delicta reſtituis, ita in quantum ignorantiâ ſegregaris, in tantum contumaciâ adglutinaris.* Tertullianus de Pœnitentia, cap. 5.

Quin ipſa prima pœnitentia ad Baptiſmum, non erat neceſſitate abſolutâ neceſſaria, & pleriſque ſine ea ſacro ablutos fonte conſtat: ex quo conjectari poteſt minimum in ea aſperitatis aut acerbitatis fuiſſe. Quò referri & revocari poſſunt, quæ plerique Patres dicunt, non ad Baptiſmum obtinendum opus eſſe pœnitentia, tantumque ad id requiri voluntatem animumque recipiendi Baptiſmum, teſte Divo Ambroſio c. 11. ad Romanos: *Verum eſt quia gratia Dei in baptiſmate non quærit gemitum, aut planctum, aut opus aliquod, niſi ſolam ex corde profeſſionem.* In eadem mente Divus Cyrillus: *Nihil aliud à nobis Deus requirit præter voluntatem bonam, ne dixeris, quomodo mea peccata delebuntur? ego affirmo tibi quòd volendo & credendo.* Non quòd illos fugerit à Catechumenis non vitatam eſſe pœnitentiam, ejuſque ſuſcipiendæ ante Baptiſmum talem fuiſſe modum & ordinem: ſed quòd intelligi voluit ante Baptiſmum, neceſſitate abſolutâ non eſſe neceſſarium, atque ita factâ, aut non factâ pœnitentiâ Baptiſmum poſſe adiri. Divum Ambroſium in ea opinione eſſe, pœnitentiam publicam, cæteraſque omnes exomologeſes, quæ in ſecunda pœnitentia fierent non eſſe ſuſcipiendas in prima, neque item cruciatus omnes, aut labores quos in ſecunda perpeti oporteret, eſſe perferendos, meâ certe ſententiâ, & teſtimonia Patrum quæ ſunt ejuſdem ſententiæ, ad eum omnino modum eſſe explicanda opinor, quòd Vicecomes cùm à vero ſenſu aberrarit, emendare & corrigere Divum Ambroſium animum induxit, l. 3. de Bapt. c. 3. *Quòd ſi Paulus ad Romanos ei affirmare videtur, Baptiſmum ſine pœnitentia miniſtratum eſſe, cùm ait, ſine pœnitentia enim ſunt dona & vocatio Dei, eòque magis, quoniam S. Ambroſius eum locum ſic exponit dicens, Verum eſt, quia gratia Dei in Baptiſmate non quærit gemitum aut planctum, aut opus aliquod, niſi ſolam ex corde profeſſionem, tamen nemo me à ſuſcepta ſententia dimoverit, cùm certò ſciam Apoſtoli verba in alium ſenſum accipi oportere, & S. Ambroſii expoſitionem (quod aſſero invitus) paulò arctiorem eſſe, nec videri huic loco congruere.*

Non illubenter autem ex iis percunctarer, qui primam iſtam pœnitentiam publicam fuiſſe volunt, cujus ſententiæ adſtipulator eſt Vicecomes, qui ait, *Ex SS. autem Marcellini & Petri vita manuſcripta, quam Laurentius Surius doctrina fama præſtans, in lucem edidit, manifeſtè conſtat, pœnitentiam à baptiſandis publicè peractam fuiſſe.* Si pœnitentes Catechumeni quatuor illos pœnitentiæ publicæ gradus non percurrebant, ſi non lamentarentur, ad genua in foribus templi non provolverentur, ſi non erant ſubſtrati, ſi ſine oblatione non communicabant, ſi quatuor illis gradibus non addicebantur, quomodo publica erat eorum pœnitentia? Si dicant in perpetuum tempore ſuæ pœnitentiæ extra Eccleſiæ limen Catechumenos ſtetiſſe: non ergo laboribus pœnitentium defungebantur. Quòd autem quatuor pœnitentiæ publicæ gradus non obierint, certum eſt, quia quartus ille gradus qui in eo verſabatur, ut qui in eo templum ingrederetur ſupplicationibus, & explicationi myſteriorum & Evangelii, omiſſa tamen omni cura & cogitatione oblationum, interesſet, à quibus arcebantur Catechumeni: nam ante explicationem myſteriorum egrediebantur, neque in partem precum ſancti ſacrificii interiorum veniebant, cùm multò antè egrederentur; contrà, quarti gradus pœnitentes ad id vocabantur. Ad extremum, nuſquam reperies Catechumenos publicæ pœnitentiæ peragendæ fuiſſe deditos: exiſtimare autem, & aſſeverare non eandem publicam pœnitentiam eum baptiſatis ſubire, ſed multò aliam & diverſam, id ipſis probare multò difficillimum: neque facilè nodum illum diſſolverint.

Ex iis teſtimoniis ſeu rationibus, quibus oſtendemus pœnitentiam iſtam primam non fuiſſe ab Eccleſia impoſitam, aut inductam, facile erit conjicere, non eſſe publicam. Cauſa autem præcipua, quæ me eò pertraxit, ut credam non fuiſſe imperatam, hæc eſt, eam jam inde ab initio Catechumenatus, hoc eſt, paulò pòſt impoſitam: & Catechumenorum confeſſio ſeu exomologeſis, non niſi paucis ante Baptiſmum diebus fiebat. Quare non capio quomodo Eccleſia pœnitentiæ cujuſdam onus imperarit, niſi priùs peccata recognoviſſet illius, cui illam ſubeundam injungeret. Unde etiam probes, non fuiſſe publicam? nam publica multis quaſi gradibus, & pœnarum generibus continebatur, ſic ut modò is, modò ille annum unum, aut biennium inter flentes commoraretur, ut docent canones. Quomodo autem Catechumenis tempus, pœnæ genus & gradus, non cognitis perſpectiſque peccatis, deſcribi poſſet? Id autem eſſet ſententiam de crimine ferre, cujus te ſcientia, & cognitio effugeret, & pœna coërcere, quod non eſſe factum conviciſſes.

Neque verò neceſſe eſt argumenta conquirere ad ea probanda, quæ dicta ſunt, Catechumenorum pœnitentiam initio Catechumenatus, eorumque exomologeſim, in fine fieri. Quod ad ultimum attinet, Tertullianus ſatis apertè teſtatur, *Ingreſſuros Baptiſmum orationibus crebris, jejuniis, & geniculationibus, & privilegiis orare oportet, & cum confeſſione omnium retrò delictorum, ut exponant etiam Baptiſmum Ioannis.* Item & ille Cyrilli catecheſi 1. *Tempus præſens eſt tempus confeſſionis, confiteare quæ perpetraſti ſive verbo, ſive opere,* nam ad eos qui propiùs à Baptiſmo aberant, verba facit: ibique oſtendit primam pœnitentiam, initio catechumenatus peragi, quo nihil clarius eſt: ſaltem id certum eſt, non inter Baptiſmum, & confeſſionem fieri potuiſſe, quòd confeſſio paucis ante Sabbatum Paſchatis diebus ageretur illaque multorum dierum eſſet pœnitentia.

Contra quam, hæc obſervatio dicat, pœnitentiam, ſcilicet non fuiſſe ab Eccleſia impoſitam; plurimæ afferri poſſunt rationes. Primum Cyrillum dicere; *Pœnitentia quadraginta dierum tibi datur:* atque ita ab Eccleſia impoſitam, ejuſque impoſitæ præſcriptum fuiſſe tempus: ſed non ideo ita ratione, quod dicimus, convellitur. nam cùm circa feſtum Paſchæ, præfatio ſit iſta pronunciata, non autem initio Quadrageſimæ; hoc loco Cyrilli mens non fuit, ut qui in Paſchate ſacro fonte tingerentur, iidem quadraginta dierum pœnitentiam ſubirent ante Baptiſmum; cùm ab eo tempore, quo illam ad populum habuit, ad Paſchatis uſque Sabbatum, non quadraginta dierum numerus iniri poſſet: ſed hoc Cyrillo fuit propoſitum, ut ſi, qui brevi ſunt baptiſandi, non adhuc pro dignitate ad hoc ſacramentum ſe compararunt; ab iis differatur Baptiſmi tempus ad Pentecoſten: ac proinde interea longo illo intervallo quadraginta dierum, magis futuros idoneos ad Baptiſmum; hoc eſt, ſi avaritiæ, aut adulterii ſcelere & vitio ſe commacula-

runt, quadraginta dierum ſpatio à ſe impuritatis A & intemperantiæ pœnas repetituros. Hoc autem modo, ſi res tota explicetur, locus ille Cyrilli non eam vim affert, ut primam illam pœnitentiam impoſitam aſſeveremus, aut quadraginta dierum ſpatio deſignatam: & quamvis quinquaginta dies à Paſchate ad Pentecoſten numerentur, quia tamen Quadrageſimæ tempore, Catechumeni ſingulari quodam ſtudio atque cura, ſeſe ad recipiendam Baptiſmi gratiam accingebant; S. Cyrillus tantumdem temporis poſt Paſcha præſcribit illis, qui non ſe adhuc totos ad id ipſum exactè & religioſè compoſuerint. Quid quod octo illi dies à Paſchate, omnibus promiſcuè, liberi, ſolutique omni cura eſſent. Divus Auguſtinus præcipit Catechumenis, qui in Pentecoſte B ſunt baptiſandi, initium ſuarum auſteritatum, ut ducant poſt octo illos à paſchatis feſto: poteſt & illud opponi, & Sylveſtrum ſeptem dierum Conſtantino impoſuiſſe pœnitentiam: *Oportet ô Imperator deponas purpuram, & diadema ſeptem diebus, & tua regia penetrale ingreſſus, clauſis januis, in ſacco & cinere jacens, in luctu age pœnitentiam.* Et S. Getulius tridui cereali, & Sanctus Polycarpus trium item dierum pœnitentiam S. Sebaſtiano præſcripſit. Sed & citari poſſunt non pauca Patrum teſtimonia, in quibus videas impoſita fuiſſe jejunia iis qui baptiſandi eſſent, quibus uno verbo ſatisfeceris, baptiſmata illa fuiſſe extraordinaria: neque Catechumenorum fuiſſe Baptiſ- C mum, qui ex veteri inſtituto & ordine ſuum Catechumenatum abſolviſſent: ſed nonnulli erant quibus privilegio quodam liceret, primo quoque tempore ad Baptiſmum accedere: quos quoddam pœnitentiæ genus ſubire oporteret, quò digniores tanto Baptiſmi beneficio, efficerentur, & quodammodo exolverentur & liberarentur pœnitentiâ, & Catechumenatu; quæ duo non antè perfeciſſent. quare illa exempla pervertere non poſſunt ea quæ diximus, qui nihil aliud proferimus, quam quod de pœnitentia quotidiana dici, ex veteris Eccleſiæ inſtituto atque more poteſt.

Redeo nunc ad id; quod antè primo loco confirmare ſtatueram, videlicet pœnitentiam illam D primam non fuiſſe publicam: contra autem opponi illud poteſt, quod de Dorotheo Surius affert: *Is verò qui eos decollavit nomine Dorotheus, poſtea ſub Sancto Julio Pontifice publicam egit pœnitentiam, & omni populo indicans quæ vidiſſet, baptiſatus eſt in ſenectute ſua, & per bonam confeſſionem pervenit ad miſericordiam Salvatoris;* ſed ad id quod probavimus labefactandum, nullam vim habet: non enim abnuerim, imo admiſerim, Catechumenum aliquem ardore quodam pietatis incenſum, ob graviſſimum, quo infamiæ publicæ notam ſibi inuſſerat, crimen, aut denique aliquod ſuum factum, quo omnium offenſionem incurriſſet, ut Dorotheum qui Sanctorum Martyrum cervices amputarat, publicæ E pœnitentiæ ſignificationem quandam, ante Baptiſmum, potuiſſe tradidiſſe. Non ignoro Eccleſiam non vetuiſſe piacula illa & ſancta exerceri, ſuſcipique officia ac opera: ſed ſi de Catechumenis, qui vulgò dicuntur, agatur, aut de pœnitentia, quam illi in ſe ex quadam ordinaria conſuetudine ſuſcipiebant, non arbitror fuiſſe publicam, ob rationes à me allatas.

Illud quidem exploratum eſt, ſi Catechumenus tẽpore ſui Catechumenatus deliquiſſet, ejus peccati dediſſe pœnas debitas, ſed non perinde atq; ſi baptiſatus fuiſſet, ſed alio quodã genere pœnitentiæ mulctabatur, quæ publica non eſſet, ut proximo capite docebimus. Atque hujus correctionis ratio non inſulſa aut inepta videtur: nam cùm Christiana religione imbutus eſſet, ejuſque vera cognitione tinctus, quod crimen commiſerat, ſupplicio dignum videbatur. Tertullianus de pœnitentia cap. 5. *Cùm etiam ignorantes Dominum nulla exceptio tueatur à pœna (quia Deum in aperto conſtitutum, & vel ex ipſis cæleſtibus bonis comprehenſibilem ignorari non licet) quantò cognitum deſpici periculoſum eſt? deſpicit porrò, qui bonorum ac malorum intellectum ab illo conſecutus, quod intelligit fugiendum, reſumit, &c.* ubi de Catechumeno loquitur, qui tempore ſui Catechumenatus pœniteat, canone 5. Concilii Neocæſarienſis apertè declarat Catechumenum, qui peccaſſet, peccati pœnas perſolviſſe.

Unde non obſcurè elicias, quod veriſſimum eſt, primam pœnitentiam, neque publicam fuiſſe, neque ab Eccleſia exactam & imperatam; nam cùm pœnitentia quæ Catechumenis infligebatur ob peccata, quæ in Catechumenatu committebantur, quæ quidem & gravitate & atrocitate præponderabantur, atque adeo ſuppliciis digniora erant iis, quæ per imprudentiam, & inſcitiam ante Catechumenatum concepta eſſent: neque publica eſſet, ut ita dicam, nec ulla indicta pœna aut auſteritate irrogata, continebatur: ſed tantummodò quædam Catechumenatus propagatio prolixior videretur; cui quæſo in mentem venire poſſet, primam, quæ ob peccata non voluntaria, & per ignorantiam perpetrata ducebatur, acerbiorem & quaſi crudeliorem fuiſſe, eamque publicam viſam aut addictam exomologeſeos auſteritati?

Quod ad ipſum pœnitentiæ tempus, quod ejus eſſet initium, quandiu illa duraret, quę ejus eſſent leges, & quibus illa pœnis & ſuppliciis perageretur, & quo tempore deſineret, id non niſi conjectura aſſequi poſſumus: illam autem, non quamprimum quis nomen ſuum profiteretur, ut Chriſtianus foret auſpicabatur: aliquanto enim tempore intra ſepta domeſtica verſabatur, dum aliquam cognitionem juſtitię, miſericordiæ, legis Dei Optimi Maximi hauſiſſet, & quos aliquando pro Diis habuiſſet, falſos eos eſſe didiciſſet. Cognito autem & perſpecto poſteà errore, propoſitiſque ante oculos peccatis, quibus in ſe divini numinis iram concitaſſet, atque adeo certiſſimo ſempiterni exitii periculo, quod immineret, conſiderato, pœnitentiam ordiebatur. Tertullianus de Pœnitentia, *Pœniteat errorum. aperta veritate pœniteat amaſſe, quod Deus non amat.* Erant verò ab Epiſcopis quidam conſtituti ac declarati moderatores, penes quos erat cura Catechumenorum erudiendorum, quibus rudimenta fidei traderent: Poſtea in Eccleſiam ingreſſis, auguſtiora quædam & ſpinoſiora de fide, & ab humana quaſi intelligentia remota myſteria proponebantur. Quandiu igitur Catechumeni extra Eccleſiam, iſtis informabantur præceptionibus fidei, non exiſtimarim Catechumenos pœnitentiam aggreſſos eſſe: proptereà quòd primi iſti Chriſtianæ religionis ſatus, non niſi in eum finem conſpergebantur, quam ut falſorum Deorum impios ritus, & ſuperſtitiones aniles execrarentur, eorumque in animis & pectoribus Dei timor infigeretur, & inſideret: ſed arbitror, poſt prima illa percepta ac delibata rudimenta, cùm *inter audientes*, numerarentur, primam eſſe exorſos pœnitentiam. Quod ad ejus intervallum, ſeu ſpatium attinet, æquè incertum, atque ejus initium, crediderimque id totum, eorum prudentiæ ac voluntati commiſſum, ut tantumdem pœnarum atque cruciatuum ſubirent, quantum ſatis eſſe ducebant ad Baptiſmi gratiam conſe-

quendam, aut quoad eorum eos pietas proveheret: non negarim tamen, quo tempore ad paucos dies Catechumenatus redactus fuit, pœnitentiam iſtam paucorum item dierum intervallo contractam & definitam.

Sed quo tempore Catechumenatus ad multos annos prorogabatur, Eccleſiaque ad Baptiſmi dilationem eos exhortabatur, ut videre eſt apud Tertullianum libro de Baptiſmo, prima quoque illa pœnitentia erat prolixior, & diuturnior, & locus ille S. Cyrilli Hieroſolymitani, *Pœnitentia quadraginta dierum tibi datur*, nihil magnopere confert ad illud probandum, primam illam pœnitentiam, quadraginta dierum ſpatio fuiſſe terminatam, quamtumuis contrà Vicecomes ſcripſerit, *Neque vero illud prætermittendum eſt, pœnitentia tempus de qua hîc agimus, ad quadraginta dies deductum eſſe, ut declarat D. Cyrillus Hieroſol.* nam ut ſuprà oſtendimus, locus ille aliud nihil deſignat, quàm quòd qui à peccati voluntate non deterrentur, ſed in ea perſiſtunt, eos quadraginta dies habere à Paſchate ad Pentecoſten uſque, ut pravam illam voluntatem mutent & exuant: ibique vox illa, *Pœnitentia*, non pœnas, labores, jejunia, orationes, lacrymas, vigilias ſignificat: ſed mœrorem animi & dolorem ex ſuſcepta voluntate delinquendi: ut dicit Tertullianus, *Paſſionem animi quæ venit de offenſa ſententia prioris*. Nam author eodem loco dicit, *Si avaram cupidamque habes animæ formam, exue illam, & ingredere*. Quibus verbis perſpicias quadraginta illos dies, quos numerat, non alio nomine deſignare, quàm, ut perverſam peccandi voluntatem deponant, doloreque afficiantur de peccatis: non autem ut aliquas pœnas ſibi infligant. Alter locus ejuſdem authoris in prima Catecheſi, *Tot annorum circulos tranſegiſti, mundo fruſtra operam navans, & quadraginta diebus non vacabis pro anima tua*, nihil de tempore pœnitentiæ iſtius præſtituit: quòd ea Catecheſis pronunciata fuerit diebus illis, qui propius à ſabbato Paſchatis aberant: ut docent illa verba, *Antea Catechumenus eras, nunc verò fidelis vocaris*. Et tota Catecheſis ſententia, ſeu ſenſus. Quamobrem non vult Catechumenis ſignificare, ut eos quadraginta dies pœniteat: quandoquidem mox Baptiſmo abluendi eſſent: ſed ejus eſt mens & voluntas, ut poſt Baptiſmum, non facilè Catecheſes omittant: neque gratiam illam à Deo acceptam & derivatam, quam orationes frequentes aluerunt, negligant: quin admonere eos par erat, ut Catechumeni, cùm multos annos in rerum humanarum ſtudio curaque poſuerint, quadraginta ſaltem dies poſtquam eſſent fideles, non gravatè conſumant in rebus ad pietatem pertinentibus, &, *In exorciſmis verſentur*, qui poſt Baptiſmum exercebantur: unde cùm ſe occaſio dicendi offerat, concludas poſt Baptiſmum exorciſmos, ſupra baptiſatos fieri ſolere, eoſdemque informari & erudiri interjecto illo tempore, quod à Paſchate ad Pentecoſten interjiceretur: eaſque ceremonias quadraginta dierum tempore uſurpari.

Neque item omittendum, imo obſervandum, præter illam pœnitentiam, quam Catechumeni peregiſſent, non omiſiſſe, dum ſe ad Baptiſmum recipiendum compararent, interea ſingulares quaſdam auſteritates in ſe admittere: quò magis idonei cenſerentur ad Baptiſmum, teſte Tertulliano, *Ingreſſuros Baptiſmum, orationibus crebris, jejuniis*. quæ res ideo multos fefellit imprudentes, qui primæ pœnitentiæ aſſignant, quidquid apud Patres, de ultimis iſtis auſteritatibus legerunt: Qualis eſt locus ille Sancti Gregorii Nazianzeni Oratione 40. de Sancto lavacro: *Bona auxilia erunt tibi, ad ea quæ deſideras conſequenda, vigi-*

A *lia, jejunia*. Item locus Sancti Joannis Chryſoſtomi Homilia 21. *Audiſtis quomodo gemuerunt dudum ſacris introducti, & pectus percuſſerunt, eos ſtimulante conſcientia*. Præterea Conſtantini ſuprà citatus: Sancti Baſilii, *Humi ſe proſtravit, & cum clamore valido & lacrymis petebat*, & ille in vita Sancti Sebaſtiani, à Surio commemoratus, *Sanctus Polycarpus catechiſavit eum, indixitque ei triduanum jejunium*.

Quod ad Catechumenorum confeſſionem attinet, aliud à me afferri non poteſt, quàm quòd ſacramentalis non fuerit; neque eam ab iis ob remiſſionem peccatorum eſſe ſuſceptam: nam cùm ante Baptiſmum fieret, & Baptiſmus janua Sacramentorum diceretur; Sacramentalis eſſe non po-
B terat: tantùm ad eum finem proponebatur, ut ſeſe quàm demiſiſſimè coram Deo & hominibus gererent, & Divi Joannis Baptiſmum imitarentur, ex Tertulliano, ideoque illi qui locum Tertulliani proferunt, *Cum confeſſione omnium retrò delictorum*, & illum, *Nobis gratulandum, ſi non publicè confitemur peccata, & iniquitates noſtras*, ut confirment confeſſionem auricularem ſacramentalem, turpiter allucinantur. Nam Tertullianus id ipſum de cæremonia quadam, quam Catechumeni cum quadam animi demiſſione & modeſtia uſurpabant, dixit, quæ rationem ſacramenti præ ſe non ferret. Quare non poſſunt illa verba verè proferri, ut probemus Sacramentum, neque ut quæ auricularis eſt confeſſio, antiquam eam probe-
C mus: aut quòd illa ad Sacramentum pœnitentiæ conficiendum requiratur: ſed quòd ex iis verbis erui verè poteſt ad confeſſionem auricularem, & ad Sacramentum Pœnitentiæ confirmandum, illud eſt, antiquos quidem Patres miram quandam convenientiam, & affinitatem conſtituiſſe inter Baptiſmum & Pœnitentiæ Sacramentum: ſemperque in utriuſque ratione ſimilitudinem quandam, & proportionem agnoviſſe: (qua de re ſeorſim quodam capite diſputandum erit: nam non ſatis eſt veteris Eccleſiæ antiquitates perſpectas habere, quo faciliùs authores omnes intelligentia & ſcientia comprehendas; ſed & neceſſe eſt eorum doctrinæ, Theologiæque vim non ignores, ſine qua non queas obſcuros & perdifficiles & Patrum, &
D canonum locos explicare) quod cùm veriſſimum, in antiqua diſciplina Eccleſiæ miram quandam & Baptiſmi, & Sacramenti pœnitentiæ conſenſionem fuiſſe, atque utrumque, alterius quaſi normam, & exemplar quo ſeſe mutuò conformarent, fuiſſe. Cùm ex duobus Tertulliani locis manifeſtò probes, Catechumenos omnes peccata ſua multò antè quàm Baptiſmo intingerentur confeſſione auriculari, non autem publica detexiſſe: ſed nec duos illos locos exponi poſſe de confeſſione Deo facta, propterea quod Sanctus Gregorius Nazianzenus de eadem confeſſione diſſerens, Oratione de Sancto lavacro, ait, *Ne peccatum tuum confiteri grave ducas, ſciens quo pacto Joannes baptizaverit, ut per huius viſa pudorem, futuri ſeculi pudorem*
E *ignominiamque fugias*. Nam Deo ſolo teſte facta confeſſio, pudorem inurere non poteſt, cùm remoto omni arbitro atque teſte fit: Certum planè & indubitatum relinquitur, eodem modo in pœnitentia confeſſionem inſtitutam, in qua Patres imitati ſunt & ſequuti, quantùm in illis fuit Baptiſmum, ejuſque ceremonias: Quod duo illa Sacramenta, à Chriſto invecta, inter ſe ſe conſpiratione quadam conveniant.

Ut autem huic quæſtioni modum ſtatuamus, repudianda eſt illa quorumdam correctio, quæ ita locum illum Tertulliani legendum putat, *Nobis gratulandum, ſi publicè confitemur peccata*, omiſſa illa particula negativa, *non*: Nam ſine

illa cohærere ſenſus non poteſt. Tertulliani ergo mens eſt, conditionem Catecbumenorum multo meliorem eſſe, quàm eorum quos D. Joannes Baptiſta baptiſaſſet: quòd hi publicè ſua peccata expromant, illi autem privatim: quæ explicatio ſi demas illam particulam. *Non*, admitti non poteſt. Qua ſublata Catechumenorum deterior, aut nihilo melior eſſet, quàm eorum, quos Sanctus Joannes baptizarit.

Sed nec prætereundum illud eſt, locos illos, in quibus de Pœnitentia, & Baptiſmo ſimul agitur, magne ex parte de prima illa pœnitentia explicandos: non autem de ſecunda, in quibus, ita mihi perſuadeo, quòd nonnulli doctiſſimi viri, explicandis falluntur, veluti in illo, qui eſt Simplicii Papæ, *Conſtituit ad S. Petrum Apoſtolum, & ad S. Paulum Apoſtolum, & ad S. Laurentium Martyrem, hebdomadam, ut Preſbyteri manerent ibi propter pœnitentes, & Baptiſmum.* Apud Euſebium item locus alius, & in vita Sancti Marcelli in lectionibus breviarii, & officii reperitur: qui loci accipiendi ſunt de prima pœnitentia, & de confeſſione, quæ in ea uſurparetur.

OBSERVATIO II.

Altera Catechumenorum pœnitentia.

NOn abs re fuerit, neque malè operam collocaiam exiſtimarim, quò quis in pervolvendis antiquis canonibus. opinione non labatur, obſervaſſe unum genus eſſe pœnitentiæ, quod non permixtum confuſumque eſſe oporteat; cum iis quæ vulgò & paſſim prima & ſecunda pœnitentia nominantur, de quibus ſeorſim etiam reperimus Patrum tractatus eliquos in lucem editos: erque hujus rei ignoratio, non parum obeſſet ei qui ad intelligendos penituſque cognoſcendos Patres ſtudium ſuum, induſtriamque conferret. Neque verò quemquam prætetit, Catechumenos pœnitentie eliqua fuiſſe effectos, ob illa, quæ ante catecbumenatum peccata admiſiſſent. Paucos autem mihi facilè eſſe perſuadeo, quibus eorum perſpectæ ſint pœnæ ſeu mulctæ ſcelerum, ſeu flagitiorum, quæ Catechumenatus tempore committerentur. Quod unum à nobis ſuſceptum munus, & negotium eſt, ut hujus pœnitentiæ leges quaſi aliquas promulgatas, temporis quoque rationem, ac ſeveritatem demonſtremus, & qua in re à prima, & ſecunda differat declaremus.

Neminem ignorare arbitror, à Catechumenis in ipſo Catecbumenatu Deum offendi aliqua culpa, & ſcelere potuiſſe: ſimulque, quod ſcelus perpetraſſent aliquo ſupplicio, & animadverſione dignum omnino videri, Eccleſiamque ipſam judicaſſe graviores multò, & acerbiores pœnas ſufferre debuiſſe, ob ea peccata, quæ in ipſo Catechumenatu edita fuiſſent, quàm quæ ante fidem agnitam, acceptamque, concepta: cùm hæc ab ignorantia legis Chriſtianæ profecta ſint, & quaſi nulla voluntate patata, ideoque miſericordia digna videantur; alia autem nullo excuſationum tegumento tecta coerceri omnino oporteat. Eccleſia tamen quod ſciret, perpenderetque Catechumenos, non omnino Chriſtianæ religionis præceptis, inſtitutiſque imbutos & inſtructos, aut ſubvereretur ne intolerabili quodam pœnæ motu, de propoſito ſuſcipiendæ religionis deturbarentur: aut verè ſentiret, crederetque peccata omnia, ſuppliciaque, quæ peccatis debebantur, Baptiſmo remiſſa prorſus, non autem eorum peccatorum, quæ poſt Baptiſmum committebantur, cùm pœnitentiæ Sacramento delerentur, pœnam funditus extinctam & ſublatam, Catechumenos omni potius humanitate & lenitate, quàm qui baptiſati eſſent, tractandos cenſuit; ejuſque rei confirmandæ cauſâ, videre eſt in Concilio Nicæno lapſos, quòd Chriſti fidem nefariè prodidiſſent, cùm nullis minis, aut terrore mortis ante oculos propoſito, ad id compellerentur, prolixâ aliquot annorum pœnitentiâ caſtigatos: Catechumenos autem ſi ſe tali perfidia, deſerta fide, obligaſſent, Can. 14. non niſi dilatione triennii in ipſo Catechumenatu punitos, inter *Audientes*, revocari. Quid quod Concilium Eliberinum, *Flamines* carpit, plectitque, quòd ludos publicos Ethnicorum edidiſſent, aut quòd ſacrificaſſent, imo qui præſentia tantùm ſua, ſacerdotum veſte induti, coroniſque redimiti eos honeſtaſſent, gravioribus pœnis longioreque pœnitentia, quæ ad multos annos produceretur: id Canones 2. 3. 55. confirmant: Catechumeni verò quamvis ſe iiſdem flagitiis contaminaſſent, non niſi prorogatione ſui Catechumenatus damnabantur.

Nemo unquam legerit Catechumenum, eodem ſupplicio atque fideles, fuiſſe affectum, neque unquam antiquorum libri fidem fecerint, in veſtibulo Eccleſiarum Catechumenos jacentes, flere, mœrere, lamentari, prætereuntium oſculari genua, comploratione ſua, ac precum vi obteſtari fideles, uti patrocinio ſuo, ac interpoſita authoritate veniam quam ipſi Catechumeni peterent, conarentur exprimere.

Quod ad ſecundum pœnitentiæ gradum attinet, qui tam ad Catechumenos, quàm alios pœnitentes erudiendos, & formandos inſtitutus erat: non eſt dubitandum Catechumenos, ob peccata quæ in ipſo Catechumenatu interceſſiſſent, eo amandatos. Sed hic ſecundus gradus, non tam pœnæ, aut animadverſionis loco numerabatur, quàm quod tempus quoddam præſtituebatur, quod collocarent, excipiendis iis, quæ tanquam rudimenta quædam ac veluti ſemina Chriſtianæ fidei ſuggeſta proponebantur, cùm non eo tempore ad aliud, eo in gradu poſiti, gravius moleſtiuſve adigerentur: qua de re ſuo loco, & uberius multò quàm alias diſſeremus; cùm de ſecundo ſecundæ pœnitentiæ gradu agendum erit. Cæterum ut intelligas ſecundum hunc gradum ad inſtituendos, non autem puniendos inductum, advertas oportet Catechumenos, qui ne tantillum quidem in Catechumenatu ab officio deflexiſſent, aliquandiu perinde atque ipſos pœnitentes, in eo commorari ſolitos, quibus tamen Eccleſia (id enim fatendum eſt) neque pœnæ genus ullum, neque pœnitentiæ legem certam, conditionemve imponeret.

Quod ad tertium gradum ſpectat, omnes Catecbumeni, ſive eos ſpectes qui deliquiſſent, ſive qui ſe innocenter geſſiſſent, è templo egrediebantur antequam qui pœnitentes in tertium rejecti gradum in ſe acerbitates impoſitas ſuſciperent, hoc eſt, in terram, ſe ſe ſpectantibus omnibus, proſternerent, certas quaſdam tam Epiſcoporum, quàm Preſbyterorum manuum impoſitiones ſubirent: ideoque non fuiſſe in eo grege verſatos Catechumenos legimus. Quemadmodum item planè docent canones, Catechumenos in quarto gradu non fuiſſe, ob eam maximè cauſam, quam ſuprà attuli, exiſſe ante è templo, quam pœnitentibus manus imponerentur, (intelligo autem manuum illam impoſitionem, quæ in tertio gradu fieret,) imo probabilius multò, ac rationi conſentaneum magis, ex Eccleſia digreſſos eſſe, quando ſolemnes precum ritus, ſacrificiaque peragebantur, quibus

qui quartum gradum attigiſſent, intererant. Si Catechumeni ob gravitatem peccatorum ad ſuſcipiendam pœnitentiam, per illos quatuor uſitatos, inſtitutoſque gradus adacti fuiſſent, id ſibi potius gratiæ & beneficii, quàm ſupplicii alicujus cauſâ tributum exiſtimaſſent: quin potius ea benignitate abuſi fuiſſent in Catechumenatu, ad Deum peccans laceſſendum, quàm pro quodam metu, ad piè vivendum inſtigarentur. Myſteria namque illa oculis aſpexiſſent, quorum ſpectaculo alii Catechumeni, qui nuſquam peccarant, potiri non poterant, beatoſque ſe, ac fortunatos, ſi iis perfrui licuiſſet, judicaſſent. Catechumeni namque omnes generatim & univerſè, à cognitione & ſcientia illorum myſteriorum, perinde ac Pagani, Judæique, excludebantur. Quodam canone uno comperimus, ſi cui contigiſſet Catechumeno, caſu aliquo, ac fortuitò ſacrificiis intereſſe, aut oculis illa ſacra intueri, eum protinus ſacro fonte abluendum fuiſſe: tametſi neque Catechumenatum abſolverit, nedum inchoarit, ut Catechumenis illa myſteria recondita, & ab eorum oculis remota fuiſſe oſtendamus: quandoquidem à Deo magnum quoddam in ſe profectum beneficium arbitrabantur, ſi caſus quidem inſperatus tuliſſet, ut ea ſacrificia non tam mentis, quàm oculis corporis contemplarentur.

Quo poſito affirmabimus verè, non fuiſſe ſecundâ pœnitentiâ, quaſi quadam pœnâ affectos (ut alio loco patefactum eſt) unde reperies canones ipſos, ut monerent Catechumenos non perinde ac alios fideles puniendos eſſe, eorumque pœnam non ita gravem, & acerbam eſſe oportere, ut aliorum fidelium: ſemper id inculcare, *Si tamen ſit fidelis*, vel, *Si ſit fidelis*, quemadmodum canonibus Concilii Eliberini quos protulimus in expoſitione 11. Canonis Concilii Nicæni: qua quidem explicatione, non obſcurè pervideas, Patres diſcrimina inter fideles, & Catechumenos conſtituiſſe, diverſaſque pœnas in utroſque ſe poſuiſſe ac decreviſſe.

Si proferatur Canon 67. Concilii Eliberini, quo pari pœna Catechumeni & fideles mulctari videntur, iidemque, propter idem ab utriſque crimen admiſſum, ab Eccleſia repelluntur, illud ipſum menti tuæ inſideat, hæreatque, illo canone mulierum illarum mentionem fieri, quæ nefariè ſuæ libidini cùm ſervirent, ad explendas ſuas cupiditates, homines bene comptos, cincinnatos, delicatos, eleganti forma, ſpecieque liberali eximios adhibebant: quæque Comœdos, ſeu ſcenicos, ad eandem rem quodammodo alebant: verbum namque illud, *Viros*, non maritos, ſed mancipia quædam libidinum, ſeu adminiſtros ſignificat. Quòd ſi canon ille de marito vero verba feciſſet, non eſt dubium, quin in maritum potius, quàm in fœminam, ſeu uxorem animadvertendum cenſuiſſet: at ſi maritus Paganus, aut Ethnicus extitiſſet, veriſimile non eſt, mulierem pœnas dediſſe pro mariti ſui teterrima vivendi ratione, morumque intemperantia; cùm non in ejus poteſtate fuiſſet, canoni ipſi quicquam prohibenti, aut imperanti parere, ut à marito diſcederet. Sed & illud lubet aſſerere, mulieres illas, ſi à turpi, ac prope meretricio quæſtu reſilirent, virorumque illorum congreſſo ac conſuetudine uti deſinerent, nullo negotio in gratiam rediiſſe cum Eccleſia, datâ illis veniâ, aliaſque ad communionem, ſi eſſent fideles, & alias ad Catechumenatum revocatas. Dici ergo poteſt Eccleſiam, fœminis illis pœnitentiam non ullam impoſuiſſe, Canoneque illo non indicari aliquas pœnas, quas Catechumenæ ſufferre, aut experiri cogerentur: quin potius ab Eccleſia illas rejici & expelli, non aliam ob rem quàm ut pœnâ aliquâ plectantur, quòd indignæ ſint, quæ inter Chriſtianas numerentur; cùm antequam Catechumenatum perficerent, in cœno flagitioſarum voluptatum, tanquam ſues luculentæ, volutarentur: neque unquam religionem Chriſtianam ut complecterentur, in animum induxiſſent ſuum. Quis enim unquam ſperaſſet eas Chriſtianæ fidei ſuſcipiendæ conſilium, voluntatemque præ ſe laturas, cùm priuſquam Chriſtianis inſtitutis informarentur, quo dignæ haberentur, primo ſacramento muniri, & ad Chriſtianam militiam adſcribi, & quaſi nomen dare, ſeque pro fidelibus gerere, in oculis conſpectuque omnium flagitioſam vitam, & Chriſtianæ puritati omnino adverſariam transigerent: cumque teſtari omnimodo, ac ratione eas oporteret, quovis ſe metu à divinæ mentis offenſione deterreri, proculcato, ac quaſi protrito ejuſdem terrore, palam ad idem numen ſupremum violandum inflammatis animis rapiebantur. Atque hoc eo nomine eas à Catechumenatu eximebat: declarabatque nunquam eas Chriſtianæ fidei ineundæ conſilium iniiſſe; eademque Eccleſia hoc ipſum erga mulierem confeciſſet, quæ ſe ſe ad Chriſtianiſmum obtuliſſet, ſi & virum adulterum ſecum ipſa retinere & vivere, & ad Catechumenatum adoptari voluiſſet: id potius ab Eccleſia repulſæ, quàm pœnæ aut pœnitentiæ nomine factum videri poſſet. Quod ſi contrà, mulieres illas omnes intemperantiæ ſuæ ſuppuduiſſet, quanquam Eccleſia eas repuliſſet antè, & à Communione removiſſet, hoc eſt à Catechumenatu, omni procraſtinatione, aut tergiverſatione poſthabita, nullâ indictâ pœnitentiâ in Catechumenatum adſcripſiſſet. Pœnitens verò quamvis peccato deſiiſſet, aut excommunicatus, non propterea confeſtim ad communionem aſſumebatur: quo facto, non eſt recuſandum, quin canone illo 67. recuſationis potius, quàm pœnitentiæ vim ullam contineri fateamur.

Conquirendum ergo & pervestigandum eſt, quæ pœnitentiæ Catechumenis, ob peccata in ipſo Catechumenatu admiſſa, irrogarentur, cùm non perinde, ac fideles ſuorum ſcelerum pœnas darent. Memoriâ autem tenere oportet fuiſſe quamplurimos in Catechumenatu gradus, antiquituſque *fieri non naſci Chriſtianos*, idque non curſim, ſed ſenſim, ſpatio ad id efficiendum circumſcripto: illudque munus, ſan actionem illam adumbraſſe aliquo modo, ne dicam expreſſiſſe perfectorum animantium naturam, ſeu ortum, quæ aliquanto plus temporis, ſibi quàm alia, ut formentur, atque ut in lucem, vitamque erumpant, aſſumunt. Cuicumque autem divinitus lux oborta quædam mentem injeciſſet, ut Chriſtianus fieret, privata quadam in domo, quæ præſtigiæ aniles que ſuperſtitiones Paganiſmi eſſent, edocebatur: neque tamen divini verbi ſeu concionum audiendarum, quæ apud *Audientes*, habebantur, facultas dabatur: inde ad altiorem quaſi gradum provehebatur, ad excerpendas ipſas conciones, quo in gradu vocabantur, *Audientes*. Poſteaque ad tertium deducebatur, ubi particeps, conſorſque precum & orationum fieret, quæ apud Catechumenos tertii gradus pronunciabantur, poteratque in genua in ipſa Eccleſia procumbere: Catechumeni iſti *Orantes & genuflectentes*, dicebantur. Ad extremum rebus omnibus illis ex communi conſuetudine tranſactis, ſacro fonte, datis ad eam rem nominibus, abluebantur, ut inter electos collocarentur, unde *Competentes*.

nominabantur. Pœnitentia igitur, quæ Catechumenis ob illa quæ in ipſo Catechumenatu peccata commiſerant, indicta fuit, non niſi tribus illis poſtremis gradibus examinata, ponderataque imponebatur. Neque ad alias pœnas, cruciatuſque protendebatur: verbi causâ, ſi quis in ultimum, quartumve gradum Catechumenatus relatus, deliquiſſet, ad ſecundum, aut tertium ille gradum, deſultorio quodam modo pro gravitate offenſæ, ſeu culpæ transferebatur. Atque ita ſi qua in re peccaſſet, ad alios deſcendebat gradus: quandoque ſi gravior, aut atrocior eum urgeret culpa, ad mortem uſque Baptiſmi dilatione plectebatur: quandoque idem ob inexpiabilem aliquam peccati fraudem, omnino ei Eccleſiæ ingreſſu interdicebatur. Atque hic eſto modus rationque, quâ olim Eccleſia in puniendis Catechumenis uti ſoleret, can. 5. Concilii Neocæſarienſis, omnes quæ ad ejus rei intelligentiam offundi poſſunt tenebras, clariſſima expoſitionis face diſſipat, quò illod reperias, ut ſi Catechumenus in tertio gradu hæreat, pedemque in Eccleſia ponat, eique liceat ſe ſe in genua provolvere, inter *Audientes* relegetur, hoc eſt, ad ſecundum gradum revocetur: quid quod decretum eſt, ut ſi in ſecundo iſto gradu inter *Audientes*, in peccatum denuò incidat, aut etiam in eo obdureſcat, ei omnino Eccleſiâ & Catechumenatu interdicatur. Hic ſenſus, ſententiaque germana iſtius canonis eſt, nec aliter eum Zonaras & Balſamon interpretantur: non autem quo ſenſu nonnulli, atque inter cæteros Vicecomes his verbis aſſerit: *Propterea Concilii Neocæſarienſis Patres can. 5. eos qui genibus flexis audiebant, gravi culpa teneri ſtatuunt illis verbis.* Contrarium namque omninò perſpicias, ſi diligentiùs accuratiúſve canonis verba examines. Decimus quartus item Canon Concilii Nicæni, non ad alium ſenſum torquendus eſt, qui quanquam non tam clarè & apertè Catechumenatus gradus ante oculos conſtituat, aut explicet, quàm illos Neocæſarienſis deſignet, antè tamen ab eo canonem illum non diſſidere verè dixeris. Nam cùm ipſo canone videas triennio poſtquam, *Inter Audientes* verſatus fuerit mulctæ nomine, quòd eum Dei ſui, fideique ipſi datæ, oblivio ceperit, *Inter Orantes*, reponi: poſſeque cum aliis Catechumenis in communionem precum venire. Ex hoc intelligi licet, gradum illum, in quo genua poterant flectere, perfectiorem multò videri eo ipſo quo antes concionibus audiendis præbere Catechumeni quidem conſueverant: propterea que ſupplicium eorum qui eò perveniſſent, non aliud exiſtimandum, quàm, ut, *Inter Audientes*, iterum collocarentur. Quò autem res illuſtriori ſigno emicet, ſimul & illud percunctabitur quiſpiam, ſi cùm *Inter Audientes*, numerabantur, à virtutis via aliquo peccato detorquerentur, qua tandem pœna revocarentur in viam, unde deflexiſſent. Neque enim cujuſquam authoris teſtimonio probare poſſis ad privatas domos fuiſſe amandatos, quæ relegatio primi gradus rationem contineret, quàm in Catechumenato præſtituimus: ad id perfacilis eſt reſponſio, ad illum primum gradum non ſolere rejici, ſed aliquantò diutiùs pro ratione criminis, *Inter Audientes*, recenſeri & retineri. Sed & dubium illud eſſe poteſt, quo genere pœnæ mulctarentur, ſi Dei Optimi Maximi juſtum furorem peccato aliquo in ſe convertiſſent in illo primo gradu poſiti, id eſt, cùm in privatis ædibus erudiebantur. Illos namque prorſus à grege Chriſtianorum exterminare, aut ſpem omnem Baptiſmi & regenerationis fidelium obtinendæ illis præripere, ſummæ inhumanitatis fuiſſet; adduci enim non poſſum ut credam Eccleſiam, quamvis ſe ſe immani flagitio contaminaſſent, in eos tam ferociter animadvertere voluiſſe. Quod enim peccatum tantum eſſe poteſt, cujus atrocitas Baptiſmum impediat? ſat magnam canonum vim, ac copiam reperias, qui clament, *Nec in fine accipiat communionem.* At nuſquam legas, qui imponant hanc pœnam, *Nec in fine baptizetur.* Hujus diſciplinæ rationes adeo illuſtres ſunt, ut pondum ſit eas probare, quia nemini deneganda eſt via ſalutis neceſſaria. Alia ratio ſubjici poteſt, quòd Baptiſmo omnia delerentur, ipſaque quæ ante Baptiſmum peccata fuerant, non voluntaria habebantur. Ideoque, ſi cùm in primo gradu eſſent, ipſi etiam peccaſſent, ad alium non poterant ipſi gradum traduci: neque omnino rejiciebantur; ſed aliquantò ampliùs, perdiuque in eo, aut ſecundo reſidere cogebantur: ſuſtineoque, & præ me fero, Eccleſiam peccata illa, tanquam in Paganiſmo patrata, exiſtimare ſolitam, quòd inſcitiâ planè, & ignoratione Chriſtianiſmi in primo gradu laborarent, peccataque illa, tanquam in vetere homine commiſſa, putarentur, id teſtificante Concilio Eliberino, *Eo quod in vetere homine deliquiſſe videatur*, cùm de Catechumeno, Apoſtata, & qui in ipſo Catechumenatu a fidei defenſione degeneraſſet.

Quando canones Catechumenorum, tantùm pœnitentiæ tempus certum ac definitum conſtituunt, deque gradibus omnino conticeſcunt, nedum, quandiu in uno quoque morandum ſit, verbum ullum faciunt, non alio ſenſu, aut mente accipienda ſunt illa omnia, quàm cùm fidelium ad decem, aut duodecim annos pœnitentiam prorogant, prætermiſſo illo annorum numero, quos in ſingulis pœnitentiæ gradibus tranſmittant: hoc eſt diſtributionem, diviſionemque totius illius temporis, à nutu, & voluntate Epiſcopi prorſus pendere poſſe, pro ſuo jure imperare, uti pœnitens plus, minuſve temporis in uno quoque pœnitentiæ grado conſumat. Ita quando canone quarto Concilii Eliberini, Catechumeno, triennii pœnitentia, aut alibi decennii imponitur, planè ſentio iſtius temporis partitionem, ad Epiſcopi ſummam voluntatem arbitriumque revocari.

OBSERVATIO III.

Pœnitentia quæ poſt Baptiſmum imponeretur.

QUod in antiquis Canonibus legitur, petere pœnitentiam, dare, accipere, negare eam morientibus, quibus morbus rationis & ſenſus uſum intercepiſſet, impertiendam eſſe; eâdem conceſſâ, vel citra abſolutionem, & communionem, aliquid, quod ad ſalutem prodeſſet concedi pœnitentibus; & his ſimiles loquendi formulæ, longe aliter accipiendæ ſunt, quàm quòd communi quodam uſu ac ſignificatione ſonat, veréque illa, *Pœnitentia*, neſcio quid aliud in hiſce locis, quàm quod apud nos, indicat. Nam neque pœnas, & pœnitentiæ præſcriptas & indictas moleſtias, neque communionem, & abſolutionem, quæ ejus magis nota, & frequens ſignificatio poſſet eſſe, denotat. Sed quoniam nihil eſt in hiſce obſervationibus difficilius, nihilque quod ad omnes canonum nodos diſſolvendos, & extricandos magis conferat, quàm hujus vocis explicatio, ea fuſiùs paulo tractanda eſt: ac primùm nonnulli canones ſunt

ſubjiciendi,

ſubjiciendi, ut quæ poſſit eſſe hojuſce vocis, *Pœnitentia*, difficultas, clatiùs enireſcat: deinde oſtendendum, non quid tandem intelligatur in illis locis & canonibus per hanc vocem, *Pœnitentia*, ſed quid non intelligatur, quidve non ſit, & quantùm ejus ſenſus in uſdem locis diſcrepet ab ea ſignificatione qoam in aliis eorumdem Patrum, & canonum locis bodieque inter nos obtinere ſolet: Poſtremò docendum vim aliquam, in illis locis huic voci, *Pœnitentia*, ineſſe, & peculiarem uſum habere, quem ſi intelligas, mireris neceſſe eſt, non ſolùm eorum diſciplinam, & theologiam, verùm etiam, quanta authoritate fideles regeret Eccleſia, & quàm ægrè ad ſuos theſauros nocẽtes adrepere pateretur.

Verba illa ſancti Ionocentii in epiſtola ad Exupetium Epiſcopum Tholoſanum, *Negata menſæ communio eſt, conceſſa pœnitentia, ne totum penitus negaretur*, difficillima ſunt, & quaſi qoendam obicem interpretibus objiciunt. Quid enim poterat eſſe poenitentia, quidve ſignificare, quo conceſſo, communio quidem non concedebatur, ſed aliquid, quod morientibus ſpem aliquam futuræ ſalutis oſtenderet? Quomodo id quæſo accipiendom quod homini penè animam & ſpititum prufundenti, cùm poenitentia ſine abſolutione, & communione daretur, conceſſum quoque qoidpiam putaretur? Nam hoc tempore, qui morienti poenitentiam, retenta abſolutione imponeret, aliquid quod ad animę ſalutem obtinendã attineret, non videretur conceſſiſſe.

Quin omnino id adverſari, & repugnare videtur iis, quæ hoc tempore aguntur, quod in Concilio 4. Carthaginenſi legitur hoc canone: *Is qui pœnitentiam in infirmitate petit, ſi caſu, dum ad eum ſacerdos invitatus venit, oppreſſus infirmitate obmutuerit, vel in phreneſim verſus fuerit, dent teſtimonium, qui eum audierint, & accipiat pœnitentiam, & ſi continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impoſitionem, & infundatur ori ejus Eucharistia, ſi ſupervixerit, admoneatur à ſupradictis teſtibus petitioni ſuæ ſatisfactum, & ſubdatur ſtatutis pœnitentiæ legibus, quamdiu ſacerdos, qui pœnitentiam dedit, probaverit.* Et in Concilio Arauſicano, canone duodecimo: *Subitò obmuteſcens, prout ſtatutum eſt, baptiſari, aut pœnitentiam accipere poteſt, ſi voluntatis præterita, teſtimonia aliorum verbis habet, aut præſentis in ſuo nutu.* Item in eodem Concilio, canone tertio: *Qui recedunt de corpore pœnitentiâ acceptâ, placuit ſine reconciliatoria manus impoſitione, eos communicare, quod morientis ſufficit conſolationi.* Quis non miretur, datam olim foiſſe poenitentiam homini morienti, qoi nec hoc beneficium ſentiret, neque ſacerdoos verba, vel verborum ſonum intelligeret, & cujus tam profligata eſſet & perdita valetodo, ut non modo vocis, ſed & judicii, rationiſque uſum, facultatemque amiſiſſet? Quòd ſi noſtris temporibus ægroto alicui poenitentia imponeretur, qui mentis compos non eſſet, is ſanè, qui id præſtitiſſet, meritò omnium reprehenſionem incurreret, cùm id fruſtra eſſet, & alicujus utilitatis hodie non exiſtimaretur. Porro in illis canonibus vides, hanc vocem, *Pœnitentia*, de communione & abſolutione non eſſe accipiendam, cùm ea manifeſtò ibidem diſtinguantur: neque pro poenis, quæ pœnitentibus infligerentur, cùm penè mortuo & extincto concederetur, qui nec quidem linguam movere, aut ſupercilium adducere poſſet, tantùm abeſt, ot aliquas moleſtias pro peccatorum ſuorum ſatisfactione ſubire potuiſſet. Vides præterea poenitentiam illic uſurpari pro re quæ acciperetur ab homine muto, ſurdo, & penè mortuo, quique ad eam accipiendam, nec voluntatis, nec vocis ſignum ullum, aut ſignificationem præberet: quæque præterea ita ei adhæreret, ot ſi in ſanita-

A tem reſtitueretur, poenitentiæ tempora & moleſtias percurrere teneretur.

Ad id quod hoc tempore factitatur, & ad uſum & ſignificationem poenitentiæ, qoæ in Eccleſiam introducta eſt, nollo modo revocari, aut convenire poteſt, quod ſecundo canone duodecimi Concilii Toletani legitur poenitentiam quoddam eſſe donum, quod ſacerdotum benedictione contribueretur ei, cui vel non interdicta fuiſſet. Propterea nemo eſt, cui mirari non ſubeat, quid erat io antiqua poenitentia, quòd eam illud Concilium cum Baptiſmo compareat, & non minos quàm gratia quæ Baptiſmo infunditur, in animam hominis illius, qui ratione ipſa, & ſermone deſtitutus ſit, inſeratur; ita enim in illo canone ſcriptum legitur, *Ita & pœ-* B *nitentia donum, quod neſcientibus illabitur.* Hoc tempore poenitentia nihil fere aliud ſonat, quàm qooddam Eccleſiæ præſcriptum, decretumque, uti certum quoddam poenæ genus conſtituatur in eum, qoi noxas, & vitæ maculas pro ſatisfactione peccatorum diluere cupit, quo interea decreto, atque inſtituto, nihil in ejus animum demittitur, qui poenitentiam agit, & ſi quid animam ejus attingeret, id non conceſſione poenitentiæ, ſed abſolutione in eam penetraret.

Quod tam ſæpe in canonibos occurrit, petitam datamque pœnitentiam homini morienti, nonnomquam etiam extra confeſſionem à ſacerdotibus efflagitatam, ejuſdem concedendæ penes Epiſcopos dumtaxat poteſtatem eſſe: non niſi certis legibus, C eam irrogandam, & ſimilia quæ uiter legendum, de poenitentia hauriri poſſunt, controverſam faciuot ejuſdem poenitentiæ notionem: nam tametſi hoc tempore poenitentia quædam poſtulari poſſet, potius tamen abſolutio quæritur, quàm poenitentia, & is loquendi modus propè deſiit eſſe in ritu: neque homini (uti diximus) ad interitom ruenti pœnitentia tribuitur: neque extra confeſſionem impetrari conſuevit, neque ſolis Epiſcopis ea facultas conceſſa, ſed omnibus omnino Preſbyteris.

Ad extremum, hoc præſenti rerum ſtatu, poenitentia, quam Presbyteri imperant, non benedictio poenitentiæ vocatur, neque benedictione confertur: contrà ea vulgò imponitur io ipſamet abſo- D lutione, & ante remiſſionis benedictionem, ſed antiquitus nunquam poenitentia concedebatur cum abſolotione, aot ſine benedictione, & manuum impoſitione. Omnes item Canones, qui aut concedunt, aut negaot jus poenitentiæ dari, liquidò demonſtrant hanc vocem aliam habuiſſe acceptionem, quàm habeat hodie, & à noſtra plurimum abeſſe, nam his temporibus, nullum conſequendæ jus, aut obtinendæ eripitur, omneſque pro arbitrio, ſi eam ab abſolutione ſecludas, ſuſcipere poſſunt. Id igitur in boc capite quærendum eſt, quid poſſet ea poenitentia, quæ benedictioni peculiari conferebatur, quæ à ſolis Epiſcopis, quæ mortuis, aut pene mortuis, quæ tanquam donum aut gratia in animam dormientis infundi poterat: ſed primùm pręſtandum eſt, quod pollicitiſumus initio E hujuſce capitis, paucis oſtendam eam non poſſe accipi in illis locis pro abſolutione, neque pro communione, oec denique præciſè pro poenis, quibus poenitentes admiſſi facinoris veniam quærebant.

Canone tertio Concilii Arauſicani, hoc quaſi innui videretur, inflictâ alicui poenitentiâ, qui prope fato conceſſurus eſſet, eum ad Eccleſiæ communionem revocari, ideoque illam poenitentiam, cujus in hac obſervatione veram ac germanam ſignificationem exponere nitimur, genus quoddam communionis fuiſſe, eamque nunquam ſine abſolutione dari, ſive abſolutionis vim continere, cùm is cui in morte ea dumtaxat eſſet conceſſa, (omni alia recooiciliatione prætermiſſa) ejus præſidio fultus

in partem corporis fidelium admitteretur ; adde, in eodem Canone, eam poenitentiam, cujus intelligentia difficilis eſt, viaticum vocari, ut in Concilio Gerundenſi, *Pœnitentia benedictionem, quam viaticum deputamus.* Illud autem nemo reſpuat, viaticum apud antiquos aliud nihil dici, aut cenſeri, quàm jus, quo quis utitur & habet communicandi cum cæteris fidelibus, quamobrem ſi pœnitentia erat viaticum quoddam, omnino non eſt recuſandum, quin abſolutionis, ac communionis genus quoddam eſſet.

Canones qui pœnitentes ab Eccleſiis arcent, eoſdemque anathemate percellunt, ſi admiſsâ ſemel pœnitentiâ eam deponunt, ejuſque veſtem & habitum exuunt, & ad vomitum & ingenium redeunt, flagitioſamque vivendi rationem repetunt, canones ii, inquam, demonſtrare videntur, eam pœnitentiam, de qua hoc capite quærimus, quoddam abſolutionis genus fuiſſe. Nam quomodo pœnitentes, qui eam ipſam pœnitentiam adepti eſſent, excommunicatione plecti potuiſſent, niſi communione Eccleſiæ donati fuiſſent ? privatio illa indicat, præ ſe fertque eos poſt pœnitentiam illam, eaque, vel citra abſolutionem, accepta, in communionem cæterorum fidelium receptos fuiſſe. Neque verò reſponderi poteſt aut opponi, ea hoc jure ſocietatis ſpoliatos, ſed ſicut ſuis temporibus pœnitentia auſteritatis & acerbitatis plena, ſuſtineri poſſet & expleri, ab eo qui non eſſet excommunicatus ; ſic eos, de quibus agitur in his Canonibus, ſuarum culparum aut criminum pœnitentiam ſubiiſſe, qui tamen excommunicationis notâ non inurerentur, id inquam obtrudi non poteſt ; nam olim omnino peccata mortifera excommunicatione caſtigabantur, neque unquam fideles cum eo, qui lethale peccatum commiſiſſet, communione integra conjungebatur, niſi poſt ejus peccati relaxationem : quo poſito, illud ſemper præſupponendum, eum qui poenitentiâ mulctabatur, integro & pleno communitatis jure uſum non fuiſſe. Ex his igitur Canonibus 8. 3. 13. 25. 24. 23. Conciliorum Turonenſis, Vaſenſis, Aurelianenſis primi, 23. Epaunenſis, & ex Sancti Leonis epiſtola 9. patet illud erui poſſe, benedictionem pœnitentiæ, quæ primo quaſi ad pœnitentiam introitu dabatur, & aliquando decem, aut duodecim annis, vel ampliùs, ante abſolutionem ordinariam, quemdam modum, ſeu ſpeciem abſolutionis fuiſſe.

Sed contrà faciunt multi canones, Patrumque loci, ut neceſſariò fatendum ſit pœnitentiam quæ in morte concedebatur, non fuiſſe plenam, atque integram communionem, neque ad ejus, qui moreretur ſalutem obtinendam, uſquequaque valuiſſe : neque per eam pœnitentem abſolutum, aut in fidelium corpus adaptatum : id habet expreſsè D. Cypri. ſcribens ad Epiſcopum Antonianum, *Hortari ad ſatisfactionis pœnitentiam, & ſubtrahere de ſatisfactione medicinam.* Item, *Lacrymas fundere, ſed extra Eccleſiam, poſt iſta omnia morieris.* Item, *Pœnitentia fructus dolentibus non negandus.* Et in epiſt. 23. 3. lib. *Pœnitentiam agentibus infirmitatis periculo ſubveniri, & pacem dare* : can. 2. Concil. Vaſenſis primi, perſpicuè aſſeritur, eum qui pœnitentiam recepit, non ideo jus communionis, aut abſolutionem recepiſſe : & Sanctus Innocentius ad Exuperium Epiſcopum Toloſanum, antiquam conſtitutionem, quâ moribundis poenitentia permittebatur, duriorem nominat, quòd ea ſine abſolutione, & communione daretur. Ex quo manifeſtum eſt, eum, qui poenitentiam acceperat, jus commonionis non accepiſſe : addit præterea, in fine communionem unà cum poenitentia iis eſſe impertiendam, qui morte urgerentur, *Ut homines ejuſmodi, vel in ſupremis ſuis pœnitentiæ Salvatore noſtro, à perpetuo exitio vindicentur.* Ex quo efficitur, non fuiſſe ſatis homini excommunicato ad ſalutem, aut communionis jus accipiendum, poenitentiam impetraſſe ; eamque ab abſolutione & communione diſtinctam eſſe ; canon 36. Concil. Epaunenſis jubet poenitenti ad mortem laboranti relaxare damnationis tempora : unde perſpicies poenitentiæ tempore, de ſua ſalute poenitentes periclitari, & fidelium communionis participes eos non fuiſſe. Can. 33. Concil. Arelat. 2. præcipitur, *Ut poſtulantibus pœnitentia non negetur, cujus pœnitentiæ communio, multa tempora differatur.* Ex quo clarum eſt, eum, qui benedictionem poenitentiæ acceperat, non fuiſſe propterea à peccatis ſuis abſolutum, aut ad communionem Eccleſiæ aggregatum. Canon decimus tertius Concil. Nicæni, quo cavetur, ne quiſquam viatico neceſſario privetur, intelligendus eſt neceſſariò, & interpretandus de poenitentibus, ut omnes conſpirant, ſentiuntque interpretes. Viaticum autem illud neceſſarium, eodem canone interprete, eſt abſolutio, & jus ad communionem fidelium. Ex quo conſtat, qui poenitentiæ benedictionem receperat, non præterea jus communionis adeptum, aut abſolutum fuiſſe, ipſumque viaticum neceſſarium, non eſſe illam ipſam poenitentiæ benedictionem.

Canones omnes univerſim, qui de viatico neceſſario ad ſalutem eorum qui in extremis ſunt, loquuntur, de jure communionis, non autem de illa benedictione intelliguntur, explicantque omnes neceſſariam eſſe, ut præter illam poenitentiæ benedictionem, moriturus jus communionis recipiat, & abſolvatur. Teſtantur id canon 13. Agath. 12. primi Concil. Matiſcon. 16. & 38. Epaun. 5. Ilerd. 18. Toletani primi 2. Vaſenſis 3. Valentiæ. 76. 77. 78. 79. 4. Carthag. ii inquam omnes apertè, ac manifeſtè produnt, benedictionem illam pœnitentiæ non eſſe ſufficiens viaticum ; neque eâ excommunicatos, aut poenitentes jus communionis, aut abſolutionem impetrare. Nam præter poenitentiam illam decernitur, ut viatico pœnitentes inſtaurentur, & muniantur, ipſiſque communio & abſolutio concedatur, ſi de vita quodammodo periclitantes, periculosè laborent. Sextus Ancyranus ait : *His communio propter viaticum non denegabitur* : cùm de iis poenitentibus loquitur, aliiſque qui Epiſcopi indulgentia & conceſſu poenitentiam agerent. Efficitur præterea idem ex can. 16. ejuſdem Concilii, necnon 22. 31. 69. Eliberini, benedictionem hanc communionis jus non fuiſſe. Denique duo ſunt canonum genera, ex quibus manifeſtè colligitur, ea poenitentiæ benedictione, non fuiſſe conceſſam poenitentibus abſolutionem, aut jus communionis, ſed neceſſarium fuiſſe, ut præter illam benedictionem, jus communionis, ab Eccleſia extorquerent, ut corporis fidelium pars eſſe cenſerentur. Ac primùm quidem, ii qui decernunt, ut exacto poenitentiæ tempore, ad jus communionis perfruendum advocentur. Deinde cæteri omnes qui ſtatuunt, ut poenitentibus de vita periclitantibus jus illud impertiatur, imò & ii omnes, qui his verbis utuntur, *Dare pœnitentiam, petere, accipere*, probare videntur, nullam impetratâ poenitentiâ, abſolutionemque jus eſſe aliquod communionis extortum.

Quod attinet ad Canones, quibus probatur ejuſmodi pœnitentiam, genus quoddam eſſe communionis, & abſolutionis, eos ego ita interpretor, ut in tertio Arauſicenſi de pœnitente ſit mentio, qui non ſolùm poenitentiam in infirmitate, ſed minore etiam reconciliatione, unà cum poenitentia donatus fuerat : cuique ad perfectam communionem nihil aliud deeſſet, quam maxima reconciliatio, hoc eſt jus ad altarium, & ad Sacramenta.

Quapropter ex hoc canone derivari nequit, hac pœnitentia communionis jus conceſſum fuiſſe pœnitentibus, aut eam ad communionem aditum pateſeciſſe. Canon verò Gerundenſis, qui ait ejuſmodi pœnitentiam eſſe viaticum, eamque per communionem accipi poſſe, non ita eſt accipiendus, quaſi is, de quo illic agitur, pœnitentiam dumtaxat ſine abſolutione recepiſſet, ſed cùm pœnitentia ægrotantibus unà cum minima reconciliatione aliquando impartiretur, & eâdem manus impoſitione, & benedictione utrumque plerumque indulgeretur, pœnitentiam hanc pœnitentiæ non ſeorſim & ſeparatim, ſed unà cum abſolutione conceſſam fuiſſe certum eſt. Quod ad Canones ſuprà citatos attinet, quorum ſententiâ, communio pœnitentibus ſubtrahitur, aliter eos interpretandos exiſtimes: neque enim id canones canunt aſſeruntque, pœnitentes vera & legitima communione privandos, ac ſi cum cæteris fidelibus, ipſo pœnitentiæ tempore, altaris, Euchariſtiæ, & precum participes eſſent; ſed novum quoddam eſt, & quaſi ſupplicii & pœnæ genus quod irrogant, quòd pœnitentiam contempſerint, decernuntque iſtos pœnitentes ad mortem uſque à communione fidelium prohibendos. Nam fortaſſis eorum pœnitentia paucorum annorum ſpatio finiebatur; ſed quòd eam pro nihilo haberent, perpetua ideo excommunicatione feriebantur: crediderim non aliam eſſe horum canonum intelligentiam atque vim; non autem ut ad communionem pœnitentibus quandiu in peragenda pœnitentia verſarentur, accedere liceret. Ad hæc certum eſt, pœnitentibus excommunicatis peccatum remiſſum, & quamvis plena & perfecta communione non fruerentur, neque ad ſacra, aut ad preces admitterentur, magnum tamen inter eos, & excommunicatos diſcrimen eſſe: quapropter excommunicatione puniri poterant pœnitentes, etſi nulla eis cum cæteris fidelibus ſocietatis eſſet participatio. H[illegible] ſuffragantur verba illa Concilii Turonenſis [illegible]: *Quò facilius, & ipſe compunctionem per hanc confuſionem accipiat, & alii ejus terreantur exemplo.* Nam illa indicant atrociſſimum fuiſſe pœnæ genus à Patribus excogitatum, quò cæteri pœnitentes metu prohibiti deterrerentur, & in officio ſeſe continerent: & canon 24. Concilii Aurelianenſis tertii clarè demonſtrat id fieri, aut factum eſſe, non ut aliqua communio, aut ejus pars quædam, quam in corpore fidelium haberent, durante pœnitentia, eis adimeretur, (neque enim pœnitentes aliquam communionem poſſidebant;) ſed quòd excommunicatione perpetua ob ſpretam pœnitentiam plectebantur: *Excommunicatione plectatur, viatico conceſſo ad exitum:* unde colligas hanc excommunicationem, qua pœnitentes ob peccata commiſſa tempore pœnitentiæ puniebantur, perpetuam fuiſſe; aut certè in multum tempus productam: quæ omnia paulò latiùs deduximus, ut manifeſtum fieret, hac pœnitentia nullum communionis beneficium, aut gratiam abſolutionis & pacis conceſſam fuiſſe. Supereſt ut oſtendamus hac etiam voce, non ſignificari pœnas, quas pœnitentes ob peccata commiſſa volentes, ſine conceſſione Eccleſiæ capere poterant; ſed etiam non ſemper intelligi eas quæ ab Eccleſia præſcriberentur.

Ad id efficiendum, hoc unum, quod à Divo Innocentio affertur ſatis eſſet, *Morienti negatam fuiſſe communionem, conceſſam autem pœnitentiam,* vel quæ leguntur in Conciliis Carthaginenſi, & Arauſicano. Quis enim morienti, cujus ob valetudinem imminutæ adeo eſſent vires, ut ne vocem quidem emittere poſſet, pœnas aliquas, vel nomine pœnitentiæ infligere voluiſſet? Non eſt exiſtimandum quicquam ab Eccleſia irrogatum, cui mentis, vocis, & lucis uſuram morbus invidiſſet, quique tanquam truncus ſine ſenſu jaceret in lecto: illuſiſſent certè potius, quàm ei ſubveniſſent, ſi quicquam mandatum, aut imperatum eſſet, quod fruſtrà certò ſcirent. quare aliud quidvis potius hac voce pœnitentiæ ſignificari crederem, quàm pœnitentiæ moleſtias, & ærumnas, cùm ea moribundis impertiretur.

His expeditis, fateor laborioſum & difficillimum eſſe, ea de re aliquid certi exiſtimare, & ſententiam ſuam dicere: id enim quod antiquitus in hiſce ritibus pœnitentiæ obſervabatur, non minus alienum, & remotum eſt à noſtra diſciplina, quàm obſcurum & involutum. Quapropter ſi quis hiſce rebus judicium ſuum interponit, operam ludere videtur. Nam cùm multum temporis in eis, è ſuis tenebris & tegumentis evolvendis poſuerit, nunquam tamen eas ita aperiet, & ab omnibus difficultatibus purgabit, ut lectorum ſenſibus, & oculis tradat comprehendendas, & quaſi manibus tangendas: nihiloſecius, ſi certum eſſet, id ita mihi evenire debere, non deſinam aperire, quid de ea pœnitentia ſentiam.

Multa per pœnitentiam conferebantur pœnitentibus. ac primùm ab excommunicatione, ſive à peccato excommunicationis, ut loquuntur antiqui canones, liberabantur. Donum præterea quoddam, & gratia quædam peculiaris animis eorum per benedictionem pœnitentiæ illabebatur, quâ accenderentur ad pœnitentiam alacriùs peragendam, quaque majori dolore de peccatis commiſſis angerentur. Poſtremò ea benedictio pœnitentiæ, erat quædam peccatorum æſtimatio, qua Eccleſia (penes quam erat poteſtas ſolvendi & ligandi omnia peccata) æſtimabat quanti, aut quantis pœnis & laboribus, unumquodque peccatum, vel peccato pœnæ debitæ eſſent expiandæ; ſed ea omnia ſeparatim & fuſiùs diſcutienda ſunt.

Itaque de excommunicationis impedimentis; nunc eſſet differendum, ſi ſequenti capite pluribus non doceremus, quomodo per ejuſmodi pœnitentiæ benedictionem, iis omnibus levarentur pœnitentes, & quantum emolumenti, & utilitatis, his excuſſis, in eos collatum eſſet; quod denique inter excommunicatos, & poenitentes diſcrimen eſſet: ex quibus facilè colligetur, quid ſurdo, aut muto, vel citra abſolutionem, ex poenitentia conferretur, quare hoc loco ea ipſa non ſunt repetenda, ſed quid ſit, ad donum illud de quo loquuntur Patres Toletani Concilii accedendum. Donum aliquod, & gratia quædam poenitentibus eà benedictione conferebatur, & quod magis mireris, in eorum animam, vel ſi omnis ſenſus expertes eſſent, pervadebat, ut canone 2. duodecimi Toletani Concilii, eleganter & lucidè deſcribitur, cujus majorem partem hîc adtexere operæpretium viſum eſt, cùm nullibi magis, neque clariùs hujus doni vis & proprietates explanentur: *Quorum impudentia procax & obſtinata procacitas, nequaquam talia diceret, ſi qualiter ad vitam per ſacroſancti lavacri gratiam venerit, meminiſſet. Etenim parvulorum infantium vita originali peccato obnoxia, quæ nulli per ætatem diſcernendi, vel expetendi ſenſui aptior judicatur, niſi ſponſione fidelium Baptiſmi accipiunt Sacramentum, nullo ſenſu, etiam diſcretionis induſtria, id appetere poſſunt. Unde ſicut Baptiſmum, quod neſcientibus parvulis, ſine ulla contentione in fide tantùm proximorum accipitur: ita & pœnitentiæ donum, quod neſcientibus illabitur, abſque ulla repugnantia inviolabiliter hi, qui illud exceperint, obſervabunt.* Quod autem eſſet illud donum, & qua in re potiſſimùm conſiſteret, quidve eo accepto & infuſo poeniten-

tibus inferretur, non tam facilè reperias, qui tibi explanabit, quàm algam in littore, ut aiunt, aut cochleas in dumetis.

Enimverò diſſimulandum non eſt hæc verba; *Ita & pœnitentia donum quod neſcientibus illabitur,* admirationem mihi moviſſe, quod manifeſtè doceant ex priſcorum Patrum ſententia, aliquam per pœnitentiæ benedictionem, mentibus pœnitentium innaſci qualitatem; & quoddam veluti donum eo modo inſpirari, quo per Baptiſmum, & ſacros ordines, novis beneficiis complemur: cùm ſit hujuſce canonis ſententia, eaque illuſtretur Baptiſmi exemplo & comparatione. Quid tandem poteſt eſſe illud donum? aut qua ratione explicandum? vel eò magis res difficilis videtur, quòd hodie ſola conceſſione pœnitentiæ, in animas pœnitentium nihil quidquam reale transfouttatur. In hac quæſtione reliqua nihil feceris, ut ei lucem aliquam afferas, neſcio an è ſitu vetuſtatis eam eruere poſſis: juvabit tamen tentare in re tam implicita, & exponere quidquid illud ſit, quod in præſentia, ad tantam rem, & tam abſtruſam enodandam mihi ſuccurrit: ſi verba illa, *Ita & pœnitentia donum quod neſcientibus illabitur*, accipiantur ut ſonant, velintque antiqui illi canones, aliquid reale, ut ita dicam, ex benedictione pœnitentiæ, in mentibus remanere, id non aliud erat, quàm peculiaris quidam divinæ gratiæ favor, & veluti donum gratis datum quo confirmatus, patientiæque dono corroboratus muniebatur ad exſorbendas omnes difficultates, & exhauriendos labores, qui in illa diuturnitate prolixioris pœnitentiæ devorabantur, quique ægriùs, ſi peculiaris gratia abfuiſſet, tolerabantur: quemadmodum etiamnum videmus ſingularia quædam dona ſanctiſſimis viris à Deo concedi, ad aliqua perficienda quæ portenti & monſtri loco habentur, atque his de donis ad peculiares effectus prodendos Tertullianus diſſerit, libro de Baptiſmo, cùm ait: *Petite de Patre, petite de Domino, peculia, gratias, diſtributiones chariſmatum.* & libro de ſpectaculis: *Quod medicinas facis, quod revelationes:* quæ quidem gratiæ divinitus illapſæ, primis illis ſeculis crebræ erant, eaſque Deus Epiſcoporum benedictionibus frequenter impertiebat.

Quin etiam ad emendandam illius antiquitatis notitiam, adhibebimus pœnitentiam olim poſt Nicæni tempora, genus quoddam religionis fuiſſe, eamque pœnitentes noviſſe, & ſolemni voto nuncupatam ſubiiſſe, ut ex his canonibus liquet. canone decimoquinto Concilii Agathenſis: *Pœnitentes tempore quo pœnitentiam petunt, impoſitionem manuum, & cilicium ſuper caput, à ſacerdote (ſicut ubique conſtitutum eſt,) conſequantur, ſi autem comas non depoſuerint, aut veſtimenta non mutaverint, abjiciantur.* Canone 4. Concilii Epaunenſis: *Pœnitentiam profeſſi ad clericatum penitus non vocentur.* Canone vigeſimo tertio: *Si qui accepta profeſſaque pœnitentia boni immemor ad ſecularia revolvatur, prorſus communicare non poterit, niſi profeſſione, quam illicitè prætermiſerat, reformetur.* Aurelianenſis Concilii canone decimo tertio: *De his qui ſuſceptâ pœnitentiâ religionem ſuæ profeſſionis obliti ad ſecularia relabuntur, placuit eos à communione ſuſpendi.* Canon quoque vigeſimus quintus Concilii Arelatenſis ſecundi eodem pertinet, & de religione, & profeſſione pœnitentiæ accipiendus eſt: *Hi qui poſt ſanctam religionis profeſſionem apoſtatant, & ad ſeculum redeunt, & poſtmodum pœnitentiæ remedia non requirunt, ſine pœnitentia communionem penitùs non accipiant. & quicumque ille ſit, poſt pœnitentiam habitum ſecularem non præſumat. quod ſi præſumpſerit, ab Eccleſia alienus habeatur.* Epiſtola ſecunda Syricii capite quinto, ex Divis Innocentio & Leone multis in locis, quibus ſi adjicias pœnitentes à conſortio uxorum ſemotos fuiſſe, non niſi ex eorum conſenſu pœnitentiam ſubiiſſe, habitum communem & uſitatum cum horrido commutaſſe, nullis negotiis, aut rebus ſecularibus, ſeſe immiſcuiſſe; non erit difficile obtinere, pœnitentiam olim genus quoddam fuiſſe religionis, cujus votum nemo teneretur exolvere, niſi ab Eccleſia acceptum & ratum habitum eſſet: id autem fiebat ea manus impoſitione & benedictione, quâ pœnitentiam imperabat & concedebat.

Poſtremò nonnulla ex priſcis illis ritibus exculpere oportet, quæ huic difficultati lucem præbere poſſint. Ac primùm ad peccatorum veniam impetrandam, nihil magis apud Deum valere ducebant, quàm peccatores de ſe ſupplicium ſumere, & pœnitentiæ ærumnis & pœnis ſeſe exercere, ſi modò ab Eccleſia imponerentur, & ab ea jus & facultas illas capiendi conceſſa eſſet; nam quamquam graviſſimas volentes ſponteque pependiſſent, & exquiſitis inuſitatiſque ſeſe cruciatibus & ſuppliciis confeciſſent, horum tamen omnium apud Deum ſæpe exigua, & apud homines nulla erat aut ratio, aut exiſtimatio, niſi Eccleſiæ juſſu & imperio ea perpetienda ſumerentur. Sed cùm Eccleſiæ authoritas, & conceſſio acceſſerat, tum ſatisfaciendi vim momentumque habebant. Etenim cùm ligandi, atque ſolvendi poteſtas ei ſit permiſſa, haud dubie ex ejus arbitrio inter homines æſtimandum eſt, quidquid ad peccata eluenda, pertinere aut valere debet: vel ſi aliis verbis rem exponi velis, penes Eccleſiam eſſe iis pœnis & cruciatibus pretium facere, qui veluti in peccatorum ſolutionem cedere debent. Nam cùm penes eam eſſet (& nunc ſit) poteſtas eadem peccata condonandi, quidquid præterea hâc notâ non ſignatum offerretur, vel ei vis illa delendi, & ſolvendi non eſſet impreſſa, tanquam falſum & adulterinum non erat ſolvendo: ob [illegible] cauſas, neceſſe omnino iis videbatur, ut Eccl[illegible] pœnas præſcriberet, & benedictione eas imponeret, eaque conceſſio pœnarum & pœnitentiæ, jus pœnitendi, & remedium pœnitendi vocabatur. Ita accipiendum quod in quodam canone Concilii Valentini Galliarum habetur: *Ut his juxta Synodum Nicænam, ſatisfactionis aditus quidem non negetur, ne infelicibus lacrymis, vel ſolatii janua deſperatione claudatur, aditori verò pœnitentiam uſque in diem mortis:* quo loco pœnitentiæ conceſſio & benedictio vocatur, *Satisfactionis aditus*, & ſolatii janua, quia in eam conceſſiſſet Eccleſia, & jus pœnitendi, & agendi pœnitentiam ab ea accepiſſent pœnitentes: quidquid perpeſſi fuiſſent, quamtumuis grave & acerbum illud fuiſſet, fruſtra tentatum videbatur: quapropter, quæ ab Eccleſia concederetur pœnitentia, ea ſatisfactionis aditus vocabatur, quia ea impetratâ, jus quoque acceptum & traditum cenſebatur id agendi, quo peccatorum gratia faciliùs obtineretur. Eadem quoque pœnitentia, & pœnitentiæ benedictio, *Remedium pœnitendi* appellatur à Patribus, ut à Cæleſtino epiſt. 1. ad Epiſcopos Galliæ, cap. 11. quia ea non erat futura remedium peccatorum, quæ non ſuſciperetur ex præſcripto & imperio Eccleſiæ. Et quemadmodum Leo primus dicit abſolutionem eſſe communionis remedium, quia qui abſolvebantur, communione & ſocietate fidelium donarentur; ita quoque idem vocat pœnitentiam ab Eccleſia conceſſam, remedium pœnitendi, quòd qui ad eam admitterentur, remedium accepiſſent, quo peccatorum vulnera curarentur. Leo Ruſtico Narbonenſi Epiſcopo, cap. 2. & 6. *Pro crimine aliquo ſuo per manus impoſitionem,*

remedium accipiant pœnitendi. Item, *In cujus manu fuit, ut talium obitus, uſque ad communionis remedium differretur*. Cæterùm ſi quæ modò diximus ſatis firma & ſtabilita non videantur, nempe, non minimam abſolutionis partem, in pœnitentiæ pœnis & laboribus antiquitus poſitam, adjiciendum eſt, primis illis temporibus, multis conceſſam fuiſſe pœnitentiam, præciſa omni abſolutionis ſpe, quemadmodum Idololatris, Mœchis, Homicidis, & Apoſtatis, quibus omnibus, vel extremum ſpiritum ducentibus, delicti ſui gratiam non faciebat Eccleſia. Hos igitur, qua ratione, aut quibus verbis erigere potuiſſet ad eam pœnitentiam fortiter tolerandam, cujus fructus & commodum à ſolo Deo eſſet expectanda, niſi eadem oratione, quam modò adſcripſimus, nihil B eſſe ſcilicet, quod non vincerent pœnitentium lachrymæ, vel una excuſſa, cœlum integrum commoveri, eorum gemitus repulſam non pati, prorſus nullum tam immane ſcelus extare, cui pœnæ ab Eccleſia imperatæ veniam promereri non poſſint: & in his & ſimilibus quæ fiduciam conciliarent, pœnitentibus, qui ſine ſpe reconciliationis in pœnitentia detinebantur, ſpem injeciſſet, fore ut à Deo inculpati aliquando dimitterentur, pauci reperti fuiſſent qui in illis miſeriis ætatem exegiſſent.

His etiam & aliam rationem, quæ ex eadem illa priſca diſciplina deſumitur, adhibeamus: penes Eccleſiam non ſolùm poteſtatem eſſe credebant peccatorum delicta, ſed etiam C pœnas iiſdem delictis debitas delendi, atque adeo æſtimandi, quo pretio, quibuſve rebus eſſent redimendæ; ob hanc cauſam ab eadem Eccleſia pœnitentiam, & pœnitentiæ benedictionem expoſcebant, qua benedictione poteſtas fiebat poenitentibus, poenitentiam ſubeundi, quæ eſſet remedium poenarum, quæque vim haberet eas delendi, & expungendi. Quod autem exiſtimaſſent labores & moleſtias poenitentiæ, quæ ab Eccleſia permitterentur, hac vi præditas fuiſſe, non deſunt Patrum teſtimonia; ſed unum Tertulliani tam apertum & manifeſtum pro omnibus adducetur: *Hæc omnia exomologeſis, ut pœnitentiam commendet, ut de periculi timore Dominum honoret, ut in peccatorem* D *ipſa pronuntians pro Dei indignatione fungatur, & temporali afflictione, æterna ſupplicia non dicam fruſtretur, ſed expungat.*

Et ob has maximè cauſas, quas modò expoſuimus, crederem antiquam diſciplinam inſtituiſſe, ne ulli unquam, niſi poſt ſatisfactionem, & poenitentiam abſolutio & pax Eccleſiæ concederetur. Nam olim ut alibi diximus, non ut nunc fit, ante exactam, perfectamque pœnitentiam, nocentes inter fideles adnumerabantur: ſed multis ærumnis, longaque pœnitentia omnibus prorſus peccatoribus ad communionem via erat aperienda; quòd ſcilicet faciliùs, ut ita dicam, venia pœnitenti per abſolutionem impetraretur, qui multis jam ſeſe poenis confeciſſet, & quaſi ſatisfeciſſet. E

Ex iis omnibus quicquid de ſecunda poenitentia inter legendum occurret, id totum ita perſpicuum fiet, ut etiam ab invitis aſſenſum extorqueat; ſed priùs quàm id præſto, & oſtendo, illud unum præmittendum eſt, varia olim fuiſſe poenitentium genera. Nam cùm pœnitentia non eadem ratione, neque eodem modo omnibus concederetur, tot commemorantur pœnitentium claſſes, quot modis pœnitentia imponi poterat; qui ad quatuor genera, quantùm ad hanc quæſtionem attinet, revocari poſſunt.

Primùm, vel moribundo poenitentia ſine communione impertiebatur; cujus vires ex valetudine ita attritæ & exhauſtæ eſſent, ut nec loqui, nec audire quicquam poſſet, & qui obmutuerat, antequam ad eum ſacerdos potuiſſet accurrere. Secundum eorum erat, qui pœnitentiam, inſtante quidem morte, ſine communione acceperant; ſed valida mente, & integris ingenii viribus. Tertium genus eorum erat, quibus ad extremum uſque vitæ tempus imponebatur pœnitentia, & in ea ex Eccleſiæ præſcripto ætatem agere cogebantur, communionemque non antea recipere, quàm decederent. Ultima claſſis eorum erat, qui acceptâ, finitâque pœnitentiâ in gratiam cum Eccleſia, cæteriſque fidelibus redibant.

Cùm igitur pœnitentia eis concederetur, qui in mortis diſcrimine poſiti, alienatæ mentis ſigna & errores oſtendebant, vel quibus omnes ſenſus adempti eſſent, ejuſmodi pœnitentibus, ea omnia per benedictionem pœnitentiæ conferebantur, donum illud ſingulare infundebatur; quo ſi quis eis ſpiritus, aut mentis uſus ſupereſſet, adjuvabantur ad dolendum de peccatis ſuis, & veniam à Deo faciliùs impetrandam. Hujuſce doni eſt mentio in Concilio Toletano duodecimo, & de eo accipiendum quod ibidem repetitur, *Donum quod neſcientibus illabitur*. Nam ejuſmodi dona gratuita, quæ ſunt innumera, poſſunt muto, ſurdo, & omnis ſenſus experti, conferri. Votum illud pœnitentiæ quod fecerant, cùm eam poſtularant, quodque emiſerant antequam vires eos deficerent, & fugerent ſpiritus, ratum habebatur ab Eccleſia: eaque ratihabitio, & acceptatio donum vocari poterat, & beneficium quoddam Eccleſiæ. Nam temerè pœnitentia cuivis non concedebatur, aut votum illud agendi pœnitentiam ſine delectu recipiebatur; Patreſque Toletani Concilii, de eo dono & beneficio explicari poſſunt; neſcientis enim votum acceptum, eaque acceptio donum & beneficium vocari poſſunt. Præterea ejuſmodi homines qui in extremis eſſent, levabantur omni onere & peccato excommunicationis, (ut Patres vocant) illa pœnitentiæ benedictione & conceſſione, eaque donum etiam vocari poterat: quod neſcientibus illabe*tetur*. nullo enim majori dono, aut beneficio pœnitens ornari aut inſtrui poterat, præſertim cùm nihil illi penè vitæ reliquum eſſet, quàm ſi è poteſtate Satanæ eximeretur, & ea re donaretur qua excommunicationis impedimentum deponere, & humeris excutere valeret. Cætera quæ per benedictionem pœnitentiæ docuimus irrogari poenitentibus; videlicet certæ illæ pœnæ, & vis quædam, quæ eis ab Eccleſia inſpirabatur, qua non ſolùm peccata faciliùs, ſed etiam meriti cruciatus deleri poſſent homini illi ſurdo, & penè mortuo; non cenſebatur conceſſa, ni ſanitati reſtitueretur. Quomodo enim pœnitentiæ laboribus & moleſtiis vindicaſſet peccata ſua, qui non ſolùm omnibus viribus, ſed vita ferme deſtitutus eſſet? Si verò incolumis è morbo evaderet, quamvis neſcienti, & ne quidem audienti, aut ſentienti pœnitentia indulta eſſet, jus tamen ei acquiſitum erat ad pœnitentiam, & quicquid poſtea eo nomine uſurpabat, peccati veniâ apud Deum & Eccleſiam mereri poterat. Itaque hi erant illius pœnitentiæ fructus, quę ſine abſolutione, aut communionis ſpe pœnitentibus conferebatur: hæ utilitates, hæc commoda, quę ex illa pœnitentes, vel ſine peccatorum remiſſione capiebant, & quorum causâ tam ardentiſſimè à moribundis exoptabatur, & ſurdis, & mutis jam jamque morituris benedictione impertiebatur.

Hi verò, qui mortis metu feſtinabant ad pœni-

tentiam ; quibuſve paulò ante mortem ſine ab-
ſolutione ea concederetur ; omnia illa beneficia &
præſidia, quæ per ejuſmodi benedictionem com-
parari paulo antè ſcripſimus, conſequebantur. Nam
quamvis in extremis jacerent, & tam exiguo vi-
vendi ſpatio ſatisfacere, & diuturnas & moleſtas
poenitentiæ poenas capere & ſufferre non videren-
tur: tamen quia mentis & rationis ſenſu integro
& valido uterentur, longas illas pœnitentiæ ærom-
nas una cogitatione, vel leviſſima poena æquare
poterant, & explere, ſi ita juſſiſſet & conceſſiſſet
Eccleſia: in cujus eſt poteſtate cootrahere, mi-
noere, aut producere poenas illas peccatis debitas,
& ſatisfactionis meritum æſtimare, & ponderare,
atque ſatisfaciendi vim & pondus quibuſlibet poe-
nis quaotumvis exiguis & levibus imponere, &
inferre.

Ex iis omnibus ſatis liquet, qoid cæteri poeni-
tentes tertiæ & quartæ claſſis, ex pœnitentiæ be-
nedictione adipiſci poterant. Quaptupter ea re-
ferre amplius, aot explicare ſuperſedebimus. Cæ-
terùm ex iiſdem intelligitur, quid verba illa apud
Innocentium ſibi velint: *Negatam fuiſſe commu-
nionem, conceſſam pœnitentiam, ne totum penitus
negaretur;* totum enim non uegabatur, cùm poe-
nitentia ſine commonione concedebatur; cùm
tam variis, tamque divitibus, & pretioſis donis
& beneficiis, ea accepta, complerentur poenitèn-
tes. Cætera quoque, quæ de eadem poenitentia
reperiuntur à Patribus, aut à Conciliis dicta &
uſurpata, conveniunt cum his quæ diximus. Nam
petere poenitentiam extra confeſſionis ſacramen-
tum, eam ſine abſolutione concedi, eam recuſari,
non poſſe ſine Eccleſiæ conceſſione oſorpari, &
bis ſimilia: ex iis quæ in hac obſervatione haben-
tur, ſi explicari & plana fieri non poſſunt, aliis
ſaltem, ot eò perveniant, viam & facem præ-
buerimus.

OBSERVATIO IV.

Diſcrimen inter Excommunicatos & Pœnitentes perpetuæ Pœnitentiæ.

NOn ſatis compertum habeo, an olim quem-
quam communione fidelium ita moverit
Eccleſia, ut umoem ei uun ſolùm abſolutionis,
ſed etiam pœnitentiæ ſpem eriperet: & an quoſ-
dam ita ſeverè exercitos habuerit, ut perpetua
eos excommunicatione feriret: id autem quan-
quam in præſentia uon attineat, neque magnope-
re interſit diſceptare, ac diſcutere; facilè tamen
addocor, ut credam facinoroſis, & ex omnium
ſcelerum, & flagitiorum colluvione concretis
hominibos, vel etiam, ſi in eadem ſæpiùs præci-
pites peccata abeant, poenitentiam, modò illa
peteretur, nunquam denegatam. Cæleſtini verba
id ſuadere videntur capite ſecundo epiſtola ad
Galliæ Epiſcopos: *Agnovimus pœnitentiam mo-
rientibus denegari, nec illorum deſideriis annui,
qui obitus ſui tempore hoc animæ ſuæ cupiunt reme-
dio ſubveniri. Horremus fateor tanta impietatis
aliquem reperiri, ut de pietate deſperet: quaſi non
poſſit ad ſe quovis tempore concurrenti ſuccurrere,
& periclitantem ſub onere peccatorum hominem re-
dimere, quo ſe ille expediri deſiderat & liberari.
Quid hoc rogo aliud eſt, quàm morienti mor-
tem addere, ejuſque animam ſua crudelitate ne
abſolvi poſſit, occidere? &c. Salutem ergo homini
adimit, quiſquis mortis tempore pœnitentiam dene-
garit.* Item: *Cùm ergo Dominus ſit cordis inſpe-
ctor, quovis tempore non eſt deneganda pœnitentia
poſtulanti, cùm ille ſe obliget judici, cui occulta*

A *omnia noverit revelari.* Idem etiam ex his Inno-
centii verbis haoriri poteſt: *Negata meritò com-
munio, conceſſa pœnitentia,* & ſi in hiſce ſcriptis
hi loquendi modi, *Excommunicationis perpetuæ,
perpetuò excommunicati,* aut iis ſimiles reperian-
tur, non ita à me dicta quis exiſtimet, quaſi ve-
lim aliquos olim perpetua excommunicatione pu-
nitos, ſed ut poenitentes perpetuæ poenitentiæ ab
aliis poenitentibus diſtinguerem, & vim perpetuæ
poenitentiæ exprimerem: verùm an jure Eccleſia,
& ea qua pollet aothoritate potuerit id facere,
eſſent qui exiſtimarent, hac præcipua de caoſa,
quòd magis inſolens, aut alienom à diſciplina
Chriſtiana id noo videatur, quàm Idololatris vel
in morte pacem & abſolutionem recuſare; qood
B antiquitus factum legimus & probavimus: ſed
quidquid ſit, multi reperiebantur excommunica-
ti, qui circum fores Eccleſiæ poenitentiam fla-
gitabant, multi præterea, qui ſalutis ſuæ imme-
mores neglecta & nun petita poenitentia more-
rentur: bos igitur cum poenitentibus lubet con-
ferre, qui in perpetua poenitentia ætatem tranſi-
gebant. Nam illud non eſt ambiguum, & extra
omoem controverſiam, de quibuſdam olim ita
ſtatutum, ut omni abſolutionis ſpe præciſa, vel
ſi præcipiti aliquo valetudinis genere tentaren-
tur, ſolâ poenitentiâ donarentur. Excommu-
nicati iiſdem judiciis, quibus communione fi-
delium indigni facti erant, Satanæ quaſi traditi
C cenſebantur, & amiſſis omnibus quæ per Ba-
ptiſmum adepti eſſent, ad eum ſtatum rediſſe,
quem antequam lavacro purgarentur, habebant.
Id ita certum & fixom olim habebatur, ut non
niſi iiſdem ritibus, iiſdemque exorciſmis, paci
reſtituerentur poenitentes, qoàm Catechumeni
in Chriſti familiam Baptiſmu tranſierant. unde
dignoſcitur, de utriſque idem judicium apud anti-
quos fuiſſe, neque magis hos, quàm illos ex eo-
rum Theologia & ſchola io Satanæ fuiſſe pote-
ſtate. Excommunicati igitur per ſententiam ex-
communicationis, in illud periculum vocabantur:
atque ex ea adeo certa pernicies & peſtis eis impen-
debat, ut ſi ob aliam cauſam, quàm quòd lethali-
ter peccaſſent, ot ita dicam, jus ſocietatis amiſiſ-
ſent, nihilominus peccato teneri, & in ſummo
D diſcrimine verſari crederentur. Agathenſe Con-
cilium Canone tertio: *Et ſi parere noluerint,
communio illis uſque ad tempus Synodi, à reliquis
Epiſcopis non denegetur, ne fortè propter excom-
municationis peccatum, excommunicati longo tem-
pore morte præveniantur.* Quibus verbis peccatum
aliquod excommunicationis judicio quaſi impoui,
& affingi videtur.

Præterea excommunicati à cæteris Chriſtianis,
ot alibi diximus, tanquam polluti vitabantur, ve-
rùm tanta cura, tantoque ſtudio, ut ne eos qui-
dem, oon dico alloqui, ſed nec intueri ſatis tu-
tum, & honeſtum eis videretur, ne minioo ſci-
licet, vel uſo, vel conſuetudine, labem contagio-
ne contraherent, & pares, ſimileſque illis effice-
E rentur. Ad extremum nemo eſt, qui ignoret ſi in
his rebus minimùm verſatus ſit, pro eo qui in
excommunicationis vinculis mortuus eſſet, vel
privatim, vel publicè nefas olim fuiſſe preces con-
cipere, aut poſt ejus obitum, quæ à propinquis
pro animæ ejus ſalute oblationes & munera offer-
rentur, accipere, benedicere, aut altari, ut mos
erat, admovere.

Hic erat excommunicatorum in Eccleſia ſtatus,
& vitæ conditio, at poenitentium longè diverſa:
nam quamvis à communione fidelium tam pro-
cul abeſſent, ut eam recuperandi, ne in morte
quidem copiam non magis ſperare deberent, quam
excommunicati, tamen benedictione poenitentiæ,

manuumque impoſitione pleraque conſequebantur, quibus eorum conditio potior fiebat. Primùm cùm excommunicato poenitentia concederetur, eadem manus impoſitione tollebatur excommunicatio, & periculum illud, quod excommunicatione intentabatur: non hærebat ampliùs poenitens in peccato illo, quod appellant excommunicationis; è poteſtate denique ac tyrannide dæmonis eximebatur. Clarum autem id fit ex canonibus, qui ſtatuunt, ut poenitentiæ deſertor, & transfuga, poenitentiæ habitu repudiato, excommunicetur: id enim decretum ſupponit, præmittique poenitentes, ſuo poenitentiæ tempore excommunicationem non incurriſſe, cùm in ea non perſeverantes excommunicari potuerint. Præterea ſi ante poenitentiam meminerimus poenitentem excommunicatum fuiſſe, quare, & quomodo ſolutus ſit ab ea excommunicatione, cùm ante poenitentiam ea adſtrictus, impetratâ ſolutus reperiatur? Nulla certè alia ratio afferri poteſt, quàm impoſitione manuum, & poenitentiæ benedictione eum ab excommunicatione liberatum eſſe. nam ab excommunicatione ad tertium uſque gradum poenitentiæ, nulla reperitur, aut Eccleſiæ ad verſus excommunicatos indulgentia, aut ceremonia alia quàm poenitentiæ conceſſio & condonatio; quare neceſſariò affirmandum eſt, ea conceſſione ſublatam fuiſſe excommunicationem.

Cæterum quamvis poenitentes nulla premerentur excommunicatione, non ideo participes eos exiſtimes fidelium communionis, veluti omnia cum cæteris communia haberent, orationes, preces, ſacra, ſacrificia, oblationes, Agapas, ſtationes, vigilias, jejunia, & ſimilia, quæ apud fideles celebrabantur. nam ea omnia poenitentibus æquè ac excommunicatis deerant: neque magis illis, quamvis in vinculis excommunicationis non detinerentur, quàm his eorum omnium fiebat poteſtas. Inter excommunicatos igitur, & fideles media quaſi via incedebant Poenitentes, & communionis Chriſtianæ veluti canditati vocari poterant: nam quamvis jure ſocietatis fidelium caterent, non propterea vagi, non exules, non incerti, ut excommunicati ejus quæ poſt mortem futura eſſet ſalutis conditio, imo ſecuri confidebant, ſi æquo animo & patienter impoſitas poenas toleraſſent, ſibi Deum fore miſericordem. Neque mirum videri debet, quod diximus poenitentes medium quaſi ſtatum inter fideles, & excommunicatos obtinuiſſe: nam tot & tanti erant gradus interjecti, antequam ad Euchariſtiam pervenirerur, ut tot genera poenitentium numerari poſſint, quot eſſent gradus poenitentiæ & communionis; atque ut poenitentes quarti gradus, qui vocabantur *Subſiſtentes*, non erant poenitentes (veri enim poenitentes in tertio gradu collocabantur) neque fideles, ſed medio quaſi ordine inter poenitentes & fideles inſerebantur, ita poenitentes, primi, ſecundi & tertii gradus, quibus ab Eccleſia eſſet conceſſa poenitentia, medium locum inter excommunicatos & ſubſiſtentes occupabant: quemadmodum etiam, qui Baptiſmo purgati antequam confirmarentur deceſſerant, non vocabantur Chriſtiani, neque fideles, (ſi veterem loquendi uſum tenere velis) ſed baptiſati: eodem planè modo poenitentes non poſſunt vocari Excommunicati, ſed inter eos & fideles recenſebantur.

Poſtremò, fas erat cum eis agere, verſari, cibum capere, ac ejuſmodi humanitatis officia perſequi, & quod vivi communionis & pacis jus obtinere non poterant, emiſſa anima ſe ſe recuperaturos non dubitabant. nam poſt mortem oblationes eorum ab Eccleſia recipiebantur, qui unus

A erat modus, & ratio, qua qui in poenitentia abſque reconciliatione, vita exceſſerant, in communionem revocarentur; quæ omnia apud excommunicatos non erant. Quòd autem oblationes pœnitentium poſt eorum mortem ſolemnibus ſacris adhiberentur, varia extant teſtimonia. Arelatenſe Concilium ſecundum Canone duodecimo: *De his qui in pœnitentia poſiti vita exceſſerant, placuit nullum communione vacuum debere dimitti, ſed pro eo quod honoravit pœnitentiam, oblatio illius recipiatur.* Concilium Carthaginenſe quartum Canone ſeptuageſimo nono: *Pœnitentes qui attentè leges pœnitentiæ exequuntur, ſi caſu in itinere, vel in mari mortui fuerint; ubi eis* B *ſubveniri non poſſit, memoria eorum & orationibus, & oblationibus commendetur.* Sed non ſolùm oblationes pœnitentium, qui antequam abſolverentur, extincti eſſent, recipiebantur, verùm eorum etiam, qui pœnitentiam deſiderantes, & inclamantes morte oppreſſi fuerant, antequam adjuvari potuiſſent; teſtante id ultimo Canone, qui Concilio Epaunenſi annectitur: *Si aliquis excommunicatus fuerit mortuus, qui jam ſit confeſſus, & teſtimonium habet bonum, & non poterat venire ad ſacerdotem, ſed præoccupavit eum mors in domo, aut in via, faciant pro eo parentes ejus oblationem ad altare, & dent redemptionem pro captivis.*

OBSERVATIO V.

C

Unica poſt Baptiſmum Pœnitentia.

INcredibilia propè ſunt, quæ his capitibus dicturi ſumus: ſed tamen ita vera, atque certa, & quæ cujuſque animum ſummam in admirationem rapiant, Eccleſiam primis temporibus nulla, vel leviſſima labe inquinatam fuiſſe: quin ita illibatam, intactamque, ut omni ratione, cura & ſollicitudine proſpexeris, filii ut ſui, quam à Baptiſmo hauſerant puritatem, eam nulla aſperſam vitii alicujus macula ac fœditate conſervarent: imo ea ſeveritate adhibita, ut fugiendum ſibi, deteſtandumque peccatum, quovis terrore propoſito putarent.

Non ſolùm autem multa crimina peccataque numerabantur, quorum authores, artificeſque abſolutionem omnem deſperabant, D ſed & ea quoque quibus ignoſci, & pœnitentiam concedi oportere ſenſerat, peccata ita ulciſcebatur, ut non niſi ſemel eis qui ea commiſiſſent, unius pœnitentiæ copiam faceret Eccleſia: hoc eſt, ſi poſt Baptiſmum quis lethaliter peccaſſet, (exceptis iis peccatis, quæ monſtri loco haberentur, & aliis tribus quæ commemoravimus) illi multorum annorum poenitentiam unam aſſignabat, qua tandem acta, ad fidelium communitatem allegebatur. Quòd ſi cum Eccleſia reconciliatus in idem aut aliud mortale peccatum iterum prolaberetur, ita in perpetuum tribus E primis ſeculis ab Eccleſia repulſam ferebat, ut non niſi pœnitentiæ, & in morte precum, quæ reliqua erant ſubſidia, expectanda ſibi duceret, nulla abſolutione data, quæ in ſpem veniæ illum erigeret. Quæ diſciplinæ antiquæ inſtituta propoſitaque ita ſentio quoſdam torquere, ut ſi probationum noſtrarum firmamenta admittant, rem tamen non credant ab Eccleſia ullo tempore uſurpatam. Hermes antiquus author, libro ſecundo unicam eſſe pœnitentiam aſſerit, *Servis quidem Dei pœnitentia una eſt.* Item, *Unam pœnitentiam habet.* Tertulliano authore idem confirmatur, qui rem totam planiùs: *piget ſecundæ, imo jam ultimæ ſpei ſubnectere rationem.* Item, *Sed jam ſemel, quia jam ſecundo; ſed amplius nunquam quia*

proximè fruſtra. Divus Ambroſius, & Divus Auguſtinus A in eandem mentem loquuntur & ſentiunt. Sed quis primorum Eccleſiæ temporum ſeveritatem, acrimoniamque non fuiſſe eam credat ? cùm perſpicuè demonſtremus non pauca fuiſſe peccata, quæ perpetua excommunicatione ferirentur, boc eſt qui communioni, ne in morte quidem reſtituercotur. Non minus juſtum, æquomque videtur Eccleſiæ fores occludere iis, qui Dei miſericordiam ludibrio habeant, (ita loquotur canones) quique iiſdem ſeſe vitiorum illecebris conſtringendos dedunt, quorum veniam ſemel impetratant, ac iis qui nuoquam ullius remiſſionis beneficio affecti ſunt. Cùm, quæ Concilium Eliberinum ſecundo & tertio canone ſentit, vera eſſe putaotur & credibilia, eos perpetua B pœnitentia, vel citra abſolutionem caſtigatos fuiſſe, qui tria aut duo in ſe peccata mortifera concepiſſent; graviùs autem, acerbiúſque quis exiſtimet eis ſecundam denegate pœnitentiam, quos olim Eccleſia perſanaſſet, udem iti idem peccatum malitiosè recidiſſent ? At quid clarius eſſe poteſt eo canone, qui ſeptimus Concilii Eliberitani : *Si quis fortè fidelis poſt lapſum mœchiæ, poſt tempora cõſtituta, acta pœnitentia, denuò fuit fornicatus, placuit eum nec in fine habere communionem.* Et qood peccatum peccato carnis longiùs latiúſque ſerpit ? Patres tamen Eliberitani Concilii ei qui ſecundò pellici ſe ad id peccatum ſiverit, pœnitentiæ locum non impertiuntur. Ne cui autem de eorum C inſtituto, decretoque dubitare liceat, neve minus illud ipſum paſſim obſervetur, eandem omnino cauſam repetunt Canone 47. Rationemque ſubjiciunt, non eſſe diutius id ferendum, ne communio fidelium in contemptum vocetut. Si temporo Syricii, Sancti Innocentii, Divi Leonis, item Conciliorum Arelatenſis, Venerici, Turonenſis, Aodegavenſis & Toletani, oulla alia iis qui poſt pœnitentism rurſus peccabant, aut anchora propoſita, aut Eccleſiæ gratia ſperanda, quàm ut quandio viverent, Euchariſtiâ privarentur; quo tandem modo ab Eccleſia primis illis temporibus divexatos fuiſſe potandum eſt ? quo quidem tempore ſanctus Innocentius ait coactam, compulſamque Eccleſiam ſeveriùs animadvertere in delinquentes, quo attocitate diſciplinæ auſterioris D invecta, in officio continerentur fideles contra perſecutionum fluctus, turbulentiſſimaſqoe tempeſtates, quibus Eccleſia jactabatur vehementiùs, ſi non abſorbebatur. De ea priſtina ſeveritate luculentum extat teſtimonium in Concilio Toletano tertio, canone undecimo his verbis: *Sed fœdiſſimè pro ſuis peccatis homines agere pœnitentiam, ut quoties peccare libuerit, toties à Preſbyteris ſe reconciliari expoſtulent.* Et, *Hi verò qui ad propria vitia, vel infra pœnitentia tempus, vel poſt reconciliationem relabuntur, ſecundùm priorum canonum ſeveritatem damnentur.* Quod ad illam diſtinctionem, ſeu diſcrimeo pœnitentiæ publicæ ſeu ſolemnis, privatæ & ſingularis attinet, quod plerique in medio ponunt, exiſtimantque E hac illata, inductaqoe differentia omnes difficultatum nodos poſſe convelli & diſſolvi, qui legentibus & pervolventibus ſcripta. & canones Patrum inexplicabiles occurrunt. Id ipſum non niſi ad quartum ſeculum & conſequentes anoos referri & valere poteſt. primis enim temporibus, non unius ejuſdemque peccati lethalis cauſâ, duo diſtiucta reperias pœnitentiæ genera: nec probaro quis poſſet propter unius fornicationis crimen ſive publicum, ſive privatum, aliam fuiſſe quam publicam indictam poenitentiam.

OBSERVATIO VI.

Toties indultum quoties peccatum.

EX illa dura & moleſta ſanè Eccleſiaſticæ diſciplinæ ratione eò delabi cœpta eſt Eccleſia, ut peccata omnia quæ committerentur, oon ſemel aut iterum, ſed quoties peccaretur, toties dimitteret. At quomodo & quando id permiſſum eſt ? Primùm non ignorandum eſt tempore Concilii Eliberini onicam fuiſſe poenitentiam permiſſam: canones quippe antè citati manifeſtè id declarant. Neocæſarienſe Concilium poenitentiam eam mulierem ægrè poſſe obtinere ait quæ turſus adulterio ſeſe contaminarit. Laodicenſe ſecundo canone aſſerit poenitentiam dari poſſe ei, eáque exacta, poſtea communionem, qui mortifera peccata non pauca commiſiſſet. Inde intelligas oportet, ſi ſubdubitarent, utrum illis, qui plurimis ſeſe lethalibus peccatis obligaſſent, concedenda eſſet poenitentia, multò magis dubitaturos, an is eam impetrare jure poſſet, cui poſt poenitentiam & abſolutionem contigerit, in idem peccatum, quod aliàs admiſiſſet, recidere. Syricius apertè omnino, quod ad eos attinet, qui peccata peccatis accumulant, aut denuò peccant, poſt poenitentiam, & abſolotionem, ſi rurſus peccent eripi omnino oportere poenitentiæ locum & remedium: tamen hanc veniam poſſe quamquam indigniſſimis tribui, ut ſolemni ſacrificio, rebuſque divinis interſint: at ut Euchariſtiam ſumant oon niſi in morte iis concedere, quo ex permiſſu, poſſumos cognoſcere, tempore Syricii nondom fuiſſe ratum atque fixum, ut quoties quis deliquiſſet ei ignoſceretur. Verum quidem eſt iſto canone ſeveritatem iſtam antiquam, & quæ fuerat primis ſeculis, cœptam diminui: nam ingreſſus in Eccleſiam liberè eis permittitur, communicatio precum & Euchariſtiæ io morte impertitur, quibus olim eos caruiſſe certum eſt in tertio Toletan. Concil. quod anno Domini 489. aut 490. habitum eſt. Epiſcopi non ferendum illum, qui in Eccleſiam illatus fuerat, morem graviter inſectati ſunt, ut toties peccatorum condonatio fieret, quoties eſſe ab aliquo commiſſa comperiſſent, ſtatueruntque ex antiquo veteris memoriæ Patrum decreto præſcriptoque poenitentiam agendam, eaque rite peracta, ſi quis peccato ſe mortifero induerit, pro ſeveritate aotiquorum canonum puniendum; boc eſt meo judicio, omni præciſa ſpe ſocietatis fidelium, eſturbandum excommunicatione: unde poteſt colligi, non niſi quarto aot quinto ſeculo hunc morem invectum, ut iis, qui poſt ſecundam poenitentiam ejuſdem criminis rei comperiebantur, alia concederetur poenitentia.

OBSERVATIO VII.

Abſolutio in morte denegata.

QVis auderet, velletque pro certo ſtatuere primorum temporum adeo duram, ſeveramque fuiſſe diſciplinam, ut ne excommunicatis quidem, hoc eſt, poenitentibus perpetuæ poenitentiæ, cùm extremum vitæ ſpiritum profunderent, abſolutionem impertiri vellet. Preces infimas, lacrymaſque hominis in ſummum vitæ diſcrimen adducti, cùm ejus ex hoc corporis ergaſtulo animus in aliam vitam erompat & evolet, ita deſpici ab Eccleſia, ut id ei ſummopere contendenti, ipſa non largiatur, quod non efflagitantibus, ac prope recuſantibus hodierno die ultro Eccleſia offerat: admirabilis & portenti loco cenſebitur hæc

propoſitio

propoſitio, eamque aliquo modo facere cum Novatianis, aut ab eorum partibus ſtare nonnulli arbitrabuntur: atque id auſim affirmare, ut omnia conquiramus, perſcrutemurque argumenta probabilia, quibus id ſtatuamus, non eam tamen vim habitura, ut opinionem hanc non rejiciendam comprobemus. Tamen qui eam conſideratè & attentè perpenderit, non poterit non ſumma admiratione compleri & affici, cùm ſecum ipſe cogitarit quæ fuerit antiquæ diſciplinæ vis atque perfectio, innocentia, charitas, obedientiaque Chriſtianorum, ubi Chriſtiani, inquam, illi, qui annum unum nullius peccati lethiferi ſibi conſcii vitam traduxerunt; quique eo robore, ac conſtantia animi ſunt, ut omnes voluptatum illecebras, lenocinia oblectamentaque reſpuant, omnem luxum & turpitudinem oderint, ubi fidelium greges intacti, vitæque integritas tanta ſit, ut omni genere virtutum, atque actionum honeſtiſſimarum ſplendore ac dignitate, cum primis ſeculis contendant? Ecquis uſquam reperiatur, qui antiquæ pœnitentiæ aſperitatem ſqualoremque ſufferre ac ſuſtinere poſſit?

At dicat quiſpiam Chriſtianos, hoc impoſito invectoque in medium vivendi modo, atque ratione in apertum æternæ ſalutis periculum vocatos fuiſſe: Non eſſe cuivis facile & proclive tantum doloris & triſtitiæ ex vita flagitioſa & ſceleratè traducta, quantum eſſe poſſit ad delendam evellendamque ex animo Dei, ut ita loquar, unius peccati lethalis memoriam, erepto ſacramentorum ſubſidio. Prętereа nemo ſanæ mentis & conſilii inficiabitur, eoſdem Chriſtianos ſpoliatos videri cęleſti quodam ſavore, ac gratiæ divinæ benignitate, quàm novi teſtamenti lex ſibi pręcipuè, cùm eo vetus teſtamentum careret, vendicare poſſit. Nam pręſidia, aut auxilia quæ expectantur, *ex opere operato* certiora ac firmiora multò ſunt iis, quæ ex opere operantis proficiſcuntur, aut aliis legalibus quibus Judęi tantùm nitebantur. Revera tamen exercitum hoc & ſolicitum vivendi genus in perſequenda virtute eos delectaſſe certum eſt: ſed cùm me penitus in eorum Theologiæ diſciplinam dediſſem, has ego rationes non contemnendas reperiebam. Primùm enim ad Chriſtianorum fidem amplexandam fermè omnes ætate jam provectos primis temporibus animum adjeciſſe conſtat, qui cùm ſenſim per gradus quoſdam, ac veluti incunabula Catechumenorum proceſſiſſent, hanc imbibebant opinionem, quæ penitus in eorum animis inſideret, divinæ juſtitiæ iram vehementer pertimeſcendam, peccati turpitudinem immortali odio digniſſimam, tanquam contagioſiſſimam peſtem fugiendam, magno & excelſo animi robore ad virtutis iter multis difficultatum vepretis, atque dumis obſeptum progrediendum: quò non niſi patientię laude pręcellentes, & alta quadam mente pręditi pervenirent. Eccleſia autem Divuſque Paulus memoriæ proditum non ignorabat, ſe ſuuſque miniſtros, *Myſteriorum diſpenſatores* eſſe, non ſolùm ut quo ordine, quove modo atque via ſacramentorum ipſa adminiſtratio inſtitueretur, ſed etiam ut ſummo jure, ac pro ſua ſumma poteſtate, ſuum ad arbitrium atque judicium ſacramenta aut recuſaret, aut adminiſtraret Eccleſia. Tertiò verba illa divi Pauli, *Modicum fermentum totam maſſam corrumpit*, in eam ſententiam, ſpectata vi verborum, interpretabatur Eccleſia, credebatque, ſi quis ad ſocietatem congreſſumque aliorum coaptatus fuiſſet peccator, qui tetri alicujus flagitii & ſceleris conſcientiâ exulceratus eſſet, nec id à ſe crimen perpetratum, debito quo par erat pœnitentiæ alicujus ſupplicio, diluiſſet, cęteros fideles ſua congreſſione ac conſuetudine in eandem fraudem, malitiamque pertrahere potuiſſe. D. Cyprianus non rarò hoc veluti pronunciatum, quaſi ab omnibus & receptum exaggerat, multaque alia inde, ut veriſſima colligit, uſque eo ut dicat Stephanum Papam cùm baptiſmum hęreticorum, ut legitimum valere ad ſalutem ſentiret, in eorum communionem & ſocietatem veniſſe. Et non ſe tantùm, ſed & alios de ſuo grege fideles omnium peccatorum, quæ à prava hęreticorum ſecta derivantur conſcios conſorteſque reddidiſſe; à quo etiam ſcelere non abhorrere videbantur cęteræ aliæ Eccleſiæ, quæ hujus Pontificis doctrinam tuerentur, ac defenderent. Tertull. ante Cyprianum, non alio argumento uſus, idem confirmarat. Ex illo autem metu, qui fuit maximus, illaque Theologiæ diſciplina ſeu doctrina, ut cum ſumma caſtimonia vitam traducerent, injectus ille ardor erupit, aut, ut prolixa tot annorum pœnitentia ſuſciperetur, qua peccatores vitiorum peccatorumque ſordibus deterſis perpurgarentur, antequam ad fidelium numerum, cœtumque rurſus allegerentur. Quando autem tam atrocia, tamque fœda peccata deprehendebantur, veriti ne non ſatis eos pœniteret qui ea commiſiſſent, & ita deleri aut elui non poſſent, ea omnia divinæ voluntari judicioque reſervabant: neque Eccleſiæ cum iis commercium eſſe ullum, ſocietatemque vo'ebant. Quarto loco, tametſi eam planè vim poteſtatemque ligandi, aut ſolvendi Eccleſiam obtinere credidiſſent, eademque ſacramenta vim eam habere omnino non dubitarent: tamen hoc unum meditabantur & ſtatuebant, ut ſatisfactione peccata expiarentur, pœnitenſque ſuorum à Deo flagitiorum veniam impetraret: atque adeo ſupplicio potius de ſe ſumpto, pœoaque ſibi irrogata, ea expungeret, quàm ulla vi ſacramentorum: etſi fortè eos is metus urgeret, ne non omnino ſatis graves & acerbas peccatorum ſuorum pœnas à ſe repetiiſſent pœnitentes, eos ad Dei Optimi Maximi miſericordiam & benignitatem remittebant, neque ſinebant ſuo à quo rejecti fuerant gregi obrepere, ne eorum ſocietate reliquus grex fidelium contaminaretur.

Quintò ita ſeverè aſperéque eos tractabant, quò illi ſe intra officii religioniſque cancellos continerent, virtutem perſequerentur, vitii turpitudinem fugerent. nam cùm propter peccatum lethale, non ignorarent, perpetua ſe excommunicatione, aut quæ ad multos annos propagaretur, ſegregandos, ſe ſuaque omnia ſtu dioſiùs, ne qua in re laberentur circumſpiciebant. Adde miracula propè quotidiana, adeoque frequentia, quæ oculis uſurpabant, quibus commoti non pauci, qui aliàs obſtinatos ſe ac obfirmatos adverſus fidem Chriſtianam prę ſe ferebant, eam conſtantiſſimè complecterentur: quam alioquin non tam divini verbi prędicatione, quàm miraculorum copia adducti arripiebant. Mirio graviſſimorum ac periculoſiſſimorum morborum depulſiones, exactos è corporibus hominum dęmones, aliaque ſexcenta portenta divinitùs geſta, hęc, aliaque tacitùs prętereo: quamquam eam vim habebant, ut in multorum animis divini amoris, charitatiſque faces accenderentur, obedientia prompta, alacritas, hilaritas, cæterque virtutes, quæ in omnium pectoribus emicabant, vigerent. Omnes uno verbo, quaſi ab omni ſenſu ſevocarentur, extra ſe poſiti in cęleſtium rerum cogitatione, ac commentatione defigebantur, erantque in attonito nec quicquam optatius, aut jucundius accidere illis poterat, quàm ut cruciatus Chriſti causâ perpeti poſſent.

Quapropter non eſt mirandum, cur gravi quodam flagitio coopertum & ſcelere conflatum hominem a ſuo tam caſto integroque cœtu, in quo nunquam nihil pręter innocentiam ſpectares, propulſarent: ut videmus extra ſepta religioſarum fami-

aut copia ei facta fuiſſet, neque abſolutio conceſſa, auſurum fuiſſe Euchariſtiam petere? cùm primis Eccleſiæ temporibus perfecta abſolutaque omni ex parte reconciliatio & jus ad Euchariſtiam non niſi certo quodam ordine aliquot annorũ concederetur? Primùm enim facultas agendæ pœnitentiæ dabatur quamvis penè expiraret: deinde minor reconciliatio: ad extremum jus ad Euchariſtiam: quo pacto quis probabile putet Concilium verba facturum fuiſſe de fine & perfectione communionis, niſi ante diſſeruiſſet de modo atque via eo quo tendebant perveniendi? atque adeo de aliis, ut ita loquar, communionibus, quæ ad hanc ſummam, atque omnino abſolutam communionem perducerent. Poſtremò nobiſcum illi conſentientibus animis ſentiebant abſolutionem ſatis omnino præſidii atque opis afferre ad ſalutem, ideoque quod ad peccatorum cauſam attinet, aliud nihil duriſſimis illis & ſeveriſſimis temporibus agitur, quàm quod ad ſalutem excommunicatorum valeat. Quapropter in ultimo illo canone, vox illa, *communionis*, pro abſolutione, non pro Euchariſtia accipienda eſt. Concilium Nicænum canonemne edidit de re, quæ decreta jam, uſitata, confirmataque ab exordio naſcentis Eccleſiæ eſſet nemine reluctante, aut repugnante, atque adeo jam inde ab Apoſtolis antiquitate per manus, quaſi ad Concilium Nicænum uſque tranſmittente, oſuque comprobante, cùm inſtituiſſet, præcepiſſetque Concilium uti abſolutio ſive communio pœnitentibus daretur, morte accedente interceptis antequam poenitentiam aliquot annorum ſpatio definitam peregiſſent? Hoc omnium aures reſpuunt: neque enim leges aliam ob cauſam feruntur, quàm ut quod interverſum aut perturbatum eſt, reſtituant, aut aliquid quod ab Eccleſia in poſterum obſervetur, decernant. Hinc perſpicitur ante XIII. Canonem Nicænæ ſynodi aliquos non conceſſiſſe Poenitentibus, cùm morerentur, abſolutionem.

Et quamquam iſto omnium celeberrimo Concilio conſtitutum videatur, uti omnes poenitentes morte abſolvantur; tamen in Concilio Sardicenſi Can. 1. certas ob cauſas ob aliquaque quæ occurrent crimina decretum eſt, ne in morte communio & abſolutio concedatur. Quòd ſi *Communio laica* aliud nihil eſt quàm in cœtum numerumque fidelium laicorum aſcribi, & à peccatis abſolvi, uti aliàs demonſtratum eſt, videre erit in illo Concilio abſolutionem in morte negatam: *Omnino has fraudes damnandas eſſe arbitror, ita ut nec laicam communionem in fine accipiat talis.* Quod autem à Sancto Innocentio ad Epiſcopum Toloſanum ſcribitur, planum omnino & perſpicuum, ut omnis ambigendi locus tollatur: neque unquam quicquam ab aliquo ita explicatum ſuper hoc Canone eſſe comperi, quod contrariæ opinioni, & ſententiæ patrocinaretur. Nam dicere verba eſſe facta de Euchariſtia, eamque verbo illo *Communio* indicari in illo Canone, minùs id rationi conſentaneum: neque ullo modo probabile eſt, quia (ut in explicatione, aut expoſitione illius Canonis diximus) verbum illud ipſemet Innocentius interpretatur de abſolutione, cùm ait *Reconciliationis ſecuros*, manifeſtéque oſtendit *Communionem* aliud eſſe nihil præter reconciliationem. Quorſum præterea antiquam illam diſciplinam duram & auſteram vocaret, ſi ſolius tantùm Euchariſtiæ prohibitio recuſatioque fuiſſet? Quia vel poſt ipſum Innocentium legimus Euchariſtiam poenitentibus negatam fuiſſe, ut in decretis & reſponſis Felicis. Nonnulli ut ex hoc lubrico & quaſi ſcopuloſo difficilique loco emergerent, Sanctum Innocentium aliud nihil in animo habere exiſtimant, quàm ut Concilii Elliberini acer-

A bitatem verbis iſtis inſimulet, *Obſervatio prior durior*, ac ſi Sanctus Innocentius de unius provinciæ diſciplinæ ratione, non autem univerſæ Eccleſiæ loquatur, cùm Patres perpetuæ poenitentiæ Euphratem in Conſilio Colonienſi addixerint, (erepta quippe illi in perpetuum laicorum communione, abſolutione item illum privatum eſſe, certum erat argumentum,) probè tenebant nihil ſe moliri, aut pertentare, quod à conſuetudine atque moribus Eccleſiaſticæ diſciplinę abhorreret; unde manifeſtum fit abſolutionem morientibus olim denegatam fuiſſe. Cæterùm quid contra hæc verba canonis tertii Concilii Valentini opponent ii, qui huic antiquæ diſciplinæ & comprobatæ doctrinę acriter repugnant? *Circa eorum verò perſonas, qui ſe poſt unum, & Sanctum lavacrum,* B *vel profanis ſacrificiis dæmonum, vel inceſta lavatione polluerunt, eam cenſuræ formam duximus eſſe ſervandam, ut his juxta Synodum Nicænam, ſatisfactionis quidem aditus non negetur, ne infelicibus lacrymis, & vel ſolatii janua deſperationis claudatur, acturi verò pœnitentiam uſque in diem mortis non ſine ſpe tamen remiſſionis, quam ab eo plenè ſperare debebunt, qui ejus largitatem & ſolus obtinet, & tam dives miſericordia eſt, ut nemo deſperet.* Denique inveſtigare inſtituenti omnia poenitentiæ genera, variaſque indictas ab Eccleſia poenas, plurimorumque annorum decretos cruciatus perſpicuum eſſet, veteri Eccleſiæ ritu & inſtituto potuiſſe in ipſa morte abſolutionem recuſari.

C

OBSERVATIO IX.

Apoſtatæ nec in morte abſoluti.

APoſtaſia perpetuæ poenitentiæ, non auſim dicere excommunicationis, quæ immutari revocarique non poſſet, icta fulmine eſt, multò antequam Novatianorum hæreſis in lucem è tenebris erumperet. Nam cùm Tertulliani ætate adulterium & homicidium, ut poſt quæ ab Apoſtaſia ſuperentur, pœnitentia perpetua plecterentur; quis de Apoſtatis vellet ambigere, aut negare pari ſupplicio affectos fuiſſe? Poſt Tertullianum, ad Cyprianum uſque idem poenæ genus in eos inventum & excogitatum. Nam tametſi vehementer obſtiterit, validiſſimiſque rationum firma- D mentis Novatianis obluctetur, poenitentiæ tabulam lapſis non eſſe eripiendam; tamen in extrema parte ſuæ diſputationis Cyprianus Apoſtaſiam eximit, eamque ut ea gratia indignam excipit. Inde perſpicias, etiamſi Novatianos accuſent, & condemnent, tamen fuiſſe quædam crimina non negat, quibus antiqui Patres poenitentiam ſeu relaxationem ſubtraherent: *Apoſtatæ verò & deſertores vel adverſarii, & hoſtes, & Chriſti Eccleſiam diſſipantes, nec ſi occiſi pro nomine foris fuerint, admitti ſecundùm Apoſtolum poſſint ad Eccleſiæ pacem, quando nec Spiritus, nec Eccleſiæ tenuerunt unitatem.* Jam inde à D. Cypriani tempore, ad Concilii Eliberini tempus iidem Apoſtatæ anathemate, ut par eſt credere coercebantur: & in Concilio Arelat. primo, communio eis & E abſolutio in morte denegatur.

OBSERVATIO X.

Quando primum admiſſi.

DUo genera reperiuntur Apoſtatarum, quorum unum à religione Chriſtiana abjectè defecerat; neque tamen ſe falſorum Deorum cultui mancipabat, aut ulla ſe ſe Idololatria polluebat. Alterum autem eorum qui nullo tormentorum compulſi metu, Chriſtum Dominum pernegarant, & ſimulacris Dæmonum thus adolevérant, XLVI. canone Concilii Eliberini primi, illi

Apoſtatæ ejuſdem Concilii tempore exacto decem annorum pœnitentiæ tempore, communionis fidelium participes factos conſtat. Quemadmodum ultimo canone Concilii primi Arelatenſis, pœnitentiam cùm concedi ſibi, ſi modò moribundi oon eſſeot, poſtularent, non repellebantur. Quod autem ad eos attinet qui Idololatriâ à Deo deſciviſſent, neque ex Concilio Eliberino aliiſque ante Nicænum unquam ne in morte quidem à ſuſcepto idololatriæ facinore liberabantur. Nam cùm eadem tempeſtate neque Idololatræ, neqoe lapſi, quos ad Chriſti fidem deſerendam diritas tormentorum, quæſtioneſque crudelem in modum habitæ adegiſſent, ii abſolutionem niſi poſt diuturnam, & multorum annorum pœnitentiam conſequebantur; qois vellet affirmare aut credere Apoſtatas pari facilitate admiſſos fuiſſe? Propterea canone XLVI. ſic habetur, *nec fuerit Idololatra.* Concilio Nicæoo canone II. nullom non genus Idololatrarum & apoſtatarum, omni exceptione poſthabita, dummodo eos pœniteret abſolutione gaudere cœpit, præmiſſa tamen duodecim annorum poenitentia.

OBSERVATIO XI.

Lapſis nec in morte pax conceſſa.

QUo probemus lapſos perpetuæ poenitentiæ poenis, vel ſine ſpe abſolutionis mulctatos fuiſſe primis duobus ſeculis, Sacramentorumque uſu, vel in ipſo articulo mortis perfrui probibitos: tum argumenta rationeſq; Tertulliani contra decretum Zephyrini Papæ perpendendæ, tum illa examinanda, quæ ſuo loco de eorum reſtitutiooe dicentur.

OBSERVATIO XII.

Lapſorum reſtitutio.

CRudeliſſima ſuppliciorum genera, quibus Chriſtiana religio divexata fuit, ad mortem uſque Fabiani Papæ ita propagata ſuot, ejuſdemque ab interitu ad Cornelium item illatam necem, ut plerique tormentorum diritate & acerbitate perterriti, à Deo & fide ad impietatem defecerint. Ea autem fuit incredibilis lapſorum vis ac copia, non modò Romæ, ſed & Carthagini, ut eò prorumperent ad id omni via quoquo modo extorqoendum, quod ad id uſque in illud tempus, juſtis de cauſis denegarat Eccleſia, nimirum, ut liberum, ſolutumque illis eſſet ad poenitentiæ àſylom eonfugere: eorum autem prima poſtulatio, mortuo Fabio Romæ, Cypriano vivente Carthagini, ſed eodem ob perſecutionis procellam abſente. Cæterùm Romæ eorum conatus eò proceſſit, ut commendatione & ardentiſſima Martyrum deprecatione, quos in ergaſtulis carceribuſque collocatos adibant, aut interpoſita authoritate ſacerdotum, quos ad ſuam ſententiam voluntatemque pertrahebaot, aot ipſorum obteſtatione, quam in limine & veſtibulo ædium ſacrarum admovebant; totum Eccleſiæ ſtatum conturbarint: eòque Romanom clerum adegerint, oec dum novo creato Pontifice, ut quo primo quoque tempore petitioni ſuæ fieret ſatis, *Eorumque ratio haberetur.* Id autem eſt ſtatutum decretumque, ut tantiſper ſubſiſterent, donec reſtinctâ perſecutionis flammâ, qoæ latè graſſabatur, toti Eccleſiæ pax optata reſtitueretur, fieretque poteſtas convocaodæ Synodi, quæ poſtulata non gravatè aodiret. Proinde bene ſperandum rem ex animi ſententia proceſſuram, nihilqoe adhuc de veteri Eccleſiæ inſtituto detrahendum, aut immutandum, qoòd ſuo quaſi capite ſpoliata cùm eſſet,

A non facilè quicquam ſioe conſilio tranſigeret: atque id primò fuit ad lapſorum poſtulata reſponſum, quod colligi facilè poteſt ex literis Romani cleri ad Divum Cyprianum datis, uſque recens editis in lucem XXX. & XXXI. in quibus animadvertas, ſi cui neceſſitate mortis oppreſſo è vita demigrandum ſit, ei poenitentiam & abſolutionem condonandam: *Ante conſtitutionem Epiſcopi nihil innovandum putavimus, ſed lapſorum curam mediocriter temperandam eſſe credimus, ut interim, dum Epiſcopus dari à Deo nobis ſuſtinetur, ut in ſuſpenſo eorum, qui moras poſſunt dilationis ſuſtinere, cauſa teneatur: eorum autem quorum vita ſua finem urgens exitus dilationem facere non poteſt, acta pœnitentia & profeſſa frequenter ſuorum*
B *deteſtatione factorum, ſi lacrymis, ſi gemitibus, ſi fletibus dolentes, ac vera pœnitentia animi ſigna prodiderint, ita demum cautè & ſollicitè ſubveniri.* Neque verò Carthagini minor impetus lapſorum extitit cui Paſtoris abſentia ſuffragabatur: Divi tamen Cypriani aothoritas, non eorum temeritati audaciæque ceſſit, cùm quantum io eo ſitum eſſet, eos ad poenitentiam ooo admiſit, graviterque preſbyteros increpuit, quòd commendatione Martyrum commoti in gratiam receperint: quin ipſos martyres criminatus eſt, qui authoritate ſua ad pacem lapſis impertiendam abutebantur: retento, ſtabilitoque jure qoodam ac præſcripto, quod Romæ ſancitum eſt, ad breve tempus ex-
C pectarent, dum perſequutionum turbo quidam violentior conſideret: Eccleſiaque tandio conquaſſari agitarique cœpta, compreſſa tempeſtate conquieſceret, quò commodiùs Concilio qoodam publico convocato, de re tuta quicquam certi conſtitueretur: rem eſſe ejuſmodi quæ totius Eccleſiæ conſenſum, Epiſcoporumque omnium ſententiam judiciumque requireret; proinde quicquam inducendum non eſſe, quod reſcindi poſſet. Ideoque veteribus legibus, moribuſque teneri oportere lapſos, erepto illis poenitentiæ ſubſidio, ne ſi quidem eos mori contingeret, niſi à martyribus pacem abſolutionemque impetraſſent: quod ſi cujus obſtinatior, obfirmatiorque animus eſſet, qoàm ut perſequutionum Eccleſiæ finem expectare non poſſit, id à ſe ipſo obtineri poſſe, qood ei Ec-
D cleſia pernegaret, ſe daturam reſpondit, neq; defore occaſiones, qoæ crebræ eruot Chriſtianæ religioois tuendæ causâ, mortis oppetendæ, poſſeque, quod perfidia, aut turpi defectione perdiderit recuperare, cum profuſione ſãguinis, & martyrii teſtificatione. Illud D. Cypriani anticipato conſilio confirmatum judicium teſtantur epiſtolæ 14. 15. 16. 17. 18. & 19. tertii libri antiquæ editionis, quæ in recenti leguntur 10 11. 12. 13. 14. & 18. Et hæc præcipuè ad Antonianum verba: *Nam quis exiſtimet à propoſito meo leviter receſſiſſe, & cùm Evangelii primò vigorem, & inter initia defenderim, poſtmodum videar animum meum à diſciplina & cenſura priore flexiſſe, ut his qui libellis conſcientiam ſuam maculaverint, vel nefanda ſacrificia commiſerint, la-*
E *xandam pacem putaverim: Quod utrumque non ſine librata diu & ponderata ratione à me factum eſt.* Verba hæc, *inter initia*, ſignificant tom primùm de reditu lapſorum, ac poenitentia quæſtionem moviſſe; item illa *Evangelii primò vigorem*, exiſtimaſſe Cyprianum repudiandam primam illam petitionem omnino, eamque in perpetuum negligendam ab idololatria abſolutionem: verbis quippe illis ſuperioribus, hæc quæ ſeqountur opponit, *laxandam pacem putaverim.* Quare ſi *defendere Evangelii vigorem*, illis opponitur, *laxare pacem*, aliud nihil eſſe video, plaoèque conſtat, quàm Eccleſiam, neque pacem, neque abſolutionem illis tribuere. Quio & ſignificanter verba

illa quæ proximè ſequuntur innuunt, eo ſenſu accipienda, quibus confirmat, ſi Concilii evocandi moram ferre non poſſent: *Qui differri non poteſt, poteſt coronari*, poſſe martyrio abſolutionem conſequi. unde conjicias toto illo tempore, quod ab eorum petitione ad perſecutionis finem exitumque interjectum eſt, à pœnitentia excluſos, nihilque illis permiſſum niſi ſpem quandam oblatam admittendæ eorum poſtulationis, ubi Eccleſia variis afflictata tempeſtatibus conturbari deſiiſſet. Id autem Romanæ Eccleſiæ Clerus verbis his aſtruit: *Quamquam nobis in tam ingenti negotio placeat, quod & tu ipſe tractaſti prius Eccleſiæ pacem ſuſtinendam. Deinde ſic collatione Conciliorum cum Epiſcopis, presbyteris, diaconis, confeſſoribus pariter aſtantibus laicis facta, lapſorum tractare rationem.* Atque hæc & Romæ & Carthagini promulgata & decreta, interim dum Concilium cogi poſſet: unde liquet lapſos excommunicationis illatæ in tempus ante Cornelium ignominiâ aſperſos, & veniam nunquam vel in morte obtinuiſſe, cùm & id ejuſdem Epiſtolæ verba declarent: *Ante conſtitutionem Epiſcopi nihil innovandum putavimus, ſed lapſorum curam mediocriter temperandam eſſe credidimus, & interim dum Epiſcopus dari à Deo nobis ſuſtinetur, in ſuſpendio eorum qui foris poſſunt dilatione ſuſtineri, cauſa teneatur.* Id ipſum perſpici poteſt, & ſtabiliri quoque Epiſtola 18. tertii libri cujus mentionem facit Epiſtola ad Antonianum.

Quid? nonne & argumento eſt, judicio illo cognito declaratoque, ante Cornelii & Cypriani tempora lapſos ad pœnitentiam neque ad ſocietatem fidelium unquam vocatos. Etenim ſi vetere Eccleſiæ diſciplina & conſuetudine primorum temporum receptum eſſet, ut lapſis ad pœnitentiam confugere liceret, eáque peracta ad pacem Eccleſiæ aſpirare, Romæ & Carthagini ſtatuiſſent ne eis omnem pœnitentiæ ſpem eripiendam eſſe? nonne reſpondiſſent id mordicus ſequendum, tuendumque eſſe quod ab Eccleſia de more & inſtituto majorum confirmatum eſſet, lapſoſque fruſtrà tanta vi, tantoque conatu pœnitentiam petere, quæ eis ex uſu Eccleſiæ denegari non poſſet? Quid quòd agnoſcere & propè conſiteri compellimur judicium ſententiamque illam Cypriani & Romani cleri ad lapſorum cauſam patrociniumque pertinere potius quàm ad ullum detrimentum; imo ad eorum leniendum mœrorem quàm ex dilatione capiebant, eam eſſe promulgatam, ut expectatione ſuſpenſi Concilii publicè convocandi erigerentur. Quòd ſi primorum temporum mos tuliſſet, ut ad pœnitentiam accerſerentur, ſtatutum illud acerbius ſibi multò odioſiuſque duxiſſent, quàm quod communi uſu receptum divulgabatur, & ad ipſorum animos irritandos, laceſſendoſque magis, quàm ad mitigandos dimanaſſet. Ad extremum, Clerus Romanus ad ea quæ ſupra addidit *nihil innovandum eſſe*. proptereaque lapſos excommunicatos videri, neque ad pœnitentiam admittendos: ex quo colligas antiquis temporibus, nunquam non fuiſſe pœnitentiæ perpetuæ cenſurâ notatos, neque communionis jus fuiſſe illis aliquando commiſſum, alioqui ad pervertendum Eccleſiæ ſtatum, res illa conceſſa prorſus erupiſſet. Verùm quæ diximus infirma, debilia argumenta videri poterunt, eò quòd validiora ſequuntur, quamquam potentiſſima ſint. Priùs autem quàm ad ultimam ſententiam judiciumque de lapſis Romæ & Carthagini latum progrediamur, perpendendum omnino, quod leviter & obiter quodammodo in prima ſententia decreviſſent, propoſita quidem morte, quæ illis obeunda eſſet, lapſos poſſe abſolvi, quod de iis tantùm intelligendum puto, quos ipſi Martyres commendaſſent, aut in partem ſuorum meritorum venire paſſi eſſent, ob ſupplicia graviaque tormenta, quæ fidei causâ ſubiiſſent. Nam quod attinet ad eos lapſos, quos Martyres participes ſuorum laborum aut meritorum non eſſe ſiviſſent, eos quamquam ad perferendam mortem adigerentur, auctore ſaltem Cypriano, à Communione repellendos, eo ſaltem tantùm tempore, quoad Romæ & Carthagini, ipſa legitimo & publico utrobique habito Concilio res tota conficeretur. Id autem ea verba corroborant: *Credo, ut qui libellum à Martyribus acceperunt, & auxilio adjuvari apud Dominum poſſunt in ſuis delictis, ſi premi infirmitate aliqua & periculo cœperint, exomologeſi facta, & manu eis à nobis in pœnitentiam impoſita, cum pace à Martyribus ſibi promiſſa ad Dominum remittuntur, Cæteri verò, &c.* Quibus verbis videre eſt beneficium hoc non ita patere, ut ad omnes derivetur, ſed ad eos tantùm, qui ad Martyrum merita, in quos ipſi ea transfudiſſent participanda accederent: & Epiſtola ſuperiore omnino, id haud multò aliter docet, *Ut qui libellos à Martyribus acceperunt.* Et paulò infrà, *veniant ad Dominum cum pace, quam dari Martyres literis ad nos factis deſideraverant.* Atque hic eſt ejus clauſulæ ſenſus ſententiaque, cùm ait eos abſolvendos, qui morte occupabantur, quod magnopere confert ad eam opinionem confirmandam, primis temporibus lapſos, idololatriæ nunquam crimine fuiſſe, quod incurrerant, liberatos; cùm quo tempore Divus Cyprianus vixit, quibus moriendi neceſſitas eſſet impoſita, eodem crimine obligati in foro exteriori Eccleſiæ obſtrictique ii tenerentur. Et quamquam Romæ omiſſa illa Divi Cypriani ratione, ſeu explicatione, videlicet in morte lapſis qui à martyribus commendarentur, pœnitentiæ locum eſſe: putarim tamen id ita explicandum quod Romæ declaratum eſt, ut id omnino Divi Cypriani menti judicioque conſentiat. Nam in eorum epiſtola hæc verba habentur, *Quanquam & nobis in tam ingenti negotio placeat, quod & tu ipſe tractaſti.* non enim veriſimile videri, quidquam ab eo prolatum ea de re, quod pugnet, diſſideatve cum Romana ſententia decretoque: & verè dignus eſt, tantus vir eáque doctrinæ gloriâ præſtans Cyprianus, qui Romanorum decretorum vim intelligentiamque pugnaciſſimè defendiſſe ſemper judicetur.

Hæc autem ſententia de lapſis ita viguit, ut univerſa Eccleſia eam comprobaret, ipſique in eo ſtatu ſtarent, quo tempore à Fabiani Pontificatu, ad Cornelii tempora graviſſimis jactati calamitatibus conflictabantur fideles: atque tum maximè Carthagini lapſi, ut loquuntur epiſtolæ creberrimæ D. Cypriani, nullum non moverent lapidem, ut in antiquum ſtatum reſtituerentur, unde excidiſſent. Pervicerunt autem, ut per Preſbyteros quoſdam, cùm abeſſet Divus Cyprianus, neglecta Epiſcopi authoritate, ſine ulla exomologeſi, aut pœnitentia numerarentur inter integros, hoc eſt, quos nulla defectionis à fide labe contaminatos conſtaret, iis Euchariſtiâ præbitâ, nominibuſque eorum acceptis, & adſcriptis. Nec contineri eorum inſolentia potuit. nam ſi a preſbyteris, aut eos Eccleſia à ſuo cœtu omnino ſecerneret & rejiceret, confugiendum ſibi ad Martyres exiſtimarunt, (ut & tempore Tertulliani adulteri præſtiterunt,) quos Martyres, ita importuni interpellatores exorarunt, ut ab iis commendatitias litteras extorſerint ad pacem & ſocietatem fidelium, imo abſolutionem obtinendam, injuſſu tamen Eccleſiæ. Sed antequam rem iſtam ſuprà tractatam ſuo quodam fine exituque terminemus, & ad Concilium

A Romæ & Carthagini habitum, eorumque ſententiam communi conſenſu receptam, quæ lapſos ad ſpem erigeret, gradum faciamus, operæpretium fuerit videre, quo ſenſu interpretari quis debeat poſſitve primi illius decreti Eccleſiæ ſententiam & mentem, quæ in his verbis poſita eſt, *Placuit in exitu ſubvenire.* Primis namqoe temporibus magnum quoddam interjectum intervallum ioter eos audio, videoque qui acceptâ pœnitentiâ, ad vitæ diem poſtremum eam protraherent: talique tempore præſtituto, hoc beneficio ut iis liceret, ut abſolverentur, in ſocietatem fidelium aſcriberentur, Euchariſtiam ſumerent: & inter eos, quibus palàm nec obſcurè denunciaretur, adduci non poſſe Eccleſiam, ut ad Pœnitentiam eos admoveret, niſi morbo prępediti, B vexatique eſſent, quorum tunc ſortem, conditionemque miſerata Eccleſia pœnitentiæ tunc ſubſidium ultrò porrigeret, tali pręſertim in cauſa. Atqoe illi qoidem ſpe maxima fruebantur, ejuſque rei compotes effecti, pœnitentiam patienter exercecebant, excommunicationis vim non pertimeſcebant, aditu Eccleſiæ non prohibebantur, ſalus eorum deſperata, deplorataque cùm non eſſet, libero, ſolutoque animo pœnitentiæ remedio, nec diſſimulanter utebantur; non exaudiebantur eorum gemitus in veſtibulo Eccleſiarum, non ad terram proſternebantur, nec genua prætereuntium prenſabant, nec Epiſcoporum pedes oſculabantur, quò faciliùs ab iis pœnitentiam exprimerent, C non mortis metu percellebantur, cujus improviſo impetu, caſuque intercepti pœnitentiâ privarentur. ut paucis multa, illorum conditio melior feliciorque multò, quàm aliorum quibus excommunicatis nullum erat cum reliquo grege fidelium commercium: hos non congreſſu, neque ſocietate, neque luce communi dignos putabant, cum his nemo inire convivium, nemo in partem, aut communionem illam ullius joris, aut ſtudiorum eos venire volebat: perditis, afflictiſque rebus omnibus horum ſalus in ſummum vocati diſcrimen ita videbatur, ut id unum magnopere metuerent, ne excommunicati è vita excederent, quòd pœnitentiâ delere vitæ anteactæ maculas non liceret, quantumvis ſe vitæ angoribus conficerent, D aut omni ſe cruciatu corporis aut laboribus excamificarent. Quòd ſi inedia, vigiliis, ſuppliciiſque voluntariis ſe ſe mactarent, non alio ſanè conſilio ac mente ad eas corporis acerbitates deſcendebant, quàm ut digni haberentur, quibus eos debito quodam modo ſcelerum pœnitere fas eſſet, ſed fruſtra: non enim propterea dici poterant oblireraſſe peccata flagitiaque, quæ in ſe turpiter admiſiſſent, cùm Eccleſia dolorem illum pro nihilo haberet, nihiloque ſecius ad communionem vocaret: ſui aotem, nec opinantes vitam cum morte commutare cogerentur, tum neceſſe erat, non obſcura & illuſtria mœroris acerbiſſimi indicia præ ſe ferrent, ut pœnitentiam & eâ probè obitâ, abſolutionem ſortirentur. Primi illi ſi propiùs à morte aberant, tam ſignificanter, expreſ- E ſéque non tenebantur edere doloris aut contritionis argumenta, quòd & pœnitentiam jam uſorpaſſent, eaque ritè perfecta abſolutionem neceſſariò conſequerentur; quæ quidem aliis, niſi exactam antè perfectamque pręmiſiſſent, aut profeſſi eſſent exomologeſim, negabatur.

Atque hoc eſto diſcrimen inter illos, quibus non conceditur pœnitentia, niſi cùm in aperto vitæ periculo verſantur, & eos qoi permiſſu, & ſumma voluntate Eccleſiæ pœnitentiâ acceptâ eam ad mortem uſque proferunt: ac certè non mediocri beneficio affici videbantur lapſi illi, quibus Romæ & Carthagini primis illis judiçus id condonabatur: unde conjecturam facias quantò deterior eorum eſſet conditio, antequam id obtinuiſſent, quæ alia eſſe non poterat, quàm quòd perpetuæ quaſi excommunicationis pœnam ſubirent, quandoquidem magni muoeris loco ducerent ſe inter pœnitentes ad mortem uſque cenſeri.

Sed ad id quod ea de re pari conſenſo decretum, ultimaque Conciliorum ſententia definitum eſt, veniamus. Perſequutionis furore & violentiâ retardatâ omnino, Cornelius Romæ Concilium, Carthagini D. Cyprianus item ſuum habuerant, ut lapſorom jus controverſum diſceptaretur: cujus is fuit exitus, ut pœnitentiam reciperent, eamque ad mortis extremum uſque diem quidem producerent, ipſoque mortis obeuodæ tempore tantùm abſoluti à ſocietate, & communione fideliom non excloderent: libellaticos autem poſſe reponi inter fideles, modò pœnas aliquas pœnitentiâ ſuorum ſcelerum exolviſſent. Atque hęc eſt lapſorum in caoſa dijudicata quęſtio, quò factum eſt & comprobatum, ut aotequam lis illa tota ſuperior agitata concluderetur, in perpetuom excommunicationis quaſi vinculo lapſi conſtringerentur, ita ut ne ipſa quidem in morte expedirentor, aut abſolutione fruerentur. Supereſt ut id Conciliis illis conſtitutum probetur, quo nihil facilius verbis illis, maximè ad Antonianum: *Et ideo placuit, frater chariſſime, examinatis cauſis ſingulorum, libellaticos interim admitti, ſacrificatis in exitu ſubvenire.* Cauſam rationemque aperit eorum, quæ cùm Romæ, tum Carthagini acta, tranſacta, & defioita fuiſſent, libellaticos quidem recipi poſſe in gratiam, modò eos conſtet ſpecimen quoddam vel leviſſimum pœnitentiæ prębuiſſe, pręſertim cùm minùs deliquiſſent, minorique pœna feriendi eſſent, quàm qui Diis immolaſſent, quos coodemnarant, vel potius hoc eos beneficio comularent, ut toto vitæ curſu pœnitentiam vel ad ipſum uſque obitum non intermitterent: tum morientes participes fore communicationis. id ita eſſe ejuſdem Epiſtolæ verba indicant: *Temperamentum ſalubri moderatione libravimus, ut nec in totum ſpes communicationis, & pacis lapſis negaretur*, Item, *ne ad communicationem temerè proſilirent: ſed traheretur diu pœnitentia*, quæ ſuperioribus verbis explicantur, ſed & hęc quæ ſequuntor, *Traherentur pœnitentia*, ad mortem uſque dici illa putanda ſunt: vt & infrà ea quæ nos expreſſimus & attulimus demonſtrant: & ut ipſemet fatetur, expoſita illa quam affert differentia lapſorum, qui non ante finem pœnitentiæ quam vitæ faciont; & Martyrum & aliorum fidelium: *Aliud eſt ad veniam ſtare, aliud ad gloriam pervenire: aliud miſſum in carcere non exire inde donec ſolvat noviſſimum quadrantem: aliud ſtatim fidei & virtutis accipere mercedem: aliud pro peccatis longo dolore cruciatum emendari, & purgari diu igne: aliud peccata omnia paſſione purgaſſe: aliud denique pendere in die judicii ad ſententiam Domini: aliud ſtatim à Domino coronari.* Epiſtola altera ad Cornelium ita diſertis & germanis verbis citat, quæ de communi ſententia & conſilio ſuorum Coepiſcoporum, ut id in dubium revocari non poſſit: *Statueramus, ut qui in perſequutionis infeſtatione ſupplantati ab adverſario, & lapſi fuiſſent, ac ſacrificiis ſe illicitis maculaſſent, agerent diu pœnitentiam plenam, & ſi periculum infirmitatis urgeret, pacem ſub ictu mortis acciperent.* Verba hęc, *ſub ictu mortis* luce meridiana clariora ſunt; quàm ut quiſquam dubitare debeat ſumma liberalitate id illis eſſe tributum, ut cùm è vita diſcederent, abſolutionem impetrarent: planè idipſum

in eadem Epiſtola iterat, tepetitque his verbis: *Vt de ſeculo recedentes ſine communicatione aut pace Domini dimitterentur.* & hiſce: *meritò enim trahebatur dolentium pœnitentia tempore longiore, ut infirmis, ſi qui eſſent in exitu ſubveniretur, quandiu quies, & tranquillitas aderat, quæ diſferre diu plangentium lacrymas, & ſubvenire ſerò morientibus in infirmitate pateretur.* Cornelius autem, quod contra quam in Concilio Romæ & Carthagini habito præſcriptum erat, lapſos adigi oportere, ut ad mortem uſque poenitentiam promoverent, neqoe niſi tali in periculo conſtitoti abſolveтentur, Cypriani ſententiam improbarat, qui lapſis quibuſdam poenitentiam laxaſat, neque quod Eccleſia, ut firmum & ratum decreverat, tuтabatur. Qua de re certior factus Cyprianus, ita reſpondet, certiſſimè quidem id fuiſſe Eccleſiæ ſententia communi declaratum: verùm id potuiſſe fieri, & retineri tempore pacis, quo ſoluti omni cura, & metu liberi, poterant, vel ad necem uſque pœnitentiam non interrumpere, auxilioque & præſidio Eccleſiam illis eſſe poſſe, quo tempore præſentiſſimam illis opem eſſet allatura. Perſecutione autem recrudeſcente, (hæc enim epiſtola aliquantò poſt Concilia, & alteram perſequutionem quando lapſi hoc ſibi dari poſtularunt, ſcripta eſt, ac maximè quantum ego conjicio, Imperatore Decio ſæviente) non fuiſſe mortis tempus aut horam expectandam, ot abſolverentur: ſed eos Dei gratiâ muniendos, quo promptiùs, & alacriùs ad ſupplicia, & cruciatus Dei cauſâ perferendos gradetentur: *Nec morientibus, ſed viventibus communicatio à nobis danda, ut quos excitamus ad prælium, non inermes, & nudos relinquamus.* Quid cauſæ eſſe potuit, cur Cornelius Cypriani ſactum criminaretur, quòd lapſos quoſdam ante obitum abſolviſſet, niſi quòd ejus factum à Conciliorum deciſione decretoque abhorreret? unde conjectari licet, non aliam fuiſſe Conciliorum mentem, quàm, ut Idololatræ non niſi morte ipſa abſolverentur, ibique interim maleficia & ſcelera pœnitentiâ delerent.

Quòd autem conqueritur D. Cyprianus Therapium cuidam lapſo Eccleſiæ pacem tribuiſſe, multò antequam è vita excederet, liquido illa & ſignificanter coarguunt duobus illis Conciliis aliud non fuiſſe permiſſum lapſis, quàm ot in morte abſolon decederent: *Quibus ſignificaſti de Victore quodam Presbytero, quod ei antequam plenè egiſſet, & Domino Deo in quem deliquerat, ſatisfeciſſet, temerè Therapius collega noſter immaturo tempore, & præpropera feſtinatione pacem dederit, quæ res nos ſatis movit, receſſum eſſe à decreti noſtri authoritate, ut ante legitimum & plenum tempus ſatisfactionis, & ſine petitu & conſcientia plebis, nulla infirmitate urgente, ac neceſſitate cogente pax ei concederetur*: conqueſtio illa, querimoniaque perſpicuè convicit, non aliud fuiſſe beneficiom in lapſos collatum in duobus illis Conciliis, quàm ut qooad hac lucis uſura fruerentur, pœnitentiam non ooitterent, & cùm eos vita deficeret abſolverentur. Quanquam autem clariſſima & firmiſſima quæ attulimus hactenus argumenta, probationis non indigeant, quò oſtenderemus iis in Conciliis nihil præter pœnitentiam lapſis, & in morte abſolutionem condonatam: Res tamen ejuſmodi eſt, ut incredibilis videatur, & quam multi doctrinæ laude præſtantes non admittant, adeò ut neceſſe ſit, undequàqoe quæ ſuppetunt depromere, & coacervare argumenta, quibus rem ipſam corroboremus.

Dubitandum non eſt quin epiſtola quæ extat D. Cypriani ad Epiſcopos, Fortunatum, Haymom, Optatum & alios qui Concilio Capſæ habito interfuerunt, ſcripta ſit poſt decretum de lapſorum cauſa præſcriptum, idque in ea epiſtola Divus Cyprianus non hæſitanter affirmat. Epiſcopi autem vehementer & obnixè ab eo contenderant, ut quid ea de re ſentiret, luculento ſcriptorum ſuorum teſtimonio conteſtaretur, liceretne in communicationem & partem fidelium Ninum, Clementianum, & Florum adſciſcere, qui exquiſita ſuppliciorum atrocitate divexati, cùm vim tormentorum ſuſtinere non poſſent, Christo fidem datam ejurarant, iidemque poſtea, triennio pleno atque integro, deteſtabile illud & inviſum Deo, hominibuſque facinus dolore maximo è conſcientia ſceleris concepto lacrymiſque perpurgaſſent. Divus Cyprianus titubanter reſpondet hac epiſtola: Verè quidem in Concilio illo placuiſſe Epiſcopis, uti non niſi in morte pax lapſis concederetur; at id ad eos pertinere non videri, qui neque ferro, neque facibus, ot ita loquar, ardentibus ad corpus admotis à Chriſto deſciviſſent: ſed ad eos qui id ſceleris perfidioſè, vel nullius intentati ſupplicii metu perterrefacti ultrò in ſe admiſiſſent: tamen poſt ferias paſchales ea de re cum Coepiſcopis ſe diſceptaturum. Quo ex facto dijudicare facilè quis poteſt, omnino oihil aliud quàm quod toties inculcavimus iis in Conciliis ſtabilitum fuiſſe. Nam præterquam quod tam manifeſtè in ea epiſtola oſtendit, *Nam cùm in Concilio placueris pœnitentiam agentibus infirmitatis periculo ſubveniri, & pacem dari*, quamobrem id ei in dubium veniſſet, idque ad majus Concilium dijudicandum tranſmiſiſſet, aut cur tam inexorabiles Epiſcopi fuiſſent ad pacem lapſis impertiendam, quos tam diuturnus, longinquuſque triennii labor, dolorque cum tam aperta admiſſæ culpæ deteſtatione propè confeciſſet? Hinc ſanè videas lapſo datam abſolutionem poſt triennii pœnitentiam, videri quiddam quod adverſetur, non ſolùm illi decreto quod poſtremis Conciliis placuerat, verùm etiam antiquo & veteri Eccleſiæ inſtituto, ut inde deprehendas, quæ fuerit olim lapſorum ante ea tempora vitæ conditio.

Neque verò mihi perſuaderi poteſt qui pro aris & focis, ut ita dicam, pugnantes non admittunt decretum illud, quod in Conciliis Romæ & Carthagini habitis de lapſorum poſtulatione actum eſt, deque eorum abſolutione quam antè non impetrarant, legiſſe aut examinaſſe ſolertiùs verba illa Divi Cypriani: *& idcirco frater chariſſime pœnitentiam non agentes, nec dolorem delictorum ſuorum toto corde & manifeſta lamentationis ſuæ profeſſione teſtantes, prohibendos omninò cenſuimus à ſpe communicationis & pacis, ſi in infirmitate, atque in periculo cœperint deprecari: quia rogare illos non delicti pœnitentia, ſed mortis urgentis admonitio compellit, nec dignus eſt in morte accipere ſolatium, qui ſe non cogitavit eſſe moriturum*: inter alia quæ Concilia illa ſanxerunt D. Cyprianus ad Antonianum aſſerit, verè quidem omni animi cautione proviſum, ut qui lapſi propius à morte abeſſent, abſolutionem non deſiderarent, quæ volente ac jubente Eccleſia daretur: ſed ita, ut iis tantummodo permitteretur, qui eam pœnitentiam lacrymarum vi, ac copia, ſalutari odio ſui concepto, expetiiſſent: ii autem repellerentur à communione, qui poſt turpem defectionem, de reconciliatione cum Eccleſia non magnopere laborarent, aut ut habitâ recepti admiſſique in Eccleſiam pœnitendi jus ſibi dari non depoſcerent: hi ſanè qui ea mente erant, ut à defectione ſua reſilire nollent, ot

mine diſſentiente teterrimum, & maximum omnium peccatorum eſſe Idololatriam, *Quod eſt ſummum ſcelus*, ut ferunt Eliberini Canones, & ut ait Tertullianus, *Principale crimen generis humani, ſummus ſeculi reatus, tota cauſa judicii.* Et alibi: *Quale delictum jam intellige, cujus cohibitionem poſt idololatriam ordinavit*, & tamen Conciliis Eliberino, Arelatenſi & Ancyrano, recenſentur peccata alia quæ pœnitentiâ ad mortem uſque prolatâ caſtigantur. Quidni ergo colligas idololatriam teterrimum peccatum, vel eo tempore quo illa Concilia viguerunt, eadem fuiſſe pœnarum acerbitate vindicatam? præſertim cùm omnium maximè deteſtabile ſcelus ſit, ideoque ſupplicio majore plectendum videatur.

Sed quonam quæſo ſenſu alio accipienda ſunt verba D. Cypriani ad Antonianum: *Et quidem apud anteceſſores noſtros, quidam de Epiſcopis iſtinc in provincia noſtra dandam pacem mœchis non putaverunt. & in totum pœnitentia locum contra adulteria clauſerunt. Non tamen à Coëpiſcoporum ſuorum collegio receſſerunt, aut Catholica Eccleſia unitatem, vel duritia, vel cenſura ſua obſtinatione ruperunt; ut quia apud alios adulteris pax dabatur, qui non dabat, de Eccleſia ſeparatur.* Non aſſeverat tempus quoddam extitiſſe, quo adulteris abſolutio non daretur, ac cùm maximè ea concederetur, Epiſcopos quoſdam fuiſſe, qui à vetere inſtituto decretoque noluerint diſcedere, quod in eo poſitum erat, ut abſolutio non tribueretur. Non denique cenſet, aut exemplo quodam propoſito concludit, quàm ſcienter & appoſitè ad Antonianum (ſi fortaſſis non ipſi probaretur, quod decretum Romæ fuerat & Carthagini, ut ignoſceretur in articulo mortis Idololatris,) adhærere potuiſſe antiquo illi totius Eccleſiæ judicio, & voluntati, nimirum ut in perpetuum abſolutione deſtituerentur, & ſpoliarentur, neque ea de cauſa ab aliorum Epiſcoporum quaſi corpore diſtrahi eos debere, aut conſpirantem conſenſum Eccleſiæ præfractè repudiare. Qua ex comparatione & contentione adulterorum & lapſorum liquet lapſos relegatos & amandatos ab Eccleſiæ corpore, vel in ipſa morte videri, multò antequam Cornelius ea de re quid ſentiret, dixiſſet. Quemadmodum perſpicuum eſt, adulteros antequam publico Concilio placuiſſet, ut ii tanquam hujus corporis membra reciperentur, rejectus fuiſſe & expulſos.

OBSERVATIO XIII.

Monſtris nulla unquam venia indulta.

RElinquas autem libidinum furias impias, & in corpora & in ſexus, ultra jura naturæ non modò limine, verùm omni Eccleſia tecto ſubmovemus, quia non ſunt delicta, ſed monſtra. Verba iſta Tertulliani præ ſe ferunt iſta tam tetra, tamque horrenda peccata, pœnis quæ nullo unquam tempore expungi poſſent ita mactata, ut ex iis item illud eruas, quos omnino tantorum ſcelerum vitiorumque conſcios vita damnarat, ab omni Eccleſiæ tecto procul amandatos, neque eis ad veniam ullam ſpetandam, aut petendam in primis Eccleſiæ tectis remanere licuiſſe. Quibus autem poenitentiæ agendæ ſpes quædam conciebatur, ii reconciliationis cum Eccleſiæ ineundæ modum omnem perveſtigantes, ſubodorantesque, ſub tecto quodam quod prope templum erat, ſtabant, ut prætereuntes omnes lacrymis, luctu, ſqualoreque prope perditi, ac profligati,

A ad miſericordiam pellicerent, & eorum judicio ſententiaque digni haberentur, qui diutius ab ingreſſu in templum, & à poenitentia non arcerentur. Quorum autem depoſita, deplorataque cauſa & conditio eſſet, ſic ut quoque diffiderent ſe unquam ad id quò alii aſpirarant, perventuros, non modò tecto Eccleſiæ, ſed & eo quod proximum contiguumque erat, excludebantur: quod ne quidem inter eos, qui ad tempus excommunicati fuiſſent, verſari ut indigniſſimis liceret.

Tempore Concilii Eliberini, peccata iſta tam execranda tamque horribilia, eandem poenæ ſuppliciique vim ſufferebant, ut canone ſeptuageſimo primo conſtat, nec abſolvi in morte ipſa poterant. Idem ſtatuitur in Concilio Ancyrano,
B his verbis, *inter hyemantes orare.*

OBSERVATIO XIV.

Quo tempore monſtris gratia facta.

IN Concilio Ancyrano atque adeo in Græcia, paulò humaniùs benigniúſque cum iſtis monſtris cœptum eſſe agi legimus: proque eorum gravitate criminum aut tenuitate, modus quidam factus præſcriptuſque pœnitentiæ eſt; ſic ut aliis viginti annorum, aliis quinque & viginti, aliis vel ad mortem uſque terminus præſtituatur: adeo ut morientibus communionis facultas & uſus
C non adimeretur. Præterea quæ univerſim aut generatim toties ſuprà dicta ſunt, Eccleſiam in annos propè ſingulos, aut ætates mitiori quadam ratione, atque via, Chriſtianorum animis laborantibus, quos diſciplina ſeverior auſteriorque perterrefaceret, quàm appoſitè medicinam feciſſe, illud ex errore Novatianorum profluxit, ut Eccleſia multùm de illa priſtina ſeveritate diſciplinæ dimitteret. Nam ut errorem illorum Eccleſia penitus convelleret, fuit quædam illi neceſſitas impoſita conferendæ cujuſdam beneficentiæ in peccatores, diſciplinamque inſtituere conſentaneam ſententiæ & doctrinæ, quam contra Novatianos tuebatur. In Concilio Nicæno inculcatum illud, ſuggeſtumque, ut Idolo-
D latræ poſt pœnitentiam admittantur: & quanquam in illo canone de Monſtris non agatur, tamen ex vi & facultate illius canonis, Monſtrorum illorum liberatio, expiatioque quædam permitti videtur, cùm apoſtaſia, & ſpontanea idololatria, qua nullum majus cenſeatur ſcelus, ad pœnitentiam & communionem admittantur. Tempore Divi Baſilii, quem poſt Concilium Nicænum vixiſſe nemini dubium eſt, liquet, illorum monſtrorum authores, & ad pœnitentiam & ad Communionem admiſſos.

OBSERVATIO XV.

Homicidis pax in exitu denegata.

E QUi Tertulliano hujus quæſtionis tanquam arbitro & diſceptatore uti vellet, ei perfacile eſſet ex ejus ſcriptis illud eruere, & excerpere, homicidas ſuæ ætatis perpetuæ poenitentiæ, & longæ excommunicationis judiciis proſtratos jacuiſſe; ſimul & eo teſte comprobare, non modò cùm ſuæ ſententiæ cauſas profert; verùm etiam cùm hiſtorici partes quodammodo ſuſtinens, narrat ea quæ ſuo tempore gerebantur, uſum, moremque Eccleſiæ primis temporibus multis in provinciis fuiſſe, ut homicidæ Dei miſericordiæ quaſi dedititi dederentur, eiſque in perpetuum communio ſocietaſque

fidelium pernegaretur, verba iſta libri de pudicitia: *Vt ſolam eam ſecernat ad pœnitentiam.* Item, *nonne hinc Idololatria, inde homicidium detinebunt.* Item, *Idololatriam quidem, & homicidium ſimel damnas.* Item, *Igitur aut nec illis, aut etiam nobis pœnitentia ſubſidia convenient.* Item, *perſona acceptio eſt, miſerabiliores pœnitentias reliquiſti.* Item, *hinc eſt, quod neque idololatria, neque ſanguini pax ab Eccleſiis redditur*, liquidò demonſtrant ſolitos fuiſſe Orthodoxos homicidis non communicare abſolutionem, ſed ſolam pœnitentiam, eoſque æterno quaſi exilio condemnatos ab Eccleſia abigere. Quid enim roboris, virium ac ponderis argumenta, quæ ab eo ſuggeruntur, in Orthodoxos habuiſſent, niſi opinionis eorum & diſciplinæ fuiſſet, homicidas perpetuæ pœnitentiæ, intercluſa omni ſpe majoris gratiæ, cenſurâ inurere? Id veri ſpeciem non habet, nec aliter de Tertulliano unquam ſentiendum erit, qui præſertim ejus ingenium viri acre, & tetricum cognoverit, qui quidem crimini non vertiſſet Orthodoxis, quod homicidas perpetuò ab Eccleſia relegarent, adulteris autem ad miſericordiam ſperandam, quaſi ſignum præferrent: niſi utrumque tum temporis verum & uſitatum fuiſſet. Quare cùm ejuſmodi argumenta contra Orthodoxos excogitet & proferat, omni aſſeveratione confirmare poſſumus, eorum fuiſſe hanc & docendi, & vivendi rationem. Quóque firmior hujuſce rei fides extet, idem illis criminis loco objicit de Idololatrarum cauſa, quòd ſcilicet cùm adulteris perfugii locum penes ſe omnino ſtatuiſſent, Idololatras tamen tali ſolatio effugioque uti per eos fas non eſſet: & veriſſimum erat lapſos ea tempeſtate in perpetuum ab Eccleſia remotos. Nam apud D. Cyprianum Epiſtola ad Antonianum legimus, temporeque Tertulliani lapſos, & Idololatras perpetuò fuiſſe, ſi non excommunicatos, abſolutione tamen privatos: Ideoque homicidas exiſtimandum ſimili pœna fuiſſe mulctatos; cùm eodem Idololatrarum, & homicidarum argumento confirmet ad eum omnino modum adulteros fuiſſe puniendos.

Tertullianus, D. Cyprianus, Pacianus, aliique Patres actuum Apoſtolorum cap. 15. *Abſtinete vos ab Idolothytis, ſanguine & ſuffocato*, explicanda putant de Idololatria, homicidio, & adulterio, unde ſuſpicandum & quaſi confirmandum, cùm Eccleſia certiſſimas veriſſimaſque ob cauſas, & rationes adhiberet, & uſurparet hanc ſeveritatem, tria illa genera criminum conſimili pœna afficere voluiſſe: quandoquidem eadem omnino lege, & iiſdem verbis ab Apoſtolo plecterentur, & quaſi quodam compenſationis modo prohiberentur, ut ait Tertullianus, cùm dicat, quò tria illa præcepta magis cuſtodirentur, veteris legis omnia quæ erant mandata, eo nomine abrogata fuiſſe. Cùm igitur perſpicuè paſſim reperiamus Idololatras, & adulteros primis illis Eccleſiæ naſcentis ad ſeveritatem compoſitis temporibus perpetuæ pœnitentiæ addictos fuiſſe: cui dubitandum erit homicidas, eamdem vim animadverſionis, & judicii non effugiſſe.

Eccleſia progreſſu ac ſucceſſione quadam temporum, præſertim verò poſt repreſſam illam, ac edomitam perſecutionum vim humaniùs multò ac leniùs erga fideles ſe ſe habuit, plurimumque de illa prima quæ penè obduruerat ſeveritate detraxit: propterea canon ille XXII. Concilii Ancyrani, quo homicidæ voluntarii pœnitentiam ſubire perpetuam coguntur: iidemque beneficii ac gratiæ loco communionem, & abſolutionem, in ipſo vitæ exitu aſſequuntur, admonet nos edocetque primis quondam ſeculis, eos vel morte imminente abſolutione caruiſſe; cùm Eccleſia auſterum illum, & durum ſanè agendi modum remittendo, aliud nihil quàm perpetuam pœnitentiam & abſolutionem, cùm illos ex hac vita migrare contigerit, impertiat. Qui autem id in controverſiam vocaret, ecquam hujus canonis cauſam rationemque afferre poſſet? Quamobrem queſo Aocyrani Concilii Patres præſiniiſſent, uti ad mortem uſque pœnitentiam protraherent, ſi antea eodem vel ampliore beneficio eos fuiſſe uſos conſtaret? Canones non ad alium finem diriguntur, quàm ut nova quædam inducantur, aut antiqua & vetera reformentur. In Concilio Eliberitano, quanquam Idololatris & homicidis aliquantò antè ad pœnitentiam, & communionem in ipſa morte locus quidem daretur; tamen id decretum conſtitutumque eſt, ut qui utriuſque criminis rei fuiſſent, neque abſolutionem, neque Eccleſiæ pacem morientes impetrarent. Quò probabilius eſt, haud ita pridem illorum unum crimen, qui in ſe admiſiſſet, frui cœpiſſe communionis beneficio; cùm qui geminum ſcelus perpetraſſet, pœnâ perpetuæ pœnitentiæ vel ultra mortem afficeretur. Eodem Concilio delator, hoc eſt, qui necis alicui allatæ auctor extiterit, ad exitum uſque ſeu mortem privatione communionis plectitur: quæ tandem pœna primis duobus ſeculis repetebatur, ab eo qui manu propria fratrem ſuum è medio ſuſtuliſſet. Quod de Theodoſii Imperatoris excommunicatione, & octo menſium pœnitentia memoriâ proditum eſt, ob imperatam indictamque cædem Theſſalonicenſium civium, id me in eam ſententiam ut diſcedam & propendeam adducit, non leve ſupplicium, ut ſumptum eſſe putem de aliis qui non erant Imperatores, qui cædem aliquam ſuapte ſponte non alieno impulſu inducti feciſſent tempore Divi Ambroſii. Idem eſto judicium de pœna, quæ irrogata eſt in homicidas primis duobus ſeculis.

OBSERVATIO XVI.

Quo tempore eis indulta.

NOn magnum fuit momenta rationum afferre in medium, quibus quis probaret, primis Eccleſiæ temporibus homicidas abſolutione privari: neque in morte quidem, alio præſidio ab Eccleſia conſtituto ſublevari poſſe, quàm ut precibus, pœnitentiæ benedictione, & ſpe quadam propè explorata ab Epiſcopis erigerentur, Deum optimum maximum, qua eſt miſericordia, benigniùs, & humaniùs cum illis acturum, modò eos ſcelerum & facinorum conſcientia extimulatos, dolor quidam ex intimo animi mœrore conceptus dilaniaret, ſed ooo ita in promptu eſt deſignare tempus, quo poſita & abjecta ſeveritate clementiùs multò & indulgentiùs habiti ſunt & excepti, cùm Eccleſiæ placuit, ut inter fideles morte irruente reponerentur, & in communionem homicidæ vocarentur: tamen id factitatum eſſe circa tempora Conciliorum Eliberini ſcilicet & Aocyrani non obſcurum eſt, vel paulo anteà. In his enim duobus Conciliis extant ea quæ primùm ad eos reſtituendos definita ſunt: *Qui voluntariè homicidium fecerint, ad pœnitentiam quidem jugiter ſe ſubmittant, circa autem exitum vita communione digni habeantur.* Et licet non ita conſtet, quo in Conſilio, aut à quo Pontifice, aut Epiſcopo, æquiſſimum viſum eſt, ut in priſtinum ſtatum unde depulſi fuerant, reſtituerentur; non abſurdum taoen, aut ineptum fuerit ſentire Epiſcopos illorum Coocil iorum, authores item fuiſſe legum & inſtitutorum, quę primò de hac re decreta

ſunt. Quòd ſi ante illa Concilia homicidis pœnitentiæ aſylum & effugium propoſitum eſt, id potius uſu ac conſuetudine quadam, quàm publico aut privato cujuſvis Concilii conſenſu receptum & probatum eſt. Etenim nemo inficiari audeat in illis Conciliis primas ea de re leges eſſe aliquo ſcripto exaratas, ſin minus eſſe, quas primò non ſolùm nacti ſumus, ſed quas Epiſcopi Concilii Epaunenſis agnoverint. Nam trigeſimo primo canone declararunt canones Ancyranos eſſe & cuſtodiendos & retinendos in cauſis homicidarum. *De pœnitentia homicidarum, qui ſeculi leges evaſerunt hoc ſumma reverentia de eis inter nos placuit obſervari, quod Ancyrani canones decreverunt.* Unde ſuſpicari licet eos ex intima antiquitate vetuſtiores depromturos fuiſſe, ſi quos reperiſſent. exiſtimandum item eſt ex canone 2. 5. & 6. Eliberitini Concilii, atque adeo ex vigeſimoſecundo Ancyrani ante hæc Concilia non fuiſſe in more poſitũ, neque ita decretum mordicus, ut ad pœnitentiam homicidæ invitarentur. Quamobrem enim iſtorum Conciliorum Epiſcopi decerni oportere illud conſtituiſſent, ſi ex uſu & conſuetudine Eccleſiæ ii nullo negotio ad pœnitentiam, quam ſuſciperent, impellerentur? Quòd ſi conjecturæ indicio aliquo probabili uti volumus, ſimile vero eſt & credibile tempore D. Cypriani, homicidas ad pœnitentiam peragendam intromiſſos; nam Tertulliani tempore aſſequi illis non licuit: & D. Cyprianus hoc concedere videtur in expoſitione Symboli tractatu *de zelo & livore*, & tractatu de *veſtitu virginum*, ſi ejus ſint opera. Quid quòd ii qui ejus ætate ab Eccleſia removebant lapſos, non omiſiſſent Orthodoxis exprobrare, homicidas ab iis perpetuæ pœnitentiæ & diuturnæ excommunicationis fulmine ictos percuſſoſque fuiſſe, & hoc uti argumento, quemadmodum uſus eſt Tertullianus libro de Pudicitia. Præterea quod habetur in illo Ancyrani canone (quemadmodum ſuperiori capite expoſuimus) in homicidas perpetua & indeſinenti pœnitentia animadvertendum eſſe, neque eos ad communionem ante obitum admovendos pro conjectura haud levi & temeraria erit, illa primùm ætate & conſilio, homicidis veniam & pacem Eccleſiæ indultam: nam ſi hujoſce Concilii tempore niſi inſtante morte non abſolverentur, atque ad extremum uſque vitæ terminum, in pœnitentia ſtandum eſſet eis & morandum; quid tandem de iiſdem actum exiſtimare debemus initio naſcentis Eccleſiæ, & ſuperiobus temporibus, quibus acriùs multò & ſeveriùs vindictam exercebat in eos qui in Baptiſmo, quas hauſerant gratias ac beneficia, ea omnia unius lethalis peccati maculâ corrumpebant?

OBSERVATIO XVII.

Mœchi ad communionem non admiſſi.

INter illa peccata, quæ primis ſeculis perpetuam excommunicationem, hoc eſt, pœnitentiam incurrebant, adulterium facilè principem locum tenebat, teſte Divo Cypriano ad Antonianum Epiſcopum, cùm mirari ſe dicit, quamobrem totius Eccleſiæ conſenſionem rejiciat, ſeque ab ea cùm aliud ſentiat, ſegreget; ob id maximè, quòd à corpore Eccleſiæ lapſos arceat, contrariamque ſententiam tueatur: nec quod Romæ, aut Carthagini definitum ſit, propugnet. Paucis antè annis, cùm ratio ipſa poſtularet, ut à Pœnitentia non excluderentur adulteri, plurimorum Epiſcoporum non fuiſſe eam mentem & opinionem, imo eorum judicio, aditu, introituque Eccleſiæ adulteros prohibitos; propterea tamen Eccleſiæ pacem, ac concordiam perfringendam non putaſſe, nec ſe ab Epiſcoporum aliorum ſocietate diſſociaſſe: *Et quidem apud anteceſſores noſtros quidam de Epiſcopis iſtis in Provincia noſtra dandam pacem mœchis non putaverunt, & in totum pœnitentiæ locum contra adulteria clauſerunt, non tamen à Coepiſcoporum ſuorum collegio receſſerunt.* Quibus verbis duo conjicies eſſe agitata: Primùm priſcis temporibus ante Divum Cyprianum adulterium hoc tam gravi perpetuæ excommunicationis propè ſupplicio punitum. Deinde paucis ante Cyprianum annis, adulteris veniam fuiſſe quandam tributam. Quamobrem enim Epiſcopi, quorum mentionem facit, conquererentur aut graviter tuliſſent adulteros ad poenitentiam ſubeundam admiſſos, ſi uſus, conſuetudoque invaluiſſet, ut admitterentur? Quorſum Epiſcoporum aliter ſentientium, qui numero cæteros vincebant, opinionem rejeciſſent? re autem ipſa aliter, ac cenſerent, ſe geſſiſſent: eoſque adulteros in perpetuum ab Eccleſia removiſſent, *& in totum pœnitentiæ locum clauſerunt*, niſi tunc tempus illud extitiſſet, quo primùm cœpti ſunt adulteri ad poenitentiam evocari, cùm aliàs poenitentiam perpetuam ſubirent? Epiſcopique qui communem opinionem probare detrectabant, veterem illam Eccleſiæ ſeveritatem nollent remittere, ſed antiquum illud Eccleſiæ decretum retinere, quo in perpetuum adulteri ab Eccleſia propulſabantur. Qui in ſententiam Tertull. diſcederet nullo negotio id probari poſſe videret: hiſtoria quippe illa, aut commemoratione eorum, quæ de eorum reſtitutione ſuſcepta eſt: aut denique facto illo Zepherini cùm de illis ad poenitentiam ſollicitandis edictum promulgavit, clarum & exploratum eſt ante Zepherini tempora, adulterii poenam fuiſſe poenitentiam perpetuam. Quæ enim alia cauſa Tertullianum impuliſſet, cæteroſque ejus ſententiæ ſuffragatores Epiſcopos, ut à communi aliorum conſenſu diſſentirent, quàm quòd novum & inauditum in Eccleſiam invehi & importari cernerent? quin & illa D. Cypriani verba, quæ ſuprà citata ſunt, omnem dubitationis anſam, occaſionemque præcidunt. Mitto ea quæ ſuo loco & tempore de eorum reſtitutione diſputabuntur.

OBSERVATIO XVIII.

Quando ad eam admiſſi.

ZEpherinus totus animo, & cogitatione in Eccleſiæ curam cuſtodiamque cùm excubaret, videretque quæ de adulteris lata lex erat ob poenitentiam perpetuam, quæ pace in morte careret, eam vehementiorem & ſeveriorem, quàm ut ſuſtineri ferrique poſſet; eoque nomine, non paucos in dies ab Eccleſia ad Paganiſmum tanquam perfugas convolare potius, quàm reliquum vitæ curſum in perpetuis angoribus poenitentiæque mœrore conficere, ſapienter providit, ut adulteri poenitentiæ remedio ſublevarentur, certoque annorum ſpatio tranſmiſſo, ad Eccleſiæ gremium, & communionem aggregarentur. quo promulgato paſſim edicto quaſi lege, contigit ut maximæ turbæ tragediæque totâ Eccleſiâ, in Africa maximè excitarentur, quod ejuſmodi decretum tam novum, & inoſitatum cùm videretur, Tertull. libro de Pudicitia acerrimè reprehendit; ſed & plurimi Epiſcopi ut antè demonſtratum eſt, id ſibi ferendum non judicarint, rati adulteros ex vetere patrum diſciplina, perpetuâ poenitentiâ feriendos. A Zepherino edictum hoc conflatum & coo-

ſectum illa convincunt Tertulliani verba, nullus ut ſit dubitationi locus, additis propriis ejus edicti verbis, *Ego Mœchis & fornicationi pœnitentia functis, veniam do*, ſic ut Zepherinum authorem edicti non ambigas fuiſſe. præſertim ſi verba D. Cypriani à me ſuprà allata examinentur: quæ quàm appoſitè & propriè ad tempora Zepherini pertineant, nemo non ſagax, prudenſque antiquitatis indagator advertit. Quod autem ne mors quidem ipſa adulteris veniam & communionem impetraret, id ex iis, quæ de Divo Cypriano attulimus, probatur: & verò etiam planum eſt, ex libro de pudicitia, quo in libro vix tria verba continuata reperias, in quibus non deprehendas edicto iſto rem omnino novam uſurpari, quo remittendus eſt lector. Ad hæc accedit, Zepherinum non promulgaturum fuiſſe hoc edictum, ſi conſuetudo id non vetuiſſet. Quid enim latione legis opus eſt, ad ea quæ tum gerebantur promulganda, & quæ nemini dubia aut incerta videbantur? Ad extremum cuique obvium eſt è canonibus Eliberini & Ancyrani Conciliorum, quod fuerit duorum primorum ſeculorum, ſeu temporum judicium de ſupplicio, pœnaque hujus criminis, cum quo tempore indicta ſunt illa duo Concilia adulteri, ſeptem annorum pœnitentia dura & auſtera illo Concilio; altero autem in ſeptimo canone pœnitentia cujus fructus & communio ne in morte quidem ſperaretur, ſi cùm crimen illud pœnitentia ante delevissent, in idem denuo crimen prolaberentur. Eodem planè modo octavo canone, mulieres nec in fine abſolvuntur, quæ maritis valere juſſis, domo profugerunt, ut alienæ libidini obſequantur: 64. 70. 65. Canonibus eadem pœna incurritur.

OBSERVATIO XIX.

Pacem à Martyribus exorabant.

Ecquid cauſæ exſtimandum eſt cur Tertulliani ætate adulteri, & Divi Cypriani tempore lapſi ad Martyres concurrerint, niſi quòd cùm ſe pœnitentià perpetuà damnatos cernerent, neque ulla reſtitutionis ſpes objiceretur, occultis ac non uſitatis viis, ad ea quę conſequi ex diſciplina & uſu Eccleſiæ non poſſent, pervenire niterentur: contendiſſe ac elaboraſſe eos, ut martyrum commendatione freti faciliùs pœnitentiam aſſequerentur, & reconciliationem, aut ut pœnitentia breviori temporis intervallo definiretur, dici non poteſt; quamobrem quia quem ad poenitentiam agendam adſciſcebat Eccleſia, certo ſciebat is ſe aliquando in communionem reditutum. Ideoque non neceſſe erat lapſos adire ad Martyres, ut ea potirentur, quam ſe accepturos ſciebant: & quamvis ea conditione lapſis ab Eccleſia poenitentia daretur, ut ad plures annos eam continuarent: tamen eo nomine peccata omnia remiſſa & condonata omnino perſuadere ſibi poterant: neque ad id gratia aut amicitia martyrum obtinendum requirebatur: cùm à martyribus nunquam impoſitam, aut relaxatam, aut contractam poenitentiam, aut denique poſthabito, neglectoque Eccleſiæ judicio quicquam ab iis, quod ſecus Eccleſia judicaſſet immutatum aut perturbatum, legamus. Quòd ſi quid apud antiquos authores Patres de authoritate & facultate remittendi peccata quam ſibi arrogabant Martyres animadvertimus, nullo modo ad eos id ſpectat, quibus conceſſa fuerat poenitentia: neque unquam legas modum ab iis poenarum fuiſſe conſtitutum aut moderatum. At verò id unum mirum videri tantùm, quod pacem perpetua poenitentia mulctatis ſine ullo poenitentiæ aut ſatisfactionis labore tribuiſſent: ejus rei plenæ ſunt Divi Cypriani Epiſtolæ, & Tertulliani ſcripta perpetuò loquuntur & vociferantur, *communicatores reverntur*: atque illa eſt ratio quam protulimus, quòd qui poenitentiam obtinuerat, ſua ſibi peccata condonata & obliterata non dubitabat, ſi modò poenitentiam expleret, propterea que nihil ei ſubſidio eſſe potuiſſe Martyrum authoritatem ad abſolutionem impetrandam. Qua ex re colligas omnino lapſos, & adulteros illis temporibus perpetuæ poenitentiæ judicium non evitaſſe, effugiumque illud ad Martyres non aliam ob cauſam eſſe quęſitum aut comparatum, quàm quòd non aliam ſibi ad Eccleſiam viam aut aditum ſubodorarentur, niſi illorum meritis aut commendatione. Quòd ſi vel poenitentia multorum annorum obita peccatorum ſuorum expiationem ſe conſequuturos ſperare potuiſſent, eam magno & forti animo ſuſceptam toleraſſent, neque Martyribus, aut Eccleſiæ diutiùs moleſti & importuni fuiſſent. Poſteaquam enim à Zepherino ſancitum fuit, adulteros diuturniore poenitentia, ut à Cornelio lapſos in ſocietatem & communionem fidelium adſcribendos, non reperimus à Martyribus ulla unquam remiſſa delicta, neque unquam quenquam de eo conqueſtum eſſe videri, quod cui authoritate Eccleſiæ pax tributa eſſe diceretur, is de ſua reſtitutione multò certior, tutiorque cenſeretur, quàm qui eam aliâ viâ modoque non uſitato ſibi comparaſſet: quamvis longâ poenitentiâ ad eam eſſet perveniendum, neque legimus lapſos aut adulteros poſt Concilia ea de re à Zepherino, & à Cornelio habita Martyrum opem imploraſſe. Crediderim præter omnium opinionem & ſpem pedetentim atque ſenſim in Eccleſiam hunc irrepſiſſe morem, atque conſuetudinem, ut hic rerum ſtatus influeret, hoc eſt, ut Eccleſia tanquam indulgentiſſima parens filiórum ſuorum imbecillitati & fragilitati obſecundaret. Primis ſanè ſeculis quando recens adhuc Salvatoris calebat cruor fidei, Charitatiſque virtus, ardorque tam altas in animis mentibuſque hominum radices agebat, ut nihil non arduum, ac operoſum quod intentaretur, ipſi aggrederentur; atque eo factum eſt, ut palam in oculis, auribuſque hominum peccata ſua quodam modo divulgando defigerent: magnoque ſe beneficio affectos, cumulatoſque jactabant, ſi ſibi viginti, imo triginta annorum, atque adeo ad extremum vitæ diem poenitentia aliqua imponeretur, neque unquam peccatores de ejus tempore & diuturnitate conqueſtos intermorientibus, aut conſeneſcentibus his virtutibus, in Chriſtianorum pectoribus obedientia paulatim elanguit, Eccleſiaque agnitis perſpectiſque ſuorum fracti atque parvi animi ſignis, cùm filiorum ſuorum virtuti diffideret, ad Dei Optimi Maximi miſericordiam confugiendo, gravioribus eos urgere ſuppliciis deſiit. Quid, quod decreta Conciliorum, ſeu canonum qui percurrerit, omiſſa illius poenitentiæ antiquæ ratione ſeu forma, illud ex eorum lectione hauriet, quinto, ſexto, & ſequentibus ſeculis, eos qui ob peccatorum ſuorum atrocitatem dolerent vehementiùs, pietatiſque & ſatisfactionis ſtudio adducti, ea obliterare vellent, emiſſo voto in manibus Epiſcopi, quo exolvi non poſſent, neque vellent, confirmaſſe ſe nunquam ad vomitum redituros, peccatorumque immanitatem perpetuo luctu, habitu, & ſqualore deploraturos. Unde liquet primis illis temporibus, cùm Chriſtianorum ſumma illa pietas vigeret, lapſos ad Martyres non confugiſſe, ut ſibi indita poenitentia minueretur, quam nemo unquam quamvis diuturnam ſubire recuſavit. Deinde penes

Epiſcopos erat pœnitentias contrahere aut producere, quapropter ab Epiſcopis potius hanc gratiam petiiſſent lapſi & adulteri, quàm a Martyribus, quorum authoritas minoris eſſet momenti in Eccleſia, quàm Epiſcoporum.

OBSERVATIO XX.

Hæreſim quamobrem induxerit Novatianus.

NOvatianus antè ab Eccleſiæ corpore quàm ſe divelleret, eamque ſententiam præfractè & obfirmatè tueretur, quamque hæreticam cenſeret lapſis parcere, dixerat, affirmarat, & ſcripto teſtatus fuerat, urgente & premente neceſſitate lapſos abſolvendos, eiſque omnino ignoſci oportere. Hiſtoriarum namque monumenta produnt, mortuo Fabio, ſede inani ac vacuâ, Clerum Romanum coitione quadam atque cœtu facto, cogitaſſe quomodo lapſis obnixè & vehementer contendentibus, ut pœnitentiæ ſibi locus daretur, ſatisfieret. Quo tempore ibi Novatianus cum Presbyter & unus è Clero eſſet rogatus ſententiam, dixit ſibi videri non à pœnitentia lapſos excludendos, neque ſi ad certum mortis periculum vocarentur, Eccleſiæ pacem illis eripiendam: *Additum eſt etiam, Novatiano tunc ſcribente, & quod ſcripſerat ſua voce recitante, ut lapſis infirmis & in exitu conſtitutis pax daretur*, ait Divus Cyprianus: quo conſtituto, verè & aſſeveranter objici Novatiano illud potuit, illum eſſe aut fuiſſe hæreticum, cùm quam opinionem ſua ſententia confixiſſet, eam propugnaret, eamque ipſam defenderet, quam Eccleſia condemnarat. Hinc intelligi etiam poteſt non eum ſtudio religionis defendendæ eò progreſſum eſſe: neque quòd ſe contaminatum iri lapſorum ſocietate ſubtimeſceret: aut quod Eccleſiæ corpus ulla peſtifera, ac venenata lapſorum contagione inſici poſſe, ut ipſe vociferabatur, crederet: cùm multò antè quam eum honoris & commodi privati effrænata cupiditas obcæcaſſet, opinionem illam, ut Chriſtianæ fidei atque doctrinæ conſentaneam comprobaſſet; verùm cùm ſe de ſpe quam animo devorarat depulſum, atque adeo de ſummo illo & auguſtiſſimo Pontificatus gradu deturbatum, Corneliumque ad illum honorem concordibus aliorum ſuffragiis, ſe uno repudiato vidiſſet evectum, ita iracundiæ, invidięque ardentiſſimis facibus exarſit, ut ſe præcipitem in illam hæreſim daret, eo animo, ut quem ſibi ereptum, Cornelio autem delatum ferre non poſſet honorem, ſibi reſtitueret, Corneliumque ut hæreticum declarandum decerneret. Quæ verò res ei mentem hanc injecerit, ut hujus potius quàm alterius hæreſeos architectum, & quaſi machinatorem ſe haberi pateretur, eam eſſe comperio, quòd Cornelius ad Pontificatum cooptatus lapſorum cauſam agitandam examinandamque ſuſcepit, quod unum non mediocriter Eccleſiæ ſtatum perturbabat: quo nomine, Concilium convocandum putavit, in quo illud decretum ac præfinitum, ut cùm ad mortis uſque diem pœnitentiam produxiſſent, communionis participes efficerentur. Novatianus quamquam antequam Cornelius ad Petri ſedem occupandam adlectus eſſet, idem propè quod Cornelius aſſenſu ſuo probaſſet, oblatam ſibi occaſionem percommodam & opportunam conflandæ invidiæ Cornelio, ſuique exſaturandi & explendi odii, furoriſque inflammandi non contempſit: cujus rei perficiendæ causâ in omnem ſe partem torquet atque verſat: toto quippe terrarum orbe longè latéque diſſeminavit, imo omnes Africæ oras, Hiſpanias, Siciliam ſcriptis ſuis obiit, à Cornelio funditus everſam Eccleſiam maximam, ejus inaudita & non ferenda licentia ad Idololatriam feneſtram eſſe patefactam: nihil purum putumque in Eccleſia videri: eam eſſe ſocietate, congreſſo & conſuetudine lapſorum infectam & inquinatam: propterea Eccleſiis Hiſpaniarum & Africæ nullum poſthac cum Cornelio eſſe debere commercium; vitandam omnino conſociationem, quin ſi ſapiant, impoſitum ſibi Eccleſiæ Romanæ jugum, quod Roma anili ſuperſtitione pręſtigiiſque inſtruetur, excutient. Atque hic eſt ſcopulus ad quem ſuam illam, quam ab Eccleſia Romana fidem aliàs hauſerat, alliſit impegitque Novatianos; qui cùm Cornelio objeciſſet ejus conſilio & authoritate lapſis pœnitentiæ viam apertam, coactus eſt eiſdem lapſis veniam in exitu denegare, & hanc opinionem & hæreſim tanquam præcipuum ſuæ ſectæ fundamentum ponere, atque adeo omnes cogitationes ſtudiaque conferre, ut non paucos Epiſcopos qui ſibi ſuffragarentur, commoveret & attraheret, qui ſua dogmata paſſim divulgarent. Hæc una igitur eſt ratio cur potius hanc occaſionem Novatianus arripuerit, quàm quamvis aliam; quòd ſcilicet Eccleſia tum primùm ſub Cornelio lapſis, & ad pœnitentiam agendam, & ad veniam impetrandam, ſignum ſuſtulit. Niſi enim res inaudita aut nova fuiſſet, Novatianus nunquam defectionis ſuæ aut diſſenſionis illius anſam illam apprehendiſſet, neque ſuæ doctrinæ æmulatores nactus contra Cornelium, Africæ Eccleſias concitaſſet, brevi quodam ad ea quæ afferebat reſponſo reddito, Cornelium nihil, quod ſaperet novitatem, neque quod multo antè non uſurpatum fuiſſet, eſſe molitum. At quia res erat inſolens & inuſitata, ideo reperti ſunt qui Novatiano adhærerent. Unde intelligi poteſt ante Novatianum, lapſis ne in ipſa quidem ex hac vita tanquam è diverſorio demigrandi neceſſitate, ad communionem licuiſſe per Eccleſiam obrepere.

OBSERVATIO XXI.

Qua in re potiſſimum verſaretur.

PErmagni intereſt ad veteres canones penitus introſpiciendos, eorumque vim omnino pernoſcendam videre & intelligere, qua potiſſimum in re error Novatianorum verſaretur. Plurimi namque doctrinæ gloriâ præſtantes, quod errorem Novatianorum in eo verſari tantùm putarent, quod praxi quadam atque uſu, communionem & abſolutionem (quæcumque tandem rea vel ipſius mortis impendentis occaſio neceſſitaſque offerretur) lapſis atque aliis graviore & atrociore ſcelere conſtrictis negare ſolerent, magnopere hallucinati ſunt in explicatione plurimorum canonum, eorumque maximè in quibus hæc verba legas uſurpata, *nec in fine accipiat communionem*. quòd in iis hanc vocem, *Communio*, pro Eucharistia, non pro abſolutione ſumpſerint: quòd ſcilicet vererentur, meo judicio, ſi aliter interpretati fuiſſent, propiùs ab hæreſi Novatianorum abfuturos, & tamen hujus vocabuli uſus legitima, uſitata & germana ſignificatio apud veteres, aliud nihil eſt, quàm vis & jus communicandi cum cæteris fidelibus. Enimvero cùm ſeveritas priſcorum illorum temporum ea fuerit, ut nunquam aut perraró Euchariſtia pœnitentibus, quos mors, pœnitentiæ tempore, oppreſſos intercepiſſet, præberetur: eò nos ille mos adducit, ut credibile videatur verbum illud *Communionis* de abſolutione, non de Euchariſtia intelligendum, quam excom-

municati non ita facilè niſi fuiſſent ſperare, cùm pœnitentibus non ita ſæpe id beneficii loco tribueretur, quos ad id obtinendum conſtat gratioſiores fuiſſe, quàm excommunicatos. Et quamquam id illis ultrò daremus, in illis canonibus de Euchariſtia, non de abſolutione verba fieri, nihil prohibet, quòminus illos canones ſeveritatis accuſent, eoſque increpent ut ſuffragantes & patrocinantes Novatianis: adeo indubitatum id tuentur Novatianorum id eſſe non modò abſolutionem, ſed & Euchariſtiam ingruente mortis diſcrimine non condonare. Dici non poteſt quas in anguſtias redactos ſe eſſe conquerantur, cùm evolvendus eſt canon ille Sancti Innocentii, quo disertè contendit primis illis temporibus abſolutionem non fuiſſe datam: cùm explicandi ſunt alii canones, ut ultimus Concilii Arelatenſis primi, nonnullique aliorum Conciliorum, in quibus id fuiſſe ſtabilitum & confirmatum apparet. Neque enim poſſunt, audentve ſtatuere unquam Eccleſiam abſolutionem in ipſo mortis puncto articulove recuſaſſe quod metuerent, ne ſi id faterentur ab Eccleſia factitatum, eam ad hęreſim Novatianorum aliquando hęſiſſe: nihil non moliuntur, & in omnem ſe partem verſant, ut canones illos effugiant, & obſcurent; cùm tamen ea verborum vi ſignificanter declarant fuiſſe negatam, ut explicationis nullius indigeant. Quo autem minore negotio ex illis difficultatibus emergere poſſint, advertant oportet, Novatianorum errorem non in eo poſitum, quòd dicerent neque lapſum, neque excommunicatum in morte à peccatis liberandum: ſed hęreticos ideo habitos, quòd opinarentur Deum ipſum Eccleſiæ neque remittendorum, neque retinendorum peccatorum capitalium poteſtatem copiamque feciſſe: atque hæc in eo fuit, viguitque eorum hęreſis, qui quamquam illud conſequeretur ex illorum falſa opinione, ut abſolutionem non largirentur, tamen hoc ipſorum factum non hæreſis nomine appellationeque afficiendum erat: neque ad hęreſim accedebat ob aliam cauſam, quàm quòd a fonte illo, & quaſi capite hęreſim olente dimanarat, eo maximè quòd Novatiani crederent, id Eccleſiæ à Deo non fuiſſe pręſtitum & conceſſum: quæ cauſa ſola fuit cur praxis illa ſeu diſciplinæ Novatianorum ratio, hæreſis nomen notionemque non effugeret. Hæc enim eadem doctrina ſeu diſciplina hæretica omnino non erat, ſiquidem ejus origo fuit ab alio quodam principio atque fonte, potuitque ea uſurpari ſine ulla hęreſis ſuſpicione tuerique, & re ipſa ſupra id ab Eccleſia non neglectum, imo obſervatum & retentum. Et quamquam Eccleſia jam inde ab incunabulis, ac primordiis ſuæ, ut ita dicam, infantiæ ad ſe tranſmiſſam per manus Apoſtolorum acceperit poteſtatem ligandi atque ſolvendi; tamen quoddam fuiſſe tempus certum eſt, quo erga quoſdam peccatores eam non exercuit, eo pręſertim nomine, ut terror quidam injiceretur Chriſtianis, iique alacriùs ac ardentiùs ad Martyrium concurrerent, metuque diuturnæ excommunicationis ſubeundæ, intra officii Chriſtiani fideique cancellos atque terminos retinerentur, neve acerbiſſimorum ſuppliciorum atrocitate fidem ejurarent, ad extremum ne in vitiorum voraginem horrore perpetuæ pœnitentiæ perfuſi pręcipites agerentur. Novatiani igitur Chriſtum Dominum in Eccleſiam ſuam hanc authoritatem poteſtatemque transfudiſſe inficiabantur: ideoque eam nunquam uſurpabant. Hinc eſt quòd ea diſciplinæ ratio hęreſis nomine malè audiebat, quod falſo ſcilicet quodam principio niteretur. Eccleſia contrà ad ſe hanc vim ac poteſtatem à Deo tranſlatam ac communicatam affirmabat, & poſt Novatianos ſive odio quodam illorum hęreſeos & opinionis tam pravæ concepto, ſive quod ſucceſſu temporis, pace ac tranquillitate potiretur, eamque ob cauſam non nihil de illa priſtina ſeveritudine dimitteret, quam ante perſequutionum luctuoſa tempora retinebat, liberiùs multò ac ſolutiùs in eam ſe partem flecti ſinebat, ut etiam omnes lapſos, qui ſuo fato occidebant, abſolutione data à ſe, in cęlum filios ſuos pręmitteret: tamen non ita universè ſeu generatim, atque adeo neceſſariò id gerebatur, ut non poſt Novatianos canones quidam expreſsè exarati legantur, (imo poſt Concilium Nicęnum,) quibus prohiberi videmus ne quibuſdam excommunicatis, certas graveſque ob cauſas certorum delictorum abſolutionis gratia contribuatur, quod alio capite veriſſimum eſſe demonſtrabitur: unde agnoſcere poſſumus errorem Novatianorum non ad eum planè modum intelligendum & conſiderandum, quòd lapſos re ipſa à communione pelleret, verùm quòd diceret abſolutionis communicandæ jus & poteſtatem Eccleſiæ non eſſe permiſſam, ſed eam ſibi ſoli Deum reſervaſſe, iſtamque diſciplinæ & uſus rationem per ſe ſpectatam, non hęreſim æſtimandam, cùm Eccleſia ad praxim eam revocarit.

OBSERVATIO XXII.

Primus Pœnitentiæ gradus.

PEccato ſic immutatur Chriſtiani hominis ſtatus atque conditio, ut in maximam quaſi capitis minutionem collapſus, illo ipſo quo peccat temporis articulo, donis omnibus & beneficiis, non iis modò quæ in baptiſmate accepit, ſed & quibus in Confirmatione & Euchariſtia ornatus eſt, excidat. Et à dęmonis quidem poteſtate per Baptiſmum aſſertus eſt in libertatem, *Tum enim*, ait Tertullianus, *hominem ſentit planè liberatum*, peccato eam libertatem amittit & in ſervitutem recidit. Unde & nonnullis Patrum voces has *tradidi eum Satanæ*, de excommunicatione placuit interpretari. Juſtificationis quoque in eo gratia extinguitur, cujus erat hoc ipſo ſacramento factus compos; ſpoliatur indumento Spiritus ſancti, quo erat in Confirmatione indutus; jus denique id communionis, quo per auguſtum Sacramentum adeptus erat, ut & corporis fidelium & corporis Chriſti communione frueretur, ejuſque membrum fieret, amittit; evaneſcunt illico dona hęc & peccato abolentur.

His nudatus & ſpoliatus omnibus miſer atque inops inter porcos deſtituitur, Diaboli mancipium ſine re, paterna domo, patris gratiâ extorris, ut ille de Evangelio luxurioſus. Neque hæc tantùm quæ longè graviſſima ſunt, damna patitur, ſed reus peccato fit mortis filius, qui iram Dei incurrit. Hęc qui ſecum ipſe reputabit, minùs profectò mirabitur primis illis Eccleſiæ temporibus cùm adſtrictiori diſciplina, & ſeveriori lege viveretur, tantum illam moræ, tantumque difficultatis interpoſuiſſe antequam pœnitentes reciperet in gratiam, tot gradus eſſe pœnitendi, tot in ſingulis ærumnas exantlari voluiſſe. Ac Catechumenos quidem baptiſmatis aditum tot difficultatibus interclusit, quamquam horum nec tanta culpa quàm baptiſmo initiatorum, nec tanta vindicandi aſperitate digna videbantur, ut annis compluribus hoc eos in tyrocinio contineret primis fidei myſteriis imbuendos, & Chriſtianæ pietatis moribus informandos, ſic ut iis nihil interea quidquam de Sacramentorum arcanis aperiret. Quò juſtior fuit ejus in pœnitentes aſperitas, qui in cognitam & perſpectam Jeſu-Chriſti fidem, legemque ju-

rati ultro eam polluiſſent, tot divina munera atque dona cum vana & inani re, hoc eſt cum fluxa voluptate commutaſſent, & diabolum Domino præpoſuiſſent, *comparationem enim*, ait Tertullianus de Catechumenis, *videtur egiſſe qui utrumque cognoverit, & judicato pronunciaſſe eum meliorem, cujus ſe eſſe maluerit.*

In his damnis & cladibus quibus oppreſſi tenentur qui peccarunt, tria in primis ſpectavit Eccleſia, Chriſtum ejuſque legem quam non timuerant, ſatisfaciendi debitum, & culpæ quam commiſerant exſolvendæ; Euchariſtiam denique cujus accipiendæ jus amiſerant. His morbis ac vulneribus medelas invenit totidem gradus pœnitentiæ, quibus indocti legem Chriſti ediſcerent, Deo ſatisfacerent, Euchariſtia denique digni redderentur: in auditione enim leges Chriſtianæ religionis edocebantur, in tertio gradu graves illas pœnas ſubibant, quibus Deo ſatisfactum putabant: in quarto denique gradu ſanctificabantur & quaſi conſectabantur, ut ornatiores & digniores eſſent ad Euchariſtiam ſuſcipiendam, & ejus accipiendæ jus amiſſum recuperarent. Quæ attentè diligenterque conſideranda ſunt, ut gradus hi pœnitentiæ quem ad finem inſtituti ſint, intelligatur. Nec enim in id tantùm ut à peccatis ſolverentur, ſed ut ad Euchariſtiam, quæ præcipuus & pœnitentiæ & Catechumenorum ſcopus, tum Chriſtiani hominis finis atque conſummatio, ac religionis caput eſt, dignè percipiendam præpararentur. Nam cùm Eccleſia hoc haberet donum ampliſſimum & maximum, tum nihil gravius in quemquam ſtatuere potuit, quam ſi ſummo illo beneficio eum privaret. Hoc præmium ampliſſimum dedit, hanc pœnam graviſſimam impoſuit.

Et quatuor quidem fuiſſe pœnitentiæ gradus, compluribus, quarto, quinto, ſed & tertio ſeculo, ſi modò Gregorii Thaumaturgi ii ſunt qui ejus nomine feruntur, conditis canonibus perſpicuum eſt. Gradibus iis Latina de Græcis nomina, *fletus, auditio, ſubſtratio, conſiſtentia.* Græca ſunt, *πρόσκλαυσις, ἀκρόασις, ὑπόπτωσις, σύστασις.* Quibus deinde nominibus eos Latini appellarint enucleatiùs deinceps explicabitur. Interpterum iſta ſunt quibus in præſens uti libet, ut notioribus quàm quæ Latini moris & uſus ſunt. Sed antequam primum illum gradum inſiſtimus explicare, quo tempore inſtituti ſunt ii, age inquiramus. At pœnitentiæ quidem multa in ſcripturis, plurima in Patribus veſtigia. Graduum pœnitentiæ non ita multa documenta ſunt. Verùm Eccleſia ut ligandi habet & ſolvendi poteſtatem, dubitat nemo quin rationem, qua quis pacto ſolvi poſſet, inire pro ſuo jure potuerit, viamque aperire quam majoribus interdum minoribus alias difficultatibus interſeperet, aliquando & planam expeditamque daret; neque iis tamen aut mutatis, aut etiam ſublatis quicquam fieret quo minus integra pœnitentia eſſet, quippe adjuncta ipſi hæc ſunt, & circumſtantiæ ipſa pœnitentia non ſunt.

Tertullianus apertè & explicatè primus de pœnitentia ſcripſit, quatuor autem graduum non meminit, quamquam pœnas quibus in iis exercebantur pœnitentes pleraſque commemorat, ut jam ejus ſeculo in uſu fuiſſe videantur. Eos porro illum nominatim non appellaſſe, qui ſibi ſatis eſſe duceret, quid in iis obeundis facto eſſet opus, quibus rebus conſtarent, explicare. Hæc enim à primo gradu aliena videntur, quæ ad hunc modum ſcribit, *Presbyteris advolvi, caris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis injungere.* Siſtebant enim ſe qui primum gradum obibant ad Eccleſiarum veſtibulum, ibi prætereunti fidelium gregi advolvebantur. Hæc potiu ipſa quæ in libro de patientia ſcripta ſunt, quatuor graduum ſignificationem habent non obſcuram: *Hæc*, inquit, *expectat, hæc exorat, pœnitentiam quandoque inituris ſalutem.* Primum deſignare videtur, *expectat*: lacrymæ quippe & advolutiones ejuſmodi non alio fine, quam ut ad pœnitentiam acciperentur. Nec enim eorum fuere, qui accepti fuerant, ideirco, *expectat*, inquit. Quid autem expectare poterat initio pœnitentiæ, niſi ut ſibi pœnitentiæ locus detur, & lacrymis ad eam admittatur. In altero gradu pœnitentiam exoptabant poenitentes, in ſe videlicet conferri pœnas illas piaculares quas in tertio gradu ſubibant poenitentes: nam ut citius poenitentiam finirent, & in integrum reſtituerentur, optabant ex ſecundo ad tertium gradum tranſire. Hoc uno verbo ſignificat, *exoptat*. Tertium vocibus his conſignari facilè adducor ut credam, *exorat pœnitentiam*. In tertio enim exorabant poenitentiam, quia ab ea veniam ſuorum delictorum impetrabant; hoc eſt, exorare poenitentiam. Illa demum *quandoque inituris ſalutem*, quin ad quartum gradum pertineant nullus dubito. Non enim tertio defuncti gradu, ſtatim ad communionem Euchariſtiæ admittebantur, quanquam jam poenis ſoluti, & perpeſſionis aſperitate; verùm in hoc tantiſper antè conſiſtebant, quàm Euchariſtiæ participarent cui proximi erant, nihil interea duriùs ſuſtinentes: *moxque inituri ſalutem*, hoc eſt Euchariſtiam, quæ Chriſtiani hominis vera ſalus eſt. Primum quoque gradum opinor ſatis ſignatè oſtendi, cùm ſcribit libro de Pudicitia, *adſiſtit enim pro foribus ejus.* Item, *digamos foris ſiſtimus*, Item, *& illi exinde proſtrata.* Neque non multa horum graduum argumenta B. Cyprianus reliquit. Gregorius Neocæſarienſis ille Thaumaturgus Origenis diſcipulus, anno circiter 233. florebat, in ea epiſtola quam ejus nomine inter ſuos canones Græci cenſent, quatuor illos gradus diſertim explicat. Primo illo dempto trium tantùm meminit Concilium Ancyranum, eorundem Nicænum. In cæteris deinde Conciliis, & Græcis ſcriptoribus gradus hoſce quatuor ſignatè atque explicatè legas. Baſilio frequens eorum mentio, canonicis præſertim ipſius in epiſtolis inculcata; minus frequens apud latina Concilia, latinoſque Patres, aut non iiſdem certè verbis deprompta. Primum gradum ita B. definit Gregorius: *fletus ſeu luctus eſt extra portam oratorii ubi peccatorem ſtantem oportet fideles ingredientes orare, ut pro ſe precentur.* Hoc & ejuſmodi locis pleriſque planum & evidens eſt ad Eccleſiæ aditum ſtetiſſe ſe in hoc gradu poenitentes, ibique fidelium adventum opperiri ſolitos, quibus accederent tranſeuntibus, & in genua demiſſi peterent ſe ut precibus juvarent. Verùm non uſque adeo in promptu eſt, fletuſne illiuſmodi & gemitus in Eccleſiæ limine primus omni tempore fuerit poenitentiæ gradus, hoc eſt, ſemperne poenitentiæ gradus quatuor fecerit Eccleſia, ſemper impoſuerit poenitentibus, ad Eccleſiarum oſtium uti adſiſterent, gemerent, ineuntium Eccleſiam fidelium opem precariam obteſtarentur. Dubitatem enim quatuor antiquitus fuiſſe gradus ab Eccleſia poſitos. Et quantum conjicere poſſum, fletus olim, hoc eſt, primo & altero ſeculo ex arbitrio celebrabatur, non Eccleſiæ præcepto. Tametſi dubitari non poteſt perpetuum fuiſſe morem flendi, genua ponendi, ad Eccleſiarum fores procumbendi, quibus mœrorem animi ſui de noxia ſuſcepta teſtarentur, prætereuntium miſericordiam & preces elicerent. Verùm id eos ſua voluntate, non Eccleſiæ præcepto, neque quo primum gradum poenitendi obirent, feciſſe, mea eſſet opinio, uti ſibi poenitentiam

daret Eccleſia, non data utique, ut quarto reipublicæ Chriſtianæ ſeculo mos tenuit. Tum enim poenitentiam adepti, non qui eam conſequerentur, non ſua, ſed Eccleſiæ voluntate, non flectendis fidelibus, ſed officio fungendo, limen Eccleſiæ fletibus rigabant. Hoc eſſe diſcrimen fletus exiſtimo ejus, qui duobus primoribus ſeculis, & illius qui quarto, quintoque ſolemnis fuit poenitentibus: illo primum poenitentiæ gradum ambiebant, hoc obibant; ille anteibat pœnitentiam, hic ſequebatur. Quod multis ſuaderi poſſe rationibus videtur: nam & Tertullianum Cyprianumque legentibus nihil perſpectius occurret, quàm frequens illa in Eccleſiarum foribus provolutio impetrandæ lacrymis ac uberi fletu pœnitentiæ: tum quicquid primo in gradu poenitentiæ fieri quarto ſeculo jus fuit, hoc in illis authoribus reperitur. Sed ne id Eccleſiæ præcepto feciſſe dicas eos de quibus loquuntur, verbaque eos facere de iis, qui jam pœnitentiam acceperant, iidem authores declarant ſe agere de iis qui abſtenti, nec poenitentiæ compotes eſſent, quique banc ſibi viam ad poenitentiam munirent, atque eam nondum ingreſſi eſſent. Quare tres modo primis ſeculis fuiſſe poenitentiæ gradus, auditionem, ſubſtrationem & conſiſtentiam, ſive communionem ſolis precibus exiſtimarem, atque primi gradus poenas non præceptas, ſed ſuſceptas. Quod manifeſtum fiet, ſi conſideremus in illa Chriſtianæ diſciplinæ, quæ ſanctiſſima fuit, novitate, ad fidelium communionem lapſos & alios peccatores tam tardè lentéque Eccleſiam recepiſſe, ut eos in Eccleſiarum foribus lacrymantes, opemque implorantes, jacere complures annos ſineret, nec eos reſpiceret priuſquam certiſſimum doloris ſui teſtimonium dediſſent, omniumque ore ac conſenſo poenitentiæ permitterentur, & digni viderentur quibus donum pœnitendi & ſatisfaciendi impertiretur. Hoc Cyprianus in octava epiſtola libri primi, *ſine petitu & conſcientia plebis*: in octava decima, *citra ſtantis plebis authoritatem* factum negat, vultque fideles pro iis orare poſtquam utique jacuiſſent in veſtibulo, & ante ora oculoſque fidelium in ſqualore & lacrymis diu verſati eſſent. Ea re intelligas Cypriani ſeculo communione prohibitos ſponte Eccleſięque injuſſu feciſſe quodcumque poſteriori ætate primo in gradu factitatum ſit, eoſque ploraſſe ut poenitentiam impetrarent; quarto verò ſeculo eoſdem ploraſſe ut acceptam explerent.

Neque enim quiſquam eò redactos crediderit pœnitentes, ut cùm ſuapte ſponte ſemel ad veſtibulum ploraſſent, plorare iterum pœnitentiâ donati cogerentur. Cùm enim certum ſit duobus primis ſeculis nocentes ſponte in Eccleſiarum veſtibulo ploraſſe ut pœnitentiâ donarentur, veriſimile non eſt eoſdem alium fletus gradum, acceptâ pœnitentiâ, expleviſſe, atque iterum ſub primo illo Eccleſiæ tecto ploraſſe. Itaque fuerint in Eccleſia duobus primis ſeculis quatuor pœnitentiæ gradus, ſi ſpontaneus ille hoc numero cenſeatur. Tres porro legitimi & pręſcripti, Auditio, Subſtratio, Conſiſtentia. primum namque inibant gradum, ſed non Eccleſiæ decreto: neque ut pœnitentiam quam non accepiſſent, inciperent, dabant ſe in aſpectum fidelium, lacrymas mœroris teſtes profundebant, teſtes ipſi fideles omnes provocabant, qui pro ſe apud Epiſcopi tribunal dicerent: ſed ut piæ multitudinis preces & conſenſum extorquerent, ſine quo olim vix ulli abſtento datam ab Epiſcopo poenitentiam reperies. Cùm igitur omnes peccatores incerti eſſent, an omnino, aut quando eam impetrarent hanc provolvendi ſui cauſam habebant: hinc ille in ingreſſu ſacrorum nondum condonatâ poenitentiâ effuſus

A fletus. Ac ſeriem profectò temporum, rerumque vicem intuenti perſpicuum fiet, cur primum eſſe deinceps pœnitentiæ gradum Eccleſia ſtatuerit, eas quas in ipſo natu pietatis ultrò lacrymas ejiciebant, ut pars eſſet poenitentiæ quæ prius ad eam via fuerat. Quippe cùm duobus primis ſeculis parcior eſſet & adſtrictior Eccleſia, neque pœnitentiam ita facilè concederet, uti quarto & quinto poſtque ſeculis dedit: nam nihil eſt in hiſtoriarum luce clarius Idololatras & abſtentos ad Eccleſiarum aditum deſediſſe, ibi fletu & gemitu elicere miſericordiam ſtuduiſſe, ſanciendæ tamen diſciplinæ cauſâ nonnunquam rejectos & ad Dei miſericordiam remiſſos qui eos reſpiceret ac ſanaret:

B atque hinc exortus eſt Novati peſtilens error, hęc illi defectionis cauſa cum poenitentiam lapſis Eccleſia permiſit. Dicebat homo impius non poſſe illaos capitalia crimina dimittere, nec eorum pœnam æſtimare, neque ſatisfactionem certis poenis aut temporibus definire, graves illas noxas ſibi divinam miſericordiam reſervaſſe, idololatras pro foribus Eccleſiæ relinquendos eſſe, ut mos erat, neque quidquam immutandum. Qui & Montanum antea furor exagitarat, cùm ab Eccleſia indicatum eſt adulteris relinquere ſe quoque aditum ad poenitentiam. Quæ cùm & Montani & Novati errores à ſtirpe erutum iret, non modò in viam poenitentiæ lapſos induxit, ſed & de priſtina ſeveritate nonnihil remiſit, & in aliam partem in-

C clinavit, nec in veſtibulis oſtiiſque templorum annos complures deſtituit ampliùs; cùm nulli eſſent rejiciendi, ſed omnibus omnino poenitentiam dari juſſit, confeſſos illico poenitere annos aliquot voluit. Hinc eſt quòd ab Novati exploſa hęreſi abſtentos parciùs in foribus templorum videmus poenitentiam, ut antea temporis prenſantes; neque tamen, vel ſi ſtatim confeſſis, aut ſi notum erat delictum petentibus poenitentiam dederat, immunes à fletibus & lacrymis fecit. Nam & hæ poenitentium imprimis partes ſunt, & more inſtitutoque fiebat, ut doloris ſui publicum hoc teſtimonium proderent. Quare ne peccatores de pœnitentia ſecuri, eò quòd certò ſcirent, exploſo & condemnato Novati errore, ſe poenitentiam ſi eam rogarent, accepturos, fletus illos omitterent, quibus antea poenitentiam deprecari ſolerent, & ſine

D lacrymis obtinerent, quod antea multis cum lacrymis vix obtinuerant, aliquanto tempore fidelium introitum ſervare, ad ſtratos flere, facere ſecundùm captam poenitentiam id quo capere poenitentiam ſolebant, primum denique hujus actum eſſe voluit Eccleſia, quod proœmium fuiſſet.

Ab his ductum initiis primum gradum puto, quem ſi quis ab Ancyrani & Nicęni Concilii temporibus uſque repetitum ibit, quæ Concilia poſt errorem Novatiani habita ſunt, tametſi ſtatutum ab Eccleſia luctum illum Concilia illa minimè declarent, nihilque de primo gradu dicant, ſic potius exſtimet de iis verba feciſſe utrumque Concilium, qui ſua ſponte primum hunc gradum ob-

E iiſſent, & hęſiſſent in templorum foribus poenitentiam obteſtantes.

Mihi enimvero pro comperto eſt, ſi cui fortè pœnitentiam Eccleſia quarto etiam ſeculo denegaſſet, iſque repulſus poenitentiam tamen profiteretur, liminibus Eccleſiarum longo inſtaret tempore, ploratu & planctu, moeroriſque aſſiduitate poenitentiæ veniam tandem exoraret, eum ad primum gradum detruſum non eſſe, qui tantum angorem animi & culpæ odium tam palam teſtatus eſſet, ſed eo omiſſo in ſecundum locum tranſmiſſum eſſe.

Fletus porro hujus & gemitus indicendi non aliam cauſam habuit fidelium mater, quàm vim eam propitiandi numinis quam ineſſe lacrymis Deus ipſa

ipſe indicat, & placandi ſui rationem demonſtrat, edicenti Deo, *Quoties ingemueris peccator* parendum decernebat, reque vera ingemiſcendum, uti qua ope monſtrabat ea flecteretur quæ fletibus cogi vult divina miſericordia.

Sed ô mirabilem ſacroſanctæ antiquitatis pietatem & religionem! Quoties enim quiſque in hoc rerum ſenio & propè occaſu plurimis & graviſſimis noxis vel unam lacrymulam arcano ſecum impendit? At unius delicti conſcientiam ſanctiſſima illa in antiquitate ſolidum triennium, etiam verò quadriennium inſpectante Eccleſia propalamque lugebant: non elugebant quippe, ſed hanc ſibi viam ad luctum atque ad poenitentiam moniebant. O veteris diſciplinæ ſanctitatem mirabilem, quæ culpas ſic amputabat, ut reliquum corpus integrum, & ab omni labe caſtum tueretur! Cęterum pœnitentes hocce in infimo grado quid jejunii, quid ærumnarum pertulerint, ſe ut habuerint, quo veſtitu fuerint, canonum eſt edictionibus explicatum. Templorum certè aditum ſervabant, ibi dum ſacrum eſt, conſiſtebant, ſacra obeuntes fideles operiebantur, re divina peracta abeuntibus pari demiſſione advolvebantur. Agapis adhibitos non video, cùm in his preces fierent à cœtu fidelium, neque cum fidelium delectu pœnitentes comprecarentur: unà verò cum fidelibus eſitaſſe potuiſſe quarto ſeculo, argumento ſunt canones, quibus aditu & ſermone fidelium arcentur, flentes ſi in ipſo fletus gradu quid deliquiſſent, atque communem cum iis cibum capere fideles vetantur.

OBSERVATIO XXIII.

Secundus gradus Pœnitentiæ.

PRimo iſto gradu tranſmiſſo, cùm pœnitentes longo ſatis intervallo ſuis complorationibus limina introituſque Eccleſiarum conſperſiſſent, & geniculationibus pavimentum contriviſſent, iis ad ſecundum gradum acceſſus tranſmiſſioque parabatur: quam Gręci Auditionem vocant, Latini verò, quanquam non eo verbo utantur, duoſque inter ſe primos gradus permiſcendo confundant, verbiſque illis exprimant, *flent & orent inter Catechumenos, vel inter Audientes*, ut ait Papa Felix, tamen poſtea quod dixerint ad eandem ſignificationem transferri deducique poſſe videbimus. Quod quò faciliùs aſſequamur, in memoriam revocandum eſt quod alibi diximus, mirificam quandam & apertam fuiſſe inter pœnitentiam & Catechumenatum conſenſionem, atque adeo ut qui utrumque accuratè perpenderit, non diffitebitur pœnitentiam, quaſi ad quendam Catechumenatum repræſentandum conſtitutam, omneſque leges & ritus poenitentium à Catechumenis hauſtos & derivatos fuiſſe: & quamvis Eccleſia duriùs atque acerbiùs in poenitentes, atque in alios animadverteret, quòd majori ſanctitate, omiſsâ Baptiſmi gratiâ, indigerent, quàm Catechumeni, ut digni haberentur qui Euchariſtiam perciperent; tamen via quædam, ratioque ad illam quaſi ſanctitatem & purgationem perveniendi, è ritibus quæ in ſecundo gradu Catechumenorum uſurparentur, accepta & derivata fuit, qua puriores & integriores in eum ſtatum & gradum ſanctitatis reſtituerentur, qui neceſſarius eſſet ut ad Euchariſtiam accederent.

Ut igitur Eccleſia certos quoſdam ludimagiſtros & quaſi doctores inſtituerat renuntiaratque, qui nihil aliod agerent inter Chriſtianos, quàm ſingulis diebus operam ſuam conferre, & profiteri, ut

A ipſos Catechumenos ſaluberrimis Chriſtianæ religionis pręceptis (omiſſa omni myſteriorum & ſacramentorum mentione) imbuerent, atque eos ipſos, divini numinis horrore incuſſo, inferorumque & ſempiternorum cruciatuum timore propoſito, ab uſitata & aſſueta vivendi ratione averterent, & paulatim mentem Chriſtianæ religionis eis inſpirarent: quid quòd ſecundus gradus Catechumenatus in eo tantùm verteretur, ut iis quæ diſputarentur audiendis attentas aures pręberent: eoque nomine tantùm auditores eſſent & dicerentur; ita ſtatuerat Eccleſia, ut eaſdem lectiones poenitentes memoriâ cuſtodirent, & iiſdem doctoribus quibus Catechumeni ſubjiciebantur, erudiendi traderentur; eodemque modo poenitentes in ſecundo gradu habebat & docebat, ac ſi nunquam è Catechumenato in quo priùs verſabantur, emerſiſſent; atque de integro omnia fidei pręcepta

B & prima rudimenta eos ediſcere & audire volebat. Et ſi hujuſce inſtituti rationem quęras, alia non eſt quàm quòd opinaretur Eccleſia, eos qui ſeſe flagitiis mortiferis obſtrinxiſſent, divinæ ſupremæque juſtitiæ cognitione aliqua ſcientiaque non tinctos fuiſſe; quandoquidem tam brevi tempore eorum omnium memoria ex eorum animis effluxiſſet: ideoque illos rurſus ad fidei rudimenta condiſcenda remittebat, eoſque inter collocabat, qui nullam vel leviſſimam divinæ juſtitiæ, ejuſque legum cognitionem ullam hauſiſſent. Et quantùm conjicio, poenitentes fidei legiſque divinæ ignari magis & imperiti cenſebantur, quàm Catechumeni, quòd eos diutius in iſto ſecundo gradu morari vellet Eccleſia: atque adeo eos doctorum diſci-

C plinæ, quàm Catechumenos longiore ſpatio temporis ſubmittendos curaret: ſic ut inter Catechumenos *Audientes*, & inter poenitentes ſecundi gradus vix ullum diſcrimen eſſet; quòd iiſdem lectionibus ſimul intereſſent, iiſdem magiſtris, eodem in loco operam navarent, in eundemque finem omnis eorum labor & induſtria deſudaret. Et quemadmodum Catechumeni ſecundi gradus *Auditores & Audientes* vocabantur: non quòd fidelium concionibus habendis aures prębere conſueſcerent. Nam quivis Catechumenus, in quarto & quinto ſeculo quacunque conditione eſſet, quivis etiam poenitens, imo etiam Judæi ipſi, hęretici, pagani, *quique è diverſo*, ut ait canon, quodammodo ſtarent, conciones audire poterant, qui tamen *Audientes* non nominabantur;

D ſed in hoc ipſo gradu conſtituti cùm eſſent, propriè diſcipuli & legis Chriſti tyrones appellabantur; quod in eo gradu Chriſtianiſmi rudimenta omnia & prima elementa audirent. Et ni fallor hęc vox, *Audiens*, pari ſignificatione à Patribus uſurpabatur, qua ab Ethnicis cùm alicujus ſectæ æmulatores & diſcipulos indicare cupiebant: eandemque vim in veterum Patrum ſcriptis habere videtur, quam Ethnicorum ſcripta tuentur: & ob id maximè poenitentes dictos fuiſſe *Audientes*, & ſecundum gradum nomine *Auditionis* nuncupari; quòd eo in gradu, cùm quaſi nulla Chriſtianæ religionis cognitione notitiaque aſperſi fuiſſent, no-

E vi diſcipuli & auditores Chriſtianæ diſciplinæ inſtituerentur.

Ex his quæ diximus facilè poterimus Latinos cum Gręcis conciliare, & id confirmare quamobrem Patres Concilii Agathenſis, Epaunenſis & Arelatenſis, itemque Papa Felix (utentes verſione Rufini in undecimum canonem Concilii Nicęni,) ut ſecundum poenitentiæ gradum indicent, his verbis utantur, *flent inter Catechumenos*, vel, *quinque annos exigant inter Catechumenos*, vel, *cum Catechumenis diſcedant*. Græci verò ut eundem gradum exprimant, de Audientis tantùm nomine loquantur. Nam verbum iſtud, *Catechumeni*, de quibus apud Latinos ſermo eſt, ad Catechumenos Audientes referri oportet, qui cùm ea omnia quæ

oporteret poenitentes ſecundi gradus ſubire, facerent: hoc eſt, cùm lectionibus de quibus antè diximus, intereſſent, & cùm eæ conciones & lectiones finitæ eſſent, ex Eccleſia egrederentur: idcirco Latini, ut hunc ſecundum gradum exprimant, nihil aliud dicunt, quàm quod ſtent & verſentur cum Audientibus Catechumenis, quia ſcilicet utrique iiſdem pręceptis & inſtitutis eſſent ſormandi; atque ea eſt ratio, ut quæ Latini de poenitentibus ſecundi gradus diſputant, cum iis quæ apud Grecos repeiiuntur, congruere & conſentire exſtimem. Cùm autem canones dicunt *ſeptem annis orent inter Catechumenos*, ut canon nonus Concilii Ilerdenſis, ubi Patres de iſto poenitentiæ ſecundo gradu, & cęteris verba facere videntur, non hoc ita accipiendum quaſi poenitentes ſecundi gradus, pręterquam quod cum Audientibus Catechumenis ſtare & iiſdem lectionibus imbui poſſent, potuiſſent quoque in Eccleſia preces fundere, & cum aliis Catechumenis quibus jus eſſet in Eccleſia genu flexo orare, etiam in genua procumbere: (neque enim Catechumeni Audientes poterant hoc jure perfrui.) verùm hac loquendi formula *orent cum Catechumenis*, Patres tres primos poenitentiæ gradus complectuntur & ſubintelligunt. Et quamvis ea ipſa verba verè & propriè non poſſint niſi ad tertium gradum poenitentiæ & Catechumenatus revocari, tamen iis brevitatis causâ utuntur ad tres primos gradus poenitentiæ definiendos: quòd ſcilicet facilè unuſquiſque illis temporibus intelligeret poenitentes qui inter Catechumenos orantea relegati eſſent, priùs cum Audientibus Catechumenis ſteriſſe. Quis enim illa ætate non ſciret primi & ſecundi gradus poenitentes cum Catechumenis orare non potuiſſe, quòd ab Eccleſia utrique recederent antequam Catechumeni tertii gradus genua flecterent & orarent; ſed tanta brevitate tres illos gradus exprimunt, ut illos denotent, non per ea quæ fierent in primo aut ſecundo gradu, verùm iis rebus quæ dumtaxat in tertio gradu uſurparentur. Quapropter tenebras quaſdam nobis qui à primis ſeculis longiùs abſumus, offundunt. Itaque cùm legimus in Conciliis *pœnitentes orent cum Catechumenis ſeptem vel decem annis*, res illa ad poenitentes tertii gradus, non autem ad primæ aut ſecundæ claſſis pertinet, & tamen ad ſignificandum totum poenitentiæ tempus, ejuſque tres primos gradus adſumitur, quòd nimia longum fuiſſet adſcribere, quot annos in unoquoque gradu poenitentibus ſtandum eſſet.

Ex his omnibus illud hauriendum eſt, ſecundum poenitentiæ gradum in eo tantùm poſitum fuiſſe, ut poenitentes auditores eſſent earum lectionum, quæ Catechumenis ſecundi gradus fierent. Nam in eo gradu nihil aliud quidquam repetimus eos aut egiſſe aut ſubiiſſe quod ſupplicii loco duceretur: neque enim publicè ſacco & cinere aſperſos, aut aliis moleſtiis quibus poenitentes tertii gradus conflictarentur vexatos, non denique manuum impoſitionibus ſubditos legimus: nolim tamen negare privatim eos & jejuniis, & aliis poenitentiæ ærumnis ſeſe potuiſſe conficere.

OBSERVATIO XXIV.

Tertius Pænitentiæ gradus.

TErtius hic poenitentium gradus *ὑπόπτωσις* Gręcis, hoc eſt ut nonnullis placet, cęleſtium & divinarum rerum contemplatio dicitur. Nam quia in cęleſtibus meditandis ſępe occupati erant, id nomen eis attributum eſt. Sed arguuntur illi à Caſaubono, qui contendit eam vocem apud authores Eccleſiaſticos hunc ſenſum non habere ut ſignificet *Inferna contemplari*, ſed *ſeſe alicui humiliter ſubmittere*, facit ab illius interpretatione tam aptus Clementis Alexandrini locus, ut lectorem convincat. Et certè qui accuratè & diligenter expenderit poenitentium in hoc tertio gradu ſtatum, quidque ab illis ageretur, is numquam ad primam etymologiam accedat: cùm juberentur potius animum criminum cogitatione demittere, quàm ad contemplanda divina, fideique myſteria attollere. Tertullianus certè & ab illo concilium aliquod in Hiſpania habitum hujuſmodi poenitentes volunt, *animum mœroribus dejicere*. Prętereà ſic ſeparabantur à myſteriis ſacramentorumque cùm participatione, tum etiam aſpectu, & ut nullo modo probabile ſit eos ad illa contemplanda meditandaque admiſſos eſſe. Denique pòſt intelligetur, multò certiorem aptioremque eſſe Caſauboni quàm doctiſſimorum illorum virorum etymologiam, non ob eam certè quam ipſe attulit, ſed propter alias rationes. Falſa eſt enim, ſicut & pleraque alia quæ eodem loco de tertio illo pœnitentię gradu habet. Quibus apertè ſe doctiorem in lingua Gręca quàm in hiſtoria Eccleſiaſtica probavit. Quin & ipſo eodem loco ubi Bellarminum ait *immaniter erraſſe*, peccavit, & quidem graviſſimè quinque in rebus, dum tertium poenitentiæ gradum explicat, ut ex iis quæ paulò pòſt dicemus, conſtabit.

Non eſt frequens vox hæc *humiliatio*, Latinis, in tertio iſto gradu explicando, ſed tamen iis utuntur verbis quæ planè eundem ſenſum habent, cujuſmodi ſunt, *jacere, ſubjacere, colla ſubmittere, manus impoſitio, purgatio proſtrati, humiliati, ſub manu ſacerdotis poſiti, detenti, caput ſubdere, ad manus impoſitionem crebrò recurrere, recedere, deducere, abducere*, & ſimiles loquendi formæ, quas poſtea explicabimus, & voci Gręcorum convenire oſtendemus, cúmque id voce dumtaxat una exprimere volebant, *pœnitentia* verbo aut *pœnitentium* utebantur: non quod alii tres gradus ad poenitentiam non pertinerent, & poenitentiæ vocabulo intelligi non poſſent; ſed quòd tertius hic gradus aliis diuturnior, graviorque eſſet, ut in quo ſe poenitentes propter admiſſa crimina acerbiùs affligerent, macerarent, ac ſatisfacerent: ea inquam cauſa eſt cur poenitentia potius quàm alii gradus diceretur: ſic Arelatenſe Concilium ſecundum Canone 11. *triennio inter pœnitentes, habeantur à communione ſuſpenſi.*

Veniamus nunc ad hujuſce gradus enucleatam explicationem; pręcipuum iſtud in eo fuit, ut quibus diebus ſolemnia peragebantur ſacra, aut jejunabatur, in Eccleſiam venirent, certoque ac determinato ipſis loco ſtarent, quò tum demum diſcederent mediam in Eccleſiam venturi, (poſtquam Catechumeni orationum benedictione percepta abierant) propiùs tamen à janua & remoto loco à ſanctuario, ibique palam univerſo populo madentes lacrymis proſternebant ſe in faciem. Mox Epiſcopus unà cum ſacerdotibus paſſis ad illos manibus accedebat, orationeſque in eos aliquot recitabat, quibus auditis mox è templo poenitentes diſcedebant. Iſtud inquam eſt in quo potiſſimùm tertius ille gradus ſitus erat. Nam quod votum ſpectat ab iis emitti ſolitum ſexto, ſeptimo, octavoque ſeculo de veſte, jejuniis, continentia ab uxoribus, de neglecto capillorum velo, & ſi quid eſt ejuſmodi proprium poenitentium, nihil hoc loco dicam, cùm id vel ipſa Canonum lectione apertum ſit. Satis eſt ea quæ paulò antè poſita ſunt, ſigillatim fuſiúſque confirmare.

De Ceremonia iſta quam in ſolemnioribus ſacris fieri diximus, ſatis eam, pręter Canones quibus manifeſta eſt, probat decimus nonus Canon Laodic. nam cùm preces in Miſſa fieri ſolitas re-

cenſet, earum meminit, quæ pro poenitentibus eſſent: ex quo profectò efficitur, eas in partem aliquam Miſſæ veniſſe. In Conſtitutionibos vulgò Divo Clementi attributis, idipſum reperitur. Quod quidem confirmari ex eo etiam poteſt, quod non ſolùm ea pœnitentes facerent criminibus ſuis expiandis, verùm etiam ut aliis fidelibus exemplo eſſent, qui ſolemnioribus ſacris debebant omnes intereſſe. Addidimus & jejunia, ut oſtenderemus jejuniorum etiam diebus etſi nulla ſacra celebrarentur, impoſitas tamen pœnitentibus manus fuiſſe, ut Canone octogeſimo Concilii quarti Carth. conſtat: *Omni tempore jejunii manus pœnitentibus à ſacerdotibus imponantur.*

Quod locum attinet eis in Eccleſia cùm precibus fundendis, tum explicationi Evangelii audiendæ attributum, dubium non eſt quin is intra Eccleſiæ ſepta fuerit proximè portam & à fidelium loco ſeparatus. Patet iſtud cùm Gregorii Taum. Canone: *ut intra templi portam ſtent*, tum Græcorum & Latinorum canonum decretis: *Stent inter Catechumenos, ſtent in loco pœnitentium, orent cum Catechumenis.* Notum eſt enim eos omnes, qui fidelium numero non cenſebantur, cujuſmodi erant Pœnitentes, Catechumeni, Energumeni, Judęi, Schiſmatici, Hęretici, procul à fidelibus & ſanctuario ad januam rejectos fuiſſe. Conſtat etiam eos intra templum hęſiſſe, quòd explicationem evangelii audire poſſent, ut ex canonibus patet, pluribuſque Patrum homiliis ad pœnitentes, quæ cùm in Eccleſiis haberentur, vero ſimillimum eſt, eos qui audire poſſent, in Eccleſiis pariter fuiſſe: at certiſſimum eſt potuiſſe à pœnitentibus audiri.

Locus autem in quo manus ipſis imponebantur, & ſe in pectus faciemque proni abjiciebant, ut orationum ab Epiſcopo factarum benedictionem acciperent, non videtur remotior fuiſſe ab eo quem communiter obtinebant ut orarent, concioneſque audirent, quòd nonquam fidelibus commiſcerentur. His accedit Canonem eſſe in Carthagio. Concil. qui jubet pœnitentibus iis, qui univerſæ Eccleſiæ ſcandalo fuiſſent, manus imponi ante apſidem: (exiſtimo autem illo canone deſignari manuum impoſitionem quæ tertii hujus grados propria fuit,) quam interpretes extra Eccleſiam collocant: ex quo conjicitur impoſitiones alias circa portam, extra Eccleſiæ adyta, & ſanctuarium fieri ſolitas. Denique Gręci interpretes aſſerunt illas manuum impoſitiones *pone ambonem* fieri: quod cum iis quæ à nobis dicta ſunt optimè congruit, qui volumos eas loco pœnitentibus attributo, qui ponè ambonem ad portam erat, factas eſſe. Niſi quis velit eos pauló altiùs in conſpectum fidelium veniſſe, mediaque in Eccleſia conſtitiſſe.

His rebus apertus fit Caſauboni error, qui gradum iſtum, *interiorem quandam admiſſionem* vocat. Nam ſive contendit tertii gradus pœnitentes ad majorem myſteriorum cognitionem admiſſos fuiſſe quàm alios, conſtabit ex iis quæ pòſt dicemus, falſum eſſe. neque ejus magis ea quàm Judęi participabant, ſive interiorem admiſſionem loco definit, quaſi remotiores à janua quàm alii eſſent, pariter fallitur. pœnitentes enim cujuſcumque gradus eſſent; imo Judæi, Pagani, Hæretici, Schiſmatici, cæterique ab Eccleſia alieni, excommunicatique, Eccleſiam ingredi, & Catechumenorum loco perinde atque tertii gradus pœnitentes orare, Evangeliumque audire poterant. Ex quo manifeſtum eſt eum antiquarum hujuſmodi ceremoniarum impetitum fuiſſe.

Difficilius eſt probare eam manuum de qua locuti ſumos impoſitionem non niſi digreſſis Catechumenis fieri conſueviſſe. Canon enim Divi

A Gregorii apertè ſignificat pœnitentes hos unà cum Catechumenis Eccleſià exiviſſe, *cum Catechumenis egrediatur.* Quod & pariter faciunt Agathenſis & Epaunenſis 60. & 29. tam apertè tamen 19. Laodic. Canon digreſſos ante pœnitentes, Catechumenos affirmat, ut dubitationi locus eſſe non poſſit. Divus etiam Baſilius can. 56. epiſt. ad Amphil. diſertè aſſerit Catechumenos & *Audientes* ſimul egreſſos eſſe; ex quo neceſſarium eſt tertii gradus pœnitentes poſt Catechumenos egreſſos eſſe. egrediebantur enim poſt ſecundi gradus poeniteotes; verba Baſilii hęc ſunt: *Inter Auditores recipietur, quinque annis cum ipſis egredietur.* Idem videtur apertè in Conſtit. Divi Clementis, ubi Catechumenorum orationes priores ſunt

B tertii gradus orationibos, quarum in fine expreſsè pręcipitur, ut orationibus peractis à Diaconis templo dimittantur. Denique non eſt probabile præſentes adfuiſſe Catechumenos cùm poenitentibus manus imponerentur; cùm ex Canonibus conſtet ea tantùm ipſis communicata fuiſſe quæ ad ipſos pertinerent, cùm incertum eſſet utrum ad Paganos reverterentur. Caſaubonus qui Gregorii Canonem Græcum legerat, non item Laodicenum, confidenter aſſeverat eos unà cum Catechumenis dimiſſos fuiſſe. Sed quod Canones ſpectat qui unà cum Catechumenis dimittendos eſſe decernunt, non ſont ita intelligendi quaſi velint uno eodemque præcisè tempore dimiſſos fuiſſe: ſed tam parvum temporis ſpatium inter u-

C trorumque egreſſum intercedebat, ut cùm Canones velint eos ante fidelium ſacrum diſcedere, ſimul dimittendos eſſe dicant cùm ſe penè conſequerentur. Pari etiam ratione cùm dicitur *ſtent*, aut *orent*, aut *intrent cum Catechumenis*, non is eſt ſenſus, ut confusè permiſceantur, aut ſimul orent, cùm ſuæ eſſent utriſque diſtinctę orationes & locus ſeparatus, ſed iis utuntur loquendi formis canones ut ſignificent, non debere eſſe fidelibus permiſtos, aut cum illis orare, quòd Catechumenorum à fidelibus ſeparatio, præcipua erat totius populi diviſio & notiſſima: ſic cùm ſimul jubent Catechumenos poenitenteſque diſcedere, non expreſsè & ſignificantet definiunt debere eos uno eodemque ſimul tempore, ſed ante fidelium ſacrum diſcedere. Permittuntur Judæi Canonibus

D limen Eccleſiæ cum Catechumenis ingredi: non eſt tamen hoc ita intelligendum quaſi cum Catechumenis potius quàm cum fidelibus ingrederentur, ſed tantùm quòd limine Eccleſiæ non arcerentur, modò ne cum fidelibus permiſcerentur, qui diſtincto loco in Eccleſia erant à Catechumenis. Sic cùm decernitur poſſe apoſtatas & excommunicatos Eccleſiam ingredi, in eaque ad ſacrum uſque Catechumenorum manere; imo nonnulli volunt potuiſſe eos cum Catechumenis orare. (Nam ſi prohibetur ne certis quibuſdam in caſibus cum iis orent, certè veriſimillimum eſt cum iis ut plurimum & ordinariè oraſſe) non ideo tamen efficitur communi cum Catechumenis loco oraviſſe, aut Catechumenorum ſermones audi-

E viſſe; ſed nihil aliud intelligitur, niſi ipſis licitum fuiſſe ad ſermones uſque Catechumenorum, non autem ultrà in Eccleſia permanere. Atque hæc quidem Zonaræ & Balſamoni ſatisfacient qui in Canones Nicænos volunt unà cum Catechumenis digreſſos: quamquam & Zonaras in 19. Can. Laodic. apertè dicat Catechumenos ſtatim peractis orationibus ſuis ante poenitentes exiviſſe: qua in re ſibi ipſi contrarius eſt, noſtramque opinionem defendit.

Quæ duo præcipua in hoc tertio gradu fiebant, & in quibus maxime poſitus erat, hæc ſunt, ut ſimul omnes ſeſe in faciem proſternerent,

& eo in ſtatu manerent, dum in eos certas quaſdam orationes Epiſcopus recitaſſet, eiſque manos impoſuiſſet. Dixi præcipua, addam & omnium probatu difficillima. Nam quod primum attinet, tam conſtans eſt authorum omnium aſſeveratio gradum iſtum in eo tantùm poſitum fuiſſe *ut pone ambonem* ſtarent, & cum Catechumenis egrederentur, ut id difficillimum ſit in tanta doctiſſimorum hominum conſenſione evertere. Baronius recentioreſque omnes ſcholaſtici, & ex hæreticis Caſaubonus, & Notæ in codicem Eccleſiæ nihil aliud eſſe volunt iſtud *ὑπόπτωσιν* quàm *humiliter ſeſe pœnitentiæ ſubjicere*, aut certè *ſtare ponè ambonem, & cum Catechumenis egredi.* Addit Caſaubonus gradum iſtum humiliationem dici. *Ut vel ſola appellatio pœnitentes ſui officii admoneret.* Sed pauci animadvertunt alios etiam pœnitentes debuiſſe humiliari, neqoe ullam eſſe rationem peculiarem cur humiliores eſſent hujus tertii gradus pœnitentes, aut cur potius quàm alii gradus, tertius *humiliatio* diceretur. Sic etiam qui volunt iſtum gradum in eo eſſe ut ſeſe pœnitentes *humiliter pœnitentiæ ſubmitterent*, nullam afferre rationem poſſunt cur in hunc tertium gradom ejuſque pœnitentes id potiſſimùm caderet: neque enim ſummittere ſe primùm pœnitentiæ in hoc gradu incipiebant, ſed ei ſe ſummiſerant in ipſo pœnitentiæ ingreſſu, imo & ante primum gradum qui tertium nonnunquam tribus aut quatuor annis, aliquando etiam pluribus præcedebat.

Non eſt tamen in coargoendis recentioribus ſumma & præcipua difficultas, ſed antiquioribus quorum authoritate innituntur, qualis eſt Divus Gregorius Thaum. qui poſtremo canone ſuo ſic gradum iſtom definit, *ut intra portam templi ſtans cum Catechumenis egrediatur*: qua quidem difinitione ſatis apertum eſſe videtur nihil aliud fuiſſe tertium iſtum gradum quàm cum Catechumenis ſtare & egredi, eam autem arguere qua mancam & minùs tertium iſtum gradum explicantem difficile eſt. Ita pariter grave eſſe videtur refellere quæ in eam rem ſenſerunt Zonaras & Balſamon, qui in Canones Conc. Nicæni & Ancyrani aſſerunt vocem iſtam *ὑποπίπτειν* nihil aliud ſignificare quàm *ſtare retro ambonem & ſuggeſtum, & cum Catechumenis egredi.* Quàm multa contrà tendenti & falſitate arguenti congerenda eſſent teſtimonia ut perſuaderent. Dicam tamen candidè explicationes iſtas mihi non ſatisfacere, quòd ſecundi gradus pœnitentes, imo Judæi, Ethnici & Excommunicati Eccleſiam ingredi poſſent, flectere genua, conciones audire, preceſque fundere retro ambonem, & cum Catechumenis (hoc eſt ante fidelium ſacrom,) aut certè paulò ante eoſdem egredi. Quare nihil ſpeciale & proprium haberent tertii gradus pœnitentes, nihil qood ipſis cum ſecundo gradu Judæis aliiſque paulò antè commemoratis non eſſet commune. Præterea Canon Laodic. & in eum Zonaras apertè aſſerunt, pœnitentes tertii gradus poſt Catechomenos egredi: ex qoo apparet definitiones illas non uſquequaque integras & abſolutas eſſe, neque ita certas ut eis neceſſariò ſtandum ſit. Denique quî poterunt iſta in tertium gradum convenire quæ ab aliis canonibus attribuuntur? *Crebra manus impoſitiones: ad manum ſacerdotis crebrò recurrere: ſub manus ſacerdotis detenti colla ſubmittere: caput ſubdere:* ſi tantùm in eo ſitus eſt, ut ſtent ponè ambonem & cum Catechumenis egrediantur. Certum eſt pœnitentes iſtos ponè ambonem ſtetiſſe, & paulò poſt Catechumenos digreſſos eſſe, ſed in eo ſolo gradus ille non eſt poſitus. Exiſtimo igitur egreſſis Catechumenis abjeciſſe ſe pronos in faciem, ad eoſque Epiſcopum unà cum clero veniſſe, iiſqoe manus impoſuiſſe, & aliquot orationes in eos recitaſſe ejuſmodi, quale eſt formularium quod in Conſtitutionibus Clementinis videtur. Ac primùm quidem vox ipſa *ὑπόπτωσις* probat, qua Græci uti Canones Nicæn. Ancyr. S. Greg. S. Baſilii utuntur, quam meâ quidem ſententiâ meliùs à nobis interpretari omnes fatebuntur, qui velimus idem eſſe ac proſterni ad terram ſingulis ſolemnioribus ſacris, quàm à Græcis qui explicant *ſtare retro ambonem*, quid enim commune habet *ὑπόπτωσις* cum his verbis, *ſtare retro ambonem.* His accedit vocem *ὑπόπτωσιν* potuiſſe ut diximus convenire Catechumenis, quando quidem ſtabant retro ambonem, perinde ac pœnitentes, & ſimul egrediebantur. Denique verſio Can. Nicæn. & ex conſequenti verbi *ὑποπίπτειν* quæ habetur in Canonibus Felicis Papæ, omnem planè difficultatem aufert & evincit ſenſum eſſe *ſeſe proſternere*, non autem *humiliter ſtare retro ambonem*, ut pòſt videbitur.

Sed attendat lector non ſolùm aptiorem eſſe Græcis interpretandis explicationem noſtram, verùm etiam confirmari à Latinis, ut à nono Canone Gerund. *Si caput publicæ pœnitentiæ non ſubdiderit.* Quî enim convenire eorum explicatio poteſt, ſi nihil eſt aliud, quàm *Stare retro ambonem.* neque enim eadem vis eſt verborum, *Stare retro ambonem*, atque iſtorum, *Subdere caput pœnitentiæ.* Sed noſtræ aptiſſimè convenit, arcet enim Canon ille à Clericatu eos qui ſe publicè proſtraverint etiam ſi nullom crimen admiſerint, quòd ea pœna dignum ſit, ſed una pietate moti id fecerint pœnitentiamque admiſerint, qòód ea infamis eſſet, & cùm publicè fieret *notati* cenſerentur, inquit 53. Can. 4. Conc. Toletani, qui explicat Gerundenſem, ut oſtendimus in Notis. Notandumque eſt eos non arceri à Canone Clericatu quòd pœnitentiam admiſerint, niſi & publicæ illæ ad terram abjectiones quæ podendæ erant acceſſiſſent. At ſi tertius ille gradus in ſtando retro ambonem poſitus fuiſſet, & in egrediendo cum Catechumenis, profectò Canon iſte poenitentes Clericatu non privaſſet, quòd & Catechumeni, & qui ad annum ſine poenitentia ſeparati erant, etiam retro ambonem ſtarent: neqoe tamen Clericato privabantur, quòd in eo nulla eſſet infamia, ſi quis retro ambonem ſtetiſſet, ex quo efficitur ad tertium iſtum gradum conſtituendum, aliquid aliud quærendum eſſe. Quis non animadvertet his Felicis Papæ verbis. *ſeptem annis ſubjaceant*, cùm de tertio gradu loquitur, his item aliis, *non confundantur Deo colla ſubmittere*, ſatis indicari, Poenitentes iſtos adſterni ſolitos, ut manuum impoſitionem perciperent. Nihilne aliud volunt, quàm ſtare retro ambonem, & cum Catechumenis egredi? Cui poenitentiæ gradui, aut quibus demom actionibus commodiùs attribui poſſunt, quàm hujuſmodi ad terram abjectionibus, ſicut & aliæ permultæ loquendi formæ, quæ cùm apud Patres, tum apod Canones crebrò occurrunt: *Jacere, proſterni, ſubſterni, humi volvi, adhærere pavimento, ſub jugo pœnitentiæ ſubmitti, caput pœnitentiæ inclinare*, & ſi quæ ſunt aliæ? Nonne inquam apertè teſtantur proſterni ſolitos in Eccleſia, voceraque *ὑπόπτωσιν* non ſimpliciter dicere humiliari aut ſtare ponè ambonem, ſed *humi jacere & ſeſe proſternere?*

Martinus Bracarenſis natione, ut quidem fertur, quanquam repugnet nomen Græcum, vocem *ὑπόπτωσις* quæ eſt in 26. Canon. Ancyr. vertit in humilitate ſubjacere, & in quam qui Zonara & Balſamone, rituum & Ceremoniarum poenitentiæ peritior erat & gnarior, non interpretatur

ſtare retro ambonem, aut humilem eſſe, aut humiliter ſe poenitentiæ ſubmittere, aut ſoperna contemplari, ſed in humilitate humi ſe proſternere, quod nos convenire tertii gradus poenitentibus diximus.

Alludit ad eum ritum Ambroſius cùm libris de poenitentia ait: *quas bene Chriſto non auro inclinarent*. & alibi *ſatisfactionis jugo pervicacia colla non ſubiicit*. Item alio loco: *In conſpectu ejus curva cervicem, flecte genua, & eliſo vultu terra proſternere*: & qui paginas implere vellet quàm multa ex aliis Patribus iſtis ſimillima congereret, quæ oſtendunt manifeſtè poenitentes iſtos in ſolemnioribus Miſſis proſterni ſolitos. Huc etiam referri poſſunt, cùm quæ de Theodoſio memorantur, tùm quæ apud Tertullianum habentur lib. de pudicitia, quæ & amplius confirmabuntur ex iis quæ de manuum impoſitionibus quas percipiebant, diſputabimus.

Cùm ſimul omnes hujus tertii gradus poenitentes ad terram ſe proſtraviſſent, extentis in eos manibus Epiſcopus aliquot orationes recitabat: eam actionem *Patres manuum impoſitionem* nominant, quæ continuabatur repetebaturque in ſingulis ſolemnioribus ſacris quandiu poenitentes in tertio illo gradu hærebant. Non eſt locus qui expreſſe, & quod aiunt in terminis ſingula caprobet quæ diximus. Sed ſi loci illi omnes qui de manuum impoſitione agunt quæ in hoc tertio gradu fiebat, expenduntur: ſi vis ipſa impoſitionis manuum, quidque illâ veteres intellexere attendatur, exiſtimo locupletiſſimè probatum iri quæ diximus, oeque ullum ampliùs qui contra diſputet reperiendum; quod ut conſequamur ſinguli loci privatim expendendi ſunt.

Primus erit Canon ille 19. Laodic. ubi ex una verſione ſic habetur, *iiſque accepta manuum impoſitione diſcedentibus*. Hervetus autem ſic vertit, *& cùm ii ſub manum acceſſerint & receſſerint*: qui quidem canon ſi ſupponitur loquens de tertii gradus poenitentibus ut neceſſarium eſt, fatendum eſt etiam ſingulis ſolemnioribus ſacris, iis impoſitas manos eſſe. Pertexit enim Miſſæ ordinem, precumque ceremoniarum quæ in ea ordinariè peragebantur, præſcribitque ordinem earum rerum quæ communiter fierent, non autem earum quæ extraordinariè accidere potuiſſent. Preces enim Catechumenorum & conſecrationis deſcribit quæ ordinarie fiebant, ex quo manifeſtum poenitentium orationes, quæ in eodem ordine deſcribuntur, ordinariæ Miſſæ partem eſſe, perinde atque pars ſunt aliæ orationes, quæ in eodem canone referuntur. Loqui autem Canonem de impoſitione manuum tertii gradus certum vel ex eo videtur, quòd tres aliæ manuum impoſitiones, quæ aliis poenitentibus attribui poſſunt, cujuſmodi eſt impoſitio poenitentiæ, tempore ſacri non fiebat, ſed in confeſſione & extra ſacrum, neque pars eſſe Miſſæ ullo modo cenſebatur, ſicuti erat ea quæ in hoc canone deſcribitur. Duę porro alię impoſitiones quibus poenitentes Eccleſię conciliabantur, duas quoque abſolutiones majorem & minorem conferebant, etſi primis ſeculis definito tempore factę non fuiſſent, & in feriam quintam ſanctioris hebdomadæ rejectæ, ut factum videtur quarto quintoque ſeculo, ſed pro occaſione, finitâque poenitentiâ conceſſę. Tamen neque ordinariæ erant neque ſacri partem faciebant, ut faciunt eæ quæ Canone iſto deſcribuntur. Quare neceſſariò de tertio gradu intelligendus eſt, & iis quæ in eo fierent impoſitionibus, quæ quia ordinarię erant, partemque ſacri cum orationibus Catechumenorum facerent, canon in ſanciendo deſcribendoque ordine ſacri ordinariarumque orationum ex quibus conſtabat, orationes tertii gradus comprehendit. Cúmque Zonaras ait neſcire ſe quo modo ea quæ ordinariè in Miſſis ordinariis fierent reſecta ſunt, ſatis apertè innuit ſentire ſe nobiſcum, & per reſecta illa intelligere orationes, & manuum impoſitiones horum poenitentium proprias, quæ partem Miſſæ faciebant.

Probavimos in Notis noſtris in canones, impoſitionem illam manuum, cujus in 78. can. Concil. 4. Carth. mentio fit, omnino intelligendam eſſe de frequenti manuum impoſitione tertii gradus: unde lector argumenta mutuabitur quæ ex eo canone ducta, rem pręſentem confirmant. Ita etiam eundem locum conſulet, uti intelligat Canonem hunc alium ejuſdem Concil. *omni tempore jejunii manus pœnitentibus imponenda*, ad eandem rem de qua nunc agimus pertinere, maximéque confirmare. Undecimus quinti Carthaginenſis, nonus Gerundenſis, pluriſque alii evidentiſſimè oſtendent hujus tertii gradus poenitentes orationes ab Epiſcopo manuumque impoſitiones percepiſſe.

Nemo dubitet quin hæc verba Felicis Papę, *ſeptem annis ſubjacere inter pœnitentes manibus ſacerdotum*. de tertio gradu intelligantur. Canon enim unde excerpta ſunt è verbo ad verbum canonem undecimum Nicęn. reddit, qoi decernit abjectiones & proſtrationes tertii gradus ſeptem annorum debere eſſe; uti & auditiones ſecundi trium annorum erant, quare quæ imponiuntur ipſis à Felice illo ſeptennio poenæ, tertii gradus poenæ ſunt. quo conceſſo, concedendum eſt pariter pœnas illas in eo poſitas fuiſſe ut crebro ſe ante Epiſcopum proſternerent, & ab eo manuum impoſitionem acciperent. Quem enim alium ſenſum habere poſſent hæc verba, *Subjaceant ſeptem annis manibus ſacerdotum*? Nolunt eos Epiſcopis ſubjectos: id enim fuit omnium graduum, neque ullum ad eam rem Concilii decretum neceſſarium erat, præſertim cùm ut aliquam eis poenam præſcriberent, ſic dictata ſint. Quare non eſt ut commodiorem ſenſum ullum accipiant quàm de impoſitionibus manuum, de quibus diximus. At non poterant ſubjacere, proſternique manibus Epiſcopi, niſi ſe excipiendis ejus orationibus ad terram abjicerent, quod contendimus. Denique minimum id ex iis verbis elici poteſt, Poenitentibus iſtis aliud facere neceſſarium fuiſſe quàm *ſtare retro ambonem, & cum Catechumenis egredi*, aut denique *ſeſe ſubmittere pœnitentia*, quæ eſt aliorum interpretum explicatio. Poteſt & ex iſtis verbis vocis ὑποπίπτειν quâ ut diximus canon undecimus Nicænus utitur, vis elici. Nam cùm videamus tertium illum Felicis canonem meram eſſe verſionem Latinam canonis illius undecimi, dubitandum profectò non eſt, quid ea vox Græca velit, cùm verſa ſit à Felice & Latinè reddita *ſubjacere manibus ſacerdotum*. Tam gnarus erat conſuetudinis Eccleſiæ temporis Nicæn. Concilii convenientis, ut quamquam vel Græcè imperitus eſſet, vel exemplaria Latina deeſſent, errare tamen in eo Canone vertendo, Latinéque reddendo non poſſet. Ex quo apparet Caſaubonum, licet Græcè doctum, vim tantùm vocis non autem rem ipſam percepiſſe. Conſequentis autem Canonis verba, *aliquandiu ſub manus impoſitione detentis*, poſſuntne de ea intelligi abſolutione, quæ uno momento peragebatur, aut de pœnitentiæ impoſitione quæ tantùm ſemel, idque ſimplici, impoſitione aut denique de qualibet alia manuum impoſitione? Quem obſecro alium à noſtro ſenſum qui ipſis adeo aptus eſt convenienſque, ut

unus ac verus judicetur, pati poſſunt? Nam quia dum in tertio illo gradu tenerentur, crebro ſe pœnitentes proſternerent, ut eam manuum impoſitionem perciperent, addidit, *detenti* ſub *manus impoſitione*, quaſi ad id obligati & quodammodo coacti, quod quidem nulli præterquam noſtræ impoſitioni manuum convenire poteſt, nulli unquam aut à recentioribus aut à Græcis allatæ de hoc tertio gradu definitioni. Neque enim eſt idem, *detineri ſub manus impoſitione & retro ambonem ſtare, & cum Catechumenis egredi.*

Denique quæ in ejuſdem Felicis ultimo canone habentur, *vel ſub manu poſitum ſacerdotis*, apta ſunt omnino noſtræ explicationi, & ab aliorum interpretum mente aliena, apertiſſiméque probant tertii illius gradus pœnitentes ſæpe ſub Epiſcopi manu poſitos fuiſſe, hoc eſt, Epiſcopos ſæpe ipſis manus impoſuiſſe. Neque *poſitum eſſe ſub manu ſacerdotis* iſtis verbis explicatur, *eſſe retro ambonem*, aut cum Catechumenis egredi. Sed verò ſæpiſſime proſterni ſub manu, eoque ſtatu impoſitionem manuum & orationes ejus percipere.

Verba Can. 11. 3. Conc. Toler. *faciat inter reliquos pœnitentes ad manus impoſitionem crebrò recurrere*, apertè teſtificantur repeti ſæpius iteratique ejuſmodi orationes & manuum impoſitiones, idque primo pœnitentium gradui non conveniſſe, quòd in eo poſitus eſſet, ut extra Eccleſiæ limen flerent. Sed neque ſecundo quòd Catechumenorum concionibus audiendis conſtaret, multò verò minùs quarto in quo abſoluti erant pœnitentes, communioniſque fidelium in rebus omnibus, ſolâ Euchariſtiâ exceptâ, participes. Sed neque ampliùs etiam ullis corporis afflictationibus obnoxii erant. Quare de tertio gradu neceſſariò intelligenda ſunt noſtramque omnino deſcriptionem probant, ſi contextus ipſe verborum ſenſuſque attendatur. Reperirem eadem, ſi hæc verba 6. Tolet. fuſius explicarem: *Pœnitentiæ profeſſio pro peccatorum venia ad manum ſacerdotis deducit vel adduxit*: neque enim explicari commodè ullo modo poſſunt, niſi confiteamur in ſingulis ſolemnioribus ſacris manus pœnitentibus impoſitas fuiſſe.

Sunt etiam explicatu difficillima in aliorum ſententia, in noſtra verò facillima D. Ambroſii verba lib. 2. de pœnit. cap. 9. *publicæ ſupplicationis revocentur pudore*; iis enim intelligit Ambroſius aliquos eſſe qui à ſuſcipienda pœnitentia publicarum orationum metu deterrebantur: quem enim ſenſum in aliorum definitione accipient? in noſtra verò quàm aperta ſunt & manifeſta? vult enim timeri impoſitiones manuum quas publicas ſupplicationes appellat, quòd palàm unà cum orationibus recitandis fierent, ut diximus. Nonnulli igitur qui verebantur palàm ſe proſternere & eas manuum impoſitiones percipere, ab amplectenda pœnitentia refugiebant, atque hic eſt verborum Ambroſii ſenſus.

Antequam explicemus quidnam fuerit illa manuum impoſitio, quæ hujus gradus propria erat, quem haberet effectum, quidque in eo qui reciperet operaretur, denique cur etiam ſæpe repeteretur, tamque diuturno tempore: Notandum eſt manuum impoſitionem, cujus tam crebra mentio apud authores reperitur, nihil aliud fuiſſe, quàm porrectionem manuum & extenſionem in aliquem, & in eum aliquot orationum recitationem, quibus Deum & gratiam aliquam pœnitenti conferret, obteſtarentur. Eaque actio non ideò tantùm impoſitio manuum dicitur, quòd Epiſcopus aut quilibet alius pœnitentibus manus imponeret, ſed quòd re ipſa & palam miracula ſæpiùs patrarent, eique pro quo rogarent, ea impetrarent à Deo, quæ poſcerent: ſic Confirmatio impoſitio manuum dicitur, quòd in eum

A qui confirmabatur viſibilis deſcenderet Spiritus ſanctus, aut certè effectis ipſis, adveniſſe ſe manifeſtò declararet. Pari modo exorciſmus impoſitio manuum nominatur, quòd dæmones palam poſſeſſis corporibus exirent (ſaltem id Tertullianus infidelibus pollicetur.) Subitæ item morborum expulſiones, impoſitiones manuum dicebantur, quòd re ipſa contuentibuſque aliis eos ſanarent, quos tangerent, ſic Tertullianus, *curationes repromittis*. Et ſi rem diligentiùs inveſtigemus, inveniemus omnia planè prodigia quæ perpetrarent, omnes quas impetrarent gratias aut conferrent, impoſitione manuum perpetrari, impetrari, conferri, idque feciſſe exemplo, authori-
B tate & traditione Apoſtolorum qui non ſolùm impoſitione manuum ea peragebant omnia, quæ ad Eccleſiæ ordinem pertinerent, cujuſmodi erant ſacri ordines, confirmatio, reliquaque ſacramenta: ſed ſi quid extraordinarium fiebat, gratiæ omnes privatæ, miracula omnia, manuum impoſitione peragebantur. Imponere igitur manus antiquitus nihil aliud erat quàm in aliquem manus extendere, orationeſque aliquas recitare, & gratiam ei aliquam impetrare ac conferre. Et quia in illis quaſi Eccleſiæ cunabulis, multò ſe lubentiùs Deus familiariùſque populo ſuo dabat, ut quem tenerum adhuc teneriùs diligeret, multò etiam liberiores iis rebus erant Epiſcopi, nec deforc miracula timebant, aut gratias eas quas pollicebantur, non conſecuturas. Eaque ratio eſt cur
C tam crebræ reperiantur impoſitiones manuum, quòd quæcumque fierent, ſive ordinariè ſive extraordinariè, impoſitione manuum fierent. Atque hæc eſt antiqua majorum noſtrorum manuum impoſitio. Veniamus nunc ad effectus.

Pręcipuus is erat ut poenitentem maculâ criminum ablueret, dæmonum impreſſiones averteret, malas denique peccandi habitudines expungeret, peccatumque penitus exterminaret. Itaque ſi rem dicere volumus, exorciſmus quidam erat ac luſtratio poenitentium, quos quaſi in poteſtate dæmonum eſſe arbitrabantur, quicquid ſit, videbant eos animo pravis dæmonum impreſſionibus occupato eſſe: quare exorciſmis utebantur, quibus eam infirmarent poteſtatem, quam in eos habere dæmon peccandi conſuetudine videbatur. Porro
D has impoſitiones exorciſmos quoſdam, atque luſtrationes in eum quem diximus finem inſtitutas fuiſſe, conſequentia teſtimonia confirmabunt.

Eum habere ſenſum videntur verba conſtitutionum lib. 2. cap. 61. *atque ut Ethnicum baptiſmo lotum poſt doctrinam admittis, ſic hunc per manus impoſitionem utpote factum mundum pœnitentia, cunctis pro ea deprecantibus, in antiqua paſcua reſtitue*: & paulò pòſt: *Eritque ei loco lavacri impoſitio manuum, ſiquidem per impoſitionem manuum noſtrarum dabatur Spiritus Sanctus credentibus*, quibus efficitur eò pœnitentibus impoſitas fuiſſe manus, ut criminibus expiarentur. Quæ quidem impoſitio eandem in illis vim habebat,
E quam aqua Baptiſmi in Catechumenis, hoc eſt crimina omnia abluebat. Nonne hęc D. Leonis verba ad Epiſcopum Aquileienſ. *ut pœnitentia ſatisfactione purgentur*. itemque alia ad Narbon. *poſſunt jejuniis, & manus impoſitione purgari*: ſatis apertè probant eam vim impoſitionis manuum fuiſſe, cùm ut contractas peccato ſordes elueret, tum ea poteſtate quam ſibi peccatum pepererat, impœnitentem dęmonem privaret, liberumque pœnitentem aſſereret. Idem probant hæc verba, quæ ex fragmentis Concilii Ilerdenſis, apud Garſiam habentur: *Si per Ieiunia & Eleemoſynas, vigiliaſque, atque ſacras orationes cum lacrymis purgare certaverint*: quo quidem loco, *ſacras orationes*,

pro impoſitionibus manuum dici exiſtimo, quæ orationes Epiſcopi comitabantur. neque enim factæ à pœnitentibus orationes, jure, meo ſenſu, ſacræ orationes nominentur.

Secundo Canone Concilii Vaſeo. clarè patet, diuturnum illud tempus, quo in tertio gradu pœnitentes hærebant, eam ob rem fuiſſe inſtitutum, ut admiſſa crimina expiarentur: ex quo etiam conſequitur ut dicamus impoſitiones illas manuum & orationes in eos recitari ſolitas, ſpeciem quandam exorciſmi fuiſſe. Jubet ut ſi fortaſſe pœnitentes morte occupentur ante communionem, (hoc eſt dum in tribus primis gradibus hærent, nam in quarto ad communionem admittebantur,) poſt mortem ad communionem recipiantur, quòd diutiùs purgari vellent, antequam ad ſacramenta accederent, *ac dum purgatiores reſtitui deſiderant*, manuum ſcilicet *impoſitione*, & conjunctis unà cum illa orationibus.

Quod aliàs à nobis dictum eſt magnam Baptiſmum inter & pœnitentiam ſimilitudinem intercedere, eorumque ritus & ceremonias, clariùs in hoc gradu quàm in quoquam alio apparet; quemadmodum enim luſtrabantur Catechumeni impoſitione manuum & orationibus, quæ in eos pronunciarentur, ſic etiam in iſto gradu impoſitione manuum & orationibus pœnitentes luſtrabantur. Et qui attentiùs rationes perpendet, quamobrem utrique exorciſmis purgarentur, qui ritus & ceremonias, qui denique conditiones & circumſtantias purgationum, pœnitentium, exorciſmorumque Catechumenorum examinabit, inveniet profectò quàm ſimillimas, & alias ab aliis deſumptas eſſe. Non exorcizabantur Catechumeni quaſi à dæmone poſſeſſi crederentur, uti Energumeni, ſed ut ex eorum animis peccati ſemina ſtirpitùs evellerentur, cùm ut ea conſuetudo & quaſi familiaritas quæ propter originale peccatum dæmoni cum illis erat dirimeretur; tum verò ut dominio, quod per idem originale peccatum, teſte Divo Auguſtino, quæſiverat, penitus caderet; ſic ille Epiſt. 105. ad Sixtum, *Cùm exorcizantur & exſufflantur infantes, hoc enim procul dubio fallaciter fit, ſi Diabolus eis non dominetur, ſi autem dominatur & ideo non fallaciter exorcizantur, & exſufflantur; per quid dominatur, niſi per peccatum Princeps utique peccatorum?* Pari modo non iterabantur tam crebrò in pœnitentes impoſitiones manuum, quòd à dæmone poſſeſſi crederentur, ſed quòd peccato admiſſo, omnia, aut certè maxima pars eorum quæ baptiſmo conſequuti erant, interierat, eſſentque perinde, ac ſi nunquam baptiſati fuiſſent, ſervi peccati & imperio dæmonis obnoxii. Quare impoſitionibus manuum & orationibus invitabatur Spiritus ſanctus, ut animas eorum pravis habitibus quos dæmon inſeruerat, purgaret, ſenſimque poteſtatem quam peccato corroboraverat, gratiarum ſuarum infuſione ſanctificando infirmaret: idque eſt in quo exorciſmi cum pœnitentium impoſitione manuum & orationibus conveniunt, quam in rem accommodata ſunt omnino Patrum dicta; vidimus enim paulò ante dicentes impoſitionibus manuum pœnitentes purgari, videamus & quemadmodum dicant exorciſmis Catechumenos expiari. Aug. de fid. & oper. *Jejuniis, abſtinentiis, exorciſmis purgantur.* Concil. Brac. 2. can. 1. & 9. *Iabens ante viginti dies Baptiſmi, ad purgationem exorciſmi Catechumeni currant.* Item, *ex viginti diebus baptizandos infantes ad exorciſmi purgationem efferre.* Syricius Papa, *qui ante quadraginta dies vel eo amplius nomen dederint, & exorciſmis quotidianiſque orationibus, atque jejuniis fuerint expiati.* Et Can. 14. Concil. 1. Arauſ. *vel purgandi*

A *quorum jam oſtenditur vita purgatior*, ſatis indicant non in id tantùm inſtitutos exorciſmos, ut dæmones expellerentur; ſed ut maculæ & ſordes, quibus à dæmone infecti erant animi, tollerentur. Sanctus verò Cyprianus, aut certè Lucius in Concilio Carthagin. apertè aſſerit Catechumenos impoſitione manuum purgatos fuiſſe, *Primò purgati, & tum demum baptizati.* Exorciſmi Catechumenorum Syricii tempore quadraginta dierum, Bracar. Concil. viginti erant, ex quo facilè ducor, ut conjiciam primis temporibus diuturniores fuiſſe. Exorciſmi etiam & impoſitiones manuum pœnitentium iterabantur ſæpius, & tandiu durabant quandiu tertius pœnitentium gradus, ut *purgatiores reſtituerentur*,
B inquit Concil. Vaſen. Conſtabit Patrum locis utroſque palam fidelibus omnibus hujuſmodi exorciſmos impoſitioneſque manuum percepiſſe. Veriſimillimum eſt Catechumenos ad terram proſtratos exorciſmos percepiſſe, certè inclinato & humiliato capite. Sic enim Auguſt. *Ibique cervice humiliata*, & Gregorius, *ut eſt Catechumenorum humilitas*, cùm de exorciſmis loquuntur, ſic paulò ante demonſtravimus proſtratos ad terram pœnitentes eas quibus purgarentur impoſitiones excepiſſe. Et quemadmodum exorciſmi præparando ad tantam gratiam percipiendam Catechumeno ante Baptiſmum fiebant, ſic illæ manuum impoſitiones ante pœnitentium reconciliationem fiebant, ut pœnitentis animus redderetur *dignum habitaculũ Spi-*
C *ritus ſancti.* Denique ut exorciſmi impoſitione manuum, ſic etiam pœnitentium purgationes impoſitione manuũ peragebãtur. Probabile eſt etiam poſtquã Epiſcopus exorciſandis Catechumenis manus impoſuerat (nam præter ordinarios exorciſmos ſtatim ante Baptiſmũ Catechumenos Epiſcopus exorcizabat,) acceſſiſſe etiam ſacerdotes & diaconos, eiſdemque manus impoſuiſſe, ut quaſi rata eſſent, amplificarenturque ea dona, quæ Epiſcopi manuum impoſitione conſecuti erant, quod in omnibus aliis impoſitionibus fiebat, & iis confirmari vis poteſt, qui aſſerunt poſt Epiſcoporum impoſitionem tactas fuiſſe aures naſumque Catechumenorum ab aliis clericis. Divus item Auguſtinus *quam exorciſmis exſufflationibus clericorum ſpiri-*
D *ritus ab eis immundus abigatur.* Cyprianus plureſque canones apertè aſſerunt Clerum univerſum pœnitentibus poſt Epiſcopum manus impoſuiſſe, *ante manus impoſitionem Epiſcopi & Cleri.* Denique quid afferri poteſt in quo non conveniant? His ita conſtitutis, quis eſt qui dubitet impoſitiones illas manuum eo fine inſtitutas ut pœnitentes purgarentur, exorcizarenturque ad evellendas ex eorum animis pravas ac noxias habitudines, poteſtatemque mali ſpiritus peccatis acquiſitam, enervandam & evertendam, eaque forma conceptas illas orationes, quæ diſcedere Dæmonem juberent ex animo pœnitentis, vacuumque Deo & ſancti Spiritus ſacris permotionibus & afflatui locum relinquere; quæ denique
E Spiritum ſanctum obteſtarentur uti animum pœnitentis mundaret, ſedemque ſibi in eo deligeret, pias ac ſalubres cogitationes infunderet, ſanctificaret, dignumque abſolutione & fidelium communione efficeret. Tales igitur erant impoſitiones manuum tertii gradus pœnitentium propriæ: ea erat cauſa quamobrem tam ſæpe, tamque diuturno tempore repeterentur. Talis erat primorum ſeculorum Theologia, talis quod tertii gradus pœnitentes ſpectat regula, ceremoniæ & diſciplina.

Quod ad tempus attinet, definitum non erat quamdiu in tertio hoc gradu, ſicuti neque in aliis hærere pœnitentes deberent: id enim ex gravitate peccati Eccleſiæque judicio pendebat. Certa

ſunt peccata pro quibus Canones Ancyrani viginti annos exigunt, pauciores Nicæni & Baſilius ſtatuunt, ſatiſque oſtendunt temporis ſpatium ex gravitate criminis metiendum eſſe. Si tamen Caſaubono credimus, gradus iſte tribus tantùm annis definiebatur, *ubi tres annos ſtabunt pœnitentes*, quod argumento eſſe poteſt parum illum in Canonibus antiquis verſatum eſſe. Fatendum tamen eſt tertii hujus gradus ſpatium cæteris longius fuiſſe, imo ut plurimùm altero tantò majus. Ratio autem eſt quòd alii gradus, ſaltem primus & ſecundus, ſi rectè ſumuntur, diſpoſitiones quædam erant quibus ad tertium exequendum pœnitens pararetur. Certè quomodocumque ſumantur, non erant ad ſcelus expiandum conſtituti. Primus enim ad obtinendam pœnitentiæ faciendæ libertatem ſpectabat, utque omnibus notum eſſet, eam juſtè ab Epiſcopo conceſſam eſſe. Nam ſi originem primamque inſtitutionem repetimus, animadvertemus à lubentibus volentibuſque admiſſam eſſe, in eoque gradu impetratam tantùm, non autem inchoatam fuiſſe. Secundus gradus nullas habebat afflictationes corporis, ſed in eo pœnitentes docebantur ea quæ ad Dei ejuſque judiciorum timorem incutiendum pertinebant; ut eo metu excitarentur ad ea lubenter ſubeunda, ferendaque patienter & magno animo, quæ quamvis aſpera & dura in tertio gradu imponerentur: ex quo manifeſtum eſt, diſpoſitionem, ut dixi, aliquam tantùm fuiſſe ad tertium gradum. Quod ultimum attinet, non erat is ſatisfaciendo, cùm nullas côtineret pœnas, inſtitutus; ipſi enim initium dabat prima abſolutio, & cùm à tertio grado ad quartum pœnitentes tranſibant, ad fidelium communionem admittebantur. Quæcumque igitur expiandis criminibus admiſſis ſubeundæ erant pœnæ, eæ omnes in tertio grado ferebantur; is eſt in quo pro admiſſis delictis ſolvebatur, ſatisfiebat Deo, ejuſque ita placabatur, in eo cœlum ut loquitur Tertullianus, *invidiâ commovebatur*, Deo vis inferebatur, ipſique afflictiones corporis & pœnæ pro impetranda ſceleris venia offerebantur. Ea ratio erat quamobrem cæteris multò eſſet diuturnior.

Fallitur præterea Caſaubonus cùm ait fuiſſe *precum Eccleſiæ participes, ut & Catechumenos.* Nullam enim precum Eccleſiæ communionem habebant tertii gradus pœnitentes, ſicuti neque Catechumeni; idque manifeſtè colligitur ex quarto gradu, in quo pœnitentes ad preces Eccleſiæ communionemque orationum, ut loquuntur canones, admittebantur. Ab iis igitur alienus erat excluſuſque tertius gradus. Præterea Canones omnes teſtantur tertii gradus pœnitentes Eccleſiâ digredi ſolitos ante orationes fidelium; ſic 19. Can. Laodic. ſic alii omnes qui ſimul cum Catechumenis egredi jubent, quos nemo admittat fidelium orationibus interfuiſſe, ſicuti neque ex conſequenti pœnitentes, quandoquidem unà cum illis egredi jubebantur.

Et verò qui noverit quidnam per fidelium preces intelligatur, is ad Caſauboni ſententiam nunquam accedet. Preces enim Eccleſiæ aut fidelium ſi propriè ſumantur, nihil aliud ſunt quàm aut Miſſæ preces, quæ à Sacerdote celebrabatur, (eſt enim *oratio* propriè miſſa,) aut certè quæ à fidelibus Miſſæ tempore ad Deum fundebantur. At pœnitentes & Catechumeni *Arcebantur à Myſteriis*; unde neutris potuerunt intereſſe. Quare Caſaubonus qui Bellarminum *immaniter erraſſe* exclamat, immaniùs lapſus eſt. nam ut verbi ὑπόπτωσις vim attigerit, rem tamen ei ſubjectam non vidit, nec qua ratione pœnitentibus conveniret, nec quas ceremonias aut ritus ſecum ferret. His accedit ter aut quater, præterea in hujus tertii gradus explicatione peccaviſſe, ut conjicere facillimum ſit, eum in Canonibus antiquis parum admodum verſatum eſſe.

Danda lux eſt Canonibus nonnullis, ut 9. Ilerd. & 4. Epiſt. Felicis Papæ, qui aſſerere videntur pœnitentes hujus gradus unà cum Catechumenis oraviſſe. Exiſtimo igitur hunc eſſe ſenſum canonum illorum: Potuiſſe pœnitentes illos Catechumenorum ſacro, non autem fidelium intereſſe, potuiſſeque præterea privatas preces eodem tempore & loco Catechumenis proximo peragere; ſic cùm in Concilio Ancyrano ſtatuitur, ut certæ quædam perſonæ, quæ ad mortem uſque excommunicatæ ſunt, cum energumenis orent, (aut ut nonnulli interpretantur, cum excommunicatis in perpetuum) non inde efficitur, energumenos cum excommunicatis ad mortem confusè permixtos fuiſſe: ſed id voluit Concilium excommunicatos ad mortem, eumdem habituros locum & tempus cum energumenis, aut in perpetuum excommunicatis ut orent: pari modo cùm canones ſanciunt uti pœnitentes tertii gradus cum Catechumenis orent, id tantùm de tempore accipiendum eſt, non autem quaſi communes ſint & eædem utrorumque orationes, aut quòd eodem ſimul loco confuſi, permixtique orarent.

Antequam huic obſervationi finem imponamus, notandum eſt conferri ſolitam hujus gradus pœnitentibus peccatorum abſolutionem, *& minorem reconciliationem*, antequam ad quartum gradum pervenirent. Et quidem ratio, quanquam nulli eſſent loci qui confirmarent, maximè probabilis eſt.

Certum eſt enim eos dum in tertio grado hærerent, neque fuiſſe abſolutos, neque ullam habuiſſe cum fidelibus communionem, aut in precibus, aut in myſteriorum cognitione: at in quarto gradu earum omnium rerum erant participes? quò fit ut neceſſariò fatendum ſit, id eos obtinuiſſe, cùm à tertio gradu ad quartum tranſirent. Fatendum præterea eſt, cùm id à ſe ipſis habere non poſſent, conſecutos eſſe Eccleſiæ authoritate, manuumque impoſitione, per quam & à peccatis ſuis abſolvebantur, & communionis fidelium jure donabantur. Denique ſciendum eſt etiam mulieres eidem gradui obnoxias fuiſſe, eaſdemque poenitentias eodem more & gradibus peregiſſe: niſi quod ſeparato à viris loco eſſent; ſic enim ſignificanter Syricius, *quam formam & circa mulieres quæ ſe poſt pœnitentiam talibus pollutionibus devinxerunt, ſervandam eſſe cenſemus.*

OBSERVATIO XXV.

Quartus pœnitentiæ gradus.

QUartus hic gradus, σύστασις à Græcis appellatur, quæ vox idem ſonat & valet, ac ſi dicerent intereſſe in Eccleſia, unà cum fidelibus ſoliſque orationibus communicare: quod tertii gradus poenitentibus non concedebatur, qui ante ſacrum & unà cum Catechumenis diſcederent: utuntur & aliis Græci loquendi formis, in eodem gradu explicando, uti Concilium Nicænum undecimo, duodecimo & decimo tertio Canonibus: ſic enim primo loco habet: *ſine oblatione populo communicent in orationibus.* Secundò, *tum demum orationibus communicabunt.* Tertiò, *Sint inter eos qui communionem orationis tantummodo conſequuntur.* Pari planè modo Concilium Ancyranum explicat canone 4. 5. 7. 8. 9. 16. niſi quòd verbis bis abſtinet, *communicare orationibus*: ſed tantummodo habet, *ſine oblatione communicent.*

Ubi

Ubi notandum eſt veterum interpretationem ita habere, id eſt, *ut ipſi oblationem non offerant*. Baſilius verbo tantùm *συστάσεως* utitur, quanquam aliàs his etiam verbis utatur, *ſtabit cum fidelibus, ſed non erit oblationis particeps*, aut aliis quæ parem vim, ſenſumque habeant. Et quamvis non tanta fuit apud Latinos hujus gradus, ſicuti neque aliorum diſtinctio, ſed tempus ſimpliciter pœnitentiæ ponant nulla adhibita graduum variorum diſtinctione, tamen in nonnullis Conciliis Patres hujuſce gradus meminerunt, ut 10. canone Concilii ſecundi Arelatenſis, *duos inter diſcommunicantes, ita ut communionem inter pœnitenses non præſumant*. Concilio Ilerdenſi canone 9. non eadem verba meo judicio ad iſtum gradum revocantur, *orene duobus inter Catholicos*, ut & illa Papæ Syricii, *ut ſola intra Eccleſiam fidelibus oratione jungantur, ſacris myſteriorum celebritatibus, quamvis non mereantur interſint, à dominicæ autem menſæ convivio ſegregentur*, & illa Papæ Felicis, *oblationes omnibus modis non ſinantur offerre, ſed tantummodo ſecularibus in oratione ſocientur*. Item, *inter eos qui in oratione ſola communicant*, quæ quidem omnes loquendi formæ, ſive Græcæ, ſive Latinæ, eodem recidunt, ſenſumque eundem planè complectuntur, ut mox videbimus.

Peracto igitur tertio gradu, purgatiſque impoſitione manuum pœnitentibus, abſolutio impertiebatur, & ad ſimplicem communionem admittebantur, hoc eſt communionis Chriſtianorum jus obtinebant, & ad quartum pœnitentiæ gradum tranſibant: qui gradus in eo ſitus erat, ut digreſſis Catechumenis & pœnitentibus in Eccleſia remanerent, orationibus ſolemnibus & ſacro intereſſent, Sacroſanctum Euchariſtiæ ſacrificium oculis uſurparent, & cùm diſtribuebatur adeſſent, orarent cum fidelibus, eorumque orationum participes eſſent, & jus communionis, myſticique Chriſti corporis haberent: denique in ea reſtituebantur omnia, quæ peccato amiſerant, his tantùm exceptis, quòd quanquam ſacram Euchariſtiam viderent, ſacrificioque intereſſent, eam tamen percipere non poſſent: nihil præterea offerre altari poterant, quod Sacerdotum manibus Deo poſtea conſecraretur, quod aliis fidelibus facere liceret: Denique nomen eorum in album fidelium non referebatur, hoc eſt non offerebatur, nec in precibus, quæ Deo pro fidelibus à Sacerdotibus offerebantur, eorum erat ulla injecta mentio. Quod ad reliqua attinet, ſive civilia, ſive Eccleſiaſtica, pœnitentes quarti gradus pares omnino aliis erant. Hic eſt igitur quarti illius gradus ſtatus, cujus exacto tempore reſtrictio illa, cenſuraque tollebatur: hoc eſt, ad participandum Sanctiſſimum Sacramentum, oblationeſque perinde ac à cæteris offerendas, aggregabantur, majoremque, ut appellabant, reconciliationem obtinebant.

Atque ut hæc omnia ſigillatim confirmemus; primùm facile eſt oſtendere, eos unà cum Catechumenis, & pœnitentibus aliis non fuiſſe digreſſos; ſed cum fidelibus, Miſſæ, & precibus fidelium interfuiſſe. Nam cùm certum ſit eos poſt Catechumenos, & tertii gradus pœnitentes motatos fuiſſe quibus digreſſis ſtatim Miſſa dicebatur, omnino neceſſarium erat, ut miſſæ unà cum fidelibus intereſſent, ut vis ipſa vocis græcæ *συστάσεως*, quæ ad eam rem explicandam uſurpatur, indicat. Denique *orare cum fidelibus, participare orationibus, communicare in oratione*, ſimileſque locutiones non habent hunc proprium ſenſum, in partem venire meriti & fructus, qui à Deo precibus aliorum impetratur; (qui nunc communis eſt ſenſus, cùm dicimus aliquem orationum participem eſſe,) ſed propriè & expreſſè ſignificant, ad ſacrum audiendum admitti, unaque cum aliis fidelibus, ut corporis ejuſdem partem & membrum orare. Etenim *orare & oratio* apud antiquos ſcriptores pro liturgia, & miſſa penè ſemper accipiuntur: quare quandoquidem *orare* poterant, & orationibus fidelium participare, efficitur profectò, ut & ſacro intereſſe potuerint, & ex conſequenti Sacroſanctam Euchariſtiam, ejuſque diſtributionem, cæteraque ſacramenta, quæ in Miſſa adminiſtrabantur, & cæremonias viderint.

Reſtat probare eos quanquam ſacro intereſſent, eaque quæ mox commemoravimus, viderent, ſanctam tamen Euchariſtiam non percepiſſe, nec ulla altari munera obtuliſſe, quæ poſtea Sacerdotum orationibus conſecrata & inaugurata Deo offerebantur, expreſſè confirmant hæc verba *in ſola oratione communicent*. Nam ſi ſolius orationis participes fuerunt, certè non fuerunt Euchariſtiæ. Præterea loci omnes authoreſque qui penè infiniti ſunt, qui aiunt exacto quarti gradus tempore reconciliatos altari pœnitentes, Sacramentorumque, & myſteriorum participes factos, redditumque jus Euchariſtiæ recipiendæ & impertitum eis *ſummum bonum, & quod eſt perfectũ*, manifeſtè declarant, eos dum in quarto gradu hærerent, neque ſummi illius boni capaces fuiſſe, neque altari reconciliatos, cùm id dicantur peracto tempore conſecuti. Quod ad probationes ſpectat, quæ efficiunt neque licuiſſe ipſis offerre munera, neque eorum nomen aut in catalogo fidelium ſcriptum, aut in precibus quæ pro fidelibus offerrentur, recitatum fuiſſe, quærat & inveſtiget eas Lector in peculiaribus ea de re capitibus, ubi fusè à nobis afferuntur.

Peracto tempore pœnitens majorem reconciliationem, & unà cum illa jus abſolutiſſimæ communionis fidelium, Sacramentorumque omnium percipiebat. De illa autem reconciliatione actum eſt duobus in locis, capite de quatuor impoſitionibus manuum, & capite de ultima reconciliatione: hîc tantùm addam non fuiſſe quintum aliquem pœnitentiæ gradum, ut nonnulli arbitrantur, qui eam quod idem eſt *μέθεξιν* pro quinto gradu ſtatuunt, neque attendunt pœnitentes quarto gradu perfecto abſolutoque, non fuiſſe ampliùs pœnitentes, cùm participes eſſent Sacramentorum, ejuſdemque cum aliis fidelibus conditionis, quos nemo unquam in quinto pœnitentiæ gradu collocavit. ergo neque pœnitentes, cùm ad idem jus pervenerint, rectè in quinto gradu conſtituentur: *μέθεξις*que illa, cùm nihil aliud ſit quàm Sacramentorum plena participatio, exituſque pœnitentiæ, certè quintus gradus nominari non poterit.

Quòd ſi quæratur quamobrem antiqui quartum illum gradum poſuerint, (nam quandoquidem pœnitentes Deo ſatisfecerant, & ex Eccleſiæ æſtimatione criminum ſuorum pœnas pares expleverant, abſolutique erant, & jus communionis impetraverant,) quorſum ad tempus præterea Euchariſtiâ privabantur? cùm noſtris ſeculis & temporibus contrario planè modo Euchariſtia antequam ſatisfecerint, permittatur, primis ſeculis etiam cùm ſatisfecerant, negabatur. Nulla poteſt congruentior commodiorque afferri ratio, quàm quæ ex reverentia ac religione petitur, quâ adverſus ſanctam Euchariſtiam ferebantur: deteſtabile quippe Deo & hominibus, non ſolùm exiſtimabant hominem vel leviſſimâ maculâ inquinatum, aut maculæ nebulâ offuſum ad Euchariſtiam accedere, ſed etiam periculoſum abſolutos pœnitentes eam tangere & attrectare, quòd non ſatis ſancti & ſanctificati cenſebantur, quibus tanta res committeretur.

Quare tempus aliquod eis communione præ-

cibuſque fidelium & ſacræ Eucharistiæ aſpecto ſanctificandis deſtinabant. Certò enim credebant tantam ineſſe vim, vel in ipſo Eucharistiæ aſpectu, ut pectus purgaret & ſanctificaret. Ea ratio eſt quamobrem etiam poſt abſolutionem Eucharistia differretur: ſic etiam eam ſæpe pœnitentibus in morte, quanquam abſolutis, negabant, ne ab indignis hominibus ea tangeretur: pari etiam modo Eucharistiam & Confirmationem plerumque iis dare oolebant, qui baptiſmo antè luſtrarentur, quàm Catechumenorum ceremoniis purgati expiatique fuiſſent; quòd vererentor, ne non ſatis digni puriqoe ad ea ſacramenta percipienda accederent.

OBSERVATIO XXVI.

Exomologeſis.

AUſim dicere hanc vocem *Exomologeſis*, magis antiquis authoribus frequentatam quàm recentioribus noſtratibus cognitam eſſe, tametſi poſt eos, accuratiorem illius notionem dare vello non vacet periculo. Multi ut Cardinales Bellarminus & Baronius anno Domini 1556. Maldonatus in ſuis controverſiis, Pamelius ſuis ad Tertullianum & Divum Cyprianum commentariis, pro certo aſſerunt, Patres ut plurimum hac voce confeſſionem peccatorum arcanam & auricularem intellexiſſe; verùm diu multúmque penſitatis omnibus, ubi ea habetur, locis, illorum opinioni non poſſum accedere.

Nam ut omittam confeſſionem auricularem, de cujus antiquitate ſimul ac neceſſitate ſpero me dicturum & probaturum majore otio, ita mihi videtur ut quemadmodum Patres ſemper exiſtimaruor, Pœnitentiam eſſe dolorem & aculeum quibus peccatores ex conſcientia offenſarum in Deum lancinantur: ita ſemper ipſos hanc vocem Exomologeſis adhibuiſſe, cùm ſignificare vellent ritus exteriores, ut pote flendi, ingemiſcendi, ſeipſum incuſandi, & id genus alia pœnitentibos uſitata: atque ut perfectiùs iſtius vocabuli uſus innoteſcat, neminem præterit illis prioribus ſeculis pœnitentes longâ admodum & laborioſâ defunctos eſſe poenitentiâ, per quam aſſiduis fletibus ſe ipſos conficerent, pro veſtibulis ædium ſacrarum ſtarent ad teſtandum publicè erroris ſui dolorem: quin & humi jacentes Epiſcoporum pedibus, martyrom genibus advolverentur, cæterorum quoque fidelium identidem orantes unumquemque, ut ſibi apud Deum deprecator adeſſet, operti ſacco, horrore ſqualoreque prorſus obſiti: peractâ verò poenitentia Epiſcopus eos ex aditu in medium templi deductos, coram Preſbyteris, Diaconis, viduis & populo ſiſtebat, ubi rurſus humi procumbebant, crimina ſua deteſtabaotur, ubertim flebant, omnium ſe precibus commendantes, nec unquam eodem ſe relapſuros ſanctè dejerantes. Comperio itaque ultimum hunc ritum ob id ſæpe Exomologeſim à Patribos eſſe nuncupatum, quòd in ſe plurimos actus haberet, dolorem admiſſæ culpæ præferentes, non ſecus ac omnis actio & ratio vitæ poenitentium inter pœnitentiam agendam perinde Exomologeſis aliquando dicitur: ſed quoniam actus illi, dum ageretur pœnitentia, aliquantò diuturniores erant, ſæpius Exomologeſis vocabulum acceptum reperitur, pro primis illis inter agendam poenitentiam actibus.

Tertullianus id perſpicuè docet; negat enim ſatis eſſe privatim dolere de peccatis, ot in prima poenitentia, verumetiam aliquid ultra requiri: nempe palam faciendum eſſe hunc dolorem exterioribus actibus, ut pote flendi, ingemiſcendi, jejunandi, ſe ipſum cruciandi, qui Exomologeſis

A appellatione veniunt: *Tanto operoſior probatio eſt, ut non ſola conſcientia præferatur, ſed etiam aliquo acta adminiſtretur. is actus qui magis græco vocabulo exprimitur, & frequentatur Exomologeſis eſt.* Igitur Exomologeſis nihil aliud eſt, quàm actus illi, quibus palam teſtaris te peccaſſe. Eodem ſenſu ait: *Exomologeſis proſternendi & humilificandi hominis diſciplina eſt converſationem injungens miſericordiæ illicem*: nimirum diſciplinam eſſe quandam, qua non ſolùm jubetur pœnitens demittere ſe, & humi proſternere coram omni populo, verùm etiam ita vivere, ut tota ejus vitæ ratio conſtet jejuniis, lacrymis, vigiliis, planctibus, per noctes dieſque: non poteſt clariùs neque dilucidiùs explanari, quid ſit Exo-B mologeſis neque efficaciùs probari, hos eſſe exteriores actus, qui exomologeſis nomine appellentur: æquè dilucidè paulò infrà eadem res aſtrui poteſt his verbis: *Cùm igitur provolvit hominem magis relevat*, & ſequentibos: onde colligitur actus illos exteriores, quos dolor admiſſi criminis nobis exprimit, Exomologeſim dici.

Verarum explicationum is eſt character, ut per omne & in omnibus ſibi conſentiant, ideo quod habetur capite decimo de Exomologeſi multò meliùs & commodiùs explicatur à nobis quàm ab iis, qui Exomologeſim confeſſionem auricolarem exponunt: plurimos ait defugere *hoc opus*, id eſt Exomologeſim de qua loquitur pudore profitendi ſuas maculas & ſordes: & in-C frà dum dicit erubeſcendum eſſe de culpis confeſſione detectis, coram iis qui ridere & ſubſannare, aut alioqoi minimè æqui bonique conſulere id factum, parati ſunt: verùm coram fratribus noſtris, & conſervis, qui noſtra delicta æquè ac nos ipſi lugent, & in participatum doloris veniunt, nequaquam verecundari oportere: hoc inquam ſatis declarat eum, non de confeſſione auriculari, nec de publica loqui: non de auriculari, quia pluribus non fiebat; noo de publica, nam aiunt confeſſionem publicam (quod quàm verum ſit alibi dicemus) non niſi publicorum criminum fuiſſe: ac proinde peccatorem non magno robore ſuffuſum in confitendo ea quæ omnes ſcirent, nec magnopere pudori conſulturum eum, vel eo tacente ex conſcientia publica nihilo minor infamia D ſeqoeretur. Adde quòd hæc verba in plurali, *quid tuos*, item, *quid conſortes*, item, *non poteſt corpus*, item, *cùm doleas univerſum*, item, *ergo cum te ad fratrem*, item, *æquè illi*, plus ſatis teſtatur pudorem illum fuiſſe ex neceſſitate peragendi hoc opus, id eſt Exomologeſim, coram plurimis.

Sine qua etiam explicatione apud homines ſagaces non datur emergere ex hoc loco, *malo enim ad miſeriam pervenitur*. Quomodo enim pervenitur ad confeſſionem auricularem aut publicam malo? quid accommodatum his verbis reperiunt? Incidi in aliquas explicationes; ſed authorum reverentiâ errores & ſomnia referre prohibeor. Loquitur de Exomologeſi, ait enim, *Miſerum eſt ſic ad Exomologeſim pervenire*, poſtea infit, E *malo enim ad miſeriam pervenitur*, proinde vocat Exomologeſim miſeriam ad quam malo ait perveniri, ut hoc intelligatur redeundum eſt ad noſtram expoſitionem: Exomologeſim ſcilicet tam primam quàm ſecundam, eſſe actus externos pœnitentiæ, ot lacrymas, fletus, jejunia, macerationes, & publicam illam ſuorum criminum deteſtationem. Itaque hoc loco agit tanqoam in perſona eorum, qui Exomologeſim fugiebant, inquiens, multum mali perpetiendom eſſe, ut ad majus malum perveniatur; hoc enim pro malo ducebant tantum tẽpus inſumere in peragendis pœnitentiæ ritibus quę erat prima illa Exomologeſis, proque longè

maxima miſeria ultimam Exomologeſim perficere in media Eccleſia coram omni populo, hoc eſt, deduci ab Epiſcopo ab uſque veſtibulo in medium templi, habitu pœnitenti, ſacco & cinere coopertum, humi procumbentem, pacem veniamque à Deo & Eccleſia petentem, ibique admoneri ab Epiſcopo: illud eſt *malo ad miſeriam pervenire*, per primam, ad ſecundam accedere, ſive per rigidos actus pœnitentiæ, ad ultimam iſtam Exomologeſim, quæ ſeveritatis & pudoris plena erat, pervenire. Ultima Exomologeſis, quam Tertullianus hîc appellat miſeriam, probè deſcripta eſt in libro de Pudicitia: *Et tu quidem pœnitentiam mœchi ad exorandam fraternitatem in Eccleſiam inducens conciliatum & concineratum cum dedecore & horrore compoſitum, proſternens in medium ante viduas, ante presbyteros, omnium lacrymas ſuadentem, omnium veſtigia lambentem, omnium genua detinentem.* Deſcribit omnes actus ultimæ Exomologeſis uſque adeo ſævos & laborioſos, ut nonnulli eos, uti dixit in libro de pœnitentia, miſeriam appellarent. Libro de oratione mentio fit Exomologeſis utraque ſignificatione: *Exomologeſis eſt petitio veniæ.* Item, *Exomologeſis debitorum in deprecatione*, quæ de Auriculari confeſſione accipi nequeunt. Ait enim dicendo, *& dimitte nobis debita noſtra*, fieri Exomologeſim: verùm de actibus illis tempore pœnitentiæ, aut ea demum abſoluta uſitatis.

In exemplum & ad explicandum Exomologeſim lib. de pœnitentia, & libro de patientia dat regem Babylonis, unde probatio iſta elici poteſt, Exomologeſim non eſſe confeſſionem auricularem, ſed poenitentiam & deteſtationem ſuorum peccatorum, qualem egit rex, *Diu enim pœnitentiam Domino immolarat, ſeptenni ſqualore Exomologeſim operatus*: in altero libro, *ſic ille Rex Babylonis offenſo Domino cum ſqualore & padore ſeptenni ab humana exulaſſet forma*, ubi actus poenitentiæ, & ſatisfactionis Exomologeſim appellat.

Veniam ad D. Cyprianum qui ſui ſeculi non optimus modò eſt interpres, ſed etiam Tertulliani propiùs fidem eſt, præcedentia ſecula non uſurpaſſe alio ſenſu hanc vocem, quàm quo in ejus ſcriptis reperitur, primo libro, Epiſt. undecima, *æſtimato juſto tempore poſtea Exomologeſi facta ad Eccleſiam redeant.*

Exomologeſim poſt poenitentiam agebant, quod argumento certiſſimo eſt non ſignificare confeſſionem auricularem: libro tertio Epiſtola quinta, *Exomologeſi facta & manu eis in pœnitentiam impoſita.* Loquitur de crimine publico, & de poenitentia publica: quapropter hoc loco Exomologeſis non confeſſionem auricularem ſonat, ſed ultimum iſtum actum, & ultimam deteſtationem, quam in more habebant, dum abſolutionem reciperent. Accedit quod locus iſte tribus aliis congruit, à quibus etiam explicationem mutuatur: hîc enim de lapſo quodam loquitur, qui interventu & deprecatione martyrum abſolutionem recipere debebat, ſi morbus & mortis periculum ingrueret; de eodem ait libro ſecundo Epiſt. 7. *Eorum autem quorum vita ſua fine urgens exitus dilationem non poteſt ferre, actâ pœnitentiâ, & profeſſâ frequenter ſuorum deteſtatione factorum, ſi lacrymis, ſi gemitibus, ſi fletibus dolentis ac verè pœnitentis animi ſigna prodiderint, cùm ſpes vivendi ſecundum hominem nulla ſubſtiterit, ita demum cautè & ſollicitè ſubveniri.* Et epiſtola decima ſeptima libri tertii, *ut qui libellos à martyribus acceperunt ſi incommodo aliquo aut infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectent præſentiam noſtram, quin apud presbyterum quemcunque præſentem, vel ſi presbyter repertus non fuerit, & urgere exitus cœperit, apud Diaconum quoque Exomologeſim facere delicti ſui*

A *poſſint*: eodem planè ſenſu, ſequenti epiſtola. *Credo ut qui libellum à martyribus acceperunt & auxilio eorum adjuvari apud Dominum in delictis ſuis poſſunt, primi infirmitate aliqua & periculo cœperint Exomologeſi facta.*

Quatuor iſti loci eundem ſenſum, eandem explicationem habent, & ejuſdem ſunt argumenti: in omnibus agit de lapſis per Martyres commendatis, concluditque paſſim ſi ægrotis mortis periculum immineat, dandam eſſe abſolutionem ubi fecerint Exomologeſim: quamobrem reciprocam debent inter ſe lucem accipere, quodque vocat Exomologeſim in tribus quatuor locorum, intelligendum eſt explicatione ejuſdem verbi, quam dat in quarto libri 2. epiſt. 7. ubi quod appellat in tribus aliis Exo-B mologeſim, per hæc verba explicatur, *profeſſa frequenter deteſtatione factorum*, & quod hîc ait recipiendum poſtquam, *profeſſus deteſtationem ſuorum factorum*. & tribus aliis explicat poſt factam Exomologeſim, *Exomologeſi facta*: unde liquidò conſtat, quòd facere Exomologeſim, nihil aliud eſt, quam publicè cum fletibus, & gemitibus deteſtari peccata ſua, ſive per dies pœnitentiæ ſive illâ peractâ.

Locus epiſtolæ 17. libri tertii negotium interpretibus exhibuit ob duas maximè difficultates: primam quomodo quis confiteri poſſit Diacono: alteram quomodo Diaconus poſſit abſolvere à peccatis, cùm peculiariter hoc miniſterium & hæc authoritas ſit penes presbyteros. Cardinalis Baronius anno Domini 159. numero 21. Pamelius initio epiſt. C 13. D. Cypriani, Maldonatus in controverſiis de pœnitentia, aſſeverant reconciliationem eſſe pœnitentis publici cum Eccleſia, nihilque aliud fuiſſe, quam abſolutionem à pœnis ſatisfactoriis, aut ab excommunicatione. De ultima difficultate alius erit dicendi locus. Quod ad palmam attinet, facilè reſolvi poteſt illa, quam dedimus Exomologeſis vocabuli explicatione, quod cùm nihil aliud ſit, quàm peccatorum ſuorum deteſtatio cum fletibus & lacrymis, non verò confeſſio quædam auricularis, cumque actus eſſet fieri ſolitus in pœnitentis, Diaconus poterat eum excipere, & de eo teſtari, præſertim ſi pœnitens infirmitate ad mortem laboraret. Cætera perſequamur: in epiſtola 14. libri tertii, *& ſecundum diſciplinæ ordinem ad* D *Exomologeſim veniant*, loquitur de actu poſt pœnitentiam fieri ſolito, poſtque ſatisfactionem; propterea non poteſt intelligi de confeſſione auriculari, ſed de ultima hac Exomologeſi, ad quam non accedebant, niſi peracto pœnitentiæ ſuæ tempore, ut ipſe dicit, *agant peccatores pœnitentiam juſto tempore, & ſecundum diſciplinæ ordinem ad Exomologeſim veniant*: eodem ſenſu quod ſequitur: *nondum pœnitentia facta, nondum Exomologeſi finita.* Toto tempore & decurſu ſuæ pœnitentiæ perpetuam agebant Exomologeſim, & perpetuam ſuorum admiſſorum deteſtationem, quæ ultima hac Exomologeſi terminabatur.

Ejuſdem eſt explicationis locus ille in epiſtola ſequente, *ante actam pœnitentiam, ante Exomologeſim graviſſimi atque extremi delicti factam*, E ubi ſemper loquitur de Exomologeſi poſt pœnitentiam & ſatisfactionem; quod argumento eſt hanc vocem non debere accipi de confeſſione auriculari quæ præcedere debeat, ſed de illo quem diximus actu: in epiſtola 16. ait quòd *Exomologeſis fiat inſpecta vita ejus qui agit pœnitentiam*: non accipitur hîc Exomologeſis pro confeſſione auriculari, quaſi vellet author dicere eam faciendam eſſe pro modo peccatorum ac vitæ illius qui vult agere pœnitentiam, quia de re loquitur, quæ poſt pœnitentiam fieri debebat: ſed accipitur pro ejuſmodi actibus, quos deſcripſimus, quos remittere aut intendere in Præſidentis aut Epiſcopi erat officio

& poteſtate: & quia de minutis peccatis eſt mentio, idcirco ait, Exomologeſim remittendam eſſe, atque inde infert, ſi in parvis erratis poenitentes poenis & lacrymis dolorem ſuum teſtantur, multò potiori ratione in gravioribus criminibus idem faciendum eſt, & pro ſatisfactione etiam patiendum.

Epiſtola XXIII. Exomologeſis quæ fiebat in ipſo poenitentiæ curriculo & ſpatio optimè his verbis expreſſa eſt, *quod triennio jugiter ac dolenter, ut ſcribitis, cum ſumma pœnitentia lamentatione planxerunt.* Libro IV. Epiſtola II. diſcrimen adſignat inter confeſſionem & Exomologeſim: *Et quia apud inferos dum confeſſio non eſt, nec Exomologeſis illic fieri poteſt.* Atque inde ſequitur, ni fallor, Exomologeſim poſt confeſſionem fuiſſe, & quidquid ſit, illam diverſum quid à confeſſione extitiſſe. Idem dicit ad Demetrianum, *Quando iſtinc expreſſum fuerit nullus locus pœnitentia & nullus ſatisfactionis effectus:* ubi *ſatisfactionis effectus*, Exomologeſim ſonat, quæ ex effectibus ſatisfactionis præcipuus erat. Et quod ait Ananiam videlicet, Azariam, Miſaëlem & Danielem, quamvis innocentes, Deo tamen Exomologeſim feciſſe ſatis oſtendit. Exomologeſim non eſſe confeſſionem auricularem, ſed deprecationem quandam hominis cum deteſtatione ſuorum ſcelerum, ſe miſerrimum peccatorem eſſe confitentis: quodque ait eodem libro: *hoc ipſum apud Sacerdotes Dei dolenter & ſimpliciter confitentur, Exomologeſim conſcientia faciunt, animi ſui pondus exponunt:* prima verba intelliguntur de ea confeſſione criminum, quam peccator agebat; & ſanè conſentaneum eſt fuiſſe confeſſionem quandam peculiarem & auricularem, verùm quæ ſequuntur, non hoc ſibi volunt quòd confiterentur, (dixerat enim antea) ſed quòd quandam Exomologeſim licet de minimis delictis agerent, & quidem de rebus quas non feciſſent, ſed dumtaxat cogitaſſent, quaſque confitendo preſbyteris aperuiſſent. Exomologeſim igitur conſcientiæ facere, eſt agere poenitentiam & actus quoſdam externos dolentis contritique animi propter tantummodo cogitata: ultima hæc verba, *animi ſui pondus exponunt*, non hoc ſibi volunt quòd deponerent peccata ſua in manus ſacerdotum; ſed quòd per poenitentiam & Exomologeſim conſcientiam liberarent ſcrupulo & onere offenſi per cogitationes Dei.

Ac quemadmodum multa erant peccatorum genera, ita multæ ſpecies erant Exomologeſis & pœnitentiæ: ac reor equidem minorum peccatorum Exomologeſes privatim fieri ſolitas aliquo actu externo, ut conjectis in cœlum oculis fatendo ſe reum & noxium eſſe, pectus feriendo, & nunquam in eadem recaſurum repromittendo. Nam, *exponere*, apud Divum Cyprianum ut plurimum ſignificat deponere, excutere. Euſebius libro 6. cap. ultimo rectè deſcribit Exomologeſim Natalis: *ac multis lacrymis errorem ſuum deflens ante pedes Epiſcopi Zepherini proſternit, & veſtigiis omnium, non modo preſbyterorum, ſed etiam laicorum multa cum lamentatione provolutus, in lacrymas & miſerationes omnem provocavit Eccleſiam, ut indulgentiam ſibi à Chriſto continuis & jugibus pro ipſo precibus implorarent.*

Salvianus libro I. ait eum qui in morte verſatur non poſſe facere diuturnam Exomologeſim: unde perſpicuum fit, non poſſe accipi Exomologeſim pro confeſſione auriculari, ſed pro illa Exomologeſi, quam in decurſu & ſpatio poenitentiæ agebant; *ſed quando ei Exomologeſis diuturna opitulabitur, jam in extremis ſito? ſed cilicio carnes conteret, ac favilla, & cinere ſolidabit, ut mollitiem videlicet pœnitentia voluptatis præſentium aſperitatum duritia compenſet.* Fabiolæ Exomologeſim rectè deſcribit Hieronymus. Quod Divus Irænaeus ait de mulieribus Rodanenſibus, de Confeſſione auriculari nequit intelligi, *quidem & jam in manifeſto Exomologeſim faciunt:* non enim fit publicè. Pacianus quoque nonnulla habet de Exomologeſi, quæ de confeſſione auriculari explicari nequeunt.

OBSERVATIO XXVII.

Apud Diaconum Exomologeſim facere D. Cyprianus Epiſtola XVII. *libro* III.

Non me poeniteret aliquid in explicandis Patrum ſcriptis induſtriæ atque operæ poſuiſſe, ſi probabilem Divi Cypriani ſententiam poſſem huic chartulæ intexere: quid enim jucundius, aut quam laborum majorem invenire poſſumus levationem, quàm reconditos & omnibus penè incognitos verborum ſenſus eruere, & in medium exponere.

Igitur meminiſſe vos oportet de homine mentionem eſſe in hac epiſtola qui perfidiæ & idololatriæ damnatus eſſet, quique gravi morbo affectus & fermè moriens ex Martyrum commendatione, pacem Eccleſiæ flagitaret: *Occurrendum puto fratribus noſtris, ut qui libellos à Martyribus acceperunt, ſi incommodo aliquo & infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectent præſentiam noſtram, quin apud Preſbyterum quemcumque præſentem, vel ſi preſbyter repertus non fuerit, & urgere exitus cœperit, apud Diaconum quoque Exomologeſim facere delicti ſui poſſint, ut manu ei in pœnitentiam, impoſita, veniant ad Dominum cum pace quam dari Martyres, litteris ad nos factis, deſideraverunt.* Quod cùm ita res ſe ſe habeat, quæſtionis eſt, quid ſit, *apud Diaconum Exomologeſim facere*, & ab eodem Diacono *manum in Pœnitentiam imponi.*

Pamelius cum cæteris interpretibus, Exomologeſim apud Diaconum facere, nihil aliud ſibi perſuadent eſſe, quàm aliquem à poenis ſatisfactoriis, aut ab excommunicatione liberari à Diacono. Sed ab his doctiſſimis viris libenter quærerem, qua ratione horum ſaluti, qui capitalis delicti rei moriebantur, conſulatur à Divo Cypriano. nam id obſcurum nec eſt, nec ullo modo diſſimulare poſſunt, hos de quibus in hac ipſa epiſtola deliberatur, in manifeſto idololatriæ crimine à morte deprehenſos & occupatos eſſe: ſi enim ejuſmodi manus impoſitione poenæ duntaxat ſatisfactoriæ, ut aiunt ipſi interpretes, remittuntur, quomodo eoſdem Deo purgatos facient de peccato idololatriæ impuriſque ſacrificiis?

At ſentio, dicent Diaconum ab excommunicatione liberare poſſe; hac in re quoque ab iis non diſſentio, ſed nihil tam apertum eſt, nihilque tam perſpicuum, quàm de lapſis illic ſermonem eſſe, qui non ſolùm eſſent à cæteris avulſi, ſed etiam qui idololatriæ ſcelere ſe ſe polluiſſent: quapropter eodem relabimur, ſemperque ſciſcitandum ſupereſt, quid cauſæ eſſet, cur potius in Eccleſiæ Patrumque quàm Dei gratiam revocarentur; id eſt cur potius ab excommunicatione, quàm à peccato ſolverentur? Adde Diaconum in Epiſcopi locum aut Preſbyteri ſubſtitutum videri; ait enim, *ſi Preſbyter repertus non fuerit, & urgere exitus cœperit, apud Diaconum quoque Exomologeſim*, ejuſdemque muneris partem Diacono aſſignari à Divo Cypriano, quam Epiſcopi & Preſbyteri obire & attingere potuerunt. Qua-

propter aut Epiſcopo & Presbytero nihil aliud mandari hac epiſtola, quàm ut oocentiſſimos homines, & jamjam morituros à re levi, id eſt ab excommunicatione præſentes abſolvant; quod planè eſt ridiculum & nulli, ut opinor, probandum, aut certè ſimilem & parem poteſtatem Diacono & Epiſcopo concedi: ac proinde Diaconum à peccato graviſſimo eximere poſſe. Alia inſuper in Pamelii ſententia ſupereſt difficultas, quòd non alio otatur ſermone & more loquendi D. Cyprianus, cùm de Abſolutione, ut ita dicam, ſacramentali agit, quàm hoc ipſo, quod in hac epiſtola habetur, *manus in pœnitentiam imponere.* Quare qua ratione perſuaderi poteſt eiſdem verbis hoc loco ſignificari abſolutionem ab excommunicatione, quæ alibi ſemper & ubique de ſacramentali accipienda eſſe, nemo negabit.

Si quis verò ad aliam explicationem confugiat, atque contendat de propria & ſacramentali abſolutione agere Divum Cyprianum, animadvertat quæſo id poteſtatis olim Diaconis nunquam conceſſum fuiſſe: quæ enim penes eos poſſet eſſe poteſtas delicta condonandi?

In hiſce difficultatibus quid eligendum, quidve dicendum non minimi eſt negotii: attamen ſic omni ratione tentandum puto, ſi minus ut explicatio noſtra primo intuitu ſatisfaciat, at certè ut antiquam illam diſciplinam, vel ad id quod apud antiquos erat in uſu, propiùs accedat. Hos ego de quibus contendimus abſolutos fuiſſe à quopiam Martyre, ot affirmem hæc ipſa Divi Cypriani verba impellunt: *Veniant ad Dominum cum pace quam dari Martyres litteris ad nos factis deſideraverunt*, & litteris ad hoc tantùm à Martyre commendari, ut ab Epiſcopo & Eccleſia intelligeretur veniam eos imperraſſe. aliàs enim oſtendimus morem in Africana Eccleſia tùm obtinuiſſe, lapſis ut ignoſcere veniamque indulgere poſſent Martyres: non ſolùm participes eos faciendo meritorum, quæ martyrio & tormentis conſecuti eſſent, ſed etiam quòd plerique omnes qoi in fodinis aut triremibus detinerentur, ſacerdotes eſſent, aut presbyteri. Quare quæ adverſus primam explicationem poterant afferri, quæque eam minus firmam & probabilem efficiebant, hac ratione tolluntur; cùm hi de quibus loquatur Divus Cyprianus, omni culpa & crimine vacarent, nullaque ob hanc cauſam Sacerdoſis opus haberent, manus impoſitione & abſolutione, ut à peccatis abſolverentur.

Sed eis manus à Diacono imponi jubetur, non ot ſocietati fidelium reddantur, aut jus communionis quod peccando amiſerant, recuperarent; ſed ut ritus & ceremoniæ, quas in carceribus non potuerant celebrare, perficerentur. non ſolùm enim antiquos ad delenda peccata manum impoſuiſſe reperies, ſed etiam ut pœnitentiæ ceremonias & ritus obſervarent.

Nam poſtquam ab Epiſcopo qoiſpiam expiatus eſſet, cæteri mox clericorum eidem manus imponebant, *ante manum ab Epiſcopo & Clero impoſitam,* ait author noſter: qua formula & ritu cæteris fidelibus adjungebatur, cenſebaturque corpori Eccleſiæ agglutinatus: idem Divus Cyprianus, *per manus impoſitionem Epiſcopi & Cleri jus fraternitatis pœnitentes accepiſſe.*

Veniamus nunc ad Exomologeſim quam pœnitentes apud Diaconum jubentur facere: nihil opus eſt repetere, quæ de Exomologeſi alibi diſſeruimus; ſatis enim intelligitur de ultima Divum Cyprianum hac epiſtola locutum eſſe, quæ cùm eſſet ultimus actus pœnitentiæ, quo ea ipſa pœnitentiâ clauderetur; quove veniam deprecarentur pœnitentes, rectè monet Divus A Cyprianus, ut præſente Diacono ea defungantur: quibus ſi opponas homini ab omni offenſa purgato, & à Martyribus expiato, quemadmodum eum eſſe fatemur, de quo queritur hac epiſtola, nihil opus fuiſſe pœnitentiam claudere, aut Exomologeſim facere: Tertullianum interpellabo, qui ait libro de oratione, fideles & ſanctos Exomologeſim facere cùm à Deo veniam debitorum poſtulant, *Exomologeſi debitorum in deprecatione*, plerumque enim ceremoniæ, etſi rem ipſam aſſecuti ſimus, repetuntur.

OBSERVATIO XXVIII.

B *Mortis metu Abſoluti ad Pœnitentiam revocabantur.*

CAnones 13. Nicæni, 36. Epaunenſis, 76. & 78. Carthag. 4. 12. Tolet. 15. tertius Aurelian. 1. Divus Gregorius Nyſſenus duobus in locis epiſtolæ ad Epiſcopum Mitylenarum, 8. Barcinonenſis & alii quamplures decernunt, uti pœnitens afflicta perditaque valetudine, accepta abſolutione, pœnitentiaque nondum peracta, ſi convaleſcat, interruptam pœnitentiam repetat & continuet. Id autem contra quam adverſarii noſtri obloquuntur, perpendendum eſt, qui nos criminantur, quòd antiquæ Eccleſiæ ritus pervertamus, quæ nullum unquam, uti volunt, ad communionem C adhibebat, neque cuiquam peccata remittebat, niſi peccator multò antè ſupremo Judici longiore & duriore pœnitentia ſatisfeciſſet: nos autem contra abſolutionem impartimur, & ſceleratos homines communione dignamur, antequam pœnitentiæ laborem ullum exceperint. in canonibus enim oſtendere licet pœnitentem, tametſi noxarum expiationem acceperit, Euchariſtiaque ſe paverit, non liberari curâ ac ſolicitudine pœnitentiæ peragendæ: neque peccatorum liberationem tribuere Eccleſiam pœnitentibus, priuſquam ſuorum ſcelerum poenitentiâ aliquâ poenas exolviſſent, eſſe quidpiam, quod Eccleſiaſticæ & veteri diſciplinæ adverſaretur: quandoquidem poſt Euchariſtiam datam, & quodlibet reconciliationis genus creditum & commiſ-
D ſum, ad eum gradum & locum poenitentiæ redibant olim poenitentes, in quo morbo confici & urgeri coepiſſent. Quòd ſi hoc tempore Eccleſia paulò clementior humaniórque quàm primis ſeculis ſæpius poſt peccatorum relaxationem conceſſam, ſatisfactionem proferat longiùs; tamen hoc ipſo facto, nihil à ſe ſuſcipi aut agitari quod antiquæ memoriæ Patres non decreviſſent, & ad poſteros tranſmiſiſſent.

Quantum conjicere aut judicare poſſum, tempore Divi Cypriani poenitens, qui morbo lethali correptus abſolutionem impetraverat, is, ſi expulſum erat mortis periculum, non tenebatur pœnitentiam perſequi: hoc autem paulò pòſt inve-
E ctum & decretum eſt. Nam ait, *Suffocari à nobis non poſſunt, aut opprimi, aut vi de manu noſtra, in exitum mortis urgeri, quoniam morientibus pax datur, neceſſe ſit mori eos qui accipiunt pacem.* Quæ quærimoniæ ad Divum Cyprianum delatæ non fuiſſent, neque ad illas reſponſum fuiſſet, ſi ubi convaluiſſent, ad poenitentiam retexendam cogi potuiſſent. Poſtea autem in Concilio Nicæno proviſum eſt, ut poenitentes non ad eum gradum in quo collocati ægrotare cœpiſſent, ſed ad quartum gradum redeundum ſibi putarent, hoc eſt, inter communicantes orationibus reponerentur. Ad extremum ſequentium Canonum variæ & diverſæ de hac re ſententiæ reperiuntur. nam qui-

dam ſeveriùs quodammodo ſtatuunt, ut ad eundem gradum, in quo periculoſè decubuiſſent, remigrarent, ut Canone 78. Carthaginenſis, 4. Epauo. 36. Divus Gregorius Nyſſenus, eadem epiſtola docet. Nonnulli Concilii Nicæni auctoritatem ſequuntur, & ejuſmodi pœnitentes, qui mortalitatis metu communionem receperant, quamvis ſecundum aut tertium non perfeciſſent gradum, inter ſubſiſtentes collocari jubent, ut Felix canone quarto Epiſtolæ ad fratres Africanos.

Hæc autem decreta fuiſſe arbitror, quòd dubitari poſſet, utrum percepta abſolutione, & ſancto Sacramento, inter pœnitentes relegari poſſent aut deberent. Nam ii pœnitentes qui in mortis diſcrimine communione donati fuerant, hoc ſui defendendi cauſâ proferre poterant: criminis acceptâ veniâ non cogi oportere, aut poſſe, ut pœnitentiam longiùs producerent, & eam repeterent, quòd eo nomine impoſita fuiſſet, ut tantùm ea digni haberentur. Deinde quòd ad fidelium communionem reducti non ampliùs, niſi novis ſceleribus flagitiiſque admiſſis ſecerni ab ea poſſent: aliter ſi fieret eos videri qui ſecus agerent divinæ providentiæ reſiſtere, quæ morbum immiſiſſe videbatur, ut pace citiùs fruerentur. Præterea poterant ea dicere quæ à D. Cypriano ad Antonianum ſcripta ſunt, *Cùm magis in hoc judicium divinæ pietatis & paternæ lenitatis appareat, quod qui pignus vitæ, in data pace percipiunt, hoc quoque ad vitam percepta pace teneantur.* Has autem ob cauſas & rationes non arbitror tempore D. Cypriani eos fuiſſe ad pœnitentiam peragendam remiſſos: tempore verò Concilii Nicæni non ad tertium gradum iterum relegatos, qui omnium atrociſſimus & duriſſimus erat; ſed tantùm ad quartum, in quo communione Eccleſiæ omni ex parte fruebantur, ſi Euchariſtiæ & oblationum communionem excipias.

Veriſimile autem eſt Eccleſiam poſt Concilium Nicænum ſtatuiſſe, ut qui in ſummo vitæ diſcrimine poſiti non ſolùm jus communionis, ſed etiam ipſam Euchariſtiam recepiſſent, ad eoſdem pœnitentiæ gradus reddita ſanitate compellerentur, in quo morbo tentati fuerant; quod illa ſuborta dubitatio eſſet, an jure ii ad pœnitentiam cogerentur qui ad Euchariſtiæ communionem redierant; atque ob id maximè quòd ea omnium rerum quæ in Eccleſiis eſſent, præcipua cenſeretur, quòd etiam ea accepta pœnitentiæ finem & ſcopum attigiſſe viderentur. Ut igitur omnis ea difficultas tolleretur, Eccleſia conſtituit, ut qui pœnitentes abſoluti fuiſſent, aut Euchariſtiam in extremo vitæ periculo recepiſſent, præſcriptis pœnitentiæ diebus non traſanctis, omnes pœnitentiæ dies percurrerent, & ad gradum illum in quo morbum contraxiſſent, reverterentur. Hujus decreti ratio hæc erat, ut peccatorũ ſatisfactio certis quibuſdam pœnis & pœnitentiæ laboribus perferendis reſponderet: propterea ab Eccleſiæ judicio quod de pœnitente tulerat, non temerè recedendum, quòd Deo fieret ſatis: & quantumvis abſoluti eſſent, non propterea obſtare, quominus ſatisfactionem cumulatè explerent. Ad hæc etiam dici poteſt Eccleſiam id ſtatuiſſe, quòd animadvertiſſet pleroſque morbum ſimulaſſe ut à laboribus & moleſtiis pœnitentiæ eximerentur. Canon igitur 78. Conc. Carthag. 4. ob has cauſas decrevit, ut vel ſumptâ Euchariſtiâ ad tertium ſuæ pœnitentiæ gradum remearent.

Sed quo horum Canonum quæſtionem magis intelligas, duo diſceptemus. Primùm, an pœnitentes ſi quarto in gradu, aut tertii gradus ſpatio temporis fermè decurſo adverſa valetudine afficerentur, eoque tempore Euchariſtiam recepiſſent, ad reſumendam poenitentiam interruptam rurſus adigerentur. Quod non facilè crediderim; cùm enim illa fermè eſſet exacta, beneficium ſeu gratia qua affecti fuerant, facilè reliquam poenitentiæ peragendæ partem compenſabat. Quòd ſi ſimplici tantùm reconciliatione, non autem Euchariſtiâ donati fuiſſent, tametſi in quarto gradu morbus eos intercepiſſet, affirmarim eos vi morbi depulſa ad poenitentiam recurriſſe, quia Epiſcopus non eis Euchariſtiam recuſaſſet, in eo præſertim valetudinis ſtatu, ni eos minùs idoneos & dignos judicaſſet, qui tanto beneficio afficerentur. Quapropter veriſimile eſt eos ad poenitentiam recuperata ſanitate rediiſſe; ut digni fierent quibus Euchariſtia crederetur. Alterum obſervandum, etſi ad tertium, aut quartum gradum poenitentiæ redirent, tamen opinor non abſolutione nova aut minima reconciliatione affectos, poſt ſpatia ſtatuti temporis peragrata, quòd non neceſſe eſſet eam denuò iterare, cùm illam & accepiſſent, & abſoluti viderentur: ſed tantùm majori reconciliatione, qua poteſtas eis fieret ſumendi Euchariſtiam.

OBSERVATIO XXIX.

Excommunicatos & pœnitentes orare inter Catechumenos.

In tertio gradu poenitentiæ expoſuimus quomodo intelligendi ſunt canones, qui de pœnitentibus tertii gradus hoc dicunt, *orent & maneant inter Catechumenos.* Sed quò ampliùs lectori ſatisfiat, illud in hac obſervatione fuſiùs explicandum eſt. Præterea & illud quoque explanandum quo ſenſu accipienda ſunt, quæ canones dicunt de excommunicatis aut poenitentibus perpetuæ poenitentiæ mancipatis, quemadmodum legimus in 6t. Canone Agathenſis Concilii, *Et inter Catechumenos uſque ad legitimam ſatisfactionem manere & orare præcipimus.* Concilio Ilerdenſi canone quarto, *uſque ad Miſſam Catechumeni tantùm admittantur in Eccleſia*, Felix can. 2. *orationi non modò fidelium, ſed nec Catechumenorum omnimodis intereſſe:* modus autem iſte & loquendi forma offundit quaſdam tenebras, quia primùm per antiquæ diſciplinæ vim & auſteritatem nefas erat peccatorem aut excommunicatum introire in templum ſeu Eccleſiam.

Secundò quæritur quamobrem conſtitutum ſit, ut excommunicati, ſive perpetuæ pœnitentiæ pœnitentes cum Catechumenis orent & ſupplicent: neque enim idcirco id permittebatur, quod excommunicati & hujuſmodi poenitentes cum Catechumenis eadem benedictione donarentur, quia eorum cauſa diverſa omnino erat, preceſque & orationes que Catechumenorum cauſâ ſuſcipiebantur, non ad ipſos excommunicatos pertinerent, aut benedictione aliqua donarentur: neque item quòd excommunicati in Eccleſia morarentur, aut Catechumenorum Miſſam audirent. Nam diſertis verbis in 4. canone Ilerdenſi dicitur, *uſque ad Miſſam Catechumenorum*: unde colligas excommunicatos exire debere, antequam Miſſa Catechumenorum fieret. Ad extremum res tota etiam difficilior fit ex verbo *orare & oratio*, quod plerumque pro Miſſa ſumitur, eaque de cauſa videretur excommunicatos poſſe Miſſam Catechumenorum audire.

Quò vero canonum illorum ſententia diſcuſſis, diſturbatiſque obſcuritatibus percipiatur, in memoriam ſunt aliqua revocanda, varia olim fuiſſe peccatorum hominum genera; aliquos ex-

communicatos, quibos non ipſa fuerat poenitentia permiſſa, ſed quibus tamen ejus efflagitandæ copia facultaſque fieret: alios ad mortem uſque poenitentiæ perferendæ adjudicatos: alios qui à vitiis abſtinere & temperare nollent, eamque ob rem Eccleſiâ excludebantur: alios denique qui poenitentiam non perpetuam, ſed aliquot annorum agerent. Omnibus igitur his poenitentibus, ſi ultimos excipias, (nam hi inprimo & ſecundo gradu poenitentiæ, uti dicemus, cum Catechumenis non potetant orare) Eccleſia concedebat quidem primis ſeculis Deum exorare: ſed prohibebat ne Eccleſiam ingrederentur orationis faciendæ gratiâ. Poſteà verò eò ſe ſubmiſit Eccleſia, ut illis adpromitterer liberum in ædes ſacras introitum ſupplicandi Dei causâ, pręcipuéque in illo quinto ſeculo, quòd experientia comperiſſet, audiendo Dei verbo non parum ad poenitentiam interiore quodam afflatu eos commoveri; eoque nomine inſtituit, quamvis anathemate icti, aut communione privari eſſent, eos poſſe in Eccleſia Deo ſupplicare; ſed quia æquum non erar, neque conſentaneum eos Miſſæ intereſſe fidelium, quòd nullum eſſet fidelibus cum peccatoribus commercium, aut communio, decrevit licere illis cum Catechumenis orare, & concionibus de divino verbo habitis intereſſe, quæ poſt Evangelii lectionem haberentur, (quod quidem Evangelium etiam poſt epiſtolas ante Miſſam Catechumenorum recitabatur, ob id præſertim, ut poenitentes audirent) hoc declaratur canone primo Valentiæ in Hiſpania; ſed modus hic eſto: neque enim exiſtimes oportet peccatores potuiſſe Catechumenorum Miſſam audire; nam & ideo canon Valentiæ editus teſtatur: *ut ſacroſancta Evangelia ante munerum oblationem, ante Miſſam Catechumenorum, in ordine lectionum poſt Apoſtolum legantur, quatenus ſalutaria præcepta Domini noſtri Ieſu Chriſti vel ſermone ſacerdotis, non ſolum fideles, ſed etiam Catechumeni, ac pœnitentes, & omnes qui ex adverſo ſunt, audire licitum habeant.* Et canon quartus Ilerdenſis, *uſque ad Miſſam Catechumenorum in Eccleſia admittantur.* Non igitur rei divinæ, ſeu Miſſæ Catechumenorum licitum erat eis intereſſe; ſed cùm per Canones id eis liceat cum Catechumenis *orare*, non aliud intelligas, quàm ingreſſum in Eccleſiam permitti, quo tempore Catechumeni, tertii gradus Catechumenatus introirent: ſic ut no nalio loco quàm eo qui ipſis Catechumenis pręſcriptus eſſet, viſerentur, aut non ulterius progrederentur; ſed in genua procumberent, ibique ad modum & rationem Catechumenorum, ſi illis videretur, privatis orationibus Deum exorarent.

Eccleſia item dum Evangelium legeretur, aut pii ſermones ab Epiſcopo haberentur, adeſſe eos poſſe, noo grave duxit, ut perſpici poteſt in illo canone primo Valentiæ, in qoo verbum illud *Pœnitentes*, ſumi debet non minùs pro excommunicatis aut poenitentibus uſque ad mortem, quàm pro pœnitentibus tertii & quarti gradus, quibus fas erat excipere ſermones ſeu conciones tempore miſſæ Catechumenorum pronuntiatas. Sed non ita certum eſt an ad poenitentes ſecundi gradus referri poſſit, quòd non planè adhuc conſter utrum ejuſmodi poenitẽtes io Eccleſiam ſe conferre potuerint, quòd & iis quidam privatim ſermones ad illos accommodati haberentur. Propterea credibile eſt eos miſſarum propriis concionibus, quæ lectionem Evangelii conſequebantur, intereſſe oon potuiſſe.

Sed ut unde delapſa revocetur oratio, dico *orare cum Catechumenis*, ſi ſpectes excommunicatos,

A necdum ad pœnitentiam admiſſos, ant pœnitentes perpetuæ poenitentiæ addictos, aliud nihil ſignificari, quod licuerit cum Catechumenis in Eccleſia pedem ponere, & in eodem loco conſiſtere in quo hęrerent, ibique provolvere ſeſe ad genua, & aliquas preces interponere. Ad hęc audire lectiones, epiſtolas, Evangelium, ſermones quos Epiſcopos poſt eorum pronuntiationem conferret. Sed rebus illis quamprimum confectis, egredi coactos fuiſſe, nec miſſam Catechumenorum audire poſſe, quæ proximè conciones divinas conſequeretur. Dico prętereа id beneficium ab Eccleſia conceſſum Judęis, Paganis, Hęreticis & Schiſmaticis ex Canone primo Valentiæ, & 34. Concilii Agathenſis: *Iudæi octo menſes inter Cate-*

B *chumenos Eccleſiæ limen introeant.* & in ſermonibus Patrum in Evangelia ot apud Divum Auguſtinum ſępiſſime reperias, *ut norunt fideles*, quibus verbis apertè inferas alios fuiſſe quàm fideles eorum ſermonum auditores: ſed in memoriam illud ipſum revocandum tantùm 4. 5. 6. ſeculo, & in ſequentibus id in ſermonibus Patrum animadverſum. Nam in primis ſeculis huic diſciplinæ locum nullum relictum legimus, quandoquidem ſolis conceſſum eſſet fidelibus quæ poſt Evangelia haberentur concionibus intereſſe.

OBSERVATIO XXX.

C

Quid ſit plena Pœnitentia.

A Nonnullis dubitari video quid ſit *plena pœnitentia*, cujus apud antiquos authores ac potiſſimùm apud Divum Cyprianum frequens eſt mentio; ſunt qui putent de peccatis eum planè poenituiſſe, & veniam meritum eſſe qui pœnitentiæ tempus ab Epiſcopo conſtitutum explevit: contrà verò poenitentiam plenam eum non egiſſe, qui violato tempore, & nondum peracto jus communionis & pacem Eccleſiæ obtinere nititur, quibus ejuſdem Cypriani verba epiſtolæ undecimæ primi libri adſtipulari videntur, *Agant pœnitentiam plenam, quia quæ hoc crimen admiſit, non mariti, ſed Chriſti adultera eſt, & ideo æſtimato juſto tempore poſtea Exomologeſi fa-*

D *cta ad Eccleſiam redeat*, quaſi plenam poenitentiam eam appeller, quæ toto tempore ducitur, quod ab Epiſcopo decretum eſt: his proximè accedit eorum ſententia qoæ libello de lapſis leguntur, *ne Dominum graviter offenſum longa & plena pœnitentia deprecetur:* nam longam & plenam juxta habere crederes, & eam plenam exiſtimare quæ longo tempore, & ab Eccleſia juſſo adſumitur. Hujuſce etiam explicationis veriſimilitudinem mihi auxere aliquando verba epiſtolæ octavæ libri tertii, *antequam pœnitentiam plenam egiſſet*, Ibidem, *ut ante legitimum & plenum tempus ſatisfactionis pax ei concederetur*, quæ plenam poenitentiam eam dicere videntur, quæ legitimo

E tempore, (id eſt ab Eccleſia pręſcripto,) perficitur.

Alii, ut in re dubia evenire ſolet, aliam referunt explicationem, neque putanr ſolo tempore plenam poenitentiam celebrari, niſi per gradus omnes, qoi olim poenitentibus adſignabantur, ad finem poenitentiæ & communionem peccatores deveniſſent. Olim enim certi gradus ponebantur, per quos neceſſe erat ad pacem Eccleſiæ ſenſim pervenire, ot ex canonibus Conciliorum, & pręcipuè Nicęni & Ancyrani probavimus. Enimvero fidelium animus tantopere à communione & ſocietate perditorum & peccatorum abhorrebat, ot eos non niſi certis ſpatiis priſtinum jus communionis, quantumvis animi ægritudinem,

jejuniis, lacrymis, & aliis indiciis teſtarentur, recuperare ſinerent: ex eorum igitur ſententia plenam poenitentiam is peregit, qui totum tempus & per ſingulos gradus decurrit. Ego verò neutram harum explicationum probare poſſum, plenamque eam eſſe reor, non quæ concesſo tempore, & per gradus pergit ad veniam, ſed quæ bona fide fit. nam qui animo verè dolenti Exomologeſeos actus amplectitur, & ut ait Divus Cyprianus, lacrymis, gemitibus, fletibus dolentis ac verè poenitentis animi ſigna prodiderit, is plenam poenitentiam cenſetur facere. Et quemadmodum, quæ leguntur in eodem authore de plena humilitate, & plena patientia ad tempus referri nequeunt; ut epiſt. 9. lib. 3. *Epiſcopo præpoſito ſuo plena humilitate ſatisfacere*, & epiſt. 2. lib. 4. *cum plena humilitate & ſatisfactione revocantee.* Item, tractatu de patientia, *ut conſummaretur in Chriſto plena & perfecta patientia*, ita planè, plena poenitentia non ea eſt quæ tempore definitur, ſed quæ indiciis, id eſt lacrymis, fletibus, & jejuniis, animi dolorem patefacit.

Porro hęc verba epiſtolæ ſecundæ libri primi omnem dubitandi locum eripiunt, *agerent diu pœnitentiam plenam, etſi periculum infirmitatis urgeret, pacem ſub ictu mortis acciperent*. nam quis unquam de re quæ certo tempore includitur & perficitur, congruè diceret, eam diu agendam eſſe, quaſi diutius ea ipſa fieri poſſit, aut durare, quàm pręſcriptum eſſet. Idem prorſus confirmatur hiſce verbis epiſt. 2. lib. 4. *Neque enim præjudicamus Domino judicaturo, quo minus ſi pœnitentiam plenam & juſtam peccatoris invenerit.* Nam agitur de peccatore, qui veniæ locum invenerat in Eccleſia, cuique pax reddita fuerat, & tempus poenitentiæ expleverat: quapropter ſatis indicat Deum alia ratione quàm tempore, plenitudinem poenitentiæ probaturum & examinaturum. Quæ ad aliam explicationem confirmandam afferuntur, tam levia ſunt, ut ea infirmare aut diluere neceſſe non ſit. nam quamvis plena poenitentia ea ſit quæ juſta ſatisfactione Deum placare ſtudet, ut ait idem D. Cyprianus, & de peccatore eas omnes pœnas ſumit, quas peccatores ſolerent perferre; tamen conveniens erat eam aliquo tempore durare, quamvis nullum ei certum eſſet conſtitutum.

OBSERVATIO XXXI.

Quatuor manus impoſitiones in decurſu Pœnitentiæ.

IN hac Obſervatione, nullum omnino fieri verbum volo de impoſitione manuum, quæ uſurpabatur in baptiſmo Catechumenorum, in confirmatione, in ordinibus, extrema-unctione, exorciſmis & aliis Eccleſiæ ceremoniis. Non malè poſitam aut locatam operam exiſtimavero, ſi exactè & fideliter eas omnes protulero quæ in poenitentia fiebant: quot genera olim in pœnitentes jam inde ab initio poenitentiæ ad reconciliationem uſque exercerentur, quis poenitentiæ finis & extremum. Nam cùm varia multipliciaque manuum impoſitionum genera reperiant, adeo ut perdifficile ſit & operoſum, quo de genere in canonibus agitur diſpicere, plerique tanquam peregrini & hoſpites in lectione veterum canonum vim eorum non intelligunt, cùm vel ipſe canon 78. Concilii 4. Carthag. pleriſque fixerit crucem, *Pœnitentes qui in infirmitate viaticum Euchariſtiæ acceperint, non ſe credant abſolutos ſine manus impoſitione ſi ſupervixerint.* Nam cùm

A ille de quo eſt ſermo Euchariſtiam recepiſſet, non illa manus impoſitio pro abſolutione & reconciliatione ſimplici aut majori accipienda eſt, quod ambæ ſanctiſſimum Sacramentum antevertererit, neque cuiquam Euchariſtia niſi reconciliato altario præberetur. Neque verò in eo canone de manus impoſitione agitur, qua poenitenti poenitentia concedebatur: cùm enim canon dicat fuiſſe poenitentes, admittendum eſt acceptam fuiſſe poenitentiam. Ex hoc lubrico ſcopuloſoque loco facilè judicabit lector, laborem illum quem in cognitione omnis generis manus impoſitionis poſui, non eſſe ſupervacaneum.

Cùm igitur non indiligenter ea undequaque eruerim, quatuor fuiſſe earum genera reperio, B poenitenteſque ſi ad extremos poenitentiæ dies ſeu terminum perveniſſent, omneſque gradus illius percurriſſent, quatuor manuum impoſitiones accepiſſe ob quadruplices actiones omnino diverſas & diſtinctas: volo autem & contendo poenitentiam integram eos peregiſſe. Nam ſi mors ante poenitentiam oppreſſiſſet, unam aut alteram obtinuiſſe tantùm, ut ſuo loco docebimus, non eſt dubitandum. Prima igitur manus impoſitio, quam poenitentes ſortiebantur, erat ea qua peragendæ poenitentiæ copia facultaſque daretur. Secunda, quam in tertio gradu poenitentiæ conſequebantur. Cùm enim ſolemne Miſſæ ſacrificium inſtaurabatur, certo in Eccleſiæ loco aderant, iiſque in C terram dejectis ante Evangelii recitationem ejuſque expoſitionem, ſi priora ſecula reſpicias, Epiſcopi manus imponebant, & ſuper eos certas precationum formulas pronuntiabant. Tertia verò erat ſimplex illa reconciliatio (de qua aliàs diſſeruimus,) quam à tertio gradu ad quartum diſcedentes impetrabant, qua corporis Chriſti myſtici communioni & ſocietati fidelium conjungebantur, omni adeo in re, ſi oblationes & Euchariſtiam excipias. Quarta & ultima erat abſoluta reconciliatio maxima & perfecta, qua (ut diximus aliàs) digni qui Euchariſtiam ſumerent, oblationem pręſentarent, earumque participes fierent, reddebantur; quod unum tantumque beneficium ſummi boni loco Chriſtiani numerabant. Seorſim & ſeparatim has omnes manuum impoſitiones ita D explicabimus, ut nemo ſanæ mentis dubitare poſſit, quin antiqua illa diſciplina eas inſtituerit, ut ſuſcipiendæ & explendæ poenitentiæ ratio quędam exacta magis & perfecta declararetur.

Primum igitur quod poenitens ſibi ab Epiſcopo dari poſtulabat, erat manuum impoſitio, qua poenitentiæ agendæ copia fieret. Canon. 12. Tolet. 11. *Pœnitentia per manus impoſitionem accepta.* D. Leo ad Narbonenſem Epiſcopum reſp. 2. *pro crimine aliquo ſuo per manus impoſitionem remedium accipiant pœnitendi.* Canones ſimiliter omnes, qui de poenitentiæ benedictione loquuntur, ad idem comprobandum pertinent: nam illa benedictionum genera non niſi manuum impoſitione peragebantur. Poenitentiæ igitur aE gendæ facultas impoſitione manuum permittebatur: primaque ea erat, quam ex inſtituto Eccleſiæ poenitentes recipiebant, ſi tamen poenitentiæ modos rationeſque pręſcriptas aut leges ſequerentur. Quòd ſi ante acceptam poenitentiam nonnulli peccatores in morbum incidiſſent, ipſaque mortis neceſſitate victi obnixè contenderent ſibi non modò dari poenitentiam, ſed etiam reconciliationem majorem & Euchariſtiæ ſumendæ copiam fieri, Epiſcopuſque id quod petierant non recuſaret, (ut canones ſtandum eſſe ejus judicio decernunt) tunc temporis prima illa manuum impoſitione non donabantur, tametſi quod eam conſequeretur obtinerent, ſed ultimam illam

& abſolutam reconciliationem altera manuum impoſitione impetrabant, quæ illis poenitentiam concedebat, & cum ea ſimplicem & majorem reconciliationem, ſive jus ad communionem fidelium, & ad altarium & ſacramenta conjunctim, idemque illa per ſe ſola conferebat, quod ambæ aut tres confeciſſent. Quin & accidere quandoque poterat, ut ſine illa prima manuum impoſitione in communionem fidelium aliqui admitterentur, hoc eſt non conceſſa attributaque poenitentiæ copia, quales ii de quibus canone ultimo Concilii Epaun. & 76. Carthag. 4. qui poenitentiam exigentes, necdum ea accepta animam efflaſſent, illi ipſi vi ſententiaque eorum canonum fidelium corpori & ſocietati poſt mortem quaſi conſociabantur, eiſque jus communionis oblationum admiſſione reddebatur, qui tamen manus impoſitionem poenitentiæ non receperant. Nam alter canonum illorum ſic habet: *Si aliquis fuerit mortuus, excommunicatus & jam confeſſus*, Alter verò, *ſi qui in infirmitate pœnitentiam petit, ſi caſu dum ad eum ſacerdos invitatus venit oppreſſus infirmitate obmutuerit.*

Quod ad ſecundam manuum impoſitionem attinet, verboſè ſatis & copioſè de ea in tertio gradu poenitentiæ diſputavimus, quò lectorem ſi aviditate quadam plura cognoſcendi rapiatur, remittimus; hoc tantùm, ex illis quæ illic probare conati ſumus depromemus: Poenitentes ſeſe in terram proſtraviſſe, & quandiu in tertio gradu conſiſterent, ab Epiſcopo ſecundas illas manuum impoſitiones accepiſſe, totieſque eis colla ſuppoſuiſſe, quoties ſacrum miſſæ ſacrificium celebrabatur. De hac impoſitione manuum explicari debet 78. canon Concil. Carthag. 4. quem initio hujus obſervationis retulimus. Nam cùm neque de duplici reconciliatione & abſolutione, neque de benedictione pœnitentiæ intelligi omnino poſſit, ob eas rationes quas protulimus, videlicet cum de quo in illo canone actum eſt, tres manuum impoſitiones accepiſſe; quandoquidem Euchariſtiam ſumpſiſſet, quæ nunquam poenitenti niſi perceptâ antè poenitentiâ, & duplici reconciliatione porrigebatur; planè & neceſſariò de iſta ſecunda manuum impoſitione, quæ eorum nomine fieret qui poenitentes in tertio gradu conſiderent explicanda res eſt, ea enim ſola repetebatur.

Tertia manuum impoſitio, quam poenitentes ſuæ poenitentiæ tempore ſuſtinebant, illa ſimplex eſt reconciliatio, de qua toties aliàs, & quam a tertio grado ad quartum digredientes ſubibant, & cujus propriè munere ſeo gratia peccatorum expiationem, & rerum tum divinarum, tum humanarum communionem, & cum Eccleſia conſociationem, exceptis oblationibus & ſacramento, ſortiebantur. Hęc ſimplex reconciliatio impoſitione manuum, quemadmodum reconciliatio major, & poenitentia conferebatur, ut alibi declaravimus. Quamvis autem poenitentes eam aliquando non acciperent, cùm morte raperentur antequam poenitentiam ſuam ex ordine & per gradus explere poſſent, eam tamen à tertio ordine non ſecrevimus, eò quod ex poenitentiæ curſu quodam communi & uſitato tertium locum ſibi arrogaret.

Denique Poenitentes exactâ poenitentiâ, ejuſque quatuor quaſi decurſis gradibus ad perfectam Eccleſię communionem, ultima impoſitione manuum reconciliati, quam ex ſententia canonum, *abſolutiſſimam reconciliationem & majorem* vocamus, revocabantur, taliqne poſtea in loco habebantur, quo poſt baptiſmum connomerati fuiſſent: hęc eſt illa quarta manuum impoſitio, quam poenitentes, quibus per tempus poenitentiam ſuam tranſigere licuiſſet, ut perfectiſſimam aſſequebantur, & quæ eos in partem & ſocietatem eorum quæ Eccleſia maximi faceret, vocabat. Tanta quippe vis copia quo

canonum & locorum apud Patres reperitur, qui probāt majorem reconciliationem impoſitione manuum conceſſam, ut ſupervacaneum ſit in medium eos proferre. Tertullianus locum illum ſcripturæ, *nemini citò manum impoſueris*, de hac impoſitione interpretatur. D. Cyprianus in omnibus Epiſtolis ad lapſos & in Concilio Carthaginenſi contendit reconciliationem impoſitione manuum tranſigi; canon 76. Concilii 4. Carthag. *Reconcilietur per manus impoſitionem, & infundatur ori ejus Euchariſtia*, & tertio Arauſ. *ſine reconciliatoria manus impoſitione.*

Cæterùm etſi conſtet poenitentes quatuor iſtas manuum impoſitiones accepiſſe, id ita accipiendum eſt; ſi nihil eos quo minus poenitentiam explerent, quatuorque illos gradus percurrerent, remoraretur. Sed ſi toto illo poenitentiæ intervallo nondum expleto, morbo periculoſo conflictarentur, neque ſpes recuperandæ valetudinis reliqua eſſet, totus ille ordo pervertebatur. nam Eccleſia quæ indulgentiſſima mater eſt, quantumvis longum prolixumque tempus poenitentiæ ſeu ſatisfactionis protogaſſet, ſi quid ejuſmodi contigiſſet, contrahebat, & abſolutionem non negabat, ut ſi peccator in morbum incidiſſet mortiferum, nec adhuc pœnitentiæ locum obtinuiſſet, & tali tempore poenitentiam & communionem majorem expetiiſſet, fieri poterat ut Epiſcopus utrumque illi concederet, ſed unica & ſimplici manuum impoſitione, qua & poenitentia, & reconciliatio major ei daretur: aut ſi Epiſcopus indignum Euchariſtia & majori reconciliatione eum judicaret, unica manuum impoſitione illi & poenitentiam & ſimplicem reconciliationem largiebatur, ut in can. 76. Concil. 4. Carthag. & in tertio Arauſicani primi.

Examinandi autem & perpendendi ſunt gradus poenitentiæ, in quibus poenitentes ægrotabant; ot quot manuum impoſitiones accipere poſſent diſpiciamus. Nam ſi in quarto gradu poenitens morbo laboraret, quatuor manuum impoſitiones ſubibat, non ſecus ac ſi poenitentiam tranſegiſſet: tribus enim jam receptis, ultima & major, ubi quartum gradum attigiſſet, etſi in eo moreretur, non ſuſcipiebatur; ita ſi poenitens in tertio gradu, infirma aliqua valetudine detinebatur, quia primam & ſecundam jam receperat, tertiam ſine tergiverſatione obtinebat, quæ minor erat reconciliatio, & quæ viaticum ad ſalutem ſatis opportunum vocabatur, poſtremæ autem impetratio ab Epiſcopo tantùm ſperabatur. Denique ſi poenitentes in primo aut ſecundo gradu poenitentiæ morbo premerentur, certumque in diſcrimen vocarentur, ſecundam nunquam aſſeqoebantur, quæ non niſi in tertio gradu poenitentiæ concedebatur; ſed ſine cunctatione aut dilatione primam & tertiam recipiebant: quartam autem rarò tuſi privilegio quodā & beneficio ſingulari Epiſcopi, penes quem erat judicare, an qui ſacro pane reficerentur digni eſſent.

Quod autem Eccleſia in Hiſpaniis faciendum preſcripſit 12. can. 4. Concil. Tolet. & in Aſrica 12. can. Concilii Milevit. non alias manuum impoſitiones proferendas, quàm quæ à Conciliis inſtitutæ & compoſitæ eſſent; non ita accipiendum eſt quaſi multa manuum impoſitionum genera in Eccleſiam invehere liceret, & cuilibet ad arbitrium & libidinem nova immutare aut effingere.

Sed in illis canonibus eſt mentio de orationibus & verbis, quibus in impoſitione manuum uterentur, & cùm manus ſuper poenitentes imponerent: Quæ orationes cùm ab omnibus varia ſententia, & vario ſenſu, diverſiſqoe verbis conciperentur; ſapienter proviſum eſt ab his Conciliis, ut omnibus in Diœceſibus, non aliis precationum formulis in manuum impoſitione clerici uterentur, quàm quibus Concilia cenſuiſſent;

OBSERVATIO .XXXII.

Prima & minima reconciliatio.

Reconciliatio in veteri Eccleſia, aliud nihil eſſe videtur, quàm quæ hoc tempore appellatur abſolutio peccatorum: inter quas ſi aliquod diſcrimen eſſe potuit, inde petendum eſt quòd faciliùs hodie hæc conceditur, quàm illa antiquitus ſperabatur. Nam propter omnia genera peccatorum, quæ mortifera nominabantur, privari neceſſe erat communione fidelium, & à corpore, atque adeo Eccleſiæ communitate ſeparari, ad quam non niſi maximo labore & moleſtia animi redire fas erat. Hujus autem reconciliationis duo fuiſſe genera putandum eſt. nam quamvis tantum in pœnitentia momenti præſidiique fuiſſet, ut ejus vi peccatorum remiſſio concederetur; non ideo tamen jus integræ communionis ſimul & ſemel reddebatur ei, qui reconciliatus fuiſſet, ſed pars tantùm ejus juris: propterea judico duas fuiſſe reconciliationis ſpecies, primam & ultimam, quas ego diſtingui hic appellationibus volo, quò faciliùs & enucleatiùs res tota examinetur. Nec arbitror quemquam harum vocum novitate, aut uſurpatione commoveri poſſe, ubi rei totius veritas in lucem eruperit.

Ut autem duplicis reconciliationis ratio comprobetur, initium faciam à conſequentia quadam, quæ ex duplici genere communionis duci poteſt. Atque hujus communionis quanquam Eccleſia multiplices olim ſpecies & gradus agnoverit & admiſerit, in hac tamen Obſervatione, nonniſi duarum præſertim quæ frequentes ſunt & vulgares meminerimus: communionis quidem Sacramentis & altario, quæ ultima perfectiſſima & legitima communio cenſebatur; & communionis ſimplicis, quæ in eo verſabatur, ut qui eam aſſecutus eſſet, ſi modò oblationes & ſanctum Sacramentum adimas, cùm in rebus divinis tum humanis in ſocietatem corporis fidelium veniebat. Duplex autem iſtud communionis genus, tractatu de Communione ſine Oblatione clariſſimè explicatum eſt: eam ob rem nihil aliud nobis hîc dicendum eſt, quam quòd omnes canones, qui quatuor pœnitentiæ gradus explanant, manifeſtè demonſtrant eos qui in quarto gradu recenſebantur, corpori quidem Eccleſiæ adhæſiſſe, & omnibus in rebus quibus reliqui fideles utebantur, communione quadam conjungi: ſanctiſſimi Sacramenti & oblationum jus tamen non habuiſſe. Unde colligi poteſt duo fuiſſe genera communionis, unam minimam, alteram majorem: minimam autem eſſe, quæ omnium rerum ſocietatem & communionem concederet; ſi Euchariſtiæ & oblationum uſum poteſtatemque removeas: contrà majorem quæ omnium rerum atque adeo ipſius Euchariſtiæ uſuram admitteret. Ex hac autem duplici communione, niſi me fallit animus, neceſſariò probare poſſis, duas fuiſſe reconciliationes: unam, quâ pœnitentes abſolverentur, & jus primæ communionis recuperarent ablatum; quæ minima reconciliatio vocabatur: Alteram, qua iidem pœnitentes reconciliabantur altario, & adipiſcebantur jus communionis integrum, & ad omnia Sacramenta. Conſtituta namque duplici communione, quamobrem pœnitens primæ illius compos & particeps effici poterat? quo ritu, quave ceremonia? aut quomodo? planè affirmandum eſt id fuiſſe factum aliqua reconciliatione, quæ proportione quadam illi communioni reſponderet, quæ à nobis vocatur prima reconciliatio & minima. Nam exſtimare & contendere hanc primam communionem promeritum eſſe aut obtinuiſſe, non Eccleſiæ interpoſita authoritate aut potentia, qua id tribueret, nefas omnino id ſentire, quòd prima illa communione percepta, duo quoque conſequi ducebatur, peccatorum abſolutionem & jus communionis, quæ duo adipiſci nemo poteſt, niſi Eccleſiæ acceſſerit authoritas, & facultate utatur, quam illa poſſidet ligandi & ſolvendi: ſed neque illud aſſeri poteſt, duo illa conſecutum eſſe per majorem abſolutionem & reconciliationem; quia iidem canones omnes præcisè confirmant reconciliatione majore dari jus ad Euchariſtiam & ad oblationes, quo ii quibus tantùm prima communione frui liceret, carebant.

Idem autem colligi poteſt cùm è tertio gradu ad quartum tranſirent poenitentes. Nam conſtat tertio in gradu poenitentiæ, poenitentes neque delictorum condonationem ſeu abſolutionem, neque jus communionis ſortitos, eoſque penitus à corpore fidelium ſeparatos. Is enim tertius erat gradus, qui omnia genera auſteritatum amplecteretur, eaque de cauſa poenitentia vocatur, per quandam κατ' ἐξοχὴν, tametſi alii tres gradus poenitentiæ ita dicantur: idque ſi aliqua eſſet dubitatio probari poſſet, quòd primis ſeculis extra Eccleſiam decederent, neque in communionem precum aut Evangelii vocarentur. Rurſus & illud firmiſſimum eſt in quarto gradu omni genere communionis licuiſſe perfrui, & reliquorum fidelium ſocietate, ſeu mavis rerum omnium communione cum iis uti, ſi oblationes & ſanctiſſimum Sacramentum excipias. Evangelii namque explicationi, precibus & ſacrificio intererant, nec niſi cum fidelibus ex Eccleſia egrediebantur; quod ad res civiles attinet, unà cum fidelibus communionis illius conſortes erãt. Quo conſtituto quæritur quomodo illi pœnitentes cùm ad quartum gradum proveherentur, jus communionis acquirerent; dici non poteſt eos, eo jure potitos, ex eo quòd tertii gradus poenitentiæ tempus cùm percurriſſent, ad quartum gradum facerent. Nam ut antè diximus cùm in quarto gradu admitterentur ad Eccleſiæ communionem, omnino neceſſe erat, ut à tertio ad quartum properantes, peccatorum abſolutionem acciperent; cùm qui ſe peccato aliquo obſtrinxiſſent, ne minima quidem ex parte cum corpore fidelium connectebantur. Nemo autem aſſeverat, ſuarum culparum adeptos abſolutionem ob id tantùm, quod unius poenitentiæ gradus tempus aſſignatum confeciſſent: Eccleſia ſanè quo id fiat interponere debuit actione quadam ſua authoritatem quandam. Propterea omnino mihi perſuaſum eſt à tertio gradu ad quartum decedentes unam abſolutionem & unam reconciliationem impetraſſe, quam nos minimam vocamus, quòd amplior & multò major quædam ſupereſſet, quæ dabat jus integrum communionis. Quòd ſi cui hæc ratio à me allata non probetur, volo mihi oſtendat, quomodo tandem jus communionis obtineretur ab uno ad alium gradum tranſiliendo, & quorſum in quarto cõmunicantes erant, in tertio autem non dicerẽtur.

Idem quò probetur ex duplici genere viatici depromi poteſt, alibi quidem oſtendi viaticum neceſſarium planè ad ſalutem non poſſe dici Euchariſtiam, quòd Patres expreſsè & perſpicuè imperent, ut à quolibet presbytero ſine delectu aut inquiſitione poenitenti viaticum neceſſarium concedatur. Euchariſtiæ verò viaticum communi ac conſpirante conſenſu aſſerant, non niſi de permiſſu atque conceſſu Epiſcopi tribuendum eſſe, ab eodemque dijudicari oportere, utrum poenitens qui in extremo vitæ periculo id petat, digniſſimus ſit cui concedatur. Percunctor igitur quale tandem eſſet viaticũ, quod neque Euchariſtia eſſet, & quod pœnitenti ad interitum ruenti ad ſalutem neceſſarium tribueretur: non id dici poteſt fuiſſe majorem illam reconciliationẽ. Nam altera quæ proximè ſequitur Obſervatione

demonſtrabitur, qui hanc maximam & ultimam reconciliationem recepiſſet, ei quoque ad Euchariſtiam viam patefactam, neque obſtrui eam potuiſſe: quamobrem neceſſariò confitendum eſt viaticum illud, quod neque Euchariſtia eſſet, & quod Patres obfirmatè & præcisè ſine ulla tergiverſatione decernunt eſſe omnibus pœnitentibus, vel qui pœnitentiæ finem nondum attigerint, in extremo vitæ periculo impertiendum: aliud nihil eſſe quàm primam illam reconciliationem, qua pœnitentes uno eodemque tempore, duo recipiebant, noxarum condonationem, & ſimplex jus communionis & minimum.

Quomodo ergo conciliari canones poterunt, qui prohibent ne Preſbyteri inconſulto Epiſcopo, pœnitentes in articulo mortis reconcilient, quantumvis in apertum vitæ periculum adducantur, quique certam quandam reconciliationem Epiſcopo reſervant, eandemque reliquis omnibus adimunt, ut probant canon quartus ſecundi Carthaginenſis, 7. canonum Græcorum Conciliorum Carthaginenſium, 13. canon Nicæni, & 83. Bracarenſis, 2. ex quibus illud ipſum quod dicimus elici poteſt. Quomodo inquam hi omnes conciliari poſſunt cum aliis canonibus, qui Preſbytero concedunt, ut in morte pœnitentem reconcilient, quamvis pœnitentiæ tempus non omnino decurrerit, ut 51. Concil. Carthaginenſis, cæterique omnes, qui præcipiunt dari viaticum ad ſalutem neceſſarium, ſine facultate & venia Epiſcopi, cùm ejuſmodi graves occaſiones ſeſe objecerint. Contendo ergo canones illos conciliari non poſſe, quin olim duo genera reconciliationum inſtituta fuiſſe concedamus, canoneſque illos qui Epiſcopo unam reconciliationem reſervant, de ſecunda & majori reconciliatione interpretandos eſſe & intelligendos, quæ ad Epiſcopum ſolum pertineret: cæteros autem de prima & minori reconciliatione, quæ cùm ad ſalutem neceſſaria diceretur, licebat omnibus Preſbyteris tali præſertim tempore eam conferre; ne ſi hæc ut major Epiſcopo ſoli reſervaretur, interea aliquis ſine abſolutione peccatorum, & communione fidelium decederet.

Quæritur quis primam illam reconciliationem impertiret, & quomodo illa daretur? Quod ad primum attinet; certum eſt ſolum fuiſſe Epiſcopum, qui jure ſuo poſſet, vel propter ordinis ſacri authoritatem ligare & ſolvere peccata, ſaltem id perſpicitur in antiquæ Eccleſiæ inſtitutis & diſciplina; & presbyteri æquè privabantur poteſtate dandi minorem reconciliationem atque majorem: propterea quòd jus iſtud ad ſolos Epiſcopos tranſlatum erat, ut jus excommunicandi ſolis Epiſcopis erat relictum; ſed quoniam Chriſtiana religio in dies latiùs ſuos proferebat terminos, variaſque terrarum regiones pervagabatur, ea fuit cauſa præcipua cur neceſſitas coëgerit, ut id poteſtatis & authoritatis etiam ad presbyteros derivaretur: quod Epiſcopis ubivis gentium & locorum eſſe cùm non liceret, non erat committendum, ut pœnitentes ſine communione Eccleſiæ vivere deſinerent. Ea fuit ratio cur, cùm ſumma neceſſitas tantùm poſtularet & exigeret, preſbyteri id authoritatis ſibi arrogare per Epiſcoporum voluntatem poſſent; quòd tunc temporis non ita paſſim excitatæ eſſent, aut viſerentur parochiæ quemadmodum hoc tempore longè lateque propagatæ cernuntur: tum curionibus aut paſtoribus parochiarum poſtea data facultas illa eſt plena & integra, quo ſuo munere officioque fungerentur, & id etiam quamvis neceſſitas extrema abeſſet, obirent. Qui autem veteris illius diſciplinæ vim rationemque cognitam & perſpectam habebit, non ægrè admittet primis illis ſeculis ad ſolos Epiſcopos illam poteſtatem fuiſſe tranſmiſſam. Nam tum niſi neceſſitas vim afferret, ex pœnitentibus nemo vel minorem reconciliationem obtinebat, præterquam cùm à tertio gradu ad quartum tranſiret, idque fiebat publico conventu in Eccleſia, in Miſſæ ſacrificio, cùm omnes fideles intereſſent. Publicæ autem procurationes aut adminiſtrationes officiorum omnium, quæcunque tandem eſſe poſſent, ab Epiſcopo ſuſcipi & obiri ſolebant, ut Evangelii explicatio, & alia minoris momenti munera, ordine, qui in Eccleſia inſtitutus erat, id poſtulante, ut presbyteri naſcentis Eccleſiæ primordiis nullis publicis muneribus exercendis deſtinarentur, cùm aliquis adeſſet Epiſcopus, poſtea permittente Epiſcopo, aliqua in ſe munera ſuſceperunt: propterea ſimplex iſta reconciliatio cùm publicè & palam daretur, & cùm à tertio ad quartum gradum abire liceret, eam tantùm Epiſcopus largiebatur. Nam aſſeverare pœnitenti dari potuiſſe multò antequam ad quartum gradum perveniret, vel etiam antequam tertium attigiſſet, multò minus id probari poſſe contendo. Non me præterit laxamenti aliquid aut gratiæ ſeu beneficii pœnitentibus concedi potuiſſe? atque adeo pœnitentiæ tempus in eorum gratiam contrahi; & fortaſſis, tametſi quatuor gradus de conſenſo Eccleſiæ tenerentur omnino perſequi & percurrere, duos aut tres tamen eos aliquando non obiiſſe, aut verò etiam pœnitentiæ tempus definitum non abſolviſſe. Dico etiam ab Epiſcopo, ſolum id beneficium expectari potuiſſe, non à preſbyteris, ut fidem planè faciunt omnes canones. Iſtam igitur reconciliationem, aut Epiſcopus conferebat, aut de conſilio Epiſcopi preſbyter: neque preſbyteri eam niſi in extrema neceſſitate communicare poterant, qua ingruente ſinguli preſbyteri non expectata Epiſcopi voluntate, aut imperio largiebantur; ne ſi ſecus fieret, dum Epiſcopi judicium conſenſuſque expectarentur, interea pœnitens non percepta fidei communione moreretur; quo periculo ſublato, aut non poſito, nonniſi Epiſcopi judicio ſententiaque ſtandum erat, ut probant canones 32 Eliberini, & 53. ejuſdem Concilii, 19. Arelatenſis primi, octavus ſecundi, ſextus Antiocheni, 3. & 4. ſecundi Carthaginenſis, 44. Agathenſis, 8. Vormenſis, 7. Epaunenſis. Non in hac Obſervatione de illo genere reconciliationis diſputo, quæ ob leviores noxas tribueretur, quam uti judico, ſinguli preſbyteri, ſine Epiſcopi conſenſu aut approbatione conferebant, qua de re canone 14. Eliberini agitur, & apud Tertullianum libro de pudicitia, cùm culpæ quædam venia dignæ erant, quæ non excommunicatione majore plecterentur; ſed brevi temporis intervallo, certis in rebus à communione fidelium ſecerni ſe patiebantur, quam recuperabant ſine ulla pœnitentiæ pœna, preſbyteri benedictione donati.

Prima iſta reconciliatio manuum impoſitione obtinebatur, ut & major: quemadmodum non pauci canones confirmant, qui ita loquuntur: *reconcilietur, per manus impoſitionem*, quorum plurimi canones magna ex parte cùm de reconciliatione majore tractent, tamen ii qui tantùm hæc verba continent *reconcilietur*, omiſſa iſta voce, *altario*, aut, *ſacramentis*, aut, *ſacra communioni*, intelligi de minima reconciliatione debent. Patres locum illum interpretantur, *nemini citò manum impoſueris, ne participes alienis delictis*, de abſolutione peccatorum, ut Tertullianus & S. Cyprianus: unde non abnuunt hanc primam reconciliationem fieri ſolere manuum impoſitione, quandoquidem peccata remitteret. In omnibus locis ubi D. Cyprianus de abſolutione peccatorum diſſerit, eandem ſemper dicendi rationem formamque uſurpat, *ante manus impoſitionem*, quorum quidem maxima pars cùm ad

reconciliationem majorem referri debeat, tamen nonnulli ad minorem revocantur, ut ille locus Epiſtolæ quintæ libri tertii, *& manu ei in pœnitentiam impoſita, cùm pace ſibi à Martyribus promiſſa ad Dominum remitterentur.* Nam cùm ægrè temporibus illis, lapſis abſolutio concederetur, vel in ipſo extremo vitæ diſcrimine; exiſtimandum eſt minimam illam fuiſſe, quæ illis permitteretur. Propterea locus ille de prima, non autem de majore exponendus eſt. Ad extremum cùm meridiana luce clarius ſit, impoſitione manus poenitentiam tribui; veroſimilius eſt, etiamſi nulla alia argumenta ſuppeterent, hanc primam reconciliationem eodem pacto fuiſſe condonatam.

OBSERVATIO XXXIII.

Vltima & maior reconciliatio.

VLtima & major reconciliatio ea eſt quam canon 7. Concilii Ancyrani perfectionem communionis vocat, *perfectionem recipiant communionis.* 9. *perfectione perfruantur.* 16. *plenam communionem.* 20. *perfectioni reddantur.* 78. Eliberini, *dominica ſociari communioni.* Nam quamvis de perfecta Communione quæ Euchariſtia dicitur loquantur; demonſtrant etiam reconciliationem illam qua jus communionis obtinebatur ad illam perfectam communionem obtinendam, fuiſſe quoque perfectam & maximam reconciliationem, ut vocat canon 2. Concilii Vaſenſis *reconciliationem abſolutiſſimam*, canon 5. 4. Carthaginenſis, 29. Epaunenſis, 23. Turonenſis ſecundi, 23. Bracarenſis ſecundi, 60. Agathenſis, 2. Toletani primi, vocant reconciliationem iſtam majorem *reconciliationem altario, ſancto & divino, & ſacramentis.* Ratio iſtarum appellationum hęc eſt, quòd hujus reconciliationis vis & poteſtas hęc erat, ut qui eam aſſeqoeretur poenitens, in communionem oblationum & ſancti Sacramenti veniret. Quò autem exacta hujus reconciliationis cognitio habeatur, paulò altiùs repetenda quæ ſuperiori capite attulimus, reconciliationis tot fuiſſe quot communionis genera: pręcipuam autem & perfectiorem eam eſſe, quæ ſuo complexu cęteras omnes contineret, Euchariſtiæ communionem ſcilicet; qoare reconciliationem quæ haoc communionem poenitenti tribueret, fuiſſe perfectiſſimam. Argumenta aotem quæ ſuperiori capite ad confirmandam ſimplicem reconciliationem protulimus, ad majórem item probandam plurimùm valent, quibus adjungimus canonem 3. Concilii Araoſiaci primi: *qui recedunt de corpore pœnitentia accepta, placuit ſine reconciliatoria manus impoſitione eos communicare, quod morientis ſufficit conſolationi ſecundùm definitiones patrum, qui hujuſmodi communionem congruenter viaticum nominaverunt: quòd ſi ſupervixerint ſtent in ordine pœnitentium, ut oſtenſis neceſſariis pœnitentia fructibus legitimam communionem cum reconciliatoria manus impoſitione recipiant.* In quo videre eſt poenitentem immmente fato communionem unam poſſe accipere, quæ ſine manuum impoſitione reconciliatoria ad ſalutem ſufficeret: hoc eſt, non accepta majore hac reconciliatione. Ex eodem item canone intelligere licet, iſtam dari majorem reconciliationem, eo nomine tantùm, ut poenitens Euchariſtia dignus redderetor: ideoque cùm pœnitenti, qui extremum ſpiritum efflaturus erat, Euchariſtia negabatur, eidem qooque ultima reconciliatio non dari ſolebat. Nam poſtquam canon aſſerint, ſine manus impoſitione reconciliatoria dari poſſe communionem, quæ ſatis valeat ad ſalutem; addidit, ſi poenitens convaluerit, poenitentiam omiſſam repetat: poſteaque legitimam communionem recipiat, hoc eſt, Euchariſtiam cum manuum impoſitione reconciliatoria. Canon Euchariſtiam cum iſta reconciliatione conjungit, qoòd id ejuſmodi eſſet, quòd Eccleſia poenitentibus largiretur, ut ad Euchariſtiam cum quadam dignitate accederent: 76. canon Concilii quarti Carthaginenſis eodem planè ſenſu intelligendus eſt, quòd utrumque copulet, quaſi cauſam cum effecto ſuo, *Reconcilietur per manus impoſitionem, & infundatur ori ejus Euchariſtia.* Eodem modo canone 2. primi Vaſenſis, *abſque Sacramentorum viatico intercipiantur, quibus nec abſolutiſſimam reconciliationem Sacerdos denegandam putaſſet.* Quibus canonibus, niſi fallor, perſpicimus manifeſtò reconciliationem majorem id habere virium, ut poenitentes idoneos paratoſque redderet, ad ſacrum Euchariſtiæ pabulum recipiendum, iſtaque manus impoſitione ab Eccleſia jus commonionis reſtitui, & in partem vocari veri corporis Chriſti Domini, quemadmodom minima reconciliatione jus communicandi, & participandi corporis fidelium tribueretur.

In illa conqueſtione, ſeu querimonia ſancti Cypriani contra eos, qui lapſos ad communionem Eccleſiæ ob martyrum commendationem evocabant, ſemper illud addit, neminem poſſe ad Euchariſtiæ communionem ſine iſta reconciliatione & manus impoſitione vocari: epiſtola 14. libri 3. *per manus impoſitionem Epiſcopi: & cleri jus communionis accipiant:* & infrà, *nondum manu eis ab Epiſcopo & clero impoſita Euchariſtia iis datur, cùm ſcriptum ſit, qui ederit panem, aut biberit Calicem Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini.* Epiſt. 15. ejuſdem libri, epiſt. 16. 18. idem expreſsè confirmat, quibus verbis agnoſcere licet, jus communicandi cum corpore Chriſti Domini, non poſſe ab eo obtineri, qui ejus jacturam feciſſet, niſi iſta poſtrema manus impoſitione. Nam ait *jus communicationis:* quid quòd & affirmat eum qui corpus Chriſti Domini recipit, neglecta manuum impoſitione, & iſta reconciliatione videri diciqoe reum corporis & ſanguinis Domini. Unde libet cuique conjecturam facere iſtam reconciliationem fuiſſe neceſſariam ad corpus Chriſti ſumendum, & ad perfectam communionem cum quadam dignitate obtinendam, cùm dicat eos, qui hac reconciliatione prętermiſſa Euchariſtiam recepiſſent, indignos & reos fuiſſe judicatos.

Canone autem 13. Concilii Nicęni, 4. Concilii ſecundi Carthaginenſis, 82. ſecundi Bracarenſis, 7. in illa farragine & collectione Conciliorum Carthaginenſium patet, qui peccatorum abſolutionem recepiſſet, non licuiſſe ei ad Euchariſtiam ſeſe comparare; quo poſito, quæritur quamobrem ei illam ſumere fas non eſſet; cujus rei alia proferri ratio non poteſt, quàm quòd Epiſcopus ultimam illam reconciliationem non ei cooceſſiſſet, quæ jus ad Euchariſtiam daret.

Pręterea notum & illud, qui in quarto gradu pœnitentiæ reſiderent, eos unam manus impoſitionem & unam reconciliationem recipere ſolitos poſt decurſum expletumque quartum gradum. Nam canooes omnes, poſt illum quartum gradum Sacramentis reconciliandos eſſe confirmant. Percunctetur ergo quiſpiam quæ tandem eſſet illa manus impoſitio & illa recooiliatio? Nam in illo quarto gradu ſimplici communione corporis fidelium peccatorumque ſuorum expiatione fruebantur. Quare iſta manos impoſitio & reconciliatio oou ad abſolutionem aut communionem

fidelium pertinebat; ſed ad jus ad Euchariſtiam obtinendum, quo beneficio in illo quarto gradu uti non poterant.

Ad extremum liquet (in iis quæ ad veteris diſciplinæ rationem commendationemque ſpectant neceſſe fuerit tem unam pluribus explicare & enodare rationibus, ejuſque rei perficiendæ cauſa argumenta jam allata, alio verborum ſono enumerando percenſere) poſt quartum illum gradum ſuiſſe illis redditam plenam, & perfectam communionem, ut loquuntur 7. 9. 16. & 20. canones Ancyrani ad perfectionem relegatos, illiſque communionem *boni* datam, ut omnes canones S. Baſilii ad Amphilochium loquuntur; fuiſſe reconciliatos altario & ſacramentis, ut teſtantur canones 78. Eliberini, quartus ſecundi Carthaginenſis, 82. Bracarenſis ſecundi, 60. Agatbenſis, 29. Epaunenſis, 23. Turonenſis ſecundi, 11. Toletani ſecundi. 23. Bracarenſis ſecundi, qui omnes canones nihil aliud canunt, quàm quód poſt quartum gradum, ad ſanctam cœnam admittebantur, & ad ipſam Euchariſtiam. Unde hæc quæſtio enaſcitur, quo tandem modo, ſumendæ Euchariſtiæ jus poteſtaſque daretur, & qua ratione digni efficerentur? Nam cùm in quarto gradu quantumvis peccatorum ſe vinculis exolviſſent, eo tamen jure non fruebantur. Quare neceſſe eſt, in eam ſententiam diſcedant omnes, eos jus perfectæ communicationis, & Euchariſtiam adeptos eſſe majori illa manus impoſitione, & abſoluta reconciliatione, qua Eccleſia, quæ ligandi & ſolvendi poteſtatem à Domino receperat, jus ad ſacra reſtituebat, quod peccato ipſi perdiderant.

Perpendatur & illud, quod capite præcedenti quodammodo deprehenditur, nimitum inter ſe diſcrepare & magnopere differre canones illos, qui prohibent ne Preſbyteri pœnitentes imminente morte reconcilient, & canones alios, qui eandem vim poteſtatemque iiſdem Preſbyteris concedunt, niſi duplici illa reconciliatione poſita explicataque concilientur.

Nemo præter Epiſcopum reconciliationem illam tribuere poterat, imo vel ſi neceſſitas ipſa urgeret, inviro illo ac repugnante, nemini in illud jus involare liceret: id autem probari poteſt canone quarto ſecundi Carthaginenſis, & 7. Concilii Græci Carthaginenſis; idque ſibi ipſe facilè quis perſuadeat, qui attentè perpenderit Euchariſtiam non potuiſſe pœnitentibus præberi, ne in ultimo quidem vitæ periculo conſtitutis, niſi de mandato Epiſcopi, cujus judicio pœnitentis dignitas, mores & vita præterita examinabatur, ut videre eſt canone 13. Concilii Nicæni, & 82. ſecundi Bracarenſis. Quare cùm iſta reconciliatio major aliud nihil eſſet quàm jus Euchariſtiam accipiendi, illa non niſi ab Epiſcopo dari potuit. Nam qui eam accepiſſet, ei ſanctiſſimo Sacramento frui quoque licebat, neque ejus uſus adimi poterat, ideo iſta reconciliatio à ſolo Epiſcopo dependebat, qua ratione Euchariſtia, ejuſque tribuendæ jus penes illum erat. Nam unum ex altero dependebat, alterum quaſi loco cauſæ erat, alterum effectus rationem induebat, unum jus ad Euchariſtiam largiebatur; alterum Euchariſtia ipſa dicebatur, alterum ab altero ſeparari non poterat, neque ſine altero alterum concedi. Ex eo clariſſimum eſt, ſolum Epiſcopum potuiſſe dare reconciliationem majorem, quod preſbyteri niſi extrema neceſſitas compelleret, ne parvam quidem condonare poſſent: poſthac explicabimus, quorſum Patres, cùm de iſta teeonciliatione diſſerunt, dicant & nominent *manus impoſitionem Epiſcopi & Cleri*, quemadmodum infinitis locis ſanctus Cyprianus, can. 32. Eliberini, & 2. Toletani primi.

Neque verò neceſſe fuit in medium proferre locorum varia teſtimonia, quibus probemus illam reconciliationem impoſitione manus conferri, cùm id extra dubitationis aleam ſit: ſed operæ pretium fuerit cognoſcere, quæ ſit Patrum canonumque ſententia, cùm affirmant hanc impoſitionem manus ſimul & conjunctim, & ab Epiſcopo & Clero fieri. Nam ſi ſolius Epiſcopi hæc poteſtas erat, quamobrem queſo preſbyteri, imo Diaconi & Subdiaconi unà cnm Epiſcopo manus imponebant? Adde quód ille titus omnino diverſus eſt ab eo qui hodie uſurpatur, & retinetur: cùm unicus aut preſbyter, aut Epiſcopus abſolutionem tribuat; quin hoc tempore, neque Diaconi, neque Subdiaconi nihil omnino juris, aut authoritatis habent ad abſolutionem pœnitenti impertiendam: cùm contrà quorumdam teſtimoniis olim videantur ea fuiſſe poteſtate præditi. Notandum eſt in prima veteri Eccleſia Preſbyteros, Diaconos, Subdiaconos multis in rebus manus ſimul & conjunctè impoſuiſſe cum Epiſcopo, ut in Confirmatione, Ordinibus, Baptiſmo, & Abſolutione, & reconciliatione. Quod ad ordines attinet, Acta Apoſtolorum docent, & hodierna agendi in Eccleſia conſuetudo non negat. Quod ad duo reliqua, probationia illa majoris non indigent: quod, qui canones perlegerit, facilè animadvertet. Quod ad abſolutionem, S. Cyprianus evidenter teſtatur *ante manum ab Epiſcopo & Clero*, id autem dico non quód impoſitio manus Epiſcopi non ſatis valuerit ad iſta quatuor ſacramenta. Ritus autem fuit quidam quem obſervandum judicabant ad demonſtrandam, & in oculis omnium conſtituendam totius Eccleſiæ conſenſionem: quemadmodum hoc tempore impoſitio manus, quam ſacerdotes præeunte Epiſcopi impoſitione, conferunt, ceremoniæ cujuſdam locum occupat. In reconciliatione autem, unum præcipuè obſervabatur & fiebat, ut pœnitens non ſolùm abſolutionem peccatorum conſequeretur; ſed & ſocietate fidelium ac communitate Chriſtianorum gauderet: ideo requiri quodammodo videbatur plurimorum conſenſus quaſi neceſſarius, hacque ceremonia inducta, Eccleſia teſtificabatur, ſingulos pœnitentem in ſuam attrahere & adſciſcere ſocietatem, & ei partem ſuæ communionis concedere: de illa manuum impoſitione verba facta ſunt canone ſecundo primi Toletani, *ſi quis autem antè ordinati ſunt diacones, inter ſubdiacones habeantur, ita tamen ut manum non imponant, aut ſacra non contingant*. Ita exponendus eſt canon 32. Concilii Eliberini, (ſive de prima, aut ultima communione diſputet: nam in utraque poſt Epiſcopum, clerus manum imponebat) qui ex correctione & cenſura Garſiæ legendus eſt, *neceſſe eſt presbyterum communionem præſtare debere, & Diaconum ſi eit juſſerit Epiſcopus*, non autem aut Diaconum: non enim ſeparatim aut ſcorſim, ſed conjunctim impoſitionem exhibebat. Concludo igitur non ex vi canonia illius id deducendum, Diaconum potuiſſe abſolutionem conferre; ſed Patres prohibuiſſe, ne Diaconi cum preſbyteris manus imponerent, niſi Epiſcopus preſbyteris dandi jus commonionis ſimplicis, aut majoris pœnitentibus in vitæ diſcrimine conſtitutis conceſſiſſet. Canon igitur vetat ne preſbyteri aut Diaconi communionem largiantur: non quód id à Diaconis præſtari oporteret, aut id eis facere liceret: ſed quód prohibeat, ne manus impoſitione, quæ inſtar cujuſdam ceremoniæ erat, eam quam preſbyter confeciſſet, ſubſequantur ſine venia & facultate Epiſcopi: vel ut veriùs dicam, imperet præſcribatque, morem ut gerant ſi Epiſcopus jubeat, ut manus imponant cum preſbyteris ſupra pœnitentes, quos ad mortem

certiſsimam duci morbo periculoſiſsimo viderint, *ſi tamen Epiſcopus præcipiat*, aliàs non. Ita explicari omnia Patrum quæ proferſitur teſtimonia oportet, maximè autem D. Cypriani, *per manus impoſitionem Epiſcopi & Cleri jus communionis accipiant.*

Cæterum hæc major & ultima reconciliatio variis nominibus ab antiquis nuncupatur, à Concilio Arauſicano canone tertio vocatur legitimæ communionis reconciliatio, ab Eliberino ſocietatis Dominicæ reconciliatio, à Vaſenſi abſolutiſsima, ab Ancyrano ſummi boni perfecti, perfectionis, plenæ communionis reconciliatio; ab aliis canonibus reconciliatio altario, ſacris, ſacramentis; à Concilio Barcinonenſi canone nono beatica benedictio, *jubemus verò in infirmitate poſitis beaticam benedictionem accipiant*. quæ omnia nomina ei indita ſunt, quòd per eam benedictionem, & manus impoſitionem, jus ad Euchariſtiam acciperent pœnitentes, quæ eſſet legitima Chriſtianorum communio, Dominica ſocietas, beata communio, ſummum bonum, finis, perfectio, & abſolutiſsima communio.

OBSERVATIO XXXIV.

Pœnitentes à Clero removebantur.

QUod Divus Leo de Epiſcoporum electione prodidit, *Sacerdotum enim tam excellens eſt electio, ut hæc quæ in aliis Eccleſiæ membris non vocantur ad culpam, in illis tamen habeantur illicita*, in aliorum quoque ordinum inſtituto legibuſque retentum ac obſervatum eſt, jam inde à primordiis naſcentis Eccleſiæ. Pleraque enim neque probro, neque crimini aut fraudi laico vertebantur, quæ minùs eum ad Clericatum aptum idoneumque declararent; ut matrimonio cum muliere vidua contracto, neque à communione excludebatur, neque vituperabatur: inde tamen macula quædam altè inſedebat in eo, quæ illum à ſpe obtinendi clericatus dejiceret. Deinde laicus, cui impoſita pœnitentiæ publicæ pœna ob peccata quædam publica fuerat, non infamiæ ideo labe aſpergebatur, abſolutoque pœnitentiæ tempore jus communionis recuperabat, eique reditus ad gregem fidelium, in quo aliàs cenſeretur, reſtituebatur; contrà, ſi ad ordines ſacros provehi in animo haberet, tametſi peccatum condonatum, vulnuſque quod acceperat obductum eſſet, cicatrix tamen illa ab ordinibus ſacris eum repellebat, quantumvis peccatum ab hominum oculis & cognitione remotum fuiſſet. Quin quòd Dei ſumma voluntate ac commiſeratione peccatum deletum extiterat, ejus memoriam repetebat Eccleſia; & ſupplicia omneſque vitæ acerbitates, quas pœnitentes in ſe ſuſcepiſſent, eam quidem vim habere poterant, ut quædam veluti membra Eccleſiæ cenſerentur, ſed ut in communionem & ſocietatem Eccleſiaſticorum, atque ad cleri quoddam corpus cooptarentur, non erat omnino ſperandum, aut expectandum. Qua in re non ſatis pro dignitate admirari & ſuſpicere quis poteſt Eccleſiæ exorientis ipſam magnitudinem, præclara facinora, vitæ integerrimæ incredibilem innocentiam & ſanctimoniam, ſacerdotii ſanctitatem, ac illius diſciplinæ veteris ſeveritatem, quanto in pretio & honore haberentur Eccleſiaſtici. Ut paucis multa complectar, quanta requireretur in eis caſtitas & innocentia, qui ad ſacra myſteria tractanda admoverentur.

Quicumque ergo pœnitentiæ publicæ aſperitate vitæ mores eluerat, tametſi ante aut poſt exactam pœnitentiam omni genere, ſeu comitatu virtutum circunſeptus fuiſſet, aut caſte integréque vitam poſtea traduxiſſet: is nequaquam ad ſacros ordines adlegebatur, eaque de re luculenta teſtimonia, concilia ferme omnia ſuppeditant. Age autem, perpendamus hujuſce inſtituti ac diſciplinæ, quæ ſint jacta fundamenta. Hæc ſi ſingulos pœnitentiæ gradus, & in uno quoque pœnitentes quid ſint perpeſſi conſideremus, facilè eruentur. In primo gradu, Eccleſiæ introitu prohibebantur, in ejus limine ad terram projecti, ſqualidi, horridi & maximè miſerabili habitu, in oculos prætereuntium incurrebant: fidelium viliſſimas veſtes oſculabantur: lacrymarum vi ac copia calceos irrigabant, ipſorumque genua officioſè complectebantur. qui in tali ſtatu aliquantulùm ſteterat, æquumne poterat videri (præſertim ſi animo repetas priſcorum illorum in conſervanda communionis Eccleſiaſticæ integritate, curam & ſtudium) populo ut imperaret, & primos quaſi gradus in Eccleſiis aſſequeretur, vel ex altiori & excelſo conſeſſu conſpicuus emineret, qui eorum pedibus provolutus non multò antea eas omnes primi gradus moleſtias & officia obierat? Qui denique ultimum locum inter Chriſtianos vix occupaverant, quomodo *præſidentes, præfecti, præpoſiti populi*, (his enim nominibus clerici ab antiquis appellabantur) potuiſſent eſſe, & primarium locum volente populo retinere, vel *honore conſeſſus*, ut aiunt Divus Cyprianus, & Tertullianus, cæteris præeſſe?

In eodem primo illo gradu conſtat pœnitentes legationes precationis ſuæ, ut loquitur Tertullianus, prætereuntibus injunxiſſe, hoc eſt unumquemque fidelium enixè rogaſſe, ut ſibi Eccleſiæ pacem impetrarent, & eorum commendatione & precibus in ſocietatem unde exciderant reſtituerentur. Quapropter rationi conſentaneum non ita videbatur, eos qui mortalium opem implorasſe viſi eſſent, & genibus nixi plebis vel infimæ genua attrectaſſe, in eorum ordinem adſcribere, qui pro populo, tanquam magis accepti Deo, preces offerrent.

De ſecundo gradu quid dicemus? Potuiſſentne qui in eo ſteterant, vel inter infimos ordines admitti? Cùm Exorciſtarum, Oſtiariorum, Lectorum & ſimilium denique id eſſet inſtitutum, ut ex obſeſſis Dæmones pellerent, aut Eccleſiæ portis præeſſent, ne alii admitterentur quàm quibus jus eſſet in eam introeundi, vel ut populo Evangelia & Apoſtolum è pulpito prælegerent. At quæſo ea omnia perficere quomodo potuiſſent pœnitentes, qua authoritate immundos ſpiritus coëgiſſent ex obſeſſis diſcedere, qui ab Eccleſia exulantes, ſine matre, ſine communione errantes & vagi, in eorum veluti fuerant poteſtate?

Ab Eccleſia quemquam arcere, & ab ejus ingreſſu prohibere, non magis ejus erat, qui non multis antè diebus unumquemque precatus eſſet, ut vel in ejus limine ſibi remanere liceret, qui pauco antea tempore præclarè ſecum agi exiſtimaſſet, ſi vel è foribus ſuſpiria ſua & gemitus in eam penetrare, & à fidelibus exaudiri potuiſſent. Ejus vox è pulpito quomodo excepta fuiſſet à populo, cujus ejulatus & ſingultus paulò antè ab ejuſdem templi foribus exſonuerant: Evangelii quoque præcepta cum ejus voce in cujuſquam animum vix penetrare potuiſſent, qua modò pœnitentis, peccatoris, precantis vices egerat, & unumquemque non præceptis, ſed precibus & ſuſpiriis fatigarat?

Sed qua demum ratione eundem qui audientibus in ſecundo pœnitentiæ gradu interfuiſſet, inter preſbyteros & doctores adſumpſiſſent, quorum officium & inſtitutum eſſet Catechumenos erudire, aut verbi divini arcanos ſenſus fidelibus

exponere! ille inquam qui penè è tyrocinio emerſiſſet, quique adeo rerum omnium divinarum & humanarum imperitus & ignarus habitus fuerat, ut inter Catechumenos totius Eccleſiæ judicio relegatus eſſet, ut primæ fidei Chriſtianæ rudimenta ediſceret. Quomodo cæteris judicii divini horrorem incuſſiſſet, qui tanta ſecuritate eandem divinam juſtitiam peccatis ſuis provocare non exhorruerat?

Tertii gradus pœnitentiæ, ſolemnes illæ aſperitates, ad terram uſque illa abjectio, impoſitio illa manuum Epiſcopi & ſacerdotum (quæ omnia ſpeciem quandam exorciſmi præferebant) veſtitus ille pœnitentis horridus & ſqualidus, quo amicti incederent publicè, extra Eccleſiam: denique illa relegatio & amandatio faciebat, ut indigni haberentur, qui rei divinæ intereſſent, ſacramentorum participes redderentur, orationibus publicis communicarent, ſacræ ſcripturæ explicationem primis ſeculis auribus combiberent, digni potiùs erant ut à clericatu pellerentur.

Notum illud in quarto pœnitentiæ gradu pœnitentes non potuiſſe quiddam, quod Deo gratum acceptumque eſſet, cùm eo munere & officio indigni haberentur, offerre. At verò ſacerdotes ſanctiſſimum ſacramentum offerre debebant, & populi munera & oblationes Deo ipſi repræſentare, imo pro populi ſalute ſupplicationes exhibere. D. Cyprianus, *in conſpectu ejus preces pro fratribus facere*. Item, *pacem nunc offerunt, qui ipſi non habent*. Item, *audiri in precibus poſſint, quas faciunt pro plebis dominicæ incolumitate*. Quapropter ejus qui fuerat in quarto gradu, cùm preces oblationeſque conſtaret Deo minùs gratas jucundaſque fore, non erat æquum eundem deligere, qui Deo Euchariſtiam offerret, eidemque pro populi incolumitate ac ſalute preces & oblationes exponeret, Divus Cyprianus, *Deus ad ſacrificium prohibet accedere ſacerdotes in levi crimine conſtitutos, homo in quo fuerit vitium & macula non accedat offerri Deo*.

Temporis illius qualis fuerit Eccleſiæ ſtatus, & quo pacto electiones & ad ſacros ordines promotiones, ſpectante & conſentiente populo fierent, conſiderandum eſt: ut quod in hac Obſervatione dicimus, liquidius ac clarius evadat. Cuivis è populo licebat publicè & palam eorum non ferendos fortaſſis mores, vitamque carpere, qui ad eos ordines ſibi gradum fieri poſtularent: *ordinationes ſacerdotales nonniſi ſub populi aſſiſtentis conſcientia fieri oportere, ut plebe præſente, vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur, & ſit ordinatio legitima & juſta, quæ omnium ſuffragio & judicio fuerit examinata*. Hæc Cyprianus: onde eorum adhuc hoc tempore expreſſa quædam ac conſignata veſtigia apud nos viſuntur: palam enim elata & contenta voce id jactatur, eorum non rejici, imo probari teſtimonia, qui habent quod in eos dicant, qui promoveri volunt. Si quis igitur è pœnitentibus olim aut Diaconus, aut Subdiaconus renunciandus erat, non defuiſſent aliqui ex plebe, qui hoc unum ei impedimentum oppoſuiſſent, ut ab ordinibus excluderetur: dixiſſentque è pœnitentibus, quamvis abſolutis, non eſſe quemquam aſſumendum, ut inter Cleros collocaretur, cùm non deeſſent in Eccleſia, qui in eorum locum ſuffici potuiſſent, qui omni alias culpa, & pœnitentiæ nota vacarent.

Quin & illud animadvertendum primis illis temporibus, non ita crebra frequentiaque fuiſſe peccata lethalia, imo deteſtabilia & execrabilia magis fuiſſe, viderique non paucos, qui à ſacro fonte cùm emerſiſſent, nunquam in omni vita hoc ſum-

A mum Dei beneficium peccato aliquo mortifero corrupiſſent. Quò fiebat, ut qui poſt baptiſmi lavacrum graviùs peccaſſet, ejuſque pœnas criminis publica pœnitentia eluiſſet, non careret infamia, ac ſuſpicione nimiæ fragilitatis, & à clero repulſam ferret, cùm Eccleſia ingentem vim ac copiam integritate & vitæ ſanctitate præſtantium virorum ſuggerere poſſet, quos ad ordines invitaret & acceſſeret. Poſtremò Eccleſiaſtici, cùm ſol, lumina, ducesque & anteſignani aliorum haberentur, qui peccatis implicati & involuti, de vera via curriculoque religionis deflexiſſent, non ad dignitates Eccleſiaſticas gerendas admovebantur, quantumvis pœnitentiæ lavacro ſe vitiis perpurgaſſent, teſte Syricio qui ita loquitur: *Illud*
B *quoque nos par fuit providere, ut ſicut pœnitentiam agere cuiquam non conceditur clericorum: ita & poſt pœnitudinem ac renunciationem nulli unquam laico liceat honorem clericatus adipiſci, quia quamvis ſint omnium peccatorum contagione mundati, nulla tamen debeat gerendorum Sacramentorum inſtrumenta ſuſcipere, qui dudum fuerint vaſa vitiorum*.

Ad has rationes & aliam, quæ è veteri teſtamento eruatur, adjungamus: Sacerdotes poſſe quidem pro populo qui deliquiſſet ſupplicare; neminem autem pro ſacerdotibus qui peccaſſent orare potuiſſe. Omnino & illud affirmandum pœnitentem ordinibus ſemotum fuiſſe, ob pœnitentiam quam ſubierat cùm ab iiſdem ordinibus ob
C leviores cauſas quis repelleretur: ut ſi quis bigamus eſſet, aut viduam ſibi deſpondiſſet, ut patet Arauſic. Concilii can. 85. Arelat. 2. c. 26. Agathenſis can. 43. canonibus Apoſtolorum 16. 17. Roman. conc. can. 2. & 5. Syricius ad Himerium can. 11. Leo Anaſtaſio Epiſc. Theſſal. c. 3. Hilarius ad Aſcanium Epiſcopum Tarracon. c. 4. Carthag. 4. can. 69. Prætetea quicunque à ſuſcepto baptiſmo curationes publicas attigiſſet, aut magiſtratum geſſiſſet, aut provinciatum urbiumque adminiſtrationem obtinuiſſet, aut bellorum gerendorum munera quædam obiiſſet, neque ad clerum, neque ad ſacros ordines allegebatur: qua de re plurimæ conſtitutiones aut decreta viſuntur epiſtola Syricii ad Africæ Epiſcopos can. 5. ad univerſos Or-
D thodoxos cap. 2. Innocentius Epiſcopo Rothomagenſi cap. 2. 11. ad Epiſcopum Nucerianum cap. 3. ad Epiſcopos Toletum convenientes, cap. 4. Concilii Toletani 1. can 8. ignoti tranſmarini, qui extra diœceſim baptiſati, Neophyti, denuo baptizati extra ſortem aut clerum Eccleſiæ amandabantur. Anaſtaſius Papa Epiſcopis Germaniæ c. 2. Eliberini 24. Nicæni can. 2. Felix Papa Epiſcopis univerſis cap. 2. & 5. multò magis ab iiſdem ordinibus depelli eos oportebat, qui inter pœnitentes ob facinora ſua viſi eſſent. Quod Syricius ait, *ut ſicut pœnitentiam agere cuiquam non conceditur clericorum*, *ita* &c. veriſſimum eſſe conſtat, nam qui primorum ſeculorum memoriam ultimam
E cogitando replicarit, non aliquem Eccleſiaſticum pœnitentiam publicam ſubiiſſe reperiet, cujus rei pleraque apud ſanctum Cyprianum extant teſtimonia epiſt. 4. lib. 1. *Baſilides inſuper adhuc præter libelli maculam, cum in infirmitate decumberet, in Deum blaſphemaverit, & ſe blaſphemaſſe confeſſus ſit, & Epiſcopatum pro conſcientia ſua vulnere ſponte deponens ad agendam pœnitentiam converſus ſit, Deum deprecans & ſatis gratulans ſibi, ſi vel laico communicare contingat*. Ubi videas Baſilidem, cùm in eo ſtatu eſſet, ſponte ſe Epiſcopatu abdicaſſe, quòd ſentiret peccata ſua pœnitentiâ eluenda eſſe, & pœnitentes ab Epiſcopatu gerendo removeri debere: & quoniam ejus ea gravitate & atrocitate peccata dicebantur, ut

non ſolùm hoc ſupplicio dignus eſſet qui Epiſcopatu privaretur, pœnitentiamque ageret, ſed etiam anathemate feriretur: obnixè ut ſibi communio laica non eriperetur, deprecabatur, hoc eſt, ne excommunicationem ſubiret; ſed inter laicos ipſe numeraretur. Quæ enim cauſa eſſe potuiſſet, cur Baſilides tali in periculo ac diſcrimine conſtitutus deprecabatur, ne ſibi communio laica ſubtraheretur? Et cur quæſo Epiſcopatum ſumma voluntate deponeret? niſi quòd ad pœnitentiam ferendam agendamque cùm animum & cognitionem omnem appuliſſet (in articulo enim aut puncto mortis pœnitentiam ſuſcipere poterant, ut in Obſervatione videre eſt, *quid ſit pœnitentiam petere*,) Epiſcopatum ampliùs gerere & tenere ſentiebat ſe non poſſe. Et quoniam rurſus ſæpenumero, primis ſeculis propter graviſſima peccata, qualia confeſſione aperuerat, præter ſpoliationem Epiſcopatus, triſtis illa & gravis excommunicationis pœna irrogabatur: id ne ſibi accideret timebat Baſilides: quapropter rogabat ne communione laica privaretur, ſibique liceret inter laicorum numerum numerari.

Sanctus Cyprianus eodem loco refert Papam indicto quodam Concilio generali, aut pro ſua ſumma poteſtate aut imperio omnibus in Provinciis habito ea de re inſtituiſſe, ut qui ſe teterrimis flagitiis commaculaſſent, ii quidem ad pœnitentiam admitterentur; ſed à Clericatu propulſarentur: *cùm manifeſtum ſit ejuſmodi homines, nec Eccleſiæ Chriſti præeſſe poſſe, nec Deo ſacrificia offerre debere, maximè cùm jam pridem nobiſcum, & cum omnibus omnino Epiſcopis in toto mundo conſtitutis, etiam Cornelius collega noſter, ſacerdos pacificus ac juſtus, & martyrio quoque dignatione Domini honoratus, decrevit hujuſmodi homines ad pœnitentiam quidem agendam poſſe admitti: ab ordinatione autem Cleri atque ſacerdotali honore prohiberi.* Hac una ratione decretum illud nititur, quòd plurimorum oculos, animoſque, vel etiam aures exulceraſſet: ſi is qui publicam poenitentiam ſubiiſſet, inter Clerum viſus fuiſſet. Antonianus apud ſanctum Cyprianum conquerebatur Trophimum, cùm antè libellaticus extitiſſet, ad Eccleſiam qui rediret dignum habitum, eique Epiſcopatum reſtitutum, aut certè locum gradumque quem ante prolapſionem occuparat redditum. Conqueſtio ejus in eo vertebatur, quòd dicimus gravia peccata, quæ publicâ pœnitentiâ vindicari debeant, quamvis ea remittantur, indignum eum qui ea commiſit Clericatu plane conſtituere, & reddere.

Eadem ratio affertur epiſtola ad Stephanum: *non tamen debet in domo Dei perfidia promoveri, item nec debere eos revertentes, ea apud nos ordinationis & honoris arma retinere, quibus contra nos rebellaverunt*: qua declarat ſtatuitque cum Epiſcopis Eccleſiaſticos, qui ad Eccleſiam redierint, poſt ſchiſma non cenſeri Eccleſiaſticos; ſed laicos. Sat multi canones reperientur, qui non modò Eccleſiaſticos ſuo officio ac munere privent; ſed etiam iis pœnitentiam adjungant, unde argumentari liceat Eccleſiaſticos poenitentiâ potuiſſe mulctari, ut canones Apoſtolorum 28. 29. 30. Concilii Eliberini can. 18. 2. Arelatenſis 2. can. 13. 14. & alii: ſed & iſtorum canonum ſenſus non eſt, poſt poenitentiam eos ad ordinem, aut ad dignitatum munera, unde exciderant, reverti poſſe: imo ſenſus eorum eſt Clericis qui excommunicatione honoribus ſuis, aut dignitatibus carere cogebantur, quamvis pœnitentiam non ſubiiſſent, nonquam licere ad Cleri corpus adſcribi. Quemadmodum neque iis qui gradibus honorum moti pœnitentiam ſuſcipere compellerentur, nullum habere cum eodem Cleri corpore commercium; multò minùs iis qui depoſiti ſimul eſſent & excommunicati. Itaque eos omnes canones, qui triplex hoc genus poenarum complectuntur, depoſitionem ſcilicet omnimodam, depoſitionem cum poenitentia; eandem denique depoſitionem cum excommunicatione, eo ſemper ſenſo accipiendos eſſe puto (quamvis nulla ejus rei facta ſit mentio) nunquam eis omnibus qui ita puniti fuerant fas fuiſſe ad Clericatum remigrare. Atque hæc eſt ratio ſeu modus quidam quo omnino exauthoratus Eccleſiaſticus poenitentiam antiquitùs peragere poterat. Sed nunquam legas, aut probare poſſis aliquo teſtimonio poſt poenitentiam prioribus illis ſeculis ad cleri gregem poenitentem revocatum. Illud tamen negari non poteſt Eccleſiaſticos aliquos tametſi graviſſimorum peccatorum ſibi conſciiſſent, de ſuo gradu aut ordine non fuiſſe dejectos: ſed duplici beneficio hi afficiebantur. Nam peccatum & poenitentia eis relaxabatur, & de ſuo gradu non deturbabantur. Id autem cùm propter graviſſimas cauſas, tum propter Eccleſiæ pacem & tranquillitatem factum fuiſſe proditur.

Extat & apud Gratianum fragmentum quoddam, quod ad Concilium Carthaginenſe pertinere nonnulli putant, in quo videas Eccleſiaſticos pœnitentiam potuiſſe ſuſcipere. At cui obſcurum eſſe poteſt, ibi non de publica, ſed de meliori & ſuaviori quadam pœnitentia verba fieri, quæ depoſitionis loco imponebatur, quæ tamen non eſſet publica, neque nota populo; alioqui verendum erat, ne populus ſi id ſciviſſet, commoveretur & offenderetur, cùm Eccleſiaſticum videret poſt pœnitentiam ad Eccleſiam redire: *tamen in publicum non procedat, ne grex fidelium in eo ſcandaliſetur*, in eo quidem omnes conſentiunt Eccleſiaſticos ob leviſſimas noxas, pœnitentiæ privatim peragendæ addictos fuiſſe, eâque pœnâ mulctatos, & ad eam ſubeundam frequentiùs adjudicatos, ut can. 2. 3. Concilii Aurelianenſis, & can. 3. Concilii Agathenſis. Id autem clariùs perſpicias can. 2. Concilii Toletani: *Eum verò pœnitentem dicimus, qui poſt Baptiſmum, aut pro homicidio, aut pro diverſis criminibus, graviſſimiſque peccatis publicam pœnitentiam gerens ſub cilicio, divino fuerit reconciliatus altario*: ubi Patres oſtendunt tantùm peccata capitalia, & publicam pœnitentiam prohibere quò minùs ad Clerum cuiquam pateficeret aditus, non autem leviores pœnitentias, vel minima peccata, quibus facilis venia conceditur, quemquam à Clericatu removere. Pœnitentiâ autem publicâ punitos, aut ut poſt atrocia peccata ad ſuum ordinem relegentur, aut ut in eo hærere poſſint, nuſquam reperias. Quin canones Conciliorum 5. 6. 7. & octavi ſeculi ſtatuunt, ut intra ſepta monaſteriorum Eccleſiaſtici pœnitentiæ agendæ cauſâ includantur, & in illis locis non niſi communione laica fruantur, hoc eſt, ut tantùm laici habeantur, quod argumento eſt nunquam poenitentes in Cleri ſocietatem veniſſe: & quamvis canones tantùm hoc verbum præferant, *communionem*, omiſſo iſto nomine, *laicam*, ſi in canone depoſitionis poena nominetur, ſemper vocem hanc, *laicam*, ſubintelligi oportet. Ita canones 76. Eliberini, 50. Agathenſis, 32. Sancti Baſilii, aliique exponi debent.

Proferri poteſt & canon quartus Concilii Arauſicani, in quo legas *pœnitentiam deſiderantibus etiam Clericis non denegandam*: quo in loco Patres videntur admittere, ut Clerico poenitentia concedatur; atque illud eſt quod ante diximus à Clericis poſſe poenitentiam peragi: Sed ita ut eâ exactâ, laici omnino judicentur, neque unquam ad ordinem

curationeſque

curationeſque ejus ordinis, quas ante pœniten-tiam obierant, exercendas revocentur. Canon 2. Concilii Toletani ſanxit è pœnitentibus Oſtiarios & Lectores poſſe deligi & coaptari, non autem ad altiorem editioremque gradum eos promoveri poſſe, nec id licere, aut fieri poſſe, niſi extrema cogat neceſſitas. Qua è conſuetudine illud elicias, nec tuliſſe veteris diſciplinæ leges, ut pœnitentes ad Cleri corpus allegerentur; ſed canon ille permittit, ut ad minores ordines admittantur; quòd illis temporibus liceret minoribus illis Clericis uxores ducere, & earum ſocietate ac conſuetudine perfrui: & quòd apud majores noſtros non niſi ad claudendas, obſervandaſque Eccleſiarum fores deſtinarentur, ad Eccleſiæ cantum adhiberentur, nec quicquam ſacri aut religioſi contingerent: aliter id violatum aut pollutum omnes judicaſſent, quod ab iis contrectatum fuiſſet, canone iſto quod dico comprobante & conteſtante, ut ſi quis pœnitens caſu aliquo, aut imprudentia quadam Diaconus eligatur, ut is ad Subdiaconatum relegetur, cum ea conditione, ut illi nullo unquam pacto liceat rem aliquam ſacram contingere.

Canon 9. Concilii Gerundenſis paulò attentiùs accuratiúſque expendendus: *Is verò qui agritudinis languore depreſſus pœnitentiæ benedictionem, quam viaticum deputamus, per communionem acceperit, & poſt modum reconvaleſcens caput pœnitentia in Eccleſia publicè non ſubdiderit, ſi prohibitis vitiis non detinetur, admittatur ad Clerum*: omninòque oportet iſtius canonis quæſtionem & diſceptationem in eo verti, de eo qui jamjam animam efflaturus, tametſi nulla illum gravioris peccati conſcientia torqueat, ſtudio nihilominus ardentiſſimo ac incredibili pietatis Chriſtianæ ſenſo, pœnitentiam ipſam qua ſe ad mortem comparet, expetit. Nam ſi capitalia quædam peccata in ſe priſtinæ valetudini reſtitutus admiſiſſet, publicam pœnitentiam non effugiſſet, qua exacta, in Cleri ordinem numquam aſpiraſſet: & tamen canone iſto patet à Clero receptum, eundemque morbo relevatum ad pœnitentiam non adigi. Atque iſta verba magnopere tuentur hanc explicationem, *ſi prohibitis vitiis non tenetur*; quibus verbis planum eſt, & conjectura non rejicienda, vel expetita ab eo pœnitentia, non illum tamen peccata quæ nuncupamus capitalia perpetraſſe, totumque illud quod feciſſet, id à modeſtia Chriſtiana & ſumma pietate eſſe profectum. Canon igitur cenſet quanquam metu aliquo, aut horrore divini numinis concepto, quiſpiam publicam pœnitentiam ſibi imponi curet & obteſtetur in ipſo è vita exitu, ſi tamen non ſe graviori peccato urgeri ſentiat, quod illâ pœnitentiâ expiari ſolet, ad Clerum poſſe traduci, ſi convaluerit, canon addit, *& poſt modum reconvaleſcens caput pœnitentia in Eccleſia publicè non ſubdiderit*: hoc eſt, ſi adverſa valetudine liberatus pœnitentiam publicè non obierit; quia poſt receptam ſanitatem & recuperatam, quam metu mortis pœnitentiam obtinuerat, ſi eam publicè profeſſus eſſet: etiamſi eam, uti diximus, non petiſſet ob peccata quæ commiſiſſet, ſed quadam pietate & metu futuræ vitæ, inter Cleros nunquam recipiebatur, quia à populo viſus fuerat inter pœnitentes agere & verſari.

OBSERVATIO XXXV.

Panis benedictus nunquam dabatur Catechumenis.

CUm de portentis procurandis, aut quo ritu res ſacræ eſſent celebrandæ apud Romanos deliberaretur, ſacros primùm libros adire jubebant, è quibus ſi nihil certi hauſiſſent, ſummorum Pontificum, aut eorum qui rerum ſacrarum eſſent peritiſſimi, ſequendam eſſe ſententiam pronuntiabant; quòd uſu ſcilicet & conſuetudine, rerum divinarum majorem cognitionem habere crederentur: ita nobis in hac quæſtione uſu venit. nam cùm incertum ſit an olim fideles juxtà & Catechumeni Pane Benedicto alerentur & donarentur, & apud antiquos Scriptores hujuſce ritus & diſciplinæ deſint probationes: eorum porrò judicio ſtandum erit, qui probabiliores ad id ſtabiliendum aut evertendum ex adytis Theologiæ aut aliis antiquis ritibus deſumptas rationes aut conjecturas proferent.

Qui Catechumenos Pani Benedicto communicaſſe contendunt, his potiſſimum argumentis & Patrum locis utuntur. Optimo jure factum eſſe ut Pane Benedicto aut ſale reficerentur, quandò Euchariſtiæ ſacramento fidelium more expiari non poſſent; quæ ratio non magni poteſt eſſe momenti ſi Patrum deſtituatur authoritate & teſtimoniis: nam multa inter fideles celebrabantur, quæ illæſa pace & communitate Chriſtiana ad Catechumenos non poſſunt transferri: multò minùs idonei ſunt ii teſtes, quos in hac cauſa adhibent, è quibus canonem quintum Concilii Carthag. tertii potiſſimum audiri cupiunt: *Item placuit ut per ſolemniſſimos paſchales dies, Sacramentum Catechumenis non detur niſi ſolitum ſal: Quia ſi fideles per illos dies Sacramenta non mutant, nec Catechumenis oportet mutare.* Auguſtinum quoque libro ſecundo de peccatorum meritis & remiſſione: *Et quod accipiunt, quamvis non ſit corpus Chriſti, ſanctum eſt tamen, & ſanctius quàm cibi quibus alimur, quoniam Sacramentum eſt.* Quibus verbis ſi libera teſtimonii dictio permittatur, intelligaturque quid velint dicere, nunquam hunc Panis Benedicti uſum comprobabunt: quaſi neceſſe ſit ea que Catechumenis in myſterium dantur, ſi corporis comparentur alimentis, Benedictum Panem fuiſſe; ac ſi nihil aliud aſſumi poſſet quo ejuſmodi myſteria conferrentur. Sed mittamus iſta, quæ tam levibus fulciuntur conjecturis. Nam vel unâ ratiunculâ evaneſcent, quam è penetralibus illius antiquitatis evocabimus. Age ergo, cenſeſne in fidelium communionem Catechumenos induci potuiſſe, aut aggregari? Non exiſtimo. Nam quæ ſocietas fideli cum prophano? At ſi ex eodem Pane Benedicto ſumpſiſſent, utriſque fidelibus ſcilicet & Catechumenis æqua pars fuiſſet communionis. Non enim aliter, aut alio jure communicabant cum abſentibus, aut alio modo defunctos in participationem corporis Chriſti & ſocietatis fidelium revocabant, quàm Eulogiis & Oblationibus, & ejuſdem rei communione & participatione: ex eadem enim re myſtica & conſecrata ſumere, ea demùm eſt perfecta ſocietas & fraternitas. At inquient, uti opinor, non uno eodemque die, ſed diverſis fideles ac Catechumeni de illo Pane ſumebant, atque aliis precibus utrorumque Panis Benedictus conſecrabatur. Imo verò ſingulis feſtis diebus vini & Panis Oblationes à fidelibus offerebantur, quæ ſubinde benedictæ & precibus ſanctificatæ à Diaconis

circumferebantur, ut ex iis omnes deguſtarent: A quò fit nt nullum vacuum eſſet tempus quo Catechumeni Benedicto Pane poſſent refici. Huc accedit quòd myſteriis, non modò fidelium, ſed ne Catechumenorum quidem, nullus alius Panis quàm altaribus admotus, idoneus eſſe, aut ritè conſecrari poterat, ut alibi oſtendimus. Omitto quod his repugmare ſentio, harum nempe oblationum magnam partem Clero, viduis, & pauperibus alendis deſtinatam fuiſſe, quibus carere oportuiſſet pauperes, ſi religionis Chriſtianæ diſcipuli & Catechumeni earum noo fuiſſent participes, pauperes enim poterant eſſe. Reſpondeo in eleemoſynas & ſubſidium pauperibus has oblationes potuiſſe cedere, ſed non religionis cauſâ, aut ut re aliqua ſancta & conſecrata reficerentur: B verùm extra Eccleſiam Clero, viduis & pauperibus dividebantur. Quapropter deſinebant eſſe ſacramenta & res ſacræ, quia ad primum, proprium & vulgarem uſum redierant.

Præterea nemo eſt qui velit Conſiſtentibus, hoc eſt, quarti gradus pœnitentibus oblationis faciendæ aut recipiendæ poteſtatem olim Eccleſiam feciſſe, qui Catechumenis tantò magis hac gratia digni videri poterant, quò propiùs ad ſummum bonum, & ad abſolutiſſimam, ut vocant, communionem accederent. Quòd denique omnium rerum & myſteriorum, præterquam Euchariſtiæ & oblationum eſſent participes. Quapropter ſi ſubſiſtentibus hæc gratia denegaretur, multò magis Catechumenis. C

Si quem validiſſimæ hæ rationes commovere & convincere nequeant, conjecturas accipiat: & inter exquiſitas dapes diaria nonnunquam placent. Quod ex ſacramentorum confectione ſupereſſet, reliquias ſcilicet panis & vini, quod Sacrificio & Sacramentis impenderetur, nefas erat negligere, aut Catechumenis edendas permittere: tanta in eorum animis inſidebat panis & vini religio, eò quòd ſacris inſervire poſſent, ut ſola offerenos deſtinatione ſanctificari, & religione quaſi occupari viderentur. Nec mihi fidem haberi cupio, à Theophilo Alexandrino hoc accepi, enim ipſum proferam: *Quæ in ſacrificii rationem offeruntur, poſtea quæ in ſanctorũ uſum conſumuntur, Clerici dividant, & nec Catechumenus ex iis bibat aut comedat, ſed* D *ſolùm Clerici, & qui cum eis ſunt fideles fratres.*

Præterea quæ ad infantium myſterium offerebantur, ut loquitur canon, non eodem tempore, neque iiſdem precibus conſecrabantur, quibus Euchariſtia; ſed privata & propria oratione, ne attingere, aut aliquo modo ad Chriſti corpus pertinere viderentur. Carthag. Concilium: *Etſi enim maximè ad altare offerantur*, mel ſive lac, *propriam tamen ſuam habeant benedictionem, ut à Dominici corporis Sacramento ſejungantur.*

Tertullianus denique laudat ætatis ſuæ morem & conſuetudinem, quæ ægrè ferebat, ſi caſu communis panis & vini aliquid in terram excidebat: *Calicis aut Panis etiam noſtri aliquid in terram de-* E *cuti anxiè patimur.* Hiſce moribus convenire quis crederet, Panem quoquo modo, aut quocumque die benedictum propbanis & non initiatis dari & præberi potuiſſe? Qui communem non conſecratum, aut precibus illis religioſum factum ſatis tutò ab iiſdem Catechumenis ſumi poſſe non credebant. Qui denique ita comparati erant, ut non ſolùm vererentur res eaſdem utriſque credere, & eadem cibaria præbere, ſed & iiſdem verbis aut precibus eorum ſacramenta perficere, ne aliqua in re, vel tantillum cum Catechumenis ſociarentur. Quærant igitur, quo alio tandem Sacramento, cùm ſale reficerentur Catechumeni, cùm fas non eſſet Panis eos Benedicti participes fieri.

OBSERVATIO ULTIMA.

Minuta Catechumenorum ſacramenta ex fidelium oblationibus deſumpta.

INter cæteros ritus quibus olim formabantur Catechumeni, minutis quibuſdam ſacramentis utebatur Eccleſia, non ſolùm ut myſteriorum rudes Euchariſtiæ paulatim aſſueſcerent; ſed etiam ut vitæ Chriſtianæ ſemina, quæ in ipſa auditione animis combiberant, horum Sacramentorum uſu foverent. Nam quamvis corporis Chriſti perfecta illi & omnino formata membra non erant, utcunque tamen ei adhærebant, Chriſtianitatiſque ſpiritum quodammodo ducere incipiebant. Quare ne ſucci inopia deficerent, & fatiſcerent, lactis & ſalis myſteriis alendi erant & paſcendi.

De ſalis Sacramento nulla eſt dubitatio, quin non ſolùm quo tempore baptizarentur; verùm etiam ſingulis feſtis diebus ipſis præberetur, abunde id declarat canon quintus Concilii Carthag. tertii cùm ait: *per ſolemniſſimos Paſchatis dies ſacramentum Catechumenis non detur niſi ſolitum ſal.* Solitum quippe non diceretur, ſi baptiſmi tempore eis duntaxat oblatum fuiſſet, neque cum fidelium ſacramentis conferretur, niſi ſæpius in myſterium datum fuiſſet, & conſecratum. Ad hæc cùm Divus Auguſtinus dicat ſale ſe conditum in Catechumenatu fuiſſe, id nequit ad Baptiſmi tempus referri: neque quod de Audientibus authores de divinis officiis affirmant; nempe ſal eis inditum fuiſſe. nam cùm ab intinctione longè abeſſent, quod eis dabatur, extra Baptiſmum certum eſt datum fuiſſe.

Lactis verò & mellis ſacramentum non ſatis conſtat an illis in Catechumenatu præberetur. nam ad id confirmandum præter conjecturas nihil adferri poteſt: quarum hæ præcipuæ videntur. Principio omnes ceremoniæ, ut docet Joſephus Vicecomes earum rerum diligentiſſimus ſcriptor, quæ in Catechumenatu celebrabātur, eæ omnes in Baptiſmo ruſus repetebantur, inter quas cùm mellis & lactis Sacramenta commemorētur, veriſimile eſt lac & mel, alio etiam quàm Baptiſmi tempore Catechumenorum cibum & alimentum fuiſſe. Altera conjectura ex ipſo canone Carthaginenſi depromitur. cùm enim dicat diebus feſtis ipſis Catechumenis ſacramenta mutari. atque alia quàm ſalis præberi poſſe: nihil aliud fingere poſſumus, aut adſignare ex quo ſacramenta illa quæ mutarentur, fierent, quam lac & mel. Panem enim Benedictum in id adſumi oſtendimus non ſolere, ne ſcilicet fidelium & Catechumenorum diſpares & diſſimiles naturæ iiſdem nutrirentur alimentis.

Cæterùm quamvis id omnino certum non eſſet, nulli dubium eſt quin quædam Catechumenorum extarent ſacramenta: de his in hoc capite quæritur & diſputatur, an ex qualibet materia ſine delectu, an verò ex oblationibus fidelium confecta & conſecrata fuerint. De mellis & lactis ſacramento quod infantibus daretur tam luculentum eſt teſtimonium in Concilio Græco Carthaginenſi, ut magnam inde conjecturam, magnumque ſignum capere poſſis, alia quoque myſteria, aliaque ſacramenta, quæ Catechumenis darentur, qualiacumque tandem ea fuerint, ex iiſdem Oblationibus deſumpta fuiſſe. hæc ſunt verba Concilii: *Primitia autem ſive mel, ſive lac offerantur uno die conſueto ad infantium myſterium, etſi enim maximè ad altare offerantur, propriam tamen habent ſuam benedictionem, ut à Dominici corporis Sacramento ſejungantur.* Ad hæc cùm

vertum ſit fidelium Sacramenta ex iiſdem Oblationibus deſumpta fuiſſe, ut in Obſervatione de *Communione per Eulogias*, ex duobus Divi Cypriani & Auguſtini locis probavimus; nonne veriſimile ſit eorum temporum diſciplinam ex ipſiſſimet Catechumenorum myſteria conſecraſſe & benedixiſſe?

Hujuſce ritus cauſas & rationes inquirere non erit inutile, neque injucundum. nihil enim ab illis factum, nihil in diſciplinam Eccleſiaſticam invectum, quod non arcani alicujus myſterii, aut religionis ſignificationem contineret. Quidquid fidelibus aut Catechumenis nomine ſacramenti edendum præbebatur, id omne præbebat Eccleſia, ut hoc veluti pabulo eorum vita & communio augeretur & foveretur. Nam quæ alia cauſa cur tanto ſtudio ſatagebat ne longo intervallo communionem omitterent, niſi quod iiſdem alimentis reficiendi eſſent quibus conſtarent, & quod in eis divinum eſſet & à Chriſto in baptiſmate hauſtum non diſſimili alimonia & pabulo nutriendum? Uti enim obſervat Divus Dionyſius, *quod ex Deo natum eſt, ſine divino alimento vivere non poteſt*, illis quoque legibus, quibus è familia Chriſti pelluntur, qui per tres Dominicas ad Eccleſiam non acceſſerint, nihil aliud providetur, neque ob aliam cauſam conſtitutæ ſunt, niſi ut fidelium ſocietas & vita mutua & frequenti communione augeretur. Poſtremò quid aliis ſignificatur, quibus foras extruduntur, qui acceptam non manducant Euchariſtiam, niſi eos inter vivos & fideles non eſſe habendos, qui veræ vitæ cibos faſtidirent?

Ne igitur Catechumeni in ipſis Chriſtianæ vitæ primordiis, atque dum fingebantur & animabantur, ſucci inopiâ deficerent, aliquo cibo fovendi erant, qui ut eorum vitæ & naturæ conveniens & ſimilis eſſet, aliunde quàm ex Oblationibus commodiùs deſumi non poterat. Etenim Chriſtiani generatio & productio ceterarum rerum ortus & incrementa imitatur, inter quas & ea quibus nutriuntur, cùm aliquam neceſſe ſit ſimilitudinem & affinitatem intercedere, qua facilius cæteris corporis partibus aſſimilentur; eodem planè modo conceptus ille divinus qui in Catechumenis formabatur, convenienti aliquo alimento educandus erat. verùm nullus alius magis conveniens inveniri poterat, quàm qui ex Oblationibus fidelium compararetur. Nam primùm à ſingulis corporis Chriſti partibus Deo oblatus, eo nomine ſanctus & religioſus videri poterat. Deinde ſacerdotis precibus veluti elaboratus & benedictus fiebat. Poſtremò in myſterium conſecrabatur, quibus omnibus non exiguam vivificandi & nutriendi vim & poteſtatem concipiebat, qua ſubinde à Catechumenis hauſtus & acceptus eos ſibi ſimiles & Sanctos efficeret. Alimenta enim divina, non ut corporum & animantium, animæ noſtræ aſſimilantur, aut in ejus ſubſtantiam tranſmutantur, ſed eam ſibi aſſimilant, & nos conformes filio Dei, & tam intimè nos faciunt divinitatis participes, ut in nobis ipſi non amplius vivamus, ſed vivat in nobis Chriſtus.

Altera etiam afferri poteſt ratio & convenientia. quemadmodum enim animantium fœtos qui utero geruntur non quovis alimento, ſed eo tantùm quod ſagacitate ſua, & diligentia ex ſingulis matris venis, & membris natura collegit, nutriuntur; non aliter Catechumeni qui in Catechomenatu velut in Eccleſiæ utero habebantur, quàm ex Oblationibus, quæ ex ſingulis corporis Chriſti partibus derivabantur, erant nutriendi.

Denique fidelium vita & communio, quique in eis erat Chriſti Spiritus & vigor, Sacramentis olim alebatur, ex quibus cæteri fideles deguſtaſſent. Communicare enim, & in communione Chriſtiana vivere nihil aliud eſt, quàm ex eadem re ſacra ſumere quam cætera Chriſti membra manducaſſent: quippe cùm abſentes in ſuam olim corporiſque Chriſti ſocietatem adſciſcere vellet Eccleſia, eos miſſis Eulogiis ex quibus ceteri fideles libaſſent, aſſumptos reperies. Reperies quoque in iiſdem hiſtoriis peregrè advenientibus Euchariſtiam, ex qua ejuſdem loci fideles ſumpſiſſent porrectam, qua ſe in participatum ejuſdem cum eis communionis & pacis venire intelligerent. Eodem igitur modo & ratione Catechumenorum communio, quamvis imperfecta & dimidiata, erat ſuſtentanda ex pabulo ſcilicet & Sacramento, quod aliquid cum fidelium Sacramentis commune haberet, & ex quo verum Chriſti corpus quodammodo deguſtaſſet. Si enim ex alia re de qua non manducaſſent confecta fuiſſent eorum myſteria, nulla ne quidem imperfecta inter eos fuiſſet communio. Sed cùm ex Oblationibus ſinguli fideles nonnihil ſumerent (Euchariſtia enim & Panis Benedictus ex iis conficiebantur,) ex eadem re utrique capere & communicare cenſebantur, cùm ex iiſdem Oblationibus eorum ſacramenta, quamvis omnino diſſimilia, conſecrarentur.

Finis libri ſecundi Obſervationum.

GABRIELIS ALBASPINÆI

EPISCOPI AURELIANENSIS

NOTÆ IN VARIA CONCILIA, ET IN QVÆDAM TERTVLLIANI LOCA.

NOTÆ

IN CANONES CONCILII ELIBERINI.

De his, qui poſt baptiſmum Idolis [a] immolaverunt.

[a] Sacrificant Euta.
[b] Vt quicumque poſt Eucu.
[c] Capitale Sunu. & Alvel.
[d] Ad communionem ſuſcipere Euta.

PLACUIT [b] *inter eos, qui poſt fidem baptiſmi ſalutaris, adulta ætate, ad templum idolatraturus acceſſerit & fecerit, quod eſt crimen [c] principale (quia eſt ſummum ſcelus) placuit, nec in fine eum [d] communionem accipere.*

IN eos qui duplici ſimul idololatriæ & Apoſtaſiæ crimine tenerentur, perpetuas hoc primo Canone pœnas decernunt Hiſpaniæ Patres, non autem in lapſos, qui timore perterriti, ipſiſmet cruciatibus, & ſuppliciis ſuperati, & coacti idolis immolaverant, quemadmodum exiſtimant cum Garſia & Binio, Illuſtriſſimi Cardinales Bellarminus & Baronius. Nam horum longè ante hoc Concilium cauſa fuerat agitata, huncque exitum totius Eccleſiæ conſenſu habuerat, ut non perpetuâ pœnâ, quamvis diuturnâ & plenâ pœnitentiâ luerent, quod admiſeraot, (ſi D. Cypriani epiſtolis fidem habeamus) quod judicium hoſce Patres evertiſſe, aut durius quicquam in eoſdem lapſos conſtituiſſe, non facilè mihi perſuaderem; vel hac ipſâ conjecturâ adductus, quòd Canone 46. ſatis pœnarum ſumpſiſſe putent, ſi Apoſtatas non idololatras, qui majori ſemper ſupplicio digni viſi ſunt, quàm lapſi, ut ex Cypriano patet, levi animadverſione perſtrinxerint. Adde ſi de lapſis hunc Canonem accipias & interpreteris, omnino fatendum eſſe hoſce Patres Novatianos fuiſſe, aut Novatianis faviſſe, cùm non aliam ob cauſam ab Eccleſia receſſerint Novatiani, niſi quòd iis, qui minis & tormentis ceſſerant (qui uni lapſi dicuntur) indulgendum eſſe pertinaciter negarent. At quis unquam mentionem fecit, aut dixit Hiſpaniam cum Novatianis conſenſiſſe, aut Oſium, qui grave de iiſdem judicium cum cæteris Patribus in Nicæno paulò poſt tulit; quicquam decreviſſe, quod ad eorum ſententiam vergeret & accederet?

De Apoſtatis qui præterquam quòd à Chriſto ejuſque fide ſponte receſſerant, idolis inſuper ſacrificaverant, non verò de lapſis hunc Canonem eſſe explicandum, alia etiam perſuadet ratio; nimirum quòd illa prima diſciplina, quæ ne lapſis quidem olim indulgebat, paulatim ad lenitatem deflexerit, leniúſque multò peccatores habuerit temporibus Conc. Eliberini, quam D. Cypriani; & in Concilio Nicæno, quàm in aliis Conciliis, quæ ante Nicænum habita ſunt, ut videre eſt in hoc Concilio. nam canone 46. Apoſtatas, de quibus

A his verbis ſtatuit D. Cyprianus, *Apoſtata verò vel adverſarii & hoſtes, & Eccleſiam Dei diſſipantes nec ſi occiſi pro nomine ejus foris fuerint, admitti poſſunt*, ad pacem, actâ quadam pœnitentiâ, revocat. Quapropter hi Patres, recuperandæ communionis ſpem nunquam eripuiſſent lapſis, quos ne quidem Cyprianus hac pœna damnavit. Cæterùm hoc judicium in Nicæno tandem mutatum fuit, can. 11. ſtatutumque ut poſt longam pœnitentiam hi Apoſtatæ in fidelium numerum admitterentur: quamvis nonnulli ſunt, qui illo canone undecimo in lapſos agi potius exiſtiment, quàm in Apoſtatas, qui ut citiùs è vinculis eriperentur, etſi nullis ſuppliciis aut minis immolare

B adigerentur, Diis ſacrificaverant.

Denique notandum eſt hunc primum canonem differre à 46. quòd in hoc de Apoſtata ſit mentio qui non fuit idololatra: in illo de illis qui utroque hoc crimine ſeſe polluerint: differt etiam ab ultimo canone Concilii Arelatenſis, quia de ſolis Apoſtatis, & non reſipiſcentibus niſi in morte loquitur.

Poſt fidem. Catechumeni longè mitiùs habebantur quàm fideles, eorumque crimina minori afficienda pœnâ exiſtimabantur, quàm fidelium, ut alibi oſtendemus. Quapropter addunt Patres, ſi poſt Baptiſmum, quia ante Baptiſmum alia puniendi ratio.

Et fecerit. Sacrificaverit. *Cum faciam vitula pro frugibus ipſe venito.*

C *Crimen capitale & principale.* De antiqua criminum diviſione & diſcrimine varia extant veſtigia in Tertulliano & D. Cypriano & cæteris Patribus, quibus omnibus idololatria maximum ſemper viſum eſt; unde hoc canone vocatur principale, ſummum ſcelus.

Nec in fine eum communionem accipere. Non negatim aliquando nomine communionis Euchariſtiam intelligi: verùm in his judiciis & canonibus rarò ita accipitur, ſed pro fidelium ſocietate & jure ſocietatis, à qua peccatores removebantur, ne eorum conſortio, & conſuetudine cæteri fideles inficerentur. Quapropter vix reperies in hiſce Conciliis mentionem de abſolutione, quòd eam per hæc verba, communionis, ſocietatis, conſortii, & ſimilium exponant Patres. Cùm enim finis

abſolutionis ſit reditus in Eccleſiam, & per eam pœnitentes, jus ſocietatis, quod peccando amiſerant, recuperent; frequentiùs his utuntur quàm nomine abſolutionis. Cæterùm quomodo accipiendum ſit, quòd hiſce canonibus, tam facilè morientibus venia denegatur, aut qua ratione à Novatiano differant hi Patres, alius erit dicendi locus; ne notæ noſtræ in commentarium creſcant. Quod dum præſtamus, ſufficiet hoc unum monere, controverſiam inter Catholicos & Novatianos non eam fuiſſe, quòd Catholici omnibus omnino criminibus veniam concedendam eſſe dicerent. Nam longè poſt Cornelium, cujus tempore & ſententia perculſus fuit Novatianus, verùm etiam poſt Nicænum Concilium certa crimina perpetuâ pœnitentiâ damnata reperiuntur, ut ex hoc Concilio Arelatenſi, & Sardicenſi licet colligere: ſed de auctoritate & poteſtate gravia crimina remittendi erat quæſtio, quam Eccleſiæ traditam fuiſſe negabant Novatiani, & ante eos Montaniſtæ: contrà verò Eccleſia hanc ſibi ineſſe auctoritatem prædicabat, juſque ea utendi & peccata pro arbitrio ſolvendi, quamvis non omnia condonaret. Ex antiquis Codicibus hunc canonem correxit Garſias; verùm tantùm mihi diſplicet hæc correctio, quantùm in cæteris ſatisfacit. nam hæc *inter eos*, & *quod eſt ſummum ſcelus* inutilia eſſe videntur.

CANON II.

De Sacerdotibus [e] *Gentilium qui poſt baptiſmum immolaverunt.*

e Gentium Exem.

Flamines qui poſt fidem lavacri, & regenerationis [f] *ſacrificaverunt: eo quòd geminaverint ſcelera, accedente homicidio, vel triplicaverint facinus, cohærente mœchia, placuit eos nec in fine accipere communionem.*

f Sacrificaverunt Exem.

FLamines. Id eſt Chriſtiani qui ſacerdotio gentilium fungebantur: quamvis enim non liceret Chriſtianis hæc munia & honores gentilium ambire & perſequi; nonnulli tamen aut ambitione ducti, aut coacti hæc ſacerdotia ſuſcipiebant & petebant. Cùm enim apud populares aliquo in honore eſſent Flamines, & populi gratiam muneribus, aut ludis facilè ſibi conciliarent, reperiebantur inter Chriſtianos, qui ſpreta religione hos honores flagitarent: nonnulli etiam inviti ad ea munia cogebantur. quia erant patrimonialia, à quibus nemo excuſabatur, ut ex Codice Juſt. manifeſtum fit, & ex Hieronymo in vita Hilarionis: his de cauſis reperiebantur Chriſtiani qui eſſent Flamines gentilium, in quos Hiſpani Patres has pœnas conſtituunt. Neque verò audiendi ſunt, qui putant hîc agi de Chriſtianis, non qui erant re ipſa Flamines, ſed qui ante lavacrum hæc ſacerdotia functi eſſent. Nam cur potius ageret de iis, qui fuerant Flamines, qui nihilominus poſt fidem ſacrificaverant? Nonne ineptum videretur ſi canones ita ſe haberent: Sutores aut Sartores, qui poſt fidem ſacrificaverunt? quia cùm Flaminum, Sutorum, Sartorum non gravius ſit peccatum quàm aliorum, ſi omnes illi Diis ſacrificaſſent, non debuit canon hos potius corrigere quàm alios. deinde hæc verba, *Flamines qui munus tantùm dederint*, indicant agi de Flaminibus qui revera poſt lavacrum flaminia ſuſceperant: quemadmodum etiam illa, *Flamines ſi Catechumeni*, oſtendunt agi de Catechumenis qui actu & reipſa erant Flamines, non qui fuerant.

Poſt fidem lavacri. Cujus rei rationem ſuprà dedimus.

Sacrificaverant. Mos erat, ut qui ludis præerant, Diis ſacrificarent; Flamines igitur, qui in municipiis (nam Romæ non præſidebant ludis) tenebantur ex more ſacrificare, antequam ludos aperirent.

Eo quod geminaverint. Sed quomodo ſacrificando triplici hoc crimine poterant ſeſe polluere? Nam hæc verba, *eo quòd*, indicare videntur, quòd Flamines duo hæc alia crimina committerent ſacrificando. Sunt qui de Floralibus hæc accipienda eſſe putent, in quibus multa turpia & obſcœna viſebantur: & de Gladiatoriis muneribus quibus ſanguine & morte miſerrimorum hominum populus recreabatur. cùm enim Flamines in provinciis & municipiis, hæc ſpectacula ederent, & mœchiæ & homicidii ſcelus commiſiſſe dicuntur hoc canone, non quòd mœchati eſſent, aut quempiam interfeciſſent; ſed dicuntur ea commiſiſſe quod ſpectacula præberent in quibus hæc ſcelera perpetrabantur. Nonnulli hæc ita dicta putarunt non quaſi conjunctim & ſimul in hæc tria crimina incidiſſent Flamines, ſed ſi fortè reperiantur Flamines, qui præter ſcelus ſacrificii & idololatriæ, aliis inſuper ſeſe inquinaſſent, ii communione in fine priventur.

Vel triplicaverint facinus. Lapſi triplicabant facinus, veniaque vel in morte indigni cenſebantur, ſi homicidium & mœchiam cum idololatria in ſe ſuſcepiſſent: non autem ſi alia quævis crimina admiſiſſent: neque hujuſce judicii alia poteſt eſſe ratio, aut cauſa, niſi quòd alia omnia, nec ſumma, neque capitalia unquam, aut perpetuâ pœnitentiâ & animadverſione digna viſa ſunt. Tribus verò illis, homicidio ſcilicet, mœchiæ & idololatriæ, cùm non multò ante hoc Concilium pax & venia eſſet relaxata, meritò qui horum ſimul omnium reus eſſet factus, eadem pœnâ, qua paulò antè diverſâ, puniebatur: atque ea eſt cauſa quamobrem de aliis criminibus non loquuntur Illiberini Patres.

CANON III.

De eiſdem ſi idolis munus tantum [g] *dederunt.*

g Dederint Exem.

Item flamines, qui non [h] *immolaverint, ſed munus tantùm* [i] *dederint, eo quòd ſe à funeſtis abſtinuerunt ſacrificiis, placuit in fine* [k] *eis præſtari communionem, actâ tamen legitimâ pœnitentiâ: Item ipſi, ſi poſt pœnitentiam fuerint mœchati, placuit ulterius* [k] *his non eſſe dandam communionem; ne* [l] *luſiſſe de Dominica communione videantur.*

h Immolaverunt Exem. i Dederunt Exem. k Eis Exem. l Inaluiſſ. C. Aluel.

QUi *non immolaverint.* Poterant non immolare, quamvis ſuis ſumptibus ſpectacula ederentur: nam aliquis alius Flamen poterat præeſſe & præſidere.

Sed munus tantùm dederunt. Omnes hos Canones de lapſis explicant nonnulli: ideo per munera, dona intelligunt, & pecuniam quam Præſidibus offerebant lapſi, ne ſacrificarent; verùm munus hoc loco, ni fallor, ludos & ſpectacula ſignificat, quæ Flamines præſtare tenebantur, & in quibus ſolebant ſacrificare. Aiunt igitur Patres veniam iis eſſe concedendam in fine, qui Flamines fuerint & non ſacrificaverint, quamvis ludos præbuerint & munera, ſi modo hanc culpam legitimâ expiaverint pœnitentiâ.

In fine eis præſtari communionem. Quàm gravem & acerbam vindictam exercebant in eos qui

ſacerdotia Gentilium ambibant aut ſuſcipiebant, quamvis non ſacrificarent!

Acta tamen. Hoc eſt, qui poenitentiam ſibi impoſitam alacriter ſubierant. nam ſi eam aut neglexiſſent aut ſegnius arripuiſſent, aliter cum eis erat agendum: non autem hoc ita accipiendum, quaſi momento illo temporis quo morerentur, legitimam poſſent agere poenitentiam.

Legitima pœnitentia. Ut pœnitentia cenſeretur legitima, non ſatis erat explere tempus conſtitutum ab Epiſcopo, ut volunt Garſias & Binius, ſed ea legitima vocabatur, quam bona fide ducebant poenitentes: & cùm domi, & in Eccleſia noctu, & interdiu perpetuis ærumnis ſeſe exercerent, & lacrymis, fletibus & multis pręterea ſignis animi dolorem clam & publicè teſtarentur. Illegitima autem dicebatur, quando poenitentes languidiùs eam ſubirent, & parum dolerent de peccatis, quamvis pręſcriptum tempus explerent.

Si poſt pœnitentiam. Id eſt ſi poſt conceſſam poenitentiam, non verò expletam, ſed conceſſam ab Epiſcopo: & ita accipiendum ſuadent quæ priùs habentur, *in fine eis præſtari communionem.* Si enim in fine duntaxat pręſtari debeat communio, certum eſt eo uſque poenitentiam duraſſe, & conſtitutam fuiſſe, & non finiiſſe ante mortem: quare illud, *poſt*. ſignificat, ſi poſt conceſſam poenitentiam. & ſi eùm agunt poenitentiam ejuſmodi Flamines mœchantur.

Ne luſiſſe. Sed quomodo quęſo de communione ludere poterant quam non poſſidebant? Nam agit de his qui perpetuæ poenitentiæ eſſent addicti: ſed ludere de communione dicuntur, ſi peccant poenitentes dum agunt poenitentiam: quia quo tempore magis proſpicere deberent, ne ea indigni viderentur, eo ipſo novis peccatis ſeſe obligant.

De Dominica communione. Quamvis Euchariſtia nonnunquam vocetur Dominica communio, ſimplex tamen communio, id eſt jus in ſocietate & corpore fidelium hoc etiam nomine appellatur, quòd uniat & conglutinet poenitentes corpori Domini noſtri Jeſu Chriſti. Cæterùm vides hunc canonem nihil minus adverſari, quàm canonibus Petri Alexandrini (ut exiſtimat Binius in ſuis notis) quibus licebat ab impiis ſacrificiis pecuniâ ſeſe redimere. nam hoc Canone agitur de Flaminibus, qui ludos ediderunt populo & non ſacrificaverunt, ut diximus, non verò de his qui pecuniâ obtinuerant à Præſidibus, ne ſacrificarent.

CANON IV.

De eiſdem, ſi Catechumeni adhuc immolant quando [m] baptiſentur.

Item Flamines, ſi fuerint Catechumeni, & ſe [n] ſacrificiis [o] abſtinuerint, poſt triennii tempora, placuit ad baptiſmum admitti debere.

m Baptizabantur.
n Se à ſac. Excuſ.
o Abſtinuerant. Exc.

SI *fuerint Catechumeni.* Ubi ſtatuerunt de fidelibus, mox de Catechumenis agunt, in quo leniùs multò, & mitiùs animadvertunt, quam in fideles, ut alibi dicemus capite de poenitentia Catechumenorum. Sed quid agendum eſſet ſi Catechumeni Flamines ſacrificaſſent? non explicant Patres neſcio an gratiâ baptiſmi in perpetuum puniantur; non exiſtimo tamen, ſed quantùm conjicere poſſum, ante mortem non baptiſabantur.

CANON V.

Si Domina per zelum ancillam occiderit.

Si qua [p] Domina furore zeli accenſa [q] flagris verberaverit ancillam ſuam, ita ut [r] in tertium diem animam cum cruciatu effundat, eo quòd incertum ſit, voluntate, an caſu occiderit, ſi voluntate, poſt ſeptem annos; ſi caſu [s], poſt quinquennii tempora, acta legitima pœnitentia, ad communionem placuit admitti. Quòd ſi [t] infra tempora conſtituta, fuerit infirmata, accipiat communionem.

p Fœmina. Gratian.
q Flagellis: Exc. & Gratian. Ivo. Bur.
r Intra. Exc. infr. Gratia. Ivo & Bur.
s Per quinque annorum tempora. Exc. Grat. Ivo.
t Intra. Gratian. infra tertium diem fuerit, Ivo.

SAtis conſtat, ut opinor, nonnullis in locis, hęc peccata, mœchiæ ſcilicet, homicidii & idololatriæ perpetuâ olim poenitentiâ damnata fuiſſe, & primis illis temporibus Eccleſiam his legibus ſtetiſſe, ut patet ex Tertulliano & aliis: deinde humaniùs eam homicidas habuiſſe, & in fine eos in ſocietatem admiſiſſe, ut legimus in 21. canone Concilii Ancyrani. verùm quò primùm tempore, & qua primum authoritate eis ante finem pepercerit, non tam liquidò conſtat, atque de mœchia, & idololatria: certum nihilominus eſt ex hoc canone, & Ancyrano, hanc diſciplinam mutatam fuiſſe, cùm ſi voluntate ancillam occiderit, poſt ſeptem annos jubeat in ſocietatem fidelium dominam recipi.

CANON VI.

Si quicumque per [a] maleficium hominem interfecerit.

Si quis verò [b] maleficio interficiat alterum eo quòd ſine idololatria perficere ſcelus non potuit [c], nec in fine impertiendum eſſe illi communionem.

a Maleficium. Excuſ.
b Veneficio. Ivo. Bur.
c Niſi in fine impert. non eſſe Ivo. Bur.

REctè correxit Garſias, atque hanc vocem, *malitiam*, detraxit: nam de maleficio canonem intelligendum eſſe demonſtrabimus, non de veneficio, aut malitia.

Eo quòd ſine idololatria. Tertull. de pudicitia cap. 5. *Ego quoque homicidium nonnunquam elaboro, ut tragœdias omittam. ſciunt hodie venenarii, ſciunt magi, quòd pellicatus ulciſcar. quòd rivalitates defendam, quòd cuſtodes, quòd delatores, quòd conſcios auferam.* Magicis artibus homines necari poſſe, pauci ſunt qui non exiſtiment; cùm reperiantur leges apud Romanos, quæ ut eos ultimo mulctant ſupplicio, ita hic canon eoſdem pejori morte & ſupplicio afficit.

CANON VII.

De Pœnitentibus mœchiæ, ſi rurſus [d] mœchaverint.

Si quis fortè fidelis poſt lapſum mœchiæ, poſt tempora conſtituta [e], accepta pœnitentia denuo fuerit fornicatus, placuit nec in fine habere eum communionem.

d Peccaverint. Exc.
e Alia. Exc.

SEptimo hoc canone à cæteris fidelibus eos in perpetuum ſemovendos eſſe ſtatuitur, & in

morte ne quidem in ſocietatem revocandos, qui accepta aut peracta poenitentia iiſdem peccatis, quibus, ut liberarentur, poenitentiam ſubierant, ſeſe inquinaſſent: neque hęc judicia ab illorum temporum moribus & diſciplina abhorrebant. cùm enim pauló ante hoc Concilium, hoc eſt Zephyrini ætate, & auctoritate, mœchis tum primùm venia laxata eſſet, rationi maximè conſentaneum videbatur, quâ ſeſe indignos peccando exhibuerant, gratiâ eos privari, & eos à communione perpetuò ſecludere, ſi acceptâ poenitentiâ, id eſt ſi ad poenitentiam admiſſi ob fornicationis peccatum, nondum ea abſoluta, aut expleta pœnitentia, fornicationis iterum rei deprehenderentur: hęc eſt hujuſce canonis ſententia, quæ nemini ſevera nimis & acerba videri debet, qui in memoriam revocarit, quantò acerbiùs pauló ante hoc Concilium iidem mœchi haberentur, & exciperentur.

Fortè fidelis. Hęc vox, *fortè*, hanc vim habet, ſi fortè eveniat, ſi fortè accidat: raró enim illis temporibus eveniebat, ut poſt baptiſmum Chriſtiani gratiam, quam in lavacro adepti eſſent, ſcelere aliquo corrumperent; & rariùs ut à peccato aliquo quod poſt baptiſmum commiſiſſent liberati, in idem peccatum rurſos inciderent: quapropter aiunt hi Patres, ſi fortè, ſi caſu.

Fidelis. Quia Catechumeni alia ratione erant puniendi.

Poſt conſtituta tempora. Hoc eſt poſtquam ei impoſita eſſet poenitentia, & poenitentiæ benedictionem recepiſſet. nam ſi poſt lapſum mœchiæ, rurſus in eandem, antequam poenitentiam obtinuiſſet, laberetur, in perpetuum non ejiciebatur ab Eccleſia; ſed ſolùm ſi poſt acceptam poenitentiam mœcharetur.

Accepta pœnitentia. In vulgari lectione legitur, *acta*; ambæ hæ lectiones poſſunt retineri: nam eodem modo in eos animadvertebatur, qui expleta poſt baptiſmum poenitentia, iiſdem rurſus vitiis ſeſe maculaſſent, & qui in ipſo poenitentiæ curriculo, & antequam eam perfeciſſent, rurſus peccarent.

CANON VIII.

De fœminis, quæ relictis viris ſuis, aliis nubunt.

Item fœminæ, quæ nulla præcedente cauſa [f], *reliquerint viros ſuos, & ſe copulaverint* [g] *alteris* [h], *nec in fine accipiant communionem.*

f Reliquerunt Exc. Ivo Bur.
g Copulaverunt. Exc. Ivo. Bur.
h Alteri: & in hoc permanere vo... rint, nec in... Ivo. Bur.

CUm legibus Romanis libera eſſent repudia; Chriſtianis veró matrimonia eſſent firma & perpetua: rurſus veró cùm ea inter conjuges diverſæ religionis & cultus contrahi poſſent, nulla in re ſtabilienda aut regenda, plus negotii invenit Eccleſia, quàm primis illis temporibus reperire, qua ratione, aut quibus poenis coërceret, aut ſi omnino puniret, qui facilitate legum Romanarum matrimoniis abuterentur. Quapropter hi omnes canones, qui de repudiis, aut matrimoniis Gentilium cum fidelibus aliquid ſtatuunt, difficillimi & obſcuriſſimi ſunt. Hoc canone & duobus ſequentibus agitur, qua cauſa repudium liberum ſit & legitimum, & qua ratione puniendi ſunt qui ſine cauſa conjuges ſuas repudiant. Mulier igitur quæ virum ſuum quamvis infidelem repudiaſſet, & alii nupſiſſet, perpetua poenitentia, quæ nec in morte relaxaretur, hoc octavo canone punitur. Nam niſi aliqua & quidem legitima ſubeſſet cauſa, non erat liberum in diſciplina Chriſtiana ab infideli recedere: ea autem legitima cenſebatur cauſa ſi metus aliquis aut vis inferretur Chriſtianæ, ut à religione ſua diſcederet; quæ ſi non eſſet, aut à viro ſuo infideli non eſſet repudiata, mali moris & indignum eis videbatur uxorem à marito divelli; ut hac diſciplina præter alia id unum docerent, Chriſtianorum matrimonia, quæ aliquo ſacramento cohærerent, multó minùs diſſolvi poſſe.

Viros ſuos. Dubitari poteſt an de ſolis duntaxat Gentilibus viris, num etiam de Chriſtianis hic canon accipiendus ſit. Cùm enim hiſce canonibus de repudiis, & qua ratione admittenda, aut coërcenda ſint agatur, & nulla in ſequentibus pręſcribatur ratio, qua animadvertendum ſit in eas, quæ viros fideles ſine cauſa reliquerint, meritò quis ſuſpicari poſſet, hac voce, *viros*, utroſque, Gentiles ſcilicet & fideles intelligendos eſſe: alii contrà, cùm nulla inter conjuges Chriſtianos legitima repudii cauſa poteſt eſſe, de viris Gentilibus, quos fidelis mulier repudiaſſet, cenſent accipiendum eſſe hunc canonem: nihilominus ad utroſque canon referri poteſt, & verba illa, *nulla præcedente cauſa*, non ita accipienda quaſi legitima aliqua reperiatur cauſa, cur vir fidelis ab uxore ſua poſſit repudiari, ſed addita ſunt, ut intelligeretur eas graviùs puniendas eſſe, quæ ſine cauſa, quàm quæ ob cauſam adulterii à viris ſuis receſſiſſent: his enim in hoc Concilio aliquot duntaxat annorum, illis perpetua imponitur poenitentia.

Accipiant Communionem. Abſolvantur.

CANON. IX.

De fœminis, quæ adulteros maritos relinquunt, & aliis nubunt.

Item fœmina fidelis, quæ adulterum maritum reliquerit fidelem, & alterum [i] *ducit, prohibeatur ne ducat* [k]; *ſi duxerit, non priùs accipiat communionem* [l], *niſi quem reliquerit, priùs de ſeculo exierit, niſi fortè neceſſitas infirmitatis dare compulerit.*

i Duxerit Exc.
k Si autem dux. Exc. Gon.
l Ryem... quem reli... quit de ſec. Exc. Deeſt in Exc.

LEgibus Romanis cùm eſſent libera repudia, Patrum authoritate non poterant mulieres Chriſtianæ, quæ viros ſuos fideles ob cauſam adulterii repudiaſſent, coërceri: quapropter reperiebantur quæ plures ſimul maritos haberent, in quas hoc canone animadvertitur. addiderunt autem hi Patres Eliberini hęc verba, *ſi fidelis*, quia ſi fuiſſet Catechumena, non ita erat punienda: cùm enim nullum eſſet inter Ethnicos conjuges Sacramentum, minùs peccabant, quàm Chriſtiani cùm libellum repudii afferebant.

Reliquerit fidelem. Quia ſi Gentilem ob eandem cauſam reliquiſſet, leviùs multò erat punienda: quamvis hoc etiam ab Eccleſia prohiberetur.

Prohibeatur ne ducat. Ita loquuntur in Concilio Arelatenſi primo, *& prohibentur nubere.* Cæterum antequam contraherent nuptias, Eccleſiæ id eſt Epiſcopo, aut Sacerdotibus ſtatum & conditiones futuri conjugis exponebant, quæ ſi alienæ à Chriſtiana diſciplina viderentur, quantum poterant, nuptias diſſuadebant Eccleſiaſtici, hoc eſt recuſabant conſignare, ut ait Tertullianus, & oblatione & ſacris confirmare: ideo dicitur hoc canone *prohibeantur*: verùm quia legibus Romanis hæ nuptiæ nihilominus erant firmæ, & poterant ſtare, reperiebantur qui ſpreta religione eas facerent, in quos hoc canone animadvertitur.

Niſi quam. Illis temporibus, ut vides, matrimonium poterat ſtare & validum eſſe inter adulteros, qui vivente vero & legitimo marito rem

ſinol habuerant, quod hodie ita prohibitum eſt, ut ne quidem poſt mortem mariti mulier poſſit cum adultero ſuo nuptias firmas & legitimas facere, niſi ſummo diſpenſante Pontifice.

CANON X.

De relicta Catechumeni, ſi alterum duxerit.

Si ea, quam Catechumenus reliquit, duxerit maritum, poteſt ad fontem lavacri admitti. Hoc & circa fœminas Catechumenas erit obſervandum. Quòd ſi fuerit fidelis, quæ ducitur, ab eo qui uxorem inculpatam reliquit [m], *& cum ſcierit illum habere uxorem quam ſine cauſa reliquit, placuit* [n], *huic nec in fine dandam eſſe communionem.*

m Et cum cluerit illum ab uxore. Exc.
n Ne dare communionem. Exc. & unus manuſcript.

HUjuſce canonis perdifficilis eſt ſententia, cujus hunc ſenſum eſſe ſuſpicor: ſi inculpatam mulierem Catechumenus reliquit & repudiarit, ad Baptiſmum non priùs admittatur, quàm relictam receperit, & domum reduxerit: ſi verò ea ſit in alterius poteſtate, ut quæ poſt repudium alteri conjuncta ſit, quia eam recipere nequit, non eſt baptiſmo privandus. Atque eadem judicii forma in Catechumenas obſervanda eſt, quæ nulla ſatis legitima ex cauſa viros reliquiſſent. Quòd ſi ea mulier, cum qua Catechumenus ille qui ſuam repudiavit, nuptias fecit, & non ignorarit priorem illam mulierem ſine cauſa ejectam eſſe, ea ipſa vel in morte communione Eccleſiæ & abſolutione carere debet. Ratio hujus canonis eſt, quòd Catechumeni quamvis non eſſent Chriſtiani, legibus tamen Chriſtianis tenerentur: quibus ne quidem infidelem dimittere & repudiare licebat.

Poteſt ad fontem lavacri. Non aliâ pœnâ coërcebantur Catechumeni niſi prorogatione, aut privatione baptiſmi uſque ad mortem. excommunicari enim non poterant, cùm non eſſent in communione fidelium, neque ſocietate Chriſtiana donati.

CANON XI.

[o] *De Catechumena ſi graviter ægrotaverit.*

o De relicta Catechumeni. Exc.

Intra quinquennii autem tempora Catechumena ſi graviter fuerit infirmata, dandum ei baptiſmum, placuit non denegari.

AMbigitur de hujus canonis explicatione, neque ſatis intelligitur quis ei ſenſus eſſe poſſit. Nam quæ cauſa eſſe potuerit cur Catechumenarum potius quàm Catechumenorum mentionem fecerint hi Patres Eliberitani? Quamobrem deinde tyrocinium & Catechumenatum quinque annorum ejuſmodi Catechumenis præſcribunt, cujus tempus ultra tres aut duos annos non producebatur? Præterea de quibus Catechumenis loquuntur, aut ad quas quæſo has pœnas pertinere dicemus, cùm de crimine omnino taceant, neque exponant quod peccati genus hoc canone coërceant? Denique cùm morientibus baptiſmum præberi jubent, eum negari poſſe, videntur innuere. Hæc omnia mihi perſuadere potuerunt hunc canonem à præcedenti avulſum eſſe, neque ullum ſenſum aut ſententiam referre aut reddere poſſe, niſi cum eo connectatur. Nam præter ea quæ ſuprà attulimus, illa etiam particula, *autem*, id omnino continere videtur atque oſtendere, totum hunc canonem ad alia quæ jam eſſent dicta & cognita referendum.

Præterea nullibi unquam reperies baptiſmi gratiam dilatam, & Catechumenatus tempus productum, niſi ob aliqua crimina admiſſa. Quæ cùm ita ſint, veriſimile eſt de iiſdem ipſis fœminis & Catechumenis hic agi, de quibus ſtatutum eſſet præcedenti & proximo canone, in quo cùm patres ſtatuiſſent eas eſſe puniendas, quæ viris repudium ſine cauſa obtuliſſent; pœnæ verò modum aut tempus, quo diutius retinerentur in Catechumenatu, (non enim alio genere pœnarum coërcebantur Catechumeni,) non appoſuiſſent; hoc ſequenti canone, vel potius hac ultima ejuſdem canonis parte, pœnæ modum & tempus addiderunt.

Senſus igitur canonis eſt, Catechumenas quæ viros ſine cauſa reliquiſſent, quinque annos in Catechumenatu detinendas eſſe, & intra hoc tempus baptizandas, ſi gravi aliquo morbo occupentur.

Intra quinquennii tempora. Agant Catechumenatum quinquennii tempore, quem explere ſi morte impediantur, baptiſmo donentur.

Catechumena. Quæ maritum ſine cauſa repudiaſſet, quique poſt repudium aliam duxiſſet; nam ſi maritus poſt repudium ſolutus remanſiſſet, rurſuſque hæ nuptiæ quæ ſine cauſa diremptæ eſſent, coaleſcere potuiſſent, non aliter ad lavacrum admittenda erat, quam ſi eundem pro viro habuiſſet.

CANON XII.

De mulieribus, quæ [a] *lenocinium fecerint.*

Mater, vel parens, vel quælibet fidelis ſi lenocinium exercuerit; eo quod alienum vendiderit corpus, vel potius ſuum, placuit [b] *eas nec in fine accipere communionem.*

a In Cod. Aveldenſ. ad marginem erat lenocinia, id eſt, circumventiones, vel complexiones meretricum.
b Eam. Exc.

GRavius puniuntur lenones, & earum turpitudinum artifices, quàm ipſamet adulteria & virginum ſtuprationes. Nam Zephyrini edicto, mœchiæ & fornicationis pœnitentiâ functis, veniam in morte vel poſt longam pœnitentiam conceſſam legimus: hoc vero canone ea ipſa moribundis lenonibus & parentibus qui quæſtum ex filiarum ſtupro fecerint denegatur: cujus ſeverioris diſciplinæ hanc rationem adducunt, quòd ſuum (ad parentes id refertur) aut alienum vendiderint corpus, hoc eſt peſſumdederint, perdiderint, & libidini mancipaˢrint.

CANON XIII.

De virginibus Deo ſacratis, etſi adulteraverint.

Virgines, quæ ſe Deo [c] *dicaverint, ſi pactum* [d] *perdiderint virginitatis, atque eidem libidini ſervierint, non intelligentes quod* [e] *amiſerint, placuit, nec in fine eis dandam eſſe communionem* [f]. *Quòd ſi ſemel perſuaſæ, aut infirmi corporis lapſu vitiatæ, omni tempore vitæ ſuæ hujuſmodi fœminæ egerint pœnitentiam* [g], *ut abſtineant ſe à coitu, eo quòd lapſæ potius videantur, placuit, eas in fine communionem accipere debere.*

c Dedicaverint. Exc.
d In Conciliis, Moguntino, c. 16. perdiderint.
e Admiſerint.
f Quod ſi ſemel perſuaſæ ponituerint, quod infirmitate corporis lapſæ fuerint, & toto tempore. Exc. Quod ſi ſemel perſuaſerint Grat.
g Et Exc. deſunt à Grat.

VIrgines quæ Deo ſeſe voverant à cæteris non removebantur, aut clauſtris includebantur, ut ex hoc canone & in Divo Cypriano & Tertulliano de virginibus velandis licet colligere.

Eidem

Eidem libidini. Non ſompſerint, aut à flagitioſa vita non receſſerint.

Non intelligentes quod amiſerint. Hoc eſt, ſi impudicitiæ eas ante mortem non pœniteat, precibuſque & lacrymis Eccleſiam non fatigent, ut ab ea pœnitentiam accipiant, vel in fine communione & abſolutione, quamvis eam ardentiſſimè exoptent, priventur. cùm enim toto vitæ tempore libidini inſervierint, metu mortis pacem Eccleſiæ potius quàm peccatorum dolore quærere videbantur.

Eo quòd lapſa potius videantur. Peccaſſe potius videntur, quàm virginitatis votum violaſſe, quæ in obſtinato & obfirmato libidinis propoſito non remanerent.

CANON XIV.

h Mœchatæ fuerint.

De virginibus ſecularibus, ſi [h] mœchaverint.

i Violaverunt. Exc. k Maritos acceperint. Exc. l Poſt pœnitentiam unius anni reconcilientur. Si alios cognoverint. Bur. Ivo. m Quinquennio pœniteant, & ſic ad communionem accedant. Bur. Ivo. n Deeſt Exc.

Virgines quæ virginitatem ſuam non cuſtodierint, ſi eoſdem, qui eas [i] violaverint [k], duxerint & tenuerint maritos: eo quòd ſolas nuptias violaverint [l], poſt annum ſine pœnitentia, reconciliari debebunt, vel ſi alios cognoverint viros, eo quòd mœchatæ ſint [m], placuit per quinquennii tempora, acta legitima pœnitentia, admitti eas ad communionem [n] oportere.

C

Solas nuptias. Quia virginitatem Deo non voverant.

Sine pœnitentia. Non hoc ita accipiendum, quaſi velint eas abſque ſacramento pœnitentiæ abſolvendas eſſe, aut ſtatuant ejuſmodi peccatum non eſſe aliqua pœna coërcendum, vel denique eis non eſſe dolendum de ſtupro: ſed pœnitentia hoc loco intelliguntur pœnæ & ærumnæ, quæ in gradibus pœnitentiæ palam, & publicè caperentur, quæ cùm pudorem aliquem ſugillarent, non erant ejuſmodi virginibus infligendæ. Quid autem ſit, *poſt annum ſine pœnitentia reconciliari*, quodve genus pœnarum, ex hoc canone, & ex vigeſimo primo colligitur. Levia quædam crimina hac pœna mulctabantur, quæ in eo verſaretur, ut ab Euchariſtia arcerentur, neque oblationes offerre aut eis participare permitterentur: mihique perſuaſum eſt eos qui levi illa animadverſione caſtigabantur, non aliter oraſſe aut ſtetiſſe in Eccleſia, neque aliter habitos, quàm ſubſiſtentes, & omnibus rebus divinis & humanis participaſſe cum cęteris fidelibus, pręterquam Euchariſtiæ.

D

Cęterùm verbum illud, *reconciliari*, referri & revocari prorſus debet ad illam maximam reconciliationem ſacramentorum ſcilicet & Altaris; non autem ad illam minimam, qua abſolvebantur, & jure ſocietatis Chriſtianæ donabantur. nam cùm eſſent orationis participes, abſoluti à peccatis cenſebantur, & minima illa reconciliatione non indigebant.

E

CANON XV.

De conjugio eorum, qui ex Gentilitate veniunt

Propter copiam puellarum, Gentilibus minimè in matrimonium dandæ ſunt virgines Chriſtianæ, ne ætas in flore tumens, in adulterio animæ reſolvatur.

Propter copiam puellarum. Statuunt ne quiſquam ad exonerandam familiam in matrimonio cum Gentili filias collocet, ne infidelis con-

A

ſortio fidem perdant. Tertullianus ad uxorem ſecundo: *Ambo fratres, ambo conſervi. nulla ſpiritus carniſve diſcretio, atqui verè duo in carne una, ubi caro una, unus & ſpiritus.*

CANON XVI.

De puellis fidelibus, ne infidelibus coniungantur.

Hæretici [n] ſi ſe transferre noluerint ad Eccleſiam Catholicam, nec ipſis Catholicas dandas eſſe puellas: ſed neque Iudæis, neque hæreticis dare placuit: eo quòd nulla eſſe poſſit ſocietas fideli cum infideli. Si contra interdictum fecerint parentes [o], abſtineri per quinquennium placet.

n Hæreticis qui errant ab Eccleſia Catholica, nec ipſis Catholicas dandas puellas. Exc.

B

o Abſtineri. Exc.

Hæretici ſi ſe transferre noluerint ad Eccleſiam. Agathenſe: *ſi tamen profiteantur Chriſtianos ſe futuros.* Laodicenſe canone 31. *Si tamen profiteantur Chriſtianos ſe futuros.* Chalced. can. 14. *Niſi fortè ſpoponderit ſe venire ad orthodoxã fidem.*

CANON XVII.

De his qui filias [n] ſuas [n] Sacerdotibus [p] Gentilium conjungunt.

n Deeſt in Exc. p Gentilibus. Exc.

C

Si qui fortè Sacerdotibus idolorum filias ſuas junxerint, placuit, nec in fine eis dandam [n] eſſe communionem.

n Deeſt in Exc.

Sacerdotibus idolorum. Flaminibus Gentilium, non verò Chriſtianis Sacerdotibus, qui perſecutionum temporibus Diis gentium immolabant, ut quidam exiſtimant.

CANON XIX.

De Sacerdotibus & Miniſtris, ſi [c] mœchaverint.

c Mœchati fuerint. Exc.

Epiſcopi, Presbyteri, & Diacones, ſi in miniſterio poſiti, detecti fuerint, quòd ſint mœchati, placuit, & propter ſcandalum, & propter [d] profanum crimen, nec in fine eos communionem accipere debere.

D

d Nefandum Emaſ.

In miniſterio poſiti. Qui graduum & ordinum ſuorum officia & munia obirent. nam ſi eſſent depoſiti, aut ſi ob aliam cauſam ab officio & dignitate gradus eſſent remoti, leviùs erant puniendi: Concilio Carthag. 5. can. 2. *qua eos à miniſterio neceſſe fuerit removeri.*

CANON XXI.

De his qui [i] tardiùs ad Eccleſiam accedunt.

i Tardè. Exc.

Si quis in civitate poſitus, [k] tres Dominicas ad Eccleſiam non acceſſerit pauco tempore abſtineat, ut correptus eſſe videatur.

E

k Per tres. Exc. l Aliàs tantùm Exc.

Qui ab Eccleſiæ uberibus tanto tempore avelleretur, metus erat ne contabeſceret, ideo ab eadem matre coguntur ad Eccleſiam liberi, ut à ſacris tanquam à ſuis mamillis lac ſugant, & cęterorum fidelium communione & precibus foveantur.

Pauco tempore abſtineant. Qui levi hac pœna perſtringebantur ſola Euchariſtiæ communione privabantur, non autem precum, aut corporis Chriſti myſtici ſocietate. nam ſacris intereſſe poterant, quo qui jure fruerentur, nec excommunicati, nec pœnitentes cenſebantur.

CANON XXIII.

De temporibus ieiuniorum.

[a] *Jejuniorum ſuperpoſitiones per ſingulos menſes placuit celebrari, exceptis diebus duorum menſium Iulii, & Auguſti ob* [a] *quorundam infirmitatem.*

a Jejunia, ſeu abſtinentias per. &c. Exc.
a Eorumdem. Exc. & Ivo.

IEjuniorum ſuperpoſitiones. Jejunia ſuperponere, eſt jejunia de novo imponere & indicere: quæ autem fuerint illa jejunia, quæ ſingulis menſibus, preter ſtationes feriæ ſextæ & Sabbati ſuperimpoſita eſſent in Hiſpania, non facile eſt dicere, cùm ea peculiari quadam lege & conſuetudine celebrarentur in illa provincia.

CANON XXIV.

De bis qui peregrè baptizantur, ut ad clerum non veniant.

Omnes, qui [b] *peregrè fuerint baptizati, eo quòd eorum minimè ſit cognita vita, placuit ad clerum non eſſe promovendos in alienis provinciis.*

b In peregrinatione Exc. [illegible] Alvel.

TAnta olim in clericis deſiderabatur vitæ ſanctitas, ut in eorum ordinem non eſſet aſſumendus, qui extra diœceſim baptiſmum conſecutus eſſet, quòd ejus mores non eſſent ſatis cogniti.

In aliis provinciis. In propria enim promoveri poterat, in qua ejus vita ſatis erat perſpecta.

CANON. XXV.

De epiſtolis communicatoriis Confeſſorum.

Omnis qui attulerit literas confeſſionis, ſublato nomine confeſſoris (eo quòd omnes ſub hac nominis gloria paſſim concutiant ſimplices) communicatoriæ ei dandæ ſunt literæ.

PErmagna eſt diſſentio de hujus canonis ſententia & explicatione, & noni Arelatenſis primi, *De his qui confeſſorum literas offerunt, placuit, ut ſublatis iis literis alias accipiant communicatorias.* Quorundam opinio eſt hos ipſos canones explicandos eſſe de literis, quas lapſi ad jus communionis recuperandum à martyribus qui eſſent in vinculis, extorquebant. C. Baronii anno Chriſti 305. numero 48. *placuit quoniam uſus perſeverare videbatur, ut literis quæ deſcriberentur ab iis qui cauſa fidei in carcere detinerentur, communicatio lapſis impertiretur.* Ejuſdem anno Chriſti 314. numero 65. Quòd ex ita differeret ex D. Cypriani verbis contigiſſe arbitror, qui omnibus penè ſuis literis vehementer objurgat martyres & confeſſores, quòd nulla prorſus habita diſciplinæ ratione, communicatorias literas lapſis indulgerent, tantaque licentia ac facilitate, ut Eccleſiæ ſtatum everterent, atque omnem religionem funditus tollerent: quæ enim, inquit ille poteſt eſſe ſanctitas aut diſciplina ſi rei non plectantur, & decreta peccatis ſupplicia removeantur?

Ne igitur diutius hoc malo Eccleſia laboraret, his canonibus Patres providiſſe volunt. Ego verò etſi C. Baronii, Garſiæ, Loayſæ, Bernardinique Ferrarii judicium non parvi ducam, eos tamen horum canonum ſententiam Patrumque mentem qui illos condiderunt, minùs aſſecutos eſſe, hæ rationes mihi perſuadent. Equidem martyrum olim autoritatem in tantum creviſſe, ut lapſis pacem & veniam procurarent, apertum eſt, literiſque ſontes in priſtinum ſtatum reſtituiſſe: ſed hunc ab Eccleſia errorem ante ipſa Concilia, quibus hi canones habentur, ſublatum eſſe ejuſdem D. Cypriani ſcripta ſatis declarant: nam acerbè in martyres invehitur epiſtolis 15. 16. 17. 18. 19. 20. libri tertii, eorumque poteſtatem imminuendam & coërcendam eſſe docet, ſtatuitque lapſos non niſi in exitu recipiendos eſſe, quamvis à martyribus commendarentur. Quid? nonne martyres epiſtola 7. libri ſecundi (quod omnibus indignum Romæ videretur eos hac uti poteſtate) literas quas ipſi lapſis dederant, revocarunt? *Quanquam confeſſorum quoque, quos hic adhuc in carcerem dignitas ſuæ confeſſionis incluſit, & ad certamen Evangelicum ſua fides in confeſſione jam glorioſa ſemel coronavit, literas habeas conſpirantes cum literis noſtris, quibus ſeveritatem Evangelicæ diſciplinæ protulerunt, & illicitas petitiones ab Eccleſia pudore revocarunt.* In Africa quoque fortiter huic poteſtati ſeſe opponit D. Cyprianus in reſponſo ad martyres epiſtola 15. lib. tertii. *Cùm vos ad me literas direxeritis, quibus examinari deſideria veſtra, & quibuſdam lapſis pacem dare poſtulaſtis, cum perſecutione finita convenire in unum cum clero & recolligi cœperimus.* Multa denique ejuſdem argumenti in ejuſdem ſcriptis leguntur, quibus magna fit ſignificatio hanc nimiam martyrum poteſtatem, D. Cypriani ætate labefactatam fuiſſe.

Deinde nil tam perſpicuum eſt, quam Arelatenſe Concilium ſub Conſtantino habitum eſſe, quo tempore pauci religionis causâ in carcere, fodinis, arenariis, aut triremibus detinebantur. At verò in ipſis verbis horum canonum ineſt aliqua ratio & nota credendi has literas, de quibus eſt quæſtio, quaſi è longinquo allatas eſſe: *Omnis qui attulerit:* Item in Arelatenſi, *qui confeſſorum literas afferunt.*

Miror etiam hos homines in primis acutos non vidiſſe de literis, iſtis Conciliis mentionem eſſe, quæ non ſolùm à martyribus, ſed etiam ab Epiſcopis darentur, *Communicatoria ei danda ſunt littera:* item, *placuit, ut ſublatis iis literis alias accipiant communicatorias*, at nuſquam reperient expiatos pœnitentes, libellum ab Epiſcopis aut à quovis alio à quo abſoluti eſſent, accepiſſe, quo abſolutos & liberatos eſſe innoteſceret; eòque minùs quòd publicè & magnâ coronâ de eorum in Eccleſiam reditu deliberaretur: atque ita magnopere opus non erat literis teſtari quod palàm factum eſſet. His omnibus adde martyres lapſis literas non dediſſe, niſi abſentes, ut conſtat ex D. Cypriano & Tertulliano ad martyras, & de Pudicitia: *Quam pacem quidam in Eccleſia non habentes, à martyribus in carcere exorare conſueverunt.* Item, *alii ad metalla confugiunt, & inde communicatores revertuntur.* Item, *ut quiſque ex conſenſione vincula induit, adhuc mollia in novo cuſtodia nomine ſtatum ambiunt mœchi.* At Eccleſiæ reddita pace, quæ cauſa poterat eſſe, quamobrem pro lapſis, ſi qui ea tempeſtate ſupereſſent, coràm non intercederetur?

Quænam igitur poſſit eſſe horum canonum ſententia & interpretatio, ſi quis à me quærat, eam ad literas communicatorias ſive formatas referrem, quas qui peregrè proficiſcerentur à martyribus, non verò ad literas quas ab iiſdem

lapſi, ut abſolverentur, & in gratiam cum Ecclesia redirent, extorquebant. In uſu apud antiqoos erat potiſſimùm Epiſcopos peregrinis literas concedere, ut quocunque incederent, hoſpitio à cæteris Chriſtianis, & ab Epiſcopis exciperentur: quo viatico, ſi muniti & inſtructi non proceſſiſſent, jus eis communionis Chriſtianæ denegatum fuiſſet. Quidam verò reperiebantur (ut ex his canonibus apparet,) qui cùm peregrè è patria abirent, literas illas communicatorias, ſine quibus non poterant diſcedere, à confeſſoribus potius, quàm à ſuis Epiſcopis acciperent: quæ prava conſuetudo his canonibus tollitur, jubentque Patres legitimas ab Epiſcopis (ſublatis iis quæ à confeſſoribus circunferuntur) concedi. Pręterea ea quæ ſuprà attulimus, hęc etiam verba in noſtram explicationem inclinant, *eo quòd ſub hac nominis gloria paſſim concutiunt ſimplices.* Quomodo enim ad literas communicatorias lapſorum, hæc verba accommodari poſſunt? Nam ex Epiſcopis erant tradendæ, ut earum commendatione lapſi reſtituerentur. Nemo enim niſi à propriis Epiſcopis abſolvebatur, quos quis credat rerum adeo ignaros, ut à Concilio ſimplices vocentur, aut falſis ejuſmodi literis, aut Confeſſorum variis titulis eos potuiſſe commoveri? Peregrinis verò hęc ipſa verba magis conveniunt, qui quacunque tranſirent, ſimplices Chriſtianos & fœminas hac martyrum commendatione poterant concutere, & à ſimplicibus parochis jus hoſpitalitatis & communionis emungere. De literis igitur quas peregrini circunferrent, non verò de literis quibus lapſi communionem quęrerent, hi canones ſunt intelligendi.

Poſtremò alibi oſtendimus, martyrum literas de lapſis reſtituendis, nullum apud Epiſcopos, niſi poſt eorum mortem pondus habuiſſe: quod cùm ſub Conſtantino accidere non poſſet, ut quiſquam pro fide morte mulctaretur, quis literas ſibi non profuturas, commendationemque efflagitaſſet, quam certò ſciret nullo ſibi uſui futuram?

Sublato nomine Confeſſoris. Hęc verba nihil aliud ſignificant, quàm Confeſſorum literas tollendas eſſe, & alias ab Epiſcopis ſubſtituendas, ut ex canone Arelatenſi manifeſtum fit, qui in eandem rem ſancitus eſt.

CANON XXVI.

[e] *Ut omni Sabbato ieiunetur.*

Errorem placuit corrigi, ut omni Sabbati die [f] ſuperpoſitiones celebremus.

e De hoc n'o Exc.

f Iejuniorum ſuperpoſitionem. Exc.

SAbbati dies uno excepto, immunes olim ab omni jejunio, & tanquam feſtos antiquitus agebant, & tum etiam in Gręcia mos ille perdurat, quem Hiſpaniæ Patres poſt Romam primos omnium antiquaſſe veriſimile eſt ex hoc canone, & feriæ quartæ jejunia, & ſtationes in Sabbatum tranſtuliſſe.

Superpoſitiones. Hoc eſt imponere jejunia, quæ ſolita non eſſent obſervari.

CANON XXVIII.

De oblationibus eorum qui non communicant.

[i] Epiſcopos, placuit, ab eo, qui non communicat [k], munera accipere non debere.

i Epiſcopum. Emil. & Albel. C.

k Munus. C. Albel.

QUi non communicat. Ut hujuſce canonis ſententia explicetur, duo ſunt inveſtiganda, ac primùm quinam eſſent non communicantes: poſtremò quęnam munera rejicienda dicuntur. Variæ olim erant communionis ſpecies, ſed duas tantùm attingam, quæ ad hunc canonem illuſtrandum neceſſariæ videntur, jus communionis & ſocietatis Chriſtianæ, qua qui donatus eſſet corpori Chriſti & Eccleſiæ adglutinatus cenſebatur. Altera quæ maxima dicebatur, in corporis Chriſti veri & realis, hoc eſt Euchariſtiæ perceptione poſita erat. Omnes qui utraque illa communione, aut una earum privabantur, hi non communicantes vocabantur, quemadmodum extranei omnes excommunicati, Catechumeni, poenitentes perpetuæ poenitentiæ, poenitentes primi, ſecundi, & tertii gradus: omnes denique poenitentes, qoi ad quartum poenitentiæ gradum pervenerant, quamvis ſacris intereſſent, & precum participes eſſent, non communicantes vocabantur, quòd Euchariſtiæ participandæ jus & poteſtatem non haberent. Item qui ob minus gravia quędam crimina ab Euchariſtiæ communione, non autem à prima removebantur: Energumeni, Peregrini, & vagantes ſine literis communicatoriis: Clerici ad communionem peregrinam redacti: ii omnes non communicantes appellari poterant; quòd plena & abſolutiſſima, ut loquuntur canones, communione non fruerentur. Horum igitur dona & oblationes Eccleſiaſtici (munera enim hoc loco aut privata dona quæ Epiſcopis miſſitarentur, aut oblationes quæ altaribus admoverentur & Deo offerrentur intelliguntur) hoc canone recipere prohibentur: quòd arbitrarentur Deum optimum maximum minùs ſibi gratam acceptamque hoſtiam & oblationes ejus ducere, qui non poſſet ſacroſancto Chriſti corpore paſci & refici. Quid quòd Deo oblationem ejuſmodi averſante & deteſtante, ea videri poſſet execratio & deteſtatio, quæ reliquo fidelium gregi non mediocriter obeſſet: deinde oblationes ejuſmodi poſtquam altari oblatæ eſſent, & Sacerdotum ſolemni religione ac precibus adhibitis Deo repręſentatæ, iis poſtea Eccleſiaſtici ad victum cibumque utebantur. Quapropter non communicantis munera tanquam inviſa Deo meritò rejiciebantur, & à clericis tanquam putida, & quorum odore offenderentur, faſtidiebantur: Carth. 4. can. 93. *Diſſidentium fratrum oblationes non recipiantur.* Ibidem, *horum qui pauperes opprimunt dona à Sacerdotibus refutanda.* Privata quoque munera ab ejuſmodi hominibus non erant accipienda, quòd nulli uſui eſſent futura, niſi ad pauperes aut clericos alendos.

CANON XXIX.

De Energumenis, qualiter habeantur [n] in Eccleſia.

n Deſunt Excuſ.

[l] Energumenus qui ab erratico ſpiritu exagitatur, hujus nomen neque ad altare cum oblatione recitandum, neque permittendum ut ſua manu in Eccleſia miniſtret.

l In aliis manuſcript. erat Energumena.

HUjus nomen. Energumenorum oblationes repellebantur; ideoque nomen eorum, neque apud Deum propitiandum adhibebatur: neque ejus mentio ulla in Sacerdotum precibus facta. hæc enim oblatio nominis, erat quædam communionis ſpecies: quæ non niſi ob duas cauſas ſuſcipiebatur. Prima cùm precatio ejus cauſâ fieret qui ſacro fonte intinctus eſſet, aut initiatus, aut abſolutus, aut in quem collatum eſſet aliquod ſacramentum; ejus ut omnis communionis fieret particeps no-

Gab. Albaſpin. Nota in varia Concilia.

men Deo in Altari offerebatur. Secunda cùm ad A Altare oblationes alicujus deferebantur; cùm eo duplici nomine nomina Deo proponebantur, ſeu coram Deo pronunciabantur; hoc eſt nomine ſuo Eccleſia nomina eorum Deo commendabat, idque oratione quadam ſeu precatione ſingulari facta. Epiſcopus igitur aut Sacerdus in altari nominatim appellaſſet Energumenum oblationis autorem, ac repręſentaſſet, ut ita dicam, eumque Deo precatione commendaſſet: ſed æquum non videbatur qui agitarentur immundis ſpiritibus, & qui ab oblationibus removebantur, eorum nomen in Altari recenſeri, quòd cum iis non eſſet ulla ratione communicandum.

Vt ſua manu. In Concilio Carthag. can. 91. id illis mandatum pręſcriptumque ut Eccleſias ipſas B verrerent, ob id maximè quòd in Eccleſiis pernoctarent, ut Dæmonum terrore atque metu liberarentur, id teſtante, atque enarrante can. 92. ejuſdem Concilii: quod hoc canone aut aliquid ſimile vetatur.

CANON XXX.

De bis, qui poſt lavacrum mœchaverint, ne ſubdiacones fiant.

n Subdiaconos eos ordinari non debere qui in adoleſcentia ſua o fuerint mœchati eo quod poſtmodum per ſubreptionem, ad altiorem gradum p promoveantur: vel ſi qui ſunt in C *præteritum ordinati amoveantur.*

m Mœchati fuerant Exc.
n Subdiaconum Exc.
o Fuerint mœchati Exc.
p Non ſit promoveantur.
q Si autem aliqui ſunt, & Exc.

OMnia fermè ea crimina quorum causâ clerici honore & gradu poterant privati, iiſdem erant impedimento quo minùs ad eoſdem gradus & honores adlegerentur, quamvis ea multò antequam promoverentur admiſiſſent. Pręterea in hoc canone illud advertas, ut in pluribus aliis canonibus ad Subdiaconos, & cęteros minores ordines ſeveras prioris illius diſciplinæ leges quæ in clericos ſancitæ eſſent non pertinuiſſe: ſed ad majores ordines Epiſcopos, Preſbyteros, & Diaconos: quibus cùm ſacroſanctum Chriſti corpus poſſent tangere, interdictæ eſſent nuptiæ, & cum fœminis conſueſcere. Porro ex poenitentibus, ex Neophytis, ex peregrè baptizatis, non D poterant adſumi, neque in iiſdem dignitatibus collocari, ſi poſt baptiſmum ſe aliquo crimine vel occultò ſeſe inquinaſſent. Lege canonem nonum Concilii Neocęſariani.

CANON XXXII.

c *De excommunicatis presbyteris, ut in neceſſitate communionem dent.*

" Apud presbyterum ", ſi quis gravi lapſu in ruinam mortis inciderit, placuit agere pœnitentiam non debere d, ſed potius apud Epiſcopum: cogente tamen infirmitate, neceſſe eſt presbyterum communionem præſtare debere, & E *Diaconum, ſi ei juſſerit Sacerdos.*

c Forte leg. de presbyteris, ut excommunicatis in neceſſ. &c.
d deſunt in Exc.
d Sine Epiſcopi conſultu, ſed pot. ap. E. cogente tamen inf. neceſſe eſt Presbyterum, aut Diaconum communionem ... præſtare debere, ut ei juſſerit Epiſcopus Exc.

PRohibentur omnino preſbyteri iſto canone poenitentiam excommunicatis impertire; quòd ſummæ poteſtatis jus eſſet, & quaſi ſupremæ juriſdictionis munus impoſitione manuum peccatori alicui poenitendi jus concedere: propterea quòd hoc ipſo facto excommunicato tolleretur poenitentiæ peragendæ facultas, & jus concederetur, peccatiſque certa quædam poena cruciatuſque decerneretur: atque ea cauſa eſt cur canones hanc poteſtatem ad ſolos Epiſcopos revocent transferantque: quæ enim major poſſet permitti poteſtas, quàm peccata æſtimandi? Priori igitur A hujuſce canonis parte ſtatuitur ut poenitentia à ſolis Epiſcopis imponatur: poſterioris verò non ita lucida & perſpicua eſt ſententia, multaque in ea reperientur ita latebroſa & obſcura, ut ejus ſenſus niſi paulò fuſiùs ſingula quęque diſcutiantur, aperiri non poſſit. An hujus extremæ partis ſenſus eſt, conceſſa ab Epiſcopo pœnitentia, pœnitentem à Preſbytero & Diacono abſolvi poſſe, ſi periclitari cœperit? an verò excommunicato poenitentiam concedendam eſſe à Preſbyteris & Diaconis ſi morte præveniatur, antequam ab Epiſcopo eandem poenitentiam potuerit accipere. hęc enim in alium ſenſum non ſunt dicta, neque ad Euchariſtiam poſſunt referri, quòd prioribus ſeculis gravioribus delictis, de quibus in hoc ca- B none agitur, non facilè ea concederetur: propterea neque in Concilio Nicęno, neque tempore Concilii Carthaginenſis ſecundi Preſbyteri vel cùm urgeret neceſſitas non poterant Euchariſtiam poenitenti abſoluto porrigere, (ut ex illius 13. & hujus 4. canone manifeſtum fit) multò magis quo tempore concilium iſtud eſt habitum, quando diſciplina Euchariſtica ſeverior eſſet, & paulò ut ita loquar acerbior. Supereſt illarum duarum explicationum nunc utra magis conveniat, exponere. Poſtremæ nil magis repugnare videtur, quàm quòd jus poenitendi ipſa poenitentia revera nec eſſet, neque à Patribus communio appelletur, quamvis eo nomine poſſet venire, cùm eâ poenitentibus anathema levaretur, poſſentque C dum in ea ſtarent excommunicari, ut loquuntur canones: quapropter ſi eo nomine quamvis minùs propriè, à Patribus potuerit cenſeri, egregiè totius canonis ſenſus cohæreret. nam in eundem planè ſenſum vox illa, *Communio*, accipienda videtur, atque prior illa *pœnitentia*. Patreſque ſancire à ſolo Epiſcopo petendam eſſe poenitentiam, non autem à Preſbyteris & Diaconis, niſi inſtante & premente morte. Præterea Diaconi hoc officio fungi poterant, & ab excommunicatione, ſi eis juſſiſſet Epiſcopus, abſolvere, quæ ſola in hoc canone explicando ſeſe obtrudit difficultas.

Ad peccatorum abſolutionem, extremam hujuſce Canonis partem nihil vetat referre, niſi D quòd Diaconi non eo jure abſolvendi fruerentur, manuſque non imponerent, ut abſolverent. Si tamen is ſenſus magis probetur de antiqua illa ceremonia, res eſt accipienda, quæ in eo poſita erat, ut cùm Epiſcopus manuum impoſitione ad conferendos ordines, aut abſolutionem dandam uteretur, alii Preſbyteri & Diaconi idem omnino facerent, & præeunte Epiſcopo manus imponerent. quiſquis enim primis illis temporibus abſolveretur, ei non ſolùm ab Epiſcopo, ſed à tota etiam Cleri turba, & collegio manus imponebatur: qui ritus manuſque impoſitiones adeo religiosè obſervabantur, ut Cypriani nulla major fuerit in martyres & lapſos, qui ab eis veniam E peterent, objurgatio, quàm quòd lapſi communioni reſtituerentur, antequam eis manus ab Epiſcopo & Clero eſſet impoſita. Poenitentibus igitur, inſtante obitu, manus Preſbyteri imponere jubentur, ut abſolvant: Diaconi item, non ut abſolvant, id enim à Preſbytero erant conſecuti, ſed ut multiplici illâ manus impoſitione intelligeretur, in multorum etiam ſocietatem (Chriſtianorum ſcilicet,) eos eſſe receptos. Canon igitur de illa abſolutione, & manus impoſitione comitativa loquitur, cùm ait, *& Diaconum*: ita enim legendum eſt, & ſequenda Garſiæ correctio, quæ particula illa, *&*, detracta, hanc, *aut*, repoſuit.

Placuit agere pœnitentiam. Hoc eſt Exomolo-

geſim agere apud aliquem, & ſe meritum fateri cui gravis imponatur pœnitentia.

Neceſſe eſt. Hæc verba nec congruere, nec conſentire videntur cum his, *ſi ei juſſeris Epiſcopus*: nam ſi neceſſariò pœnitentem debent abſolvere Preſbyteri, aut excommunicato, ſi morte prematur, pœnitentiam imponere, quamobrem jubentur hujus rei copiam, & facultatem priùs accipere ab Epiſcopo, qui dum conſulitur mors poteſt occupare pœnitentem aut excommunicatum: quare neceſſe eſt concedamus ſtatutum eſſe his verbis, ut ne quidem morienti liceat Preſbytero injuſſu Epiſcopi veniam indulgere. At verò de pœnitentia ſi mavis illic agi, quàm de abſolutione, id ita accipiendum ſi neceſſitas & excommunicati valetudo ferant, uti Epiſcopum conſulat Preſbyter, & ab eo jus concedendi pœnitentiam impetret: ſin ſecus, metuſque ſit ne morte præveniatur, licere Preſbyteris pœnitentiam imponere, quæ in morte, ni fallor, nunquam denegabatur.

Vulgaris editio quod ad hanc ultimam canonis partem attinet, non omnino rejicienda videtur, *Cogente tamen infirmitate non eſt Presbyterorum & Diaconorum communionem talibus præſtare debere, niſi eis juſſerit Epiſcopus.* Olim enim interdictum docet Preſbyteris, vel etiam in cauſa neceſſitatis, abſolutionem tribuere ſine facultate Epiſcopi: quod ſi perabſurdum portentique ſimile videatur, pœnitentes ſinere ſine abſolutione ex hac vita demigrare, ſanctum Innocentium adeat, & ultimum canonem Arelatenſis Concilii primi, primum & ſecundum Sardicenſis, tertium Valentiæ in Francia, & omnes hujus Concilii canones qui hæc habent, *nec in fine accipiant communionem.* Videturque vulgata editio atque etiam emendata, ſi de abſolutione accipiatur, non diſcedere ab ejus Concilii ſeveritate, & tempore quo celebratum & indictum eſt: eòque reſpexit Concilium Nicænum, cùm præfinitum ſtabilitumque ab eo eſt, uti premente neceſſitate liceat, vel ſine Epiſcopi facultate abſolutionem dare. Can. 13. *Ut ſi quis vita excedat ultimo & neceſſario viatico*, abſolutione, *minimè privetur.* Unde argumento eſt ante Concilium Nicænum aliud fuiſſe factitatum, ſaltem non ſine probabili conjectura id tueri poſſumus.

Cogente infirmitate. Quia non cogente à Preſbyteris nunquam abſolvi poterant, quòd in Eccleſia palàm abſolverentur pœnitentes, aut pœnitentiam acciperent excommunicati: officiaque omnia, quæ publicè fierent fungerentur Epiſcopi.

Communionem. Abſolutionem, aut pœnitentiam, hanc raró, illam frequentiſſimè hoc nomine vocatam reperies, vel etiam de utraque ſimul in hoc canone poteſt explicari: moribundis enim eadem benedictione jus pœnitendi unà cum pace relaxabatur.

Si ei juſſerit Sacerdos. Epiſcopus: ex iis liquet pœnitentiam imponere, abſolvere, & his ſimilia ita aliena fuiſſe à Preſbyteris, & præter eorum auctoritatem, ut ea curare atque iis ſeſe immiſcere, niſi juſſis, non liceret.

Totius canonis is eſt ſenſus: pœnitentia à ſolis Epiſcopis, eadem verò vel abſolutio moribundo poterit à Preſbyteris indulgeri, ſi ab Epiſcopo mittantur.

CANON XXXIII.

De Epiſcopis, & Miniſtris, ut ab uxoribus [a] *ſe* [a] *abſtineant.*

Placuit in totum prohiberi Epiſcopis, Preſbyteris [e], *& Diaconibus, vel omnibus Clericis poſitis in miniſterio, abſtinere ſe à conjugibus ſuis, & non generare filios* [f]; *quicumque verò fecerit ab honore clericatus exterminetur.*

[a] deeſt C. Alvel.
[e] & Diac. poſt in C. Alvel. ac Subdiaconibus poſitis. Exem.
[f] Quod quicumque fecerit ab. Excuſ.

Ridiculè hunc ita quidam interpretantur, quaſi eo prohibitos clericos, ne ab uxoribus abſtinerent, & verba accipienda eſſent. Sonant *prohibere abſtinere ſe à conjugibus*, ſed tanta & tam antiqua ea de re decreta repeiuntur, ut nihil ambigui in hoc eſſe poſſit.

In totum. Omnibus omnino clericis, non verò *omnino*, quaſi ante hoc interdictum aliquo tempore cum uxoribus conſueſcere potuiſſent.

CANON XXXIV.

Ne [g] *Cereum in cœmeteriis* [h] *incendatur.*

Cereos per diem placuit in cœmeterio non incendi: inquietandi enim ſpiritus ſanctorum non ſunt. Qui hæc non obſervaverint, arceantur ab Eccleſiæ communione.

[g] Cerei. Exe.
[h] incendan. Exem.

Hic canon illius Concilii difficillimus ſanè crucem fixit interpretibus, vix ut aut ne vix quidem explicari evolvique poſſit: quo factum eſt, ut perridiculas & valde abſurdas explicationes interpretes excogitarint: ideòque mihi magnopere metuendum, ne mea deterior ſententia exiſtimetur. Id autem omnino ſtatuendum eſt quod refelli à quoquam non poſſit, Chriſtianos priſcis temporibus in cœmeteriis verſari & commorari ſolitos: ibique dies noctéſque præconiis perſolvendis tranſigere, canone qui ſequitur id comprobante, ideoque rejici non poſſe quod dicimus, ob eam maximè cauſam, quòd tam multa tamque inſignia ederentur miracula, Deo id confirmante, quòd ibi reliquiæ Sanctorum in illis cœmeteriis ſub altaribus conquieſcerent. Ego autem facilè adducor, ut credam Concilii illius Patres opinionem mentemque Tertulliani, D. Cypriani, & eorum qui ea ætate florerent ſequutos, qui animas martyrum ſub altaribus hærere & habitare, ibique dum eorum mortem Deus ulciſceretur, expectare ſenſerunt: atque adeo verba illa capito 6. Apocalyp. ad verbum tueri ac recipere Divum Cyprianum de lapſis: *Sub ara Dei animæ occiſorum martyrum clamant magna voce dicentes: quouſque Domine ſanctus & verus non judicas & vindicas ſanguinem noſtrum de iis qui in terris inhabitant? & requieſcere ac patientiam adhuc tenere jubentur, & quemquem poſſe aliquis exiſtimat remittendis paſſim donandiſque peccatis bonum fieri contra judicem velle, aut priuſquam vindicetur ipſe alios poſſe defendere*, Quibus credere videtur Martyrum animas ſub aris quieſcere. Idem de Bono patientiæ: *Unde etiam clamantes martyres, & ad vindictam ſuam dolore erumpente properantes expectare adhuc jubentur, & temporibus conſummandis, implendiſque martyribus præbere patientiam, & cùm aperuiſſet, inquit agnus, quintum ſigillum, vidi ſub ara Dei animas occiſorum propter verbum Dei & martyrium ſuum, & clamaverunt voce magna dicentes.* Idem ad Quirinum, libro tertio, *Et cum aperuiſſem quintum ſignum, vidi ſub ara Dei animas occiſorum propter verbum Dei, & martyrium ſuum.* Tertullianus de reſurrect. carnis, capite 25. *Etiam in Apocalypſi Joannis*,

ordo temporum ſternitur, quem martyrum quoque animæ ſub altari altionem, & judicium flagitantes ſuſtinere didicerunt, ut prius & orbis de pateris Angelorum plagas ſuas ebibat, & proſtituta illa civitas à decem Regibus dignos exitus referat, & beſtia Antichriſtus cum ſuo pſeudo-propheta certamen Eccleſiæ Dei inferat, atque ita diabolo in abyſſum interim relegato, primæ reſurrectionis prærogativa de ſoliis ordinetur, dehinc & igni dato univerſalis reſurrectionis cenſura, de libris judicetur. Idem de anima, capite octavo: *Sol enim corpus, ſiquidem ignis, ſed quod aquila confiteatur, neget noctua, non tamen præjudicans aquilæ tantundem & animæ corpus invisibile carni ſi fortè, ſpiritui verò viſibile, ſic Joannes in Spiritu Dei factus, animas martyrum conſpicit.* Idem adverſus Gnoſticos, capite undecimo: *Sed & interim ſub altari martyrum animæ placidum quieſcunt, & fiducia ultionis candidam claritatis uſurpant, donec & alii conſortium illarum gloria impleant.* Quoniam autem cereis ardentibus, igni, fumigationibus, ſpiritus divexari experientia ipſa animadverterent: atque in eos magnam virtutem habere vim ignis: haud ſcio an illi Patres vetuerint admoveri cereos ardentes, ne animæ ſanctorum quæ ſub Altari permanerent, admoto igne inquietarentur: non alia mihi explicatio occurrit; quæ poteſt vel inde refelli quòd huic Concilio errorem affingat. Sed huic objectioni reſpondetur in Concilio totius Africæ, Numidiæ, Mauritaniæ, Patres decreviſſe Hæreticos eſſe rebaptizandos.

Quid in hunc canonem ſcripſerit Mendoſa mihi non eſt compertum, ſed Garſiæ interpretatio poteſt admitti: Sanctorum quippe nomine accipiendi ſunt fideles, quorum ſpiritus, dum orationis cauſâ ad Eccleſiam adveniunt, inquietantur frequentiâ & curâ immodicâ cereorum ardentium.

CANON XXXV.

Ne fœminæ in cœmeteriis pervigilent.

Placuit prohiberi, ne fœminæ in cœmeterio pervigilent; eò quòd ſæpe ſub obtentu orationis latenter ſcelera committant.

Multi in ſepulcris martyrum curabantur, multaque alia fiebant miracula, quorum cauſa ad eadem ſepulcra dies noctesque morabantur. Tertulliani quoque ætate, vel ante Tertullianum, tantus ad ipſa martyrum ſepulcra Chriſtianorum fiebat concurſus, ut ea re indignati Gentiles, areas Chriſtianis eriperent, hoc eſt, loca ubi corpora martyrum deponerentur, *Areæ Chriſtianorum non ſint, areæ eorum non fuerunt, merces enim ſuas non egerunt*: ad Scapulam.

CANON XXXVI.

Ne picturæ in Eccleſia fiant.

Placuit, picturas in Eccleſia eſſe non debere; ne quod colitur[c] *& adoratur, in parietibus depingatur.*

[c] A. aut Exc.

De picturis, & tabulis, non verò de ſignis aut ſtatuis hîc agitur: & de picturis quidem, non quibus ſancti & martyres, ſed quibus Deus ipſe ipſaque Trinitas repræſentaretur: illi ſiquidem non adorantur. Vetant igitur Deum in parietibus depingi, ne ſcilicet quem Gentilibus & Catechumenis immenſum, omnipotentem, inviſibilem, æternum, incomprehenſibilem, ſpiritualem, corporis & materiæ expertem & immutabilem prædicarent, eum ipſi Gentiles & Catechumeni in ipſorum Eccleſiis lineis, & coloribus circumſcriptum & comprehenſum cernerent. Ne igitur divini numinis majeſtas minueretur, & aliud de Deo depingeretur, quàm prædicarent, & quem ſupra homines extollerent humana ſpecie depictum oculis objicerent; vetant ne in Eccleſiis Dei imagines ſuſpendantur: hæc ad ſanctorum imagines nullatenus pertinent. Ad hæc ex Apologeticis pro Chriſtianis, ex Tertulliano & Minutio diſcimus, varios Deos Deorumque formas Chriſtianis Gentiles finxiſſe, ut quiſque ex eorum ritibus aliquid hauſiſſet, aut aliquid in eorum Eccleſiis adnotaſſet: ita vulgarum Solem eos adorare, quòd diebus ſolis frequenter in Eccleſias convenirent: res turpes eoſdem colere ſuſpicio fuit, quòd ad pedes Epiſcoporum volverentur pœnitentes. Ne igitur in mentem Gentilibus veniret Chriſtianos, hominem aut Deum humanæ ſpeciei ſimilem adorare, ſi humanas facies in eorum Eccleſiis intuerentur, Deum vetant in eis depingi.

CANON XXXVII.

De Energumenis[x] *non baptiſatis.*

[x] Baptiſandis. Exc.

Eos, qui ab immundis ſpiritibus vexantur, ſi in fine mortis fuerint conſtituti, baptiſari placet[a]*: ſi fideles fuerint, dandam eſſe communionem: prohibendum etiam, ne lucernas"* hi *" publicè accendant. Si facere contra interdictum voluerint*[b]*, abſtineant à communione.*

[a] Si vero fideles, &c. Exc.

" deeſt Exc.

[b] Abſtineantur. C. A. & reliqua deſunt.

Eorum qui ab immundis ſpiritibus infeſtarentur duo erant genera: quidam perpetuò agitabantur, alii lucidis intervallis gaudebant. in prima canonis parte dandum illis baptiſmum, aut communionem ſi mori eos contingeret: hi a communione, ſi contra diſciplinam quidquam faciunt, aut lucernas accendunt, pelluntur: ſed quorſum hæc verba, aut quamobrem de lucernis potius quàm de quavis alia re meminerint? Scimus Chriſtianis interdictum in feſtis Gentilium lucernas accendere; ſed neſcio cur hoc canone id Energumenis potius, quam aliis prohibetur, neque id conjectura ulla aut divinatione aſſequi poſſumus.

Ad eos etiam qui perpetuò vexarentur extrema canonis referri poſſunt, qui etſi neque Euchariſtiam adirent, neque in communionem precum vocarentur, excommunicari tamen poterant; hoc eſt funditùs ab Eccleſiæ aditu repelli, neque ad preces & ſupplicationes fundendas adhiberi, neque ut expiarentur admoveri: neque enim communione ſi quis precum aut altari privabatur, propterea eum excommunicatione perculſum fuiſſe exiſtimandum eſt: ut de Energumenis dici poteſt in quos anathema non contorquebatur. quid enim tali pœna, aut excommunicatione dignum præſtiterant, aut quo ſe peccato polluerant? ii tamen à communionibus ſecernebantur.

CANON XXXVIII.

Ut in neceſſitate & fideles baptiſent.

[c] *Peregrè navigantes, aut ſi Eccleſia in proximo non fuerit, poſſe fidelem, qui lavacrum ſuum integrum habet, nec ſit bigamus, baptiſare in neceſſitate infirmitatis poſitum Catechumenum: ita ut ſi ſupervixerit, ad Epiſcopum eum perducat, ut per manus impoſitionem*[d] *proficere poſſit.*

[c] Loco peregrè navig. C. A.

[d] Perfici. Exc. & C. A.

Hujus canonis ſenſus eſt, ſi cui Catechumeno terra vel mari certò occumbendum ſit: poſſe eum à laico ſacro fonte ablui, ſi copia ſacerdotis non ſit. neque verò canon iſte niſi ſola Catechumeni neceſſitate commovetur, hoc eſt non ait,

ſi in morte Catechumeni, unus laicus tantùm adeſſe videatur, imò contra ſubintelligi vult, ſi plures laici tali tempore non defuerint, tum ſtatui omnino vult, unus ut è laicis, qui nondum pœnitentiam exolverit, neque bigamus fuerit, baptiſet; idque ob eam rem, quòd neque Sacerdotes pœnitentiam peragere, neque ea perfectâ, abſolutâque ad id eligi, neque bigami eſſe poterant: quas quidem conditiones in uno laico qui baptiſet, requirit ille canon, quòd eo modo ſit Sacerdotis partes acturus, ſi tamen tunc temporis interveniſſet bigamus, unus tantùm idemque pœnitens, canon ille decreviſſet, vel ſi illa omnia impedimenta ſeſe obtuliſſent, ab eo potuiſſe ſacrum baptiſma conferri.

Qui lavacrum ſacrum integrum habet. Putarim iſta verba id indicare qui poſt lavacrum non peccarit, neque pœnitentiam ullam ſubierit: quòd peccato poſt baptiſmum commiſſo, omnium, ut ita loquar, gratiarum ac beneficiorum quæ acceperat, jacturam faceret: ideoque baptiſmum ejus qui deliquiſſet, non integrum, aut incorruptum videri ampliùs; quòd ex illo divinæ gratiæ, qua inſtructus erat, quaſi gradu excidiſſet. Patres autem iiſdem propemodum loquendi formulis abundant, aſſeruntque qui lavacro inito non peccant, eodem omnino candore vitæ & ſanctitatis eos conſpicuos eſſe quem baptiſmi beneficio acceperant: peccato autem intromiſſo candorem illum penitus inoleſcere & abſtergi.

Vt per manus impoſitionem. Ut confirmetur: Confirmatio enim perfectio vocatur Chriſtianorũ.

CANON XXXIX.

[e] *Gentilibus ſi in diſcrimine baptiſari expetunt.*

[e Vt Gentilibus deſiderantibus manus imponatur. Exc. f manus Exc.]

Gentiles ſi in infirmitate deſideraverint ſibi [f] manum imponi, ſi fuerit eorum ex aliqua parte vita honeſta, placuit eis manum imponi, & fieri Chriſtianos.

GEntilibus, qui in mortis diſcrimine baptiſati eſſent manus ab Epiſcopis imponendæ, & Confirmationis ſacramento ſignandi, ſi probi fuerint moreſque conſimiles fidei Chriſtianæ habuerint Nam ſi ex more turpiſſimorum hominum anteactam vitam duxerint, non ſunt confirmatione perficiendi, quantumvis omnibus vitiis & flagitiis caterent, & omnem extra noxam cenſerentur. Hunc ego ſenſum & explicationem confido Patres ipſos Eliberitanos agnituros pro legitima & pro nata; contra verò quam de baptiſmo nonnulli aſſerunt tanquam ſuppoſititiam repudiaturos, ſi utramque aſpiciunt. Quis enim unquam potuit dubitare an Gentiles eſſent in morte baptiſandi? Quis unquam docuit baptiſmum iis in morte denegandum eſſe, quorum vita non fuiſſet honeſta? Porro ubinam reperient baptiſmum manus impoſitionem nominari, & iſto nomine à Patribus appellari? Sed aiunt monere titulum ita hunc canonem eſſe accipiendum, *Gentilibus, ſi in diſcrimine baptiſari expetunt*, movere quoque & ſuadere hæc verba, *& fieri Chriſtianos*, Gentiliſque nomen, quo qui eſſent confirmandi nunquam appellarentur. Hæc adverſùm noſtram explicationem non magnopere faciunt, Nam non conſtat à quo, aut quando tituli appoſiti ſuit: Chriſtianique nomen etſi baptiſatis datum, propriam tamen hujuſce vocis vim & ſignificationem confirmatos indicare alibi obſervavimus, quòd Spiritu ſancto ejuſque charitate in confirmatione ungantur & illiniantur, Chriſtoque ſimiles efficiantur, qui à Spiritus ſancti unctione

A Chriſtus appellatur: Gentiles autem hoſce vocarunt Patres, quamvis eſſent baptiſati, ut de Catechumenis, qui in infirmitate baptiſarentur non agi docerent. Et quemadmodum canone quadrageſimo ſexto vocant apoſtatas fideles, ita hoc loco nominant baptiſatos Gentiles: non quòd eſſent Gentiles, ſed cùm in Catechumenatu non ſtetiſſent, fideique elementa non eſſent edocti, ideo Gentiles vocantur. nam alio nomine non poterant nominare & appellare ejuſmodi Gentiles qui extra ordinem & ſine Catechumenatu eſſent baptiſati. Quamobrem autem ſtatuerint Patres Eliberitani ut Gentiles, qui in infirmitate baptiſati eſſent, confirmarentur, ea potuit eſſe cauſa quòd B poſt confirmationem ſubinde nullâque interjectâ morâ Euchariſtia confirmatis tribueretur. Quidam igitur non exiſtimabant eam ſatis tutò & conſultò ejus fidei credi & committi poſſe, qui in rebus Chriſtianæ religionis, & in ejuſmodi myſteriis parum eſſet eruditus: nam ad ſanitatem ea accepta poterat redire, ejuſque myſteria, & arcana divulgare. Præterea myſteriorum participes hos eſſe nolebant, qui turpem vitam exegerant, ne recuperata ſanitate, animus prava conſuetudine & cupiditate detentus, ad eadem vitia faciliùs relaberetur, & indumentum Spiritus ſancti ipſumque Chriſtum exueret.

Gentiles. Pagani, qui ne morte interciperentur, extra ordinem baptiſati eſſent, & antequam C in Catechumenatu erudiri poſſent.

Si in infirmitate. Nam ſi mortis metus non urgeret, erudiendi erant antequam confirmarentur, aut baptiſarentur.

Deſideraverint. Non petentibus manus non erat imponenda, quòd baptiſmo ſatis ad ſalutem præſidii conſecuti eſſent.

Manum imponi. Confirmari: nam de ea manus impoſitione, quæ pro ritu & ceremonia in baptiſmo uſurparetur, næ illi egregiè hallucinantur, qui interpretantur, quaſi ea indignus ille videri potuiſſet, cui ipſummet baptiſmum collatum eſſet.

Fieri Chriſtianos. Unctione ſcilicet & ſancti Spiritus infuſione, ut loquitur D. Cyrillus Hieroſolymitanus.

Cæterùm in Concilio Arelatenſi primo can. 6. idem omnino ſtatuitur: *De his qui in infirmitate* D *credere volunt, placuit debere iis manum imponi.* Hoſt eſt, iis qui in infirmitate volunt baptiſari, Confirmatio quoque tribuenda.

CANON XL.

Ne id [g] quod idolothytum eſt fideles accipiant.

[g De hoc quod idolo datum eſt. Excuſ. h Inferant Exc. ferant C. Alvel. i Si vero poſt. Exc. k Temporis Exc.]

Probiberi placuit, ut cùm rationes ſuas accipiunt poſſeſſores, quidquid ad idolum datum fuerit, acceptum non [h] referant; ſi [i] poſt interdictum fecerint, per quinquennii ſpatia [k] temporum à communione eſſe arcendos.

E EX Poëtis illud haurias è terræ frugibus Diis ſuis libare, & offerre ſolitos Ethnicos; quod per canonem Chriſtianis facere non licet.

CANON XLI.

Vt prohibeãt domini idola colere [l] ſervis.

[l Servis ſuis. C. Alvel. m Admoneri Exc.]

[m] *Admoneri placuit fideles, ut in quantum poſſint, probibeant, ne idola in domibus ſuis habeant: ſi verò vim metuunt ſervorum, vel ſeipſos puros conſervent; ſi non fecerint, alieni ab Eccleſia habeantur.*

PRivatos domi Deos, & parva ſimulacra colebant. Suetonius in Domitiano: *Puer qui*

cura Larium cubiculi ex conſuetudine aſſiſtens. Hoc igitur canone admooentur patresfamilias oe domi à ſervis aut liberis hæc haberi & coli ſinant: ſi verò id præſtare nequeunt, ne ab eis deferantur & accoſentur, nihil illis immolent.

Si vim metuunt ſervorum. Verba iſta non dubitantet aſtruunt, Concilium illud difficillimis perſecotionum temporibus, atque adeo ante Conſtantinum convocatum. nam nominis delationem per ſervos ſuos fieri noo exhorruiſſent, ſi impunitate propoſita potuiſſent ad arbitrium religionem quamlibet amplecti & tueri.

CANON XLII.

De his qui ad fidem veniunt, [n] quando baptiſentur.

[n Quomodo Exc.]

Eos, qui ad fidem primam credulitatis accedant, ſi bonæ fuerint converſationis, intra [o] biennium placuit ad baptiſmi gratiam admitti debere; niſi infirmitate compellente, coëgerit ratio, vel [p] ocyus ſubvenire periclitanti, vel gratiam poſtulanti.

[o Bien. temporis Exc. temporum. C. Al.]

[p Succ. Exc.]

CAnone iſto patet Catechumenatus tempus biennii ſpatio contractum & definitum.

Ad fidem primam credulitatis accedunt. Ita loquuntur patres & canones Arelatenſes qui credere voluot: in hoc Concilio, can. 44. *Si poſtmodum ad credulitatem venerit.* Si ad Chriſti fidem venerit, ſi ſe in Chriſtum credere velle dixerit, ſi ſe erudiri rogaverit; hæc in eandem ſententiam accipienda, *ad fidem primam credulitatis,* qui de Chriſti fide doceri cupiunt: *qui primis fidei rudimentis* imbui cupiunt.

Si bona fuerint converſationis. Si faciant in ipſo Catechumenatu, quod fidei Chriſtianæ tyrone dignum ſit.

CANON XLIII.

De celebratione Pentecoſtes.

Pravam inſtitutionem emendari placuit, juxta authoritatem Scripturarum, ut cuncti diem Pentecoſtes poſt Paſcha [a] celebremus, non quadrageſimam, niſi quinquageſimam. Qui non fecerit, novam hæreſim induxiſſe notetur.

[a Cuncti celebremus quod quinquagesimam. Exc.]

NOn omnioo liquet hoc canone decretum diem duntaxat Pentecoſtes, an quinquaginta poſt Paſcha dies celebrandos: vulgaris lectio de ſolo Pentecoſtes die emendata totos quinquaginta dies feſtivos habendos ſtatuiſſe videtur, his adjectis, *non quadrageſimam, niſi quinquageſimam.* Præterea certum eſt ſuperioribus temporibus Pentecoſtes non unicum diem; verùm à Paſchate ad Pentecoſten totos illos dies à Chriſtianis celebratos. Tertullianus; *Excerpe ſingulas feſtivitates nationum, vix Pentecoſten implere poterunt.* Nicænum quoque Conciliom, eoſdem quinquaginta dies ſolemnes fuiſſe indicat, vetitis adgeniculationibus. Quapropter in eam potius ſententiam hunc canonem acciperem, ut dies quinquaginta quàm unicum Pentecoſtes diem obſervandum ſtatuat. verùm qua ceremonia quinquaginta illi dies traducerentur, non liquet: non ceſſatione operarum; neque enim credibile videtur, tenuiorum ſanè & inopum cauſa, quos ab intermiſſione laboris Pagani facilè internoſcere potoiſſent: quapropter potius exiſtimarim, quantùm ego conjicere poſſum, dies illos celebrari & agitari conſueviſſe, publicis de more miſſarum ſacrificiis, Euchariſtiæ quoque ſumptione ſanctiſſimè obita, aut elogiis recitandis. Addo etiam commune quoddam, & publicum gaudium quo elati jejunare deſinerent, Deumque ſtantes omiſſa genuflectione, laudibus & hymnis extollerent, & benedicerent.

CANON XLIV.

De meretricibus paganis, ſi [b] convertantur.

[b Convertantur Exc.]

Meretrix quæ aliquando fuerit, & poſteà habuerit maritum; ſi poſtmodum ad credulitatem venerit, incunctanter placuit eſſe recipiendam.

NOnnullis venerat in mentem ſubdubitare nom fœminæ illi, quæ ſe flagitiis criminibuſque implicaſſet, Catechumenatus tempus prorogandum eſſet, quòd in expiatione flagitiorum poneretur. Canon autem præſcribit eodem temporis intervallo, quo alii Catechumeni retineri poſſe: & illud *incunctanter* non indicat eodem puncto momentoque temporis recipiendam. Nam aliæ, quæ non ita ſceleratè flagitioſéque peccaſſent ante Catechumenatum, non eodem tempore quo ad Eccleſiam ſe conferrent, recipiebantur.

CANON XLV.

De Catechumenis, [c] ſi ad Eccleſiam non frequentant.

[c R. Ecl. Ex. & C. Al.]

Qui aliquando fuerit Catechumenus, & per infinita tempora nunquam ad Eccleſiam acceſſerit, ſi eum de clero [d] quiſque cognoverit eſſe Chriſtianum, aut teſtes aliqui extiterint fideles, placuit, ei baptiſmum non negari, [e] eo quòd in veterem hominem deliquiſſe videatur.

[d R. ... agnoverit ... Exc.]

[e Eo quod veterem hominem deliquiſſe, &c. C. Al. ...]

QUæ tandem res illa ſeu quæſtio, quæ hoc canone diſceptatur: utrumne id in eo conſtituitur, baptiſmus ut Catechumeno Apoſtatæ, ut ita dicam, non denegetur ſimul atque ſeſe obtulerit, tametſi non ſe legibus Catechumenatus alligandum tradiderit, ſi teſtificationibus veriſſimis comprobarit alias ſe Catechumenatus tempus præfinitum traduxiſſe: id ſanè credibile non eſt, quòd fidem faciat canon ille, cùm in eo de uno quodam, qui paganiſmum olebat (vetus inquam homo habebatur) diſſeritur, qui quòd longo intervallo à Chriſtiana fide defecerat, penitùs Paganus & Ethnicus exiſtimabatur, eratque. Neminem autem fugit, non ante quenquam Paganorum ſacro fonte ablui ſolitum, quàm inſtitutus inſtructuſque eſſet, & ſalutaribus Catechumenatus legibus eruditus perpurgaretur. Accedit eodem, quòd ſi Catechumeno ob flagitia & crimina in ipſo Catechumenato perpetrata, Catechumenatus tempus protraheretur, probatius multò futurum, ut Catechumenus Apoſtata, qui idololatriæ ſeſe ſcelere obſtrinxiſſet, & Catechumenatum ſuum, ipſamque Eccleſiam per infinita tempora deſeruiſſet, iterum Catechumenatus curriculum, quod aliàs percurriſſet, conficeret.

An verò præſcriptum fuit ad baptiſmum ſuſcipiendum Catechumenus Apoſtata, ipſo priùs Catechumenatus curriculo decurſo recipiatur, ac ſi aliàs nunquam in ipſum ingreſſus eſſet; ſed teſtimonium ſeu argumentum, quod canone ipſo deſideratur, ei adverſatur penitus. Quorſum quæſo ut inter Catechumenos reponeretur, nec eſſe eſſet priùs recognoſcere fueritne aliquando è Catechumenorum numero? Deinde nulla conditio requirebatur in eo caſu. ſive enim id teſtimonio aliquo confirmari

confirmari poſſet, ſive nulla teſtificatio proferretur: nec viſus atque flagitus coopertus quiſquam repelli poterat, aut excludi à Catechumenatu aut à baptiſmo. Neque enim Eccleſia unquam eo de facto dubitavit. Quid? quòd facile eſt videre non aliam ob cauſam illam teſtimonii authoritatem comparari, quàm ut apoſtata ille ſublevetur & patrocinio quodam ſulciatur. Quod tandem beneficium, aut gratia illa dici poteſt ejuſmodi hominem inter Catechumenos reponi; cumque interim baptiſmo privari, donec plenum atque integrum Catechumenatus temporis ſpatium, ac ſi in eo nunquam ſtetiſſet, decurrerit?

Quicquid tandem afferatur, non ſatis ad teſtes accommodari poterit, neque ſi dicas quorundam fuiſſe ſententiam ejuſmodi Apoſtatas diutius quàm cæteros Catechumenos, in ipſo Catechumenatu detinendos, quòd à fide defecerant, Patreſque hanc nimiam in eos acerbitatem ſuſtuliſſe, Catechumenatumque eis duorum annorum, & non ampliùs eis præſcripſiſſe: ſi modò teſtes inveniri poſſent, qui eos olim fuiſſe Catechumenos affirmarent. Sed quid opus erat teſtibus ad confirmandum eos olim fuiſſe Catechumenos, cùm id ipſum in hoc canone ſupponatur, & detur, & de his agatur qui fuiſſent Catechumeni? Nihil opus eſt probatione ad evincendum quod ita eſſe ponitur: imò ut leviùs caſtigarentur, contrarium potius erat probandum, eos ſcilicet nunquam fuiſſe Catechumenos; quia ob hanc maximè cauſam erant inviſi & puniendi, quòd ab Eccleſia deſciverant.

Quæ me res eò prorſus pellicit impellitque, ut nihil eorum quæ dixi, in canonis illius ſenſum intelligentiamque quadrare putem; ſed exiſtimarim agi de Catechumeno Apoſtata, qui mortis inſperatæ diſcrimine interceptus, baptiſmum peteret, & cui antè vox intercluderetur, quàm ad eum acceſſiſſet presbyter. Id ſi ita ſit, omnia canoni conſonant conſentiuntque: omnibus quippe canonibus paſſim legas deſiderari teſtimonium aliquod quo ii baptiſentur, quibus erepta vox eſt: non ſecus atque requiritur pœnitentium maximè cauſa, aut excommunicatorum, quibus hoc ipſum incommodum obtigiſſet, canone 76. Concilii Carthaginenſis quarti: *Qui pœnitentiam in infirmitate petit, ſi caſu dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppreſſus infirmitate obmutuerit, vel in phreneſim verſus fuerit, dent teſtimonium qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam; & ſi continuò creditur moriturus, reconcilietur per manus impoſitionem, & infundatur ori ejus Euchariſtia. Si ſupervixerit, admoneatur à ſupradictis teſtibus petitioni ſuæ ſatisfactum, & ſubdatur ſtatutis pœnitentiæ legibus, quandiu ſacerdos qui pœnitentiam dedit, probaverit.* Canone 12. Arauſicani primi, *Subitò obmuteſcens, prout ſtatutum eſt baptiſari, aut pœnitentiam accipere poteſt, ſi voluntatis præteritæ teſtimonium aliorum verbis habet, aut præſentis in ſuo nutu.* Leonis epiſtola 89. ad Theodorum Forojulienſium Epiſcopum: *Quòd ſi aliqua ægritudine ita fuerint aggravati, ut quod paulò ante poſcebant, ſub præſentia ſacerdotis ſignificare non valeant, teſtimonia eis fidelium circumſtantium prodeſſe debebunt, ut ſimul & pœnitentiæ & reconciliationis beneficium conſequantur, ſervatâ tamen regulâ canonum paternorum circa eorum perſonas qui in Deum à fide diſcedendo peccarunt.* Quibus locis, Patres eos eſſe baptiſandos quemadmodum ſtatuunt qui morbo obmutuerant, ſi reperiantur qui teſtimonium dicant, iiſque verbis utuntur, *ſi teſtimonium aliorum verbis habet?* Item. *Dent teſtimonium qui eum audierint.* Item, *Teſtimonia eis fidelium circumſtantium prodeſſe debebunt:* Non aliter hoc canone moribundi, & muti baptiſari jubentur. *Si eum de Clero*

Gab. Albaſpin. Notæ in varia Concilia.

A *quiſquam agnoverit voluiſſe eſſe Chriſtianum, ac teſtes aliqui extiterint fideles*, quorum ſcilicet fide & teſtimonio opus erat, ne invito & non petenti, Chriſti ſacramenta præberentur.

Huic explicationi non minimùm repugnare videntur hæc verba, *eo quòd in vetere homine deliquiſſe videatur*. quid enim attinebat ejus culpam minuere, cujus nullum tam grave facinus extare poterat, quod baptiſmi gratiam impediret? Sed quidquid tandem in hunc canonem dixeris, ea ipſa verba non minùs obſtare reperientur. Præterea magnum erat inter Catechumenos & Gentiles diſcrimen: horum levia ducebantur flagitia, illorum tametſi non omnino cenſerentur Chriſtiani, graviùs puniebantur, quàm Gentilium. neque B aliunde id potuit accidere quod quidam dubitarent an eſſent baptiſandi, qui ejurata fide ad idololatriam rurſus & Deorum cultum animum applicarant. Neque ita ratio dubitandi aliena erat ab auſtera ſeveraque diſciplina temporis illius quo Concilium indictum eſt. nam cùm iiſdem temporibus, & ob eaſdem cauſas abſolutio Apoſtatis qui immolarant in morte denegaretur, iiſdem judiciis hos Apoſtatas Catechumenos feriendos eſſe, erant qui ſuſpicarentur; quod dubium tollitur hoc canone: atque eodem docent Patres in Catechumenis Apoſtaſiam minùs flagitioſam videri, quòd non eſſent Chriſtiani, & errore atque ignorantia ducerentur, & peccarent.

Nunquam ad Eccleſiam acceſſerit. Deſierit eſſe C Catechumenus.

Cognoverit eſſe Chriſtianum. Voluiſſe eſſe Chriſtianum, ita legendum ex vulgari lectione: hoc eſt ſi quiſquam audierit baptiſmum eum antequam obmuteſceret petiiſſe.

Eo quod in veterem hominem. Vulgatis, *in vetere homine*, & meliùs. nam quidquid peccarant antequam ad fidem accederent, Chriſtumque agnoſcerent Gentiles, id in vetere homine, in Adamo, & in ſtatu ignorantiæ factum & admiſſum accipiebatur, atque adeo eorum peccata involuntaria vocabantur. His igitur, *vetus homo*, paganum deſignari putes. Ita loquuntur ſcriptura, Patres, Concilia. Tertullianus de pudicitia, *utroque homine purgatus*, pagano & hæretico: S. Leo epiſto- D la 91. *à conditione veteris hominis liberari.* Aiunt igitur Catechumenum, qui per infinita tempora militiam Chriſtianam tyrociniumque deſeruerit, baptiſandum eſſe, ejuſque Apoſtaſiæ peccatum à Gentili, non à fideli commiſſum cenſeri debere.

CANON XLVI.

De fidelibus ſi apoſtataverint, quandiu pœniteant.

Si quis fidelis apoſtata, per infinita tempora, ad Eccleſiam non acceſſerit: ſi tamen aliquando fuerit reverſus, nec fuerit idololatra, poſt de- E *cem annos* f*, placuit communionem accipere.* f Pla. comm. Exc.

PRæcedenti ſeu ſuperiori canone quid fieri agique oporteat contra apoſtatas Catechumenos, ut ita dicam, actum, & diſputatum: hoc autem quid contra apoſtatas fideles: atque hoc præcipuè ut decem annorum pœnitentiam facere cogantur, ſi non Diis immolarint? alioquin Concilium illis vel in ipſo exitu ſeu morte abſolutionis ſpem eripit.

Si tamen aliquando fuerit reverſus. Ante mortem ſcilicet; nam ſi in infirmitate & ſolo mortis metu veniam flagitarent, repellendi erant omnino canone ultimo Arelat. Concilii primi.

Nec fuerit idololatra. Nam ſi ſcelus geminaſſet, ut loquuntur, ne in morte quidem erat in gratiam reſtituendus.

CANON XLVII.

De eo qui uxorem [b] *habet, ſi ſæpius mœchatur.*

b Habet, ſi ſæp. Exc.

Si quis fidelis habens uxorem, non ſemel, ſed ſæpe fuerit mœchatus, in fine mortis eſt conveniendus: quòd ſi promiſerit ceſſaturum, detur ei communio: ſi reſuſcitatus, rurſus fuerit mœchatus, placuit alterius non [h] *ludere eum de communione pacis.*

h ? dere. Exc. non illudere alter de com. Aurch.

D*Etur ei communio.* Abſolvatur.

Vlterius non ludere. Abſolutio ei in morte deneganda. Ex iis liquet unicam olim poſt baptiſmum fuiſſe pœnitentiam, & eum perpetuâ pœnitentiâ puniendum qui impetratâ veniâ rurſus ad eadem relaberetur: idem Canone tertio.

Communio pacis. Communio, communio pacis, communio fraternitatis, abſolutio, ſimplex reconciliatio, & ſimilia ejuſdem ſunt ſignificationis.

CANON LIV.

De parentibus qui fidem ſponſaliorum frangunt.

Si qui parentes fidem fregerint ſponſaliorum, triennii tempore [k] *abſtineant ſe à communione: Si tamen iidem ſponſus vel ſponſa* [l] *in illo gravi crimine fuerint deprehenſi, excuſati erunt parentes:* [m] *Si in eiſdem fuerit vitium & polluerint ſe* [n] *conſentiendo, ſuperior ſententia ſervetur.*

k Abſtineāt ſe à communione, ſi Exc. Ivo.
l In illo gravi. Exc.
m Si vero in eodem vitio, & ipſi conſentiendo. Exc.
n Superioris. C. Al.

I*N illo gravi crimine.* Hæc lectio mihi magis arridet, quia magis conſentanea rationi: rationem quippe continet, quamobrem parentes omni colpa & crimine liberat, quia cùm qui matrimonium contraxerant ſponſi & ſponſæ, fidem datam perfregerint, parentes & agnati omni culpa vacant.

CANON LV.

De ſacerdotibus Gentium, qui iam non ſacrificant.

Sacerdotes, qui tantùm [a] *coronam portant, nec ſacrificant, nec de ſuis ſumptibus aliquid* [b] *ad idola præſtant, placuit poſt biennium accipere communionem.*

a Sacrificantium coronam. Exc. C. Al. coronat;
b Idolis Exc.

S*Acerdotes.* Sole meridiano clarius eſt de Chriſtianis, qui Paganorum ſacerdotes eſſent verba fieri, non autem ut quidam exiſtimant, de iis qui antequam Chriſtianam fidem complexi eſſent, eo ſacerdotum officio fungerentur. unde conjicias non obſcurè confirmari ea, quæ prioribus canonibus attulimus, in iis de flaminibus diſputari, qui Chriſtiani eſſent; non autem qui fuiſſent; neque enim unquam per Canones videas ea caſtigari peccata, quæ ante baptiſmum committerentur: quin neque Canon, neque locus ullus, neque auctoritas Patrum afferri poteſt, quæ id probet. Plurima autem variaque erant idololatriæ genera apud Ethnicos: ideoque præter Canones ſuprà citatos Patres illi genus aliud animadverſionis aut pœnæ decreverunt in ſacerdotes Paganorum, tametſi aliud nihil quàm coronā geſtarent, neque ullos, quò Diis honos perſolveretur, ſumptus facerent.

CANON LVI.

De Magiſtratibus & [c] *duumviratis.*

c dominantibus.

Magiſtratum verò uno anno, qui agit duumviratum, [d] *prohibendum* [e] *placuit, ut ſe ab Eccleſia cohibeat.*

d prohiberi Exc.
e placet. C. Al.

V*No anno.* Quòd duumviri, non ultra annum unum magiſtratum protraherent.

CANON LVIII.

De his, qui communicatorias literas portant, " *ut de fide interrogentur.* "

" deſunt in Exc.

Placuit, [g] *ubique & maximè in eo loco, in quo* [h] *prima cathedra conſtituta eſt Epiſcopatus, ut interrogentur hi, qui communicatorias literas tradunt, an omnia rectè habeant;* [i] *ſuo teſtimonio comprobati.*

g ubicunque. Exc.
h prima cathedra conſtituta eſt epiſcopus. Exc.
i & ſuo teſt. comprobent. Exc. & omnia manuſcripta.

S*Uſcipi aut confici peregrinationes, & itinera non poterant, ſine literis communicatoriis, aliter jure hoſpitalitatis caruiſſent: quod à Chriſtianis uſurpabatur; neque ad communionem admitti eos fas erat. Hic autem mos invaluerat, ut Epiſcopi in iis literis, quas viatores Epiſcopis legendas offerebant, adſcriberent diem illum, quo illi diœceſim obiiſſent, & quemadmodum ſe in ea geſſiſſent: atque iſta ratio ſuſcipiendi viatores, agendique cum illis eò pertinebat, ne cum peccatoribus commercio aliquo communicarent. Quis enim non intelligit eos toto illo itinere perficiendo peccare, ſuoque congreſſu ac ſocietate, in eandem turpitudinem eos, qui nec opinantes, aut cogitantes, cum iis verſati fuiſſent, potuiſſe pertrahere? Hoc autem ex hoc canone collige viatores literas communicatorias non ſolùm Epiſcopis, ſed & Eccleſiarum rectoribus, aut quacumque tranſirent obtuliſſe: verùm ſimile tamen eſt ab aliis præterquam ab Epiſcopis, nil quicquam in ipſis literis adnotatum.

CANON LIX.

De fidelibus, ne ad Capitolium cauſâ ſacrificandi aſcendant.

Prohibendum, ne quis Chriſtianus [k], *ut Gentilis ad idolum Capitolii cauſa ſacrificandi, aſcendat, & videat: quòd ſi fecerit, pari crimine teneatur. Si fuerit fidelis, poſt decem annos, actâ pœnitentiâ, recipiatur.*

k aut. Exc.

A*Rbitror ita legendum eſſe *cauſâ ſacrificii*; ſubintellige *videndi*. nam ſi animo ſacrificandi interfuiſſent, atrociori ſupplicio afficerentur, neque in morte iis ad communionem aſpirare liceret.

Quòd ſi fecerit. Si ad Capitolium aſcenderit, ut ſacrificio intereſſet, neque tamen illud aſpicere, aut intueri ei licuerit, pari pœna ſupplicioque mulctetur, atque illud ſi oculis uſurpaſſet, cùm ejus voluntas fuerit ut videret. Neque verò ſenſus ſententiaque ita perſpicua manifeſtaque, ſi de iis ſermonem fieri dicamus, qui ſacrificandi cauſâ eò pergerent, qui tamen non ſacrificarent, quique tantùm id à ſe viſum eſſe & ſpectatum lætarentur, quia nec in morte communione erant donandi, qui ſacrificarant, ut ex primo canone conſtat.

CANON LX.

De his qui deſtruentes idola, occiduntur.

Si quis idola fregerit, & ibidem fuerit occiſus [l]; *quatenus in Evangelio ſcriptum non eſt, neque invenitur* [m] *ſub Apoſtolis unquam factum, placuit* [n] *in numero eum non recipi martyrum.*

l quia tan.
m ab Exc. Ivo. Burch.
n numerorum. Exc.

I*N numero eum non recipi martyrum.* Ex D. Cypriano colligitur annua die memoriam olim martyrum celebratam. nam actis publicis inſcribeba-

tur quo quiſque die martyrium ſubierat. Ex hoc canone non ſolùm neminem poſt mortem in eorum relatum eſſe numerum niſi ex præſcripto & mandato Eccleſiæ, ſed eam etiam eoſdem martyres coluiſſe, & precibus proſecutam eſſe: quamobrem enim eorum cauſam habuiſſet, niſi ut falſi & pſeudomartyres non colerentur?

CANON LXI.

De his qui duabus ſororibus copulantur.

a ſit. Ex. b quinquennii. Exc. c abſtinere. Exc.

Si quis poſt obitum uxoris ſuæ, ſororem ejus duxerit, & ipſa[a] *fuerit fidelis*[b], *quinquennium à communione placuit*[c] *abſtineri; niſi fortè dari pacem velocius neceſſitas coëgerit infirmitatis.*

E*T ipſa fuerit fidelis.* Quia ſi ea Gentilis fuiſſet, geminato ſcelere, legibus graviores pœnas dediſſet.

CANON LXIII.

h de adulterio. Exc.

De uxoribus, quæ filios[h] *ex adulterio necant.*

i ſi qua mulier. Exc. k marito ſuo. C. Al. l in neque. Exc. et vix in Bonb.

Si qua[i] *adulterium, abſente*[k] *marito, conceperit, idque poſt facinus, occiderit, placuit,* [l] *neque in fine dandam eſſe communionem; eo quod geminaverit ſcelus.*

C

ZEphyrini edicto, mœchia paulò pòſt homicidium, veniam poſt longam pœnitentiam impetravere, ſed hujuſce Concilii tempore, qui utriuſque hujus criminis reus deprehendebatur, nec in fine paci Eccleſiæ reddebatur: ſceleris geminatio aut repetitio, vel in extremo vitæ periculo communione indigna videbatur.

CANON LXV.

De adulteris uxoribus Clericorum.

q ſciat. Exc. r deſinat ab. Exclaſ.

D

Si cujus clerici uxor fuerit mœchata, &[q] *ſcierit eam maritus ſuus mœchari, & non eam ſtatim projecerit, nec in fine accipiat communionem: ne ab his qui exemplum bonæ converſationis eſſe debent, "ab eis" videantur ſcelerum magiſteria procedere.*

C*Lerici.* Lectores ſcilicet, Exorciſtæ, & ejuſmodi minorum ordinum Eccleſiaſtici, qui cum uxoribus unà manere poterant.

CANON LXVII.

De coniugio Catechumenæ fœminæ.

a comatos, aut viros cinerarios habeat, quæ hoc fecerit à com. arceatur. Exc.

E

Prohibendum, ne qua fidelis, vel Catechumena, aut comatos, aut viros cinerarios habeant. Quæcunque hoc fecerint à communione arceantur.

QUi tituli hujuſce canonis fidem & auctoritatem ſequeretur, de maritis Catechumenarum eum agere exiſtimaret, multumque ſolicitus eſſet quamobrem vetaret Catechumenas comatis & cinerariis nubere. Puellis enim quæ eſſent in patria poteſtate id vitio aut fraudi verti non poterat: præterea & ſi genus eſſet aliquod vitii aut peccati hiſce rebus nimium ſtudere, tam grave tamen videri non potuit, ut ejuſmodi hominum uxores alieni delicti pœnas darent. Ad hæc cùm gentilibus non liceret filias locare, in maritos potius quàm in uxores erat animadvertendum: ex *Gab. Albaſpin. Notai in varia Concilia.*

A quibus perſpicere licet de maritis Catechumenarum mentionem hîc non eſſe, ſed de viris quos nonnullæ mulieres in deliciis haberent.

Comatos aut viros cinerarios. Non immutanda hæc lectio: mulieres enim intemperantes & paganæ illarum maximè regionum quæ ſolis æſtu ardoreque torrentur, ut Hiſpaniæ, Africæ, Ægypti, & aliorum locorum evocare ad ſe ſolebant aut inter ſervos habere externos, ut Germanos & è Gallia petitos viros, quibus natura ipſa elegantiorem formam ſpeciemque cæli & ſolis clementia induxerat, quàm iis qui propiùs à vehementiſſimo calore abeſſent: atque ob eam cauſam maximè ut ad libidines explendas eorum operâ abuterentur.

B Tertullianus ad uxorem libro ſecundo exprobrat viduis eaſque criminatur, quòd paganos opibus affluentes eligere malint quàm pauperes, & tenuis fortunæ Chriſtianos, quò faciliùs ſumptus faciendos ſuſtineant; *bonum exhibenda ſella & mulabus & cinerariis peregrina proceritatis.* Clemens Alexandrinus Catechumenorum inſtitutor ac doctor eam conſuetudinem vituperat. Canon igitur vetat ne Chriſtianæ aut Catechumenæ mulieres Ethnicorum morem æmularentur, ſervoſque comatos haberent, quæ Dominæ impudicitiam exprobrarent. Cap. 8.

A communione arceantur. Catechumena à communione & à ſocietate fidelium non poterat arceri; ſed ab Eccleſia & à Catechumenatu.

CANON LXVIII.

De catechumena adultera, quæ filium necat.

Catechumena ſi per adulterium conceperit[b] *& præfocaverit, placuit in fine baptiſari.*

b & conceptum necaverit, p. eam Exc.

PAulò altiùs idem Concilium communionem adimit vel in morte Chriſtianæ mulieri, quæ in idem peccatum prolapſa fuerit; hîc contrà Catechumena non niſi prorogationem Catechumenatus pœnæ nomine ſuſtinet.

CANON LXIX.

De viris coniugatis, poſtea in adulterium lapſis.

Si quis fortè habens uxorem, ſemel fuerit lapſus, placuit, eum[c] *quinquennium agere de ea re pœnitentiam, & ſic reconciliari: niſi neceſſitas infirmitatis coegerit, ante tempus dare communionem. Hoc & circa fœminas obſervandum.*

c quinquennii agere debet. pœnit.

SUnt qui probant ex hoc canone *reconciliare*, nihil aliud olim fuiſſe quàm communionem dare; & rectè. Nam multa ſunt quæ hanc explanationem comprobant: ſed cùm aiunt, *communionem*, Euchariſtiam ſignificare, vetereſque ſacramentum reconciliationis cum ſacramento Euchariſtiæ ſemper conjunxiſſe, aut communione Euchariſtiam ſemper intelligi; errant meo judicio atque huic opinioni ſubſcribere non poſſum. nam in tertio pœnitentiæ gradu pœnitentes & ſubſiſtentes communicabant, erantque reconciliati, qui Euchariſtiæ non participarent.

CANON LXXII.

De viduis mœchis, ſi eundem poſtea maritum duxerint.

Si qua vidua fuerit mœchata, & eundem poſtea habuerit maritum, poſt quinquennii tempus, acta legitima pœnitentia, placuit, eam [g] *communioni reconciliari: ſi alium duxerit, relicto illo, nec in fine dandam eſſe communionem: vel ſi fuerit ille fidelis, quem* [h] *accepit, communionem non accipiat, niſi* [i] *poſt decem annos, acta legitima pœnitentia,* [k] *niſi infirmitas coëgerit velocius dare communionem.*

g Communioni. Exco ad communionem Grat.
h acceperit Exc. accipit. C. A.
i per C. A.
k velocius C. A.

F*Verit mœchata.* Vidua poteſt mœchari cum homine conjugato.

Acta legitima pœnitentia. Illa vocabatur legitima, quæ omnes pœnitentiæ gradus, vel tres ad minimum pertranſiret; & in unoquoque bona fide & ex animo pœnitentium ritus & ærumnas pateretur.

Vel ſi fuerit fidelis ille quem acceperit. Hoc ita intelligo, ſi relicto viro alium & fidelem duxerit, fidelis ille decem annos communione privetur. Hæc mulcta viro non mulieri imponitur: nam in minori non erat culpa ſi fideli quàm ſi gentili nupſiſſet.

Poſt decem annos. Quibus rebus toto hoc tempore vacarent, aut quot eis annos in unoquoque pœnitentiæ gradu ſtandum & morandum eſſet, non præſcribunt, quòd ni fallor, id Epiſcopi arbitrio permitteretur, cujus partes eſſent animos pœnitentium obſervare, & ita tractare ut ad exitum pœnitentiæ pervenirent, & graduum moras & diſcrimina præcipiti feſtinatione non confunderent.

CANON LXXIII.

De Delatoribus.

Delator ſi quis extiterit fidelis, & per delationem ejus [l] *aliquis fuerit proſcriptus, vel interfectus, placuit, eum* [a] *nec in fine accipere communionem. Si levior cauſa fuerit, intra quinquennium accipere poterit communionem. Si Catechumenus fuerit,* [b] *poſt quinquennii tempora admittatur ad baptiſmum.*

l aliquis fidelium ſ Grat.
a eicas non niſi in fine in Exc. Burch & Grat.
b poſt quinquennium. Grat. & Exc.

D*Elator.* Qui ad judices ſeculares Chriſtianos deferebat, atque eos eo nomine accuſabat; verba iſta *proſcriptus & interfectus*, apertè coarguunt, ita rem ſe habere: neque enim unquam, quemquam Eccleſia aut proſcribit, aut morte mulctat. hoc propterea dixi quòd cùm de falſis teſtibus, aut delatoribus in canonibus agitatur, id de peccatis potius quàm de criminibus, & de Eccleſiaſticis quàm de Judicibus & Magiſtratibus accipiendum ſit.

CANON LXXIV.

De falſis teſtibus.

Falſus teſtis prout crimen eſt abſtinebit: ſi tamen non fuerit mortis quod objecit. Et ſi probaverit, quod diu tacuerit, biennii tempore abſtinebit. Si autem non probaverit in conventu Clericorum, placuit per quinquennium abſtinere.

Secundum vulgatam editionem.

V*Erè* editio vulgaris multò melior, quàm Garſiæ: neque enim ſententia ulla, aut ſenſus canonis illius ex ejus editione elici poteſt. Meo quidem judicio, canone illo agi videmus de iis A qui apud Epiſcopum, aut Clerum aliquos inſimulant peccati, aut flagitii alicujus admiſſi: ut verba illa, *non probaverit conventui Clericorum, aut in conventu Clericorum*, clariſſimè demonſtrant, primaque illa canonis ejus parte diſſerit de modo quo puniendi ſunt, qui falſum crimen & peccatum innocentibus coram Eccleſiaſticis obtrudunt. In ſecunda quemadmodum ii caſtigandi ſunt, qui diutius accuſationem potulerint, quamvis accuſationis ſuæ crimina illata probent, quòd ſua illa dilatione ſeu procraſtinatione forſan contigerit, ut peccati contagione ſeu labe contaminatus aliquis, aliis fidelibus ſuo congreſſu labem intulerit, & cum eis communicaverit. In ultima parte de iis qui non falſum teſtimonium quidem B attulerunt, ſed cùm aliquem deliquiſſe criminentur, id argumentis ſigniſque veriſſimis probare non poſſunt. Quo fit, ut tota iſta vivendi diſciplina ratioque accuratiùs multò ſolertiúſque alibi ſuo loco cum otio pertractanda videatur. Ideoque canone illo præcedenti delatores, *nec in fine accipiunt communionem*. & in ipſo, falſi teſtes ipſi leviùs humaniúſque tractantur, quòd uno canone de judicibus ſecularibus, altero de Eccleſiaſticis agatur.

Falſus teſtis. Qui coram Epiſcopis & Eccleſiaſticis aliquem criminatur.

Prout eſt crimen. De minimis offenſis id accipiendum.

Abſtinebit. Pauco tempore ab Euchariſtia removeatur.

C *Si tamen non fuerit mortis.* Nam ſi grave & atrox aliquod facinus falſò objeciſſet, graviori pœnitentia erat mulctandus, pœnitentia ſcilicet ad mortem, ut liquet ex Conciliis Arelatenſibus, canone 14. & 24.

Et ſi probaverit. Si verò non ſit falſus teſtis; ſed diu reticuerit quod potuit probare, hoc eſt ſcelerum reos & conſcios non detexerit, biennio abſtineat. Cùm ad ea animum adverterem, ſuſpicari cœpi verba non eſſe de teſtibus, qui coram judicibus ad accuſationem inſtruendam adducebantur, quos Eccleſia à teſtimonii dictione dimoviſſet, potius quàm ad quenquam accuſandum inſtigaſſet.

D *Diu tacuerit.* Quod Eccleſiæ aperire debuerat, ut à communione tabidæ & morbidæ oves extruderentur ne cæteras inficerent: ea eſt cauſa cur Clericis Chriſtianorum erant crimina detegenda: ſed laicis judicibus ex ſententia Eccleſiæ nunquam ſatis diu occultari poterant.

Si autem non probaverit. Teſtis etſi non eſſet falſus, aut redemptus, ſi non probaſſet quod objecerat, quinquennio abſtinebat.

In conventu Clericorum. Nonnulli etiam ex Preſbyteris cum Epiſcopo judices erant conſtituti ad fidelium crimina, quæ ab aliis docerentur, æſtimanda & examinanda: idcirco aiunt *in conventu clericorum*: iiſdem enim criminum probationes erant E exponendæ, quibus eadem ipſa crimina judicanda proponebantur. Tertullianus docet in Apologetico, Epiſcopis Preſbyteros adſediſſe: *Ibidem etiam exhortationes, caſtigationes & cenſura divina nam & judicatur magno cum pondere, ut apud certos de Dei conſpectu, ſummumque futuri judicii præjudicium eſt, ſi quis ita deliquerit, ut à communicatione orationis & conventus, & omnis ſancti commercii relegetur,*

CANON LXXV.

h Deſunt in Em.

De his, qui Sacerdotes h *vel Miniſtros* h *accuſant, nec probant.*

Si quis autem Epiſcopum, vel Presbyterum, aut Diaconum falſis criminibus appetierit, & probare non potuerit, k *nec in fine dandam ei communionem.*

k Hunc locum probat decretum Gregoriani, apud Adrianum, & Ivonem eſt manifeſto fraudatum ei, eſſe communionem.

HOc ipſum referri debet ad accuſationes, quæ coram Eccleſia diſceptantur.

Falſis. Falſis & gravioribus.

Nec in fine. Iis qui ceteris pręſiderent crimen quamvis falſum affingere, gravis erat culpa, eaque ſeveriùs vindicanda, quàm ſi fidelem accuſaſſet.

CANON LXXVI.

l Si Em. & A. C. m Probentur. Em.

De Diaconibus, l *qui, ante honorem peccaſſe* m *probantur.*

Si quis Diaconum ſe permiſerit ordinari, & poſtea fuerit detectus in crimine mortis, quod aliquando commiſerit; ſi ſponte fuerit confeſſus, placuit, eum, acta legitima pœnitentia, poſt triennium, accipere communionem. Quòd ſi alius o *eum* o *detexerit, poſt quinquennium, acta pœnitentia, accipere communionem laïcam debere.*

o Deeſt. Em.

QUod verò hoc Canone tractatur illud eſt, ſi Diaconus quadam ſua facilitate ſeu conſilio adductus, promoveri ſe ſiverit ad Diaconatum peccati alicujus mortalis conſcius quod reticuerit cùm examinandum ſeſe obtuliſſet, quo poſtea peccato contra ipſum prolato probatoque, aut ipſomet auctore confitente, quod conſcientia maleficii examinaretur, Diaconatu ipſo abdicet ſeſe, triumque aut quinque annorum pœnitentiam ſubeat, qua peracta in cœtum numerumque laïcorum aggregetur, nec ampliùs è numero Eccleſiaſticorum cenſeatur.

Diaconum. De aliis minoribus ordinibus idem non fuiſſet judicium.

Se permiſerit ordinari. Nam lethaliter ſe peccaſſe, ſi confeſſus fuiſſet, laicus remanſiſſet.

In crimine mortis. In gravi & mortali culpa.

Quod aliquando commiſerit. Si à baptiſmo ſemel tantùm peccaſſet, indignus erat qui promoveretur.

Accipere communionem. Laïcam ſcilicet, & in laïcorum numerum & ordinem detrudere. quicunque enim inter pœnitentes viſus eſſet & legitimam egerat pœnitentiam, is procul à clero relegabatur.

CANON LXXVII.

De Baptiſatis, qui nondum confirmati moriuntur.

Si quis Diaconus regens plebem, ſine Epiſcopo vel Presbytero aliquos baptiſaverit, Epiſcopus eos per benedictionem perficere debebit. Quòd ſi antè de ſeculo receſſerint, n *ſub fide, qua quis crediderit, poterit eſſe juſtus.*

n Receſſerit. Em.

QUis tandem hujus Canonis amabo vos ſenſus eſt, aut quid tandem in dubium revocabant; nonne omnia baptiſmo deleri & exterminari peccata profitebantur? quòd ſi expungerentur, quamobrem quæſo qui baptiſati abſque confirmationis Sacramento è vita deceſſiſſent, non juſti

A habiti judicatique fuiſſent? Ad extremum quid ſibi illa vox *juſti* in illo vult Canone? quod ſi *juſti* nomen ſignificatioque in illum non caderet, quorſum de ea re diſceptatio? Eccleſiæ nullum ampliùs cum illis erat commercium. Canonis hujus ſenſus eſt, mens & intelligentia ſi oblationes admitti poſſunt, atque adeo communione conjungi cum illis poſſumus, qui ſine confirmatione & ſacroſancto ſacramento interierint: (hac enim ratione poſt mortem in communionem admittebantur) quòd perfectionem Chriſtianorum non eſſent aſſecuti, atque adeo eo nomine *juſti*, non dicerentur. Confirmatio namque extremam quaſi manum perfectioni addere videbatur, & tanquam B faſtigium imponere, qua quis Chriſtiani nomine & Euchariſtiæ ſumptione dignus putaretur. Qui igitur non eſſet confirmatus, Euchariſtiâ non donabatur, quam qui nondum eſſet aſſecutus, neque ſanctus, neque juſtus, aut fidelis nominabatur; quòd Euchariſtia extremus eſſet actus formaque Chriſtiani hominis, cujus quadam vi atque efficacia, ſanctitatis laude præſtans, & divinitatis cujuſdam particeps, Chriſtique domini membrum redderetur, quòd ejus ſacroſancta carne paſtus eſſet, Chriſtoque cum domino, quadam conſociatione conjungeretur. Primis quidem temporibus ſubdubitatio illa non defuit, utrum admitterentur oblationes, communioque Chriſtianis omnibus intercederet cum eo qui his C omnibus quaſi pręſidiis minùs inſtructus cùm eſſet, perfecti verique Chriſtiani hominis virtute ſpoliaretur; adeo incorrupta & omni religione munita primorum patrum tempora dicebantur.

Dici & illud poteſt illam dubitationem non alienam à temporum illorum diſciplina. nam quamplurimi, quamvis omni vitiorum labe ac colluvione purgatos eos eſſe conſtaret, non ideo ad ſacram Synaxim accedebant, neque eorum oblationes probabantur: ut eorum qui eſſent in quarto pœnitentiæ gradu, quorum exemplum quidam ſibi proponentes, facilè eo propellebantur, ut crederent eorum etiam oblationes repudiandas, qui ſacro pane non refecti, omnibus licet peccatorum maculis deterſis occidiſſent. Tan- D ta cura tantaque animi proviſione ac pręcautione proſpiciebant, ne quid offenderent, aut turbarent in recipiendis, uſque Deo repręſentandis alicujus oblationibus: neque verò cujuſquam, niſi ſanctiſſimi juſtiſſimique viri oblationes æquo animo ferebant.

Id ita eſſe quod hoc canone conſtitutum eſt; cùm hujus verbi ſenſus, *juſtus*, tum voces iſtæ, *poterit eſſe juſtus*, eò me pertrahunt. Videntur quippe voces illæ inſinuare & ſonare aliquid, quo poſito quis juſtus & haberi & eſſe poterat, defunctique affinibus & agnatis permittere aliquid, quod ejus causâ præſtent: ut oblationes offerre, adeo ut nomen, *juſti*, defunctus ſibi vendicet: E ut & ipſi Concilii hujus canones omnes non aliò ſpectant, quàm ut certa quædam forma diſciplinæ pręſcribatur iis in rebus, quæ ad praxim rediguntur. Quo conſtituto credibile eſt, hunc canonem ad ea quæ geri tranſigique poſſint revocari tantùm, ut ad oblationes defuncti recipiendas: neque verò eo Patres definite aut ſtatuere quenquam æternæ vitæ compotem, ſine confirmatione fieri poſſe; ſed certè id corroborare, oblationes ejus ſcilicet qui ſine confirmatione obiiſſet, tanquam hominis juſti, ab Eccleſia non eſſe negligendas.

Sub fide. Per fidem quam in baptiſmo adeptus eſt.

Poterit eſſe juſtus. Sanctus & in communione Sanctorum recipi.

CANON LXXIX.

De his, qui[a] tabula ludunt.

a Sic & C. A.

b Aleam, id eſt tabulam nummis. C. A.

b Deeſt in Exc.

c Abſtinere. Exc.

d Communione. Exc.

Si quis fidelis [b] alea, id eſt, tabula luſerit "nummos" placuit eum [c] abſtineri: & ſi emendatus ceſſaverit, poſt annum poterit reconciliari [d] communioni.

DE talis ni fallor Canon accipiendus, quibus ludere nefas videbatur, quòd ſpeciem quandam idololatriæ committeret, qui eos jactaret. Deorum enim gentilium effigies pro numeris habebant, iique invocabantur ut feliciſſimus eveniret jactus. Suetonius in Auguſto: *quos tollebat univerſos qui Venerem jecerat.*

CANON LXXX.

De Libertis.

e Provehantur. Exc.

Prohibendum eſt, ut liberti, quorum Patroni in ſeculo fuerint, ad clerum non [e] promoveantur.

MEritò cavebant ne liberti quorum Patroni eſſent gentiles, ordinarentur. nam ab eis fabriles aut officiales operas exigere poterant Patroni, quas ſoliti erant ſtipulari cum eos libertate donarent: tenebanturque liberti non ſolùm Patronis eas præſtare, ſed aliis etiam quibus ea locatæ eſſent. At indignum prorſus, neque ferendum ejuſmodi operis pictoriis putà aut fabrilibus, clericos diſtrahi & impediri; qui nullis aliis rebus, quàm ſacris vacare aut ſtudere deberent. Ob

A eandem cauſam, ab iiſdem ordinibus Curiales eliminabantur, qui a ſuis curiis, ut ait Innocentius, ut munia perſonalia aut patrimonialia præſtarent, poterant revocari.

CANON LXXXI.

De fœminarum Epiſtolis.

f [illegible] g [illegible] Exc.

Ne fœminæ ſuo potius, [f] abſque maritorum nominibus, laicis ſcribere audeant, [g] quæ fideles ſunt, vel literas alicujus pacificas
B *ad ſuum ſolum nomen ſcriptas accipiant.*

A Fœminis quas vitæ ſanctimonia commendaret, quæ que eſſent Eccleſiaſticorum uxores, literas nonnulli commendatitias & pacificas extorquebant; ut eorum quaſi beneficio & commendatione apud amicos aut Eccleſiaſticos, hoſpitalitatis jure fruerentur. Patres igitur hunc ipſum non ſatis piè & boneſtè invectum morem carpunt hoc canone, prohibentque ne fœminæ clericorum eo nomine literas communicatorias reſcribant aut accipiant: quòd ea res penes ſit Epiſ-
C copos, eorumque curæ ac ſolicitudini commiſſa. Quòd ſi hoc modo non obviam itum fuiſſet pravæ illi conſuetudini, ſceleratiſſimi ſanè & excommunicationis notâ inuſti, perfacilem communicandi viam nacti, his literis acceptis toto orbe communicantes vagati fuiſſent.

Fœminæ. Clericorum: quæ Converſæ dicebantur.

Laicis ſcribere audeant. Literas communicatorias.

Finis Notarum in Canones Concilii Eliberini.

GABRIELIS ALBASPINÆI
NOTÆ IN QUOSDAM CANONES
CONCILIORVM HISPANIÆ.

CANON VII. CONCILII CÆSARAUGUSTANI.

Vt doctoris ſibi nomen [a] *non imponat, cui conceſſum non eſt.*

a quis non ſibi.

Item lectum eſt, Ne quis doctoris ſibi nomen imponat, præter has perſonas, quibus conceſſum eſt, ſecundum quod ſcriptum eſt. Ab univerſis Epiſcopis dictum eſt: Placet.

DOCTORIS *nomen.* Doctores olim ab Epiſcopis inſtituebantur, atque inter ordines & dignitates Eccleſiæ, uti Archidiaconi, Pœnitentiarii, & ſimiles recenſebantur, & in canone Eccleſiæ inſcribebantur. A Tertulliano inter præcipuos Eccleſiæ miniſtros numerantur, de præſcriptionibus: *Quid ergo ſi Epiſcopus, ſi Diaconus, ſi vidua, ſi virgo, ſi Doctor:* cujus antiquæ diſciplinæ hęc veſtigia reſtant, quòd ab Epiſcopo aut certè ab eo qui ejus vicem gerit benedictione confirmentur, vimque & poteſtatem legendi & docendi accipiant.

CANON II. CONCILII TOLETANI PRIMI.

Vt [a] *pœnitentes, ſi neceſſitas cogat,* [b] *Lectores aut Oſtiarii fiant.*

Item placuit, [c] *ut de pœnitente non admittatur ad Clerum, niſi tantum ſi neceſſitas, aut uſus exegerit,* [d] *inter lectores: ita ut Evangelium & Apoſtolum non* [e] *legat. Si qui autem ante ordinati ſunt Diacones, inter Subdiacones, habeantur: ita ut* [f] *manum non imponant,* [g] *aut ſacra non contingant.* [h] *Pœnitente verò dicimus de eo, qui poſt baptiſmum, aut pro homicidio, aut pro diverſis criminibus, graviſſimiſque peccatis publicam pœnitentiam gerens ſub* [i] *cilicio, divino fuerit reconciliatus altario.*

a Pœnitens Exc.
b Lector aut Oſtiarius fiat. Exc. C. A.
c Vt pœnitentes non admittantur. Exc & Grat.
d Et tunc inter Oſtiarios deputentur. Exc. Grat.
e Legant. Exc.
f Manus Exc.
g Nec Sacramenta contingant. Exc.
h Pœnitentem vero dicimus qui p. Exc. Grat.
i Cilicio Exc.

V*El inter lectores; ita tamen ut Evangelia & Apoſtolum non legat.* Liquidò ex his conſtat lectores non Evangelium tantùm, ſed & lectiones pronunciaſſe.

Ita ut manum non imponant. Quod aliàs attulimus, & docuimus impoſitis ab Epiſcopo manibus, ut ad ſacros ordines Preſbyteri promoverentur, omnes Eccleſiaſticos ſaltem Preſbyteros, hanc manuum impoſitionem eſſe proſecutos, ſic ut manus imponerent ſecundùm Epiſcopum illi, cujus capiti primùm Epiſcopus intendiſſet: in aliis rebus hoc canone cernimus uſurpatum fuiſſe. Neque ſolùm cùm ordinibus ſacris initiarentur (cujus rei perficiendæ conſuetudo ad nos uſque tranſlata eſt;) ſed etiam cùm abſolverentur, aut cùm reconciliarentur, aut denique cùm pœnitentia, ni fallor, imponeretur, aut baptiſarentur. Nam

A quæ tandem res eſſe poteſt, aut tempus aliud, quo Subdiaconi ad alium finem manus imponerent, aut alterius rei perficiendæ cauſa pro poteſtate ſua, ac non potius delegato aut tranſmiſſo aliàs imperio eas imponerent? Neque verò difficile fuerit fortaſſis reperiſſe aliquos Diaconos & Subdiaconos, qui impoſitione manuum, gravi morbo correptos, imo & energumenos levaſſent & curaſſent. Sed & aliquos item clericos, imo lectores & acolythos, qui eandem ſibi poteſtatem vindicarent: quæ poteſtas non clericorum tantùm; ſed & Chriſtianorum laicorum primis illis temporibus diceretur.
B Verùm hic loco de impoſitione manuum, quæ in Eccleſia publicè fieret, quæque ex Subdiaconi miniſterio dependeret, agitur. Jam verò nec illud admitti, nec extare poteſt, potuiſſe Diacones & Subdiacones in Eccleſia, niſi poſt Epiſcopum, manuum uti impoſitione.

CANON II. CONCILII BARCINONENSIS.

Vt benedictio in matutinis, fidelibus, ſicut in veſpera tribuatur.

IDem omnino, ſed pluribus verbis ſtatutum reperies in Concilio Agathenſi canone 30.
C Quamobtem autem benedictionem in matutinis obmitterent, aut dubitarent: an ex uſu & more Eccleſiæ, id eſſet pręſtandum, ea poteſt eſſe cauſa: Quòd ſolùm benedicendi viderentur fideles, cùm dimitterentur, & eis Chriſti benedictionem & pacem conſignandam, cùm de dormitione cogitarent: quemadmodum eam Chriſtus cùm cœlo reciperetur, Eccleſiæ ſuæ reliquit. Matutinæ verò erant pars officii matutini, quibus peractis, iterum ad officium redeundum eſſet. Quapropter congruum quibuſdam, & ſatis conveniens videbatur, ut in Miſſa tantùm & Veſperis populo be-
D nediceretur.

CANON VIII. CONCILII. BARCINONENSIS.

De *his qui in infirmitatibus poſcunt pœnitentiam, & à ſacerdote accipiunt, ſi poſtea convaluerint, vitam pœnitentium peragant; excepta manus impoſitione, ſegregati à communione, quandiu probabilem ſacerdos eorum adprobaverit vitam.*

NIſi aberrat animus, ſuſpicor ego hoc canone agi, de iis qui cùm imminentis mortis metu percellerentur, pœnitentiam, quamvis nul-

la peccata digna tam atroci mulcta commiſiſſent, ſibi dari efflagitabant: quique ſtudio quodam potius divini amoris incenſi, & quò exploratior & certior conſequendæ ſalutis ſpes eos erigeret; quàm in peccatorum remedium habitum tonſuramque pœnitentium depoſcebant; non ſecus, atq; videre licet aliquos, qui cùm iis eſt ex hac vita decedendum, religioſarum familiarum veſtitum ſumunt, voto earum emiſſo. Olim autem pœnitentia, non peccatorum erat tantùm antidorum quoddam; verùm etiam expreſſa quędam, non adumbrata modò vitæ religioſæ ſpecies ad imitandum propoſita; quam ſe ſecuturos voverent, ſuiſque eam votis peculiari quodam habitu legibuſquę conſtringerent. Quidam igitur rati ſibi hanc vitam brevi deſerendam, ea vota nuncupabant, qui periculo mortis liberati convaleſcebant: quid autem eos facere oporteret canone nono Gerundenſi. 53. Toletani 4. octavo Toletani 6. & ſecundo Toletani duodecimi, præſcribitur atque edocetur: pręſertim verò cernere eſt eos non alligari adſtringique pœnitentiæ legibus, qui quò tectè factorum conſcientiâ ſuſtentarentur, pœnitentiam expetebant, cùm revera ſe nulla mortiferi peccati cogitatione percelli putarent. Exiſtimarim quoque canone iſto idem decerni, & tertio gradu pœnitentiæ non retineri oportere eos, qui pœnitentiæ remedium in morte oblatum cùm tutò omittere poterant, non ſubterfugiſſent, quique non ob peccata commiſſa ſed religionis causâ pœnitentiam petierant. Verbaque iſta, *ſine manus impoſitione*, transferri poſſe & derivari ad illas manuum impoſitiones, quæ frequentiſſimè fierent in tertio gradu, quæ ignominia tamen & probro non carerent; neque ad abſolutionem revocarentur, aut de abſolutione dici intelligique poſſunt.

CANON IX. CONCILII BARCINONENSIS.

Jubemus verò in infirmitate poſitis beaticam benedictionem percipiant.

HIc ex pręcedenti ſequitur, ejuſque ſenſus ab eo petendus: aiunt enim Patres, pœnitentes, de quibus ſtatuerunt proximo capite, reconciliandos eſſe altaribus & myſteriis, ſi ægrotare cœperint. Major namque reconciliatio beatica vocatur, quòd Euchariſtiæ ſumendæ poteſtatem faceret.

CANON IX. GERUNDENSIS CONCILII.

De his qui publicè pœnitentiam non accipiunt, ſed tantùm Viaticum, ut in Clero promoveantur.

Is verò, qui ægritudinis languore depreſſus, pœnitentiæ benedictionem (quam viaticum deputamus) per communionem acceperit, & poſtmodum reconvaleſcens caput pœnitentiæ in Eccleſia publicè non ſubdiderit, ſi prohibitis vitiis non detinetur obnoxius, admittatur ad Clerum.

IN hoc Canone ſermo eſt de iiſdem de quibus in præcedenti, qui in ipſo diſcrimine mortis, quò exploratior ſalutis æternæ ſpes eos conſolaretur, poenitentiam ſibi dari obnixè efflagitabant; quanquam nullam mortiferam noxam prudenter ſe commiſiſſe, nec quicquam unquam ſe præſtitiſſe arbitrarentur, quod vel leviſſima pœnitentia mulctandum eſſet: eſt enim in fine canonis ita ſcriptum, *Si prohibitis vitiis non detinetur*, unde id judices ſentiaſque cauſam obeundæ poenitentiæ, non aliam fuiſſe, quàm quod mortis ipſius metu & terrore perfunderentur, cùm tamen nulla peccata commiſiſſent; quod & fuſiùs etiam ex eodem Canone confirmari poteſt, quodque ipſo morbo ſæviente aut ingraveſcente, impoſita quædam eſſet poenitentia, & quam ſe facturos recepiſſent, non eam proferre longiùs cogerentur, quod contra eos facere, aut perficere Canon adegiſſet, ſi peccati cujuſdam lethalis eos conſcios eſſe deprehendiſſet. Idem omnino corroboratur decerniturque Can. 54. Concilii Toletani quarti, quò clariſſimam lucem huic canoni intelligendo adferri videas.

Quia verò ſeverè & rigidè ſatis prohibebatur, ne quis ad Clericatum admittatur, à quo poenitentiam factam eſſe conſtaret, quærebatur utrum qui eam peregiſſet, aut ſe eam peracturum in ultimo vitæ periculo conſtitutus voviſſet, recuperata valetudine ad clericatum promoveri eum oporteret aut deceret. Canonis quidem hæc eſt opinio ac ſententia, quanquam eam quiſpiam voverit, tonſuramque & habitum præ ſe tulerit, ſi tamen morbo depulſo perſpicuum ſit, id timore eſſe factum, & majore quadam cura ac ſollicitudine ſalutis æternæ conſequendæ impulſum pœnitentiam accepiſſe & voviſſe, nulloque illum videri crimine aut flagitio, quod expiandum ſit poenitentia, aſperſum, poſſe in numerum clericorum adſcribi: ſin autem ubi valetudinem recuperaverit, ſe voto exolverit, impoſitionem illam manuum publicam, quæ poenitentibus tertii gradus dabatur ſubierit, tum ob eam rem excluditur, quamvis nullius culpæ, aut criminis affinis fuerit, metuque aliquo conturbatus ad poenitentiam voto ſe obligarit. Nam cùm omnium ſe oculis ſeu toti Eccleſiæ conſpiciendum ſe dediſſet, atque adeo inter poenitentes viſus fuiſſet, non mediocriter ſanè perturbata fuiſſet, ſi inter præſidentes eum aſpexiſſet, qui cum aliquo pudore manuum impoſitionibus palàm & publicè purgatus eſſet.

Pœnitentiæ benedictionem per communionem acceperit. Hoc eſt, qui poenitentiam per benedictionem ſimplicis reconciliationis acceperit: qua enim impoſitione manuum, aut benedictione, aut oratione, abſolutionem largiebantur morienti, qui excommunicatus eſſet, aut alii qui in morte peccatum lethale detegebat, eandem etiam pœnitentiam largiebantur quæ ſeparatim, & impoſitione manuum dabatur aliquando, cùm nulla urgeret neceſſitas? propterea canon ait *per communionem*, hoc eſt, per abſolutionem & ſimplicem reconciliationem: ideoque Canon iſte benedictionem poenitentiæ viaticum vocat; cùm ſola niſi addatur abſolutio, neque communio, neque viaticum dici poſſit.

Viaticum. Simplex reconciliatio & abſolutio morienti ſufficiens erat viaticum; quamvis Euchariſtiâ non donaretur.

Pœnitentiæ in Eccleſia publicè non ſubdiderit. Hæc verba ad impoſitionem manuum tertii gradus poenitentiæ referuntur, cùm Patres omnes, Conciliaque omnia verbis propè iiſdem, aut ad eundem ſenſum pertinentibus eadem dicant, & interpretentur, ut Papa Felix, aliique expoſuerunt, *Pœnitentiæ colla ſubdere.* Docent igitur Patres ſi has manus impoſitiones quæ fierent in tertio gradu non ſubierit, eum poſſe inter clerum adſumi.

GABRIELIS ALBASPINÆI
NOTÆ IN QUOSDAM CANONES
CONCILIORUM ASIÆ.

CANON XI. CONCILII NICÆNI PRIMI.

De his qui ſponte lapſi ſunt, qualiter debeant pœnitere.

De his qui prævaricati ſunt ſine neceſſitate, aut facultatum ablatione, aut ſine periculo, aut aliquo hujuſmodi, quod factum eſt ſub tyrannide Licinii, viſum eſt Synodo licet miſericordia indigni ſint, benignitate tamen in eos uti. Si quos ergo verè pœnitet, tribus annis, ſi tamen ſunt fideles, inter audientes habeantur, & ſeptem annis jaceant: duobus autem ſine oblatione, populo communicent in orationibus.

VERBUM hoc, ὡς πιστοὶ, quod in hoc canone Græco habetur, nonnullis temerè, & quaſi gratis poſitum videtur, nec ad canonis ſententiam ullo modo pertinere: alii arbitrantur ab iis cenſeri eos qui deliquerint, & peccatum in canone expreſſum commiſerint, ea qua fideles pœna afficiendos, eoſdemque remittendos inter Audientes, proptereaque vertunt Latinè verbum hoc Græcum, ὡς πιστοὶ, tanquam fideles, aut ut fideles. Contra autem judico verbum hoc non ſine cauſa & ratione additum, neque indicare neque oportere reddi tanquam fideles; ſed, *ſi ſunt fideles*, imò non immutandam antiquam verſionem quæ ita habet, *ſi tamen ſunt fideles*. peccata namque fidelium, & eorum qui baptiſati eſſent, non eadem qua Catechumenorum ratione puniebantur: verbi causâ Catechumenus ob admiſſum adulterium non pœnitentiam perpetuam, aut annorum plurimorum, perindè atque ſi baptiſatus fuiſſet, ſubſtinebat: Eccleſia paulò eos humaniùs, quàm fideles tractare conſueverat, ut alibi oſtendimus. Ideo patres, quotieſcumque pœnas aliquas de peccatis repetendas præſcribunt, ſemper cum illa exceptione, *ſi ſunt fideles* loquuntur, aut ſi id omittunt, ſubintelligi placet, quemadmodum Patres Concilii Eliberini canonibus 7. 9. 12. 41. 46. 47. 50. 51. 67. 73. 78. 79. Et cùm ejuſmodi crimen eſt, quòd pari pœna tam in Catechumeno quàm in fideli mulctandū videatur; utriuſque meminerunt: ut canone 67. Eliberini, *Prohibendum ne qua fidelis vel Catechumena aut comatos, aut cinerarios viros habeant. Quæcumque hæc fecerit à communione arceatur.* Ita Patres Nicæni adjunxerunt verbum hoc ὡς πιστοὶ, ad ſecernendos à Catechumenis fideles, moneamurq; canonem undecimum, decretumque eorum quod in eo incluſum eſt, ad fideles tantùm pertinere, non autem Catechumenorum causâ eſſe factum: qui quanquam nulla impulſi, adactique neceſſitate peccaſſent, non adeo ſeverè in eos animadvertebatur. Et certè Patres can. 14. ob idem crimen non niſi in pœnam triennium prorogaſſent, quò inter Audientes verſarentur, *ut ii tribus annis inter audientes ſint*. ex quo clarè colligas verbum iſtud ὡς πιστοὶ, de induſtria conſultoque expreſſum, ut fideles à Catechumenis ſeparentur; atque aliter eſſe omnino de eorum ſtatu factiſque ſentiendum. Illi autem qui idem verbum Latino ſermone exprimunt, *Quicumque ergo verè pœnitent, tribus annis fideles inter audientes habeantur*, caliginem offundunt ſententiæ canonis, nec quod eſſet Patrum judicium, aut diſtinctio allata, per-

A ſpexerunt. Nam qui inter Audientes ſunt, non ſunt fideles, neque haberi fideles poſſunt, ſed ſunt aut pœnitentes, aut Catechumeni. Quare dici non poterant eſſe inter *Audientes* ut fideles, neque enim unquam fideles fuerunt inter Audientes.

CANON XII. NICÆNI PRIMI.

De his qui abrenunciaverunt, & iterum ad ſeculum ſunt regreſſi.

B *Quicunque vocati per gratiam, primum quidem ardorem, fidemve ſuam oſtenderunt, & cingulum militiæ depoſuerunt, poſtea verò ut canes ad ſuum vomitum reverſi ſunt, ita ut aliqui & pecuniam darent, & beneficiis militiam repeterent, hi decem annis jaceant, poſt triennis auditionis tempus. In his autem omnibus obſervare oportet propoſitum & modum pœnitentiæ. Quicunque enim & timore, & lacrymis, & patientia, & bonis operibus, converſionem abſque ſimulatione demonſtrant, hi defini-* C *tum tempus auditionis implentes, tum demùm orationibus communicabunt, & poſtea licebit Epiſcopo de his aliquid humaniùs cogitare: quicunque verò indifferenter tulerunt, & habitum Eccleſiam introeundi ſibi arbitrati ſunt ad converſionem ſufficere, hi definitum tempus omnino impleant.*

MIhi omnino non placet ea explicatio, quam ad evolvendum explicandumque canonem iſtum excogitarunt, & attulerunt interpretes; neque de militibus videtur ullum eſſe verbum, aut mentio facta, D qui cùm poſitis abjectiſque armis ad Martyrii lauream advolaſſent, iidem poſtea à fide Deoque defecerant; pecuniæ vi ac magnitudine iterum ad arma tractanda ſibi viam aperuerant, ut opinantur Zonaras & Balſamo. Primò quia canon nullo modo de Martyribus diſputat. Secundò quia canon iſte, & qui præcedit nullo modo inter ſe diſcreparent, & ad idem planè crimen uterque revocaretur: quod dici non poteſt. Quamobrem quæſo crimen ſeu peccatum eorum, qui ſtudio Chriſtianæ religionis incenſi militiam deſeruerant, quique poſtea Chriſtum Dominum ejurarant, differre videtur ab ſcelere & perfidia illorum, qui cùm nullam eis vim, ulla neceſſitas adferret, Chriſto nuntium remiſerant? Num ideo eorum crimen majus

videbatur, quòd militares Procurationes & honorum quoſdam gradus in bello coëmiſſent? Perinde quaſi idololatræ & Apoſtatæ crimen ulla acceſſione gravius foret, quòd dignitatem quandam militarem redemiſſent? Quænam quæſo Chriſtianis in bello dignitas crimini aut fraudi eſſe potuerit, niſi ob ſacramentum quod ſub Imperatoribus falſorum Deorum nomine ſuſcipiebatur, quos ſuæ fidei militaris teſtes futuros proferebant? Quod tamen idololatriæ genus inter hujuſce criminis ſpecies minimum ducebatur, neque ejus augere crimen poterat, qui palàm & publicè Chriſti fidem eſſet deteſtatus, & qui immaniore hoc ſeſe Idololatriæ ſcelere & ſpecie obligaſſet. Præterea nunquam mihi probabunt decreto aliquo prohibitum fuiſſe ne Chriſtiani militatum abirent, quamvis non deſint graviſſimorum authorum teſtimonia, qui id conſilii dederint, ne ad bella proficiſcerentur Ethnicorum: quòd cùm atrociſſima quædam in Chriſtianos ſupplicia excogitarentur, verendum eſſet, ne quandoque propoſitis tot ante oculos vitæ periculis in idololatriam prolaberentur. Innumerabilia namque in antiquorum Patrum monumentis exempla commemorantur, militum maximè, qui in caſtris ad mortem graderentur Chriſti causâ perferendam: velut ejus militis egregium illud facinus, qui detractâ ſibi coronâ, prodidit legiones abundaſſe ejuſmodi fortiſſimis viris. Quid quòd nec ſileri illud poteſt, quod hiſtoriæ teſtantur, Imperatores quandoque militum ſuorum quos Chriſtianos eſſe ſcirent auxilio uſos ad præſidia quædam impetranda: quæ portenti ac miraculi loco ducerentur. quæ omnia perſpicuè demonſtant Eccleſiam non prohibuiſſe, ne ad militiam quis reverteretur. Poſtremò verba illa, *ut nonnulli etiam pecuniam profunderent, & militiam beneficiis aſſequerentur*, adaugent accumulantque crimen illud, quod his verbis indicatur, *ad ſuum vomitum reverſi ſunt.* Quæ ſi quo ſenſu ac ſententia exponunt Interpretes perpendas, hæc eſt Patrum ea de re interpretatio: qui non modò Chriſtum Dominum perfidiosè & abjectè pernegarunt, verùm etiam non pepercerunt pecuniæ, ut ſuos illos militiæ gradus honorum recuperarent; quæ una loquendi ratio, tam infirma & debilis fuiſſet, poſtremumque illud qood addiderunt augendi & exaggerandi primi criminis causâ, ita leve nugatoriumque haberetur, ut non credibile ſit ita patres eſſe loquutos & ſenſiſſe. His accedit, quòd ſi arma capere, & ad militiam ſeſe adſcribere tribus illis primis ſeculis non licuiſſet, tempore quidem Concilii Nicæni bellare poterant, decretumque illud reſciſſum erat canone 3. Concilii Arelatenſis primi, quod multò ante Concilium Nicænum viguerat, *ne arma projiciant in pace*, quamobrem non hujus canonis ſenſus ad eos qui arma tractabant, aut qui cùm ea reliquiſſent, ea repetere viderentur, traduci debet.

Mihi planè potius perſuaſum eſt canone iſto deſignari lapſos pœnitentes quos benedictione percepta, ſecularium ſumptoque habitu, poſthabitaque rerum omnium ac munerum militarium & fori cura ac cogitatione, voti poſtea pœnituiſſet: idque quod profeſſi fuerant repetentes commutationis vitæ tædio quodam affecti, animum & cogitationem ad munera illa ſecularia rurſus adjeciſſent.

Ab ea explicatiooe non aliena ſunt, neque oomino abhorrent illa verba, *ut nonnulli etiam*, quibus Patres eos inſimulant & criminantur, quòd non modò ſui voti ac promiſſi cœpiſſet eos oblivio, verùm etiam largitione & pecunia ad ſua illa quæ deteſtati fuerant munera publica curationeſque adminiſtrandas ſeſe convertiſſent, cùm ea, pœnitentium habitum induentes valere juſſiſſent.

Vetere Patrum memoria illud commemorabile proditur: Pœnitentes eo animo fuiſſe, ut pœnitentiam nec ſe unquam (pœnitentiæ tempore) depoſituros, nec habitum veſtitumque qui communis ac

A peculiaris eſſet pœnitentium, voverent; quò faciliùs deplorandum ac miſerandum ſuæ conditionis ſtatum prætereuntium oculis ſubjicerent, comam ſeu capillitium alerent; à congreſſu & conſuetudine uxorum abſtinerent, à publicis ſe negotiis removerent, neque in publicum facile è tenebris domeſticis emergerent, ut uno verbo complectar, nullam mercaturam exercerent, res ita plana & adeo canonibus agitata, ut diutiùs in earum rerum commentatione ac narratione verſari putidum ſit. Idcireo canon Nicæni illos vehementiſſimè inſectatur & carpit, quòd non ſolùm munerum publicorum admioiſtrationem, quæ priùs ſtudio pœnitentiæ neglexerant, attigerint; verùm etiam ardentiſſimis animis ea conqui- B ſierint, & ambitioſiùs pecuniæ vi maxima rem unam redemerint; quam oblatam repudiare, ut adverſariam ac repugnantem voto quod emiſerant, debuiſſent.

Cæterùm alia Concilia, & Patres qui eandem rem ſeu quæſtionem diremerunt poſt Concilium Nicænum, manifeſtè demonſtrant & edocent canone iſto notari & coargui illos, qui pœnitentiam intermiſerant: eadem quippe verba uſurpant; *redire ad vomitum, & militiam deponere, & cingulum militia reſumere:* quibus verbis admonemur ne ſententiam horum verborum ad ſolam militiam vertamus: atque in eo canone non agi de militibus qui vacationem militiæ ſibi dari eflagitabant, ut ad Chriſtianiſmum tranſirent, ſed agi de pœnitentibus, qui relictâ quam pro- C feſſi erant pœnitentiâ, rurſus animum ad ſecularia negotia, aut ad militiam applicabant. Nam ſi conſideremus & attendamus, hæc verba *militia cingulum* & *zonam*, generalem quendam loquendi modum eſſe, quo non ſolùm militaria munera; ſed etiam forum, ſecularia negotia, mercatura ipſa, Eccleſiaſtica inſuper officia ſignificantur. Et verbum hoc *militia*, & apud Patres & apud canones ad quatuor explicanda deſumi, ad bellum, mercaturam, judicandi poteſtatem, & ordines ſacros, in eundem ſenſum & ſententiam hujuſce canonis verba accipiemus.

Canone 5. Syricii Epiſt. ad Tarraconenſem Epiſcopum perſpicere licet explicationem iſtius duodecimi canonis Concilii Nicæni, in quo non modò eandem ſententiam ſenſumque hujuſce canonis ſequitur Syri- D cius, ſed & eadem verba retinuit. nam iiſdem omnino verbis utitur *militia cingulum*, quibus munera Reipublicæ, ſeu ſecularia deſignantur, non autem arma: & Canone 1. Epiſt. 3. vox iſta *militare*, quàm ſæpe pro negotio curatioñeque Reipublicæ uſurpatur, *aut negotiis reipublica optaverunt militare*, ad hunc eundem modum ſumi videat. Can. 3. Epiſtola 6. S. Innocentius ad Epiſcopum Rotomagenſem can. 2. in eandem ſententiam. D. Leo ad Ruſticum canonib. 10. & 12. cùm eandem quæſtionem de pœnitentibus, qui votum ſuum infringunt, diſputat, eodem verbo utitur *militia*: ubi agnoſcas & deprehendas militiæ cingulum ad omnia illa belli gerendi munera, officiaque Reipublicæ ſeu ſecularia uſurpati ſolere: nec abſi- E milis eſt ſenſus verborum illorum canone 18. 4. Concilii Toletani. Ad extremum in Conciliis Ilerdenſi & Matiſconenſi, verbum *cingulum*, ad Eccleſiaſtica munera declaranda referri videtur.

CANON XIII. NICÆNI CONCILII.

De his, qui communionem tempore mortis expoſcunt.

De his qui vita excedunt, & canonica lex nunc quoque ſervabitur, ut ſi quis vita excedat ultimo & neceſſario vitatico minimè privetur, ſi verò deſperatus & communionem aſſecutus ſupervixerit, ſi inter eos qui communionem orationis tantummodo conſequuntur. Generaliter autem omni cuilibet in exi-

in poſito & Euchariſtiæ participationem petenti, Epiſcopus cum examinatione oblationem impertiat.

QUo faciliùs canon iſte intelligatur, & omnes difficultates quæ occurrent evolvantur, bipartitò dividendus eſt. Prima quidem parte Patres id decernunt, ne cui in extrema mortis neceſſitate poſito uſura viatici ultimi & neceſſarii ſubtrahatur: in poſtrema, cùm ad certum vitæ periculum adductus quiſpiam pœnitens Euchariſtiæ ſacramentum requirit, Epiſcopum oportere totam ejus vitæ rationem explorare & expendere; qua facta vitæ conquiſitione diligentiſſima, ſi dignum tanto beneficio judicet, conferre poſſe. Quod autem medio canone ſancitur ſi ſumpto viatico meliuſculè habuerit non eſt opus dicere: nihil enim quod difficultatem pariat, ibi reperias. In prima enim parte quod obſcurum eſſe poteſt, vox iſta *viaticum*, id totum ſuſtinet, nimirum quæ ſit ejus ſignificatio & notio, & quid per viaticum intelligi velint Patres. Zonaras & Balſamon Euchariſtiam, deſignari putant: *Iiſdem nihilominus in extremo vitæ diſcrimine poſitis, quamvis mulctæ nomine communione interdictum ſit, ſacramenta impartiri, ut eo quaſi viatico inſtructi decedant, nec ea quæ ex illis efficitur ſanctitate priventur, hoc canone Patres jubent.* Balſamon: *Iubet enim omnem, cui pœna impoſita eſt & ſacramentis eſt privatus, præclaro ſanctæ participationis ſeu communionis viatico non privari in extremo ſpiritu, cum examinatione Epiſcopi.* Quorum ſententiæ accedunt multi recentiores, atque inter hæreticos Caſaubonus in ſuis Exercitationibus. Alii mihi aſſentientur hoc verbo, *viaticum*, Euchariſtiam videlicet non declarari: ſed ſimplicem tantùm communionem & jus communicandi, quod pœnitentibus tali præſertim tempore, vel abſolutione peccatorum, vel privata quadam manuum impoſitione concedebatur. Non me quidem fugit, & id illis largior, verbo hoc aliquoties indicari ſanctiſſimum ſacramentum, vocemque quandam generatim ſumptam, qua quidquid morientibus prodeſſe magnopere poſſit intelligimus, cujus vis & gratia ipſa ad aliam uſque vitam proſequi & comitari eos poſſit, ut alio quodam loco demonſtrabitur, atque inter cætera viatica nobiliſſimum occupare & ſibi vindicare locum Euchariſtiam, eſſeque potentiſſimam. Sed antequam noſtræ ſententiæ ſeu explicationis perceoſcantur rationes & argumenta, nemini dubium eſſe poteſt, quin hoc canone diſputetur de pœnitentibus, aut de iis qui extra Eccleſiæ communionem ſunt, quique in eo vitæ ſtatu accedente morte è medio tolluntur. Nam canon ait, ſi morbo relevabuntur, iis ad pœnitentiam quam inſtituerant perficiendam, revertendum; quod non niſi de pœnitentibus, aut de iis qui peccati lethalis conſcii fuerint dici poteſt. Præterea interpretes qui hoc verbum, *Euchariſtiam*, quod eſt in ſecunda parte, communionem reddunt, ut in variis editionibus videre eſt, decipi omnino & labi magnopere, nec eſt ab antiqua verſione faciliimè diſcedendum, in qua Euchariſtiam legas. Nam quamvis Euchariſtia ſit quoddam genus communionis auguſtiſſimum ſanè & multò perfectiſſimum, tamen plurimi ſunt communionis modi, qui non ſunt Euchariſtia; nec erit difficile oſtendere olim apud majores noſtros, pœnitentes ad Eccleſiæ corpus adjungi ſolere, & ad ſocietates fidelium reduci aliis omnino viis atque modis, quàm per Euchariſtiam; adeo ut qui ubi paſſim legunt Euchariſtiam, ibi reponunt communionem, pari in errore verſantur atque ii, qui hìc communionem collocarunt ad indicandam vocem hanc Euchariſtiam, genus pro ſpecie, ut alii ſpeciem loco generis poſuerunt.

Id autem planum fiet explicatione totius canonis: Rationes afferantur. Decepti ut ego ſuſpicor fuerunt interpretes, quod crediderint verbum hoc, *viaticum*, aliud nihil ſonare in primis illis temporibus quàm Euchariſtiam, uti hodie nihil aliud ſonat, ſolumque hoc fuiſſe ſacramentum quod vicem viatici ſubiret iis maximè qui morerentur; & tamen alibi oſtendimus Baptiſmum, abſolutionem peccatorum, ſimplicem manuum impoſitionem, qua communionem fidelium pœnitentes recuperabant, impoſitionem manuum reconciliatricem potuiſſe æquè ac Euchariſtiam loco viatici præberi, quantumvis Euchariſtia potentiſſima & perfectiſſima diceretur.

Verbum hoc *neceſſarium*, perpendi debet in hujus canonis explicatione: nam cùm iſto canone pateat Euchariſtiam non eſſe viaticum neceſſitate abſoluta, argumento erit in prima parte verbum hoc *viaticum*, non ſumi debere pro Euchariſtia, quandoquidem patres de viatico neceſſario in eo diſſerant: & verè neceſſitate abſoluta non eſt neceſſaria Euchariſtia, quò pœnitens de ſua ſalute æterna certus fiat, & flammas nunquam deſituras evadat, cui periculo ac diſcrimini Patres hoc canone proſpicere & providere voluerunt, nec aliud in prima parte ſanxerunt, quàm id quod omnino neceſſarium videatur, ut ſempiterni exitii metu liberi reddantur. Non eò hæc a me dicuntur, quòd non multis partibus abſolutione præſtet Euchariſtia, aut viaticum ejus aliis omnibus non antecellat, aut quòd pœnitenti optanda non videatur; ideoque quidpiam de ejus dignitate ac præſtantia detrahi ac eripi poſſit: ſed quemadmodum mille aurei nummi neceſſitate abſoluta non ſunt neceſſarii ei, qui Romam proficiſci velit; tamen præponderantur & prævalent minori ſummæ, quæ abſolutè neceſſaria eſt peregrinanti aut iter facienti. Ita ex eo quòd pœnitenti licet morienti & viriis carenti non datetur olim Euchariſtia, hujus ſacramenti dignitas admirabilis corporiſque Chriſti præſentia certiſſima non minuitur.

Omnes autem interpretes, ſic ut nullus diſſentiat, confitentur poſtrema parte canonis iſtius de Euchariſtia verba fieri: imò ii qui communionem loco Euchariſtiæ ſubſtituunt. Age verò, videamus utrum quod de Euchariſtia decretũ eſt in poſteriori, & cum eo convenire, & ad id referri poſſit, quod de viatico in prima parte definitum eſt. Nam ſi hæc inter ſe decreta diſcrepant, quodque de uno aſſeritur in alterum non cadat, facilè erit dijudicare, verbum hoc *viaticum* non habere vim & ſignificationem Euchariſtiæ. Neque enim facile quis perſuaſerit, eodem in Concilio, Canone eodem, quinque aut ſex lineis, Patres aliqua inter ſe contraria & pugnantia decreviſſe. Et quò commodiùs quod in fine canonis dictum eſt conferatur cum eo quod in principio: obſervandum eſt quandoquidem *viaticum*, iſtud neceſſarium vocabatur, neceſſariò item fuiſſe porrigendum; ideoque qui illud largiri poterant, ut Sacerdotes, ſine ulla mora ac tergiverſatione non explorato Epiſcopi conſenſu, aut voluntate dare debuiſſe. Aliter pœnitens, eo quo neceſſariò indigebat caruiſſet; aut ſanè viaticum iſtud, quod non niſi permittente Epiſcopo præbere potuiſſent, abſolutè neceſſarium non fuiſſet.

His ita diſcuſſis in ſecunda & ultima parte canonis definitè ſtatuitur, in ipſo exitu ſeu morte Euchariſtiam inconſulto, aut invito Epiſcopo non eſſe miniſtrandam, inquiſiturumque Epiſcopum in vitam moreſque poſtulantis Euchariſtiam, ejuſque arbitrio atque nutu poſt exactam conquiſitionem dandam aut negandam. Id autem quadrarene, aut convenire poteſt in *viaticum* neceſſarium? Si Euchariſtia ſignificatur & intelligitur verbo iſto, *viaticum*, quod in principio canonis eſt, ſanè *viaticum* omnino neceſſarium eſt. At

Gab. Albaſpin. Notæ in varia Concilia.

ſi eſt neceſſarium quid cauſæ eſſe poteſt, cur in fine canonis ſtatuant illam non ſine Epiſcopi authoritate ac judicio conferendam, & faciant eam non neceſſarium viaticum? Quomodo illa retineri aut negari poteſt? quamobrem examinandi pernoſcendique mores ejus qui petit, ſi neceſſariò illam præberi oporteat? Res una ad ſalutem omnino neceſſaria non dilationem ferre poteſt, non tempus, non conſilium, aut inveſtigationem vitæ morumque, momentum punctumque temporis, indicium aliquod, vox una, aut ſignum voluntatis, vultuſque ſatis valent ad extorquendam à presbytero abſolutionem & viaticum neceſſarium tali in periculo: tantùm abeſt ut ad Epiſcopum confugere aut concurrere quemquam deceat, aut ejus qui ex hac vita ad aliam proficiſcatur examinandi mores ſint & conquirendi. Unde perſpicias verbum hoc, *viaticum*, non pro Euchariſtia ſumi initio bujuſce canonis, cùm hæc duo decreta inter ſe pugnarent & confligerent, quodque de Euchariſtia dictum eſt, non poſſit viatico neceſſario convenire, de quo initio facta eſt mentio.

Illuſtrabit & illud explicationem noſtram, ſi conſideremos potuiſſe accidere, ut pœnitens, aut quivis alius quem noxa lethifera fœdaſſet, in remotiſſimis locis ac regionibus ab Epiſcopi dominatione, terra marique in periculum incideret mortis, cui viatico neceſſario carendum eſſet, ſi Euchariſtia pro viatico neceſſario haberetur, ſi ad hunc modum in ipſo canone legeretur, aut exponeretur: nam multò antequam Epiſcopus conſuleretur, ægrotique mores cognitos & perſpectos haberet, bujus lucis uſurâ privatus fuiſſet. Unde quod canonis initio ſancitum eſt, ad ſacramentum traduci non poteſt; cùm in poſtrema parte id totum ad Epiſcopi poteſtatem cognitionemque pertineat & transferatur.

Si antiquæ diſciplinæ rationem habueris, quod ad eos ſpectat qui tempore pœnitentiæ fato quodam ſuo è medio tolluntur, aut Euchariſtiam perpenderis, quanta animi proviſione aut cautione iiſdem pœnitentibus porrigi debeat, explicationem noſtram, ut veram & rationi conſentaneam comprobabis. Nam Patres poſt tertium ſæculum cenſent nemini ut liceat ſine illo viatico neceſſario mori. *Nemo enim vinctus anathemate mihi moriatur*, ait Syneſius: *Nemo decedat vacuus communione*, ait Concilium Arelatenſe: & ſanctus Innocentius aſſerit dandum eſſe, ut à perpetuo exitio vindicentur, omneſque canones qui de pœnitentibus morientibus agunt, neceſſariò ſubminiſtrandum docent. Sed quando de iiſdem pœnitentibus diſſerunt, utrum ſit eis Euchariſtia concedenda, omnes fatentur non niſi facta ab Epiſcopo poteſtate, licere. Quartus canon x. Concilii Carthag. 7. Concilii Græci Carthaginenſ. idem affirmant: qua ex re obivis locorum ſemper Eccleſia id retinuit, abſolutionem quæ inſtar erat viatici neceſſarii, neceſſariò fuiſſe impertiendam. Quod ad Euchariſtiam verò attinet, tametſi pœnitens propius à morte abfuiſſet, eamque obnixè efflagitaret, denegandam omninò, donec compertum fuerit, elapſis ante diebus, nihil ſe ea indignum præbuiſſe, Epiſcopumque ei communicandæ poteſtatem feciſſe. Ea enim religione Eccleſia ſemper fuit obſtricta & obligata, ut nemini niſi integerrimo & innocentiſſimo Euchariſtiam condonaret, cùm eam ne in morte quidem præberet: atque hæc mea explicatio, cùm non à præſcripto canonum aberret, ejuſque rei praxis quædam & uſus tot annorum curriculo invaluerit, mihi videor clarè oſtendiſſe verbum hoc. *viaticum*, in hoc canone abſolutionem non Euchariſtiam nominandum.

Sententia ergo hujus canonis hæc eſt, in morte pœnitenti abſolutionem negari non debere. Quòd ſi præter abſolutionem, copiam ſibi fieri Euchariſtiæ poſtulet, Epiſcopi eſſe examinare & veſtigare ejus mores, quibus probè ſcienterque cognitis, ſententiam ferat. Eam ergo canonis ſententiam, & Patrum mentem, & intelligentiam, qui ejus authores fuerunt puto fuiſſe; quò autem res illuſtrior fiat, exempli appoſitione illuſtrabo. Nam ut diximus totus ille canon, prima & ultima parte de pœnitentibus loquitur, qui pœnitentiæ tempus non terminarant, exempli cauſâ; qui triginta annorum ſpatio, aut ipſa morte definitam pœnitentiam pœnæ nomine ſubiiſſet, is ſi in morbum lethalem, primo anno pœnitentiæ incurriſſet, beneficii aut gratiæ loco Eccleſia abſolutionem peccatorum largiebatur, eumque in gregem fidelium adſciſcebat impoſitione manuum: ſed quia ejus peccata gravia cùm eſſent, non ei illa expiare, propter rationem brevitatis ac temporis licuerat, Eccleſia illi Euchariſtiam negabat, quò veteris Eccleſiæ diſciplina non relaxaretur, néve ſacroſancta Communio aut corporis Chriſti liberatoris noſtri auguſtiſſimus cibus, certis quibuſdam proponeretur, qui nequaquam ea vitæ ſanctitate quæ requirebatur, præſtarent, quanquam ſceleris omnes & flagitii expertes eſſent. Ut autem nullus dubitationi locus relinquatur, conſiderandum anno Domini 572. Martinum Epiſcopum Bracarenſem in Hiſpania natione Græcum, quoſdam collegiſſe & coacervaſſe canones conciliorum Græcorum ex eorum numero, quos maximè utiles & accommodatos ad diſciplinam Eccleſiaſticam in Hiſpania fore cenſebat, eoſque in Latinum ſermonem tranſtulit: è quibus 13. canon iiſdem planè verbis reperitur: *Si quis de corpore exiens noviſſimum, & neceſſarium communioni viaticum expetit, non ei denegetur. Quòd ſi in deſperatione poſitus, poſt perceptam communionem iterum ſanus fuerit factus, tantum orationis particeps ſit: nam non accipiat ſacramentum, donec conſtitutum pœnitentiæ impleat tempus. Qui ergo in exitu mortis ſunt, & deſiderant accipere ſacramentum, cùm conſideratione, & probatione Epiſcopi accipere debeant.* In quo videas verbum, *Viaticum*, exponi communionem, hoc eſt, abſolutionem, & verbum *Euchariſtiam*, ſacramentum, quo modo noſtra explicatione expoſuimus, in eoque canone diſtingui ac ſecerni viaticum ab Euchariſtia: nam verbum ἐφόδιον, verbo communionis & abſolutionis explicat, & Euchariſtiam verbo ſacramenti. Denique his legibus veterem illam diſciplinam viguiſſe, Euchariſtiamque pœnitentibus quandoque denegaſſe, etiamſi eam fermè morientes peterent, canone quarto Concilii Carthag. ſecundi confirmatur: *Si quiſquam in periculo fuerit conſtitutus, & ſe reconciliari divinis altaribus petierit, ſi Epiſcopus abſens fuerit, debet utique presbyter conſulere Epiſcopum, & ſic periclitantem ejus præcepto reconciliare.* quo canone manifeſtum fit non niſi Epiſcopi juſſu morientibus pœnitentibus conceſſam fuiſſe Euchariſtiam.

CANON XIX. NICÆNI CONCILII.

De Paulianiſtis & Cataphrygis rebaptiſandis.

De Paulianiſtis, qui deinde ad Eccleſiam confugerunt, ſtatutum eſt, ut ii omninò rebaptiſentur. Si qui verò tempore præterito in clericorum numero erant, ſi quidem à culpa & reprehenſione alieni viſi fuerint, rebaptiſati

ordinentur à Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopo. Si verò examinatio eos non eſſe aptos deprehendit, deponi eos oportet. Similiter autem & de Diaconiſſis, & omnino de omnibus, qui inter clericos annumerantur, eadem forma ſervabitur. Diaconiſſarum autem meminimus, quæ in habitu quidem cenſentur, quoniam nec ullam habent manuum impoſitionem, ut omnino inter laicas ipſæ annumerentur.

D*Iaconiſſarum autem meminimus.* Quæſitum à me plerumque quid verba illa Concilii Nicæni ſibi vellent: nam Zonaræ & Balſamonis explicatio, multis cum argumentis refelli poſſet; ſed omnium ingenio judicioque committo. An quiſquam ex eorum explicatione lucem aliquam, aut veriſimilitudinis auram aucupari poſſit? *Ex earum numero opportuno tempore, cum videlicet quadrageſimum annum implevisſent Diaconiſſa ſufficiebantur: verùm hæ mulieres quinto & vigeſimo ætatis anno certum quendam habitum ab Epiſcopis accipiebant, ut decimo ſexto allata Synodi videre eſt. Eas ergo virgines Diaconiſſarum nomine quæ habitu cenſerentur, manuum verò impoſitione ſacrata non eſſent, Synodus intelligit, ac hæreſim ſuam confitentes laicis ordinibus adnumerandas eſſe decernit.* Non bene ex his quæ diu poſt magnam Synodum ſtabilita, & in Eccleſiam inducta ſunt, formam aliquam aliis ante actis rebus præſcribes. Eccleſia enim perturbationibus expedita, ubi cœpit reſpirare, multa ritibus & ceremoniis addidit, & in melius formavit, quæ difficillimis illis temporibus conſultò ſeponebat: quapropter non eſt ex Concilio Carthaginenſi quærenda interpretatio hujuſce canonis Concilii Nicæni, ſed ex ritibus qui tum in Eccleſia obſervabantur, quas huic explicationi omnino contrarias invenies. Virgines enim ad Diaconatum nunquam eligebantur; ſed viduæ quæ ſexageſimum annum, aut ampliùs impleſſent. Tertullianus de virginibus velandis: *Ad quam ſedem præter annos ſexaginta non tantùm univira, id eſt nupta, aliquando eliguntur; ſed matres & quidem educatrices filiorum, ſcilicet ut experimentis omnium affectuum ſtructa facilè nôrint cæteras, & conſilio & ſolatio juuare.* Non ſolùm virgines ab hoc munere; ſed etiam mulieres quæ nunquam pepererant, arcebantur; imo monſtrum ait virginem in hoc gradu conſtitutam eſſe: *Planè ſcio alicubi virginem in viduatu,* id eſt in Diaconatu, *ab annis nondum viginti collocatam: cui ſi quid refrigerii debuerat Epiſcopus, aliter utique ſalvo reſpectu diſciplinæ præſtare potuiſſet, ne tale nunc miraculum, ne dixerim monſtrum in Eccleſia monſtretur: virgo vidua hoc quidem portentuoſior, quòd nec quæ vidua caput texit, utrumque ſe negans & virginem quæ vidua deputetur, & viduam quæ virgo dicatur.* Deinde ob quam cauſam ſacra ſynodus, has virgines quæ Deo conſecratæ eſſent, perpetuæque virginitati ante Diaconatum ſeſe obligaſſent, (quamvis extra ordinem & abſque ulla manus impoſitione ad Diaconatum ſeſe extulerant) utroque hoc honore ſpoliaſſet, & eas inter plebem relegaſſet? Adeone grave earum erat peccatum, ut ea animadſione punirentur, & non ſolùm indignæ hoc gradu judicarentur; ſed etiam quæ votum, quo nuptiis in perpetuum renunciarant perſequerentur? Quis magis probet ſententiam C. Baronii anno Chriſti 34. numero 283. qui ex hoc canone Diaconiſſas aliquo ritu, aut manus impoſitione initiatas, aut conſecratas fuiſſe negat, atque ob hanc cauſam in hac Synodo eas inter laïcas annumeratas fuiſſe: *Quantumlibet prædictæ Diaconiſſæ curarent, non tamen erant ejuſmodi, ut ſicut Diaconi manus impoſitionem acciperent, vel aliquo Sacramento initiatæ eſſent. Nam ſacroſancta Nicæna Synodus ea ex cauſa eaſdem inter laicos adnumerat.* Multa poſſem argumentari, quæ ejus ſententiam infirment: in poſterioribus Conciliis de earum conſecratione, & initiatione decreta multa inveniri: nonniſi multò poſt hanc Synodum de Eccleſia eas ſublatas eſſe. Eas denique poſt eandem Synodum rebus Eccleſiaſticis, matrimoniis putà, & lavacris ſerviiſſe, & in inſtruendis & docendis fœminis Catechumenis operam, & ſtudium conſumpſiſſe; ſed ex hoc ipſo loco perſpicuum eſt eas non ſolùm in clericorum numero, ſed etiam initiatas & conſecratas fuiſſe. Nam cùm Synodus quaſdam quæ minùs rectè, & extra ordinem inſtitutæ eſſent inter laïcas deputandas eſſe cenſet: ſubintelligendum profectò relinquit, quaſdam fuiſſe, quæ ritè & ordine conſecratæ eſſent. Denique quid toto canone ſtatuitur? Quid præcipitur? quæ eſt ejus ſententia? Si ab hæreſi redeuntes Diaconiſſas, eundem jubet apud Orthodoxos honoris locum retinere, quem inter hæreticos obtinuerant, nonne ſequitur quaſdam fuiſſe quæ initiatæ & conſecratæ eſſent?

Venio nunc ad hujuſce loci explicationem quæ facilis eſt, ſi ex totius canonis ſententia hauriatur: Priore enim parte dixerat ſancta Synodus, eas, uti cæteros in clero eſſe retinendas, quæ manus impoſitione hoc munus adeptæ eſſent; ſi modò eo honore dignæ invenirentur, & modeſtiæ & pietatis exemplum inter hæreticos dediſſent. Poſtrema verò hac parte addit, ne quidem eas pro Diaconiſſis habendas, quæ prava licentia hanc dignitatem & habitum Diaconiſſarum, ſine manuum impoſitione ſibi adrogaſſent, & in clerum, nullo authore, nulliſve ſacris & ritibus irrepſiſſent. Quamobrem autem habitum Diaconiſſarum ſine manus impoſitione, & ſolitis ritibus hæ mulieres potius induiſſent apud hæreticos, quàm cæteri ex clero, neſcio equidem niſi quòd mulieres hæreticæ, ut ait Tertullianus, maximè ſint procaces, aut quòd licentia quadam, cùm nulla ſit apud hæreticos diſciplina, *hodie Presbyter, qui cras laicus,* id factum eſſet. Cæterùm quòd olim Diaconiſſæ peculiari quodam habitu ornatæ & diſtinctæ eſſent à cæteris, nemini dubium eſſe puto, qui meminerit, cæteris mulieribus in Eccleſia & alibi eas præfectas eſſe, viduaſque, quæ non eſſent ordinatæ ex canone 27. Concilii Arauſicani, veſte propria & peculiari indutas fuiſſe. Denique in canone 104. Concilii quarti Carthaginenſis hæc verba habentur: *& veſte laica abjecta, ſub teſtimonio Epiſcopi & Eccleſiæ religioſo habitu apparuerint:* & in canone quinquageſimo quinto Toletani quarti: *Duo ſunt genera viduarum, ſeculares & ſanctimoniales, ſanctimoniales ſunt quæ jam mutato habitu ſeculari ſub religioſo cultu in conſpectu ſacerdotis & Eccleſiæ apparuerunt.*

CANON XI. CONCILII CHALCEDONENSIS.

Egenis Epiſtola tribui debet, honeſtioribus formata.

Omnes pauperes & qui auxilio indigent cum examinatione, cum epiſtolis ſeu pacificis Eccleſiaſticis, ſolis viam ingredi ſtatuimus, & non cum commendatiis: Quoniam literas commendatitias iis ſolis perſonis quæ ſunt ſuſpectæ præberi oportet.

M*Ultiplex hujuſce canonis difficultas ſcaturit ex unico vocabulo εἰρηνικοῖς, varii enim*

interpretes cùm variam ei ſignificationem aſſignent, utra ſit verior non facilè expedieris: ſuſtinendum ergo judicium eſt, nam quoquo te verteris, preſtò eſt veterum interpretum authoritas, quæ in ſcriptis eorum venerabilis, in animis noſtris ſacra eſſe debet. Duæ ſunt verſiones latinæ veteres quæ interpretantur τοῖς οὖσιν ἐν ὑπολήψει, perſonis honoratioribus. Antiquitas harum verſionum magni ponderis eſſe debet, utpote quæ Zonaræ & Balſamonis, & Mathæi Blaſtaris verſiones longo intervallo antecedat, & ſi conjecturæ res ſit, credendum ab hominibus linguæ Græcæ & vetuſtatis cognitionem callentibus proficiſci, necnon Concilii Chalcedonenſis proximis. Eſt & alia interpretatio ipſorum Neotericorum Græcorum τοῖς οὖσιν ἐν ὑπολήψει perſonis ſuſpectis, ut Zonaræ, Balſamonis, atque ut fertur Mathæi Blaſtaris. Qua in re in ſuſtinendo judicio lectoris mira prudentia eſſe debet. Quis enim crederet viros tantos, natione Græcos, in politia Eccleſiaſtica verſatiſſimos in patria peregrinari, & vocabulum Græcum non intelligere? cùm maximè ex Latinis Græca non fecerint; ſed Concilium ut erat Græcè conſcriptum, Græcè ſint interpretati. Zonaras in hunc canonem undecimum: *Commendatitiæ verò ſunt quæ ſegregatis antea clericis, aut laicis, aut omnino ignotis hominibus in aliam urbem migrantibus duodecimi, aut trigeſimi tertii canonis Apoſtolici decreto tradi conſuevere, quæ vel eos pœnis ſolutos, vel in numero fidelium habendos eſſe demonſtrent: proindeque illos urbis ejus ad quem proficiſcuntur Epiſcopo commendans, atque conciliant. Accipiunt ii quoque commendatitias qui vocati in judicium, ſe à culpa immunes oſtenderint, quibus & ei ad quem miſſi ſunt Epiſcopo commendentur, ex falſa delatione ipſorum innocentiam tentatam fuiſſe, teſtatum fiat.* Balſamo ibidem: *commendatoria ſcriptura dicuntur quæ dantur clericis, ab iis qui illos ordinarunt, dicuntur etiam & ea quæ dantur Epiſcopis, vel clericis ſegregatis, & qui alioqui fuerunt in non bona exiſtimatione.*

Cùm hi duo interpretes de perſonis ſuſpectis interpretati ſint, occaſionem dederunt conſimilis interpretationis Hervero, & Bernardino Ferrario, qui librum ſcripſit de antiquo Eccleſiaſticarum Epiſtolarum genere, cujus verba magnam partem ex Blaſtare qui nobis nunc ad manus non eſt, deſumpta referam: *Omnino tres ob cauſas commendatitia tribuebantur. Primò peregrinationis quibuſcumque clericis ſive laicis, ut ejuſmodi literis tanquam hoſpitalitatis teſſera muniti, ubique terrarum ab æquè Catholicis benigne exciperentur hoſpitio. Deinde clericis ad eorum ordinationem comprobandam. Poſtremò ignotis hominibus aut ſuſpectis, ut eos vel notos redderent, vel injuſtè accuſatos crimineve ſolutos, vel pœnis tandem liberatos oſtenderent.*

In hac varietate opinionum lectori fieri non poteſt ſatis, niſi aut à vera intelligentia literarum pacificarum & commendatitiarum, aut ab inveſtigatione ſignificationis hujus vocis ὑπόληψις, qua uſi ſunt authores proximiores Concilio Chalced. Ad primum quòd attinet, non tam facilè percipi poteſt, quid fuerint commendatitiæ literæ; cui enim exploratus eſſet earum uſus nulla ſuboriretur difficultas in ſenſu hujuſce canonis, nec in ſignificatione ὑπολήψεως. Zonaras ad hunc canonem ſcribit tria hominum genera commendatitias accipere conſueviſſe. Tradebantur enim ſegregatis clericis, aut laicis in aliam urbem migrantibus; aut omnino ignotis hominibus, vocatis etiam in judicium ſi ſe culpâ immunes probaviſſent. Idem ferè habet Balſamon.

Bernardinus Ferrarius tribus de cauſis dati ſolitas ſcribit, Cujacius Novel. 6. Zonaræ & Balſamoni aſtipulatur. Pluribus in locis commendatitiarum literarum fit mentio, non magna tamen lux affulget ſcire cupientibus, qua in re à pacificis, canonicis, communicatoriis, formatis, dimiſſoriis diſcreparent, aut quem uſum haberent peculiarem. Plurimi ſiquidem canones ſtatuunt clericos minimè admittendos eſſe, aut peregrinari debere ſine commendatitiis, can. 12. & 33. Apoſtolorum, 9. Sardicen. 11. & 13. Chalc. 28. Carth. 3. can. 3. & 8. Agathen. can. 12. Turonico primo & 5. Anglicano, 2. Andegav. iiſdem de cauſis alii canones ſtatuunt etiam clericos accipere debere formatas, & ſine illis vetant admitti, ut 28. Carth. 3. 50. & 51. Meldenſis, quadrageſimo primo Laodicenſis. Plurimi etiam canones præcipiunt clericis, ut accipiant ab Epiſcopis ſuis literas, ut quinto & ſeptimo Carthaginenſis; neque addunt canonicas, formatas, aut commendatitias: unde colligi poſſet nomine tenus differentiam conſtituiſſe: & in omnibus illis canonibus non facile deprehendes literas commendatitias datas fuiſſe preſbyteris ſuſpectis, aut criminum poſtulatis. Qui verò ita interpretantur, non tam canonum authoritate quàm ambiguitate hujus vocis ὑπόληψις, nituntur, quam fortè perperam reddunt, & invita ſententia: ſi enim hujuſmodi literæ ſuſpectis dabantur, cur nullibi earum fit mentio? Cur frequentius clericis quàm laicis dabantur?

Scribit preterea Balſamon ad hunc canonem: qui volunt in aliis regionibus ſacra celebrare, debent non ſolùm commendatitias epiſtolas afferre; ſed etiam pacificas, quod ſecus ſe habere videtur. Nam clerici nunquam pacificas, aut communicatorias literas accipiebant, ſed ſoli laici. Cùm enim pacificæ, dimiſſoriæ non eſſent, ſed tantùm fidem facientes qui eas reddebat, excommunicatum non eſſe, ſed inter fideles recenſeri, cui uſui potuiſſent eſſe clericis? qui ut hoſpites exciperentur, & ſacris altaribus admoverentur, quâ illis tranſeundum eſſet, non ſolùm docendum erat ſe eſſe in ſocietate fidelium, verumetiam aliquo ordine & honore inſignitos. Quapropter dimiſſoriis utebantur clerici, aut commendatitiis, quibus utrumque teſtatum foret.

Itaque qui communicatorias & pacificas à commendatitiis non diſcriminant, falli videntur. Pacificæ ſiquidem ſolùm laicis dabantur peregrinantibus, ut ad communionem admitterentur & hoſpitalitatis jure gauderent. Dimiſſoriæ autem ſolis duntaxat clericis; ut facultatem haberent manendi in alia Diœceſi & miniſtrandi, quas ſi non haberent eliminabantur: de his intelligendus venit can 17. in Trullo, 15. Apoſtolorum.

Sed quod ad commendatitias attinet, eæ videntur eſſe, quæ in commendationem laicorum & clericorum ab Epiſcopis & Metropolitanis ſcribebantur, quarum fide & authoritate quâ incedendum eſſet, non ſolùm in negotiis ab omnibus adjuvabantur; ſed etiam lautiùs excipiebantur. Non enim concedebantur niſi dignioribus & alicujus exiſtimationis, unde inter has & communicatorias & dimiſſorias (de cæteris taceo quòd ad tria iſta capita omnes revocentur) id intereſſe videtur, quòd aliæ communionem, hæ gratiam & favorem conciliarent.

Cæterùm ad veram & germanam hujus vocis ὑπόληψις ſignificationem, appoſitiùs convenit prima Latinorum verſio, Balſamone & Zonara licet Græcis origine repugnantibus. Princeps enim omnis eruditionis Ariſtoteles, ἐν τοῖς τόποις. Εἰ ὑπόληψίς ἐστι ψευδὴς ἢ ἀληθὴς, ὅσα αἱ ἡ δόξα, ἐκεῖνο γὰρ ὑπόληψις ἡ δόξα. Si exiſtimatio eſt falſa aut vera,

opinio erit hojuſmodi, ſpecies enim exiſtimationis eſt opinio. *τῶν δὲ ἀρχόντων κατεγίνωσκε ῥᾳθυμίαν ὡς οὐ φροντιζόντων τῆς αὐτῶν ὑπολήψεως.* principum autem ſocordiam condemnabat, quód ſuæ exiſtimationis nullam tationem haberent. Quod Atiſtoteles, *δόξαν*, Polybius Ariſtotelem imitatus *διάληψιν*, pro *δόξα* oſurpavit. Non ut voluit Caſaobonos *διάληψιν* appellavit, quam volgò alii aothotes, *ὑπόληψιν*, certam opinionem de aliquo conceptam. Appoſitè veró citat Caſaubonus Juſtiniani Novellam 123. *ὅν πάντες οἱ μοναχοὶ ἢ οἱ κρείττονες ὑπολήψεως ὄντες ἀπολέξονται*, & feliciùs interpretatur quàm in edirione latina habetur. Citat etiam ex Novella 90. teſtes, *εὐυπολήπτους*, integræ famæ. Hoc non ingenoè quod Cojacium diſſimulaverit ſcribentem ad cap. 5. de clericis oon reſidentibus: *Non eſt omittendum quod Chalc. Synodi proditum eſt cap.* 11. *à commendatitiis literis ſive ſyſtaticis, εἰρηνικὰς ſeparari, quaſi ha dentur humilioribus, illa honeſtioribus, τοῖς οὖσιν ἐν ὑπολήψει, qui ſont on reputation.*

Cùm hæc ita ſe habeant ſecundùm primam verſionem quæ interpretatur *ὑπόληψιν* perſonas honotatiores (quo verbo utitur Matiſconenſe primum canone undecimo) duas explicationes hic canon admittere poteſt, quia nimirum commeodatitiæ duabus de cauſis dabantor. Docuit oos jam ante Concilium Sardicenſe, literas commendatitias ſcriptas fuiſſe ab Epiſcopo, aut Metropolitano in gratiam clerici, aut laici negotiorum cauſâ ad Imperatorem, aut in caſtra proficiſcentis, ut commendatione Metropolitani, aut Epiſcopi qui in aula erant Epiſcopi, curam ſibi aſſumerent nomine Eccleſiæ, negotiorum ejus qui commendabatur. Hoc ſenſu poſſumus literas commendatitias accipere, & hunc canonem enodare, ſi dixerimus conſentaneum non fuiſſe proletario cuilibet egeoo nimirum & aeciſis opibus, aut ſententiam paſſo, in exilium vel ad metalla, aut Cæſarem appellaote commendatitias indulgere. Nam ſi Eccleſia promiſcuè & indifferenter quarumcumque perſonatum tutelam ſuſcepiſſet, hæc paſſivitas Eccleſiæ dignitatem apud principes & quoſvis magiſtratus oon minimùm imminuiſſet. Quòd ſi cauſâ pauperum orphanorum, viduarum, aut ad tritemes damnatorum æquitate nitebatur, & ea tatione patrocinium Eccleſiæ deſiderabat, eo caſu ſequendus erat nonus can. Sard. qui ſtatuit Diaconom deſtinati ad Fratres & Coëpiſcopos, qui illo tempore io his tegionibus & urbibus morabantur, in quibus ſelix & beatus Auguſtus Remp. gubernabat, & ei negotiuoi dandum eſſe, ut hoſce pauperes quantùm poſſet Eccleſię nomine adjuvaret. At commendatitiaa dare quibuſvis pauperibus, orphanis, viduis, aut ſententiam paſſis, Concilium Chalcedonenſe, Sardicenſe inſequendo æquum non putavit. Præterea hæ litteræ ſortiebantur aliom effectum, ſecundùm quem poſſumus hunc etiam canonem explicare. Nam qui cum his literis iter aggrediebantur, ſumptibus Eccleſiæ alebantur, & longè lautiùs ac curioſiùs exhibebantur cum commendatitiis literis, præ his qui tantùm pacificas, aut communicatorias adferebant, (neque hîc neceſſitas incumbit probandi hoſpitalitatem ſumptibus Eccleſiarum exerceri ſolitam fuiſſe pletiqoe omnes canones id teſtantur) canone ergo hoc undecimo ſtatuitur diſcrimen perſonarum adhibendum eſſe, pauperibus nimitum abundè eſſe, ſi literas pacificas & communicatorias accipiant, quibus fulti tanquam Chriſtiani iis rebus quæ peregrinantibus ad vitam ſunt neceſſariæ procurabantur; commendatitias autem non accipient, ot dignationis perſonarum habeatur ratio & ſumptuum, quemadmodum cavetur canone ſecundo Concilii

A Carthag. tertii *minuſque ſumptuoſi hoſpitibus exiſtant.* Nec abnuendum nonnullos reperios, qui abuterentur commendatitiis, ſortem ſuam & dignitatem circumforaneorum more, mentientes.

Quærerem libenter ex iis qui Zonaram ſequuntur, nom contra jus & fas, pauperes oonnunquam inter reos deferrentur, & num juxta divites ſuſpecti eſſe poſſent, quod nemo ut arbitror oegabit. Magnum enim pauperies opprobrium jubet quodvis perficere & pati: at pauperibos priori parte canonis commendatitiæ concedi non poterant, ſoſpectis veró ſecunda parte, aut in jus vocatis poterant: non congroit ergo eorum explicatio, quia pauperibos poterat concedi quod ſuſpecti eſſe poſſent, ut omnes concedent: aliunde veró non poterant B concedi, qoia id in canone prohibetur. Deinde ſi opiniooi eorum ſtemus, dabantur hæ literæ ſeparatis communione, ignoris, ſuſpectis, reis, poſtularis. At tantummodo caoon dicit *ἐν ἐσ ὑπολήψει*, non ergo canonis ſenſum, nec commendatitiarum vim aſſequuntur, quia non ſolis ſoſpectis eas volunt dari, ſed multis aliis qui non poſſunt ſignificari per hanc vocem *ὑπόληψις*. Ediſſerant denique quid tandem cauſæ fuerit, ot dixi, cur pauperibus omni miſericordia digniſſimis denegarentur, ſuſpectis nihilominus concederentur.

CANON XVII. CONCILII ANCYRANI.

C *De his qui in pecudes vel in maſculos, aut olim polluti ſunt, aut hactenus hoc vitio tabeſcunt.*

Eos qui rationis expertia animantia inierunt, & qui leproſi ſunt, vel fuerunt, juſſit ſancta Synodus inter hiemantes orare.

QUid eſt in hoc Ancyrano Concilio & canone *inter hiemantes orare*? ita enim in vulgari verſione legitur, non enim ut opioor eos intelligit qui ſpiritu immondo afflati, aot correpti, neqoe eos qui imminuta mente furioſi eſſent: nam utriſque ut rectè interpretes animadverterunt, ſi locidis gauderent intervallis Euchariſtia præberi poterat ex Timothei Alexandrini can. 3. Hos verò de quiD bus in hoc canone eſt mentio, in alicujus rei putà Eochariſtiæ aut orationum participationem admittere nefas erat; nam proximo canone & præcedenti in eoſdem graves pœnæ inſtitutæ ſunt. Neque propterea Balſamonis mihi probatur ſententia, qui hiemantes eos eſſe dicit, qui ſub ferula divinas literas audiebant, id eſt, pœnitentes qui de integro tanquam rudes & Catechumeni erudiendi tradebantur. Nam ex ejus explicatione qiod gravius ſtatuitur in hos peccatores, quàm in eos de quibus præcedenti canone refertur? Nihilominus manifeſtum eſt Synodum graviorem in hos, quàm in alios pœnam inſtituere voluiſſe. At verò ſi nihil aliud hoc canone jubetur, quàm utroſque divinis concionibus intereſſe poſſe, quo-E modo horum delictorum genera diſtincta, aot diſpares pœnas eſſe reperies? Deinde omnes omnino pœnitentes ante ſubſtrationem, ſcripturas cum Catechumenis audiebant: auditio enim ſecundus erat gradus pœnitentiæ, quem decurrere, & per quem ad exitum pœnitentiæ pervenire omnes omnino tenerentur pœnitentes. can. 22. epiſt. 3. D. Baſilii. *Deflere ad fores Eccleſiæ, ſecundo autem ad auditionem admitti: tertio ad pœnitentiam: quarto ad congregationem; deinde ad boni communionem.* Can. 11. D. Gregor. Taum. *auditio, ſubſtratio, conſiſtentia, participatio.* Can. 11. Conc. Nicæni: canonibus 4. 5. 6. 7. 8. 9. Conc. Ancyrani: quare nihil opus erat ab hac Syoodo

decerni ut integ audientes remanerent, quia pœni- A tentiam, ut dixi, nequaquam explere potuiſſent ejuſmodi impudici, quin denuo Scripturas ſacras audiſſent. Cæterùm non magis rationi conſentaneum eſt audientes vocari hiemantes, quàm flentes, aut ſubſtratos: imò hoc nomine citiùs flentes intelligerentur quàm audientes, quòd pro foribus templi manerent, ibique continuis lacrymis veniam deprecarentur; audientibus verò fores Eccleſiæ paterent cùm Scripturæ legerentur. Denique veriſimile eſt his verbis, *inter hiemantes orare*, judicium Synodi pœnamque integram, non verò partem pœnæ contineri: At auditio erat pars pœnæ & judicii, quod pœnitentes ſubirent. Quid? Concilii Eliberini, cap. 71. perpetuâ pœnitentiâ puniuntur ſtupratores puerorum, quantò graviori B digni ſunt animadverſione qui hoc canone recenſentur? Meliùs certè & magis ingenuè reſpondet Joan. Zonaras cùm fatetur ſe non percipere quid ſit inter hiemantes orare.

Quamobrem aliud quidpiam excogitandum eſt ut horum ſenſus enucleetur. Qui ob gravia delicta, verbi gratiâ fornicationis aut adulterii, pœnitentiam agebant, aut eam petebant; certum eſt ſub quodam tectulo pro templi foribus eos ritus pœnitentiæ, & exomologeſim peregiſſe, id eſt presbyteris advolutos, caris Dei & martyribus adgeniculatos, veniam deprecatos eſſe, cæteros denique fratres, ut ſibi deprecatores eſſent, oraſſe: verùm qui graviora delicta, ut ſunt ea quæ hiſce canonibus commemorantur, commiſerant, quique perpetuam agerent pœnitentiam, non ſolùm ab Eccleſia, C ſed ab illo tectulo arcebantur, quos hîc hiemantes vocari exiſtimo, & inter eos, hos impudicos leproſos orare juberi. hiemantes autem dici videntur, vel quia ab hoc tectulo ſemoti, ſub dio orare, & pœnitentiam agere cogerentur, vel certè quia in Eccleſiæ portum nunquam reciperentur, ut ait Balſamo. Tertulliani verba de Pudicitia totam hanc rem & locum illuſtrant: *Reliquas autem libidinum furias impias & in corpora & in ſexus, ultra jus naturæ non modò limine, verùm omni Eccleſiæ tecto ſubmovemus, quia non ſunt delicta, ſed monſtra.* Quid ſit cauſæ quamobrem hi leproſi graviùs puniantur quàm alii non invenio, niſi quòd hi pecudes & cætera animalia, D quæ ad vitam mactantur, contagione inficere poterant.

Eſt & alia explicatio ſi quis hanc faſtidiat, quæ à Martino Bracarenſi affertur, *Quòd ſi & hanc menſuram aliquis transgreſſus fuerit, Sacramentum nec in exitu conſequatur, oportet enim tales inter dæmonioſos ordinare.* Hiemantes intelligit eos qui immundis ſpiritibus agitantur, quibus cùm quidam in Eccleſia locus, à fidelibus, Catechumenis, pœnitentibus procul ſemotus adſignaretur, in quo cùm non vexarentur orare poſſent: hoc canone inter eoſdem ejuſmodi ſcelerati & perditi homines tanquam impuriſſimi relegantur, & idem in Eccleſia locus ſi precibus Dei iram mollire cuperent, præſcribitur. Inter hiemantes igitur orare eſt, inter Energumenos & eodem loco orare poſſe, quemadmodum pœnitentes inter Catechumenos orare, quæ loquendi formula frequentiùs occurrit in canonibus, quâque nihil aliud ſignificatur, quàm pœnitentibus poteſtatem fieri ſtandi in Eccleſia cum Catechumenis, atque eodem loco & tempore orare poſſe: ita hos ordinari & orare inter Energumenos, nihil aliud eſt quàm eis licere eodem loco preces ſuas offerre & orare.

CANON VI. CONCILII NAOCÆSARIENSIS.

De prægnantibus baptiſandis.

De ea, quæ uterum gerit, quòd eam oporteat illuminari quando velit, neque enim eam quæ parit, cum fœtu qui paritur, ea in re habet aliquid commune, quod proprium uniuſcujoſque inſtitutum ac propoſitum in confeſſione oſtenditur.

QVia proprium uniuſcujuſque propoſitum.* De fide interrogabantur Catechumeni antequam baptiſarentur: neque aliter ad fontem lavari admiſſos reperies, niſi ejus rationem aliquam B redddidiſſent, *interrogant eos noſtræ fidei ſacerdotes, & ſi praviderint in Patre & Filio, & Spiritu ſancto eos baptiſatos.* Arelatenſe primum canone 8. Præterea paulò antequam mergerentur, baptiſmum ſe optare, ſe baptiſari velle magna voce conteſtabantur: quæ cùm ab iis qui parentum utero includerentur non poſſent fieri, ad eoſdem baptiſmi vis & gratia pervenire & penetrare non poterat; hunc ipſum canonem ita interpretatur Martinus Bracarenſis: *nam nihil in hoc participat mater infanti qui naſcitur; propterea quod unicuique propria voluntas in confeſſione monſtretur.*

CANON XII. CONCILII NAOCÆSARIENSIS.

C *De his qui in ægritudine ſunt baptiſati.*

Si quis ægrotans fuerit illuminatus, non poteſt in presbyterum evehi, fides enim ejus non eſt ex inſtituto, ſed ex neceſſitate, niſi fortè propter conſequens ejus ſtudium & fidem, omniumque raritatem.

DE hujus canonis ſententia dubitari video; & eam aliter à quibuſdam accipi, quàm à Patribus concepta ſit: nimirum hoc canone à Sacerdotio eos penitus arceri, qui in obitum uſque baptiſmum prorogaſſent, quòd inſania quadam notarentur. verùm hallucinantur egregiè, nam in D hoc canone non agitur de his qui in mortem baptiſmum diſtuliſſent, ſed de his quos mors in ipſo Catechumenatu, & antequam ad ejus temporis exitum potuiſſent pervenire, occupaſſet. Neque à ſacerdotio propterea arcentur, quod ea de cauſa eſſent infames, aut malè audirent, ſed ordinari nequaquam poterant, (ut in quodam canone habetur) quòd docere, fidei arcana tradere, exponere, & cætera Sacerdotii officia implere non poſſe viderentur, quos valetudo prima fidei elementa non ſiviſſet ediſcere, & rerum omnium ignaros & rudes baptiſari coëgiſſet. Hæc eſt ratio quamobrem ad ordines non adlegerentur.

Fides enim ejus non eſt ex propoſito. Metu mor- E tis potius, quàm quòd fidei ſuæ rationem reddere poſſit, profitetur ſe in Deum & Chriſtum credere.

CANON II. CONCILII ANTIOCHANI.

Non licere communionem Eccleſiæ contemnere aut excommunicatis communicare.

Omnes qui in Eccleſiam ingrediuntur, & ſacras ſcripturas audiunt, orationi autem cum populo non communicant, vel ſanctam Euchariſtiæ participationem propter aliquam inſolentiam averſantur, eos ab Eccleſia expelli, donec,

poſtquam

poſtquam confeſſi fuerint, fructuſque pœnitentiæ oſtenderint, & imploraverint, veniam aſſequi poſſint. Non licere autem communicare cum excommunicatis, neque in domibus convenientes orare pro iis, qui in Eccleſia non communicant: neque in alia Eccleſia recipi, qui in alia Eccleſia non conveniant. Si quem autem ex Epiſcopis, vel Presbyteris, vel Diaconis, vel quemvis ex canone excommunicatis communicare apparuerit, eum quoque eſſe excommunicatum, ut qui canonem Eccleſiæ confundat.

VEl *quemvis ex canone.* Hoc eſt qui inter clericos tecenſetur, & qui ſocietate & communione Eccleſiaſtica fruitur: per canonem enim hoc loco intelligo chartam illam, qua omnium clericorum nomina, ordines, dignitates, & gradus, omnis denique Eccleſiaſticus Senatus, & conventus inſcriptus legebatur: & ita accipiendum cenſeo, quod in decimo ſexto & ſeptimo Nicæni reperitur, *qui in canone recenſetur.* Item, *quicunque omnino in canone recenſetur.* Item quod habetur in hiſtoria Nectarii τῷ [illegible]: non ut quidam malè interpretantur, Pœnitentiarium illum aliquo decreto, & canone Eccleſiæ in odium Novatianorum adjunctum. Canoni enim adjicere, eſt novum illum Pœnitentiarii gradum & dignitatem inſtituere, de novo hunc gradum cæteris ordinibus adjicere. In poteſtate enim Epiſcoporum erat novos gradus, novaſque ut vocant, dignitates adjicere & ſtabilire, & certam eiſdem prout Eccleſiæ ſtatus poſtularet, poteſtatem permittere: quemadmodum eorumdem arbitrio, & authoritate nonnullos ex antiquis illis gradibus, & dignitatibus antiquatos videmus.

CANON II. CONCILII LAODICENSIS.

De his, qui pro diverſis erratis pœnitudinem ferventiùs exegerunt.

De his qui diverſis facinoribus peccaverunt, & perſeverantes in oratione confeſſionis & pœnitentiæ, converſionem à malis habuere perfectam, pro qualitate delicti, talibus pœnitentiæ tempus impenſum, propter clementiam & bonitatem Dei communio concedatur.

EX hoc canone nonnihil probationis pro ſacramentali confeſſione elici poſſe inficias non iverim. Quo enim modo præſcribi potuiſſet pœnitentia adæquata peccatis, niſi peccata perſpecta fuiſſent ei qui pœnitentiam imponebat? Quapropter ſectarios deficere debet obtrectatio; fateri ſiquidem coguntur tempore hujuſce canonis confeſſionem in uſo fuiſſe. Non tamen ahnuerim hæc verba, *perſeverantes in oratione confeſſionis & pœnitentia*, ad confeſſionem ſacramentalem non pertinere, adductus rationibus quæ ſequuntur, ubi quæ ad intelligentiam hujus canonis faciunt expoſuero. Si quis ſit ponendi calidiſſimus, hujus canonis Hypotheſin eſſe fatebitur, conſtare debere utrum pœnitentia & communio dandæ ſint eis

A qui permulta capitalia ſcelera admiſerint. Ratio dubitandi hæc erat, quòd qui plurimis criminibus urgeretur, indignus erat omnino gratia & pœnitentia: cùm videlicet, qui ſolum crimen conceperat, & fecerat per viginti quinque aut triginta annos, in pœnitentia deliteſcere cogeretur, ſi illud eſſet capitale, ut patet in Concilio Eliberino. Qui peccatum maximum admiſit irrogatur pœnitentia; ſi plura, denegatur. Deciſio tamen Patrum vult, quòd ſi in efflagitanda pœnitentia perſeverent, afflictationibuſque corporis teſtentur ingenti dolore Deum offendiſſe remorderi, indulgeatur illis pœnitentia, tum demùm communio.

Amplius notandum ut perſpectior ſit ſen-
B ſus canonis, quòd qui confiterentur, aut ſtatim abſolutos fuiſſe, aut eis ſtatim conceſſam fuiſſe poenitentiam ſi meruiſſent: aut excommunicatos, ſi reatus eorum excommunicationem merebatur. Ad hæc tria genera confeſſionis, & non ultrà uſurpabantur. Qui poſt confeſſionem excommunicabantur, ſi cura ſuæ ſalutis eos tangeret, in ſqualore & miſeriis limina Eccleſiarum peterrabant, cum lacrymis & ſingultibus conabantur à prætereuntibus miſericordiam extorquere, oſtentantes quanta ægritudine, quantis ærumnis diſcruciarentur propter commiſſa, proſterniebant ſe humi ante Epiſcopos, advolvebant ſe genibus presbyterorum, veſtigia fidelium adorabant. Quibus frequenter repetitis miſericordiam alliciebant, & tum
C demum poenitentia eis concedebatur. De his canon, ut mea fert ſententia, eſt intelligendus. Nam de iis non loquitur qui abſolutionem conſecoti erant; excommunicati enim non erant, neque poenitentia indigebant. Poenitentia enim antiquitùs ante abſolutionem peragebatur. Nec etiam loquitur de iis qui in inſtanti veſtigio confeſſionis ſuæ ad poenitentiam admiſſi fuerant. Non enim obſcurum eſt loqui de iis qui poenitentiam exuta malignitate exigebant, ſed nondum erant adepti. Non poteſt ergo accipi niſi de viris confitentibus atrocia ſcelera, & ob ea excommunicatis: & ſanè omnia canonis verba huic explicationi
D mirificè congruunt. Nam per hæc, *Perſeverantes in oratione confeſſionis & pœnitentia*, intelligendæ veniunt lacrymæ & afflictationes, quas longo tempore ſufferre & perpeti debebant, ut tandem poenitentiæ gratiam mererentur. Hæc namque conditio neceſſaria apponitur à Patribus in ſuis deciſionibus, quæ convenire non poteſt in abſolutionem conſecutos, aut eos quibus conceſſa erat poenitentia. Ad extremum nullus mihi videtur dubitandi locus, cùm caoon apertiſſimè dicat, eos petiiſſe pœnitentiam, & excommunicatos fuiſſe; non ergo abſolutionem conſecuti erant, nec erat eis conceſſa poenitentia. Si ergo intel-
E ligendus venit canon de excommunicatis, & ſi in eo quæritur utrum danda ſit poenitentia iis quorum animus in nequitia peregrinatus non eſt, ſed habitavit, unde anathemate icti ſunt, & qui perſeverant in omni humilitate & auſteritate, ut mereantur pœnitentiæ gratiam, procul dubio hæc verba, *perſeverantes in oratione confeſſionis & pœnitentia*, referri non poſſunt ad confeſſionem ſacramentalem, ut potè quæ excommunicationem præcederet. Adde quòd quorum hîc mentio ſit, confeſſi fuerant eùm excommunicati ſunt, & quanto tempore in limine Eccleſiarum volutabantur, ut lacrymis poenitentiæ

Gab. Albaſpin. Notæ in varia Concilia.

ſ

gratiam promererentur non confitebantur. Demum hæc verba, *Perſeverantes in oratione confeſſionis*, conditio eſt qua voluerunt Patres poenitentiam eis concedi. At qui tam enixè efflagitabat inſuper habuiſſet confeſſionem detrectare. Sed quoniam plurimi qui poenitentiam poſtulabant, non ſat evidenter probabant ſe verè ex animo dolere & angi quod Deum offendiſſent; idcirco conditio quæ ſub horum verborum involucris latet, confeſſio non eſt, ſed actus externi poenitentiæ, quod veteres Exomologeſim appellabant. Denique nunquam Patres confeſſionem ſacramentalem orationem appellaveruot, neque poenitentem in confeſſione perſeverare debere reperiemus, ſufficit ſemel confiteri. Hoc tamen frequenter occurrit, pœnitentes teſtari debere actibus externis quàm acriter commiſſorum dolore angantur, quod vocatur Exomologeſis. Hinc Tertullianus ſcribit: *Daniel jejunus in ſacco & cinere* A *Exomologeſim Deo ageret.* Similiter Divus Cyprianus: *Azarias aperuit os ſuum, & Exomologeſim faciebat Deo ſuo: Daniel Exomologeſim faciens dolenter, ac dicens, Domine Deus magnus peccavimus, facinus admiſimus, impii fuimus, tranſgreſſi ſumus, ac deſeruimus præcepta tua.* Eadem ratione Patres orationem Exomologeſeos appellant, quando pœnitens in limine Eccleſiæ proſtratus ſuſpiriis & gemitibus fatebatur ſeſe peccatorum omniom miſerrimum, nec pœnam deprecari. Omnis enim actus exterous, ſive verba, ſive jejuniom, ſive lacrymæ, ſive quid tandem quo teſtamur nos Deom offendiſſe, appellatur Exo-
B mologeſis. Finem faciam, ubi monuero lectorem in hoc canone hoc verbum, *Pœnitentia*, repeti. Primò enim ponitur pro morſo interiori, quo quis dolet Deum offendiſſe; deinde pro afflictatione quæ ab Eccleſia præſcribebatur ad ſatisfactionem.

Finis Notarum in quoſdam Canones Conciliorum Aſiæ.

GABRIELIS ALBASPINÆI

NOTÆ IN CAPUT SECUNDUM EPISTOLÆ TERTIÆ SANCTI INNOCENTII AD EXVPERIVM.

De his qui poſt baptiſmum omni tempore incontinentiæ voluptatibus ſunt dediti, & in ultimo pœnitentiam poſcunt.

Et hoc quæſitum eſt, quid de his obſervari debeat, qui poſt baptiſmum omni tempore incontinentiæ & voluptatibus dediti, in extremo fine vitæ ſuæ pœnitentiam ſimul, & reconciliationem communionis expoſcunt. De his obſervatio prior, durior: poſterior interveniente miſericordia inclinatior eſt. Nam conſuetudo prior tenuit, ut concederetur eis pœnitentia, ſed communio negaretur. Nam cùm illis temporibus crebræ perſecutiones eſſent, ne communionis conceſſa facilitas homines de reconciliatione ſecuros non revocaret à lapſu, negata meritò communio eſt, conceſſa pœnitentia, ne totum penitus negaretur: & duriorem remiſſionem fecit temporis ratio. Sed poſtquam Dominus noſter pacem Eccleſiis ſuis reddidit, jam depulſo terrore communionem dari abeuntibus placuit, & propter Domini miſericordiam, quaſi viaticum profecturis, ne Novatiani hæretici negantis veniam aſperitatem, & duritiam ſubſequi videamur. Tribuetur ergo cum pœnitentia extrema communio, ut homines hujuſmodi vel in ſupremis ſuis, permittente Salvatore noſtro à perpetuo exitio vindicentur.

CANON iſte multorum interpretum ingenium exercuit, & ſollicitum habuit, quòd ingenuè fateri videatur Sanctos Innocentius Euchariſtiæ non ſolùm, ſed etiam reconciliationis ac pacis (quæ apud nos abſolutio vocatur) gratiam moribundis olim denegatam fuiſſe, priorumque ſeculorum diſciplinam & conſuetudinem obtinuiſſe, ut excommunicati ex hac vita ad Dei miſericordiam abſque ullo Eccleſiæ auxilio præterquam pœnitentiæ remitterentur. Quæ res non mediocriter eos conturbat, quòd moribus noſtris ac diſciplinis, quæ nunc obſervantur, repugnat; ac in Novatianorum hæreſim inclinari videatur, quò factum eſt ut varias huic canoni ſententias affingerent: ita nonnulli per communionem de qua hic eſt mentio Euchariſtiam, ac per pœnitentiam, abſolutionem intelligunt, ut horum verborum explicationem & ſenſum à Novatianorum hæreſi procul rejiciant, qui graviorum criminum reis pacem, vel in exitu vitæ, non concedebant. Cæteri de lapſis hîc agi exiſtimant, verbaque illa, *prior conſtitutio durior*, ad Eliberini Concilii Patres pertinere, eorumque leges & decreta ab Innocentio, tanquam ſevera & acerba, damnari. Ego hos omnes à vero hujuſce canonis ſenſu aberrare cenſeo, ut ex ſequentibus manifeſtum fiet.

Nam quamobrem quæſo tam varias & tam diverſas ei excogitant explicationes? Cùm nihil tam planum ſit quàm id unum hoc ipſo canone agitari, & quæri, quonam modo animadvertendum ſit, vel potiùs an recipiendi ſint in fidelium communionem, qui ob noxas ſuas, (quæcumque tandem illæ fuerint) ſacris interdicti, ad mortem uſque nullo ſalutis, aut cenſuræ metu, remanerent, pœnitentiamque niſi morientes non poſtularent. Hæc eſt Exuperii quæſtio, quæ cùm perſpicua & clara ſit admodum, quorſum quæſo de aliis peccatis reſpondiſſet Innocentius? Hi ergo hallucinantur egregiè, qui ad alia peccata hoc reſponſum pertinere putant. De lapſis verò, quam- A vis Exuperius de his nihil percontetur, mentionem meritò feciſſe videtur: cùm enim priorum temporum conſuetudinem in memoriam revocet; & quid olim Eccleſia in ejuſmodi homines excommunicatos ſtatuerit (quod ad ea tempora quæ inter Cornelium & Nicænum Concilium fluxerunt, referendum puto) non potuit quin de lapſis ageret: quandoquidem plerique omnes qui ea ætate Exomologeſim in mortem differebant, ii omnes ferè eſſent lapſi. Nam cùm omnibus aliis peccatis venia longè faciliùs quàm idololatriæ indulgeretur, leviúſque multo, brevioríque pœnitentia caſtigarentur, veriſimile eſt multos ex lapſis à pœnitentia his malis deterritos, eam in mor- B tem diſtuliſſe; quod inſinuat Cyprianus his verbis: *Et idcirco frater chariſſime pœnitentiam non agentes, nec dolorem delictorum ſuorum, toto corde, & manifeſto lamentationis ſuæ profeſſione teſtantes, prohibendos omnino cenſuimus à ſpe communionis & pacis: ſi in infirmitate atque periculo cœperint deprecari, quia rogare eos non delicti pœnitentia, ſed mortis urgentis admonitio compellit, nec dignus eſt accipere ſolatium, qui ſe non cogitavit eſſe moriturum.* Et Concilium Arelatenſe primum, cùm de his hominibus, qui tardiores eſſent ad quærendam pœnitentiam loquitur, eos Apoſtatas vocat, quod pro conjectura eſt, lapſos, quòd vulneris curationem formidarent, pœnitentiam non niſi mortalitatis metu, deſideraſſe: atque ea eſt cauſa C cur de lapſis verba fecerit; & de libidinoſis rogatus de idololatris reſponderit Innocentius, quòd ſcilicet ex his multi prioribus illis ſeculis nec Dei, nec ſalutis metuentes, non criminum dolore, ſed timore mortis, ad ultimum illud remedium confugerent. Ex quibus liquet neque hypotheſim ad theſim, ut quidam volunt, transtuliſſe Innocentium: neque alia criminum genera, aut quidquam aliud, ſuo complexum eſſe reſponſo, quàm de quo rogatus erat. Nam eadem erat cauſa lapſorum qui in extremum vitæ tempus pœnitentiam diſtulerant, & eorum libidinoſorum & libertinorum, de quibus interrogat Exuperius: iiſdemque omnino judiciis utrique coërcendi eſſe

videbantur qua propter appoſitè & accommodatè ad quæſtionem propoſitam, antiqua Eccleſiæ ſtatuta, & conſuetudinem de traditoribus lapſis recipiendis repetit.

Quod ad eorum conjecturam attinet, qui ad decreta Conc. Eliberini Innocentium reſpexiſſe ſuſpicantur, cùm priorem diſciplinam duram & acerbam fuiſſe dicit, non magis ea probabilis eſt, quàm illorum explicatio: Nam in eos de quibus interrogatur & reſpondet Innocentius, nil gravius quidpiam cæteris Conciliis ſtatuerunt; imo ſi de ea quęſtione interrogati fuiſſent Patres Eliberini, neſcio ſi non mitiùs reſpondiſſent, quàm Concilium Arelatenſe, cùm can. 46. & 47. Catechumenos & Apoſtatas, qui per infinita tempora ad Eccleſiam non acceſſerant, ad Baptiſmum & ad communionem poſt aliquam pœnitentiam admittant: & quamvis in eo can. 46. non agatur de Apoſtatis aut lapſis qui mortis metu ad pœnitentiam recurrere adigebantur: tamen cùm hæc verba in eodem canone habeantur, *Per infinita tempora ad Eccleſiam non acceſſerit*, Patres hujuſce Concilii ſatis oſtendunt, quo animo fuiſſent in eos, ſi eorum cauſa agitata fuiſſet.

Sunt & alia in illo Innocentii decreto ſatis obſcura, quæ aliud ſignificant quàm quod oſtendunt, aut ab interpretibus perſpiciatur; quapropter ſingula quæque à nobis ſunt breviſſimè & minutatim evolvenda. ac primùm notandum eſt de fidelibus excommunicatis & à communione non ſolùm Euchariſtiæ, ſed fidelium pulſis mentionem eſſe: nam pœnitentia ab iis ſolis peti poterat.

Omni tempore. Qui nunquam aut Epiſcopum, aut Eccleſiam obtinendæ pœnitentiæ cauſâ adierant: eadem ferè loquendi formula utuntur Patres Eliberini & Arelat. Conc. *per infinita tempora*, item, *antequam ad Eccleſiam ſeſe repræſentet.*

Pœnitentiam ſimul & reconciliationem. In ipſa morte, vel etiam cùm vi morbi vox interclusa eſſet pœnitentiam ſibi impertiri cupiebant; nulluſque olim communioni & paci Eccleſię reſtitutus fuit quamvis animam penè efflaret, quin ei pœnitentia ante abſolutionem impertiretur. Quid autem fuerit illa pœnitentia, aut quomodo a noſtra differat, aut qua ratione eis potuerit dari, quibus ob morbum nullus eſſet vocis aut rationis uſus, in Obſervatione de Pœnitentia fidelium dicemus.

Reconciliationem. Hoc eſt minimam reconciliationem, eamque quæ jus ad corpus fidelium redderet; non autem maximam, quæ daret jus ad Euchariſtiam & oblationes: propterea quòd, utrum digni cenſerentur aliqua reconciliatione cùm dubitarent, perfacile eſt conjicere minimam fuiſſe, quæ illis concederetur.

Obſervatio prior. Quam ad obſervationem, aut ad quod Concilium, aut ſeculum, aut tempus verba iſta ſupra allata revocanda cenſeantur? Ad ea opinor tempora, quæ Concilium Nicænum antecedunt. Nam in Concilio Arelatenſi primo, ultimo in canone legimus abſolutionem Apoſtatis, quorum cauſa ab his de quibus in hoc capite agitur ſeparata non fuit, negari: ideoque verbum illud, *prior*, mea ſententia ad ea tempora, & ad ea Concilia rejiciendum videtur, quæ proximè à Niceno abſunt.

Poſterior. Nulla ni fallor ante Innocentium de his recipiendis lex ſancita reperitur: ſed veriſimile eſt reſtituta Eccleſiæ pace, & poſt Concilium Nicænum ſeveritatem illam qua ejuſmodi homines ultimo canone Arelatenſi puniuntur, paulatim mitigatam, & in communionem morte inſtante eos receptos fuiſſe.

Concederetur pœnitentia. Cùm quibuſdam peccatoribus pœnitentia concederetur ſine abſolutione, anathemate eoſdem liberatos & abſolutos ni fallor volebant. Præterea eis donum pœnitentiæ concedebant: ad extremum eis pollicebantur, & adpromittebant, & quaſi cum eis tranſigebant (nam poterant ligare & ſolvere) ſi perpetua pœnitentia Deo facerent ſatis, illumque placarent, Deum ipſum peccata penitus ex animo, quæ altè inſederant, ut ita loquar, deleturum: atque hoc modo pœnitentiam ſine abſolutione largiebantur: & ea eſt cauſa cur poenitentiam ſæpenumerò expeterent, ſive abſolutiones. Vide Obſervationem de fidelium Poenitentia.

Sed communio negaretur. Quibus poenitentiam ſine communione concederent, eis à Deo expectandam abſolutionem affirmabant, & ſatis eis videbatur graviorum criminum reos, eo in ſtatu quaſi conſtituere, quo per ſe divinum placare Numen poterant: quod autem ad abſolutionem & communionem, eam omnino non laxabant, veteris diſciplinę retinendæ cauſâ, & quodam quaſi metu ſalutari eos coërcendi.

Ne communionis conceſſa facilitas. Communio hoc loco abſolutionis, non autem Euchariſtiæ vim notionemque habet. verba namque quæ ſequuntur declarant hoc canone communionem, reconciliationem, & remiſſionem pro eadem re ſumi.

Non revocaret à lapſu. Hoc eſt, ſi iis lapſis qui idololatriæ ſuæ medelam per poenitentiam ante obitum non quæſierant, pax olim & communio in morte relaxata fuiſſet, cæteri hac ſpe veniæ quaſi ſecuri, tardiores fuiſſent ad eandem poenitentiam obeundam, & in mortem ejus labores & lacrymas diſtuliſſent, & ita numerus Apoſtatarum in immenſum creviſſet, nulluſque planè perſecutionum temporibus fuiſſet, qui idololatriæ ſuæ ſcelus, lacrymis & Exomologeſi confiteri voluiſſet. Quibus de cauſis Eccleſia conſultò ejuſmodi lapſis, qui ad pœnitentiæ remedium ante obitum confugerent, abſolutionem & communionem licet morientibus, denegabat. Hæc verba ſi ita accipiantur, quæ in hoc canone explicando difficultas ſeſe ſtatim oſtendit, evaneſcet. Nam ex iis potiſſimum oriebatur, cùm interpretes ſatis conjicere aut divinare non poſſent, quamobrem de libidinoſis interrogatus, de lapſis reſpondeat Innocentius.

Ne totum penitus negaretur. Cùm ſola pœnitentia vel ſine abſolutione moribundo concedebatur, aliquid quod ad ſalutem multùm prodeſſet, conſequebatur. Nam benedictione pœnitentiæ, donum primùm pœnitendi infundebatur: anathematis peccatum tollebatur: denique pœnitentia vel citra ſpem abſolutionis peccata quaſi æſtimabantur, & hoc pretio, ſi plenè & fideliter illud perſolverent, venia & divina miſericordia adpromittebatur: quocirca rectè ait Innocentius *ne totum penitùs negaretur.*

Communionem dari obeuntibus. Ex his verbis intelligi poteſt, quamvis Eccleſia decreviſſet contra quàm Novatiani opinantur, pœnitentiæ aſylum non eſſe ſubtrahendum, lapſiſque demum ignoſci oportere, aliiſque graviſſimis peccatis; tamen id ea lege conceſſum, ut longior pœnitentia protraheretur.

Quaſi viaticum perfectum. Hoc loco perſpici poteſt verbum *viaticum*, pro abſolutione tantùm, non autem pro Euchariſtia ſumi. neque enim in hoc can. niſi de abſolutione, non autem de Euchariſtia diſſeritur, *& viaticum*, idem eſt quod *communio, reconciliatio & remiſſio*, quæ cùm ad ſignificandam abſolutionem & ſimplicem communionem uſurpentur, *viaticum* ejuſdem notionis & ſignificationis eſſe videtur.

Et ut Novatiani. Et quanquam ſanctus Inno-

centius dicat ſi in morte abſolutio negetur, id vi- A
deri propiùs accedere ad Novatianorum errorem & ſententiam, non propterea quiſpiam inde ratiocinari jure poterit, nunquam ab Eccleſia eam fuiſſe negatam, cùm dubium non ſit, idque probari poſſit vel ex ipſo Innocentio hoc loco poſt Novatianos errore convictos, eam ab Eccleſia interdum denegatam. Verùm id ita accipiendum eſt, quòd ſi abſolutè & preciſè in perpetuum, atrociſſimis illis flagitiis negaretur, hoc facto eoque nomine videri nos in errorem Novatianorum incurrere. Sed nec illud dici poteſt, quin Innocentii tempore alicui moribundo abſolutio graviſſima de cauſa retineri potuerit, nullo tamen Novatianorum exemplo. Novatiani namque juris & facti duplici errore tenebantur: eripiebant enim eam Eccleſiæ poteſtatem; ideoque atrociſſimo cuique peccato jus abſolutionis adimebant, neque ipſa, quod profitebantur, pręſtabant. Eccleſia autem ea ſe poteſtate pręditam ſciebat, & pro arbitrio ſibi licere myſteria diſpenſare, & veniam moribundis & petentibus denegare poſſe; ſed juſtiſſimis de cauſis rarò hac animadverſione utebatur.

A perpetuo exitio. Id autem dicit quia revera, eorum quibus abſolutio dabatur, in periculum non ita ſalus vocaretur, ut illorum quibus tantùm pœnitentia tribuebatur; ſed tamen non propterea eos in damnatorum numerum rejiciebat Eccleſia.

GABRIELIS ALBASPINÆI

NOTÆ IN QUOSDAM CANONES

CONCILIORVM GALLIÆ.

CANON III. CONCILII PRIMI ARELATENSIS.

Vt qui in pace arma projiciunt excommunicentur.

De his qui arma projiciunt in pace, placuit abſtinere eos à communione.

METAPHORICÈ, ſeu translatione quadam ſumpta non exiſtimatim, ut quibuſdam placet interpretibus verbum hoc *arma poni*, ſed ut imperatoria Conſtantini benevolentia conciliaretur, qui fortè conquerebatur plurimos ſpecie, ſeu obtentu religionis militiam ſubterfugere, & ab armis capiendis revocari. Nam non pauci difficillimis illis ante Conſtantinum temporibus quibus Eccleſia divexaretur militiam deſerebant, eamque ut odioſam averſabantur & detrectabant; quòd penè impoſſibile eſſet extra noxam militare, & militibus ſatis unquam cavere quin aliquam in Idololatriæ ſpe- B
ciem impingerent, cùm militiæ munia & officia fungerentur. Ut igitur à contemptu belli armiſque fugiendis reddita Eccleſiæ pace abducerentur Chriſtiani, Patres proſpexerunt tempore pacis Eccleſiæ & Imperatorum Chriſtianorum ne militare deſinerent: quando illæſa fide ſtipendia in caſtris Chriſtianorum Imperatorum merere poſſent. Id etiam ſtatuerunt Patres ut inde intelligerent & conjecturam facerent Imperatores fore, ut ſi crudeliùs in Eccleſiam ſævirent ipſorum edicto, in bellis gerendis milites non obtemperaturos. Itaque Patres hoc canone ut Imperatori Chriſtiano obſequerentur, & non ſolùm ab Eccleſia ea quæ C
ad animæ ſalutem, ſed etiam ad Imperium ſtabiliendum attinerent, conſequeretur, omnia illa reſciderunt decreta, quibus Chriſtiani à militia revocabantur.

In pace. Eccleſiæ ſcilicet, & poſitis perſecutionum procellis.

Abſtinere à communione. Pauco tempore à ſocietate fidelium abſtineant: levis caſtigatio intelligitur, cùm ejus modus & tempus non apponuntur.

CANON VI.

Vt in infirmitate converſi, manus impoſitionem accipiant.

De his qui in infirmitate credere volunt, placuit debere his manum imponi.

BAptiſati in infirmitate confirmandi ſunt. De hujus canonis explicatione plura dicuntur in canone trigeſimo nono Concilii Eliberini.

CANON VII.

De Præſidibus, ut cum conſcientia Epiſcopi ſui communicent.

De Præſidibus, qui fideles ad præſidatum impetu proſiliunt, ita placuit, ut cum promoti fuerint, literas accipiant Eccleſiaſticas communicatorias; ita tamen, ut in quibuſcumque locis geſſerint, ab Epiſcopo ejuſdem loci cura de illis agatur: at cum cœperint contra diſciplinam publicam agere, tunc demum à communione excludantur. Similiter & de his fiat, qui rempublicam agere volunt.

NOnnulli hunc canonem de Schiſmaticis & hæreticis interpretantur, eoque ſtatutum putant, ut à Reipublicæ adminiſtratione excludantur: quorum explicationi etſi auctoritate ſua plurimùm apud me valeant, ſubſcribere nequeo; quòd ne verbo quidem de Schiſmaticis & hæreticis illo in canone agatur, aut quidquam aliud quod probabilem hujuſce ſenſus inducat ſuſpicionem reperiatur. Deinde ſi quis ea tempora velit conſulere, atque animo repetere, quo anno Conſtantini, quibuſve Conſulibus hæc lex ſit lata, nondum annos quinque aut ſex fuiſſe, cùm ipſe

Conſtantinus à falſa Deorum religione receſſiſſet: ab Ethnicis & Gentilibus Præſidibus non ſolùm ſub Conſtantino; ſed etiam multò poſt eundem Conſtantinum à Proconſulibus Ethnicis Rempublicam, & Provincias ipſas eſſe adminiſtratas, ſatis erit, ut ab ejuſmodi explicatione deſciſcat. Poſtremò quæſo quam veriſimile ſit Patres qui in illa aderant Provinciali Synodo ſuffragiis ſuis aliquid ſanxiſſe, cujus obſervatio in eorum non eſſet, ſed in Principis poteſtate. Ne quis Schiſmaticus aut hæreticus quamvis eſſet Provinciæ Præſes, cæterorum communioni ſociaretur, decernere quidem & meritò poterant: ſed eò quòd quiſpiam eſſet hæreticus, ut à Reipublicæ adminiſtratione removeretur, Principis non Eccleſiæ erat judicium: illius profectò erat imperium Præſidibus abrogare, non Eccleſiæ.

Quod verò rem cauſamque hujuſce canonis continet, eſt quòd Eccleſiam noſtri majores tam prudenti conſilio temperabant, ut nullus omnino proficiſci poſſet extra ſuam diœceſim ſine literis communicatoriis, ne fieret communio paſſiva, & qui in una diœceſi eſſent excommunicati, in alia communionem adſecuti, Chriſti corpus & gregem inficerent: *Statuat gravitas veſtra, ut unuſquiſque clericus vel laicus, non communicet in aliena plebe, ſine literis Epiſcopi ſui. Gratus Epiſcopus dixit, niſi hoc obſervatum fuerit, communio fiet paſſiva.* Canone 41. Concilii Laodicenſis: *Non oportet miniſtrum altaris, vel etiam laicum ſine canonicis literis, ideſt, formata alicubi proficiſci.* Canone ſeptimo Antiocheni, canone 52. Agathenſis, canone 58. Concilii Eliberini. Quod cùm ita ſit ſuſpicari neceſſe eſt nobiles & potentes viros, poſtquam alicui Provinciæ præfecti (nam patriæ ſuæ præeſſe præfecturamque adſequi nemini concedebatur) eamque adepti eſſent, non ſolùm hanc de communicatoriis literis legem, ſed etiam Epiſcoporum, in quorum diœceſi ſita eſſet urbs præcipua Provinciæ, authoritatem ſpreviſſe. In quos hoc canone animadvertitur, jubenturque cum ejuſmodi literis in Provinciam proficiſci, & Epiſcopo Provinciæ morem gerere: ſed hæc hujuſce canonis verba brevi illuſtratione lubet perſtringere.

Qui ad præſidatum impetu proſiliunt. Chriſtiani quamvis genere inſignes & optimis eſſent familiis nati, à cujuſlibet magiſtratus, aut muneris publici petitione abhorrebant: credo propterea quòd Provinciæ ſibi impoſitæ, atque officio ſatisfacere vix potuiſſent illis temporibus, quin ſeſe idolorum ritibus Paganorumque ceremoniis inquinaſſent, aut in aliquod idololatriæ negotium impegiſſent. Quomodo enim fidem per Deos, perque Cæſarum ſalutem, ipſis Cæſaribus obſtringere, ſacris Deorum intereſſe, ludos dare, ſpectacula edere, militiæ præeſſe, & cæteris, quibus ne Provinciæ & muneri deeſſe viderentur, defungi tenebantur, inviolata & incorrupta fide & religione Chriſtiana potuiſſent? Tertullianus de Idololat. cap. 17. *Hinc proximè diſputatio ſuborta eſt, an ſervus Dei, alicujus dignitatis aut poteſtatis adminiſtrationem capiat, ſi ab omni ſpecie idololatriæ intactum ſe aut gratia, aut aſtutia etiam præſtare poſſit: ſecundum quod & Ioſeph & Daniel mundi ab Idololatria, & dignitatem & poteſtatem adminiſtraverunt, in ornamento & purpura extiterunt totius Ægypti, ſive Babyloniæ. Credamus itaque ſuccedere alicui poſſe, ut in quoquo honore, ut in ſolo honoris nomine incedat, neque ſacrificet, neque ſacrificiis authoritatem ſuam accommodet, non hoſtias locet, non curas templorum deleget, non vectigalia eorum procuret, non ſpectacula edat de ſuo, aut de publico, aut edendis præſit: nihil ſolemne pronunciet vel edicat, ne juret quidem. Iam verò quæ ſunt poteſtatis, neque judicet de capite alicujus vel pudore (feras enim de pecunia) neque damnet, neque prædamnet, neminem vinciat, neminem recludat aut torqueat: ſi hæc credibile eſt fieri poſſe.* Item: *Nam dæmonia magiſtratus ſunt ſeculi hujus, unius collegii inſignia faſces & purpuras geſtant.* Item: *Tu ſi Diaboli pompam ejeraſti, quicquid ex ea attigeris id ſcias eſſe idololatriam, vel hoc te commoneat faciat, omnes hujus ſeculi poteſtates & dignitates non ſolùm alienas, verùm & inimicas Dei eſſe, quod per illas adverſus Dei ſervos ſupplicia conſulta ſunt, per illas & pœna ad impios parata ignorantur.* Eodem Concilii Eliberini canones referendi ſunt. 2. 3. 4. 55. 56. *Magiſtratum verò anno quo agit Duumviratum prohibere placet, ut ſe ab Eccleſia prohibeat:* quia ſcilicet Chriſtiani præſides vel Sacerdotes, etſi ſub imperio Conſtantini à ſacrificiis & ſolemnitatibus publicis ſeſe abſtinere poſſent, nihilominus officium ſuum nequaquam adimplere poterant, quin idololatriæ inſervirent aut faverent. Innocentius primus epiſtola 3. canone 11. *Præterea frequenter quidam ex fratribus noſtris curiales, vel quibuſlibet publicis functionibus occupatos, clericos facere contendunt, quibus poſteà major triſtitia, quum de revocandis eis aliquid ab Imperatore præcipitur, quàm gratia naſcitur de accito. Conſtat enim eos in ipſis muniis etiam voluptates exhibere, quas à diabolo inventas eſſe non dubium eſt, & ludorum vel munerum apparatibus, aut præeſſe aut forſitan intereſſe. Sit certè in exemplum & ſolicitudo & triſtitia fratrum, quam ſæpe pertulimus Imperatore præſente cùm pro his ſæpiùs rogaremus, quàm ipſe nobiſcum poſitus cognoviſti, ex quibus non ſolùm inferiores clerici ex curialibus, verùm etiam in Sacerdotio conſtituti ingens moleſtia, ut redderentur, inſtabat.* Ob hanc cauſam, in illos conſtitutum eſt, hoc judicium canonis 56. Quæ cùm perſpicua facta ſint, redeo nunc ad explicationem canonis noſtri. Quidam igitur ambitione adducti, aut imperitandi gloria obcæcati, nulla religionis habita ratione Magiſtratum petebant, & prenſabant; hunc eſſe ſenſum horum *ad Præſidatum impetu proſilire*, præter ea quæ adduximus quæ ſequuntur plurimum ut credam efficiunt, *Ut cùm cœperint contra diſciplinam publicam agere*, quaſi velit dicere eos impetu, & contra diſciplinam Chriſtianam provinciam petiiſſe, quòd in ejus adminiſtratione, ita ſeſe gerere non poſſent, quod adversùs diſciplinam publicam aliquid facerent: ita tamen qui peregrinabantur ſi literis communicatoriis, quaſi fidei teſſeram & Symbolum oſtenderent, ut fratres & fideles quocunque tranſirent, excipiebantur, nihilominus à nullo poterant corrigi, aut abſolvi, & ſi in peregrinatione quicquam animadverſione dignum commiſerant, ad proprium remittebantur Epiſcopum, propterea aiunt Patres hoc canone, *ita tamen*, id eſt, ſi literas deferant communicatorias: tamen quia diutius in provincia remanere debent, Epiſcopis locorum ſubjecti ſunto.

Verùm aliam inſtitui apud me horum verborum, *de Præſidibus qui fideles ad præſidatum impetu proſiliunt*, ſententiam quærere: quia hæc non ſatis mihi commoda videbatur. Hæc igitur verba ad canonis titulum non ad ipſum canonem, pertinent; atque hunc, uti opinor, ſenſum habere deprehendentur, de Præſidibus qui contra regulam Eccleſiaſticam, non acceptis à ſuo Epiſcopo, ut mos erat, literis communicatoriis, impetu quodam ad præfecturas proficiſcuntur. Hæc enim verba *impetu proſiliunt*, ſic intelligo per ſaltum,

non habita diſciplinæ Eccleſiaſticæ ratione ; quemadmodum hodie dicimus eos per ſaltum ad ordines promotos eſſe, qui omiſsâ tonſurâ quam vocant, ad ſuperiores gradus adlecti ſunt.

Qui fideles. Hoc eſt, ſi ſunt fideles : quia ſi eſſent Catechumeni, aliter erant puniendi.

CANON IX. CONCILII ARALATANSIA PRIMI.

Vt qui confeſſorum literas portant, alias accipiant.

De his qui confeſſorum literas offerunt, placuit ut ſublatis, alias accipiant communicatorias.

DE his literis in canone vigeſimo quinto Eliberino ſatis diſputatum eſt.

CANON XIII. CONCILII ARELATENSIS PRIMI.

Vt falſi accuſatores fratrum, vel vaſorum, ſeu ſcripturarum, cum verberibus deponantur.

De his qui ſcripturas ſanctas tradidiſſe dicuntur, vel vaſa dominica, vel nomina fratrum ſuorum, placuit nobis, ut quicunque eorum ex actis publicis fuerit detectus, non verbis nudis ab ordine cleri amoveatur.

Nam ſi iidem aliquos ordinaſſe fuerint deprehenſi & de his, quos ordinaverunt, ratio ſubſiſtit, non illis obſit ordinatio. Et quoniam multi ſunt, qui contra Eccleſiaſticam regulam pugnare videntur, & per teſtes redemptos putant ſe ad accuſationem admitti debere, qui omnino non admittantur, niſi (ut ſuprà diximus) actis publicis docuerint omni ſe ſuſpicione carere.

CAnon hic tripartitò dividendus eſt, ut ejus ſententia perſpiciatur ; & quid eo tandem ſtatuatur expiſcari poſſimus. Prima parte docent Patres qui perſecutionum temporibus vaſa ſacra aut ſcripturas ſanctas tradiderant, vel Chriſtianos traduxerant, ut ait Tertullianus, & ad Magiſtratus & Pręſides detulerant, à gradu & Eccleſia deturbandos eſſe ; ſi actis publicis non teſtimoniis ad eoſdem hęc ipſa crimina pertinere dignoſcantur. Altera à traditoribus ejuſmodi Epiſcopis, etſi quidam eſſent ordinati, ordinationem tamen valere ſi nihil aliud commeruiſſent. Tertiò, admittendum eſſe neminem ad aliquem accuſandum, niſi actis publicis non teſtibus doceret vera eſſe quæ intentaret : quomodo autem docere poſſet actis publicis, accuſationem ſuam omni ſuſpicione vacare, dicetur poſtea.

Omnis Africa duplici malo & calamitate eodem penè temporis puncto pervaſtata & dilacerata fuit ; vix enim perſecutiones deſierant, redditaque pace E fruebatur, cùm repente Schiſmatis rabies & diſcordia ſucceſſit, quæ eam non minùs quàm lapſorum & proſtratorum acervi afflictavit & oppreſſit. Optatus lib. 1. *Et quoniam traditionis reos principes veſtros fuiſſe monſtratum eſt ; conſequens eſt eoſdem fuiſſe autores Schiſmatis.* Ita Africæ Eccleſia in duas factiones diſceſſit ; & quoniam tanta contentione & partium libidine in ſeſe invicem invehebentur, ſtatuerunt Patres Arelatenſes, ut nemo deponeretur ob ea crimina, quæ dum agitaretur Eccleſia, & in eam ſęvirent Imperatores facta dicebantur, niſi ea actis publicis (ne ſcilicet falſis teſtibus locus daretur) probarentur.

A *Scripturas ſanctas.* Optatus, *inſtrumenta divinæ legis impiè tradiderunt ex actis publicis :* delationes libellis & actis publicis Præſidum inſerebantur : ex quibus Patres probationem eorum quæ objiciebantur petendam eſſe volunt, non verò ex teſtibus : vel acta publica ea poſſunt intelligi, non ſolùm quæ à judicibus, ſed etiam quæ ab Eccleſia componebantur, de quibus loquitur Optatus : *Sicut ſcripta Nundinarii tunc Diaconi teſtantur, & vetuſtas membranarum teſtimonium perhibet, quas dubitantibus proferre poterimus.*

Non verbis nudis. Non nudis teſtimoniis.

Si iidem. Epiſcopi qui perſecutionum tempore fratres tradiderant.

Ratio ſubſiſtit. Nihil aliud contra eos qui ordi-B nati ſunt afferatur, quàm ordinantis peccatum.

Non obſit illis ordinatio. Non illis obſit, quòd à traditore aut lapſo ordinati ſunt, maneant in gradu & officio.

Contra regulam Eccleſiaſticam. Teſtes ſubornant, quod prohibitum eſſet.

Actis publicis docuerint omni ſe ſuſpicione carere. Hoc eſt, probaverint per acta publica, eum quem accuſarent crimen admiſiſſe, quod objiceretur, putà vaſa dominica, ſcripturas, aut fratres tradidiſſe (ad ea enim quæ in perſecutionibus evenerant totus canon eſt referendus) non enim aliter is qui accuſaret actis publicis à ſuſpicione ſe procul eſſe poterat docere, niſi iiſdem actis reum eum faceret, quem criminaretur, pota proferendo ipſa acta publica Eccleſiæ aut Pręſidum, quæ C teſtarentur, criminis poſtulatum fratres olim tradidiſſe & detuliſſe.

CANON XVII. CONCILII ARSLATENSIS PRIMI.

Vt nullus Epiſcoporum, alium Epiſcopum conculcet.

COnculcare in hoc canone meo quidem judicio idem planè eſt atque id quod dicitur, can. 10. Concil. Carthag. primi, *Ne quis tranſcendat Epiſcopum collegam ſuum ;* hoc eſt involare in vicini ſui diœceſim, eique parœcias pręripere, quod undecimo canone Carthag. ſecundi, *Pulſare diœceſim & plebes alterius.* Et canon 20. tertii Car-D thag. *Supergrediatur in diœceſi collegam ſuum.*

CANON XXIII. CONCILII ARALATENSIS PRIMI.

Vt Apoſtatæ qui tardiùs revertuntur, niſi per dignam pœnitentiam non recipiantur.

De iis qui apoſtatant & antequam ſe ad Eccleſiam repræſentent, nec quidem pœnitentiam agere quærunt, & poſteà infirmitate correpti, petunt communionem, placuit eis non dandam communionem, niſi revaluerint & egerint dignos fructus pœnitentiæ.

APoſtatæ, qui nullo metu mortis ad Eccleſiam revertuntur, poſt decem annos ea ætate ad communionem admittebantur, can. 46. Concilii Eliberini : qui verò futuri judicii timore potius quàm peccatorum dolore eam peterent, ne quidem in morte ex hoc canone reconciliabantur.

CANON III. CONCILII ARAUSICANI PRIMI.

De pœnitentibus qui de corpore exeunt.

Qui recedunt de corpore pœnitentia accepta, placuit ſine reconciliatoria manus impoſitione eos communicare, quod morientis ſufficit conſolationi ſecundum diffinitiones Patrum, qui hujuſmodi communionem congruenter viaticum nominaverunt. Quòd ſi ſupervixerint ſtent in ordine pœnitentium, ut oſtenſis neceſſariis pœnitentiæ fructibus, legitimam communionem cum reconciliatoria manus impoſitione recipiant.

QUæ in hoc canone quæſtio pertractatur, ea niſi me fallit animus, una eſt ſi pœnitenti, quem dum pœnitentiæ quaſi curſum propoſitum deſinitumque percurrit, & antequam confecerit, mors opprimit, Euchariſtia qua ei aditus ad communionem in poſterum pateat, porrigi debeat: propterea quòd non deerant, qui exiſtimarent Euchariſtiam illi eſſe tribuendam, nec tali beneficio illum privandum; atque ob id Patres ſimplicem reconciliationem prętermiſſa illa maxima, eaque quæ *altario & myſteriis* reconciliabat, ad ſalutem ſatis prçſidii ac virium habere ſanxerunt, hoc eſt, ſine Euchariſtia: nec enim unquam maximæ reconciliationis fuit uſus, quin eodem tempore Euchariſtiæ fuerit conceſſa perceptio: imo qui reconciliabatur *Altario & myſteriis*, jus ad ſumendam Euchariſtiam acquirebat.

Reconciliatoria manus. Duplex erat reconciliatio: de majori hîc loquuntur Patres.

Placuit eos communicare. Id eſt, jubemus eos admitti in communionem fidelium & abſolvi per ſimplicem reconciliationem, eiſque reddi ſimplicem communionem, non autem communionem altaribus, myſteriis & Euchariſtiæ.

Qui ejuſmodi communionem. Id eſt ſimplicem illam reconciliationem & communionem.

Congruenter viaticum nominaverunt. Id eſt, exiſtimarunt illam ſufficere ſaluti eorum, qui in pœnitentia moriuntur, quamvis neque maximam reconciliationem, neque Euchariſtiam recipiant.

Legitimam communionem. Aut Euchariſtiam intelligas, aut ſimplicem communionem quæ dabatur expleta & finita pœnitentia quæ dicitur magis legitima, quàm quæ dabatur in caſu neceſſitatis, & non abſolutâ pœnitentiâ; quia pœnitentes pœnitentiam peregerant, qua pro peccatis ſatisfecerant, & communionis participes meritiſſimò fuerant.

Cum reconciliatoria. Cum reconciliatione myſteriis & altaribus.

Deniqne canon iſte, ut ego quidem ſentio, conſentit cum canone 13. Conc. Nicæn. & 1. Concil. Carth. quorum decretis illud ratum, non dari poſſe Euchariſtiam pœnitenti moribundo, niſi permiſerit expenderitque Epiſcopus.

Sunt qui exiſtimarent totum hunc canonem ita concipiendum, moribundis, excommunicatis ſatis ad ſalutem eſſe, ſi pœnitentia ſine ſimplici communione concedatur, quia ea ſufficiens eſt viaticum: ſi verò ſupervixerint peractâ pœnitentiâ, utramque communionem & reconciliationem conſequantur: huic ſenſui priſca illa diſciplina ſubſcribere poſſet, ni à canone & decreto Innocentii diſſentiret, quod hos Patres latuiſſe non eſt veriſimile.

A

CANON IV. CONCILII ARAUSICANI PRIMI.

De Clericis pœnitentiam volentibus.

Pœnitentiam deſiderantibus etiam Clericis non negandam.

NUm ſatis verba iſta indicant duas olim fuiſſe pœnitentias? Nam cùm ea quæ ob merita imponeretur, clericis infamiæ notam aliquam aſpergeret: eoſque gradus honore & officio indignos redderet; veriſimile mihi non fit id ab ipſis deſideratum & efflagitatum, quo impetrato, tam multa mala patiebantur, quoque expleto
B inter laicos cenſebantur: ſed erat quid ampliùs: recuſantes ad eam ultrò compellebantur, & ita attenta invigilabat Eccleſia, ne quis in culpa hæreret diù, ut nihil opus eſſet eam petere; cùm compertum eſſet quempiam peccaſſe, volens noleoſque ad ſatisfactionis remedium adigebatur. Quapropter mihi incidit ſuſpicio quæ non vana eſt de pœnitentia Concilium loquutum, quæ pietatis causâ & quadam religione vovebatur. Ea enim ætate qua habitum eſt hoc Concilium, tametſi omnem extra noxam nonnulli eſſent, nullaque ſatis vehemens eſſet cauſa ad pœnitentiam ſubeundam, tamen, pœnitentium modo & ritu ætatem aut aliquod ſe tempus acturos profitebantur, ſolemniterque hanc religionem atque
C hoc votum vovebant. De hac igitur religioſa pœnitentia, ut ita dicam, hunc canonem intelligo, quam clericis eò magis concedere verebantur, quò rebus ſacris, ea accepta & profeſſa, minùs idonei fieri videbantur.

CANON XII. CONCILII ARAUSICANI PRIMI.

De his qui ſubitò obmuteſcunt, quod & baptiſmum & pœnitentiam accipere poſſunt.

Subitò obmuteſcens prout ſtatutum eſt, baptiſari aut pœnitentiam accipere poteſt, ſi voluntatis præteritæ teſtimonium aliorum verbis
D *habet, aut præſentis in ſuo nutu.*

NIhil magnopere difficile eſt in hoc canone qui de Gentilibus eſt accipiendus, non verò de Catechumenis, quibus, etſi nullum voluntatis ſuæ teſtimonium haberent, baptiſmus eſſet conferendus.

Pœnitentiam accipere poteſt. Excommunicatus obmuteſcens ſubitò non ſolùm pœnitentiam, ſed etiam reconciliationem: canone ſeptuageſimo ſexto Carthag. Concilii quarti.

CANON XIV. CONCILII ARAUSICANI PRIMI.

E

De Energumenis Baptiſatis.

Energumeni jam baptiſati ſi de purgatione ſua curent, & ſe ſollicitudini clericorum tradant monitiſque obtemperent, omnimode communicent: ſacramenti ipſius virtute, vel muniendi ab incurſu dæmonum quo infeſtantur, vel purgandi quorum oſtenditur jam vita purgatior.

S*I de purgatione ſua curent.* Si ad Eccleſiam crebrò ſeſe repręſentent ut exorciſentur.

Omnimode communicent. Non ſolùm primam communionem accipiant, ſed etiam majorem & abſolutiſſimam; Euchariſtiam ſcilicet: de Energumenis id accipiendũ, qui non perpetuò vexarentur.

Vel purgandi. Eochariſtiâ Dæmones fugari ſatis compertum eſt.

Vita purgatior. Peccata omnia in Baptiſmo excuſſerant.

CANON XVIII. CONCILII ARAUSICANI PRIMI.

Et Evangelia Catechumeni non audiant.

Placuit Catechumenis non legi Evangelium in Eccleſia.

Aliàs.

Evangelia placuit deinceps Catechumenis legi apud omnes Provinciarum noſtrarum Eccleſias.

EVangelia olim Catechomenorum ſacris peractis, iiſque ſemotis, legebantur. Ita eſſe ex Conſtitutionibus Clementis liquet: poſtea verò melius viſum eſt ſi ad lectiones & explicationes ſcriptutatum admitterentur. Valentinum Hiſpaniæ: *ut ſacroſancta Evangelia, ante munerum illationem, in Miſſa Catechumenorum, in ordine lectionum poſt Apoſtolum legantur: quatenus ſalutaria precepta Domini noſtri Jeſu Chriſti, vel ſermonem ſacerdotis, non ſolùm fideles, ſed etiam Catechumeni, ac pœnitentes, & omnes qui ex diverſo ſunt, audire licitum habeant.* Ex bis etiam verbis, *noruns fideles*, quæ in ſermonibus Patrum reperiuntur, ſciri poteſt aut nuſquam Catechumenos iiſdem ſermonibus & Evangeliorum expoſitionibus interfuiſſe: iis enim abſentibus nihil vereri poteraot, illud quidquid eſſet exponere. Ex iis igitur utraque lectio retineri poteſt aut reſpui.

Legi. Non ſolùm legi, ſed etiam explicari, & Epiſcoporum expoſitiones & ſermones exaudire.

CANON XX. CONCILII ARAUSICANI PRIMI.

Ut Catechumeni cum fidelibus benedictionem non accipiant.

Segregandi informandique ſunt Catechumeni, ut ſe revocent, & ſignandos, vel benedicendos ſemotim offerant eos fideles.

Aliàs.

Ad fidelium benedictionem, etiam inter domeſticas orationes, in quantum caveri poteſt, ſegregandi informandique ſunt, ut ſe revocent: Ad ſignandos ſe, ſemotè offerant.

IN Matutinis, in Miſſa, in Veſperis fidelibus benedictio ab Epiſcopo tribuebatur. Hoc igitur canone jubetur ne eaudem henedictionem neque eodeoi tempore percipiant Catechumeni: non eandem: quia aliis verbis alioque ritu fidelium benedictio concipiebatur & celebrabatur, quàm Catechumenorum: non eodem tempore, quia ſive in ſacris fidelibus benedictio eſſet impertienda, ab iis ſegregandi erant Catechumeni; ſive in Veſperis & Matutinis, paululùm ſubmoveri debebant, ne ad eos fidelium benedictio pertinere videretur; ſed ſi Epiſcopi benedictionem optarent, ſemotim & ſeparatim eam accipere debebant.

Ut ſe revocent. Ut recedaot.

A

CANON XXVI. CONCILII ARAUSICANS PRIMI.

De Diaconibus non ordinandis.

Diaconiſſæ omnimodè non ordinandæ: ſi quæ jam ſunt, benedictioni quæ populo impenditur capita ſubmittant.

EPiſcopus ſacris peractis clero primùm, ſubinde laicis ſuam beoedictionem impertiebatur. Hoc igitur Diacooiſſæ quòd non ampliùs inter cleros numerarentur, jubentur non primæ, ſed ſecundæ benedictioni capita ſubmittere, hoc eſt recipere.

B

CANON II. CONCILII VASENSIS PRIMI.

De pœnitentibus ſubitò mortuis, ut oblationes eorum recipiantur.

Horum qui pœnitentia accepta, in bono vitæ curſu ſatisfactoria compunctione viventes, ſine communione, inopinato nonnunquam tranſitu, in agris aut in itineribus præveniuntur, oblationem recipsendam, & eorum funera, ac deincept memoriam, Eccleſiaſtico affectu proſequendam: quia nefas eſt eorum commemorationes excluds à ſalutaribus ſacris, qui C *ad eadem ſacra fideli affectu contendentes, dum ſe diutiùs reos ſtatuunt, & indignos ſalutiferis myſteriis judicant, ac dum purgatiores reſtitui deſiderant, abſque ſacramentorum viatico intercipiuntur, quibus fortoſſe, nec abſolutiſſimam reconciliationem ſacerdos denegandam putaſſet.*

DE iis, in hoc canone mentio fit, qui cùm pœnitentiam agerent, antè vitam deſererent, quàm eam perfeciſſent, quique ante peccatorum relaxationem, aut condonationem, accedente mortis neceſſitate intercepti, è vita demigrarent, pro quorum ſalute dubitaret Eccleſia D admitterenturne oblationes parentum, preceſque eorum causâ funderentur: non quòd ſempiterno quidem eos exitio addictos exiſtimarent; ſed quòd eorum oblationes admittere, eoſdemque nominatim publicis deprecationibus Eccleſiæ appellare, aliud nihil eſſet, quàm ad communionem fidelium mortuum adciſcere. Ideoque id non facilè concedebatur, ne à vetere Eccleſiæ diſciplina deſciſceretur, quæ boc cavebat, proſpiciebatque, ne communione aut ſocietate eorum quis familiariùs uteretur, qoos non omni fæce & colluvione vitiorum perpurgatos eſſe conſtaret: idem Arelatenſi Concilio canone 12. & 14. reſponſo Timothei.

E *Pœnitentia accepta.* Quam non abſolverant, cujus neque commonionem, neque abſolutionem accepiſſent.

Bono vitæ curſu. Si pœnitentiam probè peragerent, alioquin non fuiſſent in bono vitæ curſu, ſi eam neglexiſſent.

Sine communione. Sine abſolutione.

Oblationem. Quam eorum causâ parentes & agnati offerrent.

Fideli affectu. Ardore quodam pœnitentiæ, æquo, patienti & forti animo, omnes ejus acerbitates perferendo.

Diutius reos ſtatuunt. Dum longiorem volunt protrahere pœnitentiam, qua poſita acceptaque reos ſe eſſe coarguebant, ſed necdum abſolutos.

Dum purgatiores. Dum dant operam, ut crebra

impoſitione maouum expientur, otationibuſque tertii gradus pœnitentium : quæ propriæ purgabant, & otita loquar, pœnitentes exorciſmis oon ſecus ac energumenos divesebant & emundabant.

Nec abſolutiſſimam reconciliationem. Duplicem fuiſſe reconciliationem convincit, minimam & masimam. Id enim eò ſpectat, ut aſſerere videantur, ſi præſens adfuiſſet Epiſcopus morienti, non potuiſſe denegari altario & myſteriis reconciliationem : ac fortè potuiſſet fieri, ut cùm illum nactus eſſet verè & ex animo poenitentem, illi oon abſolutionem noxarum modò & ſimplicem recooiciliationem cum grege fidelium, verùm etiam altario & myſteriis impertiiſſet : multò magis ejus oblationes ſuſcipiendæ fuiſſent, precationeſque pronunciandæ ; atque hic eſt horum verborum ſenſus.

Sacerdos. Hoc eſt Epiſcopus, ita omnino reddendum & explicandum, quòd ſolus eſſet Epiſcopus, qui qua authoritate & poteſtate eſt, pœniteotibus Euchariſtiam præbere poſſet morientibus. Cùm igitur de *abſolutiſſima reconciliatione* loquatur, quæ verba non niſi Euchariſtiæ perceptionem ſonant, loquitur de eo, qui ejus omnioo dandæ poteſtatem haberet, noo de ſimplici ſacerdote.

CANON VIII. CONCILII VASANSIS PRIMI.

Vt Epiſcopus alienum clericum redarguat peccantem.

Quòd ſi tantùm Epiſcopus alieni ſceleris ſe conſcium novit, quandiu probare non poteſt, nil proferat, ſed cum ipſo, ad compunctionem ejus, ſecretis correptionibus elaboret. Quòd ſi correptus pertinacior fuerit, & ſe communioni publicè ingeſſerit, etiamſi Epiſcopus in redarguendo illo, quem reum judicat, probatione deficiat, indemnatus licet ab his, qui nihil ſciunt, ſecedere ad tempus pro perſona majoris auctoritatis jubeatur, illo quandiu probari nihil poteſt, in communione omnium præterquam ejus, qui eum reum judicat, permanente.

MAjor in Gallia Epiſcopis reverentia, quàm in Aftica; nam hîc ſecedere, in Africa remanere iubetor : canon 5. Concil. 7. Carthag. Qoid autem ſit, & quomodo intelligendum, quòd eodem tempore ſecedit, & in communione permanet : à ſacris & Eochariſtia aliquo tempore removebatur, & Epiſcopi conſpectum vitabat ; hoc eſt ſecedere, cæteris tamen fidelibus præterquàm Epiſcopo communicabat, & Chriſtiana communione & ſocietate fruebatur : quomodo autem aliquis ſocietatis & pacis Chriſtianæ particeps eſſe poſſet, qui tamen cum aliquo fidelium non communicaret, aliàs dicendi locus. Cæterùm non mirum ſi hujuſce canonis titulus cum ſenſu oon cõgruat. nam plerique omnes ab aliis quàm ab auctoribus & Patribus Coociliorum ioſcripti ſunt.

CANON II. CONCILII ARSLATENSIS SECUNDI.

Qualiter coniugati ad ſacerdotium provehantur.

Aſſumi aliquem ad ſacerdotium non poſſe in vinculo coniugii conſtitutum, niſi fuerit promiſſa converſio.

P*Romiſſa converſio.* Niſi ejus uxor caſtitatem quoque voviſſet. nam, ni fallor, cooverſio, A converſa, convertere, hanc habent in canonibus ſignificationem. Arauſicanum Concilium can. 22.

CANON IX. CONCILII ARELATENSIS SECONDI.

Vt Novatiani in communionem non recipiantur.

Novatianum in communionem recipi non debere, niſi ſuſcepta pœnitentia incredulitatis, præteritum damnet errorem.

N*Iſi ſuſcepta pœnitentia incredulitatis.* Niſi confiteantur ſolvendorum peccatorum, quamvis attociſſima videantur, io Eccleſiam B tranſmiſſam eſſe poteſtatem ; quod pernegarent Novatiani : hæc eſt illa incredulitas.

CANON X. CONCILII ARELATANSIS SACUNDI.

De his, qui in perſecutione prævaricati ſunt.

De his, qui in perſecutione prævaricati ſunt, ſi voluntariè fidem negaverint, hoc de eis Nicæna Synodus ſtatuit, ut quinque annos inter Catechumenos exigant, & duos inter diſcommunicantes, ita ut communionem inter pœnitentes non præſumant. In poteſtate tamen vel arbitrio ſit Epiſcopi, ut ſi eos ex animo errorem* C *deflere & agere pœnitentiam viderit, ad communionem pro Eccleſiaſtica humanitate ſuſcipiat.* * F. fidel.

ILlud mirum eſt Patres iſtius Concilii io medium proferre Concilium Nicænum, ſed omnino aliter eſt, affirmareque lapſos & idololatras voluntarios, de conſilio ſententiaque ejuſdem Concilii condemnandos, & tamen noo ab iis condemnari juxta canonem Concilii Nicæni. Canon quippe Nicænus duodecim anoorum pœnitentiam imponit : hi autem Patres nonniſi ſeptem annorum præſcribunt, & præterquam quòd rationem temporis non obſervant, ooo ut Patres Nicæni partiuntur & dividuot, qoi *tres annos inter audientes,* D *& duos inter communicantes ſolis orationibus* deſignant : Hi autem *quinque* inter Catechumeoos, & duos inter *diſcommunicantes.* Ad hæc quantùm ego conjicio, aliud opponi non poteſt, niſi quòd Rufini verſionem ſequuti ſunt, nulloſque Latine ſcriptos canones Concilii Nicæni in manibus habuerint, præterquam Rufini, qui exponit vertitque canonem ondecimum Nicæni, quem Patres Arelatenſes proferunt eodem ſenſu, ſignificatione eadem, iiſdemque verbis, *quinque annos inter Catechumenos faciant, & duobus annis poſt hoc fidelibus tantùm in oratione jungantur.*

Nicæna Synodus. Canone duodecimo.

Inter Catechumenos. Audientes ſcilicet, non E autem inter alios.

Inter diſcommunicantes. Hoc eſt, pœnitentes quarti gradus, qui non oiſi precum participes eſſent. diſcommunicantes verò vocantur, quòd iis Euchariſtiam percipere non liceret : neque oblationes offerre, neque plano jure communionis cum fidelibus uterentur.

Communionem inter pœnitentes. Non vidi hujus Concilii manuſcriptos codices, ſed aliqui tameo extant, in quibus, non *pœnitentes*, ſed *fideles*, legitur ; quemadmodum accepimus à Jacobo Sirmondo viro omni liberali eruditione penitus imbuto; & meritò certè ita legendum cenſet, alioquin Canonis ſenſus non cohæreret, oeque conveniret cum antiqua illa diſciplina, quæ pœnitentes à communione longè ſegregabat. Senſus igitur eſt,

quamvis inter fideles & ad ſimplicem communionem, hoc eſt ad communionem precum admittatur, non tamen præſumat ſumere Euchariſtiam.

CANON XII. CONCILII ARELATENSIS SECUNDI.

De his qui in pœnitentia poſiti vitam exceſſerunt.

De his qui in pœnitentia poſiti vitam exceſſerunt, placuit, nullum communione vacuum debere dimitti, ſed pro eo quod honoravit pœnitentiam, oblatio illius recipiatur.

HInc diſces, quamobrem tantopere oblationes offerre, & in oblationibus communicare deſiderarent; quòd ſcilicet in intimam & perfectam ſocietatem & partem corporis Chriſti advocarentur, quorum oblationes acceptas haberet Eccleſia, eaſque ſuo nomine Deo offerret. genus namque & ſpecies erat communionis, quam pluris facerent quàm ipſam communionem, & reconciliationem ſimplicem. Vides præterea communionis jus illud mortuis reddi poſſe, quod fruſtrà reddidiſſet, nihil inde ſolatii aut auxilii acceptoris.

Vitam exceſſerunt. Abſque abſolutione.

Communione. Verbum hoc, non pro Euchariſtia ſumi poteſt; de eo namque qui interiiſſet loquitur, ſed pro communione in corpore fidelium.

CANON XXVII. CONCILII ARELATENSIS SECUNDI.

Profeſſas viduas ſi in cohibenda perſiſterint, cum raptoribus eſſe damnandas.

SI *in cohibenda.* Aut legendum *in incontinentia,* quemadmodum in quinto Carthaginenſi canone tertio: aut ſupplendum in cohibenda converſatione: aut denique *cohabitando* cum quibuſdam exemplaribus, reponendum.

CANON XXVI. CONCILII ARELATENSIS SECUNDI.

De ſecularibus hominibus.

Si quis ſecularium, amore religionis ſe ad quemcunque Sacerdotum crediderit conferendum, ipſe ſibi eum, quem erudiendi gratia ſuſcepit, vindicabit.

EX aliena Diœceſi quemquam ordinare leges vetabant, iiſdemque legibus ordinati, à propriis Epiſcopis repeti & vindicari poterant: ne igitur vi & authoritate illorum canonum Religioſi revocari poſſe viderentur, ſtatuunt Patres in hoc Concilio, Monachum & Religioſum ſub cujuſlibet Epiſcopi poteſtate, vitam poſſe ducere religioſam, ſi ex ejus præceptis & inſtitutis hanc piam vivendi rationem inſtituiſſet: cujus ſtatuti ea cauſa eſſe videtur, quòd Religioſi tunc temporis eſſent laici, & inter laïcos haberentur.

An. 374.

CANON III. CONCILII VALENTINI GALLIÆ.

Qualis pœnitentia iis, qui ſe poſt unum & ſanctum lavacrum, vel profanis ſacrificiis dæmonum, vel inceſta lavatione polluerunt, ſtatuenda.

Circa eorum verò perſonas qui ſe poſt unum & ſanctum lavacrum, vel profanis ſacrificiis dæmonum, vel inceſta lavatione polluerunt, eam cenſura formam duximus eſſe ſervandam; ut his juxta Synodum Nicænam ſatisfactionis quidem aditus non negetur, ne infelicibus lacrymis, vel ſolatii janua deſperatione claudatur: acturi verò pœnitentiam uſque in diem mortis, non ſine ſpe tamen remiſſionis, quam ab eo plenè ſperare debebunt, qui ejus largitatem & ſolus obtinet, & tam dives miſericordia eſt, ut nemo deſperet. Deus enim mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum.

MIrum quibuſdam videtur, cùm Nicænus canon undecimus eorumdem reos ſcelerum duodecim annis ſatisfacere jubeat atque ita reconciliari, Valentinos Patres qui ſe Nicænam Synodum ſequi profitentur tantò rigidiores ac ſeveriores fuiſſe. Mirum quoque eis videri debebat Felicem ſummum Pontificem ſecundo capite, qui in eadem eſſent culpa, perpetua damnaſſe pœnitentia, qui capite tertio & quarto ſervari jubet tenorem hujuſce undecimi Nicæni canonis.

Nicæni Patres ex acerrimis ſubitò benigniſſimi facti ſunt in eos qui ſponte fidem ejurarant: duplici namque beneficio & gratia eodem eos tempore affecerunt; non ſolùm duritiam illam detrahentes, qua ante Nicænum vel perpetuò à pœnitentia arcerentur, vel ea niſi in mortis diſcrimine non donarentur, ſed etiam poſt aliquot annos, (duodecim ſcilicet, exiguum ſpatium ſi eorum temporum diſciplinam ſpectes) pœnitentiæ modum & finem impoſuerunt. Valentini igitur Patres, benedictus Felix, ceterique qui ex hoc canone in idololatras ſpontaneos animadvertunt, Nicænam Synodum ſequuntur, non cùm eoſdem dedunt in perpetuam pœnitentiam (pœnarum enim modus tempus aut gratia vel ex eodem Concilio Nicæno canone duodecimo Epiſcoporum permittebatur arbitrio) ſed cùm ad pœnitentiam ſinunt accedere, cujus ſpes ante Nicænum eos ſemper eſſet fruſtrata.

CANON ULTIMUS CONCILII EPAUNENSIS.

De illis qui excommmunicati moriuntur.

Si aliquis excommunicatus fuerit mortuus qui jam ſit confeſſus & teſtimonium habet bonum, & non poterat venire ad Sacerdotem, ſed præoccupavit eum mors in domo, aut in via, faciant pro eo parentes ejus oblationem ad altare, & dent redemptionem pro captivis.

Hic canon tranſcriptus eſt ex Burchard. & Gra.

IN hoc canone de excommunicatis, quibus mors antè obeunda eſt, quàm pœnitentiam obtinuerint, agitur. Excommunicationes autem primis temporibus frequentiſſimæ fuerunt, ob eam rem maximè, ut antiqua illa vitæ ſanctimonia & Eccleſiæ diſciplina conſervaretur, majorique & ardentiori quodam ſtudio metuque peccatorum raperentur ad reſtitutionem ſeu priſtinum illum ſtatum, unde dejecti excidiſſent recuperandum; uno verbo ut ad meliorem vitæ frugem, & morum commutationem inflammarentur.

Si dum vitiis flagitioſæ vitæ valere juſſis, ad ſaniorem mentem revocari ſtudebant, extremum vitæ diem obire compellerentur, tum decretum,

Gab. Albaſpin. Nota in varia Concilia.

um oblationes eorum comprobarentur, modò tamen intimi doloris indicia cum peccatorum deteſtatione præbuerint, ſacerdotemque à quo abſolverentur, efflagitarint. Quæ me cauſa ratioque movet, ut verba iſta putem, *qui jam ſit confeſſus*, non aliter accipienda, & explicanda, quàm quomodo accipiuntur & exponuntur illa canonis Arauſicani Concilii, *ſi voluntatis præterita teſtimonium aliorum verbis habet*: aut illa can. 76. Conc. 4. Carthag. *dent teſtimonium*; aut poſtremò illa can. 31. 3. Conc. Carthag. *voluntatis teſtimonium dixerint*, quòd canones illi non niſi ob eventus ejuſmodi, qui ſæpe contingerent, in lucem prodierunt. Ut igitur canones illi abſolutionem eſſe dandam, ſiquidem ejus impetrandæ ſignificationem aliquam oſtenderint, loquuntur, & ſentiunt: ita canon iſte, ſi excommunicatorum de abſolutione impetranda, poſtulatio certa perſpicuaque fuerit, etiamſi è vita evolarint, oblationes recipiendas teſtatur, tametſi abſolutione caruerint; ibique verbum illud, *confeſſus*, ſumitur, accipiturque, ut apud non paucos Patres, *confiteri pœnitentiam*, pro triſtitia & angore quodam, qui ex peccatorum admiſſione contrahitur, aut pro exomologeſi; non autem pro confeſſione ſacramentali. Ad eam ſignificationem Tertullianus tranſtulit c. 3. Præſcriptionum, *pœnitentiam confeſſus*. Item, & illud dici poteſt, aut illic agi de confeſſione, quam excommunicati in certiſſimum vitæ periculum adducti, feciſſent: aut certè, quam iidem, cùm illis ſacris interdiceretur præſtitiſſent; qua facta, peccatum ab illis commiſſum, in omnium oculos aureſque incurriſſet, fuiſſetque anathemate ipſo plectendum. Primum illud fieri non poteſt: eſt enim ſermo de quibuſdam, qui excommunicati mortui ſunt; neque cùm vitam ipſam naturæ debitam rederent, ſua peccata confeſſione recognoverunt. Hoc addo ſi abſoluti confeſſique fuiſſent antequam vi morbi extinguerentur, non contemnendas eorum oblationes duxiſſet Eccleſia, fruſtraque canon tanquam obex quidam opponeretur. Sed nec de illa confeſſione eſt mentio, quam fecerant cùm excommunicati fuerant; quia nulla erat dubitatio, quin eam feciſſent. At verò canon loquitur de Confeſſione, de qua poterat dubitari. Igitur in eo canone de confeſſione illa non agitur, quam cùm excommunicarentur, feciſſent, cùm illa ſatis Eccleſiæ nota explorataque eſſet; quippe qui eo nomine, quòd confeſſi eſſent, excommunicationem ſubiiſſent, habebanturque pro excommunicatis; neque de confeſſione quam moribundi fecerant, quia canon ponit eos mortuos eſſe in Excommunicatione. Quapropter neceſſe eſt dicamus illic agi de Exomologeſi de qua Cyprianus, *apud Diaconum Exomologeſim facere*, quæ erat aliqua peccatorum deteſtatio, quaque pœnitentes dolorem de peccatis commiſſis maximum ſe concepiſſe oſtenderent.

Adde, quòd non ſatis fuerat, quo excommunicati (ſed ſine abſolutione, vita functi) oblationes probarentur, aſſerere, eum aliquando fuiſſe confeſſum, vel olim peccata ſua detexiſſe. Nam longo poſt intervallo, ſi pœnitentiam pro nihilo habuiſſet, ſi anathematis liberationem ſolutionemque neglexiſſet, ſibique in templum ingreſſum liberum non ſtudioſè concedi curaſſet, ſi denique non ſe ſtitiſſet Epiſcopo, quò ab eo pœnitentiæ locus daretur, ejus poſt obitum oblationes repudiabantur. Hoc affirmant canones, eaque de re diſputant D. Leo Epiſt. 6. ad Ruſticum: ex quo conſtat, tametſi teſtimonio certo aliquo, ſed firmo ac religioſo confeſſio prima niteretur, nihil ſanè id ad oblationes excommunicatorum Deo repræſentandas valuiſſe: ideoque nullam omnino de confeſſione ſacramentali in eo canone factam mentionem. Ita verba, *jam ſit confeſſus*, indicant, ſi de ſacerdote, à quo abſolverentur conquirendo cogitarint, ſi triſtitiæ doloriſque, ob graviſſimas noxas ſigna, argumentaque clariſſima addiderint: ſi Deum ſibi ut ignoſceret, precati ſint: ſi denique illuſtria ad eam rem confirmandam teſtimonia non deſiderentur: illud autem eſt, quod D. Cyprianus vocat *Exomologeſim facere*.

Finis Notarum in quoſdam Canones Conciliorum Galliæ.

GABRIELIS ALBASPINÆI

NOTÆ IN QUOSDAM CANONES CONCILIORVM CARTHAGINENSIVM.

CANON III. CONCILII CARTHAGINENSIS SECUNDI.

Vt chriſma & benedictio puellarum, & reconciliatio pœnitentium à preſbyteris non fiant.

Fortunatus Epiſcopus dixit : Si jubet ſanctitas veſtra, ſuggero. nam memini præterito concilio fuiſſe ſtatutum, ut chriſma, vel reconciliatio pœnitentium, necnon & puellarum conſecratio, à presbyteris non fiant. Si quis autem emerſerit hoc faciens, quid de eo ſtatuendum ſit? Aurelius Epiſcopus dixit : Audivit dignatio veſtra ſuggeſtionem fratris & Coepiſcopi noſtri Fortunati. Quid ad hæc dicitis? Ab univerſis Epiſcopis dictum eſt : Chriſmatis confectio, & puellarum conſecratio, à presbyteris non fiant, vel reconciliare quenquam in publica miſſa, presbytero non licere, hoc omnibus placet.

R*ECONCILIATIO pœnitentium*, reconciliare pœnitentem nihil aliud eſt, quàm pœnitenti abſolutionem tribuere, aut ad fidelium, aut ad Euchariſtię communionem adſciſcere : quæ reconciliationes fiebant, aut in Eccleſia, exacto pœnitentiæ ſpatio, aut domi, ſeu intra privatos parietes nondum abſoluto, cùm pœnitentes in apertum vitæ diſcrimen adducerentur. Canon iſte vetat præciſè, & diſertè, ne cui liceat ſacerdoti in Eccleſia reconciliare pœnitentem; quòd poteſtas quædam eſſet juriſdictionis, quæ penes Epiſcopum erat non autem ſacerdotem, qui intra Eccleſiam, eam non poterat, niſi per- B mittente & concedente Epiſcopo, ſibi arrogare.

In miſſa publica. Canon addidit, *in miſſa publica*, quòd per ſacerdotes pœnitens extra ſepta Eccleſiæ, urgente neceſſitate in gratiam redire poſſet, ut plurima canonum teſtimonia clarè indicant. Hoc eſt, abſolvi poterat, ſed non reconciliari altario, & ſanctiſſimo ſacramento, hujus ipſius reconciliationis faciendæ poteſtate illis erepta, ſive intra aut extra Eccleſiam, vel nulla, vel aliqua neceſſitate cogente.

CANON IV. CONCILII CARTHAGINENSIS SECUNDI.

Vt presbyter pœnitentem juſſus ab Epiſcopo ſuo reconciliet.

Aurelius Epiſcopus dixit : Si quiſquam in periculo fuerit conſtitutus, & ſe reconciliari divinis altaribus petierit, ſi Epiſcopus abſens fuerit, debet utique presbyter conſulere Epiſcopum, & ſic periclitantem ejus præcepto reconciliare : Quam rem debemus ſalubri Concilio corroborare. Ab univerſis Epiſcopis dictum eſt : Placet quod ſanctitas veſtra neceſſariò nos inſtruere dignata eſt.

CAnon iſte de pœnitentibus diſputat, qui dum in pœnitentia peragenda verſarentur, morbo conflictabantur, ipſoque nondum pœnitentiæ A conſumpto ſpatio, cùm non procul à morte abeſſent, non modò abſolvi ſe, ſed & Euchariſtiæ uſuram reſtitui, ſibique ad altare ac myſterium aditum obſtrui ne paterentur, obſecrabant. Qua de re conſulti Patres decernunt, per presbyterum non poſſe altario reconciliari, nec Euchariſtiam porrigi, quòd id ab Epiſcopo expectandum ſit, cujus, cùm ejuſmodi occaſiones occurrunt, voluntas pertentanda & pertractanda; & a Preſbytero cùm ea pœnitentis poſtulatio fuerit, Epiſcopum conſuli oportere, quodque Epiſcopus cenſuerit aut Euchariſtiam dandam, aut negandam.

De pœnitente autem in eo canone verba fieri, non eſt quòd dubites, quia cæteri fideles inconſulto Epiſcopo nullo negotio Euchariſtiam ſumere B poterant. Adde quòd hæc verba, *reconciliari divinis altaribus*, oſtendunt & declarant, de quodam agi, qui nec altario, nec ſacramento reconciliatus eſſet : hoc eſt, de pœnitente, non verò de fideli, qui jus haberet plenæ communionis.

In periculo conſtitutus. Tantùm in eo ſubdubitatio eſſe potuit, utrum tali in caſu, eventuque Euchariſtia dari potuerit pœnitenti à ſacerdote. Extra namque mortis periculum, oportuit pœnitentem non alio quàm uſitato pœnitentiæ remedio uti, Euchariſtiaque ſe reficere per manus Epiſcopi; idque non niſi poſt quartum pœnitentiæ gradum abſolutum : omnia autem illa quæ gerebantur publicè, non à preſbyteris, ſed ab Epiſ- C copo adminiſtrabantur.

Si Epiſcopus abſens fuerit. Hoc eſt, etiamſi Epiſcopus abſens fuerit, preſbyterum, quantumvis pœnitens morte abſumi extinguique videatur, non debere Euchariſtiam præbere.

Reconciliari divinis altaribus. Maximam reconciliationem eſſe exiſtimandum, quæ reconciliatio altario dicitur, hoc eſt ſanctiſſimo Sacramento, quod omnes teſtantur canones. Quod enim attinet ad minimam reconciliationem, id eſt ad ſimplicem abſolutionem & communionem, eam omnes Preſbyteri inconſulto Epiſcopo in neceſſitate conferre poterant : maximam verò, quæ in ſubminiſtranda Euchariſtia poſita erat, vel in neceſ- D ſitate, ſolus Epiſcopus.

Conſulere Epiſcopum. Hoc eſt, Preſbyteri eſſe has partes & officium, ut pœnitentis qui Eucha-

riſtiam efflagitat, mentem & animum quo affectus ſit aperiat Epiſcopo, qui in gradu pœnitentiæ conſiſtat: quot annotum illi impoſita, quaſi inſtar pœnæ, mulcta: quo dolore de peccatis commiſſis tangatur; quo denique ſenſu ac ſtudio pietatis Euchariſtiam concupiſcat.

CANON II. CONCILII CARTHAGINENSIS TERTII.

Minuſque hoſpitibus ſumptuoſi exiſtant. Quæcunque incedebant hoſpites habebantur ab alijs Epiſcopis, qui ne in faciendis ſumptibus nimiùm gravarentur, cavetur hoc canone.

CANON IV. CONCILII CARTHAGINENSIS TERTII.

Vt Levitæ & virgines ante viginti quinque annos non conſecrentur.

Item placuit, ut ante viginti quinque annos ætatis, nec Diaconi ordinentur, nec virgines conſecrentur. Et ut lectores populum non ſalutent.

VEtus ille mos invaluerat, ut non Diaconi, ſed lectores Epiſtolas & Evangelia in ſolẽni Miſſæ ſacrificio pronuntiarent: id autem patet ex can. 8. Carthag 4. epiſt. 5. lib. 2. S. Cypriani, editionis antiquæ: *Ab officio lectionis incipiat, quia & nihil magis congruum voci, quæ Dominum glorioſa prædicatione confeſſa eſt, quàm celebrandis divinis lectionibus perſonare poſt verba ſublimia, quæ Chriſti martyrium prolocuta ſunt: Evangelium Chriſti legere unde martyres ſiunt.* Et conſtitutionibus, quæ ſancti Clementis eſſe dicuntur, cap. 22. lib. 8. *Cui Scriptura ſancta ad legendas eas populo ſuo committuntur.* Item. can. 2. Tolet. 1. *Vel inter lectores ita ut Evangelia & Apoſtolum non legat.* Antequam autem Evangelii pronuntiandi initium faceret olim lector, elata voce proferebat, *Pax vobis*, perinde atque hodierno die Diaconus dicit, *Dominus vobiſcum.* Hoc idem epiſtola Divi Cypriani iiſdem verbis probatur: *Interim vobis hoc die auſpicatus eſt pacem, dum dedicat lectionem.* quibus Divus Cyprianus verbis alloquutum & ſalutatum populum aſt Aurelium, cùm primò ei Evangelii recitandi poteſtas eſſet facta, & pacem & benedictionem Chriſti Domini fidelibus condonaſſe: linguâ autem Tertulliani & apud Cyprianum *dedicare* eſt adire, ſeu inchoare. Antiquos verò Patres cæteroſque auctores de divinis officiis, hanc ceremoniam ſeu uſum dicendi, *Pax vobis*, vocaſſe divinam ſalutationem, & ab Eccleſia uſurpatam, ad pacem Chriſti populo impertiendam, nemini dubium eſſe poteſt, cùm in Patribus frequens ſit, & tota Eccleſia pervulgatum. Innocentius epiſtola octogeſima ſexta in fine, *Non licet Presbyteris coram Epiſcopo populum benedicere aut ſalutare:* & ab Optato id liquidò etiam confirmatur lib. 1. Patribus ergo viſum eſt placere, iſto canone, ne ampliùs lectores populum ſalutent: hoc eſt ex pronuntiatione Evangelii, *Pax vobis*, poſthac non uſurpent nec offerant.

Ratio quæ movit Patres ut illud mutarent, & lectoribus poteſtatem illam quam hactenus retinuerant, adimerent, hæc fuit, quòd illa amplior & major eſſet, quàm ut lectoribus concedi eam oporteret. Et verè poſt illud Concilium tanti fuit ea frui, ut eam à Diaconis & presbyteris eodem Concilio poſtea eripuerint; quin experientia uſuſque docuit eos non poſſe nec ſolere dicere, *Pax vobis*, tantumque Epiſcopum videri omnino dignum cui cùm Miſſæ ſacrificium offert pronunciare liceat. Optatus Milevitanus inter præcipua Epiſcoporum officia & munia hanc poteſtatem ſalutandi populum adnumerat libro 1. circa finem.

Huc accedit quòd antiquitùs ſolus Epiſcopus donorum Chriſti Domini, eorumque quæ ab eo ad Eccleſiam tranſmiſſa eſſent, diſpenſator diceretur. Propterea voluerunt pacem illam, quam Chriſtus Dominus pronunciavit: *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis*, tribui & teſtaurati ab Epiſcopo fidelibus, cujus legitimus eſſet diſpenſator, non autem lector. Præterea id contingit, quòd primis ſeculis perraro ab Epiſcopo pax illa, niſi cum magni beneficii ac privilegii cauſâ id fieret, dari conſuevit. Ejus rei, credo, cauſâ benedictio illa auctoritaſque Epiſcopo reſervata fuit: ſed addi poteſt, nomine pacis, aliud nihil portendi, quàm Chriſti Domini cum ſuo populo conſociationem, unitatem, & quamdam communitatem, eumque cui hæc impertitur pax, corporis Chriſti membrum eſſe quoddam cum eo quàmconjunctiſſimum: adeo ut cùm diceretur *Pax vobis*, id ita accipiendum, ut in quos conferretur pax & benedictio, ii eſſe in vera communione cenſerentur: id autem jus & poteſtas in ſolum cadebat Epiſcopum, ejuſque erat cura & negotium quàm ſolertiſſimè diſpiciendi, cui pacem illam tribueret. Qui igitur à communione atque cœtu ſejunctus eſſet, modò ab Epiſcopo ſibi dici audiret *Pax tibi*, in gregem mox fidelium reſtituebatur: quod factum cùm ſingularis eſſet poteſtatis, ad ſolum Epiſcopum transferebatur, & lectori ipſi eripiebatur. Quòd ſi ante illum editum canonem quis contendat id auctoritatis lectori permiſſum; idcircoque primis temporibus ritum illum, modumque uſurpandi *Pax vobis*, non tantam vim auctoritatemque complecti ſolere: Ad id facilis reſponſio, lectores ipſos priuſquam in ſuggeſtum, aut pulpitum conſcenderent, ab Epiſcopo id juris impetraſſe, tamen poſtea, quamvis de nutu arbitrioque Epiſcopi penderet, aliquantò amplius atque majus quàm ut Lectoribus, Subdiaconis, Diaconis & Sacerdotibus concedi placeret, judicatum eſt. Omninoque mihi perſuadeo, non dicam Lectorem, ſed ne Epiſcopum quidem ullum auſum fuiſſe, neque excommunicato, neque Pagano, neque Catechumeno dicere *Pax tibi*, quod iis verbis ad Chriſti corpus aggregari dicerentur. Tædet me pigetque tam ſæpe explicationem Græcorum vellicare, qui hunc canonem in fartagine Græca, ita explicant: *Prohibitum eſt autem lectoribus ne dum miniſterio ſuo funguntur ad populum convertantur & adorent, ut qui ſolos tunc debent ſacerdotes & Antiſtites adorare, & non laïcos qui in Eccleſia congregantur: ipſi enim ſunt ſacrati, populus verò procul eſt à ſacerdotio & conſecratione, ac ipſe potius lectores adorare deberet propter miniſterium eorum:* quæ quomodo poſſint ſenſui ſatisfacere judicabit lector.

CANON V. CONCILII CARTHAGINENSIS TERTII.

Vt ſacramentum Catechumenis non præbeatur.

Item placuit ut etiam per ſolemniſſimos paſchales dies ſacramentum Catechumenis non detur, niſi ſolitum ſal: quia ſi fideles per illos dies ſacramentum non mutant, nec Catechumenis oportet mutari.

NEmini dubium eſſe poteſt Catechumenis ſal fuiſſe datum, non in baptiſmo, & in baptiſmi ceremoniis, ſed & ex quadam conſuetudine in miſſa, feſtis quoque diebus: quo paulatim ad aliquod myſterium ineundum aſſuefacti non

gravarentur Euchariſtiam ſumere: nam ex auctoribus de divinis officiis id perſpicuum eſt. Præterea Audientibus qui longiſſimè aberant à baptiſmi ceremoniis, propterea ſal non eo nomine tributum aut acceptum ab iis legimus, ut ritus Baptiſmi explerent & perficerent, videlicet ut hunc ritum explerẽt qui his verbis deſcribitur, *interrogat nomina eorum, & ponit de ipſo ſale in os ipſorum*: qui ritus in fine ſeu exitu Catechumenatus contingebat; ſed ut aliquam ſacramenti ſpeciem formamque quaſi exhiberent; ut hoc tanquam ſigno edocti atque inſtructi, reconditum aliquod in Miſſa latere myſterium crederent. Item & illud exploratum, aut ſaltem ab omnibus admiſſum Catechumenis quandoque panem benedictione ipſa inſignitum, aut mel fuiſſe porrectum: quod ex his Divi Auguſtini verbis quidam aſſeruot, lib. de peccatorum merit. & remiſſ. cap. 6. *Quod accipiunt, quamvis non ſit Corpus Chriſti, ſanctum eſt tamen & ſanctius, quàm cibi quibus alimur, quia eſt ſacramentum*. qui quamvis non dicat eſſe panem benedictum aut mel, tamen facile eſt conjicere de iis verba fieri, quòd eam rem quam non nominant, cibis quibus ſuſtentamur comparat, & ſacramento, quod de pane conſecratur.

Ex his quidam huic canoni hanc ſententiam tribuunt, diebus feſtis quos ordinarios & ſimplices vocamus, non niſi ſal Catechumenis tanquam ſymbolum pignuſque ſacramenti, atque adeo unionis & conſociationis quæ cum Eccleſia eſſe poterat, præbeatur: diebus autem celeberrimis ac religioſiſſimis, ut putà Paſchatis, Natalis Domini, eiuſque ejuſdem generis porrigatur offeraturque panis benedictus aut mel: quo illis quàm proximè ad Euchariſtiam aſpirare liceret & ſacramento quodam uti, quod vi & efficacia plus quàm quod ſale contineretur, polleret.

Quia feſtis non extraordinariis, ſed ſimplicibus, cùm non ſit Eccleſiæ mos ac conſilium, ut fideles Euchariſtiam ſibi ſumendam intelligant: ſed tantùm panem benedictum, Sacramenta non ſunt mutanda Catechumenis, hoc eſt, mel aut panis benedictus loco ſalis non eſt eis dandus, quia fidelibus ſacramenta non mutantur.

Itaque per ſolemniſſimos Paſchales dies, non ipſe Paſchatis dies ſubintelligendus: neque octo dies illi qui immediatè & conſequenter ſuccedunt: ſed illi dies qui inter Paſchatis & Pentecoſtes tempus interjecti ſunt & interpoſiti. Nonnulli igitur per manus tranſmiſſam hanc conſuetudinem pertinaciter retinebant, ut illis diebus Catechumenis panem benedictum dividerent: quod quidem canone iſto emendatum, & additum, ut non niſi *ſolitum ſal* daretur: quia per illos dies Euchariſtia fidelibus non tribueretur.

Sed vereor ne hæc ſatis firma ſit explicatio. nam quamvis olim ab ea non longè abfuerim opinione, tamen mihi ſemper inceſſit quædam ſuſpicio fidelibus & Catechumenis nihil unquam commune fuiſſe, neque veterem illam diſciplinam pati potuiſſe, ut ex eodem pane benedicto utrique ſumerent, eumdemque pro ſacramento haberent. Præterea veriſimile eſt eos olim ſolemnes illos quinquaginta dies inter Paſcha & Pentecoſten Euchariſtiæ ſumptione celebraſſe, Euchariſtiaque feſtos eos feciſſe & conſecraſſe.

Nonnulli illius canonis hanc eſſe ſententiam credunt, non debere Catechumenos propria ordinis ſui ac ſtatus ſacramenta mutare, neque aliquid præter ſal accipere. Quia fideles ſua non mutant ſacramenta, & diebus omnibus Euchariſtiam uſurpant: ſed ſi bona fide hunc Canonem ejuſque mentem & ſententiam velimus accipere, & interpretari, hæc explicatio non minùs erit ſubmovenda

A quàm proxima. Verba enim canonis innuere videntur fidelibus & Catechumenis hæc ſacramenta pro tempore mutari potuiſſe. Quid enim aliud hæc ſonant verba, *Quia ſi fideles per illos dies?* Per alios igitur fideles mutare poterant ſacramenta. Item *per ſolemniſſimos Paſchales dies*: aliis igitur diebus alia non vetantur Catechumenis dari myſteria.

Quapropter ſi cuipiam hæ explicationes non ita vero affines eſſe videantur, aliam ſubſtituam, ſed ita conditam quæ hanc nauſeam poſſit adimere. Oblationes fidelium, panis putà, vini, olei, mellis, lactis & ſimiles, ſacramenta à Patribus vocantur. D. Innocentius, *Non longè portanda ſunt ſacramenta*. D. Auguſtinus, *Quod accipiunt Cate-* B *chumeni ſacramentum eſt*: quòd ſcilicet, ex iis oblationibus panis præſertim & vini, partes quędam benedictæ circumferrentur, ut à ſingulis delibatæ ſpeciem aliquam communionis & myſterii repræſentarent. Ex iis igitur deſumebantur minuta illa ſacramenta, quibus Catechumeni initiabantur; mel putà, lac, ſal, & ſimilia, quæ eorum eſſent ſacramenta, quibuſve refecti ad Euchariſtiæ fidem paulatim erigerentur. Nefas quippe erat quicquam illis ſacrum aut religioſum porrigere quod ex fidelium oblationibus non eſſet deſumptum. Itaque ſal, quod eorum eſſet præcipuum ſacramentum, ex ejuſmodi fidelium oblationibus conſecrabatur, neque ex privato, aut à fidelibus non oblato ſale Catechumenorum ſacramenta recte conficiebantur. Cætera quoque (ut ex canone 24. Carthaginen- C ſis 3. licet colligere) mellis & lactis ſacramenta, quibus donabantur Catechumeni, ex iiſdem fidelium oblationibus ſumebantur: *Primitia autem ſive mel, ſive lac offerantur uno die conſueto ad infantium myſterium. Et ſi maximè ad altare offerantur, propriam tamen habeant ſuam benedictionem, ut à Dominici corporis ſacramento ſejungantur.*

Ita antiqui codices.

Volunt igitur Patres præter ſalis ſolitum ſacramentum nihil aliud per illos octo ſolemniſſimos Paſchales dies porrigi Catechumenis, quòd ſcilicet illis diebus mel aut lac non offerretur à fidelibus, ex quibus conſecratio ſacramentorum mellis & lactis poſſet fieri: id enim *fideles ſacramenta non mutant*, intelligo, fideles illis diebus non mu- D taſſe oblationes ſuas, nihilque aliud præter panem & vinum obtuliſſe. Neque huic obſtat explicationi quòd iiſdem ipſis diebus fideles non magis ſal, quàm mel offerrent: quia cùm eſſet ſolitum Catechumenorum ſacramentum, quemadmodum docet canon, oblatum aliàs à fidelibus, & conſecratum in Miſſæ ſacris, in eum uſum poterat reſervari. Mel autem & lac cùm non eſſent ſolita eorum ſacramenta, neque poſſent reſervari, ex iis quæ eodem die offerrentur debebant deſumi & conſecrari. Sacramenta igitur non ſunt mutanda Catechumenis, hoc eſt mel & lac illis diebus non ſunt eis danda, quod à fidelibus non offerrentur, ex quorum oblationibus ſacramenta E Catechumenorum eſſent accipienda. Ut hæc explicatio ſenſui omnino ſatisfaceret duo eſſent probanda. Per illos ſolemniſſimos octo dies, præter panem & vinum nihil obtuliſſe fideles: mellis denique & lactis concordiam alio tempore, quàm in ipſo baptiſmo, feſtis videlicet diebus pro ſacramento Catechumenis oblatam fuiſſe; ſed ea Obſervationum lib. 2. Obſervatione ultima explanantur.

CANON XXXII. CONCILII CARTHAG. TERTII.

Vt presbyter, præter iuſſa vel abſentiam Epiſcopi, non reconciliet pœnitentes.

Vt presbyter, inconſulto Epiſcopo, non reconciliet pœnitentem, niſi abſente Epiſcopo, & neceſſitate cogente. Cujuſcunque autem pœnitentis publicum & vulgatiſſimum crimen eſt, quod univerſa Eccleſia noverit, ante abſidem manus ei imponatur.

CAnon hic in illa rapſodia & farragine Græ- B ca Conciliorum Carthaginenſium reperitur: in quem Zonaras & Balſamon commentario edito multa afferunt: ſed tantis implicata offuſaque tenebris, ut cùm inter ſe pugnent & diſſentiant, germanum, & genuinum ſenſum non attingant; imò inter ſe diſcrepantes, potiùs illum obſcurent & pervertant. Nam quod ad primam partem attinet, qua Sacerdotibus non licet, ſine conſenſu, imperioque Epiſcopi, pœnitentes in gratiam recipere, non liquidò ſatis, qua de reconciliatione agatur, interpretantur: neque quam ad rem, canon iſte revocetur, aut quorſum ſcriptus ſit, aperiunt. In illo autem pœnitentiæ quaſi curſu, duplex abſolutionis & reconciliationis genus reperiebatur. prima & ultima, ſeu minor & major C (ita enim à Clemente diſtinguuntur & vocantur libro tertio capite decimo) minor, in fine tertii gradus, altera in calce quarti concedebatur: hanc Sacerdotes nunquam, vel ſi pœnitenti imminentis interitus dies inſtaret, inconſulto Epiſcopo, ejuſque injuſſu largiebantur, id confirmante 13. can. Concilii Nicæni & 4. Conc. Carthag. tertii. In remotiſſimis disjunctiſſimiſque ab Epiſcopo locis ac regionibus, in quibus deeſſe pœnitentium copia non poterat, quarto gradu exacto, cogebantur aut ad Epiſcopi ſedem propriam ſe conferre, aut curiones hanc ab Epiſcopo poteſtatem acceperant, aut Chorepiſcopi reconciliationem redintegrabant, aut ad extremum Epiſcopatus modicis finibus ac terminis circumſcribebatur. D Quòd ſi quis, in loco qui ab Epiſcopo procul diſtaret, in morbum incidiſſet ſuæ pœnitentiæ tempore, ſatis erat ei ad ſalutem reconciliatio ſimplex: non igitur de reconciliatione Sacramentis & altaris in illo canone verba ſunt. Nam cùm neceſſitatis ratio urgeret, vel ſacerdotibus illa poteſtas non concedebatur: ſed de minori & prima illa ſermo inſtiturus eſt, quam ne preſbyteri quidem ipſi, niſi cùm neceſſitas ipſa vim afferret, & abſente Epiſcopo, conferre poterant: cujus facti atque actionis hæc eſt ratio. Omnium peccatorum lethalium indicta quædam & impoſita pœnitentia (quorſum enim tot exarati canones, in quibus, ſingulis peccatis pœnam conſtituunt, E tot annorum & cruciatuum? Canones illi ſignificarunt, an verò uſquam declararunt, de peccatis ſe ſolùm loqui, quæ eſſent publica; non verò de his quæ cognitione remota fuiſſent ac ſecreta?) quare eorum abſolutio & relaxatio in Eccleſia fiebat? neque enim cuiquam obſcurum, aut inauditum eſſe poteſt, omnia quæ in Eccleſia gererentur, quæque tandem hodie ſunt preſbyterorum munia, nihil inquam horum, reluctante Epiſcopo, potuiſſe adminiſtrari: pleni ſunt harum rerum canones, qui hoc ipſum quod dico corroborant, ne baptiſmum quidem ſine Epiſcopi permiſſu, preſbyterum conferre potuiſſe. Sed neque exiſtimandum eſt eam fuiſſe canonis illius vim, atque ſenſum, A ut preſbyteris non licuerit cum Deo in gratiam eos revocare ac reducere, qui leviſſimis quibuſdam peccatis, quæ veniâ digna vocamus, ſe contaminaſſent: non autem ſi in graviſſimas, quæ per canones ſeveriùs caſtigantur, noxas incurriſſent. Nam ejuſmodi peccata, quibus venia tribui facilè ſoleret, preſbyteri ſine Epiſcopi conſenſu imperioque abſolutione data, delere poterant.

Quod ad ultimam canonis partem pertinet interpretes inter ſe apertè diſſident, atque pugnant. Zonaras enim videtur eam manuum impoſitionem cogitare ac præſcribere, qua pœnitentiæ copia ſaciendæ fieret: ait enim *extra Eccleſiam manus imponi, & in ordine pœnitentium, ut extra ſacros ambitus in ſtatione flentium conſiſtant, collo-* B *cari canon jubet:* ea enim impoſitione pœnitentes redigebantur in ordinem *flentium*, primoque in gradu verſari, aut hærere primùm dicebantur in quo poſiti ad Eccleſiæ januam, ſeu portam lamentari, & plorare viſebantur. Balſamon aliam quandam hujus canonis intelligentiam eſſe ratus, ait gravia atrociaque peccata extra Eccleſiam clàm omnino remittenda, ne ſi palam, coramque Eccleſia in conſpectu & oculis omnium defigerentur & condonarentur, fideles quaſi quodam injecto ſcandalo commoti perturbarentur. Cæterùm videtur in ea eſſe ſententia, ea mediocri quadam pœnitẽtia eſſe vindicanda. Canonis tamen hujus veram hanc ſententiam eſſe cenſeo, ſi unde omnium fidelium exulcerantur animi, quod quidem omnium oculis pateat, peccatum, crimen- C que atrociſſimum patratum ſit, omnino eſſe præſtandum, ut à quo id admiſſum eſt, is præter communem aliorum conſuetudinem atque morem, ſupplicio quodam exquiſito, quod pro exemplo ſit, pœnas luat: ſed ita, ut ne tranſverſum quidem unguem diſcedat à præſcripto ceremoniarum, aut aſperitatum, quæ tertio gradu comprehenduntur, in terram ſeſe abjiciat, crebra illa manuum impoſitione ante abſidem purgetur, cæteraque precum ac purgationum genera non negligat, idque non illo protrito, aut uſitato, aut aliis tertii gradus pœnitentibus deſtinato retro ambonem loco fiat, ſed ante abſidem: hoc eſt, in patenti Eccleſia, & in loco unde ejuſmodi pœnitentes, eorumque D purgationes ab omnibus conſpici poſſent. Omnibus quidem pœnitentibus tertii gradus manus crebrò imponebantur, & purgabantur retro ambonem, qui locus eſt extra: ſed juxta chorum, ut vocant: an verò ante abſidem idem ſit, ac retro ambonem, & hoc canone nihil aliud ſibi velint Patres, niſi ut retro ambonem purgentur ejuſmodi gravia crimina (alibi enim ſi ita viſum fuiſſet Epiſcopo poterant purgari,) an verò ante abſidem, ſit extra Eccleſiam, ut aiunt Græci, lectoris erit judicium.

Quæcunque tandem ſit hujuſce vocis *ante abſidem*, notio & ſignificatio, certum eſt hujuſce canonis mentem eſſe, ut eorum graviſſimorum E criminum pœnitentia & purgatio, in omnium oculis conſtituatur, exemplique cujuſdam vim, rationemque propoſiti ſubeat. Nec video cur non ea ratione explicandus ſit canon ille, omiſſa illa ac poſthabita tot diſſimilium explicationum molè ſupervacanea.

De impoſitione manuum non agi, aut tractari, qua pœnitentia permittebatur, quemadmodum Zonaras ſentit, notius eſt, quàm ut explicationis majoris indigeat, quòd paſſim atque vulgò imponebatur extra Eccleſiæ ſepta; & quidem excommunicatis, quibus ingredi tẽplum non liceret. Planè neceſſitas poſtulabat, ut Epiſcopus pœnitentiæ copiam illis impoſitione manuum faceret, non in ipſo templo: ſed in ipſius aditu introituque, aut

ſanè

ſanè domi ſuæ. Cæterùm quis non hoc concedat, ut veriſſimum, quod in eo canone decernebatur, id præter modum, moremque communem excogitatum ad cauſam ſceleratorum maximorumque peccatorum hominum diſtinguendam, eorumque pœnitentiam diverſam ab aliis. Præterea neque in primo, neque in ſecundo gradu, propriè pœnitentiæ aliquis erat uſus, neque complectebatur ſatisfactionis admittendæ poenas, ideoquè probabile eſt, & id rationi conſentaneum de tertio grado diſceptari: ſed & de impoſitione manuum, quæ adhibebatur; non autem de ea quæ in ipſo limine Eccleſiæ, qualis erat impoſitio manuum, qua dabatur *jus pœnitendi.*

Quòd ad Balſamonis explicationem ſpectat, eam ipſam canonis ipſius per ſe lectio refutat, ac repellit: qui tantùm abeſt, ut extrà Eccleſiã abſolutionem dandam præcipiat, ipſoſque poenitentes leniùs tractandos, ut eos ipſos novo quodam modo, qui gravioris ſupplicii exemplum præbeat, excruciandos decernat. Sed & unica ratio ſatis momenti ac ponderis, ad id quod volumus probandum haberet. videlicet ſi privatim, & non palam abſolverentur, leviſſimaque poenitentia irrogaretur: ea re in Eccleſiam gravius damnum, & detrimentum potius importari poſſe, quàm ſi publicè omnibus ſpectantibus, abſolutionis gratiã donarentur; divulgato quippe flagitio, & antè oculos omnium conſtituto, quî fieri potuiſſet, ut cùm criminis artifex, auctorque ad ſacram Synaxim ſe compararet, non omnium fidelium animi commoverentur, & magnopere conturbarentur, ſi conſtaret publicam illum poenitentiam effugiſſe, ejuſque ſceleris tam brevi tempore veniam impetraſſe? Neque aliter eſt de ſententia canonis ac diximus ſentiendum: idemque eſto de poenis, ceremoniiſque tertii gradus judicium, ut quò teſtatior & illuſtrior illorum poenitentia, in excelſo & edito quodam loco qui ante abſidem ducebatur, poenas impoſitas ſuſtinere.

CANON XXXIV. CONCILII
CARTHAGINENSIS TERTII.

De baptiſandis ægrotis, qui jam loqui non poſſunt.

Ut ægrotantes, ſi pro ſe reſpondere non poſſunt, cùm voluntatis eorum teſtimonium ſui dixerint, baptiſentur. Similiter & de pœnitentibus agendum eſt.

HOc eſt, ſi, ut quandoque fit pœnitentiæ tempore, pœnitens aliquis gravi morbo conflictari cœpit, ſic ut adverſa ei valetudo vocis uſum adimat, abſolvendus omninò videtur, eique reconciliationis gratia impertienda, ex epiſtola D. Leonis 89. c. 76. 1. Carthaginenſis 20. Arauſiaci 1. primi Vaſenſis 2. At eſt diſcrimen aliquod inter pœnitentes, & eos quos violentia morbi, ante baptiſmum oppreſſos, interceperit. ſolùm enim abſolvebantur pœnitentes, quibus ex improviſo morbi gravitas vocem intercluſerat; modò conſtaret eos ut à peccatis relaxarentur antè contendiſſe: propterea quòd cùm ſe pœnitentiam peracturos voviſſent, credibile eſt eos, mentem illam atque voluntatem non immutaſſe, ſed in ea perſtitiſſe. Id colligitur ex duodecimo ſecundi Concilii Arelatenſis, ex ſecundo primi Vaſenſis, & ultimo Epaunenſi. Quod ſi fors è vita deceſſiſſent, antequam eis frui abſolutione licuiſſet, non eſt recuſandum, quin per eoſdem canones poſt eorum mortem in Eccleſiæ communionem vocarentur. De baptiſmo autem aliud ſentias: neceſſe planè erat, ut ſi Gentili daretur, is ante baptiſmi deſide-

A rio ſe quodam ejus percipiendi teneri præ ſe tuliſſet. Catechumenum quidem non crediderim in id diſcrimen vocatum, ut de ejus baptiſmo dubitaretur, quamvis morbus loquendi facultatem ei præripuiſſet; quòd ejus animus, voluntas & cupiditas toto Catechumenato nemini non cognita, dubitationem omnem de dando Baptiſmo tolleret: ſecus in alio qui Catechumenus non eſſet, exploranda ejus erat voluntas atque ſententia. Uno verbo idem erat de Catechumenis & pœnitentibus judicium. Nam quamvis obmutuiſſent, & tam præcipiti valetudine, ut ne quidem baptiſmi aut abſolutionis petendæ ſpatium habuiſſent, abſolvebantur tamen, & baptiſabantur. Gentilibus, aut excommunicatis & Apoſtatis non eadem B gratia: nam neque adjuvabantur ab Eccleſia, neque his ſacramentis, niſi ea petiiſſent, aut nutu, aut ſigno, ſe ea petere oſtenderent, donabantur.

CANON LXXVIII. CONCILII
CARTHAG. QUARTI.

De Pœnitentibus, ſi poſt viaticum ſupervivant.

Pœnitentes qui in infirmitate viaticum Eucharistiæ acceperint, non ſe credant abſolutos ſine manus impoſitione, ſi ſupervixerint.

QUo Canon iſte enucleatiùs illuſtretur, duo maximè in memoriam redigenda, quæ ex C uſu & conſuetudine antiquæ Eccleſiæ gerebantur: quorum primum erat complures canones reperiri, quibus ſacerdotes monebantur, nunquam ut pœnitentibus, qui tempore pœnitentiæ morte opprimerentur, abſolutionem non impertirent, tametſi non eam, ad eum quem ſibi propoſuerant exitum protuliſſent; ea tamen conditione, ut cùm priſtinam valetudinem recuperaverint, ſeque è morbo recrearint, illico intermiſſam pœnitentiam repetant, in eoque grado, in quo eos vis gravitaſque morbi afflixerat, conſiſtant. Alterum eſt Eccleſiam ipſam ægrè admodum eò perductam, ut pœnitentibus, cùm abeundum illis eſſet è vita, Euchariſtiam ipſam ſumendam exhiberet: cùm tamen æquè ſe propenſam ac procli-D vem ad abſolutionem communicandam demonſtraret. Concilio namque Nicæno & 2. Carthag. ſacerdotes prohibentur Euchariſtiam poenitentibus, qui dum poenitentiã exercentur ex hac vita exeunt, condonare, ejuſque rei perficiendæ facultatem ad Epiſcopum revocant, ea conditione, ut perdiligenter poenitentis vitam, atque facta, quandiu in poenitentia fuerat, explorarent, & expenderent: Ita naturã comparatum erat, ut qui poenitentes extra fines, terminoſque regionis illius, quæ Epiſcopi ſubjecta poteſtati imperioque non eſſet, extremum vitæ ſpiritum effunderent, hujus gratiæ beneficio carere cogerentur: cauſæ rationeſque hu-E jus diſciplinæ alibi commemorantur.

In illo igitur canone agitur de poenitentibus, qui non modò peccatorum veniam antequam præſtitutæ poenitentiæ tempus percurriſſent, atque adeo tertium gradum attigiſſent, obtinuerant: verùm etiam, qui hoc uno ſingulari Epiſcopi beneficio affecti Euchariſtiam ſumpſerant: qui morbo pòſt recreati relevatique gravatè adducebantur, ut pœnitentiam proſequerentur, & ad tertium gradum reverterentur: quia probro ſibi futurum ducerent, atque etiam laborioſum, ut quotidie ſe ad terram proſternerent, palamque intuente populo ac frequenti concurſu illas manuum impoſitiones ſubirent. Viſum eſt igitur Patribus in eo Concilio, ut poenitentes facto

etiamnum pabolo refecti recuperata priſtina valetudine, non declinandas ſibi eſſe putent manos illas in tertio gradu impoſitiones.

Atque hic Canon aliquantò aliquid amplius complectitur, quàm cæteri Canones, qui ea de ſe diſputaot, & quod æquum eſt definiuot: ſtatuunt quippe, ut poſtquam abſolutionis viaticum eſſent adepti pœnitentes, ad eundem ſibi gradum revertendum arbitrarentur, in quo morbi gravitate vexari cœpiſſent, non autem quod facto opus eſſet, decreverant, ſi unà cum abſolutione ad ſacram Euchariſtiam acceſſiſſent; quod boc Canone abundè eſt explicatum & declaratum. Rationes pœnitentium qui pœnitentiam acceptâ Euchariſtiâ reſumere nollent, non erunt, ni fallor, injucundæ. Primum exemplum Catechumenorum ad eam rem maximum pondus habere poterat: non enim deſunt Canones, qui ſi fortè aut ex improviſo, quis Catechumenua tempore myſteriorum in templum ingrediatur, Euchariſtiæque, & ſacrificii aliquam hauriat notionem, vel Catechumenatus nondom abſoluto tempore, ablui poſſe eum confirmant, & aſſeverant: quòd non eſſet dubitandum, quin a Deo ad tantum bonum, beneſitiomque accipiendum vocaretur, cùm ei libet ad ſanctuarium aditus patuiſſet, ſacramenta illa, aliaque ab oculis Catechumenorum remota myſteria aſpexiſſet: quantò magis pœnitentes qui non ſolùm Euchariſtiam viderant, ſed ſumpſerant, pœnitentiæ moleſtiis levari deberent. Ad hæc non eſt diffitendum Euchariſtiam fuiſſe pœnitentiæ quaſi ac Catechumenatus finem, omniaque pœnarum, ac cæremoniarum genera, quæ alio atque alio gradu ſuſcipiebantur, oon niſi eò ſpectaſſe, ut quam Chriſtiani digniſſimi Euchariſtiâ redderentur. Id enim niſi ſibi propoſuiſſent. non quartus illis pœnitẽtiæ gradus conſtitutus eſſet: pœnitentesque tertio gradu exacto, cum reliquo grege fidelium conſociati conjunctique ſublato quovis diſcrimine vixiſſent. Par ergo videbatur, ut qui pœnitentes Euchariſtia potiri primùm cœpiſſent, ii pœnitentiam repetere non ampliùs cogerentur: ſed ea dimiſſa conquieſcerent, cùm id tandem eſſent adepti, cujus cauſâ pœnitentiam ſubuiſſent.

Canonem iſtum de impoſitione maouum explicandum eſſe, quam tertii gradus pœnitentes quotidie ſuſcipiebant, dubitandum non eſt: quia non de illa impoſitione manuum, qua dabatur pœnitentia intelligi poteſt, cùm ea ſemper initio ingreſſus ad pœnitentiam daretur: ii autem de quibus in illo canone agitur, eam ſuſcepiſſe dicantur. pœnitenteſque nominentur: neque verò de duplici manuum impoſitione tractatur, per quam duplex reconciliatio maxima & minor concederetur, cùm quo tempore morbis vexarentur, utramque recepiſſent: qoandoquidem Euchariſtia ſe paverant, quæ pœnitentibus non porrigebatur, niſi ante reconciliati altario, & myſteriis, ut vocant, abſolutique fuiſſent: quater autem impoſitio manuum eſt facta in omni pœnitentia: quare non niſi tertii gradus pœnitentiæ manus impoſitio relinquitur; qoæ ſumi poſſit ad iſtius canonis interpretationem, cùm aliæ tres non in ejus explicationem cadere aut quadrare poſſint.

Viaticum Euchariſtia. Quia aliud viaticum erat quod pœnitentibus io ipſo mortis articulo dari ſoleret, atque id abſolutio, vel ſimplex reconciliatio dicebatur: quo viatico, ubi convaluerant, accepto, dubio procol illis erat ad eum pœnitentiæ gradum remigrandum, in quo ante morbum reſederant: quare hoc canone addiderunt Patres, *Euchariſtia*, hoc eſt, etiamſi Euchariſtiæ viaticum (de alio enim non erat dubium) acceperint.

Non ſe credant abſolutos. Hæc non ita explicanda *non ſe putent recepiſſe abſolutionem à peccatis.* verè enim eam erant adepti, quandoquidem Euchariſtiam ſumpſerant: ſed ita id interpretor, non ſe putent ſuæ poenitentiæ ſatisfeciſſe, non ſe putent Deo ſatisfeciſſe, & peccatis debitas pœnas exponxiſſe; quamvis ab iis ſe abſolutos, & ad ſacram acceſſiſſe menſam clamitent. Ad tertium enim poenitentiæ gradum reſilire atque redire oportet eos, ut manuum impoſitionibus purgentur; ſatisfactionem debitam exolvant, & expleant; iiſdem aſperitatibus forti animo exhauriendis perficiendiſque, quæ in tertio gradu præſcribebantur, gratos ſe charoſque Deo præbeant, omnemque peccati labem, quam contraxerant, eluant.

CANON LXXX. CONCILII CARTHAGINENSIS QUARTI.

De manus impoſitione ſuper pœnitentes.

Omni tempore jejunii manus penitentibus à Sacerdotibus imponantur.

PErſpicuum eſt in eo canone de poenitentibus tertii gradus ſermonem inſtitui, deque impoſitione manuum, quæ eorum gratiâ in ſolemni & publico miſſæ ſacrificio parabatur: non autem de aliis poenitentibus, aut aliis manuum impoſitionibua, quarum beneficio, aut abſoluno, aut major reconciliatio, aut poenitentia denique tribueretur: quia alio quodam Canone videre eſt poenitentium ordinarias ac uſitatas reconciliationes circa Paſchales, noo autem jejuniorum dies conſtitutas. Poeniteotiam quoque nemo potuit dubitare, qoovis tempore, quotidieque ſuſcipi poſſe: noxaſque ſuas coofitentibus, adeoque ſibi eam concedi poſtulantibus, quodvis tempus fuiſſe obvium. Sed quia olim apud majores noſtros in more atque inſtituto poſitum fuit, toto illo tempore, quod interjectum erat inter Catechumenorum miſſam, & fidelium poenitentibus tertii gradus manus imponere, eorumque cauſâ, aut gratiâ, certas precationum formulas concipere, diebuſque jejuniorum integrorum, nullum omnino miſſæ ſacrificium inſtituere. Veriſimile eſt ideo aliqoos poenitentibus manum noo admoviſſe, quod illa temporis ordiniſque ratio, quæ illam manuum impoſitionem poſtulabat, omiſſo illis diebus miſſæ ſacrificio, non occurreret. Vel forſan (id affirmare non auſim) quòd Catechumeni & poenitentes primi & ſecundi gradus, diebus illis jejuniorum, quæ integra dicebantur, Eccleſiam nou adirent, cùm nulla Catechumenorum miſſa diceretur. Idcirco non compertum erat, utrum tertii gradus poenitentes iis abſentibus, adeſſe cogerentur, quod fieri jubet canon.

Omni tempore jejunii. Quia erant ſemijejunia & jejunia integra: jejuniorum dies pleni: quidam non pleni, quales eſſent ſtationum dies: in his nulla erat dubitandi ratio, quin manua imponerentur poenitentibus, & purgarentur, quòd in illis jejuniis, quæ non ad noctem uſque proferebantur, miſſa fieret, pauló antequam jejunium terminaretur. Et ita ordo qui ſervandus erat, tempuſque imponendi manus tertii gradus poenitentibus, non mutabatur, nec cuiquam ea res incerta erat, aut dubia, ſed ſi quæ dubitatio fuit, ea ad dies jejuniorum integros revocabatur, quòd in iis nulla miſſæ celebrandæ mentio eſſet.

CANON LXXXII. CONCILII CARTHAGINENSIS QOARTI.

Vt pœnitentes ſemper genua flectant.

Pœnitentes etiam diebus remiſſionis genua flectant.

D*Ies remiſſionis.* Feſti dies ſunt, & Dominicæ omnes, quinquagintaque illi dies à Paſchate ad Pentecoſten, ita dicti vocatique quòd publicæ lætitiæ addicti eſſent, partim ut memoria Reſurrectionis Domini noſtri celebraretur & repeteretur, partim ut debito cultu ac religione proſequerentur diem illum, quo ſacro ſe Euchariſtiæ participes fuiſſe lætabundi geſtirent. Jam verò ita pii cùm eſſent, religione ſe ea obſtringi putabant, ut communem illam publicamque lætitiam non dicam imminuerent, aut infringerent; ſed nec iiſdem diebus quòd ita ferret conſuetudo, ſolerent abſtinere à cibis, ſeu jejunare, Deo genibus nixi ſupplicare, aut ullum mœroris, aut aſperitatis ſignum edere. Propterea Tertullianus lib. de corona militis, immunes vocat: *Eadem immunitate à die Paſcha in Pentecoſten uſque gaudemus.* Et ſanctus Hilarius Hymno illo, qui ejus eſſe dicitur, quique die Pentecoſtes decantari conſuevit, *Quo lege fit remiſſio.* Conciliom Nicæoum can. 2. eidem rei conſentit: hujus verò gaudii publici & lætitiæ geſtientis, quæ omnium animos occupavit, luculentum teſtimoniom affert Tertullianus, cùm ait, paganos, id de Chriſtianis judicaſſe ac confirmaſſe ab iis divinos honores eſſe Soli decretos, ac perſolutos, quòd diebus dominicis Chriſtianos omnem luctum mœroremque poſuiſſe dicerent, incredibilique lætitia perfuſos viderent: *Æque ſi diem Solis lætitiæ indulgemus alia longè ratione, quàm religione Solis.*

A In eo igitur canone decernitur, ut poenitentes diebus feſtis non aliter orent quàm in aliis; & quamvis fideles ſtantes iiſdem orent diebus, eos tamen genibus flexis orare oportere; quòd tempus poenitentiæ traducendum eſſet eum continua, & non interrupta corporis animique afflictatione, neque pari immunitate æquum eſſe eos gaudere, qua fideles qui illis diebus omnem triſtitiam remitterent. Reliqoum illud eſt, dubitationem, aut admirationem cuiquàm moveri poſſe, quid cauſæ ſit, cur ſopplicii, aut poenæ nomine conſtitueretur olim in veteri Eccleſia, preces fundere projectis ad terram genibus cùm Deo ſupplicarent; cùm debitos ſupremo illi numini cultus & honos, qui à creatura expectandus ſit, aut decernendus,
B non alius major eſſe poſſit, quàm aliquem genibus nixum orare. Tamen id memoriæ proditum eſt, cùm Eccleſia *in attonito eſſet*, ita loquitur Tertullianus, aut turbulentiſſimæ quædam perſecutionum tempeſtates, ac turbines Eccleſiam conquaſſarent, aut verò etiam duriſſimo illo tempore Dei ipſius benevolentiam gratiamque conciliare cuperent Chriſtiani, portentumque aliquod, aot miraculum à Deo extorquere, ut putà in ſumma & formidanda ſiccitate pluviam: quod in exercitu caſtriſque Imperatoris Antonini contigit, cùm milites ſiti propè confecti enectique io Germania extinguerentur: memoriæ inquam proditum ac conſignatum monimentis hiſtoriarum, Chriſtianos in genua procumbentes, Deum Optimom Maximum exoraſſe, ut qoem ſibi animo
C propoſuerant, precum ac ſupplicationum ſortirentur exitum. Tertullianus ad Scapulam, *quandò non geniculationibus ac jejunationibus noſtris ſiccitates ſunt depulſa?* Atque hæc eſt ratio, cur cùm dare ſe hilaritati Chriſtiani vellent, geniculationes omitterent, quibus tamen utebantur, cùm à ſe poenas repoſcerent.

Finis Notarum in varia Concilia.

GABRIELIS ALBASPINÆI

NOTÆ IN QUOSDAM TERTULLIANI LIBROS.

NOTÆ IN LIBRUM TERTULLIANI AD SCAPULAM.

LIBELLUS hic brevitate ſua nihilo ſecius multa notatu digna complectitur, in quibus interpretes non pauca paulò leviùs tranſmiſerunt. Doctiſſimus Cujacius poterat meo quidem judicio, Rhenano ignoſcere, cùm dixit hoc loco, *Prætorium*, ſignificare ſecretam domum, ubi ſperaret caſum ſuum Chriſtianis incognitum iri: perinde ut eſt villa in ruris ſeceſſu. Nam parum rationi conſentaneum eſt eum in eo loco manſurum fuiſſe unde jus dicebat, ad quærendas adverſus Chriſtianos latebras; ſed potius in aliqua, etſi non ſui dominii villa, ubi malum ſuum commodiùs celaretur.

Interpellatio ſanguinis. Hoc eſt, illum à Deo admonitum caſtigatumque, putà aliquo ſanguinis profluvio, quòd Chriſtianos iniquè inſectaretur; quo loco interpellare idem eſt quod monere.

Chriſtianum quaſi tumultuoſum civibus ſuis ſatisfacere dimiſit. Hoc ut mea fert opinio de Judæis cum Chriſtianis odia & jurgia moventibus accipiendum eſt; quippe cùm circa hæc principia magni tumultus inter eos exorirentur. Tacitus *tumultuantibus Judæis authore Chriſto*, cùm Chriſtiani magnam partem Judaïſmum exeruiſſent, mutatio illa ſine graviſſimis diſſidiis fieri nequibat. Quin etiam ab omnibus ſcriptoribus adnotatum eſt Judæos fuiſſe in cauſa, cur Chriſtiani odio Gentilium flagrarent, & calumniis confictis, exponerentur. Igitur Judæi de aliquo Chriſtiano concive conquerebantur, quem Veſpronius iis remiſit, ut inter ſe controverſias de religione componerent. Ex actis etiam Apoſtolorum Feſtus, quoniam quæſtiones quaſdam de ſua ſuperſtitione habebant adverſus Paulum, eum Hieroſolymam mittere volebat, ut illic judicaretur: non poterat enim quæſtiones ejuſmodi enucleare Feſtus, ut ibidem habetur. Nam remittere Chriſtianum, ut popularibus ſuis Ethnicis ſatisfaciat, hoc neque ulla ratione niti, neque ſenſum ullum dare videtur.

Et ſtatim dejectum. Aiunt interpretes dejectum eo loci ſonare, dejecto animo, quaſi hoc ad impediendum ſupplicium aliquid valuiſſet, aut Aſper propterea majorem clementiæ opinionem inde colligere potuiſſet. Sed moris erat, ut de Chriſtianis medio foro ſupplicium ſumeretur in tabulato, quod nonnunquam cataſta vocabatur, unde proverbium D. Cypriani, *à cataſta ad pulpitum pervenire.* Igitur authoris ſententia eſt Aſprum coactum ſatisfacere legibus, & in Chriſtianum iſtum animadvertere, veruntamen ei parcere volentem levi aliqua pœna contentum, de cataſta & loco editiori detrahi ac demitti ſubitò juſſiſſe.

Nec ſacrificium compulit facere. Hæc quoque ſi rectè intelligantur ſententiam noſtram confirmant. Nam in ipſo pegmate coram populo aut Diis Gentilium ſacra faciebant, aut pertinaciæ pœnas dabant: unde Aſprum laudat quòd neutrum feciſſet.

Pudens miſſum ad ſe Chriſtianum, in elogio A *concuſſione ejus intellecta dimiſit ſciſſo eodem elogio ſine accuſatore, negans ſe auditurum hominem ſecundùm mandatum.* Senſus horum verborum facilè percipietur explicatis ſigillatim obſcurioribus quæ occurrunt vocibus: primò *elogium* ſumitur pro litis enunciatione, ſive actis circa hujuſce Chriſtiani capturam factis, multaque ſunt apud Juriſconſultos vocabula idem ſignificantia, *elogium, epiſtola, notoria, relationes.* Vocabulum *concuſſio*, non exponendum eſt uti Pamelio & Junio placet, nec quo pacto vulgò intelligitur; cùm judex per ſordes & vim autoritati ſuæ indebitam, à reo ſeu captivo extorſit pecuniam. Ratio manifeſta; nam ſi is qui Chriſtianum ad Pudentem miſit ab eo pecuniam extorſiſſet, haud dubiè miſſum feciſſet, B non captivum duci juſſiſſet. ſed concuſſio eo loci ſignificat, ut in lib. de fuga in Perſecut. & aliis locis compluribus, duntaxat alicujus capturam, non pecuniæ extorſionem. *Sine accuſatore:* leg. *Divus* de cuſto. & exhi. reorum, disertè cautum erat ne quiſquam puniatur ex epiſtolis & actis pedanei & minoris judicis, *non eſſe utique epiſtolis eorum credendum qui quaſi damnatos ad præſidem remiſerint.* Et ratio idonea eſt, *quia non omnes ex ſe le bona elogia compertum eſt ſcribere.* Et in eadem lege: *Sed quaſi re integra quæratur ſi quis erit qui eum arguat.* Interpretes hanc quidem legem laudarunt ad explicationem vocis *elogium*, nec tamen animadverterunt eam integram afferre C huic loco lucem ac interpretationem; propterea Pudens hunc Chriſtianum remiſit quòd nemo eſſet qui eum accuſaret, & quòd acta ſive elogium judicis Pedanei ad ſumendum de eo ſupplicium ſufficere non videbantur, non autem ut aiunt interpretes, quòd ſpoliatus eſſet. *Mandatum*, puto hanc legem eſſe *Divus.* nam quamvis multa eſſent mandata Principum in gratiam Chriſtianorum, qui aut priore, aut ſequenti tempore principatum obtinuerunt, ut potè illud Trajani apud Plinium, Adriani apud Juſtinum & Euſebium, & Antonianorum apud eoſdem. Sed ad hæc verba Tertulliani, non tam peculiariter accommodari poſſunt, D quàm id quod mandatur lege *Divus.* Senſus igitur hujuſce loci eſt Pudentem (qui Chriſtianis favere optabat) cùm videret neminem accuſare hunc Chriſtianum, nullas in eum eſſe probationes, niſi relationes ejus à quo mittebatur tantùm, ne interrogare quidem illum ſuſtinuiſſe, dixiſſeque legibus vetitum eſſe agere contra aliquem ſine accuſatore: verùm ut aiunt jureconſulti, *accuſatione proprio nomine inſtituta.*

Populo furenti in os palàm reſtitit. Populus iſte cruori amphitheatrorum aſſuefactus, ſi annona aut alio quovis incommodo, aut calamitate premeretur, ſæpe Romæ, aliis etiam in locis Chriſtianos mox ad mortem depoſcebat, tanta vi tantaque rabie, ut ſæpe illius furori permitterentur, quod conE ſtat ex Euſebio in Epiſtola Eccleſiæ Smyrnenſis. Atque idipſum eſt quod Imperator Adrianus Proconſuli Aſiæ interdicit. *Precibus autem in hoc ſolis & acclamationibus uti eis non permitto.* Ep. 3.

l. 1. D. Cyp. *clamore popularium ad leonem denuo poſtulatus in Circo.*

Hæc etiam verba, *tunc & populus adclamans Deo deorum*, ſunt attendenda. Nam cùm Ethnici aliquod beneficium precibus Chriſtianorum cælitus acceperant, Deum Chriſtianorum omnipotentem eſſe fatebantur. Euſeb. lib. 9. cap. 8. *nec eſſe ullum alium præter Chriſtianorum Deum confitebantur.* Idem colligitur ex epiſtola D. Aurelii ad Senatum.

A *Et qui ſolus potens eſt in Iovis nomine Deo noſtro teſtimonium reddidit.* Senſus eſt, Gentiles teſtimonium reddere Deo Chriſtianorum, eumque omnipotentem fateri. Nam cùm invocatus à Chriſtianis ſiccitates, aut alia incommoda depuliſſet, & ad tale miraculum ſtuperent Gentiles, Jovemque omnipotentem acclamarent, quòd talia perpetraſſet, Deo non Jovi hoc teſtimonium reddebant; nam præſtò adſuerat Deus Chriſtianorum, non Jupiter.

NOTÆ IN LIBELLVM TERTVLLIANI DE POENITENTIA.

CAPUT I.

HOc genus hominum. Gentiles Philoſophos, qui de pœnitentia ita definierunt, quod non improbat Tertul. ſi de ſolis peccatis intelligatur.

Natura tenus. Abſque Evangelii gratia.

In gratiam cecidit. Minùs commodè ceſſit.

Leviùs incubant. Minùs dolent de peccatis.

Per eandem delinquunt. Quia cùm eos optimarum & honeſtiſſimarum actionum pœnitet, facilè in vitia ſeſe ac flagitia immergunt.

CAPUT II.

C*Um ſeculi dote.* Miſerias humanas intelligit, quæ poſt peccatum mortalibus in dotem adſignatæ ſunt.

Pœnitentiam dedicavit. Punito Adami peccato, cùm mortales novis beneficiis compleſſet, docuit priùs actâ pœnitentiâ emendari poſſe.

In extremitatibus temporum. Mundi finem imminere exiſtimabant.

Præire intinctionem. Juſſit ut pœnitentia Baptiſmum præcederet: quàm eleganter docet pœnitentiam ante Baptiſmum neceſſariam eſſe!

Ignorantia contaminaſſent. Et cùm Dei legem ignorarent Ethnici, quidquid peccarent ignorantiâ feciſſe videbantur.

Quo ſe ille cum cæleſtibus. In Baptiſmo ſcilicet.

Ne bonis unquam factis. Ut Gentiles qui manus injiciunt bonis factis, id eſt, qui cùm de factis bonis dolent, crines aut barbam ſibi evellunt.

Viderit ergo in gratia. Id eſt, cùm quid malè ceſſit.

Iuſtitiam Deo præſtandam. Quia ſcilicet ſeſe cruciando Deo ſatisfaciebant.

Privatum cur malitia. Nil mutandum, quidquid jubeat Latinius cum Junio. nam ait propriè id peccatum afferre, ut de eo doleatur.

Sed otioſum videri poteſt. Eleganter certè commendat fidem & pietatem Catechumenorum, quibus cognita lege Dei, nil opus eſt pœnitentiam laudare, quod ultrò eam ſunt amplexuri.

CAPUT III.

A*Dmiſſus ad Dominica.* Erudiebantur Catechumeni antequam pœnitentiam adſumerent.

Quod voluntas facti origo. Calliſtratus lib. 6. de cognitione in l. *Divus* 14. ff. ad legem Corneliam de ſicariis & veneficiis, *in maleficiis voluntas ſpectatur non exitus.* Servius ad illud Virgilii, *auſi omnes immane nefas*, illic ſunt & qui fecerunt & qui conati ſunt.

A *Sibi repræſentat.* Ex hoc loco P. Martyr, & cæteri hæretici aiunt hoc verbum, *præſentem*, exhibere apud authorem non ſignificare: atque adeo cùm ait pane Chriſtum corpus ſuum repræſentaſſe, non ita accipiendum ut præſens corpus tradiderit: verùm huic uni ſexcentos opponere poſſem, ubi, *præſentem*, rem ipſam exponere ſignificat.

Cur non ſolatium ſui. Manifeſtum eſt hunc locum corruptum eſſe, neque Rhenani emendatione evidentiorem fore. quid enim ſibi vult, *ſolatium ſui ſaturare?* Certum præterea eſt autorem dicere, voluntatis vota, pro factis habenda, & punienda: quo cum ſenſu convenire B non poſſunt quæ reponuntur, ſed corrigere difficile eſt quòd authoritate careamus: ſi verò divinare liceret, legerem, *cur non ſola etiam ſuſpirans*, de pudicitia, *cum infælicitate ſua ſuſpirat*, deſiderat, optat.

CAPUT IV.

O*Mnibus ergo delictis.* De prima pœnitentia loquitur; quod non animadvertens Pamelius, neſcio quid turbat, aut cur primam cum ſecunda confundit. nam neceſſe eſt mihi det, hoc nihil pro particulari pœnitentia facere, atque adeo pro confeſſione & remiſſione omnium peccatorum, cùm de prima ſit mentio, qua nemo unquam negavit omnia omnino peccata deleri.

C *Pœnitentiam malo.* Rurſus cùm de eadem agat, non debuit aſſerere Pamelius, numero 83. de pudicitia, de Chriſtiano peccatore hęc accipienda eſſe.

Imò me minor. Quicquid ante lavacrum commeruerant Catechumeni aut fecerant, id omne naturæ magis impetu quàm voluntate feciſſe exiſtimabantur; ut author de pudici. D. Cypr. aut quiſquis libellum de pedum ablutione nobis dedit. Hermes & Juſtinus affirmant, quamobrem ait Catechumenum minùs ſe peccaſſe.

Ego enim præſtantiam. Quia graviora multò Chriſtiani quàm Audientis erant peccata, ideo ait agnoſcere ſe graviùs peccaſſe.

D *Alicujus tabula.* Quando aiunt Patres pœnitentiam eſſe ſecundam poſt naufragium tabulam, de ſecunda & poſt Baptiſmum pœnitentia id accipiendum, non de prima quæ non erat ſecunda, ſed prima tabula.

Vt illo in nihil. Ad Gentiles igitur totum hoc caput pertinet, ſive ad Audientes.

Aggredi & cuſtodire. Pœnitentiam aſſumere, & ita de peccatis dolere, ut poſt Baptiſmum in ea nunquam incidamus.

CAPUT V.

N*Vmquam poſthac.* Poſt Baptiſmum; quo pœnitentiam cum fide obſignabatur.

Ignorantia prætextum. Gentiles ſive Audientes hac una ratione peccatis ſois ignoſci volebant, qobd quid optimum eſſet factu ignoraſſent: qua excuſatione iis non liceret uti, qui Chriſti mandatis imbuti eſſent: unde etiam conſtabit totum hoc caput ad Audientes & Catechumenos pertinere.

Ignorantia ſegregaris. Qua ante Baptiſmum minùs peccaſſe cenſetis.

Intellectum. Quia à Doctoribus Eccleſiæ erudiebantur Catechumeni, & Deum timere docebantur.

Recuperata præda. Ut è contrario ove reperta.

Quorum invidia cum diabolo. Miſerias & pœnas quas Pœnitentes Deo mitigando, & ad ejus gratiam recuperandam ſubibant, ſordidumque & ſqualentem eorum habitum & ſtatum, *Invidiam* vocat Tertull. quamobrem ait hoc loco Audientium fictam ſatisfactionem & pœnas, ſi quas ſponte amplexarentur (nullæ enim eis pœnitentibus præſcribebantur) gratas eſſe diabolo. Quid ſit autem cur pœnitentiam aut potius pœnitentium actus & miſerias *invidiam* appellarit, hoc eſſe conjicio; quòd cùm miſerabilis eorum habitus graveſque pœnæ omnium in ſe miſericordiam moverent, invidiam in Deum veluti concitare viderentur, ni dignos ſcilicet eos haberet, quibus ignoſceretur. Certè de pudicitia dixit, *cicatrices utique apud Chriſtum invidioſæ*, eadem ratione poenitentium poenæ apud Chriſtum invidioſæ erunt, quia propter illum ſuſceptæ. Adverſus Pſychicos, cap. 16. *Cinere conſperſi idolis ſuis invidiam ſupplicem objiciunt*, quo loco dubitari nequit, quin habitum poenitentium & ſupplicantium *invidiam* vocarit, quando Ethnici ſupplicantis ſtatum referat, in Apolog. cap. 40. habitum & poenitentium miſerias invidiam appellavit. *Invidia cœlum tundimus*, quo in loco perſpicuum eſt de poenitentia verba fieri. In eundem ſenſum Silius Italicus lib. xi. invidiam uſurpavit.

> ——*& nullis deſuit aris*
> *Invidiam factura parens.*

D. Cypr. lib. 3. epiſt. 18. *Cæteri qui invidiam faciunt*, id eſt, qui poenitentiam agont & miſeriis & ærumnis Eccleſiæ miſericordiam ſollicitant & pacem. Idem de mortali *adverſus Deum querela & invidioſa voce loqueretur.* De alia invidiæ acceptione diſſerit Turnebus lib. 9. c. 28.

CAPUT VI.

S*Emel capeſſendam.* Quia poſt Baptiſmum non ampliùs erat delinquendum.

Eo perpetuò continendam. Non perpetuam agebant pœnitentiam Catechumeni; ſed vult dicere eos de priſtinis peccatis ita dolere debere, ut nunquam in ea incidant.

Deditos domino. Id eſt Catechumenos: nam de fidelibus nulla eſt mentio, cùm totum hoc caput cum ſuperioribos ad ſolos Catechumenos pertineat; eos autem Deo deditos vocat, qoia Deo nomen dederant, & in ejus fidem erudiebantur: non negarim tamen eodem nomine fideles nonnunquam appellari.

Vt omnis ſalutis. Baptiſmum vocat omnem ſalutem, quia ſcilicet omnia omnino per Baptiſmum peccata delentor.

Novitiolis. Catechumenos quidem intelligit, ut aiunt interpretes, verùm cùm varia eſſent Catechumenorum genera & ſpecies, eos præci- A puè ſignificat qui Audientes dicebantur, ſive qui Deum timere cœperant. Nam ubi primùm nomen Chriſtianæ ſectæ quis dederat, Gentilium Deos & inania ſimulacra ſpernere & contemnere docebatur. Deinde Deum timere, unde poenitentiam aſſumebat, qua peracta perfectus Catechumenus habebatur: ſed de his aliàs & fuſiùs.

Pœnitentiam aſſumunt. Sponte poenitentiam aſſumebant Catechumeni, eamque pro peccatorum & anteactæ vitæ ratione ducebant. nam nullo Eccleſiæ jodicio de eorum poenitentia aut ſatisfactione ſtatuebatur.

Sed includere eam negligunt. Rhenanus & Pamelius aiunt tranſlationem eſſe à rebus quas ni includas amittes. Eraldus (de Junio enim taceo B cùm non ſatis aſſequar quid ſibi velit) docet in commentariis ad Arnobium l. 2. tyrones his verbis increpari, quòd poenitentiam in multum tempus producerent, atque eam perficere & finire nollent. Ego horum longè aliam reor eſſe ſententiam & *includere*, perficere & finire non ſignificare: verùm bona fide poenitentiam non agere ſive ſinceram non ducere. nam de tempore, ſive quòd poenitentiam protraherent minimè conqueritur. Tert. cujos de Baptiſmo hæc ſunt verba, *Cunctatio Baptiſmi utilior eſt.* & paulò pòſt, *ſi qui pondus Baptiſmi intelligant, magis timebunt conſecutionem quàm dilationem.* Itaque cùm Baptiſmo plerumque clauderetur prima pœ- C nitentia, eumque differri ſuadeat, minimè crederem Catechumenos hoc loco reprehendi, quòd poenitentiæ finem non facerent; ſed docet, opinor, nonnullos, quòd ſcirent anteacta purgari Baptiſmo, ſegniùs poenitere, atque à conſuetudine prioris vitæ reſilire nolle. Neque alio ad id confirmandum argumento utemur, quàm ea, qua nititur ſimilitudine: veniam enim ſibi parat adulterinis nummis, non qui poenitentiam in multum tempus producit; ſed qui plenam & bona fide eam non amplectitur. totius præterea capitis ratio & ſententia hoc unum oſtendunt, & de veritate poenitentiæ, non de tempore aut mora quæſtionem eſſe.

Ipſe finis deſiderandi. Quia priſtinos mores mutare docebantur Catechumeni.

D *Tergiverſationis erga pœnitentiam.* Quia veram ſubire nollent.

Præſumptio intinctionis. Nimia de Baptiſmo fiducia.

Medium tempus furantur. Totum tempus quo erudiebantur, medium vocat, quod inter Baptiſmum & primam inſtitutionem intercederet.

Commeatum ſibi faciunt. Docebantur Audientes non ſolùm quàm grave & periculoſum eſſet peccare, Deumque iratum habere, ſed etiam omnia retro delicta Baptiſmo condonari. unde ait Tertull. quibuſdam peccandi audaciam & ſecuritatem ejoſmodi præceptis fieri.

Non adimplere. Perfectam & veram non ducere.

E *Veniam delictorum ſuſtinere.* Expectare, ſperare, petere: in Apolog. c. 35. *Aut poſt illam ſperatur & ſuſtinetur.*

Hoc eſt pretium non. Id cautum fuerat lege 12. tabularum ne venditoris res emptori aliter adquirerentur, quàm ſi is pretium ſolviſſet §. *venditor*, inſtit. de rerum inſtit. de rerum diviſione & ex jure Attico petitum: id enim Græcam fidem vocat Plautus in Aſinaria: Auſonius in Epiſtolis, *Græca non bona fide*, Turnebus in Adverſariis lib. 11. cap. 18.

Pœnitentia probationem. De veritate igitur pœnitentiæ, non de tempore agitur.

Sed differamus tantiſper. Ex eorum ſententia

loquitur, qui dicebant ſatis eſſe ſi poſt baptiſmum A meliores mores induerent.

Nullo pacto. Quod negat; quia ex his quæ docebantur intelligere debuerant, quanto in periculo medio illo tempore, id eſt, ante Baptiſmum verſarentur; quòd ſi poenitentiâ & ſatisfactione id removere & Deum placare non ſtudeant, indigni omnino videri debent, quibus Baptiſmi gratia credatur.

Pendente venia. Ante Baptiſmum.

Cùm adhuc liberari non meremur. Non baptiſabantur Audientes, niſi aliquandiu poenitendo promeruiſſent.

Cùm Deus comminatur. Cenſetur Deus comminari iis, qui nondum ſunt baptiſati, vel iis quos poenitere oportet, quia in maximo verſan- B tur periculo & æterna ſupplicia merentur; deinde medio illo tempore docebantur, quanta tormenta peccatis decreta eſſent.

Quis enim ſervus. Servus, poſt manumiſſionem alius homo videtur eſſe, ex Paulo in l. 27. ff. de adimendo, vel transferendo legato, novus homo l. *qui res* 98. §. aream ff. de ſoluto, & libera. idque oſtendebant circumactiones & vertigines quæ fiebant in ſervorum manumiſſionibus. Ideo ait Tertull. furta ſua, & fugas, quia erant ſervorum vitia, de quibus etiam venditor in mancipiorum venditione cavebat furem non eſſe, & furto noxaque ſolutum, fugitivum non eſſe l. aliud eſt 174. & l. fugitivus 225. ff. de verborum ſignific. Martialis uſpiam: *Non miror furem,* C *qui fugitivus erat.* At ſervus manumiſſus ex his delictis conveniri non poterat à domino l. ult. C. an ſervus pro ſuo facto poſt manumiſſionem teneatur, imo omni metu & ſollicitudine liberabantur. Cicero ad Tyronem, *Qua ſi me liberaris ego te omni cura liberabo.*

Caſtris ſuis emiſſit. De miſſione & exauctoratione, vide Tacitum l. 1. Annalium, cap. 8. & 9.

Idem quod periculi & timoris. Quia Deum habebant iratum, æternæque impendebant poenæ.

Cujuſlibet aquæ. Lavabantur ante Baptiſmum: quò reſpicit, atque ait, neminem eſſe qui tam infidæ poenitentiæ vito velit, vel primam illam lotionem impertire. D

Et propoſitum hujus rei. Recipiebant ſe Chriſti legem ſequuturos Catechumeni, & ut ait D. Dionyſius Areopagita, aut quiſquis Eccleſiaſticam Hierarchiam ſcripſit: *Ipſe autem ſe omnino ea quæ traduntur ſequuturum eſſe pollicetur.* Ibidem: *Ex eo præterea quærit, num ita inſtituat vivere cùm promiſit.* Ideo ait Author, *aſſeverationibus*, quia ſcilicet fidem Chriſtianam, Chriſtianumque vivendi genus & mores ſeſe complexos, perſequuturoſque jurabant, antequam baptiſarentur.

Qui pœnitentia fidem aggreſſi. Id eſt qui incipiunt credere poenitendum eſſe, & tamen eos non verè poenitet. nihil enim priùs Catechumeni ſive tyrones docebantur, quàm ut prioris vitæ E poenitentiam agerent.

Inter auditorum tyrocinia. Catechumenos non intelligit, ut opinor, nam propriè Catechumeni illi vocabantur, qui probè edocti & eruditi de lege Chriſti, orarent & jus haberent ad Baptiſmum (quamvis non ignorem tyrones, Audientes, & Catechumenos, uno eodemque nonnunquam nomine appellari) quique primam poenitentiam penè finierant; ſed tyrones & novitiolos qui Chriſtianæ legis prima elementa docebantur.

Dominum ſimul cognoveris. Docebantur Deum cognoſcere, poſtmodum poenitere. Ex Dei enim atque ejus legis cognitione eos prioris vitæ pigebat.

Cæterùm quid te cognoviſſe. Ni timeas & revereare.

Quid autem à perfecto Dei ſervo. Perfectos Dei ſervos eos vocat, qui baptiſati eſſent: quare hanc lectionem retineo, quicquid contra ſentiat Pamelius; nam ejus eſt ſententia, nil Audientes à fidelibus ſive baptiſatis differre, neque illis magis quàm his peccare licere, quæ manuſcriptorum librorum fidem convellere videtur.

Qua fides à pœnis. Non accedebant ad Baptiſmum, niſi de rebus fidei planè inſtructi, id eſt, de Dei magnitudine & poteſtate rebuſque quæ in Evangelius continentur, uno excepto Euchariſtiæ myſterio, neque baptiſabantur, niſi poſtquam ea omnia ſe credere juraſſent: quorum fides à fide pœnitentiæ incipiebat, quia ſcilicet non cenſendi erant Deo credere, eumque magnifacere & timere, niſi eum dignum exiſtimarent, cui de priſtinis ſatisfacerent, & poenitentia diluerent, quæ in eum ejuſque legem olim peccaſſent: ſimiliter dixit de Pudicitia, *in fidem mœchia*, id eſt, aſſumendo poenitentiam teſtarentur ſe credere plurimùm fornicatione Deo diſplicuiſſe, graveſque pœnas mereri.

Exinde quoad dominum ſenſeris. Ab eo tempore à quo Dominum timere & vereri cœperant, uſque ad Baptiſmum, & quoad Chriſtum Baptiſmo induiſſent Catechumeni, eorum fides tantùm commendabatur, quantùm eos bona fide pœniteret. Dominum igitur ſentire, eſt Baptiſmo, Euchariſtia, aliiſque gratiis Chriſtum poſſidere: & quamvis hæc omnia myſteria non aperirentur Catechumenis, tamen non ignorabant donis ingentibus ſe cumulatum iri.

Neceſſitate non ſponte. Jurabant in Baptiſmo ſolemnibus verbis ſe nunquam peccaturos. deinde renunciabant diabolo & pompis ejus. Denique cenſura, ſi peccarent poſt Baptiſmum coërcebantur; quapropter ait, neceſſitate. At verò cum Audientibus mitiùs agebatur, & quantùm ex his conjicio, nihil adhuc ſtatutum erat illis temporibus in Catechumenos qui peccarent, ne ſcilicet metu ſupplicii à fide Chriſtiana depellerentur: quod poſtea factum legimus in Concilio Neocæſarienſi canone quinto.

Quòd ſi qui ita ſenſerit neſcio. Id eſt, qui fictam ducunt poenitentiam, dubito an magis lætentur Baptiſmo ſe liberatos eſſe, & æterna ſupplicia evaſiſſe, quàm doleant eo accepto peccare non audere.

CAPUT VII.

HUcuſque. Hoc caput inſcribendum eſt de ſecunda poenitentia. hinc enim incipit agere de ſecunda poenitentia, quæ erat prima & ultima poſt Baptiſmum: nam tertiæ locus non erat.

Vel nihil jam de pœnitentia. Obſcurum & perplexum, attamen vult dicere, ni fallor, expleta prima poenitentia, de alia & ſecunda ampliùs Chriſtianos cogitare, aut in ea ſpem ponere non debere.

Totiens delinquitur quotiens ignoſcitur. Quis ex his non exiſtimaret Eccleſiæ fores poenitentibus ſemper patuiſſe, cùm dicat Chriſtum toties parcere quoties delinquitur? Pamelius quoque ex his non dubitat affirmare Eccleſiam peccatoribus veniam ſemper indulſiſſe, & ſi quid apud authores inter legendum de ſecunda & ultima poenitentia occurrat, id omne de publica accipiendum eſſe, atque ad id confirmandum multa ex authoribus accumulat, quæ nihil referret explicare: cùm quæ iſtic, ait Tertull. cujuſmodi, aut quomodo accipienda ſint noſtri duntaxat ſit inſtituti

edocere. Hæc igitur *quotiens ignoſcitur*, oon ita intelligas quaſi poſt ſecundam poenitentiam alios eſſet poenitendi locus, ſed nihil aliud voluit dicere, quàm tametſi aliqua poſt Baptiſmum ſpes veniæ ſupeſſit, & ſecunda atque ultima concedatur poenitentia, tamen rurſus peccandum non eſſe poſt Baptiſmum. nam ſexcentis locis, non dicam hoc capite, unam tantùm ait à lavacro veniam ſupereſſe, neqoe ullom primis illis temporibus inter privatam aut publicam graviorum criminum diſcrimen invenient. Itaque illa totiens & quotiens dicúntur rectè de duabus veniis (ut ita dicam) & totidem peccatis, de iis ſcilicet quæ ante ſivè poſt Baptiſmum ſemel remittebantur. Cæterùm Eccleſiæ univerſæ hanc fuiſſe ſententiam, vel hanc conſuetudinem in omnibus omnino Eccleſiis obſervatam fuiſſe non auſim affirmare.

Cæterùm finem utique. Noo facilè evadet pœnas & tormenta quæ peccatorem expectant, quiſquis peccandi finem non faciet: finem evadendi habere, eſt non evadere.

Memoria periculi honorant. Fortè appenſa ad parietes tabula, qua naufragium repræſentabaot, Horatius,

Me tabula ſacer
Votiva paries indicat uvida;
Suſpendiſſe potenti
Veſtimenta maris Deo.

Dum extinguitur. Aquâ baptiſmi.

Tot titulos. Non naſcebantur Chriſtiaoi, ſed fiebant, ut ait in Apolog. & de teſtimonio animæ, id eſt provecta jam ætate ad Baptiſmum admittebantur; unde non ſolùm quod ex parentibus contraxerant, ſed etiam quæ retro deliquerant, ea omnia unâ aquâ extinguebantur: quare ait moltos damnationis titulos Baptiſmo radi.

Collocavit in veſtibulo. Conſuetudo & ritus erat, ut poenitentes in veſtibulo Eccleſiæ manereot, ad quem reſpicit.

Sed ampliùs nunquam. Ergo una tantùm erat poſt Baptiſmum poenitentia.

Quia proximè fruſtrà. Quia fruſtra eam egit ante Baptiſmum, cùm ad vomitum redierit.

Miſerius eſt perdidiſſe quàm non. Miſerius eſt multò ſalutem quam accepiſti Baptiſmo, perdere peccando, quàm omnino eam non accepiſſe.

Rurſus pœnitere. Quia ante Baptiſmum primam poenitentiam egerant.

CAPUT VIII. & IX.

A*Cceptum ab eo.* Gratia Baptiſmi.

Tantùm relevat. De confeſſione publica ac particulari hæc accipienda non ſunt; ſed de confeſſione, qua peccator ſeipſum Deo accuſat.

Quanto in ar. negoti. Nempe quia nulla alia ſupererat poenitentia, tantò magis eniti debebant, ut reipſa ſe verè poenitentes omnibus fidelibus probarent.

Ut non ſola conſcientia. Qoos ante Baptiſmom poeniteret, ſponte & arbitrio ſuo poenitentiam agebant, nullumque actum poblicæ & ſecundæ poenitentiæ exercebant, id eſt, non manebant pro foribus Templi, in ſacco & cinere veniam non deprecabantur, omnium denique caligas ſeſe volutando non detergebant; ideo ait Tertull. amplius aliquid in ſecunda poenitentia agendum eſſe, & non ſufficere poenitentibus de peccatis privatim dolere ſed eos quoque debere hunc ipſum dolorem publica exomologeſi teſtari.

Exomologeſis eſt. Dom pluribus dicamus quid ſit exomologeſis, ploribuſque probemus, ſatis tum erit dicere per eam, confeſſionem auricularem non intelligi, ſed actus quibos poenitentes cæteris poenitentiæ ſuæ fidem facerent.

Satisfactio. Finis erat poenitentiæ: confitebantur primùm iniquitates ſoas, deinde poenitentiam agebaot, ut Deum ſcilicet propitiarent cique ſatisfacerent. ait igitur ſatisfactionem confeſſione diſponi, quia prima eſt linea & gradus ſatisfactionis.

Itaque exomologeſis. Si rem accuratè perſpicias, habes quid ſit exomologeſis.

Converſationem. Vivendi genus de corona militis, de præſcript.

De ipſo quoque. Hæc omnia in poenitentia ſubſtant.

Presbyteris advolvi. En quomodo ante ſacerdotes volverentur, ut peccata ſua confiterentur, & eorum veniam obtinereot, aiunt interpretes, cum Barooio, Bellarmino, Maldonato in controverſiis. Ego etſi hunc ritum antiquiſſimum eſſe fatear, ex his tamen probari nequit. nam cùm pro foribus Templi ſtarent poenitentes, prætereuntibus ſacerdotibus cæteriſque fidelibus, omnibus omnino dolentis animi ſignis poenitentiam ſuam teſtabantur, lacrymis non parcebant, precibus inſiſtebant, volvebantur, & ſi quæ alia habet poenitentia, quæ miſericordiam movere poſſint, non omittebant, ut pacem recuperarent: quem ritum deſcribit Author, cùm ait, *presbyteris advolvi*; quare nihil hæc ad confeſſionem auricularem.

Caris Dei adgeniculari. Ex manoſcriptis rectè reſtituit Pamelius *caris* pro *aris*. nam ex ritu illo quem modò diximus, primùm ante ſacerdotes procumbebant, martyribus deinde adgeniculabantur, cæteris denique fratribus & viduis, ut ait Pacianus, enixè ſupplicabant, ut à Deo & ab Eccleſia veoiam pro ſe impetrarent. Quòd autem per *caros* martyres iotelligat perſuaſit D. Cypr. qui eos tum amicos, tum Epiſt. 5. lib. 1. caros Dei appellat, *ita contrà Deo chari ſunt*, & ad Demetrianum, *Deo charos domo privas*, de unitate Eccleſiæ, *Aut Deo charior non eſt.* Præterea ex iiſdem authoribus ſatis patet quanti ſemper in Eccleſia fecerint martyrum etiam abſentium commendationem, quos veriſimile eſt à metallis aut exilio reduces, oon minori auctoritate in eadem valuiſſe: De Pudic. *At tu & in martyras tuos hanc effundis poteſtatem*, pacem ſcilicet pœnitentibus concedendi, ad Martyr. *Quam quidam non habentes, à martyribus in carcere exorare conſueverunt.* Cæterum ut rem faciliùs intelligas, animadvertendum eſt, poenitentes non ſolùm hæc & ſimilia egiſſe, ut cum Deo in gratiam redirent, verùm etiam ut ſacerdotes, & cæteros fratres æquiores haberent, in quorum arbitrio & judicio nonnunquam erat eos in Eccleſiam revocare.

Legationes deprecationis. Rogare cæteros fratres, ut à Chriſto atque ab Eccleſia veniam & pacem pro ſe exorarent, per legationes ejuſmodi officium non preces intellige.

De periculi timore. Quod ſubiiſti peccando.

Non dicam fruſtretur, ſed expungat. Poenam non tantùm minuat aut differat; ſed eam penitus tollat & deleat. Verùm variæ & incertæ hujuſce verbi *expungo*, acceptiones in Authore noſtro inveniuntur.

CAPUT X.

H*Oc opus.* Ea omnia qoæ paulò anteà enumeravit: & ſi quæ alia ſecunda & publica poenitentia, fieri amaret.

Ut publicationem ſui. Quia ſcilicet poſt Baptiſmum, publicâ ſemper poenitentiâ in graviora delicta animadvertebant, eaque ob hanc cauſam palàm nonnunquam exponebantur.

Cæterùm non aſſentior interpretibus neque

Card.

Catd. Baronio anno Chriſti 56. qui hæc de auriculari Confeſſione, non de publico pœnitentiæ actu intelligi volunt: toto enim hoc capite de publica peccatorũ confeſſione & de publica pœnitentia agitur.

Cum detrimento ejus. Omnem poſthabendo pudorem.

Quam palàm abſolvi. Palàm quidem & frequente Eccleſia abſolvebantur, verùm ſatis mihi non conſtat, hæc de Sacramentali abſolutione accipienda eſſe, quin potius conjicerem, de ultima exomologeſi, quæ permoleſta & plena pudoris videbatur, illud *palàm abſolvi*, dictum eſſe. Nam quid poſſet ineſſe pudoris aut verecundiæ in illa abſolutione? At verò in ultima exomologeſi multa occurrebant quæ ſine pudore non poterant ferri: Primùm è limine in mediam Eccleſiam adducebantur ab Epiſcopo, iſtic ad ejus pedes proſtrati veniam peccatorum ſuorum deprecabantur, precibus & lacrymis totius fraternitatis gratiam & miſericordiam ſollicitabant: tandem in eodem ſtatu permanentes, id eſt humi jacentes, à peccatis liberabantur. Hæc omnia multis ita permoleſta videbantur, ut mallent in culpa remanere, quàm hoc modo ab ea liberari.

Miſerum eſt ſic ad exomologeſim pervenire. Ex eorum ſententia loquitur, qui pudore deterriti ultimam illam exomologeſim (atque adeo primam, qua exacta ad ultimam perveniebatur) fugiebant. Miſerum autem illis videbatur poſt longam & duram pœnitentiam, poſtquam etiam omnes ærum- A nas & miſerias primæ exomologeſeos perpeſſi eſſent, aliam adhuc ſibi ſubeundam eſſe, quæ non minùs moleſta eſſet, quàm prima.

Malo enim ad miſeriam pervenitur. Malo; id eſt prima illa exomologeſi: *ad miſeriam*, ad ſecundam exomologeſim, quæ fiebat paulò antequam abſolverentur. Utramque enim malum & miſeriam appellat ex eorum ſententia: propterea quòd in prima per multos annos perpetuis lacrymis, jejuniis & orationibus ſeſe conficerent: in ſecunda verò eos puderet, cùm ducerentur à limine Eccleſiæ, omnium oculos ſuſtinere, & eorum miſericordiam implorare.

CAPUT XI.

B *EXtra lætitiam.* Non licebat pœnitentibus ullo delectationis genere, ne quidem balneis, ſeſe oblectare.

Hortulani maritimìve ſeceſſus. Imperatores ut beatiùs viverent in ejuſmodi loca ſecedebant.

Qui ambitu obeunt. Qui ambiunt magiſtratus.

Nullis conviviis celebres. Imò legimus ad colligendam populi gratiam publica olim inſtituiſſe convivia: ſed de privatis locus intelligendus.

CAPUT XII.

IUdicii. Pœnæ.

Oculare. Id eſt oculos reddere. Hoc ipſo uſus eſt verbo de Pudic. & in Apolog. quod mihi pro C argumento eſt hunc Tertulliani eſſe libellum.

NOTÆ IN LIBELLVM DE ORATIONE.

APpellatio iſta & pietatis & poteſtatis eſt. Marcianus l. 5. ff. ad leg. Pomp. de parricid. *Patria poteſtas in pietate debet, non atrocitate conſiſtere.*

Ne mater quidem Eccleſ. Eccleſiam intelligit, quam in Patre, Filio, & Spiritu ſancto pluribus locis conſtitutam eſſe adfirmat, ut de Bapt. cap. 6. ubi cùm dixiſſet, fidem obſignari in Patre, Filio, D & Spiritu ſancto, mox ait: *Neceſſariò adjicitur Eccleſiæ mentio: quoniam ubi tres, id eſt Pater, Filius & Spiritus ſanctus, ibi Eccleſia quæ trium corpus eſt*: de Pudic. c. 21 *Nam & ipſa Eccleſia propriè & principaliter ipſe eſt Spiritus*: & paulò poſt, *illam Eccleſiam congregat quam Dominus in tribus poſuit.* Quibus locis exiſtimat Tertull. Eccleſiam eſſe in Patre, Filio, & Spiritu ſancto: ſed præcipuè in Spiritu ſancto. Unde concludit hoc loco mentionem fieri Spiritus & Eccleſiæ in oratione Dominica, quando dicimus *Pater noſter*: qui enim invocat Patrem, Filii quoque & matris Eccleſiæ ſive Spiritus ſancti numen implorare videtur; atque ita uno nomine, Patris videlicet, tres perſonæ recenſentur.

Et ad noſtram ſuſpenſionem. Id eſt, ad Chriſtianos duntaxat, atque eorum ſtatum & conditionem, non autem ad Judæos aut Gentiles: *ſuſpendere* enim apud Tertull. eſt diſtinguere, ſeparare, limitare, ut paulo antè *ſuſpenſa enunciatione*, id eſt, reſtricta. Hæc tamen ab Authore dicta putabam; quòd exiſtimaret cum cæteris illius ævi, fato functos, non priùs debere frui beatitudine quàm ſeculum finitum eſſet, atque adeo motam illam ſuſpenſionem noſtram vocare.

Ut poſt cœleſtia. Inter hæc cœleſtia Euchariſtiam annumerat, quod non feciſſet, ni verum corpus Chriſti in ea adoraſſet. Nam ait, *Quam panem noſtrum quotidianum da nobis hodie, ſpiritualiter potius intelligamus*, id eſt, de Euchariſtia.

Tum quòd corpus ejus in pane cenſetur. Quiſquis diligenter hæc verba attenderit, nunquam Authorem in adverſariorum ſententiam tranſiiſſe dicturus eſt. Trifariam enim hæc Chriſti verba, *Panem noſtrum quotidianum*, explicat. Primùm de pane communi: deinde de Chriſto qui credentium verus eſt panis: poſtremò de corpore Chriſti quod eſt in Euchariſtia. Ubi animadvertendum eſt eum diſcrimen conſtituere inter Jeſum quatenus fideles & credentes nutrit, & eundem ipſum Jeſum in Euchariſtia exiſtentem. Nam ubi expoſuit, quamobrem Jeſus panis ſit eorum, qui ipſum confitentur, atque in eum credunt, alium rurſus affert modum, quo ipſemet Chriſtus eſt panis, *Tum quòd corpus ejus in pane cenſetur.* Itaque duos illos panes, duplicemque alendi modum, hoc loco diſtinguit: quod facere nihil fuit neceſſe, ſi Chriſtus ſola fide in Euchariſtia ſumitur, quemadmodum ſola fide ſumitur ab iis qui in eum, ejuſque E Evangelium credunt. Præterea loquitur ut plurimum verbis Juriſconſultorum propriis, apud quos *cenſetur* idem ſonat, quod, *eſt*. Denique hac oratione colligit, nos perpetuitatem poſtulare in Chriſto & individuitatem à corpore ejus, quorum primum ad manducationem Chriſti per fidem refertur, poſtremum verò, *individuitatem à corpore ejus*, ad Euchariſtiam: atque eo uſus eſt verbo, ut oſtenderet Euchariſtiâ nos magis propiuſque uniti cum Chriſto, quàm fide; & ſi quis obſervet hujuſce vocis acceptionem, in libris de patientia, de præſcription. ad Uxorem, aliiſque locis, reperiet certè intimam & corpoream conjunctionem, eam ſemper ſignificare.

Gab. Albaſpin. Notæ in quædam Tertull. loca.

Iejunantes habita oratione. Quamobrem oſcula negatent jejunantes non invenio : quod ad Authores antiquorumque ritus intelligendos plurimùm conferret : nam etſi conſuetudinem hanc improbet Tert. aliqua tamen veriſimili ratione conſtabat.

Quem Domino officium facientem impedit pax? Hęc ab his, *quæ oratio*, disjungi, & peculiari interrogationis nota affici debere exiſtimo.

Publica jejunii religio. Diebus publicis jejunii oſcula denegabant.

De ſtationum diebus. Quid ſit ſtatio, alibi dicemus : nunc ſatis erit, ſi eam pro mora, quam in Eccleſia diebus Veneris & Mercurii jejunantes ac orantes ducerent, accipiendam eſſe ſcias, atque totum hunc locum ita concipiendum. Quidam putant ſtationum diebus recedendum eſſe à ſtatione, & ab Eccleſia, poſtquam Chriſti corpus ſumpſerunt : verùm hoc tanto beneficio monemur magis in Eccleſia remanere, & precibus intereſſe ſacrificiorum, quàm de domnitione cogitare. Atque ſolemnior multò erit ſtatio tua, ſi ad aram Dei ſteteris.

Accepto corpore Domini. Qui ſtationem jejunium interpretantur hujuſce loci ſententiam ita exponunt : Manibus accepto corpore Domini & non manducato, ſed reſervato, & domum delato, utrique ſatisfacies, & jejunio tuo & religioni, qua, tenêris precibus intereſſe ſacrificiorum. Aiuntque Tert. caſtigare quorumdam ſcrupulum, qui ſumptione corporis Domini noſtri, jejunium abrumpere ſe credebant. Verùm hęc ſatis congruere non videntur : paucis enim interjectis hęc eadem verba, *Accepto corpore Domini*, aliud prorſus ſignificare concedunt, hîc manibus ſumere, illic manducare : alioqui etiam ſequeretur authorem in eadem fuiſſe ſententia, atque eum exiſtimaſſe jejunium Euchariſtiâ ſolvi poſſe ; tamen hanc conſuetudinem manifeſtè improbat, & quiſquis tandem ſit horum ſenſus, contrarium omnino aſſerit, cùm ait, *Ergo devotum Deo obſequium Euchariſtia reſolvit, an magis Deo obligat?* Deinde quis non videt ſenſum non ſtare ullo pacto nec cohęrere? Nam ſi ſtatio ſumitur pro jejunio, ſenſus talis eſt : Nonnulli putant non debere intereſſe precibus ſacrificiorum, quia ſtatim rumpendum eſt jejunium percepto corpore Domini. Sed quid vetabat intereſſe precibus ſacrificii rupto jam aut non rumpendo jejunio? Rurſus ſi ea tum Authori mens fuiſſet, dixiſſetne ſolvendum eſſe jejunium accepto corpore Domini? quis

A enim diceret ſolvendum eſſe jejunium ſumptis cibis? Enimvero *ſolvenda* denotat aliquid agendum poſt ſumptum corpus Domini, non quòd eodem tempore fieret, & eo inſtanti quo corpus Domini ſumeretur, cujuſmodi eſſet jejunii ſolutio. In noſtra verò explicatione nihil perplexum, nihilve implicitum. Quidam arbitrantur non oportere intereſſe precibus ſacrificii, quia ſolvenda eſt ſtatio, & ab Eccleſia diſcedendum ſumpto corpore Domini noſtri : quibus opponit Tert. ſolemniorem longè ſtationem fore, ſi ad aram ſteterint, & precibus interſint ſacrificii, quia ſcilicet preces ſacrificii communione data peragebantur. Cęterum quòd opponit

B inter ſe ſtare ad aram, & ſolvere ſtationem, ſatis declarat nihil aliud eſſe ſolvere ſtationem, quàm recedere & redire ab Eccleſia. Sed ſupereſt adhuc aliquid vitii in hiſce verbis, *Accepto corpore Domini & reſervato*, ni ea cum prioribus componas, & unam eandemque ſententiam conficiant, interrogationiſque notam poſt illud verbum *reſervato*, colloces, atque integrum locum ita concipias: *Nonne ſolemnior erit ſtatio tua, ſi & ad aram Dei ſteteris accepto corpore Domini & reſervato?* Difficile porro eſt divinare cur ſuperſtitioſi crederent exeundum eſſe ex Eccleſiis & ſolvendas ſtationes accepto corpore Domini, niſi fortè quia ſtatio,

C luctus erat Chriſtianorum & actio plena afflictionis & mœroris, quomodo ipſe appellat *preſſuram*: quam illis æquum non videbatur continuare ſumpto corpore Domini noſtri, quòd eſſet noſtræ ſalutis pignus, noſtræ reſurrectionis fiducia, & omnis Chriſtianorum lętitiæ quaſi cumulus, quòdque indignum cenſeretur poſt ſuſceptum Deum & creatorem afflictos eſſe & videri. Locum hujus conjecturæ facit, quòd circa finem hujus libri de oratione dicit ejuſmodi, *Utique nulla lætitia ſive triſtitia obveniens caſtris ſtationes militum reſcin-*

D *dis.* Perinde ac ſi diceret : Quemadmodum milites non ſolvunt ſtationes ſuas, ob munera quæ acceperunt, vel gaudia quæ caſtris obtigerunt ; ita Chriſtianis nullum tantum munus eſt, quo accepto, nulla tanta lętitia, qua obveniente, ſolvere debeant ſtationes & ab Eccleſia recedere. De baptiſmo ait neceſſitatem gaudii impedire quominus baptizati jejunent, quanto majore gaudio accepta Euchariſtia ſibi frui videbantur. D. Cyr. Cath. 5. de eadem conſuetudine conqueri videtur, monetque ab Eccleſia non recedendum eſſe acceptâ Euchariſtiâ : *Poſtremò expectata oratione Deo gratias age.*

NOTÆ IN LIBRVM II. AD VXOREM.

CAPUT I.

D*Ivortia.* Matrimonium alia ſorte quàm fato uniri & ſolvi poſſe, videtur inſinuare : quidquid hujus ſit, ex cauſa adulterii repudium licitum eſſe docuit, cap. 9. 10. & 11. l. de Monogamia, hoc lib. cap. 34. l. 4. adverſus Marc. eorum non diſplicet ſententia qui aiunt hęc ad verba eas ſpectare quæ ob religionem à Gentili repudiatæ eſſent.

Quod verò difficile eſt. Hunc locum ita exponendum cenſeo : quod enim difficile eſt (non nubere ſcilicet) & quod multas habet annexas difficultates, maximum hoc eſt quod de reliqua vita conſilium capere poſſis, & quod divina ope indiget. Quapropter ad tibi ſuperiori libro non

E ſuaſiſſem, niſi ad id faciendum officii ratio & neceſſitas me impuliſſet.

Non ſine neceſſitatibus. Quod premitur neceſſitatibus matrimonii ; conjugum enim officia & debitum neceſſitatem vocat hoc libro, *Cum honore ipſius neceſſitatis* : de Pudic. c. 16. *qui totam carnis neceſſitatem.*

CAPUT II.

C*Onſiliariorum prævaricationem.* Conſiliarios intellige Epiſcopos, Preſbyteros, Diaconos, viduas, quibus inconſultis, de nuptiis non cogitabant : nuptura enim (ut in Obſervationibus noſtris uberiùs dicemus) ſacerdotes conveniebat & viduas, ut eos conſuleret atque

ris matiti conditiones, genus & ſectam exponeret.

Sanctis. Fidelibus: Sancti potiſſimùm hi ſunt qui Confirmationem ſuſceperunt; ut ex Canone 77. Concilii Eliberini licet colligere.

Niſi ut de ſuo inquinet. Niſi ut cæteros Chriſtianos inficiat: religio enim erat cum peccatore cibum ſumere, ne cæteros contagione afflaret.

CAPUT III.

AB omni communicatione fraternitatis. Vult dicere eas excommunicandas eſſe: jura enim pacis, fraternitatis, communionis, communicationis, eadem propemodum in Authore ſignificant: fratres enim dicebantur Chriſtiani, non B ſolùm quòd ſe maximè diligerent, ſed quòd ab eadem matre alerentur.

Tabulas nuptiales. Pamelium errare monuit vir doctus Merillius: nam ſyngraphæ ſunt nomina debitorum. At tabulæ nuptiales conficiebantur nuptiarum causâ; ideo autem ait Tertull. ſi Chriſtiana infideli nubat non eſſe matrimonium: neque de eo tabulas nuptiales apud Chriſti tribunal proferri poſſe: quia ut eleganter ait Papinianus in l. Donatio. 31. ff. de donationibus: *Tabulas non facere matrimonium, ſi ſunt impares nuptiæ.*

Carnis injuria. Præter injuriam, qua carnem Chriſti afficit.

Duobus dominis ſervire. Nam maritus eſt dominus, ita Nonius Marcellus interpretatur illud Virgilii 4. Æneid.

Et dominum Æneam in regna recepit.

D. Cyp. Author de bono pudic. *Virginitas quid aliud eſt quàm ſoluta libertas: maritum non habet dominum.* D. Aug. conf. lib. 9. cap. 9.

Extructionem. Structio, ſtruere propriè de capillis intelligitur de habitu muliebri, de cultu fœminarum.

CAPUT IV.

VT ſi ſtatio facienda. De ſtatione alius erit dicendi locus: ſatis interim erit, ſi ex hoc loco moneamus jejunium duntaxat eam non eſſe, cùm, ire ad balneas, ei opponatur.

De die condicat ad balneas. Moneat ſummo mane & diluculò lavandum eſſe, qua hora eundum erat ad ſtationes. Nam Gentiles diluculò balneis utebantur: Chriſtianis vero religio erat corpus curare, aut quicquam priùs agere quam preces aut ſacra peregiſſent: Author in Apolog. *Non lavor diluculo, ſed tamen honeſta hora.*

Si procedendum. Non illi homines ridiculi ſunt, qui ex hoc loco proceſſionum ritus deduci fabulantur? quibus ſcilicet vix liceret in Eccleſiam convenire, eos volunt ceremonias ſuas vicatim & publicè exercuiſſe: quot Templa, quot ædes ſacras, Carthagine conſtituent, ad ea munera & ritus obeundos? una tantùm illis temporibus erat Eccleſia, & domus ſacra, & ita certè humilis & parum ornata, ut à privatis facilè non dignoſceretur. Quapropter *procedere*, nihil aliud apud Authorem ſignificat, quàm domo exire, alicujus officii exercendi causâ: putà ut ægrotos aut indigentes viſitarent: neque res ita ambigua eſt ut majori indigeat probatione, quàm quæ ex ipſius verbis deſumitur: ubi enim dixit, *Si procedendum erit*, mox addit ut explicet, *Quis enim ſinat conjugem ſuam viſitandorum fratrum gratiâ vicatim aliena & quidem pauperiora quæque tuguria circuire?* Igitur fratres viſitare, eſt procedere: de cultu fœmin. c. 11. eandem procedendi rationem affert. *Vobis autem nulla procedendi cauſa non tetrica.* Quia ſcilicet *imbecillis aliquis ex fratribus*

A *viſitandus.* Ubi *tetrica* ſignificat non auſtera, triſtis, aut aſpera: ſed gravis & honeſta, & non impudica.

Et quidem pauperiora. Quia ſcilicet in hujuſmodi tuguriolis, & in locis remotis lenocinia exercerentur: unde ait eam ſuſpectam fore ſi pauperum domos frequentet.

Quis nocturnis convocatio. Si in Eccleſiam convenire non poterant interdiu, nocte plebem convocabant. Author de fuga in Perſ. *Si colligere interdiu non potes, habes noctem.*

Solemnibus Paſcha. D. Cyp. ep. 23. lib. 3. eoſdem dies ſanctæ & ſolemnis ſeptimanæ vocat *Paſcha prima ſolemnia*, quibus olim noctes dieſque precibus & jejuniis pervigiles in Eccleſia conſume- B bant.

Convivium Dominicum. Grave modeſtiæ noſtræ erroris inſimulare Caſaubonum & ceteros qui hunc locum de Euchariſtia interpretantur. Sed moneris hujuſce exigui neceſſitas invidiam facti deprecabitur. De convivio eſt ſermo, quòd infame eſſet apud Gentiles, & quòd ejuſmodi convivæ omni turpitudine & flagitio polluere crederentur, quod cùm aliud nullum Chriſtianos celebraſſe legimus quod inceſtum haberetur, quàm Agapas, de iis accipienda hęc eſſe quis negabit? Enimvero quæ in B. Juſtino adverſùs Judęos & Apologia 2. in Tertull. Apol. & ad Scapulam, de cultu fœmin. in Minutio Felice, apud Euſebium C hiſt. lib. 4. c. 1. & 4. de cœnis & infanticidio objiciuntur Chriſtianis, ad Agapas ea ſunt referenda, in quibus neque conſectabatur, neque ſumebatur Euchariſtia. Pęterea ab iiſdem authoribus & Plinio ſecundo Euchariſtiæ ſacra cùm ſatis accuratè deſcribantur, tamen ſuper libidine & inceſtu ea fuiſſe ſuſpecta non legimus. Ait igitur Tertull. Gentilem non paſſurum ut Chriſtiana ejuſmodi cœnis accumbat, quòd nimirum inceſtæ & infames eæ haberentur, lib. de cultu fœmin. *Infidelis contrà etiam ſuſpectam habet, vel propter illam ſceleratam in nos opinionem Gentilium.*

Rhe. Pamel. ann. loc hoc Caſaub. exer. 6. pag. 512. Phil. Mornæi c. 6. pag. co. de Euchar.

Oſculanda martyr. vincula. Non ſolùm martyres, ſed eorum etiam vincula amplexabantur: aut ſi id neget Junius, dicat quęſo quid opponat ſexcentis locis qui à Pamelio producuntur. Cęterùm D reptabant etiam in carcerem ut alimenta martyribus pręberent, pacemque repoſcerent.

Iam verò. Multò minùs.

Ad oſculum convenire. Oſculo ſibi mutuam pacem Chriſtiani impartiebantur: verùm non ſolùm in Eccleſia & peractis ſacris, ſed etiam domi, ut colligitur de Oratione: *Potes domi differre pacem.* Cui officio negat Gentilem paſſurum ut Chriſtiana ſatisfaciat.

Aquam pedibus ſanctorum. Pedibus fidelium: officii, genus aut pietatis quod adhuc inter pios & religioſos viros eſt in conſuetudine; ſed non ſolùm aquam olim pedibus, verùm ante pedes nonnunquam etiam volvebantur, & ſoccos & calceamenta ſanctorum pedibus detrahebant. Euſ. lib. E 13. c. 15. *Calceamenta quoque pedibus tentabat educere, quæ nunquam niſi à religioſis reſolvi conſueverant.* Ut humilitatem ſcilicet teſtarentur: hinc pœnitentes Preſbyteris advolvebantur, & fratrum caligas volutando detergebant.

De cibo, de poculo invadere, deſiderari in m. b. Miror quamobrem omnes hęc ad Euchariſtiam pertinere ſibi perſuadent: cùm ſi quando eorum rationem atque Authoris mentem ſatis exploratam habeant, in ſententia non ſint manſuri. Recenſet enim Chriſtianæ mulieris privata officia, & ea quæ ex diſciplina aut conſuetudine pręſtari ſolebant: quare ait, ſi quempiam Chriſtianorum hoſpitem habuerit, Gentilem maritum

Phi. Pam. Ian. in hunc locum. Caſaub. exer. 16. pag. 568.

æquo animo non laturum, ut ei cibum & pocula cæteraque neceſſaria apponat: quid quæſo ad Euchariſtiam? An non commoda magis erit hæc interpretatio? Præterea quis unquam docuit mulieres domi Euchariſtiam miniſtraſſe, quam alibi ait non niſi de Præſidentium manu ſumendam? at invadere de cibo & poculo eſt invitare fratres ad cibos ſumendos, & non petentibus ultrò offerre. Denique hæc myſteria Gentilibus nudanda & aperienda non erant, cùm tanto ſtudio tantaque diligentia cavebant ne Audientibus cognita eſſent. Adde hoc ipſo loco Tertullianum nolle, ut converſationis inſignia & officia cognita ſint Paganis, multò minùs Euchariſtiæ myſteria: non negarim tamen cum Caſaubono Patres *deſiderata & deſiderare*, in rebus Euchariſtiæ alibi poſuiſſe.

In mente habere. De his officiis ſedulò cogitare, cùm aliis rebus te occupatam velit.

Quod in aliena domo hoſpitium? D. Cyp. de Eleem. *Hoſpes fui & non adduxiſtis*; ita hoſpitales erant antiquitus, ut cùm quiſpiam adveniret, certarent quis eum domum deduceret.

Proma. Nil mutandum: nuces & nugæ Junio reddendæ.

CAPUT V.

PEr noctem ſurgis. Singulis noctibus ſurgebant ut Deo domi ſupplicarent. in Apolo. *Ita ſaturantur ut qui meminerint etiam per noctem adorandum ſibi Deum eſſe.*

Quid ſecrete ante omnem. Domum Euchariſtiam reportabant, ut nocte eam adorarent, & ſumerent: quapropter Junius de antelucanis cœtibus hæc accipiens, non minùs fallitur, quàm cùm ſequentia ita explicat: *Non illum credit eſſe qui dicitur: nempe*, inquit ille, *infamatum panem credit.* Nam Agapas juxtà & Euchariſtiæ ſacra accipit, & quę de Agapis impia & turpia objiciebantur, ad Euchariſtiam imperitè refert.

Rationem ſimpliciter. Id eſt non altiùs ſcilicet hæc omnia ſibi aperiri volet, contentus te ex religione tua hæc præſtare.

Sine ſuſpicione panis an veneni? Qua de cauſa Euchariſtiam ſuſpicaretur eſſe venenum, aut cur timeret uxorem Chriſtianam venenum velle ſumere, non video: neque quicquam magis exploratum habeo, quàm ſi per venenum pocula amatoria intellexerit, quæ venena dicuntur. Ovid.

Theſſalico languent devota veneno.
Miſtaque cum magicis merſa venena ſonis.

Aut ſi locus eſt conjecturæ horum explicationem ex lib. de Pudic. peterem, ubi ait cap. 5. magnam eſſe adulteris conſuetudinem cum magis & veneficis. Dixerat enim eam ſuſpectam adulterii fore, mox addit, magiæ & veneni, quibus adulteria perficiuntur.

Quarum arcana in p. Dum ejuſmodi mulieres convicia mariti patienter tolerant: de earum myſteriis quæ Gentili ex conſuetudinę nota ſunt, tantiſper ſiletur. At ſi conquerantur, maritus Prætori refert eas eſſe Chriſtianas, & ita periculis, quæ ſectæ impendent objiciuntur: de hac re exemplum habes apud Juſtinum & Euſebium.

Quarum dotes ob non. Gentilis quòd uxorem Chriſtianam non poſtulet, & accuſet, in hujuſce beneficii & ſilentii præmium & remunerationem, dotem trahet, & eam omnem impunè dilapidabit, quam repetere aut maritum de ea re oxor compellare non audebit, quòd eſſent ſcilicet Chriſtianis Judices infenſiſſimi.

Arbitrum ſpicula. Carnificem potiùs quàm Judicem: Arbitrum autem dixit, more juriſconſultorum qui Arbitros eos vocant non Judices, qui de judicio reddendæ dotis cognoſcunt & judicant,

A quod æquius meliuſque eſt. Briſſonius in formulis.

CAPUT VI.

INter illos. Domi ſcilicet thura Diis laribus adolebant.

Solemnibus Regum. Cæſares aliquando Imperatores, nonnunquam etiam Reges appellat: ſed hoc præcipuè nomine eùm agit cum Chriſtianis de ſpect. cap. 30 & 6. & adverſus Gnoſt. D. quoque Cypr. ſcribens *Demetriano*, eoſdem Reges appellat.

Et miniſtrabit nonnunquam. In Agapis, fidelibus miniſtrabant mulieres.

In ſodaliciis, ſæpe in popinis. Turpius erat in po-
B pinas divertere, quàm eum ſodalibus epulas agere: ideo ait, *ſæpe in popinis.* Popinæ enim omnibus vel infimo cuique patebant: ſodalitia autem habebantur inter amicos, utrumque tamen interdictum: D. Cypr. ep. 4. lib. 1. inter gravia Martialis crimina hoc unum annumerat, Gentilium eum frequentaſſe convivia.

De cujus manu de. de. c. p. partici. Rurſus certamen nobis cum eis ineundum, qui de Euchariſtia hæc interpretantur, hac una levi admodum conjectura, quòd alibi dicat eam eſſe de manu Præſidis accipiendam, quaſi hoc loco id ipſum tangat, & ad eundem ritum alludat. Mihi verò cum Euchariſtia hæc convenire non videntur. Primùm de conviviis Paganorum illic eſt mentio, quæ cùm
C cœnis Chriſtianorum privatis aut publicis commodiùs & aptiùs comparari quis non videt? Deinde hæc, *Audiat ſanè, audiat aliquid Dei cœna*, nulla ratione ad ſacra Euchariſtię pertinent, in quibus mulieribus loqui non liceret, ut dicemus pluribus. Denique ea omnia quæ recenſet, in Agapis & cœnis privatis reperiuntur. Quapropter de ipſis Paganorum conviviis locus eſt explicandus: quos ſolitos legimus ſibi invicem per libidinem propinaſſe, & paululùm deguſtata pocula ab amante deſideraſſe, uti in Dione legimus de Commodo: verſus Martialis idem indicant.

Interpretes & P. Mornaus. lib. 1. de Euchar.

Qui nulli calicem tuum propinas,
Humanè facis hercle, non ſuperbè.

Ovid. lib. 1. eleg. 4. Ad quem morem haud du-
D biè reſpexit Tertull. cùm ait *de cujus manu deſiderabis? de cujus poculo participabis?* quaſi hæc laſciviæ commercia & irritamenta ejuſmodi mulieribus objiciat, eaſque interroget à quo ſibi maximè in his conviviis propinari volent, à marito, an ab adultero: & quamvis & ſequentibus alludat ad privatas aut publicas cœnas Chriſtianorum, hæc tamen ipſa ſimpliciter, neque aliter atque ut turpia quædam objiciat, dicta eſſe videntur.

Quid maritus ſuus illi. Cùm diverſæ eſſent ſectæ interrogat, quid cantabit marito. Nam quoties Chriſtiani ſive domi, ſeu in Agapis cœnarent, fidem pſalmis paſcebant, ut ait Tertull. D. Cyp. lib. 2. epiſt. 2. *Nec ſit vel hora convivii gratia cœleſtis immunis: ſonet pſalmus ſobrium convivium.*
E Habes ex his, cur velim hæc magis ad cœnas privatas aut publicas referri, quàm ad Euchariſtiam, in cujus ſacris tacerent mulieres & alternis non reſponderent marito, quod factum legimus in privatis & publicis cœnis: ut inſinuat hoc libello his verbis, *Simul orant & alterutro ducentes.*

Audiat aliquid Dei cœna. De cœna hæc igitur accipienda ſunt, in qua ſeorſim ſingulę quęque in medium compellabantur, ut de fide reſponderent: aut de ea cœna, in qua de rebus fidei ſolę diſſerere conſueviſſent, quę ſacris Euchariſtię adaptari nequeunt quòd in eis ſilere jubebentur. At verò in Agapis, *provocabantur in medium Deo canere*, Apolog. & in privatis cœnis pſallebant uti diximus.

Quæ Dei mentio? Hęc & cętera pietatis munera non magis pręętermittebantur in Agapis & privatis cœnis, quàm in ſacris Euchariſtię. Nam oratione convivium incipiebant, & dirimebant ut Apolo. *Non potius diſcumbitur quàm oratio ad Deum prægustetur*. ibidem: *æquè oratio convivium dirimit*. Cętera quoque in eodem Authore non eſſet difficile probare.

Vbi divina benedictio. Hæc omnia ad diverſas Miſſæ partes, bonus Pamelius atque hanc benedictionem ad conſecrationem Euchariſtiæ pertinere putat. Verùm de benedictione quam ſibi invicem conjuges finitis precibus optabant locus accipiendus eſt. Nam cùm eadem ipſa ſub finem libelli recenſet, ut oſtendat inter Chriſtianos conjuges ea omnia pietatis officia libera eſſe, & feliciùs multò adimpleri, vocat hæc ipſam benedictionem mutam; quia ſcilicer eam proferre, & Gentilis marito benedicere Chriſti nomine non auderet.

CAPUT VII.

I*Am habens ex parte*. Non deerit illis Deus, qui juſſit eas cum Gentili permanere. Quid ad rem verba Geneſeos & Locæ quæ afferuntur à Junio?

Documentis dignationis. Gratiæ & doni alicujus divini: D. Cyp. eodem utitur verbo.

Hoc ſigni erit ut ſolis. Ni cum Latinio deleas *ut ſolis*, non aliter hæc intelligenda videntur, quàm uti ſequitur: Hoc erit ſignum, quod malo hæ mulieres ſeſe inferunt, quòd ſolis petitoribus inter Ethnicos gratæ ſont, ut ſolis ejuſmodi mulieribus illi ipſi petitores placent.

Petitoribus. Procos inquiunt interpretes; ego quidvis aliod ſignificari magis putem. Nam quodpiam genus hominum infame denotare videtur, ut à Diabolo hæc matrimonia conciliata & compoſita ſuadeantur. At certè quid vetaret nuptias com Chriſtiano vel alio amatore & proco fieri? an Gladiatores intelligit? nam *petere* verbum eſt gladiatorium.

Qui tales non exhorreant. Infames omnes Chriſtianæ habebantur apud Gentiles. Erat enim vehemens opinio quæ per animos Gentilium pervaſerat, Chriſtianas poſt cœnas publicas & Agapas extinctis luminibus, promiſcuæ libidini ſervire.

A malo conciliatur. Procuratur, componitur.

CAPUT VIII.

N*Onne quique Domini*. Senatuſconſulto Claudiano cautum non erat ne ſervi extraneis jungerentur, ſed jure ſuo Domini impedire poterant, non ſolùm ne extraneis, ſed ne contubernia omnino inirer. Apud Plautum:

Sed utrùm nunc tu cælibem eſſe tu mavis liberum.
An maritum ſervum ætatem degere & gnatos tuos.
Opta hæc tua eſt, utram harum vis conditionem
accipe.

Tantùm non poterant patroni libertos ſeu manumiſſos jurejurando adigere ne nuberent, l. 6. ff. de jure patronatus.

Sit illa ex æquo. Nubat quantùm volet diviti & pauperem ſpernat, ex æquo forſan in cælis non erit cum illo paupere.

Et in ſtatu perſeverent. In quo ſtatu? fidei an communionis? Dixerat ſuprà eas arcendas eſſe ab omni communicatione fraternitatis ex Apoſtoli literis: quod hoc loco repetere videtur, atque in legibus humanis ad ſervitutem repetere licet eos qui extraneis nubunt, multò magis Chriſtianas coërcendas eſſe, qui ethnicis junguntur, & à communione ablegandas.

Vnde niſi à Diabolo maritum petant. Moris erat Epiſcopos, Preſbyteros, Viduas conſulere, atque ab iiſdem nubendi facultatem petere, ad quem alludere videtur.

Cinerariis peregrina pro. Qui ſint cinerarii & cinifiones ſatis interpretes explicuerunt, ſed addidit, *peregrinæ proceritatis*, quaſi exprobrans ejuſmodi mulieribus quòd ditioribus nubere velint, ut habeant ſervos quorum forma & proceritas grata & amabilis eſſe poſſit. Clemens Alexand. libro. tertio Pedagogi cap. 4. *Et qui mulierum quidem lecticas in altum tollant & pertinaciter eas ferant, multi Galli ſunt.*

Cenſum ſuum. Originem nonnunquam apud Authorem, ſed hoc loco gratiam & fidei pignus ſignificat.

In veſtis dotalibus. Dos eſt pecunia quam uxor affert marito, matrimonii nomine: Plautus in Aſina. *Argentum accepi dote, imperium vendidi.* Atque adeo dotalia ſunt ea quæ ad dotem mulieris pertinent, ita dotalis fundus qui ex dote emptus eſt, vel in quo dos aſſignatur: dotalia etiam dicuntur quæ in augmentum dotis veniunt. Author tamen hoc loco & de monogamia pro mariti bonis, vel quæ ad maritum pertinent, accepiſſe videtur. Nam hæc ad uxorem referri nequeunt, cùm ſenſus ſit Chriſtianum maritum pauperem non eſſe, ſive ditiorem multò Ethnico marito, ita D. Cyp. ep. 2. lib. 2. *Quem ille divitem fecerit, nemo pauperem facit.* Sed vult dicere, ni fallor, ei dotem uxoris credi poſſe cui Deus gratiam ſuam & ſpiritum ſuum conferre non dubitavit, atque eam mulierem dotem ſuam non amiſſuram quæ pauperi Chriſtiano jungitur, quamvis fundo careat, qui in reſtitutionem dotis vendi poſſit.

CAPUT IX.

Q*Vod Eccleſia conciliat*. Conciliare hoc loco ſignificat componere, ſuadere, probare, non benedicere. Prorſus & eodem modo accipiendum atque cùm ait, *à malo conciliatur, à Domino damnatur*. Eccleſiæ quoque nomine viduas, opinor, ſacerdotes intelligit, in quibus alibi ait Eccleſiam conſiſtere, *non Eccleſia numerus Epiſcoporum*, lib. 1. ad Uxor. *tota Eccleſia candida de ſanctitate deſcribitur* (quas alias ſignificationes idem nomen accipiat dicemus pluribus.) Ait igitur primam felicis matrimonii eam eſſe conditionem, ſi à ſacerdotibus & viduis probetur & concilietur. Nupturæ enim antequam fidem obſtringerent, ſacerdotes & viduas conſulebant ne imprudenter hæretico, Judæo, aut cuipiam Apoſtatæ implicarentur. Cæterùm quid ex loco in clandeſtina matrimonia ſuſpicari poſſunt? quamobrem quæſo hodie in ſenatu à Patronis hæc in eaſdem nuptias ſæpiſſimè torquentur? Nam clandeſtinæ ſunt, quæ ſine teſtibus tranſiguntur, de quibus nulla hic mentio: ſed beatiores eas habet, quæ cum fideli ejuſdemque ſectæ fiunt marito.

Confirmat oblatio. Junius has felicitates infeliciter exponit, & præſertim cùm hanc ſecundam ait eſſe, cùm ſe novi conjuges offerunt & ſiſtunt in Eccleſia, conſenſum ſuum teſtantes & communibus precibus Eccleſiæ Dei benedici poſtulantes: quæ omnia ita adornavit, ut hujuſce vim verbi *oblatio* eluderet: quaſi quiſquam unquam ita locutus eſſet. Sed cùm tria potiſſimùm apud Patres oblationis nomine intelligantur, ea quæ in ſacerdotum victum offeruntur: ſacrificium Miſſæ: poſtremò quando in eiſdem Miſſæ ſacris pro aliquo atque in ejus commendationem Deo ſupplicarent. D. Cypr. *nomen ejus offertur*: & de illa prima acceptione abs re eſſet inquirere. Supereſt ut horum aliqua conveniat: unde facilè obtine-

bis, matrimonia olim in Eccleſia & Euchariſtiæ ſacris celebrata fuiſſe.

Obſignatum. Non ait obſignari matrimonium per Angelos, ſed obſignatum per eoſdem renunciari, ut ſit argumento priùs in Eccleſia idipſum obſignari: ſed quid ſit obſignare matrimonium, aut à quo tandem, aut quomodo id fiebat, non parum intereſt enucleare, ſi paulo latiùs de hujus ſignificatione velis inquirere. Res ea obſignari dicebatur, quæ clauderetur, notaretur & perficeretur pia aliqua actione aut ritu religionis, ita orationem oſculo abſignari ait de Orati. *quod eſt ſignaculum orationis:* quia ſcilicet orationis & mutuæ charitatis conjunctio plus certè haberet ponderis & meriti: Euſeb. aut interpres lib. 5. cap. 3. confeſſionem ipſo martyrio obſignari ait. de Idolo. *Deos ipſos hoc nomine obſignas.* Verùm ſi ad ſacramenta transferatur, quantùm ex hujuſce Aothoris conſuetudine aſſequi potui, ſacerdotis benedictio, aut ſacramenti ratio & natura intelligitur: de pœnitentia agens *per pœnitentia ſubſignationem ante componeret.* Idem de Baptiſmo: *quam fides impetrat obſignata in Patre, Filio & Spiritu ſancto.* ibidem, *quanto magis habemus per benedictionem eoſdem arbitros fidei.* ibidem, *manus imponitur per benedictionem.* de Idololatria: *poſt fidem obſignatam*, id eſt, poſt baptiſmum eodem modo matrimonium habebis ſacerdotis benedictione obſignatum. de Monogamia, *aut junctos in eadem carne conjunctionem ſignavit.*

Angeli renuntiant. Chriſtianorum ſacris Angelos intereſſe docet manifeſtè lib. de Orati. *Angelo adhuc orationis adſtante.* quare cùm dicat per Angelos matrimonium obſignatum renunciari, in iiſdem ſacris id fieri & obſignari videtur inſinuare. *Nulla ſpiritus carniſve diſcretio*, magis continentes Chriſtiani & datæ fidei memores.

Simul volutantur. Cùm grave & adverſum aliquid immineret, non ſolùm expanſis manibus, ſed prona etiam in terram facie Deo ſupplicabant.

Alternitro dicentes. Alternis pſallentes.

In anguſtiis. Vel perſecutionum vel jejuniorum tempora intelligit.

In refrigeriis. Diebus quibus Eccleſia exultabat, & à jejuniis & preſſuris vacabat.

Sacrificia ſine ſcrupulo. Patiantur me liberè dicere hæc ad ſacrificium Miſſæ non pertinere; ſed his intelligi ea quæ in Eccleſia ſive in pauperum, ſive in ſacerdotum alimenta offerebantur. Cùm enim uxores ſine conſenſu virorum bona non poſſint erogare, ait maritatam Chriſtiano, ſine ſcrupulo liberalem eſſe poſſe, quòd maritus id concedat.

Quotidiana diligentia. Diligentia eſt cùm nullum charitatis, officii, orationis, jejunii, pietatis munus aut tempus prætermittitur, & ſingulis Chriſtianæ fidei officiis ſedulò & patienter vacatur. Diligens enim dicebatur ea, quæ ſingula quæque Chriſtiani officia obiret, putà, pauperibus elargiri, ægrotantes viſitare, precibus intereſſe, prorſus nil pium aut humanum omittere aut reliquum facere: ita illud de fuga in Perſec. cap. 1. accipiendum, *in alterutra diligentia*, id eſt, omnia omnino ſanctitatis & ſobrietatis officia præſtare, amplecti & colere. Illis enim temporibus difficillimis nova ſemper oriebatur tempeſtas, quæ eos de ſalute ſollicitos multò magis habebat quàm rebus pacatis: quæ aliter accepit Rhenanus atque author dixerat, eadem oratione ait de præſc. *diligentia attonita.*

Non trepida gratulatio. Advenienti fratri & hoſpiti.

Non muta benedictio. Benedicere nonnonquam eſt bonis verbis amicum ſalutare, eique pacem & Chriſti gratiam optare: & certè conſuetudo erat & ritus apud priſcos illos hoc neceſſitudinis commercio mutuam charitatem & fraternitatem alere, ut idem ipſe author docet lib. de teſtimonio animæ, *etiam quòd penes Deum bonitatis & benignitatis omnis benedictio inter nos ſummum ſit diſciplinæ & converſationis ſacramentum, benedicat te Deus.* & de idololatria. Itaque ait eam hoſpitem habituram, qui ne Gentili Chriſtianæ fidei ſuſpicionem det, mutam benedictionem dabit.

Et mutuò provocant. Quia alternis cantabant.

NOTÆ IN LIBELLVM
DE PRÆSCRIPTIONIBVS.

CAPUT X.

ERo itaque nuſquam dum ubique convenior. Hæc mihi fiducia eſt, ut contendam antiquam Rhenani lectionem reſtituendam eſſe: *Et erit itaque nuſquam dum ubique convenio. quærite & invenietis, & velint ſic nuſquam quaſi qui nunquam apprehenderint illud quod Chriſtus inſtituit:* ſenſumque hunc eſſe. Dum tot ac tantis aſſentior *quærendum eſſe*, quærendi finem non faciam, quod maximè optant hæretici, uti quæram ſemper cum eis quaſi nondum repererim quod Chriſtus inſtituit, quod quæri, quod credere neceſſe eſt.

CAPUT XV.

A*Liundo ſcilicet loqui poſſent de rebus fidei niſi ex literis fidei.* Omnes hæc verba ita accipiunt, quaſi neget ex aliis litteris hæreticos fidem ſuam probare poſſe, quam ex utroque teſtamento. Mihi verò alia ſubiit cogitatio, nempe hæc eadem negativè poſita non eſſe, neque aliud quidquam his authorem intendere, quàm hæreticos nonnunquam etiam argumenta ex ſcripturis arceſſere, quamvis in probationem fidei ſuæ ex opinionis philoſophorum ſcripta ducere poſſint, ex quibus commenta ſua hauſerunt, uti probavit cap. 8. Ad confirmationem hujuſce explicationis quam tuemur referri poteſt, nullâ hæc interrogationis notâ ſcribi, quam qui ex diverſo interpretantur coguntur affingere; fateri tamen cogor legentis animos longè faciliùs occupare contrariam; ſed ſi quis authoris in dicendo acumen & ſolertiam repetat & ſibi proponat, eam adulteram eſſe deprehendet.

Si hæ ſunt vires eorum. Senſus eſt an his armis uti poſſint, ſive an ſcripturæ ſint arma eorum.

CAPUT XX.

S*Acramentum.* Plurimùm intereſt obſervare, non enim hanc vocem in Tertulliano referre intellectum, qui exprimitur ab interpretibus; pro regula enim fidei atque pro Chriſti mandatis & omnibus Chriſtianæ religionis ritibus & diſciplina,

non autem pro juramento ponitur: itaque ait omnes Eccleſias inter ſe communicare, & eodem jure uti; quia ſcilicet in ea fide durarunt, quæ ab Apoſtolis eſt tradita, quamque fideliter conſervatam poſteris tradiderunt.

CAPUT XXII. & XXIV.

EXplicanda ſunt etiam hæc verba Tertulliani: *tanti enim eſt illis non habere probationes eorum quæ defendunt, ne pariter admittantur traditiones eorum quæ mentiuntur*: quæ tam involuta ſunt, ut eorum ſententiam interpretes expiſcati non ſint. Ait igitur multa ab hæreticis doceri defendique, quæ tametſi veræ fidei conſentanea ſint, ad ea tamen ſtabilienda ſcripturæ authoritate & præſidio eos uti nolle, ne ſcilicet ex iiſdem ſcripturæ locis aut libellis eorum mendacia convellantur & in lucem exponantur: ita fieri ut libellum quo acta Apoſtolorum continentur, maximo cum commodo recuſent, (illud enim, *tanti*, hoc iſtic ſignificat) quia hoc uno Eccleſiæ origo & formatio, quam fatentur, demonſtrari poteſt. *Per traductiones* enim cave depravationes intelligas cum Rhenano, ſed *traductio* apud Tertullianum eſt illuſtratio, demonſtratio, detectio: nam apud eundem *traducere*, eſt in lucem exponere, aperire, detegere: ad Scapulam, *dæmones cottidie traducimus: traducta veritas* in lucem expoſita. De fuga in perſecutione cap. 12. *dum nolo traduci quod ſum confeſſus id eſſe quod nolo traduci*. hoc lib. cap 33. *nam & ſic faciliùs traducentur*, & pluribus poſſem ſi res majorem lucem deſideraret. Plerique etiam exiſtimant cum interpretibus, hiſce verbis, *doctrinam ſuperiorem*, ea intelligi debere quæ Apoſtoli ante Pauli adventum prædicarunt. Verùm ſi animadverterent ejuſmodi hæreticos non ſolùm Petri, verùm etiam Pauli cæterorumque Apoſtolorum doctrinam ſuſpectam habuiſſe, concederent mihi hæc de omni ea doctrina accipi debere quæ dicebant, *pleniorem poſtea ſupervenire poſſe*.

CAPUT XXIX.

TOt virtutes, tot chariſmata. Nulla hic de virtute aut charitate mentio, ſed de poteſtate edendi miracula, & Spiritus ſancti donis.

CAPUT XXX.

BEnedictus Eleutherus. Etiam dum viverent benedicti vocabantur. De pudicitia: *Benedictus Papa concionaris*. Hæc quoque breviter notanda videntur: *Pœnitentiam confeſſus*. id eſt, cùm publicè teſtatus eſſet ſe pœnitere, *ſi cæteros quoque quos perditioni erudiiſſet, Eccleſiæ reſtitueret*. Faciliùs in Eccleſiam hæretici quàm peccatores revocabantur; verùm hæreſiarchæ non aliter pace donabantur, quàm ſi cæteros quos corruperant Eccleſiæ reddere niterentur. D. Cyp. ep. ad Antoni. de Trophymo. Euſebius lib 6. cap. 35.

CAPUT XXXII.

CEnſus ſuos deferunt, ait Tertullianus cap. 32. hujuſce libelli. Interpretes per *cenſus*, authoritatem atque dignitatem intelligendam eſſe cenſent: ego verò originem ſignificari, ut ex variis locis & hiſce verbis, *omne genus ad originem ſuam cenſeatur*, licet colligere adverſus Marcion. lib. 4. cap. 5. *quarum ſi cenſum requiras*. Similiter ab horum ſententia longè recedunt, *ſcilicet ob diverſitatem Sacramenti*, cùm aiunt per ſacramentum intelligi juramentum quod fideles paulò antequam lavarentur in limine Eccleſiæ dicerent. Nam ſacramentum ſexcentis penè locis pro fide ac religione Chriſtiana accipitur, uti docuimus capite 20.

CAPUT XXXVI. & XXXVII.

NIſi fallor interpretes quoquot hæc verba notarunt, *unde authoritas vobis quoque præſto eſt*, à vera & legitima eorum ſententia aberrant. Nam quid attinet afferre Romanæ Eccleſiæ authoritatem & poteſtatem Africanis præſto ſemper eſſe? quid quæſo ad ejus propoſitum & capitis argumentum dicere S. Pontificem poteſtate & authoritate plurimùm in Africa valere? hoc enim multi ex hoc loco eruere conantur, ſed ex cap. hujuſce lib. 20. & 32. & 5. l. 4. adverſus Mar. explicari debent, ubi ait omnes omnino Eccleſias ab aliquo Apoſtolorum inſtitutas eſſe, atque eorum aliquem authorem habere, putà omnes Aſiæ Eccleſias à D. Joanne originem ſuam trahere; quòd multæ ſcilicet, aut ab eo, aut ab eis quas inſtituerat fidem & doctrinam hauſerint: quemadmodum etiam Achaiæ à B. Paulo, qui Corinthiorũ poſuit Eccleſiam, à qua cæteræ ejuſdem provinciæ propagatæ ſunt: eodem prorſus ſẽſu ait hoc loco Africæ Eccleſias à Romana inſtitutionem & originem habere, & præſto poſſe probare ſe à Romana genitas eſſe, ſive omnem diſciplinam & fidem ſuam ab Eccleſiæ Romanæ inſtitutis & præceptis profectam eſſe: de Teſtimonio animæ cap. 5. *ex qua cenſetur authoritas animæ*, ex cujus inſtitutione id omne quod anima teſtatur procedit: hoc lib. cap. 30. *Cupio oſtendant mihi ex qua authoritate prodierunt*, id eſt edant origines Eccleſiarum ſuarum, doceant à quo tandem Apoſtolo aut Apoſtolica Eccleſia inſtituti ſunt & fidem ſuam acceperunt: ut enim hoc libro, Author genitorem & parentem ſignificat, ita *authoritatem*, originem crederem ſignificare, lib. 4. adverſus Marc. cap. 5. *Denique ut cum authoribus*, id eſt, cum iis qui ſunt propagatores ac genitores diſciplinæ Chriſtianæ, *habemus & Joannis alumnas Eccleſias, nam etſi Apocalypſim ejus Marcion reſpuit, ordo tamen Epiſcoporum ad originem recenſus in Joanne ſtabit authore*: ubi *author* ſignificat, genitor: ibidem *ſic & cæterarum generoſitas*, vides generoſitatem, authoritatem, cenſum, pro origine uſurpari: ibidem *eadem authoritas Eccleſiarum*, id eſt, originem ab Apoſtolis. Accedit, ſi aliorum explicationem ſequaris, atque ex ea S. Pontificem in Africa poteſtate plurimùm valuiſſe velis deducere, hanc acceptionem neque cum ſuperioribus, neque cum capitis ſenſu cohærere aut ullo modo convenire poſſe. Sed de papavere fici non erit otioſum aliquid dicere, illa enim infinita grana quæ in aperta & explicata ficu micare videntur, exiſtimatim ita eſſe appellata à Tertulliano. ſimilitudine eorum quæ in papaverum capitibus, eorumque alveis inveniuntur.

Ego ſum hæres Apoſtolorum ſicut caverunt teſtamento, ſicut fidei commiſerunt, ſicut adjuraverunt, ita teneo. Ideo, qui fidei commiſſa relinquebant ab hæredibus præſtanda, eoſdem hæredes adjurabant, ut ea præſtarent, quod erat enixæ voluntatis, ut loquitur Papinianus in l. *cum pater* 77. §. *filius*. 25. ff. de legat. 2. Calliſtratus in l. 3. ff. de jure fiſci: *Vos rogo ut in eo quod à vobis petit fidem præſtetis, perque Deum uti faciatis rogo*. Eleganter certè vocat verbum Dei non ſcriptum fideicommiſſum. *Quid cum Africanis quoque Eccleſiis conteſſerarit*. Conteſſerare, ni fallor, eſt teſſeram & ſymbolum conferre, atque convenientem & ſimilem exponere. Ait igitur Africæ & Aſiæ Eccleſias Apoſtolicas eſſe, quia ſi eorum teſſeras, id eſt fidem & doctrinam conferas, reperies Africam eadem prorſus de fide ſentire atque Aſia, quæ ab Apoſtolo Joanne firmata fuit. Africa enim cum D. Joanne utroque utitur teſtamento, unum

Creatorem & unam carnem Chriſti affirmat, quę omnia Marcion negando & reſpuendo, ſi teſſeram velit conferre, diſſimilem omnino & adulteram Apoſtolicarum Eccleſiarum habere deprehendetur. De Marcionis autem hæreſi potiſſimùm loquutus eſt, quia tunc tempeſtatis ea maximè vigebat in Africa.

CAPUT XL.

ET *ſanctorum Chriſtianorum* Horum ſenſus ex his quæ in cap. 44. ſequuntur hauriendus eſt, *Dominicarum & Apoſtolicarum ſcripturarum:* Apoſtolorum epiſtolas & acta, vocat inſtrumenta ſanctorum Chriſtianorum.

CAPUT XLI.

P*Ariter adeunt, pariter audiunt, pariter orant.* Res poſceret, ut de diverſis Catechumenorum ordinibus diſſereremus, ex quibus plurimùm lucis his accederet. Sed longiùs excundum eſſet & in rem ſatis vulgatam, quæ legentium memoriam onerando explicationis gratiam corrumperet. Permiſti non ſedebant in Eccleſia Catechumeni cum cæteris fidelibus, neque mulieres cum viris aut laici cum Eccleſiaſticis, ſed unicuique eorum locus ſeorſim erat aſſignatus, quem deſerere aut mutare nefas eſſet. Incuſat igitur hæreticos quòd nulla ſexus, nullave ſtatus aut diſciplinæ habita ratione, promiſcuè ſtarent & ſederent in Eccleſia.

Rurſus conqueritur quòd *pariter audiant:* tanta arte tantaque ſolertia animos Catechumenorum tractabant, ut paulatim eos accreſcere & ad frugem venire ſinerent: neque enim, ubi primum veſtibulum religionis eſſent ingreſſi, cum cæteris Catechumenis jam edoctis in Eccleſiam recipiebantur; ſed domi atque inter privatos parietes tenuioribus alebantur præceptis, quibus firmati cum cęteris tandem in Eccleſia primis concionibus, quæ in gratiam Catechumenorum habebantur, intererant, quibus peractis rurſus omnes iidem ipſi Catechumeni ex templo diſcedere jubebantur, ne ſcilicet divina myſteria rudium conſcientiâ polluerentur, atque etiam uti faciliùs & liberiùs initiati de myſteriis & ſacris conciones perciperent: hunc ordinem atque diſciplinam apud hæreticos minimè ſervari monet Tertullianus.

Denique eiſdem vitio dat, quòd à ſuis ſacris atque orationibus quæ in iiſdem ſacris fierent (quę prima erat apud orthodoxos cura) non arcerentur Catechumeni; itaque ea tria *adire, audire, orare*, ad Catechumenos potiſſimùm pertinere manifeſtum eſt.

CAPUT XLI.

S*Anctum canibus.* Nec iſta quidem à nobis negligenter tranſibuntur, quibus Euchariſtiam exiſtimamus intelligi de qua libro de ſpectaculis ita loquitur, cap. 25. *ex ore quo amen in ſanctum protuleris,* nec illa quoque quæ explicentur indigna ſunt, *ſimplicitatem volunt eſſe proſtrationem diſciplinæ, cujus penes nos curam & lenocinium vocant.* Aliter enim ſunt exponenda quàm ab interpretibus fieri ſentio: aiunt hæretici ſe bona fide & ſimpliciter agere cùm nullo diſcrimine nullave religione de fidei arcanis cum omnibus communicant, quòd ſcilicet Chriſtianæ diſciplinæ ſimplicitas & candor non ferat quemquam à myſteriis arceri: contra verò circulatoriæ artis eſſe ea occulta atque incognita habere & ſolis initiatis eadem aperire. Nam *ſimplex* & *ſimplicitas*, eo ſenſu ab authore uſurpantur, eoſque ſimplices vocat qui nihil reticent, atque quæ ſciunt bona fide & ſimpliciter exponunt, cap. 22. *Solent dicere non omnia*

A *Apoſtolos ſciſſe, eadem agitati dementia qua rurſus convertunt, omnia quidem Apoſtolos ſciſſe, ſed non omnia omnibus tradidiſſe; in utroque Chriſtum reprehenſioni ſubjicientes, qui aut minùs inſtructos aut parum ſimplices Apoſtolos miſerit.* ex quibus ſatis ni fallor conſtabit *parum ſimplex*, nihil aliud eſſe quàm aliquid reticere. Eodem planè ſenſu cap. 27. *Ne forte Apoſtoli quidem ſimpliciter & plenè.* D. Cypr. epiſt. 5. lib. 3. Quæ proximè ſequuntur, *pacem quoque paſſim cum omnibus miſcent*, cum omnibus hęreticis ſcilicet: quæ enim ſubjunguntur eò inclinare videntur: *nihil enim intereſt illis, licet diverſa tractantibus, dum ad unius veritatis expugnationem conſpirent.*

Exorciſmos agere. Varia erant exorciſmorum B genera apud antiquos, quę ſigillatim enarrare infra officium noſtrum eſſet: ſatis erit ſi moneamus, de iis qui in Baptiſmo adhibebantur authorem non loqui, cùm pauló poſt dicat *forſitan & tingere* & baptiſandi authoritatem eas ſibi arrogare.

Nunc ſeculo obſtrictos. Eos intelligit qui pręfectura aliqua inter Gentiles fungebantur: plerique enim Chriſtianorum dignitatem aliquam aut militiæ gradum adepti eorum honorum munia nihilominus obibant, quos Eccleſiæ honoribus ordinare æquum non videbatur.

Inconſtantes. Omnes Eccleſiaſtici, cujuſcunque tandem eſſent ordinis, certis locis erant addicti, neque fiebant Epiſcopi aut ſacerdotes, honoris C aut vivendi gratiâ, ſed pro loci aut populi neceſſitate & uſu ordinabantur: quibus uti non licebat aliò convolare & ſedes mutare; ita neque ab officiis ex eo loco, ubi ordinati & addicti erant, ſine cauſa amoveri poterant: ſed apud hæreticos pro arbitrio ſedes mutabant, & ut dicit, alius hodie Epiſcopus, cras alius.

Nam & laicis ſacerdotalia munera. Sacerdotis nomine plerumque intelliguntur Epiſcopi: quare hoc loco ut paucis concludat hæreticos laicis Eccleſiaſtica munia concedere, ait eos Epiſcoporum munera laicis injungere, neque ut ait bonus Pamelius, *per ſacerdotalia munera* ordinationes, ſed ordinatorum officium intelligit: quapropter ubi dixit eos temerè neophytos & ſe- D culo obſtrictos ordinare, mox ut rem graviorem faciat, addit eos etiam non ordinatis & laicis Epiſcoporum munera impartiri.

CAPUT XLII.

D*E verbi adminiſtratione.* De verbi adminiſtratione, quæ in Eccleſiis fiebat, non exiſtimarim eum loqui, cùm ab ea Gentiles arcerentur, verùm de ea quæ domi aut alibi familiariter habebatur. Nihil enim Chriſtianis majori erat curæ, quàm gentilibus, Chriſti pręcepta ſeoſim obtrudere, ut eos ad fidem traherent: hoc vocat Tertullianus *verbi adminiſtrationem:* & meritò ſanè. nam nunquam utiliùs adminiſtratur, quàm cùm facimus quòd dixit Chriſtus, *Ite, docete* E *omnes gentes.*

Accuſationem eloqui non habent. Gentilium mores & religionem, uti modò diximus, ex Evangelii præceptis refutabant Chriſtiani. Quare ait hæreticos non tam contra Ethnicos ex lege Chriſti, quàm adverſus orthodoxos diſputare: de Gentilium accuſatione qui hæc non accipiunt, cum Authore non videntur conſentire: nam vult Author dicere Marcionitas non accuſare neque carpere Gentiles eorumque mores & idololatriam, ſed ſtudium ſuum & operam in eo collocare, ut orthodoxos ſubvertant.

Orba fide. Fidei ſuæ Authorem non habent.

CAPUT XLIII.

Quærite & invenietis. Uſque adeo hujuſce præcepti meminerunt, ut iu magis arcaua penetrare nihil dubitent, ut ubique quærant ſi aliquid invenire poſſint.

Doctrina index diſciplinæ. Diſciplina in hoc authore ſemper pro rebus fidei, Sacramentis, aut eorum oſu, ritibus & ceremoniis cæteriſque quæ ex præceptis Chriſti obſervamus; nonnunquam etiam pro ipſamet fide, uſurpatur.

De his etiam verbis, *Diligentia attonita & cura ſollicita,* & cæteris dubitari video, ſed de diligentia pluribus diximus iu ootationibus ad librum 2. ad uxorem: ſupereſt ut de cæteris verbis notionem aliquam ioformemus.

Adlectio verò clericorum eſt ordinatio. Author cap. 20. *Lateri ſuo adlegerat.* de exhortat. ad caſtit. *per quæ presbyteri adlegantur, quomodo erunt preſbyteri qui de laicis adleguntur?* De Idolo. cap 7. *adleguntur in ordinem eccleſiaſticum*, quam adlectionem exploratam ait eſſe debere: illis videlicet temporibus ita eccleſiam adminiſtrabant, ut nullus in clerum adſumeretur, quin totius plebis conſenſu & probatione dignos eo honore cenſeretur, atque in iis moribus inſtructus eſſet, ut eam ſuſtinere poſſet dignitatem. D. Cypr. de Aurelii ordinatione. *In ordinationibus clericis ſolemus ante nos conſulere, & mores ac merita ſingulorum communi conſilio ponderare.* Sed diſcrimen inter adlectionem & promotionem hoc loco poſitum eſſe puto, quòd illam pro prima clericorum ordinatione poſuerit, hanc verò cùm quis ad ampliorem ſtatum, Epiſcopatus putà, aut preſbyteratus, evehitur. D. Cypr. de Nuondico: *Et promovebitur quidem cùm Deus permiſerit, ad ampliorem gradum religionis ſuæ.* Quapropter promotionem laudat quæ eos eligit qui virtutibus aliquam ſibi pepererant exiſtimationem.

Quod dicit oon niſi conſultò commuoicare oportere, ad aliud quidpiam quàm ad Euchariſtiam, referendum puto. Nam non ſolùm Euchariſtiâ communicabant, ſed moribus, ſententiis & doctrina. Certè legimus cùm nova alicubi orta eſſet controverſia, ad alias mox Eccleſias aothores cootentionis confugiſſe, ut incautos in ſuam ſi poſſent ſenteotiam traherent, & eſſent cum quibus pacem ac communionem ſe habere jactarent: ob hanc cauſam non oiſi magna cum deliberatione quempiam in ſocietatem & communionem Eccleſiarum venire patiebantur, hoc eſt quod ait de ſpectac. cap. 29. *Societates Eccleſiarum defende.* & hoc libro capite 32. *nec recipiuntur in pacem & communicationem ab Eccleſiis quoque modò Apoſtolicis.*

Ait igitur diu multumque Orthodoxos deliberare, quorum ſententiis ſubſcribere, quoſve in ſocietatem ejuſdem Ecleſiæ & corporis recipere debeant a contrà verò hæreticos nullo diſcrimine cum omnibus hæreticis pacem miſcere: denique addit clericos cultu & habitu quammaximè devoto & humili apparere, atque Epiſcopis audicotes eſſe debere.

CAPUT XLIV.

Agnoſcunt ſuam potius culpam. Removenda eſt illa particula *quàm*, & cum Rhenano legendum, *Agnoſcunt ſuam potius culpam & ſuorum qui nos non ante præſtruxerunt.* Enimvero cùm eſt in verbis aliqua difficultas, priùs intuendum eſt quid author ſibi propoſuerit dicere, quàm quidquam emendemus: toto hoc capite ludit Tertullianus, atque per jocum ait hæreticos de fide ſua, hanc ſcilicet rationem reddituros, quòd à Chriſto ejuſque Apoſtolis nihil eſſet de futuris hæreſibus prædictum, quorum ſi fortè præceptis & monitus muniti atque inſtructi fuiſſent, ab eis nullo negotio receſſiſſent: itaque *ſuam & ſuorum* pro *ejus*, ſolito loquendi more, poſuit.

NOTÆ IN LIBRVM
DE PUDICITIA.

PRÆFATIO.

Priuſquam notas in hunc libellum expedio, pauca lectori quaſi ſubſidio prœmittĕda ſunt, quibus, in hoc ipſo libello, quod cootinetur, quodque tam manifeſtè docere videtur Tertullianus, pacem videlicet mortuis in omne tempus eſſe negandam, cujuſmodi ſit, aut quomodo accipiendum, intelligere poſſit: atque ut ipſa veritas tot controverſiis implicata, tot ac tantorum virorum, qui hoc ſeculo ſcripſerunt, opinionibus debilitata, aperta taodem & libera, ante oculos conſiſtat. Primum itaque eſt inveſtigandum, quæ peccata pœoitentiâ functis ea tempeſtate Eccleſia condonaret, quæque divinæ miſericordiæ, ni fato peccatores urgerentur, relinqueret: deinde quomodo ob varias & graves cauſas ex Epiſcoporum ſententia & authoritate de hac ſenſim ſeveritate remiſerit, & paulò mitiùs peccatores habuerit, diſciplinamque conſultò relaxarit. Denique quæ ſit hoc in libello Authoris ſententia quidve agat: an neget authoritatem graviora peccata condonandi ad ſummum Pontificem, an potius ad Eccleſiam pertinere, doceatque ſolis Apoſtolis, & Apoſtolicis viris id juris coonceſſum.

Tertullianus trifariam dividit peccata; in ea quæ remitti poſſunt, in ea quæ remitti non poſſunt, & in monſtra. Eorum quæ coodonari poſſunt affert hæc exempla. *Perit igitur fidelis elapſus in ſpectaculum quadrigarii furoris & gladiatorii & ſcanicæ fœditatis. Xyſtica vanitatis in luſus, in convivia ſecularis ſolemnitatis, in officium, in myſterium alienæ idololatriæ aliquas artes adhibuit curioſitatis, in verbum ancipites negotiationis impegit.* & alibi, *quòd ſint quædam delicta quotidianæ incurſionis, quibus omnes ſimus obiecti; cui enim non accidit, aut iraſci iniquè & ultra ſolis occaſum, aut & manum immittere, aut & facilè maledicere, aut temerè iurare, aut fidem pacti deſtruere, aut verecundia aut neceſſitate mentiri in negotiis, in officiis, in quæſtu, in victu, in viſu, in auditu, quanta tentamur, ut ſi nulla ſit venia iſtorum, nemini ſalus competat.* Eorum quæ citra veniam erant, aot quæ non ita facilè eam conſequerentur, definitio & exempla mox ſequuntur: *Sunt autem & contraria iſtis ut graviora & exitioſa quæ veniam non capiant, homicidium, idololatria, fraus, negatio, blaſphemia utique, & mœchia, & fornicatio, & ſi qua alia violatio Templi Dei.* De porteotoſis in hunc modum loquitur: *Reliquas autem libidinum furias impias & in corpora & in ſexus ultra jura naturæ, non modò limine, verùm omni Eccleſiæ tecto ſubmovemus, quia non ſunt delicta, ſed monſtra.*

Gab. Albaſpin. Notæ in quædam Tertull. loca.

Eadem peccatorum genera agnoſcere videtur Divus Cyprianus, ait enim epiſt. 10 *in minoribus delictis*, epiſtola 47. *in omnibus delictis quæ non in Deum committuntur*: de lapſis *ſalutarem medelam parvis licet & modicis vulneribus exqui-*

runt: quę de primi generis, uti quæ eadem epiſtola habentur, *quanto magis in his graviſſimis & extremis delictis*, de ſecundi peccatis intelligenda ſunt. Ea omnia cujoſcunque tandem generis eſſent, baptiſmum inituris, primaque pœnitentia functis condonabaotur: ot patet ex lib. de Pœnitentia cap. 4. 6. 7. à Baptiſmo verò qui graviorum, ſecundique generis rei comperiebantur, non ſine lacrymis, multorumque annorum gravi & *plena* pœnitentia, pacem Eccleſiæ conſequebantur. Quin etiam Tertulliani ætate, non omnia ejuſdem generis, eadem facilitate purgabantur: nam alienum à diſciplina Chriſtiana pleriſque videbatur mœchis, vel poſt longam diuque tractam pœnitentiam, veniam atque pacem indulgere, ambigebaturque an in Eccleſiam reciperentur: quorſum enim edictum de mœchis recipiendis tuliſſet Zepherinus, ni res in incerto fuiſſet, dubitareturque an eis pax relaxanda foret? noone cauſam edicto dediſſe hoc videtur, quòd quædam Eccleſiæ iniquum cenſerent, eos in communionem admittere? quod tempore D. Cypriani in cauſa lapſorum factum legimus. His adde ex eodem Cypriano epiſt. 52. quoſdam Epiſcopos illius Provinciæ, non putaſſe pacem mœchis dandam eſſe (quod ad Tertulliani tempora pertinere videtur) & revera non dediſſe.

Sed aiunt Tertollianum hoc libello dixiſſe, *Adverſus mea quoque ſententia*. igitur mœchi in Eccleſiam poſt longam pœnitentiam admittebantur, atque ipſe Tertulliaous antequam ad eam ſectam tranſiret, exiſtimavit eis indulgendum eſſe: nequaquam propterea dimoveor à ſententia: nam negat hoc libro jus & authoritatem graviora delicta condonandi, pertinere ad Eccleſiam, cujus contrarium olim docuerat. Quapropter ait *adverſus mea quoque ſententia*. Sed rarò opinor ante hæc Zepherini tempora mœchum aliquem veniam ab Eccleſia impetraſſe reperies. Rurſus aiunt lib. de pœnitentia c. 8. Authorem adulteros & fornicatores ad ſecundam poenitentiam multorum exemplis invitaſſe, quod non feciſſet ni veniam poſt poenitentiam conſequi debuiſſent. Sed quæſo reſpondeant D. Cypriano, qui lapſos & idololatras ad poenitentiam invitat, quibus tamen pacem Eccleſiæ perpetuò negandam eſſe dixit aliquando, epiſt. 2. lib. 1. epiſt. 7. lib. 2. epiſt. 5. lib. 3. epiſt. 2. lib. 4. epiſt. 14. lib. 3. epiſt. 15 & 16. 19. 20. 23. ejuſdem libri, ex quibus manifeſtum fit D. Cyprianum, antequam de cauſa lapſorom habitum eſſet in Africa Concilium, ſtatuiſſe ne cum eis communicaretur, ni commendarentur à martyribus, & gravi ſimul morbo afficerentur: quod argumento eſt cæteros, qui non commendarentur & valerent, perpetua luxiſſe pœnitentia. Reſpondeant pręterea Canonibus 21. & 22. Concilii Ancyrani, Canonibus Conc. Eliberini & ſexcentis quos alibi fuſiùs explicaturi ſumos. Apoſtatę & deſertores Eccleſiæ à Tertulliano, D. Cypriano & reliquis illius ſeculi invitantur ad poenitentiam agendam, quos tameo idem ipſe D. Cypr. epiſtola ad Antonianum negat, etſi occiſi pro oomine Chriſti foris fuerint, ad Eccleſiæ pacem ſecundùm Apoſtolum admittendos eſſe. Porro tametſi ea ſemper fuerit Eccleſiæ ſententia, ut penes Epiſcopos authoritatem eſſe crederet, idololatris & homicidis condonandi; tamen uti mox oſtendemus, iidem ipſi niſi morbo graviori implicarentor, & metus eſſet ne mors ſequeretur, venia ſemper & communione primis illis ſeculis caruerunt. Mœchiæ igitur, vigente prima illa Chriſtianorum diſciplina, quibuſdam Eccleſiis, idololatriæ verò, penè omnibos (qoamvis ad id facinus vi atque tormentis impulſi eſſent) nollum tempus, aut ſupplicium veniæ redimendæ ſatis ſufficere videbatur: id manifeſtè ex hoc libro oſtenditur cap. 12. *Hinc eſt quòd neque idololatriæ neque ſanguini pax ab Eccleſiis redditur.* cap. 6. *Dabis ergo & idololatriæ & omni Apoſtatæ veniam.* cap. 5. *Idololatram & homicidam ſemel damnas, mœchum verò de medio excipis.* cap. 19. *Aut ſi ita eſt, ergo ab idololatria.* cap. ult. *Quæcunque authoritas, quæcunque ratio mœcho & fornicatori pacem Eccleſiaſticam reddit, eadem debebit & homicidæ & idololatræ pœnitentibus ſubvenire.* Et de Monog. cap. 15. Pamelius Authorem his locis, Orthodoxis imponere exiſtimat, qood oemini perſuaſerit, qui morum gravitatem, ingeniumque hominis in memoriam revocarit, neque veriſimile eſt pręcipua hujuſce libelli argumenta ex re manifeſtè falſa, perſtricta ſponte eum deduxiſſe: deinde ex ſequentium temporum hiſtoria, & quòd Romæ & Carthagini ſuper hac re habitum ſit Concilium, Corneliuſque & Cypriaous cum coepiſcopis decreverint, libellaticis pœnitentibus ſubveniendum, ſacrificatis verò noo niſi in exitu manus impooendas eſſe, apparet idololatras ad ea uſque tempora pace atque communione privatos fuiſſe. Cæterùm ſi ex diſciplina Eccleſiæ ſacrificati, facta poenitentia communicaſſeot cum cæteris fidelibus, quamobrem vitio dediſſent Cornelio nonnolli Epiſcopi, quòd cum thurificatis pacem miſcuiſſet? Monet præterea D. Cypr. Antonianum ſuperiorum temporum & Epiſcoporum exemplo, Eccleſię unitatem rumpendam non eſſe, etſi ſacrificatis pacem nolit concedere. Quod argumento eſt nonnullas Eccleſias in priori ſententia etiam poſt Concilia Carthagini habita, manſiſſe.

Cęterùm ſi cuipiam res incredibilis videatur, meminerit illis temporibus una atque altera exacta poenitentia, tertiæ locum non ſuperfuiſſe: peccatoreſqoe ab Eccleſia ſemper exolaſſe, ac ne vix quidem oiſi morientibus pacem eis conceſſam.

Verum enimverò pro temporum & rerum neceſſitate, hanc diſciplinam in mitiorem mutavit Eccleſia, & lenitatem cenſuræ, quamvis juſtæ prętulit: atque ut idololatris D. Cypriani temporibus, ità Tertulliani conveniens viſum fuit, mœchis ignoſcere & pacem proponere. Tanta enim neglecta diſciplina, & animis ad humana ſenſim inclinantibus, mœchorum & idololatrarum utraque tempeſtate erat multitudo, ut metus eſſet, ne jam nutantes, eodem, vel etiam ad deteriora laberentur, ſi de eis ſupplicium ſumptum foret, & omnis veniæ ſpes tolleretur.

Quid doceat hoc de Pudicitia libro Tertullianus, ex cap. 21. colligere licet: nempe Eccleſiam Epiſcopoſque (quos etiam præcipuè conſtituere ait) gravium solvendi delicta poteſtate carere. Verùm id juris ſoli Chriſto & Apoſtolis attributum, quo uti nemini fas eſſet, niſi qui miraculis (uti Montanus) hanc ſibi gratiam à Deo conceſſam eſſe, fidem feciſſet. Non æquum præterea eos facere (Orthodoxos ſcilicet) qui ea omnia quæ Chriſtus D. Petro dixerit, quæque indulſerit, ſibi & Eccleſiis ſuis arrogarent, quaſi hæc beneficia & prærogativæ non ei duntaxat, ſed etiam Eccleſiis quas peperiſſet, collatæ eſſent. Cæterùm Eccleſiam ſpiritus quæ eſſet in Patre, Filio, & Spiritu ſancto, maximè delictis veniam indulgere poſſe; ſed per ſpiritualem hominem, ut Montanum aut quempiam, qui chariſmatom donis excelleret, non aotem Eccleſiam quæ in oumero Epiſcoporum conſiſteret, qua quidem poteſtate uti nollet Montanus, ne cæteris ad delinqoendum aditus pateſieret. Quapropter hujuſce temporis hęretici immeritò inſinuant Tertullianum hoc de Pudicitia libro ſubſannare Pontificē maximum, nec eum Eccleſię caput agnoſcere, tum quòd ejus edictum aſpernetur & proſcindat, tum quòd apertè neget ei parem ac D. Petro attributam eſſe poteſtatem: cui videlicet uni Deus dixerit atque annuerit, quicquid ligaſſet, aut ſolviſſet in terris,

ligatum ſolutumque in cœlis, non autem ejus ſucceſſoribus, neque Zepherino qui ſedem illius premebat. Nam non uni duntaxat Romanæ Eccleſiæ Epiſcopo hanc authoritatem denegat, ſed toti Eccleſiæ; neque negat eum eſſe D. Petri ſucceſſorem in Eccleſię adminiſtratione & diſciplina, ſed negat ex hoc hęreditatis jure ad eum & Epiſcopos poteſtatem ſolvendi & ligandi perveniſſe; quia ſcilicet diſcrimen magnum exiſtimabat eſſe inter poteſtatem & diſciplinam ſive regimen Eccleſiæ.

CAPUT PRIMUM.

SI natura preſtruxerit. Quam Baptiſmo adepti ſumus: de ea enim hæc accipienda ſunt, quæ caſtos & pudicos nos generat.

Si cenſura compreſſerit. Si cenſuræ metu eam B obſervemus.

Quod ultimorum temporum ratio. D. Cypr. illiuſque temporis nonnulli, mundi exitum imminere ſemper clamitabant.

Ita exarmata ſunt jura. Ita cenſura flocci penditur.

Non ejus ratio, ſed moderatio, non eruditur pudicitia, ſed pudicitiæ imago, cùm iis qui eam violarunt, poſt Baptiſmum venia tribuatur.

Qui non minùs caſtus. Retinenda hęc lectio; ait enim jocando eos apud Orthodoxos, pro pudicis haberi, non qui perpetuam inviolatamque caſtitatem obſervant, ſed qui poſt Baptiſmum ad vomitum redeunt.

Cùm ſuo ſervitio. Cùm apud Gentiles legibus C coërcerentur impudici, paucique eſſent, qui ſponte pudicitiam obſervarent, ſervitutem eam vocat, non virtutem.

Niſi quod infelicior. Viderint Gentiles qui ex ea nullum fructum capere poſſunt.

Per judicia ex utroque teſtamento. En quibus legibus in peccata antiquitùs animadvertebant: in Conſtitutionibus quæ Clementi tribuuntur, monemur, *in judicando voluntatem divinam ſequi.*

Audio edictum. In Africam ergo penetrarat, quod Romæ S. Pontifex ſanxerat.

Peremptorium. Diu inter Chriſtianos certamen fuit, an poſt longam pœnitentiam adulteri in Eccleſiam reciperentur, ut D. Cypr. epiſtola ad Antonianum docet: qua de re poſt hoc edictum controverſiam in Eccleſia fuiſſe non legimus: itaque pe- D remptorium vocat hoc edictum, quod hujuſce rei litem dirimeret; in rebus dubiis, ſemper Eccleſia Romana præ cæteris conſulebatur.

Pontifex Maximus. Diſſentiunt inter ſe adverſarii: Junios de Romano Pontifice id dictum negat, contrarium omnino affirmat Mornæus, quod certè res ipſa ſuadere videtur. Quis enim Epiſcoporum, hoc nomen ſibi unquam adrogavit? at Romanus Pontifex Maximus appellabatur; cujus rei locupletiorem teſtem proferre non poſſem quàm D. Cyprianum Tertulliani popularem, eorumque temporum fermè æqualem: is enim eadem epiſtola ait Imperatorem ferre non potuiſſe, ut æmulam dignitatem Cornelius obtineret & de ſacerdotio quaſi contenderet, *quam conſtitui Romæ* E *æmulum ſacerdotem*: deinde urbis magnitudinem meretricumque impudica commercia denotare videtur, cùm de earum titulis mentionem facit: ex capite denique vigeſimo primo, manifeſtum fit D. Petri ſucceſſorem, eum alloqui.

Lib. de Myſt. Iniq. lib. de Euchar. pag. 1.

Epiſcopus Epiſcoporum. D. Cyprianus lib. 4. epiſt. 9. & in Concilio Carthaginenſi, eum Epiſcopum Epiſcoporum eſſe dicit qui de cæteris Epiſcopis judicare, eoſque à jure communionis, ſi quid alienum à fide ſenſerint, arcere poteſt, *Supereſt ut de hac ipſa re, quid ſinguli ſentiamus, proferamus, neminem judicantes aut à jure communionis aliquem ſi diverſum ſenſerit amoventes: neque enim quiſquam noſtrûm, Epiſcopum ſe eſſe Epiſcoporum* A *conſtituit, aut tyrannico terrore ad obſequendi neceſſitatem collegas ſuos adegit.* (ubi animadvertendum eſt Epiſcopum Epiſcoporum ſe conſtituere, & tyrannico terrore cæteros adigere diverſa eſſe; & ita à D. Cypr. dicta.) Quacunque igitur ratione ant mente de Romano Pontifice hæc dixerit Tertullianus, ſeriò vel per ludibrium, illis tamen temporibus penes eum poteſtatem fuiſſe de rebus fidei, judicia peremptoria ferre, & totius orbis Epiſcopos monere atque docere, quis non agnoſcit? eoque magis quòd unus Tertullianus jam hæreſi implicitus, de hac re cæteris Eccleſiæ Epiſcopis non reluctantibus conqueratur: nam de his rebus eum oppugnando conjecturam facit, ea tempeſtate id juris Romanis Epiſcopis conceſſum fuiſſe, eoſque re vera hanc poteſtatem exercuiſſe.

Gab. Albaſpin. Nota in quædam Tertull. loca.

Pœnitentia functis, longa diuque tracta pœnitentia, ut D. Cypr. verbis utar: cujus tempore cùm eadem de lapſis orta eſſet controverſia, placuit poſt longam, diuque tractam pœnitentiam eos ad Eccleſiam revocare.

Bonum factum. Non ſolùm boni ominis cauſa, edicta, hac inſcriptione notabantur: ſed etiam ut populus intelligeret magiſtratum, aut Imperatores de Republica ſollicitos eſſe, reſque utiles ſanctaſque ſtatuiſſe.

Liberalitas iſta. Veniam delictorum, liberalitatem vocat, quo nomine, donativa militum appellat? obliquè ſcilicet perſtringens ſummum Pontificem quòd prętet diſciplinam Eccleſiaſticam, aliquid novi ſtatueret, laxiúſque cum Chriſtianis agendum putaret.

Ejuſmodi pœnitentia. Vocatur edictum *pœnitentia*: quia ſcilicet longa, plenaque pœnitentia functos Eccleſiæ reddebat: quos antea ſatis conſtat, ut alibi docebimus, perpetuam egiſſe pœnitentiam; nihil enim hoc edicto ſtatutum eſt niſi quòd pœnitentiæ tempus imminutum & contractum eſt.

Sed hoc in Eccleſia legitur. Ex D. Cypriano manifeſtum fit litteras, quas ab aliis Eccleſiis acciperent, vel ſi quid de rebus fidei ſtatuere vellent, frequenti populo in Eccleſia id legiſſe, & ſententias dixiſſe, ad quem morem reſpicere videtur.

Qua ſancta carui. Senſus eſt virginem Eccleſiam ne quidem aurium maculas, id eſt hæreſes, paſſuram; multo minùs adulteria & corporis ſordes: Egeſippus apud Euſebium lib. 4. cap. 22. *Tunc Eccleſia virgo vocabatur: quia nondum fuerat adulterini verbi ſubreptione corrupta.* Et author de preſcr. *qui illam ſtupraverint adulterio, hæretico virginem traditam à Chriſto.*

Et ſi habueris non repromittit. Antiqui authores, uti D. Cypr. & Author conſtitutionum Clementis, vocant Eccleſiam hæreticorum, ſpeluncam latronum, neſcio an eodem reſpiciat.

Societatem. Communionem: habere enim ſocietatem cum aliis Eccleſiis is cenſebatur, qui in rebus fidei, ejuſdem cum eis erat ſententiæ. De ſpectaculis, *defendere ſocietates Eccleſiarum.*

Paternarum, Judaicarum.

Id volunt eripere quod vita anteponunt. D. Cyprianus de lapſis, *veniunt & ipſi geminata militia ſua gloria virgines*, ſcilicet, blanditiis, minis, muneribus pudicitiam virginum primùm adgrediebantur; omnibuſque modis eam ante fidem expugnare tentabant: ſed eleganter probat pudicitiam potiorem eſſe vita & corpore.

Incontinentia neceſſaria eſt. Vocat ſecundas nuptias incontinentiam.

Nec enim mœchia & for. Indulgenda ſunt modica delicta, quia modica ſunt, *& quotidianæ incurſionis*, ut ejus utar verbis, & quibus omnes ubique & ſemper objecti ſumus, neque quiſquam ita cavere poteſt, ut ea vitet. Simul etiam præcavenda, quia ſunt peccata, meliuſque eſſet in ea non incide-

re:ar de gravioribus non item hic eſt horum ſenſus.

Nobis autem. Ne adulterio tententur Orthodoxi, ſecundas ſaciunt nuptias, nobis verò magis cautum putamus, ſi eis poſt fidem renuntiemus, ſi modò nuptiæ veræ dicendæ ſint, quæ à fornicatione & adulterio non differunt.

Sed ideo duriſſimè. Ideſt, duram & enormem diſciplinæ noſtri paracleti rationem ſtatuimus, quòd eaſdem pœnas de mœchis & digamis ſumimus. Sed ridendo hæc dixit.

Jejunas patis lacrymas. Quia ut pacem Eccleſiæ obtinerent, lacrymis non parcebant, quas jejunas vocat, vel quòd pacem non eſſent relaturæ, vel quia in perpetua inedia vitam traherent pœnitentes.

Publicatione dedecoris. Quidam ſuſpicantur primis illis temporibus uſque adeo diſciplinam viguiſſe, ut nocentes peccata ſua interdum publicè fateri non recuſarent.

CAPUT II.

DEo adulantium. De jejuniis Deo adulandum eſſe ait: quod hoc loco in malam partem dicere videtur, quaſi Dei miſericordiam nimiùm extollerent, quò tutiùs in omni libidinum genere volutarentur.

Quaſi incerta. Quaſi incertum ſit pœnitentiæ ſubſidium: ſive quaſi incertum ſit ex ſcriptura, ob quas cauſas, vel an omnino agenda ſit: quare Junii correctio *in certa*, obſcurum aut nullum ſenſum parere videtur.

Alia caſtigationem. Caſtigatio genus eſt cenſuræ, quod lenius excommunicatione, minuſque grave fuiſſe comperio.

Alia damnationem. Alia perpetuam excommunicationem: qui enim ab Eccleſia perpetuò abeſſe jubebantur, damnati dicebantur; quare cave de damnatione æterna hæc accipias: canon Concilii Ancyrani eos hiemantes vocat.

Aut venia expungit aut pœna. Duobus modis ait peccata omnia deleri poſſe, *venia*, id eſt, abolitione & manuum impoſitione; *& pœna*, id eſt, perpetua pœnitentia, quam quidam ob graviora delicta producere cogebantur. Nam quamvis mœchis indulgendum eſſe neget; eoſdem tamen ubique fatetur perpetuis ſeſe ærumnis & moleſtiis apud Deum purgare poſſe: ex quo docet hoc loco pœnam peccata expungere: apud Deum ſcilicet.

Venia ex caſt. pœna ex dam. Venia conceditur exacta pœnitentia, & cùm quis pœnas ſibi decretas explevit: pœna autem non cenſetur pœna, niſi ſit perpetua, & qui judicio Eccleſiæ damnatus eſt, ætatem & vitam in perpetuis miſeriis ærumniſque tranſigat: alioquin à venia & caſtigatione non diſtingueretur.

CAPUT III.

SEd priùs decidam. Hoc caput ita inſcribendum opinor pœnitentiam non eſſe fruſtra, quamvis ab Eccleſia pacem, aut veniam, non obtineat.

Ad eam pœnitentia ſpeciem. Quæ perpetuò ob graviora delicta, ut homicidii & idololatriæ, ferebatur.

Meritò ita opponunt. Meritò hæc Chriſtianis perſuadent: quia peccatorum veniam in ſua poteſtate ſitam eſſe prætendunt.

Ad Dominum enim remiſſa. D. Cyp. *ad Dominum remittantur.* De ea hîc agitur pœnitentia, quæ ab Eccleſia non imponebatur, ſive quæ perpetuò duraret, de qua in Obſervationibus noſtris dicemus: vult enim Tertullianus mœchos hoc modo pœnitere.

A ſolo Deo exorat. Epiſcopis, Sacerdotibus, Diaconis, Martyribus, cæteriſque fratribus in li-

A mine Eccleſiæ pœnitentes ſupplicabant, ut pacem obtinerent: ad quem etiam ritum alludit.

Erubeſcere. Mavult pro foribus templi perpetuò ſtare, quàm ulteriùs in templum progredi, ac veniam impetrare.

Cæteros admonet. In Conſtit. Clem. habetur, pœnitentes exemplo ſuo cæteros monere, ne peccent; ideoque pœnitentiam cæteris fratribus utilem fore.

CAPUT IV.

AB omnibus. Rectè Latinius, *ab hominibus*; nam hoc ipſo libro oſtendere nititur graviora quæque delicta à ſolo Deo veniam expectare debere.

B *Turribus.* Ita legendum, non curribus: nam ſub fornicibus & antris proſtabant mulieres impudicæ.

Omne homicidium extra ſylvam latrocinium eſt. In ſylvis propriè latrocinia exercentur, latroneſque dicuntur qui ſpe prædæ vitam prætereuntibus eripiunt. Divus Cyprianus de zelo & livore, *in latrone conquieſcit ſcelus homicidio admiſſo.* & Author de anima.

Non prius apud Eccleſiam profeſſa. De benedictione nuptiali hæc accipienda ſunt, quam vocat alibi obſignationem matrimonii: ſed hæc ad decretum Concilii Tridentini facere quidquam non video.

Omni tecto Eccleſia. Ergo varia erant ejuſdem C templi tecta; ſub tecto enim quod erat ante Eccleſiam ſtabant pœnitentes, unde ait Author hæc monſtra amovenda eſſe: quod prætermittere nolui, ut intelligerent Adverſarii illis etiam temporibus non in areis ſolùm, cœmeteriis, aut alibi quocunque fors aut metus ſupplicii eos coëgerat, preces & ſacra feciſſe Chriſtianos; verùm etiam propria habuiſſe templa & in eum uſum extructa.

CAPUT V.

ETiam damnatione. Cùm ſorte, loco & ordine hæc conſociata reperiantur crimina, de omnibus idem ſupplicium ſumendum eſt, ac perpetuâ punienda ſunt pœnitentiâ.

D *Oneravit.* Ita legendum, non honoravit, nam ſenſus eſt, adulterii crimen gravius multò cenſendum eſſe, quòd homicidio præferatur, prius-que prohibeatur.

Quaſi vacantem locum, quod unum levius, aliud verò gravius ducatur, locum hunc medium, uni mœchiæ reſervarunt.

Vt ſolam. Frequenti eo utitur argomento: æquum non eſſe ſcilicet pro foribus relictis idololatris, mœchos in Eccleſiam revocare.

Ab idololatria metamur. Quantum opinor, in eadem pergit figura, atque idololatriam in prima acie, fornicationem autem in ſecundo agmine conſtitui, quod homicidium clauderet: metari enim paſſivè ſumitur, & nonnumquam diſponere

E ſignificat.

Illa diſti. conjungitur. Fornicatione videlicet, qua ſublata, homicidium idololatriæ jungeretur.

Emicanti adulamur. Supereminenti & tanquam audaciori applaudimus.

Sciunt luci mei & m. mo. Ignotum nulli credo Deorum Deaiumque ſacra, omni olim turpitudine & flagitio impiata fuiſſe.

Viva aqua. Splendidi fontes, quorum capita ſacra erant.

Quod adulteri conceptus. Innuptarum, ut opinor, conceptus adulteros vocat.

Etiam apud Chriſtianos. Cùm omne peccatum ad aliquam idololatriæ ſpeciem revocarent, mor-

taleſque peccando pereant, rectè ait mœchos his criminibus non vacare.

Si res voce leſiriunt. Tametſi hęc muta ſint, homicidium ſcilicet & idololatria, tamen quòd pro foribus unà cum mœchis poenitendo veniam idololatræ & homicidæ promererentur, ſatis monent iniquum eſſe huic uni parcere & mitiùs eam habere.

Noſtra eſſe. Noſtra eſſe dixit, quoniam Montaniſtarum diſciplina nullum ejuſmodi crimen remitteret.

Semel damnas. Perpetuà punis pœnitentià.

Perſona acceptio. Patres, & inter eos Author conſtitutionum ait perſonarum acceptionem eſſe, quando Epiſcopi favore aut gratia in judiciis pœnitentium (judicabant enim Epiſcopi de reditu pœnitentium) verſantur.

Miſerabiliores. Miſeria dignas & venia magis quàm mœchorum: ſępè apud Divum Cyprianum miſerabilis pœnitentia, id eſt, pœnitentia digna miſericordia.

CAPUT VI.

NE *in terga.* Ne ad antiquæ legis exempla.

Dabis ergo & idololatria. Manifeſtum hinc fit idololatras à Chriſtianorum cœtu relegatos fuiſſe, perpetuamque eis pœnitentiam fuiſſe conſtitutam.

Iam & inceſta donabit. Authorem hoc loco calumniari ait Pamelius, verùm immeritò, quin imò, monet eos ſi ab exemplis antiquæ legis diſciplinam Eccleſiæ inſtituere velint, inceſtis quoque ignoſcendum eſſe.

Luſeris ante Chriſtum. Fornicata ſit; de jejuniis cap. 6. *Inſum niſi impudicum non denotaſſet*: & capite ultimo *an qui, quum amitteret, luſit.*

Et lacta ſordes non labentes idonea. Faciliùs eſt conjecturam Junii reſpuere, quàm quidquam certius afferre: facilius quoque mentem Authoris capere, quam ejus verba aſſerere: tentamus tamen & legimus, *lactea ſordes non labentes idonea*: ait ſordes lacteas (alludens ſcilicet ad lacteum ficus humorem) quas Adam peccando & ſeſe tegendo contraxerat, quibuſque cæteros mortales infecit, idoneas fuiſſe ad peccandum: atque ob hanc cauſam & quòd Baptiſmo non delerentur, peccatores olim facilem delictorum ſuorum veniam inveniſſe: qui ſenſus confirmat ea quæ repoſuimus: adde ubi repetit quæ de Adamo dixerat atque carnem antiquæ legis (ut ita dicam) carni Chriſti, lignum ligno, flores frondibus, ſordes munditiis comparat & opponit, ait *ſordes priſtinas*: quod pro conjectura eſt eum antea *ſordes* dixiſſe: cauſam deinde habes cur *non labentes* ſcripſerit; ſequitur enim *adhuc aqua non laverant*, & quemadmodum virus, ita & ſordes inhęrebant. D. Greg. Nazian. vocat Catechumenum ficulneum, oratione 40. de Baptiſmo.

De priſtino excuſas. Exemplis veteris legis.

Non corpus. Ad calumniamne pertinet, ut vult Pamelius, dicere, ibi abundaſſe gratiam, ubi abundavit delictum? hoc enim ait Tertullianus, majoraque Chriſtianos conſecutos eſſe beneficia, quàm Judęos.

Habes etiam. Scilicet à D. Joanne.

CAPUT VII.

A *Parabolis.* Vehementer à ſententia Junii diſſideo, qui Orthodoxis exprobrari exiſtimat, quòd ex Ethnicorum uſu & moribus pictis calicibus uterentur: atque inde authorem probare de iiſdem ethnicis parabolas, non de Chriſtianis peccatoribus exponendas eſſe: ecquid non diſſentirem? cùm neque hoc capite, neque alibi hunc ri-

A tum aut damnet, aut à Gentilibus manaſſe dicat, quamvis de idololatria & corona militis, ſexcentiſque in locis, quicquid ad eorum mores accedere videretur, diligenter recenſeat. Sed ita ſit: cui non ſtatim ſuboleat, Orthodoxos igitur pictuṭas & calices habuiſſe?

Omiſſa ſpecie. Re omiſſa de qua erat mentio, cùm parabolam incœpit Chriſtus.

Sed de arca vel de armario. Reponuntur in armario cibaria, & ea quæ in uſum vitæ mactantur: quare ait Tertullianus, ſi ovem perditam Chriſtianum non Ethnicum faciant Orthodoxi, eam ab armario, non à grege aberraſſe, quòd nullus Chriſtianorum ab Eccleſia matre depelleretur, quin peccatis & fornicatione mortuus magis B quàm errabundus cenſeretur. Vel perſtringit Orthodoxos, atque armarium eos habere ait, non gregem, aut Eccleſiam, quòd mortuas pecudes cogant, recipiantque.

Sic etſi Ethnicorum reliquum numerum. Id eſt, quamvis ethnici cenſendi ſint, qui in grege centum ovium non annumerantur, non ideo tamen concedo per centum oves Chriſtianos intelligendos eſſe: nam agens cum Judęis, per ejuſmodi nonaginta novem oves ipſos Judeos deſignavit, & eos in parabola poſuit, non quales erant, ſed quales eſſe debuerant, juſtos ſcilicet.

Vnus error adſcribitur. Ut oſtendat Chriſtiano has parabolas non convenire, hoc utitur argumento: peccator Chriſtianus ſemel & iterum à C grege erravit: quapropter ſi de eo parabolam finxiſſet, Chriſtus duplicem errorem notaſſet.

Poſt fidem perd. Spiritus ſancti eorumque omnium quæ in Baptiſmo adepti eſſent Chriſtiani, jacturam pati peccando, majores illi ubique docent.

Accipitis negociationis. Ego fidem Ms. ſequendam eſſe cenſeo, & legendum, *Ancipitis negotiationis aut blaſphemia*: nam quod ait Pamelius inter remiſſibilia blaſphemiam ab Authore nunquam relatam, facile eſt diluere, ſi animadvertas varias blaſphemiæ, ut idololatriæ ſpecies apud Tertullianum fuiſſe, quarum pręcipuæ & capitales, verbi gratia, Chriſtum negare, aut perD jurio Dei nomen violare, inexpiabiles quidem; cęteras verò levioris notæ fuiſſe. Ita hoc libello idololatris negat indulgendum eſſe, quo tamen eoſdem venia dignos fatetur (nam apud Tertullianum idololatriæ crimen eſt, ſpectaculis intereſſe) quæ maximè inter ſe contraria nulla ratione compones, ni ſpecierum diſcrimen agnoſcas. Eum igitur miſericordia dignum ait Tertullianus, qui in ancipitis negotiationis aut blaſphemiæ verbum impegit: quod factum ſuſpicor, cùm quis ſcripto cavet, & jurat ſeſe mutuam Ethnico redditurum pecuniam, quamvis nullum proferat verbum; quia ſcilicet cum formula jurandi inter Ethnicos eſſet per Deos jurare, qui Ethnico fidem obſtrinxerat, eorum religione & numine id feciſſe E videbatur, per quos iidem Ethnici jurare conſueverant. Si lubet cum Junio & Latinio legere *negationis* (cùm apud Tertullianum negatio, blaſphemia, & idololatria eadem ſignificent) quamvis nulla id authoritate probent, de ea negationis ſpecie & blaſphemiæ quam diximus, rem intellige, non de pręcipua & prima, ut Junius docet.

Dedignatione caſtig. Caſtigabantur Chriſtiani & palam in Eccleſia monebantur, ſi quid mali fecerant, quod quidam indignè ferentes ab ea recedebant: hos igitur leviùs peccaſſe ait Tertullianus.

Pro ipſius drachme. Expondere illios monetæ parabolam de levioribus peccatis exponendam eſſe argumentatur.

Non lucernæ ſpiculo. Rectè emendatum *luminis:* Sed authoris ſententia his verbis latet, aiebat enim Epiſcoporum authoritati non conceſſum ot fornicatorum pœnam levare poſſent, eoſqoe Eccleſiæ teſtituere, verùm in uoius Chriſti poteſtate id eſſe, vel cotom qui mitaculis commendabantur: quate eleganter Chriſti aothoritatem, ſolis lanceam, Epiſcoporum verò lucernæ lominis ſpiculum voeat.

Simul apparuit. Pamelius hęc ad Montanom, aot eos qui pœnitentiam non amplecterentur, noo aotem ad pœnitentes ait pertinera: verùm non meminerat fornicatores, tam apud Montaniſtas, quàm Orthodoxos ab Eccleſia palàm pulſos ejectoſque fuiſſe, otrinque enim graves pœnas dabant ſed graviores apod illos, cùm nullo tempote nullaque pœna finiretot eorum poenitentia, atqoe adeo eleganter ac ingenioſè infert Tertullianus drachmæ patabolam mœchis competere non poſſe, cùm reperta mulierculæ & vicinis ſummum gaudium attuliſſet, fornicatores verò ſi detegantur, totius Eccleſiæ hilaritatem confunderent.

Commiſſa. i. e. h. n. Eò magis de Ethnico parabolas accipiendas, quò rationes ob quas Chriſtianum peccatorem intelligi aiunt Orthodoxi, fornicatoribus oullatenus convenire poſſint.

CAPUT VIII.

QVem in veſtibus purp. oculandis. Lomine & ſplendore qoi in purpura micat illuſtrandis & imbuendis: ſic ait de Pallio, *luminis conſilio,* eodem verbo, ſed ot oculos reddere ſignificaret, uſus eſt in Apolog. & de pœnit. Cęterùm hujuſce ſimilitudinis ſenſus is eſſe videtur: cùm duas veſtes eodem porputæ colote inficiendas quis locavit: accidit plerumqoe ut colores qui bene temperati videantur, diſſentiant, lanęque diverſum ſplendorem referant, pręſertim ſi ſolis aut oculorum fidem requiras.

Temperamenta colorum. Non naſcitor purpura, ſed ex variis rebus, variiſque modis comparatur, ut docet Vitruvius lib. 7. cap. 14. ideo ait temperamenta colotum: cùm enim multa miſceantur, pota lac & vaccinium (colores enim ad lanas inficiendas naturaliter, ut opinot, conficiebantur) ſi eorum rationem ſcitè noo habueris, facile eſt à legitimo temperamento abertare, atque diſſimiles componere.

Inter ſe amaſſ. Conveniſſe, ſimiles eſſe.

Erudito mox utroque cor. Tincta utraque lana & ad ſolem expoſita.

Niſi quòd clauſula. Niſi quòd impium eſſet Chriſtianos indignari de Judęorum ſalote: quæ in fine parabolæ habentur, clauſulam Parabolæ vocat.

Siquidem tota ſpes. An eò referendom, quod ab Aothote lib. de Spectaculis cap. olt. & eod. cap. lib. 3. adverſus Marc. & à Divo Hieronymo in Ezech. traditum eſt, Judæos expectaſſe de cœlo auteam Hietuſalem, aliaque non minùs pręclara ſibi promiſiſſe, in eaque Tertullianum fuiſſe ſententia? an de reſurrectione accipiendum; *reliquam* autem dixit quod fruſtrà Meſſiam expectarent?

Temperetur felicitas. Perſtat in eadem colorum methaphora: qoare nihil mutandum; felicitet enim colorum temperamenta inveoit, qui eximios & ſimiles compatavit.

Meminimus enim & h. Pantomimi & hiſtriones geſtus ſuos ad ſonum & numeros eorum quæ in ſcæna decantabantor, componebant, quamvis cantica ad aliud argumentum pertinerent. In Ariſtęneto epiſtola 26. lib. 1. *Va*-A *rias in se ſpecies vertis juxta ſonorum canticorum melos.*

Allegoricos geſtus. Quia aliud cantabatur, aliud ſaltabatur.

Non quò debent. Adde particulam, *&*, quæ ſubintelligi videtur, & is ſenſos conſtabit: quas volunt materias, parabolis fingunt, & qoas non debent rejiciunt: neque metaphora uſus eſt, neque, *quo ingenio*, intelligendum eſt, ut volunt interpretes: *excludo* enim ſimplici & ſolita ſua ſignificatione accipitur, alioquin idem repeteret, *Quo volunt tribuunt, & quo volunt excludunt*, & ita contrarii ſermonis venuſtas & gratia ſrigeret, niſi mavis ita legendum, *Quò volunt tribuunt, non quò debent. & aptiſſimè excludunt*, ubi meB taphoricè, *excludunt*, acciperetur.

Quorum & parabola videntur. De præſc. cap. 38. *Quoniam ad materiam ſuam cadem ſcripturarum fecit.* item, *quoniam non ad materiam ſcripturas, ſed materiam ad ſcripturas excogitavit.*

CAPUT IX.

NEc valde laboramus. Ne hoc argumento vehementiùs premeretur Tertullianus, (Ethnicum ſcilicet non aberraſſe à grege, ſed Chriſtianum fornicatorem) ait qui parabolis materias non quærunt, eas ita exponere non debere, ot ſingula quęque in eum conveniant quem parabola deſignat: ita vehementer ſe non C laborare, quid per gregem, aut centum oves, & decem drachmas intelligendum ſit, aut quòd ex ſua expoſitione non ita planè & commodè quęque explicentur atque in altera; curioſitatis hęc eſſe, & quæ ſi ad amuſſim expendantur, veritati plurimùm noceant indagandæ. Pleraque in ejuſmodi parabolis inſeri, quæ ſimpliciter & non ita accipienda ſunt, quaſi vim aliquam & pondus in eis habeant. Sed quidquid dicat, argumento ſatisfeciſſe non videtur.

Ethnicos fuiſſe publicanos. B. Hieron. epiſt. ad Damaſum, Pamelius hoc loco, Card. Baronius anno Chriſti 31. Caſaub. exercitat. pag. 303. Synopſis antiquitatum Hebraicarum cap. 5. de hac D te fusè diſſerunt.

Pompeii manu atque Luculli. De Pompeio res nota. Tacit. lib. 5. hiſtor. *Romanorum primus Cneius Pompeius domuit*, Cicero pro Flacco, pro lege Maoilia, Joſephus lib. 14. antiq. Judaicarum cap. 8. lib. 1. belli Jud. cap. 5. Egeſippos, quem ſuppoſititium prædicaot. Aorelius Victor in Veſpaſiano. Plinius lib. 7. cap. 26. Plutar. in vita ejuſdem Pompeii. Appianus de bello Mithrid. Ammianus Marcel. lib. 14. At de Lucullo ambigitur. Nam ſi Judæam primus domuit Pompeius, qoomodo qui priùs bellum in Syria pro Romanis geſſit, eam ſubegiſſe dicetur? Neque cuiquam, opinor, perſuadet Pamelios Lucullom E devictis Mithridate & Tigrane ſub Pompeio ſibi inſenſo, cuique exercitum invitus tradiderat, bello interfuiſſe Judaïco. Verùm cùm parta de Mithridate atqoe Tigrane victoria, cęteriſque in Syria pręclarè geſtis, illatum provinciarum Regibus terrori eſſet Lucullus, & ut ait Cicero pro lege Manilia, *Cùm vehemens opinio per animos gentium barbararum pervaſerat, fani locupletiſſimi & religioſſimi diripiendi cauſâ, in eas oras noſtrum exercitum eſſe deductum;* facilè crederem Judæos miſiſſe qui populi Romani amicitiam ab eo peterent, atque ut in eam reciperentor, tributum quod imperari poterat ſponte offerrent: niſi malis, cùm à Plutarcho referatur in Meſopotamiam eum penetraſſe & Chaldæos domuiſſe, Judæam qooque tentaſſe.

Licet in agina. Licet omni ex parte conveniant.

Idelolatra, blaſphemi, negatores. Idololatræ qui tormentis victi, idolis ſupplicatant. Blaſphemi, qui ſponte Chriſto maledicerent, ut ait Plinius ſecundus, & Hermes lib. 3. ſimil. 8. *nefandis verbis Dominum infeſtati.* Negatores, de libellaticis accipiendum, qui Chriſtianos ſe eſſe aut fuiſſe negarent. Hæc enim & ſimilia idololatriæ genera (quicquid dicat Pamelius) ante hæc tempora pace & venia niſi animam agerent, non donabantur, perpetuaque pœnitentia Deo ſatisfaciebant, uti fuſiùs dicendum erit.

Subſtantia Sacramenti. Cave hæc accipias de Baptiſmo, ut ait Pamelius; nam de fide & religione Chriſtiana dicta ſunt, cujus fundamentum corruere ait ſi cum idololatris mitiùs agatur, & ex parabola ſpes eis redeundi ſuperſit. Pauló altiùs dixerat ſtatum diſciplinæ ſubverti ea interpretatione.

Satisfacto redit. Antequam baptiſarentur Catechumeni, pœnitentiâ Deo ſatisfaciebant, quò alludit cùm ait, *ſatisfacto redit.*

Plus eſt igitur. Apoſtatæ convenit, æquè atque fornicatori, ideo Chriſtiano non competet.

Illa enim etiam Ethnicis relucet. De baptiſmo ejuſque ritibus hæc accipienda non ſunt, quæ Judæis & Ethnicis magis nota non erant quàm pœnitentium reconciliatio; ſed de prima converſione, & cùm quis ſe erudiendum tradebat, & Catechumenus fiebat.

Hac verò qua in ecc. ag. Non niſi in Eccleſia & coram omnibus fidelibus pœnitendo veniam impetrabant.

Et cætera delicta. Exploratum habeas ex hoc loco, & ſexcentis aliis, graviora delicta perpetuâ olim punita fuiſſe pœnitentiâ.

Sed plus eſt. Sed validius eſt multò, quod depoſita re cujus erat mentio, explananda eſt parabola, ita de Reſur. cap. 22.

Minus ſi forte ſap. Si noſtra expoſitio non tam bellè congruere videatur.

CAPUT X.

NOn minus militantibus & P. Militibus Romanis & Publicanis Hieroſolymæ agentibus quos Gentiles fuiſſe tradit Tertullianus.

Quam voluntariis. Chriſtianis ſcilicet, qui ante Baptiſmum impetu potius naturæ, quàm voluntate peccaſſe cenſebantur, ita Hermes lib. 3. ſimilitudine 9.

Remedia prima q. ex. Pœnitentiam quà ante Baptiſmum Deo ſatisfaciebant, prima remedia vocat; ſecundam veró poſt Baptiſmum exoleta, quod ſcilicet inutilis ea eſſe videretur pœnitentia, quæ ſemel hominem meliorem non formaſſet: fruſtraque repeti, quæ non profuiſſet.

Qui mortem pœnitentia maluit. Qui peccator maluit peccare, quàm primæ pœnitentiæ beneficium in ſe manere.

Peccando promeremur. Quia ovis, drachma, & prodigus cariores cæteris fuere.

Funambula pudicitia. Orthodoxos funambulos vocat, eaque utitur metaphora, quód pœnitentibus mœchis cùm indulgendum eſſe cenſerent, diſciplinam omnem, pudicitiamque in maximum diſcrimen vocarent.

Pendente veſtigio. Quia ſcilicet in nullius ſcripturæ authoritate id firmarent.

Carnem ſpiritu librans. Perſtat in eadem metaphora; ſi enim in aliquam partem incautiùs inclinant funambuli, baculo preponderant, ne precipites ruant: ita Orthodoxi ſubtili parabolarum

A explicatione de caſtitate ludunt, & ruentem erigunt.

In gradu totus es? Funambulorum induſtria in eo maximè ſita eſt, ut pedem figant firmiter a funemque ob hac cauſam diu tentant.

In ſolido es. Quid times incedere per tenue filum, cùm ſecunda te poenitentia exceptura ſit?

Suis non Ethnicis. Si præcipitent Chriſtiani & à fide decidant, Deus ſinum ſubjiciet, ne comminuantur.

Secunda te pœnit. Quia prima erat ante Baptiſmum.

De mœcho Chriſtianus. Qui poſt Baptiſmum peccat, indumentum Spiritus ſancti, cæteraque lavacri beneficia amiſiſſe cenſetur, atque adeò

B non habebatur in numero Chriſtianorum.

Qua ſola mœchos amat. Quæ ſola docet eis ignoſcendum eſſe.

Et inde patrona ſociorum. Nihil mirum ſi adulteris faveat adultera.

A quâ & aliàs iniſtris. A quâ rurſus baptiſans, poenitentia enim ſecunda Baptiſmi vim obtineret, ſi omnibus omnino peccatis veniam procuraret; ita explicandum duxi, quòd in Paſtore de ſecundo Baptiſmo nulla fiat mentio.

Proſtitutorem & ipſum. Ego remota parentheſi ſenſum clariorem eſſe affirmo: ait enim ea parabolæ explicatione diſciplinam omnem fidemque Chriſtianam (quam ſexcentis locis, ne dicam

C præcedenti capite, Chriſtianum ſacramentum vocat) corruptum iri.

Meritò & ebrietatis idolum. De jejuniis, ait libidinem ebrietatis ſororem eſſe. *Monſtrum*, inquit ille, *ſcilicet haberetur libido ſine gula.* & cap. 7. ait eſſe ſundamenta luxuriæ. de ſpectaculis cap. 10. *Sed Veneri & Libero convenit. Duo iſta dæmonia conjuncta & conſpirata inter ſe ſunt, ebrietatis & libidinis, itaque theatrum Veneris, Liberi quoque domus eſt.* de jejuniis, *appendices ſcilicet gula, laſcivia atque luxuria.* Et certè nulla re ebrios magis tentari, quàm libidine, Petronii matrona exemplum dedit. Quapropter imaginem illam ebrietatis Deam eſſe inſulsè jocatur, quòd ebriis ſcilicet ut mœchis propitia

D eſſet, reſque eorum procuraret: & argumentum preberet utriſque mœchis & ebriis pacis relaxandæ. Cæterùm plurimùm ab iis diſſentio qui aiunt, Tertullianum hoc loco imagines Chriſtianorum & Orthodoxorum idola vocaſſe & exiſtimaſſe: nam eadem ratione vocat imaginem illam idolum ebrietatis, qua eandem appellat mœchiæ & fornicationis aſylum; metaphoricè ſcilicet, unde nihil validum aut firmum inde deduci poteſt, niſi imagines ejuſmodi mœchis & ebriis favere. Denique unde effodiunt Montaniſtas imagines atque earum uſum damnaſſe?

De quo nihil lubentiùs bibas. Locus monet, ut adverſarios interrogem quid in Chriſtianorum

E calice exiſtiment contineri quod libentiùs bibendum ſit, potiuſque atque utilius multò ducendum, quàm peccatorum venia: tam preclarè ſcilicet atque magnificè de vana illa figura locutus fuiſſet Tertullianus? Objicit itaque Orthodoxis, vel quod pluris faciant imagunculam ex qua argumentum poenitentiæ deducant, quàm pretium redemptionis noſtræ, vel (qui ſenſus mihi magis placet) quòd ſanguinis noſtri ſacrificio, nihil magis obtinere nitantur quàm mœchorum pacem & veniam.

At ego ejus Paſtoris. Hujuſce capitis extrema verba, interpretationis lucem deſiderant, quorum hanc ſententiam eſſe opinor. Si primæ Pœnitentiæ dignos fructus fecimus, ut faciendum monuit D. Joannes (cujus verba de Poenitentia

ante Baptiſmum accipienda ſunt) oihil opus eſt ſecunda, neque mœchis quidquam remittendum erit : dignos enim feciſſe fructus cenſendus non eſt, qui ad ingenium redit, neque peccare unquam intermittit. Hęc & ſimilia in authore noſtro involuta, obſcuraque nunquam faciliùs evolvas aut illuſtres, quàm ſi ejus mentem potius, quàm verborum ordinem expendas.

CAPUT XI.

Vt cùm peccatrici. Impudicam eam exiſtimavit Tertullianus, quod ex Evangelio certum non erat.

Quod nemini facile. Nemini facile eſt in aliorum intimas cogitationes intueri.

Soli Domino hoc lib. ho. Nil mutandum, neque dativi caſus eſt *indulgentiæ*, ut ſomniavit novus Commentator : ſenſus enim eſt ſoli Domino hanc poteſtatem competere, quamque exercere neminem deceret qui eam habere miraculis non oſtenderet : quare ait hęc exempla Magdalenæ, & Samaritanæ nihil adverſariis prodeſſe, etſi eæ eſſent Chriſtianæ, quòd nihil ampliùs probent, quàm authoritate condonandi eum uſum eſſe, qui omnipotens eſſet : hodie igitur operetur poteſtas indulgentiæ ejus, id eſt, hodie eſtne apud nos ſimilis poteſtas ?

Ante repertum ordinem fidei. Ordinem eorum quæ ut in fidelium numero haberentur : docere ſcilicet, poenitere, ſatisfacere, baptiſari, aliaque quæ Dominus poſt reſurrectionem inſtituit : fides enim, ait Author, à fide poenitentiæ incipit, gradus ætateſque habet.

Nemo ſanctus. En ratio quamobrem nonnunquam apud Patres reperies Chriſtianos vocari ſanctos; quia impoſitione manuum revera ſpiritum ſanctum accepiſſe, atque in eis habitare exiſtimarent.

CAPUT XII.

ALium Paracletum. Quia ſcilicet iiſdem legibus fidem, diſciplinamque Chriſtianam non regerent.

Quem nec in Prophetis. Spiritum in Prophetis non agnoſcere eſt Montani, Priſcæ, Maximillæ revelationes reſpuere. adverſus Praxeam : *Epiſcopum Romanum agnoſcentem jam prophetias Montani, Priſcæ, Maximillæ.* Quare neceſſe eſt de iis Junium intelligere, non de veteri teſtamento. Eorum igitur ſenſus eſt, Orthodoxos ex Apoſtolorum actis ſententiam ſuam ſtabilire non poſſe, & quem per Apoſtolos, ſpiritum ad ſe perveniſſe jactarent, ex eorundem ſcriptis manifeſtum eſſe eos non recepiſſe : neque ejus ductu & authoritate Eccleſiam regere; quòd ſcilicet in iiſdem actis alias longè diſciplinæ leges regulaſque dixerint.

A quibus obſervando rectè agitis. Vectante vos Spiritu ſancto. Sufficit & hic ſervatum eſſe mœchiæ & fornicationi locum honoris, &c. Joſephus Scaliger in Manilii Aſtronomica pag. 451. conatur hunc locum Tertulliani emendare, hoc modò. A quibus obſervando rectè ageris. Vectate vos. Spiritui ſancto ſufficit & hic ſervatum. In Gręco, ἐξ ὧν διατηροῦντες ἑαυτοὺς εὖ πράξετε. Ἔῤῥωσθε. Ergo vectate vos, eſt ἔῤῥωσθε. Vulgata lectio quam ineptè concepta ? A quibus obſervando rectè agitis, vectante vos Spiritu ſancto. Atque Spiritus ſancto legendum. Nam repetit quòd ſuprà initio pręmiſſum, *viſum eſt Spiritui ſancto & nobis.*

Imò vulgata lectio rectè concepta eſt, & Scaligeri conjectura merum eſt ἐγχείρημα ingenii nimis præpropere καὶ τὰ ὀξύτατα κινοῦντος. Vetus enim

A lectio ſic habet in quibuſdam codicibus manuſcriptis Actorum vel ipſo teſte Theodoro Beza, εὖ πράξετε φερόμενοι ἐν πνεύματι ἁγίῳ, quam vertit ad verbum Tertullianus, benè agetis vectante vos Spiritu ſancto, meliùs quàm Beza, verſantes in Spiritu ſancto. Adſtipulatur in parte vetus interpres Irenæi, qui hunc eundem locum ita citat lib. 3. adverſus hæreſes cap. 12. A quibus cuſtodientes vos ipſos benè agetis, ambulantes in Spiritu ſancto. Legit nimirum, εὖ πράξετε περιπατοῦντες ἐν ἁγίῳ. quod idem valet, atque illud Tertulliani *vectante vos* : non autem, *vectate vos*. quod nuſquam legit apud ullum probum Latinitatis authorem Scaliger, hac notione, ut ſcilicet idem valeat, quod B ἔῤῥωσθε, quaſi de optima corporis conſtitutione ſit dictum : imò alteram illam vanam lectionem exprimunt iſta non verbum ἔῤῥωσθε, & ſi nullo alio tibicine fulciatur hæc obſervatio novæ Latinitatis Scaligeri, admodum ruinoſa eſt & lubrica.

Compenſatio autem revocabilis non eſt. Niſi quæ mutua compenſatione data ſunt reſtituantur, ideo ait, *iiſdemque revocabitur.*

Sed non leviter. Errat Pamelius cùm ait, Authorem alludere ad illud Joannis 20. *Accipite Spiritum ſanctum* : nam mandatum illud Apoſtolorum, *Abſtineri à ſacrificiis & à fornicationibus & ſanguine*, vocat pactum Spiritus ſancti, aitque Spiritum ſanctum his verbis nobiſcum tranC ſegiſſe, & cætera antiquæ legis onera remiſiſſe, ſi modò à ſacrificiis, fornicatione & ſanguine abſtineremus.

Etiam ultrò pactus. Hoc pactum utile fuit Chriſtianis, eâque nobis gratiâ multa remiſſa ſunt.

Iteratione mœchiæ. Tametſi compenſationem reſcindamos, tamen cavendum erit a mœchia & fornicatione, quia veteris Teſtamenti leges ſuccedent, & obſervandæ erunt quæ in eas animadvertunt.

Tota lex ſumetur. Rurſus ſubeundum erit antiqui teſtamenti jugum : nam iis legibus & conditionibus dicta eſt compenſatio : quæ ſi diſſolvatur, quod priùs debebas repetetur, & iiſdem quibus anteà legibus, teneberis.

D *Noviſſimi teſtamenti.* Hoc Apoſtolorum reſponſum & ſtatutum, teſtamentum vocat noviſſimum.

Hinc eſt quòd neque ido. Leges Apoſtolorum circa idololatras obſervatis & homicidas; quorum cauſa cum mœchis conjuncta cùm ſit, communem exitum habere debet. Errat bonus Pamelius cùm hæc ad calumniam pertinere ait.

CAPUT XIII.

DE modica s. jud. De modico delicto & remiſſibili ait epiſt. 1. ad Corinth. cap. 2. mentionem fieri; non autem de irremiſſibili & fornicatione, quæ etiam tum non remittitur niſi cæteros monendo, ne in tale diſcrimen inciderent, & nominatim peccatum exprimendo.

E *Quæ ſi fortè nunc æſtimaretur.* Legendum putarim *quæ ſic fortè*, ſenſumque eſſe de modicis illic agi delictis, & quæ caſtigationem, non excommunicationem mererentur, quæque hodie ſic corrigerentur & æſtimarentur, ut graviori quàm verborum objurgatione digna non cenſerentur. Priora ſi mavis hunc ſenſum conficient : ſi ex ritibus veſtris & formula qua etiam hodie peccatores abſolvitis, Apoſtoli verba examinentur, locus omnis erit de modicis delictis explicandus: quia neque nominatim peccatum illud publicum indicat, neque cæteros ex illius peccatoris exemplo movet, quæ omnia ſcilicet occurrebant in caſtigatione,

caſtigatione, ſive cùm minora quæque delicta A condonabantur.

Sine prædicatione. Peccatum illius, qui veniam palam & nominatim indicabatur, quia erat publicum, publicâ pœnitentiâ meritus eſſet, cæterique ejus exemplo ab Epiſcopo monebantur ne tale quid admitterent. Hæc igitur vocat ſignificationem & prædicationem, quorum cùm Apoſtolus rationem non habuerit, veriſimile ait eſſe, eum de modicis delictis agere.

Et tu quidem. Ad hominem: cùm fornicatori indulges, tum maximè concionaris & peccatum denotas: quamobrem igitur vis Apoſtolum de fornicatore illic ſententiam dixiſſe, ubi peccati genus non deſignat, neque cæteros exemplo illius B à peccato deterret?

Inque cùm hominis exitum. Diſſerebant de pœnitentia illius quem in Eccleſiam reducebant, aiebantque ſpem eſſe, ut Deus ei ignoſceret, cujus miſericordia pœnitenti nunquam denegabatur.

Capras fornicatorem. Capram, non ovem eſſe jocatur, & certè Tiberius ob libidinem Caprineus dictus.

Habitum legatum. Quòd fratrum miſericordiam moveret.

Nihil de poſtero ſit comminatus. Non ei comminatus ſit perpetuas ærumnas, perpetuamque excommunicationem ſi rurſus peccaret: tertiæ enim locus non erat pœnitentiæ.

Quaſi ſatisfaciens. Tantùm abeſt ut pœnas ei C æternas ſi rurſus eodem incideret, ut cæteros, cùm abſolverentur, moris erat monere, quin potius rogando fraternitatem ut eum diligat, videtur ei ſatisfacere velle quòd eum increparit.

Sed verebatur. Hęc & cætera quæ præcedunt ſi, *& hoc tangunt*, ex ſententia Orthodoxorum dicta ſunt.

Igitur & conſecutum. In hac 2. epiſtola.

Iam à fide. À Baptiſmo.

Ethnici & hæretici. De hæreticis intelligendum, qui extra Eccleſiam abluti fuerant, ad eam enim redeuntes illis temporibus rebaptiſabantur, & veniam omnium delictorum conſequebantur.

Super Ethnicos. Qualis nec inter gentes.

Denique in interitum. Erant qui reſurrectionem carnis negarent, atque adeo qui ea Apoſtoli verba de perpetuo interitu & corruptione interpretarentur, ad quæ hæc referenda ſunt, non autem ad Authorem ut ait Pamelius. Nam eam interpretationem ut ineptam refellit, ex qua nempe conſtaret animam ſine carne judicari poſſe.

Ergo pœnam ſine carne. Locus is mihi ſemper viſus eſt difficilis: nam quam, aut cujus pœnam? nonne docuit in diem Domini animas ſequeſtrari, eaſque corpore expeditas dolere poſſe? de Reſurr. c. 17. de anima c. 55. quare de pœna quæ judicium præcedet locus non eſt accipiendus: nihilo magis de ea quæ ſummo judicio impendebat: nam illi ipſi quorum hîc ſententiam explodit, illius E animam Corinthii ſalvam aiebant, & pœnæ expertem fore: nihil magis exploratum habeo, quàm eum per *pœnam* judicium intellexiſſe. Ut enim damnatorum cruciatus, aliquando vocat judicium, ut de Pœnit. cap. 12. *Quod nobis judicii perpetuitatem probat*: ita hoc loco pœnam pro judicio uſurpat; deinde ex ejus oratione id colligi poſſe videtur: eum enim, quem in Domini tutum fore dixerat, eundem in pœna ait ſalvandum: & quod anteà diem Domini, *Salvus ſit die Domini*, pœnam poſteà appellat, *ſalvus ſit in pœna.* Multis præterea rationibus compel-A lor id affirmare: primùm quòd pluribus doceat utramque hominis partem, & corpus & animam repræſentandam eſſe judicio Domini, quod nonnulli Chriſtianorum negabant. Deinde quòd diem illum uſque adeo pertimeſcerent ut pro mora finis, ut ipſe ait, orarent.

CAPUT XIV.

IN præſidentis officio. Epiſcopi cujus erat ſævire & parcere: ejicere & admittere.

Sacramento benedictionis. Chriſtiani ut milites ſeculi ſacramento tenebantur. D. Cypr. ep. 74. *Dominica militiæ ſacramenta ſolvuntur.* Author ad Mart. cap. 3. *Vocati ſumus ad militiam Dei vivi, jam tunc cùm in ſacramenti verba responde-*B *mus.* De Orat. *Nam & militia Dei ſumus. Exauctoratus* igitur eſt militiâ remotus, ut interpretatur Menander lib. 1. de re mili. in l. qui de libertate 29. ff. de liberal. cauſis.

Si inceſtus. Si dicat inceſto indulſiſſe.

Quòd pronunciatione. Judex quam tulit ſententiam, mutare non poteſt. M. Seneca lib. 7. Cont. 8. *Iudex quam tulit de re tabellam revocare non poteſt.* Ulp. in l. judex. ff. de re judi. *Hoc jure utimur, ut judex qui ſemel vel minoris condemnavit, ampliùs corrigere ſententiam ſuam non poſſit.* Idem ferè Calliſtratus in lib. div. ff. Pœoi. Sed tamen quod Prætor interloquendo pronuntiavit id mutare poteſt. Celſus in lib. C quod juſſit ff. eod. tit. de re judicata, *quod juſſit Prætor vetuitve contrario imperio tollere poteſt.* Utrumque hîc ſignat Tertull. nil juvare ſi judex ſententiam revocet, niſi fortè quid interloquendo pronuntiarit, quaſi dicens interlocutoriam ſententiam, non definitivam poſſe revocari.

Ne conſuetudini. Cùm gentilis eſſet.

CAPUT XV.

AD intentationem. Comminationem, *intentant omnia mortem*, præced. cap. *intentatione virgæ.*

Nonne conſtanter. B. Paulus videlicet.

Et viderint idolo. Viderint idololatræ, an debeant in Eccleſiam admitti, quandoquidem ipſe templi Dei violator (id eſt fornicator) recipi-D tur.

Immunditiarum gurgiti monum. Corinthio inceſto parcis & fornicatoribus.

Non utique recipiendos. Minimè voluit Apoſtolus, ut fornicatoribus atque ipſi Corinthio parceretur, non enim diceret timere ne eos reperiret, ſi eos recipi juſſiſſet.

Pœnitentiam perderent. Perpetuam agerent & ſine ſpe veniæ.

Humaniori reo. Minoris delicti reo, locum enim 2. ad Corinth. 2. de ejuſmodi delictis interpretatur.

CAPUT XVI.

MOechus denuo futurus. Communicando ſcilicet cum mœcho; qui enim cum pec-E catore communicabat, ejuſdem criminis reus cenſebatur.

Vt in rem tuam. Membra noſtra ſont membra Chriſti, unde concludit fornicatorem peccare in rem Chriſti, atque adeo fornicationem non poſſe ab hominibus remitti.

Huius boni fibulam. Quod paolò antè notarat, *Bonum eſt homini mulierem non contingere.*

Quàm erogatorem. Interfectorem; *erogare* enim apud Tertull. eſt interficere & perdere.

Benedictionis concubitum. Matrimonium quod benedictione obſignabatur: omnibus enim

ſacramentis benedictio ſemper adhibebatur : de Bapt. *Manus imponitur per benedictionem.*

CAPUT XVII.

NOtans denique. Tametſi Apoſtolus de Ethnicis loquatur Ephe. 4. tamen obliquè carpit eos qui eoſdem mores & vitia ſequebantur : quare rectè Tertull. ait Apoſtolum alloqui eos qui factis Chriſtianos ſe eſſe negabant.

Vnum illud. Exemplum Corinthii.

CAPUT XVIII.

ET additionem omnis impudicitia. Suaderem legendum, *Et adjectionem omnis pudicitia.* Nam quæ ſequuntur neceſſariam hanc eſſe correctionem demonſtrant. Reſpondent Orthodoxi, ea omnia quæ ex D. Paulo præcedenti capite accumularat Tertullianus, ab eo quidem dicta non ſolùm ut impudicitiam prohiberet, ſed etiam ut adjiceret aliquid antiquæ legi in commendationem pudicitiæ : & perfectiores hac in re Chriſtianos redderet Judæis. Quibus occurrit Tertullianus, & docet in antiqua lege cauſis ejuſmodi communicationem Eccleſiaſticam (id eſt veniam) negatam fuiſſe. Quod Tertulliani reſponſum, ſi cum Orthodoxorum verbis cohęrere & convenire debeat, neceſſariò correctionem noſtram probabit. De Pœnit. cap. 3. eadem loqoendi ratione uſus eſt : *Denique Dominus quemadmodum ſe adjectionem legis ſuperſtruere demonſtrat.* Deinde ait D. Paulum hęc omnia in impudicos ex veteri lege deſumpſiſſe.

Hinc igitur informatus & Apoſtolus. Ut dilueret ſcilicet quod aiebant Orthodoxi, commendari pudicitiam ab Apoſtolo, ut Chriſtianæ leges Moſis perfectiores haberentur.

Cujus & poſtea vox. Beati viri.

Hoc de Eccleſia malè agentium. Ait Beatum virum (Chriſtum ni fallor) de Epiſcopis malè agentibus, id eſt, qui veniâ fornicatores donarent, hæc locutum eſſe, quare nihil mutandum : ſæpiùs enim Epiſcopos & ſacerdotes Eccleſiam appellat.

Vt ſolus plures. Ut ſolus beatus iſte vir, plures impios fugit ne pervertatur, alludens & reſpiciens ad id quod initio dixerat : *Quaſi non facilius ſit errare cum pluribus, quando veritas cum paucis ametur.*

Nedum Euchariſtiam modicam. Illis non aſſentior qui *medicam* aut *edicam* reponunt, ſed libris manuſcriptis, qui conſtanter habent *modicam.* Argumentatur enim à minori, quod aiunt, ad majus, docetque multò minùs Euchariſtiam cum mœchis, quàm cum iiſdem cibum ſumendum eſſe ; quod tamen vetuit Apoſtolus : ne ſcilicet hæc modica communicatio totam Chriſtianorum maſſam corrumpat. Itaque hoc adjectum & nomen tribuit Euchariſtiæ, quod Apoſtolus fermento dederat : quia ſi cum mœchis ſumatur fiet fermentum modicum, quo Chriſtianorum corpus iiſdem mœchis commixtum & concorporatum per communionem inquinabitur. Ad hæc etiam ampliùs intelligenda plurimùm intereſt obſervare majores illos, non ſolùm fugiſſe conſuetudinem ne peccarent ; ſed ne eorumdem peccatis & noxis inficerentur.

Manus nemini. Pœnitenti bis manus impoſitas fuiſſe dicemus pluribus.

Ambitu. Omnibus pœnitentiæ officiis Eccleſiam placare nitebantur, quod vocat ambitus.

Demonſtrationem ſui. Locus, quantùm conjicio, corruptus : ſed de ejus ſententia non minùs conſtat : ait enim ſub conditione mœchos non damnari, & Chriſtum abſolutè pronunciaſſe, ſi tamen more ſuo, vocem, *ſui*, pro *ejus* poſuit, hic ſenſus conſtabit ejus demonſtrationem, clementiæ ſcilicet divinæ, Apoſtolus poſt fidem lapſis ita diceret.

CAPUT XIX.

TOtius ſacramenti. Totius fidei & religionis.

Inſtitutione deceptum. Natum & inter hęreticos & edocatum : nam aliis hęreticis tametſi pœnitentibus, tamen non ignoſcebatur, ſi graviorum criminum rei comperiebantur.

Cognita poſt ea & pœn. Quia ſcilicet eos & Catechumenos vitæ anteactæ pœniteret, fideique rudimentis utrique formabantur.

Imò & ſuper. Faciliùs ac citiùs.

Vtroque homine. Hęretico ſcilicet & pagano. Nam hęreticus qui apud Orthodoxos baptiſmum non ſuſcepiſſet, duplici inquinamento, hęreſeos nempe & primi parentis, infectus credebatur, quo per baptiſmum, cùm rediret ad Eccleſiam, purgabatur : Baptiſmum enim non probabat Tertullianus. Ideo ait *utroque homine*, alludens ad verba Apoſtoli.

Aut ſi certus eſt. Aut ſi conſtat poſt baptiſmum, & antequam in hęreſim incidiſſet, eam eſſe allocutum.

Fidem vivam. Orthodoxorum lavacrum : hæreticorum enim mortem potius, quàm vitam parere exiſtimabat Tertullianus cum cæteris illius ævi.

Sanè agat pœnit. Cùm apud Patres habeatur unam duntaxat à baptiſmo eſſe pœnitentiam & idololatris aliiſque gravioribus peccatis indulgendum non eſſe : de ea id accipiendum non eſt, quæ ab Eccleſia præcipiebatur & decernebatur, quaque peracta & expleta, fidelibus cæteris reſtituebantur peccatores ; nam tertiam quamtumvis poterant invadere, ut Deum æquiorem haberent ; non autem ut Eccleſiam placarent : rationem verò eorum quæ in Epiſtola Divi Cypriani ad Antonianum leguntur explicabimus poſtea pluribus.

Sed in fidem mœchia. Id eſt, potuit pœnitentiam agere illa fœmina, non ut veniam & pacem ab Eccleſia impertaret, ſed ut Deo ſatisfaceret & teſtaretur ſe credere mœchiam grave eſſe peccatum.

Aut ſi non ſemper. Hinc habes unam tantùm à baptiſmo fuiſſe pœnitentiam.

Non quâ delinquamus, ſed quâ. Quantùm conjicio prior lectio reſtituenda eſt : *Non quaſi delinquemus, ſed quia non delinquemus.* Nam ait D. Joannem minimè velle ut peccatores poſt baptiſmum audiantur ; neque ob hanc cauſam eum dicere ſanguine nos Chriſti mundari, quaſi admittat poſt baptiſmum cum ſpe veniæ peccari poſſe : ſed nos quidem mundari poſt baptiſmum, quia verè mundatur qui à vitiis abhorret. Boni Pamelii caſtigatio hunc ſeoſum corrumpit.

Fraus negatio. Quod genus fraudis, cùm variæ ejus ſint ſpecies, intelligat, non facile eſt diſcernere. D. Cyp. de bono Patien. ait fraudem mortale eſſe crimen, quam poſteà ita explicat : *Ne juſtitia dicata innocentia contagione fraudis inficiatur.* An genus fraudis eſſet depoſitum negare quod à Chriſtianis, ut ait Plinius, cavebatur : Idem D. Cyp. lib. 3. Ep. 12. *Fraudes & rapinas feciſſe.* & Author ad Scapulam : *Depoſitum non abnegamus.* Denique de idolo. c. 1. per fraudem rapinas in-

telligit, *Fraudis conditio ea eſt, opinor, ſi quis alienum rapiat, aut alii debitum deneget.*

CAPUT XX.

R*Urſus revocari.* In Eccleſiam.

Introitum ſacerdotum. Ut domus ſimilitudinem, in infidelem potius, quàm in Chriſtianum referat ſacerdotis miniſterium, *introitum* vocat.

CAPUT XXI.

P*Oteſtas adſignat ſeorſum.* Diſciplinam à poteſtate differre ait, quòd illa quid agendum ſit doceat, hæc verò ſeparatim oſtendere debeat factis vel miraculis, quam vim aut imperium à ſpiritu ſortita ſit. Itaque legendum conjicio, *Seorſum quod poteſt à ſpiritu: ſpiritus autem Deus*. vox enim illa *autem*, ſpiritum iterum ponendum eſſe indicat. *Adſignare* verò eſt docere: de præſc. *Nationibus fideliter adſignarunt.*

Hoc ſolius ipſius eſt. Nil muto; nam ad ſolum Deum hoc pertinere ait: *Domini enim non famuli eſt jus, & arbitrium Dei ipſius non ſacerdotis.* D. Cypr. de lapſis. *Nemo ſe fallat, nemo decipiat: ſolus Dominus miſereri poteſt, veniam peccatis quæ in ipſum commiſſa ſunt ſolus poteſt ille largiri, qui peccata noſtra portavit, qui pro nobis doluit, quem Deus tradidit pro peccatis noſtris. Homo eſſe Deo non poteſt major, nec remittere aut donare indulgentia ſua ſervus poteſt quod in Dominum delicto graviore commiſſum eſt.*

Prophetica exempla. Miracula.

Cares ea virtute. Cæteros Epiſcopos eadem vult carere: quare nihil ad Summum Pontificem, neque magis eum quàm cæteros inſectatur, niſi quod ille declararit Epiſcopos poſſe veniam indulgere.

In Prophetis novis. In Montano, Priſcilla, & aliis Montaniſtis.

Quid ſi Pſeud. Ex ſententia Orthodoxorum hæc ſibi objicit, quibus mox reſpondet.

Ius Eccleſia. De Eccleſia igitur eſt controverſia, non de Pontifice maximo.

Id eſt ad omnem Ecc. P. pro. Seipſum interpretatur: poſtquam enim dixit *ad te*, ſtatim addit, *ad omnem Eccleſiam Petri:* ergo loquitur de omni Eccleſia Petri propinqua, ei negat ligandi aut ſolvendi poteſtatem eſſe: hanc in participatum earum gratiarum veniſſe inficiatur, quas D. Petro Deus impartitus eſt, non Zephyrinum, non Summum Pontificem. Nunc quid ſibi velit *propinquam* expendamus: credo eo loci vocabulum illud non vicinam, ſed affinem, aut quaſi agnatam & gentilem, ac ab ipſo Petro deſcendentem ſignificare. Proinde intelligi Eccleſias, quæ ab Eccleſia Romana tanquam à matrice erant propagatæ, quales erant Occidentis, id eſt Africæ, Mauritaniæ, Numidiæ, Hiſpaniarum, Germaniæ, Galliarum, Italiæ, Britanniæ, de quibus præcipuè mentionem fecit, quia apud eas hoc erat controverſum: lege de præſcriptionibus, ubi utitur frequens ejuſmodi loquendi formulis, quas cùm non caperent quidam hæreticorum, hunc locum ridiculè expoſuerunt. Mornæus tractatu Eccleſiæ pag. 235. & 279. *Omni Eccleſia quæ vicina & proxima erit Petro*, atque ibidem, *omni Eccleſia quæ accedit ad Petrum.*

Non Eccleſia. Hoc igitur erat in quæſtione an Eccleſiæ, non autem an S. Pontifici hæc poteſtas conceſſa eſſet.

Alligantur quæ non. Id eſt, (ſecundum ejus mentem) tenemur baptiſmo obſervare ea ex veteri lege quæ non ſunt antiquata.

A *Secundum Petri perſonam.* Exiſtimat ſe probaſſe ea omnia quæ Divo Petro dicta ſunt, uti: *Petre amas me, paſce oves meas. Tu es Petrus & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.* Et ſimilia uni duntaxat Petro, non autem Eccleſiæ conceſſa eſſe: onde ſequentibus hiſce verbis concludit, botum etiam ſpiritualibus hominibus poteſtatem factam eſſe, id eſt, Montano & Montaniſtis, quando eodem ſpiritu imbuti eſſent.

Et quidem tuam Pſychice? Orthodoxorum: ait enim non *Eccleſia, numerus Epiſcoporum*, quæ de una Romæ Eccleſia intelligi nequeunt.

Nam & ipſa Eccleſia. Reponendum cenſeo cum cæteris *ipſa & Eccleſia ab Authore*, ſenſus B eſt ſpirituales homines, id eſt, Montanum ejuſque Prophetas gravia poſſe condonare delicta: quia hæc poteſtas Spiritui ſancto competit, qui præcipuè & principaliter eſt Eccleſia.

Ideo Eccleſia. Concedit Eccleſiam delicta remittere poſſe; ſed eam ſcilicet, quæ eſt in Patre, Filio, & Spiritu ſancto: non autem eam quæ ex numero Epiſcoporum componitur. Singula quæque interpretemur.

Ipſe eſt ſpiritus. De baptiſmo, de oratione, & hoc loco ait Eccleſiam eſſe in Patre, Filio, & Spiritu ſancto: hoc unum hîc addit, eam præcipuè in ſpiritu eſſe, quia tres illas perſonas mutui amoris vinculo unire videtur.

Non Eccleſia numerus Epiſcoporum. Inſignis C locus ad authoritatem Epiſcoporum ſtabiliendam, cujus ſententiam cùm non caperet Mornæus, ut rectè animadvertit magnus ille Cardinalis in libellis adverſus eundem Mornæum in Eccleſiam ejuſque Rectores imperitè detorquet. Nam ex hoc loco optimè deducitur, majorem tunc temporis Eccleſiæ partem atque authoritatem in Epiſcopis lucere; negat enim Tertullianus Eccleſiam delicta indulgere poſſe: atque cùm eam ipſam Eccleſiam explicat, docet eam eſſe in Epiſcopis. Et quamvis indulgendi authoritatem ei detrahat, non negat tamen eam in Epiſcopis poſitam eſſe, imo idipſum confirmat, cùm ait ad primam Eccleſiam, id eſt, Trinitatem vis condonandi pertine- D re, non autem hanc Eccleſiam quæ in Epiſcopis conſpicitur.

Domini enim eſt jus. Quod initio capitis affirmarat, *hoc ſolius ipſius eſt.* Unde argumentum deducit Epiſcopis id juris non eſſe.

CAPUT XXII.

A*T tu & in Martyras.* Si uni hanc ſibi poteſtatem adſciviſſet S. Pontifex, ut aiunt Adverſarii, in martyres eamne effudiſſet? *Tuos* autem *martyres* dixit, quaſi exprobrans martyres non alios habere Orthodoxos, quàm quos paulò infrà ait recuſare martyrium. De martyrum verò authoritate & quomodo peccata E condonarent in Obſervationibus dicemus. Porro hîc quatuor martyrum genera perſtringere videtur: eorum primum qui in libera eſſent cuſtodia aut à milite obſervarentur, ſecundum qui in carcere detinerentur, tertium deinde ponit eorum quos metalla haberent; denique veros Martyres recenſet.

Ut quiſque ex conſenſione. Authorem ex *confeſſione* ſcripſiſſe ſunt qui exiſtiment, verùm ſi mutare aliquid liceret, legerem ex *concuſſione*. Hoc enim lucri genus milites habebant, ut à Chriſtianis, ne Prætori referrent aut in carcerem eos conjicerent, pecuniam extorquerent. Author de fuga in perſecutione: ait igitur ubi ex concuſſione & ſpe prædæ aliquis Chriſtianorum inter-

ceptus eſſet, & cùm nondum eſſet conjectus in carcerem, eum mox fornicatores adite, orare, precibus & lacrymis finem ooo priùs facere, quàm delicti ſui pœnam ab Eccleſia deprecaretur. Sed vulgata etiam lectio probari poteſt, cùm enim aliqois Chriſtianorum, aut in carcerem, aut ad ſupplicia raperetur, non deerant qui ſponte ſeſe Prçſidibus offerrent, & pro eodem nomine & fide mortem ultrò oppeterent: de bis meminit B. Juſtin. Author ad Scapulam, D. Cypr. Epiſtol. 1. lib. 2. *de fratrum conſenſione creviſſe.* Ad eam enim audaciam comprimendam nonnulli in vincula coojiciebantur. ad Scapulam, *paucis duci juſſis*, quos boc loco ex conſenſione vincula induiſſe ait Tertull. Quidquid ſit, certum eſt eum loqui de martyribus quos conveniebant peccatotes antequam carcere detinerentur.

Mollia. Ut eorum meritum minoris æſtimetur.

Novo cuſto. nomine. Statim atque intercepti ſunt & antequam quicquam paſſi ſiot: quod ait ot oſtendat quàm facilè ea poteſtate abutantur Orthodoxi, eam videlicet ejuſmodi martyribus concedendo, qui nihil paſſi eſſent.

Nec ulli magis. Nulli magis martyrium recuſaot, & pecuniâ libertatem à Prçſidibus & concuſſoribus paciſcuntur, quàm qui Eccleſiam perdunt, fotnicarores ſcilicet ſuis commendationibus in eam reducendo: quod ait, ut oſtendat quàm turpe ſit ejuſmodi martyrum commendationem adjumento eſſe fornicatoribus. Ex quibus liquere videtur lectionem illam quam repoſuimus, *ex concuſſione*, retinendam eſſe, cùm dicat ejuſmodi martyres pecuniâ carcerem redimere.

Violantur. Quantum conjectura poſſum conſequi, de alio martyrom genere loqoitur, nempe de iis qui verè in carcere cuſtodirentur, ad quos ait viros & fœminas reptare magis, ot libidinem ſuam in tenebris carceris explotent, qoàm ut veniam impetrarent; *reptare* enim, eſt per tenebras ambulare: de pœnitentia, *Quique catuli infantia adhuc recentis nec perfectis luminibus incerta reptant.*

De ſua periclitantur. Ejuſmodi martyres propterea quòd intercederent pro fornicatoribus, aut quòd in tenebris turpiter laſciviſſent.

Alii ad metalla conf. Alii fotnicatores ad martyres qui ad metalla damnati eſſent confugiunt.

Et inde communicatores. Pace ſcilicet impetratâ per martyrum commeodationem ſacrorum participes erant.

Ubi jam aliud. Quàm abſurdom ſit eos qui in ſodinis agerent peccata condonare, vel inde probat, quòd novis quotidie peccaris delinquerent, & venia magis indigerent quàm ii qoibus eam indulgebant.

Denariis ſup. medico obnoxius & fœneratori, Junii unguenta, ſi D. Cypr. audiamus epiſt. 25. lib. 4. in fodinis convenire non videntur: quare aliud ſubodorandum eſt, nempe authorem vitæ humanæ miſerias, conſuetudinem, commercia & uſum recenſere; ut doceat eum vitiis carere non poſſe qui iis obnoxius eſſet, & qui cum fidelibus non ageret. De anima cap. 56. inter mortalium incommoda & ſtudia fœnus & valetudines commemorat, *Fœnus exprimat, ægritudines abeat: denariis* aotem *ſupplex*, quia eleemoſynis ſibi victum ab Ethnicis quæritabant. Verùm ſi liceret aliquid mutare, legerem *mœcho obnoxius & fornicatori.*

Puta nuno ſub gladio. Ubi abſurdum eſſe oſtendit qui ex conſeoſione aut concuſſione intercepti eſſent, quique in carcere & metallis pœnas derent, fornicatoribus indulgere, quòd immeritò martyres exiſtimarentur & culpa noo vacarent: his adjungit veros etiam martyres condonare non poſſe *delicta* quæ Deo reſervata eſſent.

Capite librato. Extenſo, vel parato ad ictum.

In ſtipite leone conceſſo. Non leoni, concedere urſum, canem, & leonem latinè dicitur: in ſtipite autem dixit, quia moris erat eos ſtipiti alligare, ut faciliùs & crudeliùs laniarentur à valentiſſima beſtia. Euſeb. in vita Polycarpi.

An incendio adſtricto. Ibidem Euſebius ait D. Polycarpum clavo ſtipiti adſtrictum fuiſſe.

Quòd ſciam martyres. Paulus poſtquam omnes navis & militum miſerias & indignitates perpeſſus eſt, inceſtum damnavit.

Sanctos. Majores illi fideles & ſacerdotes ſanctos aliquando vocant, quod eſt omni venia carere.

Habeo etiam nunc quo probem Chriſtum. Ea non uſum ſuiſſe poteſtate, niſi quia miraculis boc ſibi licere probaſſet. *Itaque ſi dicant martyres*, aliena ſe delicta delere poſſe: quia peculiari aliquo numioe correpti ſunt, aut quia Chriſtus in eis eſt, & habitat: debebant iiſdem argumentis, quibus Chriſtus uſus eſt, miraculis ſcilicet, probare hoc ſibi licere.

Chriſtus in martyre eſt. Chriſtum peculiari aliqua ratione martyribus ineſſe exiſtimabant. D. Cypr. ep. 25. lib 4.

Quum tamen mœchis. Hęc nonnihil obſcura videntur; nihilominus ex his & ſequentibus, nihil aliud elicere conatur, qoàm martyrium eſſe baptiſma, quo impetraro hanc conficit probationem; ſi martyriom eſt baptiſma, multò magis primo lavacro aliena condonanda erunt debita, quàm ſecuodo: verùm ſummæ dementiæ eſt velle eum qui nondum eſt Chriſtianus, qoique apud Deum nihil promeritus eſt, alius veniam impetrare poſſe: quare neque ſecundo baptiſmate (id eſt martyrio) aliena crimioa ſolventur. Addit & aliam rationem, qoamobrem neque primo, neque ſecundo lavacro alterius peccata remitti queunt: quia ſcilicet ita fieret ut cęteri fideles inficerentur eorum delictis qui in gratiam & pacem Eccleſiæ alterius baptiſmate redirent: hęc enim *ingeramuſque in ſinum*, hunc ſenſum habere videntur: legendum aotem exiſtimo, *quòd ſi jam & martyrium aliud eſt baptiſma.*

Ingeramuſque in ſinum neceſſe eſt. Hanc ſententiam cum cæteris interpretibus expiſcatus non fuiſſem, ni ex D. Cypriano lucem aliquam inter legendum animadvertiſſem, cui propter eam quam cum Authore conſuetudinem habuit, rem deferre oportuit. Is autem Epiſcopus ad Pompeium contra Stephanum ſic ait, *Hic enim omnium* (hæreticorum) *baptiſmo communicans univerſorum delicta in ſinum ſuum coacervata congeſſit.* Quæ ot faciliùs intelligantur, atque ut ex his verba noſtra clariora fiant, ſciendum eſt priſcorum religionem eam fuiſſe, ut noo paterentur ullam inter fideles & excommunicatos ſocietatem aot amicitiam intercedere, quòd ſcilicet ex Apoſtoli ſententia exiſtimarent fideles revera inquinari poſſe delictis eorum, cum quibus communicarent; unde operam dabant ſedulò ne cum hæreticis, ſchiſmaticis, excommunicatis, pœnitentibus, Catechumenis, & ſacris qui non admittebantur, aliqua in re communicarent, & ne quidem cum eis quotidianæ vitæ commercio, aut familiari conſuetudine uterentur. Ex hac itaque doctrina & Theologia utriuſque, & D. Cypriani & Tertulliani, verba exponenda ſunt: illa

air Stephanum, in eos quorum curam gereret, omnium, quotquot eſſent hæreticorum, peccata accumulare: quod ſcilicet communicando cum eis in baptiſmate & ratione baptiſmi, hac communicatione cæteri fideles inficerentur. In ſimili planè ſententia verſatur Tertullianus, docetque ſi aliena peccata cujuſpiam baptiſmo diluuntur (quod ſupra genus aliquod martyrii eſſe probaverat) futurum, ut ea peccata in cæterorum ſinum ingererentur, atque ad cæteros fideles pertinerent, qui cum eo communicarent, qui per alterius baptiſmum eſſet abſolutus, & in integrum reſtitutus.

Pœnitentia miſerabilior. Venia & miſericordia magis digna.

Proſternens. Alludit ad primi, aut tertii gradus ritus, in quo jacentes & humi ſtrati manus impoſitiones ſuſcipiebant, vel pœnitentiam petebant.

Cum ſua infelicitate. Quia non potuit tormentis adigere lapſos, ut verè negarent Chriſtum, ſed verbis tantùm.

Caſta. Quia fides in anima illæſa remanſerat.

Non erubeſcente. Quia ex animo Chriſtum non negaverat.

Piaculariter. Qui peccando negaverant Chriſtum; qui enim fornicatur, Chriſtum negare videtur.

Solis illis. Adulteris: non conſideratur infirmitas carnis lapſorum, ſed tantùm adulterorum.

Quæ ſpiritum elidit. Quæ gratiam amittit, quæ peccat, quæ animam perdit, lapſorum caro non tam fortis eſt quàm mœchorum; quia horum ſpiritum enecat & interficit: illorum verò caro animam non elidit.

QVIDAM TERTVLLIANI LOCI EXPLICATI.

DE SPECTACVLIS.

Vis autem & ſanguinis aliquid? habes CHRISTI.

HÆc ad Euchariſtiam pertinere, quidquid ſit interpretationis aliorum neque aliter in Tertulliani ſermone vim aut gratiam reperiri arbitror. Chriſtianos namque dehortatur à Spectaculis, eoſque minus decere quæ Nationibus placeant, docet. Voluptatem præterea aliis in rebus ponendam eſſe, neque deeſſe in diſciplina noſtra, quo ſeſe oblectent. Si ſcenicæ fabulæ & numeri laudentur, perſonare verſus & Cantica quæ avidas aures permulceant. Pugiles quoque Eccleſiam habere, qui virtutes cum vitiis committant & ſuperent. Denique ſi humano cruore delectentur, Chriſti ſanguine ſitim explere poſſe. Quapropter cùm Chriſtianos dicat habere Chriſti ſanguinem, quo non minùs quàm Nationes cruore vilis animæ & in arena jugulatæ, ſatientur: ad rem magis facere videtur, & comparatione & ſimilitudine magis conveniens de vero calicis ſanguine, eum loquutum eſſe, quàm de recordatione ejuſdem ſanguinis è cruce ſtillantis. Neque veriſimile fit arenæ ſanguinem, quem è jugulo ſalientem ipſis oculis haurirent Ethnici & in deliciis haberent, cum ſola memoria ſanguinis excruciati & morientis Chriſti eum comparaſſe. Adde cùm ſuperiùs eodem libello hoſtias quas immolatas conviviis poſtea adhiberent, non cum memoria corporis Chriſti crucifixi, ſed cum Euchariſtia ſociaſſe & contuliſſe: *De parentato non edimus, quia non poſſumus cœnam Dei edere, & cœnam Dæmoniorum.* Ad quæ etiam verba ſi animum contentionis vacuum applices, ea ſententiam noſtram confirmare deprehendes. Nam cauſam referendo quamobrem de parentato & Sacrificato Gentilium non ederent Chriſtiani, quia videlicet cœnâ Chriſti ſumerent, utramque cœnam aliquatenus comparat, & ita utramque de parentato & Sacrificato præbere: Nationum cœnam de Idolothytis: Chriſtianorum verò ipſa Chriſti carne pro generis humani ſalute immolata & cæſa, inſtructam inſinuat.

TERTULLIANUS.

LIB. V. CARMINUM.

CAPITA VIII.

Non ergo manifeſta fides, non omnia fixa?
Ante diem quam quum pateretur Paſcha celebrans,
Diſcipuliſque tradunt memorabile factum, &c.

HOc capite in eo potiſſimum verſatur Tertull. ut ſolidum Chriſti corpus ejuſque Divinitatem per ea quæ geſſit demonſtret: occaſione data ab errore Judæorum, qui ut Chriſtum Deum, ita eundem hominem ogaret Marcion.

Aſpicite errorem qui vos expugnat utroſque;
Illi Deum, nos falsò hominem, ſine corpore corpus
Dicitis.

Itaque ab his duobus Carminibus quæ præcedens caput claudunt:

Namque hominem pariterque Deum tunc facta probabunt
Commixtum, nec pauca dabit ſignacula mundus.

incipit Tertullianus probare Chriſtum humana ſimul ac divina conſtare natura: quod ut exequatur pleraque miracula & facta perſequitur, verbi gratiâ, ejus cruciatus, tormenta, vulnera, cæteraque quæ paſſus eſt, recenſet, quæ in ſpiritum cadere non poſſunt: quorum argumento & indicio concludit Chriſtum nequaquam carnis & corporis expertem fuiſſe, quia ejuſmodi cruciatibus non ſufficit ſpiritus.

Poſtremò Euchariſtiæ miraculum & Cœnæ factum commemorat Tertullianus: quo conſilio, aut quamobrem, viderint adverſarii. Sed certum mihi eſt, & manifeſtum fiet legenti, quidquid intra hos quatuor verſus hujuſce & præcedentis capitis legitur.

Namque hominem pariterque Deum tunc facta probabunt
Commixtum; nec pauca dabit ſignacula mundus;

Non te factorem mundi per facta probavit,
Et portare ſimul de carne & ſanguine corpus?

Hoc omne ad probationem & confirmationem divinæ & humanæ Chriſti naturæ Tertullianum inſtruxiſſe. Nam per duo prima carmina apparet eum in hanc probanonem deſcendere, & hæc verba futuri temporis *probabunt, dabit* confirmant ea quæ ſequuntur miracula ad id demonſtrandum attuliſſe. Deinde duo ultima carmina quid aliud concludunt, quàm quod toto capite preſtitit, & conatus eſt oſtendere, nempe Chriſtum per facta ſua ſe Deum & hominem probaſſe?

Itaque in quamcunque partem ſeſe vertant Adverſarii, neceſſe eſt fateantur ex Tertulliani ſententia, per myſterium Euchariſtiæ, nos in cognitionem divinitatis aut humanitatis Chriſti, aut utriuſque pervenire poſſe. Et ob hanc cauſam hæc omnia facta & miracula enumerari à Tertulliano: quapropter ut præſens conſilium in tantis anguſtiis capiant, æquam eis conditionem offero, & optionem facio, ut vel corpus Chriſti contra Marcionem, vel ejus Divinitatem adverſus Judæos hoc Cœnæ myſterio eligant demonſtrari.

Si corpus per hoc memorabile Cœnæ factum malint probari, Chriſtumque hoc Sacramento veri ſui corporis fidem firmaſſe, quomodo cum ſuo ſigno id conſequentur Adverſarii? aut qui potuit Chriſtus ſe ſe corporeum verè oſtendere, effœtum modò & vacuum conficiendo ſignum?

Sed ad ſe redeant quæſo, & advertant quantò res clarior evadat, & validiùs longè ex hoc myſterio veritas corporis Chriſti contra Marcionem demonſtretur, ſi verba Cœnæ accipiant ſicuti nos, remque quam credimus per ea fieri exiſtiment. Nam neceſſe eſt vero & ſolido Chriſtum conſtituiſſe corpore, ſi panem in verum corpus mutavit.

Redeo ad aliam conditionis partem, quam obtulimus: quave Adverſariis poteſtatem fecimus eligendi utrum malint ex hoc myſterio divinam quàm humanam Chriſti naturam cognoſci. Sed eam recuſant, opinor; nam res non foret ambigua ſi ea conditione Tertulliani ſermonem explicarent; quia ſcilicet aliquid in Cœna eſſet quod miraculi locum neceſſariò obtineret; alioquin non ſatis ſe Deum probaſſet Chriſtus per Euchariſtiam, ſi nil aliud quàm ſignum feciſſet, vel ſi totum hoc myſterium quod *memorabile factum* vocat Tertullianus, in figuram abiret, quæ miraculi vim non obtinebit: Neque aliter hoc capite probat Chriſtum Deum fuiſſe, quàm ejus miracula enarrando. Et ea de cauſa lugentis Naturæ labores & hæc miracula accumulat:

Exſpirante Deo tacitè de corpore carnis,
In tenebris tremefacta dies cum Sole refugit;
Bis fuit una dies, mediam nox atra coperuit;
A fundamentis montes agitantur in orbem,
Commota eſt tellus, patuere ſepulchra piorum,
Cunctaque quem norunt paſſum, timuere videre.

Hæc omnia ad Chriſti divinam naturam contra Judæos confirmandam perſtringit Tertullianus; quare ſi ex myſterio Euchariſtiæ eadem probetur natura, eamdem quoque probandi vim, nempe miracula, neceſſe eſt Adverſarios in Euchariſtia admirari.

Cæterùm hæc verba, *Non ergo manifeſta fides? non omnia fixa?* conſideranda ſunt: quæ de Cœnæ myſterio dicturus, præmittit Tertullianus ad fidem tanti facti in animis excitandam. Præterea ex his colligitur in verbis Cœnæ nil ambigui antiquos Patres intellexiſſe, cùm ex ſimplici & nuda narratione ultimæ Cœnæ affirmarent totum hoc myſterium manifeſtum eſſe; & nullo alio argumento
A demonſtrat Marcioni Tertullianus, Chriſtum verè panem feciſſe corpus & carnem ſuam, quàm ea perſpicuitate & certitudine ejus hiſtoriæ & verborum Chriſti.

TERTULLIANUS
DE MONOGAMIA.
Capite XI.

Et illi planè ſic dabunt viros & uxores quomodo buccellas.

VNum illud monere poſſum de Euchariſtia
illic mentionem non eſſe, quod quomodo
B dicerem non ſatis mihi conſtabat, ne minùs fir-
mum videretur ob authoritatem Cardin. Baronii
qui ad annum Chriſti 57. numero 151. ex his pu-
tat probari (quod aliunde fieri poſſe non nega-
mus) Chriſtianos olim ſolitos Euchariſtiam per
buccellas & particulas domum reportare; ut ſi
temporum iniquitate ad Eccleſiam accedere non
liceret, ea re non carerent, ſine qua neque æta-
tem, neque diem unum exigere feliciter putarent.
Verùm hæc à Tertulliano non eo ſenſu dicuntur,
ſed illudendi & exprobrandi cauſâ, quòd apud
Orthodoxos tam facilè ſecundas, vel etiam tertias
nuptias concederent quàm buccellam panis men-
dicanti, addit (per jocum ſcilicet) nequidem id
fieri ſine Scripturæ authoritate, quòd nimirum
ſcriptum ſit, *omni petenti te dato*, & ſimulat hæc
C verba ex Orthodoxorum ſententia non ſolùm ad
eleemoſynam, ſed etiam ad omnia ſacramenta
pertinere. Quæ cùm ita ſint, atque meo quidem
judicio, intelligenda, non video quomodo ſermo
de Euchariſtia potuerit intervenire, aut qua ra-
tione de ea loqoutus eſſet: ſi enim per buccel-
las Euchariſtiam intelligas, dixit Tertullianus
Orthodoxos tam facilè uxores daturos quàm
Euchariſtiam: quorum cùm nullus perſpicuus
ſenſus, aut firma ratio aſſignari poſſit, liquidum
ſit ea non eſſe explicanda de Euchariſtia, de Bap-
tiſmo, quo tempore ad Montanum nondum tran-
ſierat, negat hæc verba *omni petenti te dato*, ad
Baptiſmum pertinere, ſed ad ſolam eleemoſy-
nam, ex quibus conjecturam hanc aucupari poſ-
D ſumus, fuiſſe qui ſeriò ex his Scripturæ verbis pu-
tarent cuilibet petenti ſacramenta conferenda eſſe.

TERTULLIANUS
DE CORONA MILITIS.
Capite III.

Calicis aut panis etiam noſtri aliquid decuti in terram anxiè patimur.

ILluſerat quidam, quòd hæc ad Euchariſtiam per-
tinere negaſſem; & certè penè metum & ſcru-
E pulum injecerat, ni judicium noſtrum Jeſum
Chriſtum Peronio harum rerum peritiſſimo pla-
cuiſſet. Itaque ex eo quod ait conſuetudinem po-
ſtulare, ut anxiè patiamur calicis aliquid aut pa-
nis in terram decidere, ſatis planum ſit de pane
communi & domeſtico hæc verba accipienda eſſe:
nimium enim ſacramento detraheret atque am-
biguum relinqueret, an loco corporis Chriſti
habuiſſet, ſi de Euchariſtia loqueretur. Nam quæ
conſuetudine invaluerunt, magis ex optimorum
virorum æſtimatione & arbitrio vim & religionem
trahere videntur, quàm à natura & ingenio ſuo; &
quamvis illis innata & naturalis eſſet aliqua cultus
ratio, primo tamen intuitu non videntur, neque

apparent colenda : oollus enim unquam eo vecordię aut ignorantiæ devenit, ut à conſoetudine diſcat Deum eſſe adorandum , aut quærenti quamobrem Deum adorer, conſuetudine invaluiſſe dicat. Ita ſi de Euchariſtia ageret, immeritò inter exempla rerum quæ conſuetudine obſervantut , ejus cultum & venerationem recenſeret. Quis enim Chriſto dum inter mortales degeret, debitos honores conſuetudini tribueret ? Quis à conſuetudine abertare, & in ſolam obſervationem peccare cenſeret eos qui Chriſti corpus ad terram affligerent ? quaſi uon perinde officii neceſſitate quàm arbitrio humano & placita lege hos bonores præſtemus. Præterea particula illa *etiam* argumento eſt de communi mentionem eſſe, quaſi dicat ex conſuetudine Chriſtianos ægrè ferre ordinarium etiam panem humi jacere, ſicut adhuc multis eadem eſt religio; cujus aliam rationem non teperies , oiſi qoòd ex hujuſmodi rebus ſacro-ſanctum Chriſti corpus conficitur, atque res illæ aliquo honore dignæ majoribus uoſtris viſæ ſint, quæ tanto myſterio inſetvirent.

DE SPECTACULIS.
Capita XXV.

Ex ore quo Amen in ſanctum protuleris gladiatori teſtimonium reddere.

HÆc ad Euchariſtiam pertinere nemo inficias ibit, qui hujuſce vocis *Amen* ſignificationem, A & priſtinæ Eccleſiæ ritum & conſuetudinem non ignorarit. Nam in hujuſmodi myſterus hanc vocem ſæpiùs repetebant, ut aliàs diximos ; & hæc Tertulliani verba eodem referenda eſſe ex his ſequentibus liquet, *gladiatori teſtimonium reddere.* Vult enim dicere turpe & flagitioſum eſſe ea ipſa lingua atque ore quo porrigente Diacono teſtamur nos verum Chriſti corpus in Eccleſia ſumere, mancipiis Diaboli & gladiatoribus applaudere. In Theatris enim vulgus egregia gladiatorum facinora manibus & ſecundis acclamationibus extollebant. Porro paululum juvat percunctari Adverſarios qoorſum Diacooos ſe verum Chriſti corpus porrigere monuiſſet , populus identidem ſe ita credere profeſſos fuiſſet, ni utrique ita ſe rem haB bere exiſtimaſſent ? Enimvero in myſterus fidei & ſacramentis quæ extraneos arbitros non vetebantur, debebant certe ſumentibus , noo ſolùm rem ſicuti erat rudi præſertim plebeculæ aperire , verùm etiam ſi ea ipſa verba ſcripturæ aliter intellexiſſent , quàm ſonant , mollire eorumque ſenſum patefacero. Accedit tanti Tertullianum feciſſe Euchariſtiam , ut nihil dignius neqoe præſtantius os Chriſtianorum contingere , neque alia de cauſa illud ipſum magis conſecrari polluique crediderit. Denique notandum eſt Euchariſtiam hic à Tertulliano *ſanctum* vocari , quaſi pręſentem Chriſtum , ejuſque corpus hoc nomine deſignet, vimque ac gratiam hujuſce ſermonis in eo ſitam eſſe , quòd os illud & vox quæ ſe verum , ſanctum C & Chriſtum accipere teſtaretur , noo deberet teſtimonium pro Gladiatore & diabolo dicere.

Finis Notarum in varia Concilia & in quædam Tertulliani loca.

L'ANCIENNE POLICE
DE L'EGLISE
SVR L'ADMINISTRATION
DE L'EVCHARISTIE;
Et ſur les circonſtances de la Meſſe.

Par M. GABRIEL DE L'AUBESPINE, *Eveſque d'Orleans;*
& Commandeur de l'Ordre du Saint Eſprit.

AV ROY.

SIRE,

Les Lettres ne ſont pas bien receuës dans le bruit des Victoires ny des Triomphes Mais ſi Voſtre Maieſté conſidere que. Dieu luy a baillé ces heureux ſuccés pour la gloire de ſon Egliſe, ce Livret peut paroiſtre, & peut ſe méler entre vos Trophées. Car il traite de l'Eucharistie qui prend part, dans vos conqueſtes : puis qu'en chaſtiant la deſobeyſſance de vos ſuiets, vous en avez défendu la verité. En quoy la gloire de V. M. ſurpaſſe celle de ſes Peres, dont l'Hiſtoire n'eſt glorieuſe que pour avoir reconquis leur Royaume : Mais vous avez reconquis & voſtre heritage & celuy de Dieu. Vos Victoires ſont utiles au Ciel & à la Terre, & les Anges s'en réiouyſſent comme les hommes. Achevez donc, SIRE, de tirer l'Egliſe des diviſions de l'hereſie. Faites l'Unité comme autrefois les Empereurs l'ont fait en Afrique, entre les Catholiques & les Donatiſtes. Tout le monde s'y attend, & l'eſperance que l'on en conçoit, augmente les acclamations des réiouyſſances preſentes. Dieu meſme vous y conduit, & ces vents qui ont combatu pour vous, cette Mer qui a ſenty V. M. & qui n'a oſé reſpirer en ſa preſence, & tant d'autres merveilles, enſeignent ce qu'on doit eſperer d'enhaut contre ces Rebelles. C'eſt la priere que l'Egliſe de voſtre Royaume doit faire continuellement à Voſtre Maieſté, & ce qu'en mon particulier ie dois luy ſouhaiter, puis que i'en ay receu tant de biens, & que ie ſuis né,

SIRE,

Voſtre tres-humble & tres-obeïſſant ſujet.
GABRIEL DE L'AUBESPINE,
Eveſque d'Orleans.

A MONSEIGNEVR LE CARDINAL DE RICHELIEV.

MONSEIGNEVR,

Ce n'eſt pas pour m'acquiter de cë que ie dois ; le payement ſeroit trop petit : au contraire c'eſt pour devoir davantage, & afin que ce livre trouve du credit par celuy que vous avez dans les lettres. Vous avez ſi doctement & ſi divinement écrit pour l'Egliſe, qu'on ne croira iamais qu'il ſoit de petite eſtoffe, ny qu'il vaille peu, puis qu'il hazarde voſtre iugement, & qu'il en recherche la gloire. Il n'arrive pas en tous les Siecles qu'il paroiſſe une Lumiere & un Genie qui excelle en tout & ſi hautement : Il n'y a point de profeſſion en laquelle vous n'ayez fait des merveilles, & avec tel éclat qu'on ne peut vous flatter ny vous porter envie. Car la flatterie devient Verité, & tout ce qu'elle peut inventer, eſt beaucoup au deſſous de ce que vous faites : l'Envie ſe change en Amour quand elle void tant de vertus enſemble, tant d'effets ſi grands, ſi admirables, & ſi continus. Vous ſeul avez trouvé le ſecret d'Ariſtote, pour eſtre aimé de tous & pour en avoir les cœurs ; & ſi quelqu'un l'a ſceu, perſonne n'a pû le pratiquer que vous. Il a dit que le moyen le plus puiſſant & le plus charmant pour gagner univerſellement toutes les affections, & promptement, eſtoit les grandes vertus, & faire les actions heroïques : Vous avez uſé de ce charme ; tout le monde vous aime, vous louë, vous eſtes dans l'approbation univerſelle. Continuez, & toutes les prieres iront à ſupplier Dieu de vous donner ſanté & longue vie, puis qu'en vous reſident les eſperances de cet Eſtat.

MONSEIGNEVR,

Voſtre tres-humble & tres-obeïſſant ſerviteur,
GABRIEL DE L'AUBESPINE,
Eveſque d'Orleans.

PREFACE.

IL ne ſe trouve point de voyes pour traiter avec nos adverſaires, plus commode, ny dont ils conviennent mieux que de celles des Peres: Car ils ſouffrent qu'on les meine dans ces premiers Siecles de l'Egliſe. Et combien que par fois ils les recuſent, & qu'ils alleguent qu'ils ont pû errer, ces cauſes de recuſation toutefois ſont ſi peu recevables, que les plus ſenſez d'entre eux en ont honte, & que le plus ſouvent ils ſont contraints de venir à la bonne Foy, & de s'en rapporter à l'antiquité. Ce qui les force à cela, eſt que chacun reçoit facilement cette maxime de Tertullien: Que les Apoſtres ont conſigné aux premieres Egliſes la doctrine qu'ils ont appriſe de Jeſus-Chriſt, & qu'il leur avoit revelée: ſi bien que ceux qui ont eſté les paſteurs de ces Egliſes, ou ceux qui ſont deſcendus d'eux en ligne directe, ont eſté en poſſeſſion de la verité, & de la vraye Religion; & partant ce que fournit l'antiquité, ne peut eſtre reproché ny refuſé, que par ceux qui ont la paſſion pour raiſon. Mais entre toutes les preuves, & entre toutes les choſes que les anciens nous ont laiſſées, il n'y a rien qui ſoit plus ſpecieux, ny qui force plus puiſſamment l'opiniaſtreté à ſe rendre, que celles que nous voyons avoir eſté obſervées par pluſieurs Provinces, & celles qu'on voit avoir eſté dans la diſcipline de l'Egliſe de Siecle en Siecle. Car il n'eſt pas vray-ſemblable, que tant d'Egliſes en meſme temps & en meſmes Siecles, ayent conſpiré pour errer: faut confeſſer que ce qu'ils ont tenu & obſervé conſtamment, eſt tradition & non erreur. Ces Loix que nous produiſons en ce Traité, & que nous donnerons aux autres ſuivans, ont ces marques en cette qualité. Car il n'y en a point dans ce premier qui ne ſoient advoüées par pluſieurs Provinces, & par pluſieurs Siecles, & les Conciles d'où elles ſont priſes font foy, qu'elles ſont faites du conſentement de pluſieurs Eveſques, & de pluſieurs Egliſes. C'eſt ce qui me fait eſperer que nos adverſaires y auront quelque égard. Et quand il ſeroient ſi injuſtes que de les refuſer, & que de rejetter ces conſiderations; ils ne peuvent pas reſpondre à tant d'uſages, & à tant de polices qu'on trouve dans cette antiquité, par leſquelles on voit qu'ils ont adminiſtré & diſpenſé l'Euchariſtie avec beaucoup plus de Religion que nous: Et ne ſçauroient empeſcher que ceux qui verront le ramas de tous ces uſages, n'en conçoivent toute une autre opinion que celle qu'ils en publient. Car parlant moralement, tout ainſi que par les ceremonies & que par les façons dont on a traité avec les Empereurs & avec les Monarques, nous venons à connoiſtre ce qu'ils ſont, ou ce qu'ils ont eſté, & combien ils eſtoient en éminence par deſſus les autres hommes: quand nous voyons les Aigles s'eſtre abaiſſez devant eux, les Legions les avoir acclamées, les Rois leur avoir fait hommage, leurs Statuës avoir preſidé aux armées, avoir donné les Couronnes, des Autels devant elles, & mille autres Loix de reſpect: Ainſi nous devons rendre la meſme Juſtice à l'Euchariſtie. Et ſi nous trouvons que l'antiquité n'a pas permis aux prophanes de la voir: ſi elle a fait grace aux penitens comme les Roys aux criminels; ſi tous les

autres Sacremens prenoient une partie de leur force & de leur vertu d'elle, ſi elle eſtoit en autre conſideration que tout ce qui eſtoit en la Religion: bref, ſi jamais ils ne l'ont adminiſtrée qu'avec terreur & avec crainte, & ſi nous produiſons mille Loix de pareille force; pourquoy n'attribuons nous pas cette diſcipline à la creance que nous en avons; & pourquoy ne croirons nous pas qu'ils en auront les mêmes ſentimens que nous? Et quand on ne profiteroit de rien envers eux, l'hereſie ne ſera pas perpetuelle; ce livre ſervira pour la gloire & pour l'exaltation de ce Sacrement, & les noſtres le liront pour apprendre qu'il eſt le but, le ſommaire, le fondement, le tout de la Religion Chreſtienne: que dans le corps de Jeſus Chriſt, il tient le lieu & la place du cœur; que ſans luy, il ne peut avoir ny eſprit, ny vie, ny mouvement. Que tout ainſi qu'on voit les corps tomber en lethargie, paraleſie, apoplexie, quand le cœur ceſſe: de meſme ſi l'Euchariſtie ne fournit les eſprits vitaux aux membres de l'Egliſe, la gangrenne les pourrit, & la mort eternelle la ſuit de prés. J'avois intention d'achever le reſte des autres uſages dans leſquels tombent la pluſpart des ceremonies de la Meſſe & les particularitez du Canon, & generalement toutes les Loix & tous les Canons qui parlent de l'Euchariſtie. Mais ce ſera pour les Livres ſuivans. Le premier ne ſera que pour les Loix & que pour la police de l'Euchariſtie touchant les Catechumenes, les Energumenes & les Penitens.

AV LECTEVR.

LE deſſein de ces petits traitez eſt de rapporter toutes les Loix & toutes les Polices qui ont eſté faites & pratiquées dans les premiers Siecles ſur l'adminiſtration de l'Euchariſtie, pour de cette recherche tirer deux avantages. L'un, pour faire voir qu'ils en avoient une autre creance que nos Adverſaires. L'autre, pour en augmenter la veneration, & la rendre encore plus auguſte & plus admirable dans les eſprits pieux & conſacrez à la contemplation des Myſteres de Jeſus-Chriſt. C'eſt pourquoy l'ordre nous a obligé de commencer par ceux qui en eſtoient privez, & qui ne la recevoient point, comme par les Catechumenes & par les Penitens qui eſtoient aux rudimens de la Religion & comme à la premiere initiation de l'Euchariſtie; car la Penitence & le Cathecumenat eſtoient inſtitués pour les en rendre dignes. Le premier traité donc a compris toutes les Polices qui regardoient les Cathecumenes, les Energumenes & les Penitens. Le ſecond traitera de toutes les Polices & de toutes les circonſtances de la Meſſe, qui ſe pratiquoient & qui ſe celebroient avant le Sacrifice. Et quoy qu'en apparence il ſemble qu'elles n'appartiennent pas à l'Euchariſtie, toutefois elles ont eſté miſes dans la Liturgie pour cet effet: Et qui en connoiſtra la ſource & le myſtere, verra qu'elles regardent l'Euchariſtie, & qu'elles ſont comme la premiere couche aux Tableaux. Le ſecond traité avoit promis pluſieurs Chapitres qu'il ne fournit pas, mais la matiere nous a mené plus loin que nous n'avions preveu, & les dix-huit ont emply le volume: Auſſi que l'ordre eſt meilleur de traiter dans le ſecond toutes les circonſtances de la Meſſe, & remettre au troiſiéme tous les Myſteres du Canon & du Sacrifice. Ce que j'eſpere faire avec la grace de Dieu.

L'ANCIENNE POLICE DE L'EGLISE SVR L'ADMINISTRATION DE L'EVCHARISTIE.

LIVRE I.

CHAPITRE I.

Les Catechumenes eſtoient anciennement privez de la connoiſſance, de la veuë & de la communion de l'Euchariſtie.

